IHS

Digitized by Google

8
4 I
39
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

71
8 · 5 3
f 9 F
7
6.2.33.
78 37

Conc[es] Samuelis. ~~tom. 2.~~

Y
V
64

Digitized by Google

Digitized by Google

R. D.

SAMVELIS LOYAERTS,

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS AC Professoris, & Ecclesiæ D. Michaelis Louanii Pastoris,

CONCIONES,

SEV

ENODATIONES EVANGELIORVM DOMINICIS & Festis diebus, à Festo Sanctißimæ Trinitatis, vsque ad Aduentum occurrentium.

Quibus & fidei doctrina explanatur, & Christianorum morum institutio traditur.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud Ioannem Crithium, sub signo Galli.

Anno Domini M. DC. XXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN FESTO SANCTISISISIMÆ TRINITATIS.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra: euntes ergo, docete omnes Gentes, &c. Matth. 28.

DE SS. TRINITATE.

Summa Articulorum Partis I.

I. *Oſtenditur & probatur, quod Deus ſit trinus & vnus.*

II. *Probatur ex variis ſcripturis diuinitas Chriſti.*

III. *Probatur, quod Spiritus ſanctus ſit Deus.*

I. Oſtēditur Deum eſſe trinum, & vnum.

1. DE hac re ſumma & excellentiſſima, vbi quæritur vnitas Trinitatis, & Trinitas vnitatis, ſumma modeſtia, ſummoq; timore agendum

Auguſtin. lib. 6. de Trin. c. 3.

eſt, inquit *Auguſtinus*, quia, vt idem ait, nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur: Sic enim Pater, Filius, & Spiritus ſanctus defendendus eſt vnus eſſe Deus, vt tamen perſonarum agnoſcas Trinitatem, quam Sabellius hæreticus ſuſtulit, teſte *Auguſtino*, dicens, eandem eſſe perſonam Patrem, Filium & Spiritum ſanctum: Et ſic agnoſcere oportet perſonarum trinitatem, vt tamen Dei non tollas vnitatem, quam ſuſtulerunt Gentiles, plures ſtatuentes Deos: Sed vnum Deum, qui ſolus eſt verus naturaliter Deus, non Patrem ſolum, neque Filium ſolum, neque ſolum Spiritum ſanctum, ſed ſimul Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, dicimus eſſe, inquit *Auguſtinus*. Cauendum tamen, inquit, ne ſicut Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnum Deum eſſe, quantum ad ſubſtantiæ attinet vnitatem, veraciter dicimus: ſic eum, qui Pater eſt, eundem vel Filium, vel Spiritum ſanctum perſonaliter dicere, quod omnino nefas eſt, audeamus. Fides enim, quam ſancti Patriarchæ, & Prophetæ ante incarnationem Dei diuinitus acceperunt, quam & Apoſtoli ab ipſo Domino in carne poſito audierunt, & Spiritus ſancti magiſterio inſtructi prædicauerunt, vnum Deum prædicat Trinitatem. Sed Trinitas vera non eſſet, ſi vna eademque perſona diceretur Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: Rurſus Trinitas eſſet vera, ſed vnus Deus Trinitas ipſa non eſſet, ſi quemadmodum Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus perſonarum proprietate ab inuicem ſunt diſtincti, ſic forent quoque naturarum diuerſitate diſcreti: Sed quia in illo vno vero Deo Trinitate, non ſolum quod vnus eſt Deus, ſed etiam quod Trinitas eſt, credere oportet, propterea ipſe verus Deus in perſonis Trinitas eſt, & in natura atque ſubſtan-

Auguſtin. Hær. 41.

Auguſtin. ca. 1. de fide ad Petrum.

Digitized by Google

tia vnus est, vna est enim essentia Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

2. Verum istud quomodo verum sit, lumine naturæ capi non potest, sed fide suscipere oportet: Quod si res hæc ex subtili rationis disputatione, & non ex fidei simplicitate apprehenderetur, aut nemo, inquit *Bernardus*, aut certe non nisi subtiles Philosophi beatitudinem consequerentur. Sed quia placuit Deo fidei simplicitate saluos facere credentes, non tam ratio requirenda de his abscondi is sanctissimæ Trinitatis mysteriis, quam Dei sequenda auctoritas, qui per Scripturam sanctam, & diuinarum personarum distinctionem, & naturæ vnitatem multis in locis nobis contestatur, manifeste quidem in Scripturis noui Testamenti, tacite vero & occulte in veteri lege: idque propter Iudæorum imperfectionem, quibus mysterium Trinitatis non ita manifeste prædicabatur, ne Deorum pluralitas apud eos sicut & inter Gentes induceretur, erant enim Iudæi multum ad idololatriam procliues & proni. Hinc & *Paulus*, cum ad Gentiles, & ex Gentibus conuersos imbecilliores verba faceret, ita prudenter sermonem suum temperabat, auditorum imbecillitati cōsulens, vt Patrem Deum dicat, Filium Dominum nominet, Spiritum sanctum, Spiritum simpliciter vocet: Sic enim ait ad *Corinthios*: *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus*, quasi dicat, idem Spiritus est, & idem Dominus, & idem Deus est, qui hæc omnia facit. 1. Cor. 12.

3. Cur sic loquitur *Paulus*? quia Corinthii, ad quos scribebat, cum aliquando fuissent idolorum cultores, plures Deos agnoscentes & colentes, ne & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, similiter putarent plures Deos, si Paulus hos tres Deum diceret, Patrem vocat Deum, Filium Dominum, Spiritum sanctum Spiritum: Et interdum modo vnam personam, modo alteram omittit, modo vtramque, & solum vnam ponit, vbi Dei mentionem facit. Quod & Prophetæ in veteri Testamento de Filio faciebant, qui propter auditorum imbecillitatem nunquam manifeste, sed occulte duntaxat Filii meminerunt, ne inde, vt dictum est, occasionem arriperent Iudæi plures Deos colendi & agnoscendi. Neque enim statim infirmis auditoribus proponēdum est altissimum mysterium Trinitatis, sed doctrinam fidei eorum captui accommodare oportet, vt paulatim, postquam in fide creuerint, crescant & in mysteriorum cognitione. Hinc factum, quod in veteri Testamento rarissime fiat mentio S. Trinitatis, sufficiebat Iudæis, quia rudes erant, quod agnoscerent & colerent vnum Deum, sine expressa cognitione aut fide triū personarum: quanquam interim Patriarchæ & Prophetæ, qui magis erant illuminati, satis intellexerint mysterium Trinitatis.

4. Iam Scripturæ proferendæ, quibus probetur Deus trinus & vnus: Et inprimis ex veteri Testamento, vbi obscure significatur vnitas naturæ, & Trinitas personarum; *Genes. cap. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Dicens enim, *faciamus*, & *nostram*, pluralitatem personarum ostendit, inquit *Augustinus*, dicens vero *imaginem*, vnitatem essentiæ. *Isaias* vero sic ait, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum: & Seraphin stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant: Et clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*: In eo, quod dicitur ter *Sanctus*, personarum Trinitas: in eo vero, quod dicitur semel, *Dominus Deus*, diuinæ naturæ designatur vnitas: & hanc personarum Trinitatem, & substantiæ vnitatem sibi fuisse reuelatam, satis hic significat *Isaias*. Hæc *Augustinus*. Genes. c. 1. Augustin. ca. 1. de fide ad Pet. Isai. cap. 6.

5. Est

5. EST OBITER & iſtud hic adiiciendum, quod duabus alis caput eius velauerint, quia cum Deus æternus ſit, principium illius videre nequeunt: & duabus velabant pedes eius, quia nec finem in eo inueniunt: & duabus volabant, quia celeres & motu agiles pennis contemplationis & ardore caritatis in altum tolluntur, vt ea contemplentur quæ intermedia ſunt. Rurſum dicit *Pſalmiſta, Dominus*
Pſal.2. *dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*, hic loquitur Deus pater ad ſuum filium qui eſt verus & naturalis eius filius, *ego hodie genui te*, vbi dictio *hodie* præſentiam ſignificat æternitatis, ſecundum *Aug.* in
Auguſt. in pſ.2. qua Deo nihil præteritum, nihil futurum, ſed omnia ſunt ei præſentia, quia quicquid æternum eſt, & ſemper eſt & ſemper præſens eſt: Cum igitur natiuitas filii æterna ſit, quæ nec principium habet nec finem, ideo ſemper eſt, ita vt vere dicatur de filio, ſemper natus, ſemper naſcens, ſemper naſciturus, ſemota tamen omni imperfectione, ne ſucceſſu temporis perfici putetur eius natiuitas, vt fit in natiuitate humana. Audiens enim vulgus quod filius ſemper naſcatur, natiuitatem imaginatur nondum perfectam, ſed ſucceſſu temporis perficiendam: aut dum dicitur ab æterno natus, eius natiuitas ita perfecta cogitetur vt iam impræſentiarum non naſcatur: aut dum dicitur ſemper naſciturus, quaſi nunquam perfecte ſit natus, quod à generatione diuina omnino eſt remouendum.

6. NEQVE enim incommutabili naturæ diuinæ commutationem aſcribere licet, vt modo generet pater, modo non generet, aut modo generetur filius, & modo genitus non amplius generetur: quia quamuis generatio eorum quæ motus eſt, ceſſet acquiſito termino, vt patet in generatione hominis quæ ceſſat homine iam genito: tamen in iis quæ ita coæua ſunt ſuis principiis, vt ab iis ſemper eſſe accipiant, quorum generatio non eſt motus, ſed inuiſibilis operatio, ſemper dum fiunt ſunt, & dum ſunt fiunt: & ſi cauſam habeant in actu perpetuam, ſemper fiunt, & nihilominus ſemper perfecta exiſtunt, ſicut patet in ſole & ſplendore, in virgulto ſuper aquas & eius imagine: In quibus licet alterum ab altero gignatur ſeu producatur, non tamen re quæ gignitur perfecta, generatio ſeu productio ceſſat, neque ſuperuacua eſt in iſtis generatio re genita atque perfecta, quia res tametſi in ſuæ naturæ perfectione exiſtat, aſſidue tamen dependet à producente.

7. IN illa igitur ſancta Trinitate, quæ ideo à nobis repetitur toties vt noſtro cordi tenacius infigatur, vnus eſt Deus pater qui ſolus eſſentialiter de ſeipſo vnum genuit filium: & vnus filius qui de vno patre ſolus eſt eſſentialiter genitus: & vnus ſpiritus ſanctus, qui ſolus eſſentialiter de patre filioque procedit. Hoc autem totum vna perſona non poſſet, ſcilicet gignere ſe & naſci de ſe: quia igitur aliud eſt genuiſſe quam natum eſſe, & aliud eſt procedere quam genuiſſe vel natum eſſe, manifeſtum eſt quod alius ſit pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus. Si pater & filius quamuis vnus ſint Deus ſubſtantialiter atque naturaliter, perſonæ non eſſent diſtinctæ, non diceret *Ioannes, Qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus* 1.epiſt.5. *eſt ex eo: nemo enim naſcitur ex ſeipſo: Apoſtolus* quoque non dixiſſet, *Qui proprio ſuo filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum:* nullus enim eſt filius ſuiipſius. Hæc *Auguſt.* Pater cum filium gignit, non de nihilo neque de aliqua materia genuit, ſed de ſua ſubſtantia, quia filius vnius eiuſdemque ſubſtantiæ eſt cum patre, teſte *Hilario*, verbum dicitur natura filius, inquit quia eandem naturam quam lib.1.de ille qui genuit, habet: Eandem, inquam, Trinit. non ſpecie (ſicut inter homines pater & filius dicuntur eiuſdem eſſe naturæ) ſed numero, & ideo quamuis inter homines pater & filius dicantur plures eſſe homines non vnus homo, tamen in diuinita-

Digitized by Google

te pater & filius non dicuntur esse plures dii sed vnus Deus, eo quod hæc dictio,
Aug. lib. 3. ca. 10. con. Maxi. Deus, sit nomen naturæ, teste *Ambrosio*. Et quia non in tempore natus est filius de patre, tanquam tempus fuerit quando filius non erat, sed ab æterno, ideo pater non est anterior, aut senior, aut maior, aut potentior filio, neque filius spiritu sancto, sed æternus pater, æternus filius, æternus spiritus sanctus: immensus pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus. Sicut enim splen-
August. lib. 6. ca. 1. de trini. dor qui producitur à sole, inquit *Augustinus*, atque diffunditur, coæuus est illi, & esset coæternus si sol esset æternus: sic filius ex patre natus, patri est coæternus: A quo non consilio aut volun-
August. lib. 15. de trini. cap. 20. tate est genitus, inquit *August.* quo modo nos voluntarie genuit, creauit & in filios libere adoptauit, sed natura: vt enim pater non voluntate sed natura est Deus, ita filius non voluntate sed natura est genitus, ac proinde necessario patri coæternus.

8 NON sic vna persona ex alia procedit, vt quasi foras prodeat & seiuncta existat ab ea à qua procedit, quo modo fluuius à fonte procedit, aut ramus arboris à radice, aut splendor à sole: sed ita procedit vt intime in ea maneat à qua procedit, permanet enim in hac processione totus filius in patre, & totus pater in filio, & totus Spiritus sanctus in vtroque, & nullus horum extra quemlibet ipsorum est: Sic enim dicit ad Philippum Dominus, *non credis quia ego in patre,*
Ioan. 14. *& pater in me est?* Quo modo verbum, non quod foris dicitur, sed quod intus cogitatur, procedit à mente seipsam intelligente, quod sic à mente procedit vt tamen intime in ipsa permaneat existens perfecta imago mentis dum mens seipsam perfecte intelligit, sicut fit in angelis. Quanquam & in hac similitudine magna sit differentia, quia verbum hominis cum sit actus, res est admodum imperfecta, quæ neque eiusdem est substantiæ cum ipsa mente, neque ipsi coæua, sed modo in mente producitur, mox rursum euanescit & emoritur: verbum autem Dei est ipsa rei substantia & subsistens persona patri coæterna & consubstantialis natura. Non tamen tres istas personas, quæ eiusdem sunt substantiæ atque essentiæ, ex eadem essentia dicimus, tanquam tres istæ personæ partes sint diuinæ essentiæ: quo modo tres statuæ ex eodem auro factæ, dicuntur vnum aurum quia sunt ex eadem aurea materia compositæ; quia non est hic aliud essentia, aliud persona, cum in Deo non sit compositio, sed pura & vna simplicitas, ybi nec partium, nec accidentium, nec quarumlibet formarum vlla est diuersitas, aut multitudo, aut varietas, teste *Augustino*. Corporalis creatura cum ex partibus constet, quarum vna maior est altera, & in vnoquoque corpore aliud sit magnitudo, aliud color, aliud figura, simplex nullo modo, sed multiplex esse conuincitur. August. lib. 6. de trini. ca. 6.

9 ANIMA quoque & angelus, quamuis respectu corporis simplex esse videatur, quia mole non diffunditur per spatium loci, sed totus est in toto, & totus in qualibet parte, non tamen ibi vera simplicitas est: Cum enim aliud sit artificiosum esse, aliud inertem, aliud cupidum, aliud timidum, possintque hæc & alia multa in animæ & angeli inueniri natura, manifestum est non simplicem sed multiplicem esse naturam. Deus vero etsi multiplex dicatur, vere tamen & summe simplex est: quia cum magnus, sapiens, potens, bonus dicitur, tamen hæc omnia & inter se, & cum essentia diuina idem sunt: Non est in Deo aliud esse bonum quam esse magnum, quia magnus est non mole sed virtute, nec aliud est sapientia Dei quam eius beatitudo, teste *Augustino*, aut bonitas, August. lib. 6. ca. 4. de trini.
nec aliud potentia, quam sapientia, quia diuinæ essentiæ simplicitas tanta est vt non sit in ea aliquid quod non est ipsa, Aug. lib. 15. de trin. cap. 17.
sed idem est habens & quod habetur, vt docet *August.* Huic tamen simplicitati diuinæ

Digitized by Google

diuinæ naturæ non obſtat pluralitas perſonarum, quæ idem ſunt quod ipſa eſſentia, excepto quod relatiue ad inuicem dicantur, & ideo quamuis idem ſint cum eſſentia, inter ſe tamen realiter diſtinctæ ſunt, quia perſona patris alia eſt & diuerſa à perſona filii & ſpiritus ſancti, pater enim reſpectu filii dicitur, & filius ad patrem refertur: quamuis rurſum huiuſmodi relationes in Deo non ſint accidentia quia in Deo nihil ſecundum accidens dicitur: nec tamen omne quod dicitur, de Deo, ſecundum ſubſtantiam dicitur, quia quædam ad aliquid dicuntur, ſicut pater ad filium, & filius ad patrem, quod non eſt in Deo accidens, quia & ille ſemper eſt pater, & ille ſemper eſt filius, nec vnquam cœpit eſſe filius.

10. SVPEREST vt ex nouo teſtamento, in quo clarius probatur Trinitatis myſterium, vnam atque alteram ſcripturam proferamus: Et inprimis ſic ait *Ioan. Tres* (1. Ioan. 5.) *ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*, quod ſi teſtimonium accipimus hominum, teſtimonium Dei maius eſt, hic expreſſe, & perſonarum trinitas deſignatur & ſubſtantię vnitas: pater enim, qui eſt prima in diuinis perſona, teſtimonium perhibuit cùm diceret. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipſum audite*: (Matt. 3. & 17) verbũ teſtimoniũ perhibuit quod Deus eſſet, per doctrinam & miracula: & Spiritus ſanctus, qui miſſus eſt viſibiliter in apoſtolos, teſtimonium perhibuit per eorum prædicationem. Rurſum apud *Matthæum* ſic ait Dominus, (Mat. 16.) *Baptizantes eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti*. Quibus verbis ſummæ Trinitatis & indiuiduæ vnitatis myſterium adeo aperte manifeſtatur, vt non aliis teſtimoniis ad huius fidei veritatem inconcuſſe tenendum nobis ſit opus, inquit *Hilarius*. Nam baptizandi nomine peccatorum ablutio & rationalis animæ ſanctificatio ſignificatur, quod plane non alicuius creaturæ, ſed ſolius Dei opus eſt, vt propria virtute & authoritate peccata donet & animas ſanctificet: Sicut enim ſolus Deus mihi conferre poteſt vt ſim & eſſe habeam, ſic ſolus efficere poteſt, vt bonus ſim, quia nobilius eſt bonum eſſe quam ſimpliciter eſſe. Cum vero dicitur, *In nomine* non in nominibus, naturæ vnitatem, & autoritatis identitatem in tribus perſonis deſignat. Hæc ſimplici fide non ſubtili rationis diſputatione ſuſcipere oportet: ſi enim & medicis ægroti, & præceptoribus diſcipuli, & iuriſperitis dubii credunt rei, quanto magis creaturam oportet credere ſuo creatori Deo: vt enim ſocietas humana ſine fide ſubſiſtere non poteſt, ita ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.

II. Probatur diuinitas Chriſti.

1. CHRISTVS cum ſe mundo manifeſtaret, in hoc totus erat vt ſuam diuinitatẽ & doctrina, & vita, & operibus, & miraculis pateſaceret, ſeſeque vnum cum patre eſſe oſtenderet. Similiter Spiritus ſanctus poſtquam adueniſſet & in Apoſtolos deſcendiſſet, ſe quis eſſet manifeſtare cœpit: Ita enim paulatim homo & fide & cognitione proficere debebat, & à facilioribus incipere: facilius autem creditur & intelligitur quod Pater ſit Deus, nulla facta mentione filii aut ſpiritus ſancti, quam quod pater & filius & ſpiritus ſanctus ſint tres perſonæ ſubſiſtentes, tamen vnus Deus.

Quod autem filius ſit Deus, variis probatur ſcripturis tam veteris quam nouæ legis: Et inprimis ſic ait *Iſaias*, *Deus ipſe* (Iſa. 35.) *veniet & ſaluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum & aures ſurdorum patebunt*: Hunc locum de Chriſto intelligi debere patet ex *Matth*. (Mat. 11) vbi Dominus diſcipulis Ioannis quærentibus An ipſe eſſet qui venturus erat, ſic reſpondit, *Euntes nunciate Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis, Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur*: (Ioan. 15.) quaſi dicat cum ea opera faciam.

Digitized by

faciam, quæ quondam *Isaias* prædixit
facturum Deum cum veniret, potestis
inde colligere quis ego sim: vnde, & a-
libi dicit Dominus, *Si opera non fecissem
in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non ha-
berent.* Cum enim Christus ea opera fe-
cerit, mortuos suscitando, leprosos mun-
dando, cœcos illuminando, quæ nemo
potest nisi Deus, inde conuincitur eum
fuisse & esse verum Deum. Nam quan-
quam & Apostoli similia fecerint, quod
mortuos suscitarent, ægrotos sana-
rent, & similia multa facerent, tamen ea
non propria autoritate aut virtute fece-
runt sicut Christus, qui solo iussu &
imperio ægrotos sanauit, & mortuos
suscitauit: sed precibus vt tale quid
possent, à Deo impetrauerunt: vnde
miracula interdum faciebant, interdum
4. Reg. vero etiamsi vellent non poterant, id
cap. 1. quod patet in Elizæo, qui cum pallio
Eliæ percuteret aquas vt diuideren-
tur & non essent diuisæ, dixit, vbi est
Deus Eliæ etiam nunc? & percussit se-
cundo, & tunc diuisæ sunt huc atque
Baruch illuc.
cap. 3. 2. SECVNDO probatur diuinitas Chri-
sti per prophetam *Baruch* qui sic habet
*Hic est Deus noster, & non æstimabitur a-
lius aduersus eum, hic adinuenit omnem vi-
am disciplinæ & tradidit eam Iacob dile-
cto suo*, per Moysen scilicet in monte Si-
nai: & tunc subiungit propheta, *Post hæc
in terris visus est*, factus homo nimirum,
& cum hominibus conuersatus est. Insuper
Isa. 2. fere prophetæ omnes prædixerunt post
aduentum Messiæ exterminandam ido-
lolatriam, sic enim *Isaias* dicit, *Eleuabitur
Dominus solus in illa die, & idola penitus
contererentur.* Quod si Christus non sit ve-
rus Deus, nunquam fuit tam insigne i-
dolum, nec tam floruit idololatria,
quam post Christi aduentum, qui per to-
tum terrarum orbem tanquam Deus col-
Isa. 45. litur sacrificiis, & erectis templis & aris
ab omnibus non vt homo sed vt Deus ad-
oratur, & tanquam Saluator mundi in-
uocatur: Sed nemo saluare potest nisi so-
lus Deus, iuxta illud *Isaiæ*, *Deus iustus &
saluans non est præter me*: Cum igitur
Christo nihil magis conueniat quam sal-
uare, teste *Matthæo* qui ait, *vocabis nomen* Mat. 1.
*eius Iesum, ipse enim saluum faciet popu-
lum suum à peccatis eorum*, patet ipsum
esse Deum, quia si Deus non esset saluos
nos facere non posset: saluare enim, con-
seruare, viuificare, mortuos suscitare, &
similia multa, opera sunt Deo propria:
Sed hæc omnia Christo conueniunt, vt Ioan. 1.
enim *Ioannes* ait, *omnia per ipsum facta
sunt & sine ipso factum est nihil*, & alibi, Ioan. 5.
*Quæcumque pater facit, hæc & filius fa-
cit*: Rursum *Paulus* de Christo sic lo-
quitur, *Portans omnia verbo virtutis suæ* Hebr. 1.
hic conseruatio totius mundi Christo
tribuitur: Et alibi sic ait *omnia ipso con-* Coloss. 1.
stant, hoc est, inquit *Chrys.* omnium sub-
sistentia pendet à filio Dei, ita vt si ab ipso
conseruetur, consistat: sin minus, conti-
nuo intereat.
3. EX SCRIPTVRIS nouæ legis
sufficit vnam atque alteram adduxisse
ad huius rei confirmationem. Sic autem Ioan. 14.
Ioannes ait, *qui totus in hoc* erat, vt Chri-
stum Deum esse probaret, *Creditis in
Deum & in me credite*: vnde *Augustinus* August.
deducit Christum esse illum Deum ve- Libr. 1.
rum quem Iudæi colebant: Nam si non cap. 12. de
esset ille verus Deus, non posset sibi ar- Trini.
rogare fidem soli Deo debitam, tan-
quam diceret, si in Deum creditis, de-
betis etiam in me, quem hic videtis ho-
minem, credere, Nam ego, non solum
sum homo, sed etiam sum ille Deus in Ioan. 10.
quem creditis, sicut cum dicitur, *Phi-
lippe qui videt me, videt & patrem me-
um*: Et particula ista, & additur, non qua-
si Christus se distinguat à Deo, & fa-
ciat se quasi alterum Deum, à patre di-
uersum, cum expresse alibi dicat, *ego
& pater vnum sumus*: sed additur propter
naturam humanam qua distinguitur
Christus à Deo: Sed secundum diuinam
suam naturam, est, non quidem vnus cum
patre, quia sunt diuersæ personæ pater
& filius, sed vnum, hoc est, vnius essen-
tiæ

Digitized by Google

tiæ & ſubſtantiæ, non ſolummodo voluntatis concordia: Nam Iudæi hoc audito verbo ſuſtulerunt lapides vt iacerent in eum tanquam blaſphemum: Non autem lapidare voluiſſent, ſi tantum credidiſſent Chriſtum ſe dicere vnum eſſe cum patre concordia voluntatis. Vbi vero Apoſtoli dicuntur vnum, ſicut pater, & filius vnũ ſunt, qui tamen abinuicem numero differunt, illud vnum non ſignificat veritatem naturæ, ſed vnitatem concordiæ, quia eſt ſolum comparatio & ſimilitudo quæ non conuenit per omnia. Rurſus cum

Matth. 16 *Petrus* ait apud *Matthæum*, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, Chriſtum verum & viuum Deum fatetur, vnde & beatus à Chriſto prædicatur: Proprium enim viuentium eſt ſibi ſimile gignere in natura: Vt enim verus filius leonis eſt verus leo: Ita quoque verus Dei filius eſt verus Deus.

Ioan. 5. Vnde magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat ſabbathum, ſed etiam patrem ſuum dicebat Deum æqualem ſe faciens Deo. Hanc opinionem Iudæorum Chriſtus non ſolum non correxit, ſed etiam confirmauit dicens, ſe operari eadem quæ pater operatur, & ſicut pater excitat quos vult, ita &

ad Phil. 2. filius. Omitto hic *Paulum* qui ſic ait. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, hoc eſt, ſe eſſe Deum.

4. INFESTISSIMVS hoſtis diuinitatis Chriſti fuit Arrius hæreticus, qui filium patre minorem cum ſtatueret, Deum filium eſſe negabat. Et paulo ante Arrianam hæreſim reuelauit Deus S. Antonio, *vt Athanaſius ſcribit in vita eius* horribilia illa mala quæ Arrius in Eccleſia inuecturus erat. Ex quo factum eſt vt Antonius nullum Arrianum ad montem ſuum aſcendere pateretur, ſed vt peſtem quandam ex toto illo monte fugaret. Circa idem tempus quoque S. Petro martyri Epiſcopo Alexandrino, cum iam prima ſemina Arrianæ hæreſis apparere cœpiſſent, apparuit in carcere Chriſtus veſte ſciſſa à ſummo vſque deorſum: & cum S. Petrus rogaret quid hoc ſibi vellet, reſponſum accepit, Arrius hoc fecit, quia populum meum à me ſeparauit, ſic *Beda & Ado in martyrologiis*. Sed ipſe Dominus iudicem ſe præbens, vt loquitur *Athanaſius* Arrianam hæreſim condemnauit, cùm enim Arrius ipſe Conſtantinopoli in publicis latrinis ſubitâ ventris ſolutione occupatus eſſet, inteſtina omnia cum vita profudit. Addit *Athanaſius in epiſtola ad Serapionem*, antequam hoc fieret, Arrium Conſtantino iureiurando affirmaſſe, ſe catholicam fidem colere: à Conſtantino autem audiuiſſe: Si recta eſt fides tua bene iuraſti: ſi autem impia eſt, & tamen iuraſti, Deus pro iuramento condemnet. Ex quo intelligimus non caſu factum fuiſſe, vt tam fœda morte Arrius extingueretur, ſed plane ſingulari Dei prouidentia qui ea ratione implere voluit pii Principis comminationem. Scribit & *Amphilochius* quod cum quæſtio eſſet de quadam Eccleſia, vtrum eam Catholici an Arriani poſſidere deberent, obtulit *Baſilius* eis conditionem, vt Eccleſia firmiſſimis repagulis clauderetur & eorum eſſet, qui iuxta ſuam fidem orantes, ſolo verbo, nulla vi alia externa adhibita eam aperirent. Accepta conditione priores Arriani diu orantes iuxta fidem ſuam nihil efficere potuerunt. Deinde Baſilio cum catholicis orante, tanta vi continuo fores Eccleſiæ ſunt apertæ, ac ſi verba illa tonitrua quædam fuiſſent. Scribit & *Victor Vticenſis* aliquot Catholicis hominib. iuſſu regis Arriani linguas radicitus euulſas fuiſſe, & eos tamẽ ſemper locutos optime quoſque vixerunt: Cuius miraculi meminit etiã S. *Gregorius* ac dicit ſe loquutum cum quodam Epiſcopo ſene, qui vnum ex illis viderat ſine lingua loquentem. Quæ omnia non niſi ad confeſſionem Arrianorum faciunt.

25. Nou.

Athan. Orat. 1. con. Arri.

Epiph. hæ re. 68. & 69.

Amphil. in vita Baſilii.

Vict. Vtic. lib. 3. perſec. Wandal.

lib. 3. dial. c. 32.

III. Probatur Spiritus

1. QVOD Spiritus ſanctus qui eſt tertia in diuinis perſona, à patre filioque procedat, multis diuinorum eloquio-

Digitized by Google

sanctum dic Deū. quiorum comprobatur testimoniis: Dicit enim *Apostolus, misit Deus spiritum filij* ad Gal.4. *sui in corda nostra*, ecce dicitur filii spiritus: *Ioannis vero* 14. dicitur *spiritus patris*, vbi sic ait, *non enim vos estis qui loquimini sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis:* cap.11. Et alibi, *Spiritus veritatis, qui à patre procedit.* Non quod à solo patre procedat, vt Græci volunt negantes eum procedere à filio: sed ideo tantum patrem nominat filius, quia ad eū solet referre etiam quod suum est, eo quod à patre filius habeat quod ab ipso spiritus sanctus procedat, August. li. 15. de trin. c.27. sic *August.* Proceditque Spiritus sanctus non prius à patre & posterius à filio, sed simul ab vtroq; & immediate ab vtroq; si consideretur vnica virtus spiritus spiratiua, & vnica spiratio vtrique communis: mediate vero à patre dum consideratur inter personas ordo originis: est enim filius media persona inter patrem & spiritum sanctum, hoc accipiens à patre quod ab ipso spiritus sanctus procedat. Cuius originis ratione rectissime confitemur patrem esse primam personam in diuinis, filium secundam, spiritum sanctum tertiam. Non taemn tempore prius procedit Spiritus sanctus à patre quam à filio, quia processio est æterna: Neque dignitate aut natura, quia vna eademque spirandi virtus est in patre & filio, quæ seipsa maior aut dignior esse non potest, sicut est eadem in vtroque diuinitas, vnum idemque principium Spiritus sancti. Porro quid intersit inter nasci & procedere, & quare Spiritus sanctus cum sit de substantia patris, non dicatur genitus, vel filius, sed tantum procedens, dum hic viuimus ægre distinguere possumus, August. li. 3. ca. 14. cō. Maxim. tom.6. teste *August.* Hoc ex scripturis certo constat quod in diuinis non nisi vnus agnoscendus sit filius: Vnde Spiritus sanctus non debet dici aut patris aut filii filius, quia ad completam rationem generationis requiritur vt quod gignitur procedat à gignente per modum assimilationis: hinc filius dicitur imago patris: Spiritus sanctus autem procedit per modum amoris. Si spiritus sanctus filius diceretur: amborum vtrique filius diceretur, quod absurdissimum est, inquit *August.* Verum sicut *propheta* de filio loquens ait; *Generationem eius quis enarrabit?* ita de Spiritu S. verissime dicitur processionem eius quis enarrabit? distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. *Hæc August.* Aug. lib. 6. de trin. ca. 27.

2. HIC NOTANDVM quod sicut filius dum gignitur ex patre, in patre manet & pater in eo: Ita Spiritus sanctus dum procedit ab vtroque, à neutro tamen recedat, sed in vtroque est & manet, non secus atque si duo lumina à diuersis corporibus illuminantibus procedentia, inuicem sibi insint & inhæreant: quanquam & hic sit magna differentia, non enim sicut splendor aut lumen procedit à sole sic Spiritus sanctus procedit ab vtroque, quia lumen est, vbi sol non est, sed pater vbicumque sit, ibi & spiritus sanctus est, æque perfectus atque filius, aut pater, aut vterque simul, neque enim duæ personæ simul sumptæ sunt aut maiores, aut potentiores, quam sit vna sola, quia in Deo non est magis aut minus. Neque dependet Spiritus sanctus à patre sicut creatura à creatore per quem conseruatur, aut sicut lumen à sole à quo non solum originaliter sed & causaliter procedit, ita vt statim euanesceret si sol non esset, non sic inquam dependet à patre aut à filio, quia si naturam & essentiam consideras, habet prorsus eandem cum patre & filio: si personam respicias, illa quidem à Patre & filio procedit, sic tamen vt per se subsistat æque perfecte atque pater aut filius, habens intellectum, voluntatem, operandi facultatem æque perfectam atque pater aut filius: quia prorsus eandem. Vnde etiam & intelligit, & vult & operatur, & omnia facit quæ aut pater aut filius facere solent, & quæ non nisi personæ subsistentes facere & operari solent.

3. Cum

3. Cvm vero Patri potentia, Filio Sapientia, Spiritui ſancto peculiariter aſcribitur amor ſeu bonitas, id non fit quaſi ſolus pater ſit potens, aut ſolus filius ſapiens cum omnes perſonæ ſint æque potentes & ſapientes: ſed ne quia pater eſt & antiquus dierum, præ ſenio imbecillis putetur, vt fit inter homines: aut ne filius, quia filius eſt tanquam iuuenis non multum ſapere putetur, ſicut inter homines communiter iuuenes non multum ſapere deprehendũtur: Aut ne Spiritus ſanctus quia origine poſtremus eſt, patri & filio tanquam ordine & origine prioribus inuidere exiſtimetur.

4. Qvod ad poſtremam attinet probãdum atque demonſtrandum eſt Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, id quod nonnulli quondam hæretici negauerunt, & etiamnum aliqui hoc tempore negant: *Eraſmus* enim nõ ita catholice de Spiritu ſancto ſenſiſſe videtur cum ait, Audemus Spiritum ſanctum Deum appellare, quod veteres non ſunt auſi. Sed multum fallitur *Eraſmus*, quia, veteres integris voluminibus Spiritum ſanctum verum Deum eſſe probauerunt, iiſque palam multiſque modis maledixerunt, qui id non confiterentur. *Seruetus* vero hæreticus Spiritum ſanctum quoddam Dei donum eſſe docuit, ſeu diuinam in hominis ſpiritu operationem ſeu agitationem, & quia ſic mouendo Chriſto credentes ſanctificat Deus ideo dicitur Spiritus in homine ſanctus. *Hæc ille.* Eccleſia catholica vero ſemper tenuit & docuit, tenet & docet Spiritum ſanctum verum eſſe Deum à patre filioque procedentem, eiuſdem cum iis ſubſtantiæ, potentiæ, ſapientiæ, voluntatis & intellectus, qui tamen in perſonalitate ſit diuerſus. Sic enim legimus in *ſymbolo S. Athanaſii*, quod ab vniuerſali Eccleſia receptum eſt, *Fides catholica hæc eſt vt vnum Deum in trinitate, & Trinitatem in vno Deo veneremur, neque confũdentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes, alia eſt enim perſona patris, alia filii alia ſpiritus ſancti: ſed patris & filii & ſpiritus ſancti vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas.*

Eraſm. præf. in li. Hilarij.

Quod manifeſte probatur ex illa *ſcriptura Matthæi, Euntes baptizate omnes gentes in nomine patris, & filij & ſpiritus S.* Quomodo poſſet Spiritus ſanctus per baptiſmum nos regenerare niſi eſſet Deus verus? ſic *Greg. Nazian.*

Matth. 28.

5. Item dixit Petrus Ananiæ, *Anania cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto, non es mentitus hominibus ſed Deo.* Rurſum *Paulus, Neſcitis quia templum Dei eſtis vos & Spiritus Dei habitat in vobis? an neſcitis quoniam membra veſtra ſunt templum Spiritus Sancti qui in vobis eſt? glorificate & portate Deum in corpore veſtro.*

Gre. Naz. orat. 5. de Theol.
Act. 5.
1. Cor. 3.

Quem Deum, inquit *Auguſtinus*, niſi Spiritum ſanctum? cuius templum dixerat eſſe corpora noſtra: neque enim vlla creatura in nobis tanquam in templo habitat. Nam vt *Athanaſius* ait, dicito vbi tandem in ſcriptura dicatur propheta vel apoſtolus, vel homo quiſpiam templum vel angeli, vel vllius rei creatæ. Et *Auguſt.* Si templa facere Spiritui ſancto iuberemur ſicut fecit Salomon de lignis & lapidibus, vtique faciẽdo templum latriam illi hoc eſt cultum diuinum ei exhibere conuinceremur, quanto magis latriam exhibemus cui non templum facimus ſed ſumus? *Poſtremo* cum proprietates quæ Deo propriæ ſunt ſpiritui ſancto tribuantur, neceſſario colligitur Spiritum ſanctum eſſe Deum, verbi gratia proprietas Dei eſt, quod ſit immenſus, omnipotens, quod ſit vbique, quod profunda Dei intelligat, quod omnia conſeruet, creet & ſimilia multa, quæ omnia in diuinis ſcripturis reperimus Spiritui Sancto attributa. Nam quod immenſus ſit, patet *Sap. c. 1.* vbi dicitur quod *Spiritus Domini repleuerit orbem terrarum*: Quod omnipotens ſit patet *c. 7. Spiritus Domini omnẽ habens virtutẽ*: Et ꝙ omnia ſciat patet ex *Paulo Spiritus omnia ſcruta-*

Auguſt. Epi. 66.
Athanaſ. in dial. de tri.
Augu. vbi ſup.

scrutatur etiam profunda Dei: sed Deus est incomprehensibilis, quia à nulla creatura cõprehendi potest, nisi à seipso, ergo si spiritus sanctus Deum comprehendat & omnia Dei profunda sciat, Deus sit necesse est æque plenus & perfectus vt pater aut filius. Qui potest capere, capiat, qui autem non potest credat, & oret vt q credit, intelligat. Verum est enim quod per prophetam dicitur, *nisi credideritis non intelligetis*. Fides intelligentiæ viam præparat, quo enim ille maior fuerit, eo clarior notitia subsequetur partim in hac vita, sed plena atque perfecta in futura, quando videbimus eum sicut est.

PARS II.

Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria, in secula seculorum. Amen.

1. Timoth. cap. 1.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Deum esse certis rationibus probari potest, & quibus.*

II. *Explicantur perfectiones quædam & proprietates Dei.*

III. *Ex immutabilitate Dei non potest inferri fatalis necessitas.*

I. Deum esse certis rationibus probari potest.

NVLLA gens tam barbara neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere oporteat, tamen habendum sciat. Est enim omnibus etiam infidelibus à natura insitum, vt in repentinis ac desperatis casibus vbi nulla humani præsidii spes affulget, ad diuini numinis auxilium implorandum excitemur: Propensiones autem has quæ à natura proficiscuntur, non frustra esse etiam phililosophi docent, signa sunt enim non modo diuinum numen in mundo esse, sed etiam omnia quæ in terris geruntur, scire, humanarumque rerum curam & prouidentiam gerere, aperte probant. Idipsum & efficaci ratione probari potest atque demonstrari, Cum enim ad oculos constet multa esse facta, nihilque sit quod seipsum fecerit, sed ab alio factum sit, tandem ad vnum primum principium, quod omnium aliorum causa sit, deuenire oportet, quia non est procedere in infinitum: asserunt autem philosophi primum in vnoquoque genere causam esse omnium quæ sub illo genere cõtinentur, astra enim omnia, quam habent lucem ab vno sole mutuant, qui inter ea omnia splendidissimus est; sic quæcumque calida sunt non nisi ignis participatione, qui in genere calidorum corporum primum locum obtinet, calida fiunt: Ita Deus in genere entium ipse summum & perfectissimum ens, omnibus quæ sunt essendi causam tribuit: in ordine viuentium ipse primum viuens, imo & vita ipsa, ab ipso omnia quæ viuunt vitam habuerint, *in ipso viuimus, mouemur, & sumus*, inquit, *Paulus*: in ordine intelligentium, ipse supremus intellectus, à quo vis intelligendi omnis.

2. RVSRVM quemadmodum nihil seipsum fecit, ita nihil est, presertim quod contrariis, & pugnantibus qualitatibus constat, quod seipsum in suo esse conseruare possit, nisi ab eo conseruetur à quo factum est, quia rerum conseruatio non est aliud quam assidua quædam earum quasi creatio, quæ mox in nihilum redigerentur, nisi continue à suo conditore conseruarentur. Constat autem & animalium corpora, & mundum ipsum contrariis constare elementis, quæ inter se non nisi pugnam parere possunt, ita vt inter se nullo ordine conseruarentur nisi ab vno aliquo dirigente in eum ordinem redigerentur: Id quod nauigii exemplo fluctus maris transeuntis manifestum euadit, quod mox ni ab aliquo dirigatur, aut subsidet, aut in scopulos illidetur, & nunquam ad destinatum perueniet portum, id & in Musica patet, nisi sit enim qui eam certa mensura dirigat, sed temere pro cuiusque arbitrio & libitu voces emittantur, non harmonia quæ oble-

oblectet, ſed inconditus clamor qui aures obtundat, exorietur. Ita niſi ſit qui hunc mundum regat, & conſeruet, non ita certis legibus nox diei, æſtas hyemi floribus

Pſ.118. fructus ſuccederent. *Ordinatione tua perſeuerat dies,* inquit *Pſalmiſta*, *quoniam omnia ſeruiunt tibi.*

3. HÆC vna vel præcipua eſt vtilitas ob quam Deus hunc viſibilem condiderit mundum, nimirum vt per eum cognitum ad conditoris cognitionem & dilectionem deueniremus. Quandoquidem enim Deus natura inuiſibilis eſt, vt à viſibili creatura poſſit ſciri & intelligi, opus fecit immenſum quod eſt viſibile, vt ſua viſibilitate opificem qui fecit illud, manifeſtum faceret, vt ille Deus omnium eſſe crederetur qui hoc fecit quod ab vlla creatura impoſſibile eſt fieri: Accedat quæcumque creatura voluerit, & faciat tale cœlum & talem terram,

Ambr. in ca. 1. Rom. 1. & dicam, inquit *Ambro.* quia Deus eſt: ſed quia nulla creatura talia facere valet, conſtat ſuper omnem creaturam eſſe illum qui ea fecit: ac per hoc illum eſſe Deum qui talia fecit, homo colligere po-

ad Ro. 1. tuit, quia vt *Paulus* ait, *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Deus enim in diuerſis creaturis tanquam in diuerſis ſpeculis ſe conſpiciendum præbuit, vt ex iis ipſum in eis relucentem agnoſceremus & cognitum diligeremus: verbi gratia ſi quem videas bonum, iuſtum, & ſanctum, ſi quem potentem & conſtantem, ſi quem prouidum, prudentem & ſapientiam, Deum recogites non ſolum vno iſtorum, ſed etiam omnibus ſimul ſumptis, meliorem, ſanctiorē, ſapientiorem. Vt enim præceptor ſeu magiſter aliquis qui artem docet ſeu ſcientiam alios, eam ipſe prius perfectius ſcire debet, quam ii quos docet, quia cauſa nobilior eſſe debet ſuo effectu, Ita quicquid perfectionis ineſt creaturis, illud ipſum multo eminentius reperitur in Deo ipſo. Sic enim de ſe lo-

Iſa. 66. quitur apud *Iſaiam* Dominus: *nunquid ego qui alios parere facio, ſterilis ero?* Sunt quidem angeli creaturæ nobiliſſimæ & in ſuo genere perfectiſſimæ, eo quod nihil ipſorum naturæ deſit, non tamen ita perfecti vt Deus, qui quia cæteris omnibus ſuam perfectionem communicat, eandem ipſe multo in ſe eminentius habet. verbi gratia dicitur Deus leo, ſol vitis, & ſimilibus compellatur nominibus, quia earundem creaturarum perfectionem in ſe eminentiſſime continet: dicitur enim *leo* Deus quia generoſus & fortis, qui ad nullius pauebit occurſum: dicitur & *ſol*, quia omnia illuſtrat & illuminat: dicitur & vitis, quia palmiti ſibi inſerto nutrimentum ſubminiſtrat: dicitur *aurum*, quia omnia decorat, & nullius decore eget: dicitur & *Rex*, quia omnia regit, & magnificæ eius maieſtati omnia ſeruiunt & ſubſunt.

1. POTISSIMVM vero eæ perfectiones Deo tribuuntur quæ nihil imperfe- II.

ctionis includuat, vt vita, eſſentia, ſapiētia, iuſtitia, potentia & ſimilia: Quæ qua- De perfectionibus Dei.

tenus in creaturis ſunt, hactenus perfectiones dicuntur, quia rem cui inſunt perficiunt, tamen quia definitæ ſunt & limitatæ naturæ, eatenus licet imperfectæ dici non debeant, non tamen omnino perfectæ ſunt, nec eatenus in Deo poni poſſūt, ſed prout habent infinitatem, eſt enim ſapientia Dei infinita, & potētia, & iuſtitia, ſicut & eſſentia. Imo vnum ab altero non diſtinguitur in Deo, ſicut in nobis, quia quod infinitū eſt nullā diſtinctionem aut limitationē admittit: eſt enim eſſentia Dei idem quod ſapientia, aut potentia & contra, virtualiter tamē ſapientia & potentia diſtinguūtur: Eſſentia enim Dei quatenus ea Deus ſapit, ſapientia dicitur: quatenus ea potens eſt & operatur, potentia dicitur. Hoc in creaturis non fit, quia homo ſua eſſentia non ſapit, ſed eſt ſolum, ſapientia autem adueniens eum ſapientem efficit: Deo autem nullum accidens aduenire poteſt, quod cum perfi-

 cere

cere poſſit, ſed eſt ipſa perfectio. Vnde cum Deus dicitur lux, bonitas, ſapientia, non dicitur lux aut bonitas creata ſed increata: lux autem & bonitas creata quæ in creaturis reperitur, eſt quædam ſimilitudo lucis & bonitatis diuinæ.

QVOD autem omnes perfectiones quæ in creaturis reperiuntur, eminenter ſint in Deo, patet ex variis Scripturis: di-

Pſal.91. cit enim *pſalmiſta, Qui plantauit aurem non audiet? qui finxit oculum non conſiderat?* &

Iſa.66. *Iſai. Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam dicit Dominus?* Cum enim Deus ſit cauſa efficiens omnium perfectionum, nulla autem cauſa poſſit aliquid efficere quod ſit ipſa perfectius, patet quod

August. Lib.5. ca.15.de Gen.ad liter. August. Lib.2, de doct. Christ. ca.7.

in Deo omnia ſint meliora & veriora, quam ſint in ſeipſis, teſte *Auguſtino*. Dei itaque nomine audito omnes concipimus tale quid, inquit *Auguſtinus*. quo nihil maius, nihil dignius, nihil melius nihil potentius, nihil præſtantius excogitari poſſit. Imo quo quis profundius mente in has Dei perfectiones inciderit, eo plenius Dei immenſitatem intelligit, & clarius videt ſupereminentem illam Dei naturam, omnem creatæ mentis nedum humanæ ſed etiam Angelicæ intelligentiam atque dignitatem infinito interuallo ſuperare, & tanquam abyſſum impermeabilem eſſe. Quinimo quicquid & angelici ſpiritus, qui immenſam diuinæ maieſtatis ſpeciem propius contemplantur, de Dei maieſtate concipiunt vſque adeo infra dignitatem eius eſt vt prope nihil eſſe videatur, quia finiti ad infinitum nul-

Cap.43. la eſt proportio: Hinc *Eccleſiaſticus* ait, *Glorificate Dominum quantum poteſtis, ſuperualebit adhuc, benedicentes Deum exaltate eum quantum potueritis, maior eſt omni laude: Ne laboretis non enim comprehendetis: terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius, & admirabilis magnificentia eius.*

3. QVID igitur reſtat niſi vt ſummæ bonitati ſummum amorem, altiſſimæ dignitati & maieſtati ſummam reuerentiam, æquiſſimo ac potentiſſimo iudici ſummum timorem; benigniſſimo ac miſericordiſſimo patri ſummam fiduciam & obedientiam rependamus? Cum enim humana voluntas ſic ab auctore naturæ Deo ſit inſtituta vt ſola bonitatis ac pulchritudinis ſpecie capiatur; quid potentius illam ad amorem allicere poterit quam hoc immenſæ bonitatis, pulchritudinis, atque omnium perfectionum pelagus inexhauſtum? Si inſignis alicuius creaturæ, vtpote virginis ſpecioſæ aut cuiſpiam alterius, pulchritudo & decor multos hominum de mente deduxit, quid ſentiet purgata à vitiis anima in ſummi huius boni & pulchri contemplatione defixa? cui omnium creaturarum pulchritudo comparata, deformitas videtur, quo modo aſtra quaſi obſcurari videntur aut potius non eſſe putantur dum ſole omnia illuſtrantur. Cum itaque Deo nihil ſit dignius aut præſtantius, eius cognitione atque contemplatione nihil quoque præclarius. Quæ enim intelliguntur quo ſunt digniora ac nobiliora, eo animam intelligentem magis perficiunt: quæ vt vilescit & veluti ſordeſcit dum ſordida cogitat & amat, ita econtra perficitur & nobilitatur, cum ad ea quæ altiſſima ſunt contemplanda aſſurgit: diuinæ autem naturæ dignitate nihil ſublimius, proinde eius cognitione nihil digni-

us. Hinc *Ieremias*, *Non glorietur ſapiens in* Ier.ca.9.

ſapientia ſua, neque diues in diuitiis ſuis, ſed in hoc glorietur qui gloriatur ſcire & noſſe me, dicit Dominus, vult tamen Deus maiorem nos operam in eo diligẽdo quam cognoſcendo ponere, eſtque ipſa dilectio longe maioris meriti quam cognitio. Quinimo ea quæ à magiſtra caritate proficiſcitur cognitio, Deo longe eſt gratiſſima, vt non tam intellectus voluntatem, quam voluntas intellectum erudiat.

4. CVM enim viri ſancti ſeſe ad immẽſam diuinæ bonitatis & pulchritudinis ſpeciem contemplandam toto mentis affectu attollunt, ibique ardentiſſimo eius amore flagrare, & diuinæ dulcedinis ſua-

uitate

Digitized by Google

uitate perfrui, diuiniſque illuſtrationibus illuminari incipiunt; his intermiſſis animi ſui moribus, diuinæ bonitatis, ſuauitatis & dilectionis amplitudinem intra ſe quodammodo experiuntur, quæ ſic eos velut quibuſdam dilectionis ſuæ brachiis amplectitur & reficit, ſic mentes eorum noua quadam rerum diuinarum luce perfundit, vt his indiciis atque experimentis inæſtimabilem de diuina bonitate cognitionem amando nanciſcantur: qua intellectus ipſe eruditus talem de diuina bonitate ſententiam concipit, qualem ei voluntas his diuinis muneribus affecta tradit. Itaque in medium adducere oportet non tam quæ intellectum ad diuinæ bonitatis cognitionem erudiant, quam quæ nos ad eius amorem, tantæque maieſtatis admirationem excitare queant.

5. PORRO quia Deus cernitur non figuris colorum, & loquitur non ſono verborum, ſed effectu rerum, dum ſuauiter & affectum inflammat, & mentem illuminat in eam illabendo, cuius præſentiam anima ſi munda fuerit facile percipit: nihil eſt quod eam ab hac Dei cognitione atque dilectione magis remoretur, atque impediat, quam quod inter res quas oculorum ſenſu vſurpamus perpetuo verſati atque enutriti, quicquid mente concipimus, his quæ videmus ſimile iudicemus. Nihil enim difficilius quam mentem ab oculorum conſuetudine abducere, cum nihil ſit in intellectu quod non prius fuerit in ſenſu. Hinc factum eſt vt multi nihil eſſe crederent, niſi quod oculis aut alio ſenſu corporis vſurparent & veluti palparent, noſtramque religionem, quæ Deum colit inuiſibilem, vanam exiſtimarent: præſertim dum qui eius religionem amplectuntur, humiles abiectos, inopes & multorum iniuriis ſubiectos conſpiciunt: Econtra qui Deum non timent, neque colunt; potentes, opulentos, & beatos cernant, qui & honoribus euehuntur, & diuitiis abundant, & deliciis diffluunt. Hinc enim colligunt & putant, aut Deum non eſſe, aut ſi ſit, ſuorum curā nō gerere, ſic enim loquuntur apud prophetā *Iob*, *Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus* Iob.21.
illi? & alibi, *Quid enim ſcit Deus? noſtra non* & 22
cōſiderat, ſed circa cardines cœli perambulat.

6 MVLTI non quidem verbis, ſed vita & moribus Deum eſſe inficiantur, dum ita ſcelerate viuunt, ac ſi bonorum & malorum nullum diſcrimē foret. Et vt impune peccare poſſint, ſuiſque voluptatibus frena laxare libere valeant, optarent aut Deum non eſſe, vel ipſum cœcum aut infirmum, aut iniuſtum ſibique ſimilem cuperent, vt nec eorum iniquitates per cæcitatem videre, nec per impotentiam punire poſſit, nec per iniuſtitiam velit. Talem autem Deum optare eſt prorſus Deum eſſe nolle. Hinc mundus dicitur non nouiſſe Deum, fingit enim eum talem non qualis eſt, ſed qualem eum eſſe cupit & optat. Vnde & gentes tales eligebant Deos & conſtituebant; qui & adulteri, & mendaces, & homicidæ eſſent, vt Iupiter, Mercurius, Venus, Mars, quibus turpiſſima flagitia aſcribebant poetæ, vt qui ſimilia facerent, inquit *Clemens*, non ſolum non malefacere, ſed etiam Deos ſuos imitando benefacere putarentur. Poſtquā enim homo peccandi libidine à Deo receſſit, nō ſe Deo ſubiicere, ſed Deū ſibi accōmodare voluit, & quæ ſibi placent etiā Deo placere debere exiſtimat. Mēs enim immodico rerum terrenarum amore infecta, non ſapit ea quæ Dei ſunt, & tanto minus ei ſpiritualia ſapiunt, quāto magis terrenis voluptatibus fuerit immerſa. *Animalis homo,* 1.Cor.2.
inquit *Paulus, non ſapit ea quæ Dei ſunt non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinatur.* Neceſſe eſt enim vt qui huius diuinæ felicitatis ac ſuauitatis particeps fieri cupit, diuinos quoque mores ac diuinam puritatem imitetur, ac Deo aſſimiletur, quia nūquam ad verum ſummæ illius venuſtatis intuitum eſt admittendus, niſi diuinam ſimilitudinem ſumſerit: eſt autē diuina ſimilitudo ſanctitas, iuſtitia, veritas, ſcientia ſapientia, & ſimiles virtutes, quæ impuro cordi non ſa-

piunt,

piunt, quia eius affectui & amori contraria sunt: Et si creatam non amat sapientiam, quomodo ad amorē increatæ sapientię peruenire poterit? cū *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur.*

7. *Multa* sunt in Deo quæ solo rationis lumine intelligi nequeunt: cū enim Deū ex suis operibus cognoscamus, ea sola de eo capere possumus quæ operum eius attestatione probantur: Quare sicut pictura aliqua summa arte expressa ad viuū, artificis quidē artē & ingeniū declarat, mores autem & patriā & fortunam nō exprimit, Ita plane hic mundus opificis nostri Dei sapientiam, potentiam, bonitatem, prouidentiam & similia multa nobis ob oculos ponit, ex perpetuitate enim creaturarum intelligitur conditor æternus: ex magnitudine creaturarum, omnipotens: ex ordine & dispositione, sapiens: ex gubernatione, prouidus & prudens: Sic enim *Sapiens*, ait, *vani sunt omnes homines in quibus*

Sap. 13.

non est scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut solem & lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Quorum si specie delectati, Deos putauerunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est, speciei enim generator hæc omnia constituit: Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit fortior est illis, à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. Multa tamen alia quæ in Deo sunt, minime manifestat, cum enim hic effectus licet præstantissimus sit, totam suæ causæ virtutem non exhauriat, multa, quinimo infinita sunt in Deo, quæ in hoc mundo quod est opificium Dei, non exprimuntur. Neque enim altissimum diuinæ Trinitatis mysteriū, quæ trina est in personis, & vna in substātia, lumine naturę per creaturas haurire licet, sed fide illud suscipere oportet.

8. INTER cæteras Dei proprietates quæ ex rebus creatis cognosci possūt, vna est quod sit æternus, immortalis & incōmutabilis, *apud quem vt Iacobus loquitur, non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio*: cui soli proprie cōpetit quod sit, sicut scriptum est, *Dixit Dominus ad Moysen Ego sum qui sum & ait, Sic dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos.* Hoc nulli creaturæ cōpetere potest: sicut enim verū aurum illud esse dicitur quod nullā aliam speciem metalli habet admixtam; ita illud proprie dicitur esse vere, quod nullam habet corruptibilitatē, sed nec habere potest, quod æternū est & incommutabile, & is solus Deus est, qui neq; natura, neque affectione vllo modo mutari potest, iuxta illud *Psalmistæ Tu autē idē ipse es & anni tui non deficiunt.* Angeli & animæ etiamsi natura non mouētur, quia immortales sunt, mutari tamen & interire possunt, & protinus intercciderent nisi Deus eos conseruaret, sed Deus secūdū diuinā naturā interire nō potest, ideo proprie dicitur esse, & immortalis esse. Et *anni eius nō deficiunt*, quia nec eunt, nec veniunt, inquit *Aug.* vbi aliquid it & præteritū transit, ibi aliquid deficit: sed anni Dei nō deficiunt, quia nihil est in annis eius quod in præteritū trāseundo abeat in nihilū, sed omnia annorū eius spatia & tēpora simul sunt. Nō abs re *Psalmista* cum docere vult annos diuinos esse stabiles, prius asserit Deū nullā mutationē admittere. Ex hoc enim efficaciter colligitur Deū tēpori subiectū non esse: cū enim tēpus sit numerus motus per ipsum prius posteriusue, profecto circa eū in quē nullus cadit motus, etiā nullū potest esse aut versari tempus. Tribuuntur tamen Deo anni, dies & tempora, vt nouerimus immutabilem Deū suæ stabilitatis non carere mēsura, sed anni in æterni dicuntur, & tēpora æterna, quia sicut tēpus est numerus motus aut mutationis, ita & æternitas mensura est perpetuæ immutabilitatis.

Iaco. 1. Exod. 3. Ps. 101. Ambros. lib. 1. ca. 4. de Spi. san. Cyril. lib. 8. ca. 2. thesau. Aug. 11. cap. 13. confess.

9. IMMVTABILIS est autē Deus non solū secundū substantiam, verumetiā secūdū qualitatem: Angeli affectione sæpe mutātur, cū quippiā volunt, quod prius nolebāt, & multa addiscant quæ prius ignorabāt: Deus autem nihil addiscit aut vult

de no-

de nouo, quod ab æterno non sciuit aut
Isa.46. non voluit, *Consilium meum stabit*, inquit *& omnis voluntas mea fiet.* Quod homo modo velit, modo nolit, fit hoc partim quia incõstans est homo, partim quia est improuidus, qui omnes casus futuros præuidere nõ potest: Deus autem sicut ab æterno vnico intuitu omnia nouit & animo concepit quo loco, quo tempore, quo ordine res quæq; fieret, ita vnica voluntate ab æterno omnia voluit, & quicquid foris mutabiliter agitur in mũdo, hoc immutabiliter, inquit *Gregorius*, constitutum est intus in Deo.

10 QVOD si Deus mentem suam quasi
Cap.6. mutare interdũ legatur, sicut cũ in *Genesi* ait, *Pœnitet me fecisse hominem*, de quo tamen creato prius sibi placebat, vt cum di-
Cap.1. cit *Moyses, vidit Deus cuncta quæ fecit & erant valde bona*: hoc nõ dicitur quasi mutatio facta sit in Deo, quia facta est ea in natura rei. Vt significetur quantopere ei placeãt qui boni sunt, & quantum displiceant qui mali fiunt, vt si possibile foret quod Deus doloris & gaudii capax esset, ex peccato ipse dolorẽ conciperet, & ex hominis iustitia gaudiũ: Similí modo cũ
Cap.18. apud *Ieremiam* dicit Dominus, *Si pœnitẽtiam egerit gens ista à malo suo, agam & ego pœnitentiam à malo quod cogitaui vt facerẽ ei*: Quod nos nõ nisi nostri mutatione facere possumus, hoc Deus absq; omni sui mutatione facit; pœnitentiã enim cẽsetur
Vide Greg. lib. 16. moral. cap. 18. hic agere, quando malũ quod cogitauerat inferre, non infert, idque absq; vlla sui mutatione, quia hoc ipsum sic ab æterno erat ordinatũ apud Dei clementiam, vt si pœnitentiã agerent, Deus eis parciturus esset, sicut pepercit Niniuitis: Sicut sol igitur absq; vlla sui mutatione cerã emollit, & lutũ indurat, ita Deus absq; vlla sui mutatione obduratũ punit, & pœnitentiã agenti parcit. Insuper quanquã multa contra Dei præcepta fiãt nihil tamen contra absolutã eius voluntatẽ fieri potest, quia
Iob.41. *voluntati Dei nemo resistere valet*, vt *Iob* ait, vt faciat quis quod Deus nullo modo fieri vult: Nam & dum quis peccat; hoc vult Deus, non quasi peccatũ volitum sit, aut hominem velit peccare, sed quia vult permittere vt peccet: Ordinem enim à se institutum vult seruari Deus: qui ordo hoc habet, vt causa libera libere agat, & id eligat quod voluerit, siue bonũ siue malum: & dum malũ eligit & peccat, nõ quidem Deus suo frustratur fine aut deficit, sed homo. Nam Lucifer cũ in accepta gratia nõ perseueraret, ad beatitudinẽ non peruenit ad quã creatus erat, non simplici & absoluta Dei voluntate, alioquin eam assequutus fuisset sicut iã prædestinati assequuntur, sed sub conditione, si videlicet gratiæ cooperari & in ea perseuerare voluisset. Cum autẽ non perseuerauit, non Deus suo fine frustratus est, qui permisit creaturam liberã libere agere & ex ea etiã peccato corrupta fecit quod fieri debuit, iuste impiũ puniendo & damnando: attamen ipsa creatura suo fine frustrata est, ad quẽ peruenisset si in iustitia permansisset, à qua quia defecit, ad salutem non peruenit, & deficiẽdo non Deũ sed semetipsam suo fine fraudauit atque frustrauit; non Deum, inquã quia non absoluta volũtate ad salutem eã destinauerat, sed conditionata, si nimirum in iustitia perseueraret.

1. FVERVNT olim Stoici, sicut sunt & hac tempestate nõnulli hæretici, qui III.
concludũt ex hac Dei immutabilitate o- Ex immutabili-
mnia euenire fato seu fatali necessitate eo tate Dei
quod Deus vti dicunt omnia quæ fiũt in nõ potest
tempore, prædefinierit in particulari cum inferri fa-
omnibus circumstantiis ab æterno, & vt talis ne-
fiant in tempore causas creatas seu secun- cessitas.
das ad ea determinauerit, v. g. quod hic homo hoc tẽpore potius nascatur quam ante mille annos, & in hoc loco à talibus parentibus potius quam in alio loco ab aliis parentibus, & ad istud genus vitæ potius quã ad aliud, nimirũ vt si doctor, aut consul, aut miles, aut agricola, & hoc genere mortis vitã potius finiat quã alio, & sic de cæteris. Quæ omnia dicunt tã certo & ineuitabiliter esse euentura, quã erant certa in prima sua causa, eo quod nullus hominum, nulla vetustas temporũ hanc

Digitized by Google

diuinam dispositionem & causarum secundarum seriem (quam ipsi *fatum* vocāt eo quod Deus sic sit semel fatus atque locutus) quæ instar catenæ texuntur & inuicem sibi subalternatim iunctæ sunt, impedire aut interrumpere possit. Hinc nō nulli eorum tanta curiositate astrorum naturam & vim indagabant, vt hinc colligerent quid cuique in sua vita euenturum esset, tanquam ipsa astra, quæ inter causas secundas primum obtinere locum dicebant, & signa essent & causæ futurorum euentuum. Huic fatali necessitati tātum tribuebat *Caluinus* hæreticus, vt etiam peccata hominum Deo asscriberet: quia inquit, vt Deus finem alicuius intēdit, ita & media ad finem consequendum necessaria procurat. Cum autem reprobi, secundum eum, propter vitam æternam creati non sint, alias Deus inquit, fine sibi in eorum creatione proposito frustraretur, sed propter damnationem æternam, sunt verba Caluini, iuxta illud *impium operatus est Deus ad diem malum:* ipse quoque media ordinauit, nempe lapsum & peccata hominum ad eundem finem consequendum. *Hæc est hæresis Caluini.* Prou.16.

2. CATHOLICA fides docet fatum nihil esse, & fatali necessitate nihil euenire, quia Deus liber est nulli necessitati subiectus, cuius voluntati omnis creatura subiecta est, eam disponens & dirigens vt voluerit. In hac libertate Deus condidit hominem sibi similem, vt quamuis in eo liber non sit, vt acri nascatur ingenio vel obtuso, robusto corpore aut infirmo, vt masculus nascatur & non fœmella: Est tamen liber in eo quod hoc vel illud agat, vt bene vel male viuat, quia eo modo res quæque euenit prout Deus voluit eam euenire: quædam necessario eueniunt ea nimirum quibus Deus causas præparauit necessarias, quædam contingenter & libere, quibus causas contingentes & liberas prærodinauit: Sic enim *Ecclesiasticus* ait, *Deus ab initio constituit hominem & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata seruare conseruabunt te: apposuit tibi ignē & aquā, ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod voluerit, dabitur.* Cap.15. Quod igitur homo relicta iustitia conuertat se ad iniquitatem, hoc quamuis præuiderit Deus euenturum eo quod omnia sint ei præsentia, & præsciit antequam fiant: tamē vt sic eueniret non prærodinauit nec impulit Deus, sed in hominis libero arbitrio reliquit, vt si peccaret non id necessario sed libere faceret: quod si necessitate ad id impelleretur iam non homo sed Deus, qui hanc illi iniecit necessitatem, culpandus foret. *Non dixeris*, inquit *Ecclesiasticus*, *per Deum abest, quæ enim odit ne feceris: non dicas, ille me implanauit*, id est, seduxit, *non enim ei necessarii sunt homines impii: omne execramentū erroris odit Dominus.* Cap.15. si Deus malum odit, ergo non est auctor vt id fiat aut eueniat, nam si auctor esset nec malum odisset, quia vt *Sapiens* ait, *nihil odit eorum quæ fecit Deus*, nec malos iuste puniret, nisi & seipsum pœnis addicendum iudicaret, quod absurdum est. Sap.11.

3. ITAQVE quamuis omnia præsciat Deus, non tamen omnia prædefinit aut prædeterminat, inquit *Damasc.* quinimo ne quidem omnes actiones bonas à Deo esse prædefinitas ante præuisionem determinationis nostræ voluntatis, docet idem *Damasc.* vbi sic habet, Præuidens Deus ea quæ nos sponte facturi sumus, ea scilicet quæ in nostra sunt potestate, etiam ea quæ non sunt in nostra potestate prædefinit, sicut principatum Iosue, regnum Dauidis, longiorem vitam Ezechiæ prædefiniuit. Et certe si Deus prędeterminaret & fatali necessitate impelleret causas secundas ad singulos suos actus, non foret intelligibile quomodo Deus reliquisset hominem in manu consilii; Hoc enim differunt causæ naturales à causis liberis, quod *causæ naturales* per suas formas & vires naturales sint satis determinatæ vt applicato pati- Damasc. lib.2. de fid. ca. 3. Damasc. lib. cont. Manich.

enti

uenti effectus suos producant, vt patet in igne & sole: Sed *causæ liberæ* sunt indeterminatæ ad suos actus, donec semetipsas resoluant atq; determinent, vt quod cõtractum ineam cum aliquo, quod ædificẽ aut plãtem, quod loquar aut taceam, in his & similibus homo seipsum per se sufficiẽter resoluit ac determinat. Sed de operibus supernaturalibus ac vitæ æternę meritoriis peculiaris est ratio, in quibus humana voluntas sola non sibi sufficit ad se determinandũ, nisi à causa altiori, hoc est à spiritu Dei moueatur, dirigatur & inclinetur: Vnde Ecclesia orat, *dirigere & sanctificare dignare Domine corda nostra, sensus, sermones & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum.*

4. QVOAD effectus vero naturalium causarũ illi iã ab initio determinati sunt à Deo, ex quo huiusmodi causæ naturales non nisi eodem semper operantur modo,
Psal. 148 vnde *Psalmista* ait, *Ignis, grãdo, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbũ eius.* Super quẽ locum dicit *Aug.* hæc non moueri casu, sed verbo Dei in omni motu suo deseruire, sic enim ait, Quicquid hic accidit cõtra voluntatem nostrã, noueris non accidere nisi de volũtate Dei, de prouidentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legib⁹ ipsius. & paulo post. Hæc omnia quæ vanis videntur in rerũ natura fieri temere, nõ faciũt nisi verbũ eius, quia non fiunt nisi iussu eius. *Hac Aug.* Hic tamen *notandum* quod quando *Augustinus* dicit, Quicquid hic accidit contra voluntatem nostram, nõ nisi de voluntate Dei accidere, hoc sane intelligendũ esse, quia cædes, rapinæ, raptus virginũ & defloratio, tormenta iustorũ & similia, quæ fiunt contra voluntatem nostrã, nõn fiunt voluntate Dei iubente, sed solum permittẽte, respiciendo iniquam voluntatem eorum, quæ est causa istorum malorũ operum: Qua posita Deus vlterius non solum permittit, sed ordinat atq; disponit, vt per eã hic potius affligatur quam ille, siue id fiat, vt iuste puniatur is qui meruit puniri,
2. Reg. 16. sicut Dauid dicebat de Semei ipsi maledicente, *Sinite eum. Deus enim præcepit ei vt malediceret Dauidi:* sic & Assur dicitur *virga furoris Domini* apud *Isaiam,* quo nimirum vtebatur Dominus ad flagellandum Cap. 10.
& castigandum filios Israel: Siue fiat id vt patientia eorum exerceatur qui per iniquos affliguntur, sicut Iob afflictus à dæmone dixit, Dominus dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est: Non dixit dæmon abstulit, Sabæi abstulerunt, quia nouerat eos instrumenta fuisse, quibus Deus vtebatur in afflictione ipsius Iob, vt eum probaret & in exemplũ patientiæ ante oculos aliorũ poneret. Nec tamen per hoc aut Sabæi aut dæmon excusandi sunt, quod iis Deus tanquã instrumẽtis vteretur, quia id iniqua mente fecerunt, non vt Deo obtemperarent. Sicut & Iudæi qui Christum crucifixerunt, de quibus scriptum est in *actis, conuenerunt facere quæ manus tua & consilium* Act. 4.
tuum decreuerunt fieri: quia vt *Augustinus* Augus.
docet Christus per suam diuinitatem Tract. in
quæ intus latebat, disposuit omnia, quæ Ioan. 119.
passus est foris per suam humanitatem. Nec tamen per hoc excusantur Iudæi qui odio Christi & iniqua voluntate supplicia Christo inferebant, quæ iuste & sapienter disposuerat Deus ei inferenda iuxta
illud *Isaiæ, Propter scelus populi mei percussi* Isa. 53.
eum.

5. ET VT tandem finiam, Deus prorsus est immutabilis & secundum essentiam, quæ nunquam mutabitur sed nec mutari potest, & secundum voluntatem, quia neque vlla volitio potest illi accedere neque antiqua decedere vel desinere, quia quicquid temporis successu potest occurrere volendum aut nolendum, id omne ab æterno vidit, & tam perfecte de omnibus & singulis deliberauit, vt sic loquar, quam posset in tempore infinito deliberare: Vnde etiam voluntas ipsius ab æterno ad omnia se determinauit, vel nolendo, vel volendo, vel permittendo, ad quæ aliquo tempore expediebat eam esse determinatam, & temporis successu nõ occurrit aliquid ad quod de nouo se determinaret. Si

Digitized by Google

dicas, Deus odit impiũ & amat iustũ, cum igitur possit quis qui iustus est fieri impius, & cõtra, potest in Deo odiũ succedere amori & contra, atqui id si fiat mutatio in Deo erit. Dicendum quod odium, & amor & ira non sint in Deo qualitates positiuæ sicut in nobis, sed impropriè dicuntur de Deo, ratione effectus scilicet, odit enim quem auersatur & quẽ decreuit punire, sic ab æterno odit impium & amat cui decreuit benefacere, sic ab æterno amauit iustum.

PARS III.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius.

Isa. 6.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Cur ab imperfecta Dei cognitione hic incipere oporteat.*

II. *Substantia Dei est incomprehensibilis, quod patet* Isa. 6.

III. *Quo quis perfectius Deum cognoscit, eo plenius diligit.*

I. Cur ab imperfecta Dei cognitioni hic incipere oporteat.

1. SACRA hæc festiuitas Sanctissimæ Trinitatis in cõcilio Pisano, trecentis ab hinc annis elapsis, iam ab ortu Domini mille ducentis viginti annis, fuit instituta, & ab eo tempore in Ecclesia obseruata & celebrata: Cuius Trinitatis mysterium ac Sacramentum vsque adeo est obscurum & abscondituũ, vt nisi Deus ipse illud suis reuelasset, nullus angelorũ aut hominum ad cognitionem eius vnquam pertingere potuisset: Quapropter considerate & multa cũ circumspectione rudi populo proponendum est, ne homo tantæ maiestatis scrutator opprimatur à gloria: Est enim ineffabile mysterium hoc omnem excedens facultatem nedũ humanæ, sed & angelicæ naturæ: ita vt nusquã nec facilius aberretur, nec laboriosius quicquam inuestigetur, teste *August.* nec vtilius inueniatur. Et cũ hoc indubie ita sit, & ita de illo sentiendum sit, nihilominus titubando, & crassa, vt aiunt, Minerua aliquid de hoc altissimo sacrosanctæ Trinitatis mysterio dicẽdum videtur, vt hac ratione non solum ad Dei dilectionem incitemur aut saltem prouocemur, sed etiam parati esse possimus *ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea quæ in nobis est spe & fide,* vt *Petrus* loquitur. 1. Petr. 3.

2. ET CERTE cum in clara diuinæ Trinitatis visione vltima consistat hominum angelorumq; fœlicitas ac summa beatitudo, ad quam quoad viuit homo mortalis pertingere nequit æquum est profecto vt saltẽ in illa inchoata & imperfecta Dei cognitione (de qua scriptum est, *ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus*: & rursum, *Nunc videmus per speculũ in ænigmate*) nos aliquousque exerceamus proficiamusque, vt obscuræ cognitioni quæ iam est in fide per speculum in ænigmate, clara tandem visio succedere possit. Hæc est enim suauis Dei dispositio naturæ nostræ infirmitati maxime cõueniẽs & cõformis vt ab imperfecto procedat ad perfectum. 1. Co. 13.
Iustorum semita, inquit *Sapiens*, *quasi lux splendens procedit & crescit vsq; ad perfectã diem.* Cum Iacob olim innumeros perpessus esset labores vt Rachelis amplexibus frui posset, & iã tempus aduenisset vt eã in vxorem postularet à Patre Laban, clam supposita est ei Lia lippos habens oculos: *Et facto mane vidit Iacob Liam, & dixit ad socerũ suum, Quid est quod facere voluisti? Nonne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi? Cui Laban, Non est in loco nostro consuetudinis vt minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierũ huius copulæ & hanc quoq; dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis aliis.* Ita licet venustior sit & pulchrior multo clara Dei visio, pro qua omnes seruimus Deo, quã fides in qua desponsamur Deo, quæ quasi lippientes habet oculos eo quod minus clare Deum videat atque cognoscat, moris tamen est vt illa prior detur, cui demum clara Dei visio tanquam pulchrior Rachel succedet. Prou. 4. Gen. 29.

3. CATE-

3. CAETERVM cum *Paulus* ait nos hic videre *per ſpeculum in ænigmate*, ſignificat cognitionem noſtram quam de Deo rebuſq; diuinis habemus, valde eſſe imperfectam, & obſcuram: Imperfectā quidem quia rem videmus non vt eſt in ſe, ſed vt videtur in ſua imagine qua in ſuis creaturis tanquam in quodam ſpeculo relucet Deus: Imago autem aliquid eius cuius eſt imago repræſentat, ſed non totum neque perfecte, qui videt ſuam imaginē in ſpeculo, poteſt videre ſuam corporis ſtaturā figurā & colorem, ſed non poteſt videre vitam, ſuam ſapientiam aut virtutem, vel ſimiles qualitates internas. Aut etiam qui in carcere ſedet cōclusus & vmbras videt hominum, & beſtiarum tranſeuntium, ex iſtis vmbris in carcere viſis exigua eſt & imperfecta cognitio quam inde haurit de ipſis beſtiis & hominibus: Talis eſt cognitio quā ex creaturis haurimus de Deo rebuſq; diuinis, verbi gratia in leone eſt veſtigiū ſeu ſimilitudo fortitudinis diuinę, in equo generoſitatis, in ſole ſplendoris, in lapide diuturnitatis quæ eſt quaſi vmbra immobilis æternitatis, in mari vaſtitatis ſeu immenſitatis; quia Deus immenſus, immobilis, ſplendidus ſeu ſplendor, generoſus & fortis prædicatur. Verū hæc figurata cognitio quæ in ſpeculo ſeu in creaturis videtur, inſuper & ęnigmatica dicitur: *Ænigma* eſt ſententia ſeu res obſcura de cuius veritate magis coniicitur quam aliquid certi ſciatur priuſquam exponatur, eo quod varios ſenſus ac interpretationes admittat: quid autem per ænigma ſignificetur pendet ex mēte eius qui ænigma proponit. Tales ſūt omnes figuræ veteris & noui teſtamenti, ipſis prophetis, & Apoſtolis exhibitæ: quales multæ referūtur ab *Ezechiele, Daniele, & Ioanne in Apocalypſi ſua*, quæ priuſquam exponātur valde ſunt obſcurę & ambiguæ, nec ſatis intelligitur quid per eas ſignificetur, niſi ab eo qui eas proponit exponantur: Hinc dicitur in Daniele, Intelligentia opus eſt in viſione.

Ænigma quid.

Dan. 10.

4. SI VISIBILIA attendis, inquit *Aug.* nec lux iſta eſt Deus quæ videtur, nec panis qui comeditur, nec fons qui hauritur, nec mel quod dulcedine palatum afficit: Attamen & lux dicitur Deus in ſcripturis qui illuminat omnē hominem venientē in hunc mundum: & panis qui confortat eſurientes: & fons qui reficit ſitientes: & mel quia eloquia eius dulciora ſuper mel & fauū. Si pulchritudinē quæris, pulcherrimus ipſe: ſi dulcedinem dulcior ipſe, ſi ſplendorem fulgidior, ſi fortitudinē fortior, ſi pietatem, clementior eſt. Sic enim *Sapiens* ait, *Qui fecit magna maior eſt, & qui facit pulchra, pulchrior illis eſt.* Si tanta & talia ſunt bona externa, quæ Dominus præparauit ſuis non ſolum amicis, ſed & inimicis, quid eſt ipſe Deus qui talia & tāta præparauit qui omnem creaturam excedit & vniuerſa præcellit? Dulce quidem mel, quod pręparaſti palato oris mei ô Domine, ſed dulcior ipſe tu qui es dulcedo & mel animæ meæ. Ita enim me docuit *propheta tuus*, qui ait, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quā abſcondiſti timentibus te.* Bonum quidē hoc ſcire, ſed melius experiri, mallem experiri caritatis tuæ dulcedinē, quam ſcire caritatis definitionem. Quid ergo per multa vagaris ô homo, quærendo bona animæ tuę? ama bonum vnum in quo ſunt omnia bona tua & ſufficit tibi. Sitiens quæris fontem, eſuriens panem, æger ſanitatem, imbecillis fortitudinem obtenebratus lucem, triſtis conſolationem. Nec id male, quia & hæc corporis neceſſitati ſubſeruiūt, quod quia non poteſt vnum ſolum, multiplicari debent. At Deus qui eſt bonum animæ tuæ, vnicus & ſolus, hæc omnia poteſt.

Aug. tract. 1. in 3. Ioan. & ſer. 1. de ver.

Sap. 13.

Pſal. 30.

5. SED ISTVD eſt hic animaduertendum quod *Greg.* ait quod quicquid humana mens poteſt cogitare de omnipotēti Deo, id Deum non eſſe, ſed cogitando oportet cuncta tranſcendere: Nam quicquid poteſt intimæ lucis vel internæ ſuauitatis ac dulcedinis, aut ſpiritalis delectationis ſibi fingere minus illa eſſe creditur quā ſit Deus, ad quandā tamen lucē peruenit quæ non eſt Deus, ſed quā inhabitat

Greg. lib. 4. in 10. cap. li. 1. Reg.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bitat Deus. Et quia tunc electi anima mirabiliter inflammatur & mirabiliter reficitur ac ineffabili delectatione fruitur, cogitare cōpellitur quā ineffabilis lux & dulcedo ac delectatio sit illa quæ est Deus ipse, si tam immensa lux est illa quam inhabitat Deus, & non est ipse. Ista quidem cognitio lucis electorum desideria excitare potest, sed satiare non potest: Illa vero non quam Deus inhabitat, sed quę est ipse Deus, & excitare & satiare valet. Cū Moyses Deo loqueretur in monte, & iam ad lucē peruenisset quam inhabitat Deus ex cuius consortio facies eius instar solis resplenduit, ita vt filii Israel in eam intendere non possent, ad lucem quæ est ipse Deus peruenire cupiebat, dicens, *Si inueni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam*: loquebatur Dominus cum Moyse *facie ad faciem*, & tamen obsecrat vt ei faciem suam ostendat: Sed qui iam speculū illius summæ lucis intuebatur, ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiebat. *Hæc Gregorius.*

Iob.26. 6. HIERONYMVS explicans illū locum Iob, *Qui ligat aquas in nubibus suis vt non erumpant pariter deorsum*, dicit aquas salutaris doctrinæ quas portant prædicatores verbi diuini, non esse pariter effundendas in corda audientiū, quod aut loquacitatē, aut iactantiā sapit, sed vnicuiq; secundum capacitatem cordis sui esse impertiendas: Si enim rudi populo abscondita mysteria S. Trinitatis proponere volueris non illustrabis nec fœcundabis, sed confundes & obtundes: Paruulis enim lacte opus est, apertiori scilicet simpliciorique doctrina, vt pote de moralibus, quæ præberi consueuit ijs qui initia habent in diuinis studijs, & prima elemēta susceperunt, sed alta mysteria veluti non suū cibū refugiunt. Verum non propterea quis hæc cōtemnet, quia nondū ea capere potest, aliis enim qui perfectiores fuerint subseruient. Et in eo cōsistit Conditoris gloria, quod sicut in animalib. pro vniuscuiusq; natura diuersa condidit ciborum genera, boui enim fœnum cibus est, leoni cruda caro. Ita cū cibus rationalis creaturæ sit sermo Dei, nouit illum attemperare pro vniuscuiusq; qualitate & capacitate. Vnde Dominus prædicaturus populo, ingressus nauim Petri rogauit à terra reducere pusillū, non tamen eā in altum duci, sed à terra pręcipit paululū remoueri, significans inquit *Gregorius* prędicatores suos rudi populo nec alta nimis de cælestibus, nec tamen terrena prædicare debere. Grego. li. 17. moral. cap. 14.

II. Deus est incomprehensibilis. Bernar. serm. 36. in Cant.

1. COGNITIO sui primus gradus est ad notitiam Dei, inquit *Bernar.* Nihil enim ad se humiliandum & timorem Dei inducendum inuenire potest anima aut viuacius aut accommodatius, quā si se in veritate inuenerit, & se ante suam faciem statuerit. Nonne se ita intuens clara lucē veritatis inueniet se in regione vmbræ mortis, oneratam peccatis, terrenis curis intricatam, carnalium desideriorum fece infectam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositā mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutes. Vnde huic iam extollentia oculorum, vnde leuare caput? Nonne magis cōuerteretur ad lachrymas & in humilitate clamabit ad Dominum, *Sana animam meam quia peccaui tibi.* Ego quamdiu in me respicio inquit, in amaritudine moratur oculus meus? Si autē oculos leuauero ad diuinæ miserationis auxilium, temperabit mox amarā visionē mei visio læta Dei. Quomodo & *Psalmista* ait, *Ad meipsum anima mea conturbata est memor fui Dei & delectatus sum.* Psal. 14. Tali ordine salubriter innotescit Deus, cum prius se homo nouerit in necessitate positum, & clamauerit ad Deum vt exaudiat eum & dicat, *Eruam te & honorificabis me.*

2. ATQVE hoc modo erit gradus ad notitiā Dei cognitio sui dum in imagine sua quę renouatur in homine, ipse videbitur Deus, dū homo reuelata facie gloriā Domini cum fiducia speculando in eandem imaginem transformatur de claritate in

Digitized by Google

te in claritatem tanquam à ſpiritu Domini. Si autem ignoras te, nō habebis timorē Dei in te, nec humilitatem: An vero ſine timore Dei: ſine humilitate de ſalute præſumas, tu videris. Quapropter ſtude cognoſcere te, *inquit*, quia multo melior & laudabilior es ſi te cognoſcis, quam ſi te neglecto cognoſcas curſum ſiderum, vires herbarum, naturas animaliū, & haberes omnium cœleſtium & terreſtrium ſciētiā. Statue ergo te ante te, & indica Domino miſerias tuas, temetipſum plange, & ſi nō ſemper vel ſæpe ſaltem aliquādo vt hoc modo renouetur in te imago Dei, & ex ea renouata accreſcat in te cognitio Dei. *Hactenus fere Bernar.*

Ber. c. 5. medi.

3. ISTVD autem hic obſeruandū, quod quamuis Deus vtcumq; ex ſua imagine hic cognoſci queat, quo modo & Cæſar ex ſua imagine vtcumq; agnoſcitur, contendere tamen ſcire quid ſubſtantiæ Deus ſit, extremæ eſt inſaniæ, inquit *Chryſ.* Audi quid ea de re *Pſalmiſta* dicat, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt & non potero ad eam. Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es.* Quid ſignificat, inquit, terribiliter magnificatus es? Miramur cum timore maris vaſtitatem, immenſoſq; gurgites eius, ſed non ſine metu cum eius aſpicimus altitudinem. Sic & propheta cum vaſtum iſtud immenſumq; diuinæ ſapiētiæ mare aſpiceret, vertigine quaſi commotus obſtupeſcit, ac ſummo cum timore demirans exclamabat. Cōfitebor tibi quia terribiliter magnificatus es. Non de ſubſtātia agit hoc loco, inquit *Chryſ.* illam enim vtpote incomprehenſibilem omittit: Sed cum Deum eſſe vbiq; cogitaret, hæc retulit, explicauitque ne id quidem ſe intelligere quomodo fieri *poſſit* vt Deus adſit vbiq; Si aſcendero in cœlum tu illic es, inquit, ſi deſcendero in infernum ades. Et cum *Paulus* ait, *Ex parte cognoſcimus, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum*: Cū dicit ſe Deum ex parte cognoſcere non ita ex parte, vt partem ſubſtantiæ nouerit, & partem ignoret, cū Deus natura ſimpliciſſima ſit: ſed quod Deum ſapientem eſſe certo ſciat, quantū autem ſapientia valeat neſcit, magnum eſſe minime ignorat: ſed quæ & quanta ſit eius magnitudo, intelligere non valet: vbiq; Deum eſſe exploratum habet, qui prouideat, contineat, regat, & guberuet ſumma cum diligētia omnia, ſed modum quo hæc agat, ignorat. Hac de cauſa ex parte cognoſcimus.

Chryſ. hom. 1. de incō. Dei na.
Pſal. 138.

4. VIDES cœlum hoc inquit *idem*, quā pulchrum, quam amplum, quam magnificum, quemadmodum vario ſtellarum ordine exornetur & ſplendeat, quantum temporis edurare potuerit, iam enim quinque millia annorum atq; etiam plus ſeruatur & conſtat, nec tamen longo tēporis ſpatio effectum eſt, vt quam principio ſortitum eſt pulchritudinem, quin eandem integerrimam ſeruet, nulla ex parte factum deterius tanto ſpatio temporis. Attamen hoc pulcherrimum ſplendidiſſimis ſtellis elegantiſſime ornatum, duranſq; tamdiu cœlum, Deus quaſi quis per ludum tugurium faceret ita ſumma cum facilitate creauit. Quod etiam *Iſaias* Propheta pulcherrime exprimit cum ait, *Qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitādum. Quis appendit tribus digitis molem terræ, & mēſus eſt pugillo aquas?* Animaduerte quot montium moles, quot mortalium gentes quot arborum & animantium genera ſuo dorſo ſuſtineat tellus. Sed hanc talem tantamque molem Deus adeo facile condidit vt propheta quod ne exemplo quidem tantæ facilitatis haberet, perinde vt nihil factum tradiderit. Cum enim non ſatis rerum conditarum magnitudo & ornamenta, potentiam facultatemq; ſui conditoris exprimerēt, ſed longe ab ipſius vi & excellentia iacerent inferius, modū prophetæ excogitarunt alium, quo poſſent plus aliquid nobis explicare de diuina potentia, quo magnitudinē non ſolū creaturarū, ſed etiā modū creationis referrent, vt vtraq; ex parte, videlicet tum rerum magnitudine conditarum, tum facilitate cōdēdi, poſſemus dignius quid pro

Chryſ. hom. 1. de incō. na. Dei.

virili

virili nostro de Deo omnipotenti intelligere. Non solum autem facilitas hæc in terra patet, sed etiam in ipsa hominum naturâ, quippe cum propheta dicat: Qui continet gyrum terræ & habitantes in ea quasi locustas, & omnes gentes in conspectu eius quasi stilla situlæ. Et quot sint hominum myriades per totum orbem dispersæ quis enumeret? Et tamen hæc omnia creauit Deus tanta cũ facilitate, quãtum nemo valeat verbis exprimere, satis enim illi ad omnia fuerat voluisse, ita vt nobis voluntas nihil laboris adfert, nihil negotij, sic illi creare vniuersa fuit facile.

5. NEMO itaque ita demens sit, aut tãta mentis cæcitate existat vt ad summam Dei comprehensionem se peruenisse existimet, sed potius quanto magis ad ipsius notitiam accedere videtur, tanto maiorẽ sentiet infirmitatem. Nam & Moyses, & Abraham quando Deum viderunt, quantum fas erat homini, vterq; suam infirmitatem tunc maxime agnouerunt, Abrahã se terram ac cinerem nominans, Moyses vero se lingua balbum appellans, videbat enim se rerum cognitarum magnitudini nequaquam linguæ debilitate posse respõdere. Sed nec angelorum linguæ qualescumq; aut quantæcumque hæ sunt, vel minimam illius diuinitatis partem satis congrue prosequi, nedum toti explicandæ pares esse valebunt, inquit Basilius, & facilius foret exiguæ manus cauo vniuersum mare excipere, quam vt mens humana inenarrabilem illam Dei maiestatem queat vlla circumspectione complecti. Vnde & *Augustinus*, vir stupendo ingenio, & admirabili studio & summa eruditione illustris, cũ per quindecim integros libros ea disputasset quæ sacrum cõcernunt Trinitatis mysterium, tandem concludit, Fateor, nihil tanto mysterio dignum protuli, sed meam ignorantiam agnoscens clamo & cum Dauide dico, *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam.*

Hæc Basili. hom. 15. ex variis quæ est de fide to. 1. & hom. 17. in Psal. 105.

6. TV AVTEM si aliquid de Deo dicere vel concipere cupis, inquit *Basili.* relinque terram, & oculis mentis transcende non solum vniuersos orbes cœlestes, verumetiam choros angelorum, & gloriam omnium Sanctorum, & diuino amore succensus diuinam naturam omniũ conditricem intuere, stabilem, immobilem, simplicem, impassibilem, lucem habitantem inaccessibilem, potentiam ineffabilem, magnitudinem incircumscriptam, gloriam supermicantem, bonitatem desiderabilem, pulchritudinem inenarrabilem, immensam maiestatem, quã vt suapte natura est, nemo assequi potest. Id quod nobis innuit *Ecclesiasticus* cũ ait *Dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me multo magis quam erat*: Non quidem quod re vera illa fugeret, sed quod ij maxime intelligunt quod ea omnem cuiuslibet ad ipsam comprehendendam captum exuperet, qui Dei beneficio ampliorem ipsi quam cæteri cognitionem sunt consecuti. *Hactenus Basili.* Et quanquam incomprehensibilem Dei naturam nullus Sanctorum comprehendere valeat, eam tamen dum contemplantur quantum concessum est, quantum ex illo splendore capere possunt, ineffabili gaudio fruuntur in sempiterna delectatione perseuerantes. Nam stare in conspectu Maiestatis illius, deque splendore illinc refulgenti illuminari, hoc illis est gaudium, hoc illis voluptas, & gloria, inquit *Chrysost.*

Eccl. 7.

Chrys. hom. 1. in cap. 6. Isa.

7. NEC ID solum accidit ob intellectus nostri tarditatem quod Dei naturam comprehendere non possimus, sed quia res ipsa incomprehensibilis est in sese, etsi omnium hominũ mentes & angelorũ vna ad inuestigandum coirent, tamen qui assequi posset, existeret nemo, inquit *Basili.* Ex meipso, inquit *Bernar.* cognosco, quã sit supra hominis vires diuinã cognoscere Maiestatẽ, cum seipsum nosse non possit. Tribuisti mihi Domine animã vnã tribus potentijs præditã, quæ per intellectũ res cognoscit: & per voluntatẽ eas amat aut odit, & per memoriã illarum recordatur. Nec scio qua ratione id effeceris in me: & diuinum

Basili. libro de moribus.

diuinũ Trinitatis myſteriũ ſcire qui potero? Sap. 9. *Si vt Sapiens ait, quæ in proſpectu noſtro ſunt inuenimus cum labore, quæ autem in cœlo ſunt quis inueſtigabit?* Præſertim cum & Iſa. 6. duo Seraphin facies ſuas velarẽt teſte *Iſaia*, tanquam quæ immenſam illius gloriã qui ſedebat ſuper thronum, obtueri non poſſent, inquit *Chryſ.* Audi quid propheta Chryſ. hom. 1. in c. 6. Iſa. to. 1. dicat, *vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum*. Quam ob cauſam cũ dixiſſet *excelſum*, adiecit *eleuatum*, inquit *Chryſ.* An non ſatis erat per celſitudinem rem totã ſignificare, declarareq; dignitatis eminentiam? Quapropter ergo addidit Et eleuatum? vt cathedram incomprehẽſibilem ſignificaret; quandoquidem apud nos quod excelſum eſt, cogitationẽ quãdam præbet comparationis ad ea quæ humilia ſunt, & ſubmiſſiora, veluti excelſi ſũt montes ad campeſtria locaq; terrę ſupina comparati. Cæterum hæc eleuatio ſolii eſt illius natura incomprehenſibilis, quã neq; cogitatione cõcipere, neq; verbis eloqui quiſpiam poteſt: eoq; dicit, *vidi Dominum ſedentem ſuper ſoliũ excelſũ & eleuatũ.*

8. SED QVID præterea vidiſti ô Propheta? Duo Seraphin, inquit, duab. alis faciem velantia, ſimul, excludentia radium è throno procedentem (ſunt verba *Chryſoſtomi*) eo quod ferre non poſſent immenſã illius gloriam: ſimul & ſuam reuerentiam ſignificantia, quam habent erga Dominũ: facies merito velant propter metuendum ſpectaculũ, quodq; non poſſint inacceſſam gloriam obtueri. Verum pedes quorſum iſti velantur? Vt maiorem erga conditorẽ reuerentiam exhibeant, non ſolum aſpectu ſed & ipſa ſtatione: Tãquam ſi aliquis terreno Regi aſſiſtat, & omnibus modis molit' vt quam plurimam erga illũ reuerentiam exhibeat, quo per hoc maiorem illius erga ſe conciliet beneuolẽtiam, cuius gratia non ſolum ſpecie capitis, verũ etiam ipſa voce, ipſa manuũ cõpoſitione, ipſa pedum coniunctione, totiuſq; corporis contractione talem reuerentiam conatur oſtendere. Etenim ſi Daniel cui erat multũ familiaritatis ac fiduciæ apud Deũ, non ſuſtinuit angelũ, ſeſe ipſi demittentem, videre, ſed cecidit iacuitq; pronus in terra totus tremebundus, quid mirum ſi Seraphin expaueſacta ſunt nõ ſuſtinentia maieſtatem illam intueri; Neque enim tantum diſcriminis eſt inter Danielem & angelum, quantum inter Deum & virtutes cœleſtes ſeu Angelos. *Hactenus Chryſ.* Nunquam nos verecundiores eſſe decet, inquit *Seneca*, quam cum de Diis agitur, hoc nos vero Deo tribuendum cenſemus: Et *Cicero*, Homini timide, inquit, & pauca de Deorum poteſtate ſunt dicenda.

9. NOTANDVM tamen quod prędictũ Iſa. 6. locum *Iſaiæ Origenes* paulo aliter interpretatur quam *Chryſoſtomus*. Sic enim ait, Orig. hom. 3. in c. 6. Iſa. *Duo Seraphin ſtabant ſex alæ vni & ſex alteri: duabus velabant faciem* non propriam, ſed Dei, inquit; *& duabus velabant pedes* non proprios, ſed Dei, *& duabus volabant*: velabant faciem Dei, quia principium & exordium Dei ignotum eſt, & nouiſſimũ quod eſt, in Deo noſtro non comprehenditur: ſola media videntur, quia ex iis quæ ſunt, intelligo Deũ. *Hæc ille.* Quãquam angeli in Deo neq; principium neque finem inueniant, cum principio careat & fine diuina Maieſtas eo quod ſit infinita, nihilominus duabus alis volant, quia cognitione & amore tanquam duabus alis in Deum feruntur, quem ſumma cum voluptate perfecte quo ad ſe contemplãtur & amant: quanquam enim non comprehendant Deum angeli, nec diligant quantum diligibilis eſt, nec cognoſcant quantum cognoſcibilis eſt, cognoſcunt tamen & diligunt quantum poſſunt, & quantum eis ſufficit, quia pleni ſunt Dei amore & cognitione.

III.

Quo quis perfectius Deum cognoſcit, eo plenius diligit.

1. QVANTO Deus magis inſpici potuerit oculis ſpiritualib. tanto ſpecioſior inuenitur & pulchrior, inquit *Orige.* & quo pulchrior & eo amabilior, ita vt cognitio & contemplatio diuinarũ perfectionum radix ſit & origo amoris diuini, vt quo perfectius cognoſcitur eo plenius diligatur, tam à beatis quam à viato- Orig. hom. 3. in Cant.

rious nisi quod in beatis ex visione beatifica necessario sequatur amor tanto intẽsior ac perfectior quanto intellectus beati adiutus lumine gloriæ plenius ac perfectius intuitus fuerit perfectiones Dei. Cæterum dum quis clare Dei notitiã percipere potuerit, vt Prophetæ & Apostoli dũ in extasim raperentur, non solum species illius & pulchritudo mirabilis apparet, verum & inspicienti ac intuenti eum, decus ingens, & noua ac mirabilis formæ species accedit, secundum illud quod *Paulus* ait. *Nos autem gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*, quasi dicat ait *Thomas*, Metamorphosis hæc & transformatio quam in anima diuinus producit amor, habet pro fũdamento & origine eam transformationem, quæ in cognitione Dei consistit, à qua amor egreditur, perfecta enim voluntatis transformatio quæ est in cœlo seu in beatitudine, proficiscitur à clara visione Dei quæ ibi est: sed imperfecta transformatio voluntatis quæ est in via prouenit ab imperfecta cognitione q̃ est huius viæ. — 1. Cor. 2.

2. QVI in tenebris ambulat & in ignorantia peccatorum versatur, habet velut nubem magnam & tenebrosam ante oculos mentis suæ oppositam, vt solem iustitiæ & lumen veritatis videre nequeat. Id quod sibi accidisse cõqueritur *Aug. in soliloquiis*, vbi sic ait, Sero te cognoui lumẽ verum, sero te cognoui: cœcus eram & cœcitatem ac tenebras meas amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Accepisti manum meam vt inde me educeres illuminator meus te non quærebam & tu quæsisti me, te non inuocabam, & tu vocabas me. Et conuersus tenebras vidi in quibus fueram, & abyssum tenebrosam in qua iacueram & contremui, & expaui & dixi, væ væ tenebris meis in quib. iacui: væ, væ præteritæ ignorantiæ meæ qũ non cognoscebam te Domine: Illuminasti me & cognoui te, ꝓpter q̃ tibi gratias ago illuminator & liberator meus O si perficeretur in me lumen verum, lumen delectabile: O vtinam arderem ex te, ignis sancte quam dulciter ardes, quam secrete luces. Væ his qui non ardent ex te: væ illis qui non illuminantur ex te. Miseri qui nesciunt quid amittant, & miseriores vtiq; qui sciunt quid amittunt. Ecce video sed quasi per speculum in ænigmate : O si perficeretur in me: Quid est hoc quod sentio? quis est ignis qui calefacit cor meum? quę lux q̃ irradiat oculos mẽtis meæ. *Hæc Aug.*

PARS IV.

Inuisibilia Dei, à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas.

Rom. cap. 1.

Summa Partis IV.

I. Quomodo Deus ex rebus creatis cognosci possit.

II. In rebus creatis summam potentiam sapientiam, ac bonitatem relucere.

III. Maxime vero in creaturis seu animalibus, tam bestiis, quam hominibus.

1. DEVM esse luce meridiana clarius est: Sicut enim nihil est quod seipsum fecit, ita nihil est quod seipsum in suo esse cõseruare possit, cum nihil sit aliud creaturæ conseruatio quã perpetua eius quasi creatio. Neq; n. sic Deus fecit hunc mundum, sicut faber fabricat domum, aut sicut medicus sanat ægrotum, ita Deus iustificat impium: Domus permanet & subsistit etiamsi faber abscedat & esse desinat: sic & ægrotus sanatus sanus permanet etiãsi medic⁹ manũ suã ab eo abstrahat: Sed Deo manum subtrahente cõtinuo in nihilum redigentur omnia: vt enim figura speculo impressa à corpore astante continuo imprimitur & ab eo conseruatur, quo abeunte abit & euanescit è vestigio & ipsius figura, ita pendet à Deo omnis creatura iuxta illud *Pauli Portans omnia verbo virtutis suæ*, vnde Lucifer cum per superbiam à Deo recessisset cor eius mox perdidit vitam & omnẽ decorem, non secus atque aer obtenebratur occidẽte sole. Et quia *homo Spiritus est vadens & non rediens:* — I. Quomodo Deus ex creaturis cognosci possit. — Heb. 1

em, semper pronus, semper in malum propendens, vnde per se redire nō potest, hinc tam sollicite orabat Deum propheta *Dauid* ne eum desereret, *Cum defecerit virtus mea*, inquit, *ne derelinquas me.* Psal. 7?

2. SED parum profuerit ex rebus creatis agnoscere Deum esse, nisi etiam ex iisdē, quid Deus sit, aliquousq; agnouerimus, Hac n. de causa rebus à se creatis sui impressit aut imaginem, aut similitudinem, aut saltem vestigium aliquod vt ex iis cognitis ipsum agnosceremus, agnitum vero diligeremus, si quis igitur Dei cognitionem ex creaturis haurire velit, ita eas inspicere discat, vt Dei imaginem atq; similitudinem in iis relucentem obseruet: vt ex ea, sicut Cæsarem ex sua imagine agnoscimus, Deum agnoscere possit. Sed sicut Cæsarem ex sua imagine agnoscere non possumus nisi prius constet nobis, q̄ hæc sit imago Cæsaris, quam videmus, alias ne quidem obuium, aut occurrentem nobis recognoscemus: Ita Deum ex sua imagine creaturis impressa agnoscere nō poterimus, nisi prius quod hæc sit Dei imago cognitum habeamus, alias & ipsam imaginē seu similitudinē reb. à Deo cōditis inditā, & Deū ipsum sese in sua imagine manifestātē clausis quasi oculis prteribim⁹.

3. QVÆ igitur ista Dei imago reb. creatis indita, aut quæ eius similitudo iis impressa, vt ex ea cognita ipsum agnoscere queam? lego in Scriptura diuina q̄ Deus dicatur modo *lux*, vt *Ioan.1.* modo *leo*, vt *Apoca.5.* modo *lapis Isa.8.* modo *Rex*, vt *Matth.22.* modo *agricola, Ioa.15.* modo *homo*, & sic de cæteris: Quæ omnia cum dicatur Deus non per proprietatem, sed per metaphoram & similitudinē, necesse est vt in iis quæ dicitur Deus aliqua Dei similitudo reperiatur. Cumq; summū hominis bonum in præstantissima animæ actione, h. e. in Dei cognitione atq; cōtemplatione consistere doceant nedum Theologi sed & Philosophi, hac n. de causa Seneca relicta Roma ruri degere maluit, vt libero & quieto animo ad rerum diuinarum cōtemplationem sese trāsferre posset, nihil dignum iudicans cur homo nasci vel t, nisi vt huic exercitationi totus incumbat, æquum prof. cto & plusquam rationi cōsentaneū vt homo Christianus hac in parte Philosopho gentili non reperiatur inferior. Nam hoc tanto bono sublato, ait, loquens de rerum diuinarum cōtemplatione, nihil est in vita q̄ tanti faciam vt pro eo vel sudem vel elaborem. An vt comedam & bibam & corpus hoc infirmū sustentem, me natum dicam? Maior sum & ad maiora natus quam vt mancipium sim mei corporis. Quā contempta res est homo nisi se supra humana extulerit: *Hactenus Seneca*. Sed nec in eo hominis fœlicitas sita est, si vitiis careat, quæ si deuicerit, nihil aliud quam monstra deuicit: Sed ad id deueniat oportet vt se dignū efficiat qui cum Deo versetur, eiusq; cognitione & amore adimpleatur. Sic n. Dominus ait, *Hæc est vita æterna vt cognoscant te verum Deum & quem misisti Iesum Christum.*

4. SED cum Deus inuisibilis sit qui sensu percipi nō possit, omnis a. nostra cognitio à sensu originē trahat, nihil n. teste philosopho, est in intellectu q̄ non prius fuerit in sensu, quomodo ad Dei cognitionē peruenire poterimus? Id satis constat nos Deum vt in se est in hac vita videre non posse, *Non videbit me homo*, ait Dominus, Num.3?. *& viuet*: Sed eum per suam similitudinem in suis creaturis, tanquam in quodam speculo nobis ob oculos posito relucentem intueri licet, non quidē oculis corporis, q̄a sic *Deū nemo vnquā vidit*, sed oculis mē- Ioan.1 tis; vt quomodo videmus artē pictoris in imagine pulchre depicta, eo modo videamus & sapientiā & potentiā Dei increatura ab ipso facta. Quid n. sūt vniuersę creaturæ nisi q̄dā veluti signa quib. in sui notitiā creator Deus nitit' nos inducere & amorē sui in nobis excitare? Verū sicut aliud est signū aliud q̄ signo denotat' signum n. oculis corporeis cōspicim⁹, sed rē signatā mēte cōcipimus: Ita aliud est creatura Dei aliud q̄ p eā nobis significat', creaturā oculis videmus carnis, sed sapientiā potētiā, bonitatē & reliquas ppricrates Dei in

creaturis occulte relucentes & per eas ſe
1.Cor.3. manifeſtantes, non niſi oculis mẽtis hau-
rimus. *Videmus*, inquit Paulus, *per ſpecu-
lum in ænigmate*: ænigma obſcurum eſt.
Quod ſi mundum hunc pulchre exorna-
tum intueamur oculis carnis, eiuſq; pul-
chritudine oblectemur, ſed quidnam il-
lud ſit quod per eũ Deus nobis innuit, nõ
aduertimus nec intelligimus, tunc ſimiles
ſumus inſenſatis pueris, qui librum aure-
is litteris pulchre deſcriptum circumfe-
runt, ſed quid liber contineat non intel-
ligunt, qui licet aureis literis pulchre de-
ſcriptis delectentur, præcipuo tamen fru-
ctu fraudantur, dum quid literæ ſignifi-
Iſa.29. cent, non capiunt. De quib. ſic *Iſaias*. *Erit
vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati,
quem cum dederint, ſcienti litteras, dicent, le-
ge iſtum: Et reſpondebit, non poſſum, ſignatus
eſt n. Et dabitur liber neſciẽti litteras, dicetur
que ei, lege: Et reſpondebit, Neſcio litteras.*

5. IN HOC igitur ſedulo incumbendum
vt ex creaturis creatorem, agnoſcamus ſi
non plene ſaltem aliquouſque, quia vel
exigua Dei cognitio, quam de eius ſubli-
mitate concipimus, præſtantior eſt & no-
bis vtilior, q̃ ſit ſcientia vlla alia, licet alio-
quin perfectiſſima. Quid enim profuerit
ſcire vim ventorum; curſus ſyderum natu-
ras animalium, virtutem herbarum, ſi ex
creaturis non detur cognoſcere creato-
rem? Et tñ vniuerſa q̃ creata ſũt ad id cõ-
ducũt, vt in Dei creatoris ſui cognitionẽ &
amorẽ nos inducãt? Clamãt vniuerſa, ait
Aug. Diligite nõ nos ſed eũ qui fecit nos.
Et quãdoquidẽ pfectio Dei infinita eſt q̃
vnica creatura nobis explicari non poſſet,
plurimas condidit & propemodum infi-
nitas, vt ſi nõ ex ſingulis ſaltem ex multis
pleniorẽ ipſius cognitionẽ aſſequeremur.
Nam ſiue conſideres ſplendorẽ ſolis, ſiue
guſtes dulcedinẽ mellis, ſiue attendas ge-
neroſitatem Leonis, ſiue fortitudinẽ Sam-
pſonis, ſiue ſapientiã Salomonis, aut ſan-
ctitatem Dauidis; ſiue prouidentiam &
diligentiam formicæ (eſt enim Deus ma-
ximus etiam in rebus minimis) ſiue indu-
ſtriam hirundinis in ſuis nidis conficien-
dis, reperies Deum & ſole ſplẽdidiorem,
& fauo mellis dulciorem, & Sampſone
fortiorem, & Salomone ſapiẽtiorẽ, & Da-
uide ſanctiorem, cum quicquid perfectio-
nis in ipſo inſit effectu, id multo eminen-
tius in ipſa cauſa reperiatur. Et quidẽ quẽ-
admodum in Sacramentis per rem ſenſi-
bilem, per aquam nimirũ baptiſmatis, do-
num confertur intelligibile nempe rege-
neratio & renouatio hominis baptizati;
Ita p̃ ſuas creaturas viſibiles ſubminiſtrat
nobis Deus cognitionem rerum atq; do-
norum inuiſibilium videtur namq; ſplen-
dor ſolis oculis corporeis, ſed claritas diui-
ni luminis percipitur oculis mẽtis: guſta-
tur dulcedo mellis palato oris, ſed ſentitur
dulcedo ſpiritus affectu cordis. Si incor-
poreus eſſes, ait *Chryſ.* nuda & incorporea
tibi dixiſſet ipſe dona, ſed quoniam ani-
ma corpori conſerta eſt, inſenſibilib. in-
telligibilia tibi p̃buit atq; ſubminiſtrauit.

6. ADMIRANDA ſunt omnia quæ fecit
Deus, ſed conſuetudo videndi res eodem
ſemper tenore procedentes in cauſa eſt, vt
licet ſint miranda tamen non videantur.
Quid admirabilius, vnicum ſolem tantæ
eſſe virtutis, vt ſuo lumine non ſolum il-
luſtret lunam, planetas, aſtra & ſtellas v-
niuerſas, & totum hunc mundum inferio-
rem, verumetiã ſuo calore foueat, conſer-
uet, pullulare, exoriri, & creſcere atq; de-
creſcere faciat vniuerſa terræ naſcentia?
ſui motus n. varietate accedẽdo ad nos &
recedendo quatuor anni tempora diuidit,
hyemẽ, æſtatem, ver & autumnũ adducit,
diẽ & noctẽ, mẽſes & annos diſcernit, atq;
in quolibet anni tempore ea producit quę
cuilibet tẽpori cõueniunt: ſi n. in vere pul-
lulent, atq; excreſcant frondes flores, &
fructus, in æſtate matureſcunt, in autum-
no decidunt, & in hyeme quieſcunt ac ve-
luti vires recolligunt, vt in ſequẽtem an-
num hominum neceſſitati, atque vtilitati
rurſum ſubſeruiant: Nec ſolum in terrã
ſed & in viſcera terrę vim virtutis ſuę trã-
mittit ac calorẽ diffũdit, nec vllis repagu-
lis impediri poteſt virtus ipſius, quo minus
agat & in arborum radices, & in lapides p̃-
tioſos

t[...]sos, aurum, argentum, stannum, plumbum & ferrũ, ac cętera mineralia quæ virtute solis nascuntur ac producũtur in terræ visceribus. Cumq; hæç perpetuo actiter & iam à quinq; milibus annorũ & amplius hoc suo munere functus sit, nõ tamẽ aut virtus eius deficit, aut splẽdor claritatis eius imminuitur aut ab opere suo vnquam cessat. Quod si hæc Dei creatura, sol iste corporeus, inquam, tantæ sit virtutis & tantæ claritatis, vt splẽdore suo cuncta illustret, calore suo cuncta viuificet, certe maioris virtutis & splendoris est ille qui hanc tantam virtutem indidit soli. Is certe cum ad nos accedit splendore suo illustrat non quidem oculos carnis, sed mentis, dum quemadmodũ sol lumine suo colores & figuras rerum corporearum facit manifestas, quæ in tenebris latentes quasi non esse putabantur: Ita ipse Deus veritatis cognitione mẽtem illustrando rẽ quãlibet ita facit manifestam vt facile pretiosum à vili, & malum à bono discerni queat: Et calore amoris sui accendit atque inflammat non quidem sanguinem, aut carnem, sed cordis affectum & mentem, totusque homo interior viuificatur & renouatur, iuxta illud *Psalmistæ*, Psa.103. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renouabis faciem terræ*: vt quo modo vere adueniente renouatur facies terræ dum graminibus vestitur & floribus ac frondibus exornatur appropinquante sole, Ita dum Deus adest nobis reflorescat cor nostrũ & nouas spiritus vires acquirat. Hoc plene perficietur in futura vita, in hac vero non nisi ex parte.

7. QVOD si quandoq; eo pertingere potueris vt sol iustitiæ Christus Deus te tuãque mentẽ lumine suæ sapientiæ illustret, vt videns mysteria Dei quæ non licet homini loqui, & igne suæ caritatis cor tuum inflammet quod mira dulcedine & suauitate replet, & vires omnes corroboret, ac totam deniq; animã veluti adipe & pinguedine adimpleat, tũc ex huiusmodi donis atq; virtutibus tanquam quibusdã Dei imaginibus seu similitudinibus Deum vtcumq; agnoscere poteris, non solum illustratione mentis sed & affectu cordis: si enim ex iis gustũ quendam & saporem, vitã & vigorem, suauitatem & cordis lætitiã percipis, multo plenius ea ex Deo ipso percipies, cuius suauitas immensa & caritas inexhausta. Vt enim homo melior est imagine sua, & delictum magis ipse quam sua imago afficit, neque enim omnia quæ sunt in re viua, etiam in imagine reperiri possunt; in imagine enim non est vita, nõ est sensus, non est loquela: Ita Deus multo magis afficit cor hominis quã gratia ipsius mira quidẽ suauitate hominẽ amãtem afficit Dei caritas, sed multo magis Deus ipse qui est caritas viua & vera. Vnde Beata Maria *benedicta* quidẽ dicitur ab angelo quia fuit *gratia plena*, sed multo beatior fuit quia *Dominus erat cum illa*, est enim Dominus melior sua gratia, sicut homo est imagine sua.

8. QVOD si quis sit qui huiusmodi donis tãquã quibusdã insignibus decoratus non fuerit, sed contrariis qualitatibus vtpote odio, superbia, impudicitia insipientia & similibus sit imbutus, Deum ægre agnoscere poterit, eũ enim aliũ quã sit finget, sibiq; similẽ putabit, vt quod ipsi placet etiã Deo placere existimet, iuxta illud Psal.49. *Psalmistæ, existimasti inique quod ero tui similis.* Hac de causa dicebat Dominus ad pharisæos *Quem vos dicitis quia Deus vester est & non nouistis eum*: Ioan. cap.8. qui enim moribus & animo à Deo alienus est, ita se gerit ac si Deũ nõ nouisset. Quo modo & *Paulus* ait, *Confitentur se nosse Deum factis autẽ negant*: ad Tit.1. Qui enim Deũ non honorat, quomodo potest dici eius nouisse maiestatẽ? aut qui eum non timet, certe recte dicitur nõ nouisse eius iustitiã, aut qui nõ amat, nõ nouit eius bonitatẽ. Quo autem quisque Deum plenius nouit, eũ amplius diligit, timet & honorat.

II. Potentia, sapientia bonitas

1. FECIT Deus hũc mundũ, inquit *Ambro.* vt quia bonus, faceret quod vtile foret: quia sapiens, cõderet quod optimũ iudicabat: quia omnipotens, crearet quod ampli-

Dei relucet in creaturis. amplissimũ prævidebat: & si quē mihi ostēderis qui simile quid possit, dicā, quod ipse sit Deus, omnibus autē in rebus videre licet & Dei sapientiā, & potentiā, ipsiusq; bonitatē. Quod vnico grani exemplo ex *Ambrosio* adducto declarare licet, sic enim ait: Suscipit granũ tritici putris gleba, & occatione illud terra velut materno gremio cōprimit & fouet: inde cum se granũ illud resoluerit ac emortuũ fuerit, herbā germinat quæ statim genus satũ similitudine sui prodit, vt in ipso suæ stirpis exordio cuius generis herba sit, recognoscas, paulatimq; adolescit vt fœnũ, culmoq; pubescēs erigitur & assurgit. Ast vbi se geniculata iā spica sustulerit, vaginæ quædā futuræ frugi parantur, in quib. granũ formatur interius ne tenera eius primordia aut frigus lędat, aut solis æstus exurat, aut ventorũ inclementia, vel imbriũ vis sæua decutiat. Et ne frugis numerosioris pondere velut quædā cedat fultura culmorũ, vaginis quibusdā ipse culmus includitur, vt geminatis virib. frugē possit multiplicē sustinere, ne impar oneri curuetur in terram. Tũ supra ipsam spicā vallum struitur aristarum, vt quasi quadā in arce prætendat, ne auium minorum morsibus, suis exuatur fructibus. Auena autē cum pondere careat, neq; hoc etiā munimine indigeat, ob id datũ ei nō est. Nā sapiens ille artifex quēadmodum in necessariis rebus nō deest, ita superuacanea non facit. *Hæc Ambro.*

Ambro. lib. 1. ca. 55. exaeme.

2. HIC QVIDEM sicut & in cæteris rebus creatis imprimis videre licet & Dei bonitatē, qui hæc vniuersa ad nostrum vsum creauit, ne quid ad commode viuendum nobis deesset, modo aptum & idoneum ea possessorē inueniāt: sic enim Paulus ait *omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Cephas siue mundus, siue præsentia, siue futura.* 1. Co. 3. Est etiā mirā hic inuenire creatoris potētiā, & sapientiā: potentiā quidē qua semini tam exiguo eā indidit virtutem, vt quo in putri terra mortificatur & corrumpitur amplius, eo viuificetur & fructificet magis: occulta enim & vi quadā admiranda è terra nutrimēti sui succũ ad se attrahēs, haud secus atq; magnes ad se ferrũ, relictis cæteris stanneis & æreis, trahit, id & in sui naturā cōuertit, vt pullulet & augescat, relictis aliis humoribus naturæ suæ minime conuenientibus. Haud absimilem attrahendi virtutē experimur inesse & in ipsa Luna, quæ certis tēporum interuallis tanquā quodam loro ducit & reducit immēsam illā aquarum abyssum dum mare fluit & refluit, & in pisciculo isto exiguo qui remora dicitur, dum vi quadā occulta sua nauē quantumuis ingentē etiā plenis velis mare decurrentē minimo negotio retinet, vnde & remora dictus est, eo quod remoretur atq; retineat nauē ne vltra progredi valeat. Quod si rebus tā exiguis tantam virtutē indidit Deus, certe maioris ipse debet esse virtutis, maiorique potētia præditus, vt hinc merito dixerit *propheta*, Psa. 110. *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Psa. 103. & alibi. *Quā magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti.*

3. IAM VERO vt è rebus creatis etiā Dei sapientiā inuestigemus, aduerte dum nutriuntur arbores, grana, plantæ & similia, quomodo per sapiētiā summi artificis Dei in radicibus fibras habeāt sibi annexas, per quas terræ succum, qui solis calore ascendit, ad se attrahunt in suiq; naturā virtute animæ vegetatiuæ conuertunt. Quemadmodum enim fœtus in vtero materno nutriuntur per vmbilicũ, ita radix per fibras: & fructus arborum, vtpote poma, pyra, cerasa & similia, alimētũ, quo nutriũtur & quod virtute animę vegetatiuæ in sui naturā cōuertunt, attrahunt per pediculum seu petiolũ. Et quēadmodũ corpus humanũ venas suas habet, per quas sanguis distribuitur, & vegetatiua virtute in carnem trāsmutatur, Ita & arbores & segetes suos habēt meatus, & suas Venas per quas nutrimentũ decurrit, & vegetatiua virtute in substantiam arboris cōuertitur. Has venas aperte est videre in foliis ipsius arboris, in quib. ita dispositæ sunt, vt in medio maior vena collocetur in duas æquas partes ipsũ folium diuidēs, & hinc reliquæ venæ suos ramos ducunt, quæ quo magis à maiori vena

Digitized by Google

vena recedunt, eo tenuiores fiunt, vt tandẽ in extremis partib. figuras atq; formas capillorũ referãt, hocq; modo per has venulas succus alimenti omnibus foliorum partib. cõmunicatur. Et hæc folia per diuinã sapientiã in arborib⁹ ita sunt disposita, vt nõ solum ipsius arboris seruiãt ornatui, quo modo terra, & graminib. vestitur & floribus pulcherrime ornatur, ita vt nec Salomõ in omni gloria sua sic coopertus aut ornatus fuerit, sicut vnum ex istis: Nã quãuis ars imitetur naturam nõ tamẽ assequitur: verumetiã tanta varietate distincta sunt, vt quemadmodum inter vultus hominum etiam è multis milibus vix duos reperias per omnia sibi similes, ita inter foliorum miriades vix duo reperire possis quæ inuicem sibi per omnes partes sint cõformia: Et insuper hac arte sunt in suis locis disposita & collocata, vt ab inclementia aeris, & Solis ardorib. fructus tueantur, ne ante maturitatem exarescant aut decutiantur, & quo huiusmodi fructus teneriores fuerint vt in ficis & vineis, eo maiorib. defenduntur foliis, tanquã qui maiori munimine indigeant, sic tamen vt nõnullis in locis scissa sint, & in fine velut serræ dentes habere videantur, quo temperato solis & aeris beneficio gaudeant & iuuentur. Hanc sapientiam Dei per diuersas creaturas veluti per quaidam rimas suos radios diffunderẽm, quis inuestigare, quis cõprehendere valeat? certe quisquis id poterit, videbit quod Deus sit maximus etiam in rebus minimis.

III. Diuinam potentiam sapientiã ac bonitatem in animalibus maxime relucere.

PRÆDICTIS subiungi potest & animalium consideratio, quæ quo plantis sunt perfectiora, quippe quæ sensu & motu prædita sunt quibus plantæ carent, eo nobis maiorem Creatoris notitiã inserere possunt, & inprimis hæc in cõmuni habẽt animalia sibi à suo conditore concessa, vt ea omnia sibi Deus, quoad illorum natura patitur, fecerit quodã modo similia, teste Dionysio Magno, vt quo modo De⁹ nõ solũ esse, sed & beatũ esse habet, sic voluit vt suæ creaturæ nõ solum essent & viuerent, sed etiã beate & læte viuerent: sic aues nõ solũ cantando sed & volando, pisces natãdo, animalia terrestria cursitando læte & iucunde inter se vitã degũt. Et istud est ꝙ psalmista ait, nisi fallor, *Aperis tu manũ tuã & imples omne animal benedictione*: benedictionis nomine eam fælicitatem intelligens, cuius cuiusque natura capax est: Hac benedictione id consecuta est philomela vt dum in Maio integras noctes canat, hoc suo cantu mirifice se oblectet. Psa. 144.

2. CÆTERVM cum earum rerum, quas cõdidit Deus: species voluerit esse perpetuas, vt nec vna vnquã defuerit, nec deesse possit, eo quod diuina ipsius prouidentia in specierum ac rerum conseruatione sit infallibilis, mirabilem vtriusque sexus naturæ indidit ardorem, quo certo tempore in seinuicem rapiuntur & commiscentur ad speciei suæ cõseruationem, quo tẽpore euoluto, cessat quidem huiusmodi impetus inter bestias, at non item inter homines, quo indicio colligere licet hominis naturam magis, quam sit natura pecudis, deprauatã esse. Et quanto ardore prius mas & fœmina in seinuicẽ rapiebantur vt generando speciẽ conseruarent, tanto amore postmodũ in fœtus suos, quos genuerũt, ferũtur, vt eos enutriant & in esse cõseruent, donec eos eo perduxerint, quo sibiipsis prouidere queant: Tunc enim ñ accessit talis amor & cessat vt nõ tũ plus suos proprios fœtus quam alienos curent.

3. POST VBI adoleuerint ex amore vitæ propriæ ipsis insito, quãto labore eã cõseruare, quãtaq; industria eam aduersus inimica animalia tueri nitantur, vel vnico formicæ patet exẽplo: Hæc enim & summo labore & summa industria congregat in messe, quod in hyeme comedat. Sũt autẽ & admiratione & consideratione digna quæ de formicis legũtur: inprimis cellulas sibi suo osculo parant, in quib. tria excauant distincta loca, primũ in quo ipsæ morãtur & requiescũt, secũdũ in quo sua grana recõdant: tertiũ in quo mortuæ sepeliũtur. Hoc antrũ suũ quod suo osculo excauant, non illud tectum fabricant, sed fornicibus huc atque illuc, tanquam

Dedali

Dedali labyrinthum, vergentibus, variis modis effodiunt, & terram effosam ante domus antrum siue ostium efferunt, & instar valli componunt, quo sic à suis hostibus tutiores sint. Et dū prouisionē è granis faciunt, onera seipsis grauiora, suisq; corporibus maiora deferunt, & in hoc labore nō solū totū diē consumunt, sed ita laboriosæ sunt vt in plenilunijs diem cū nocte cōiungant. Vt nō immerito ad eius
Prou.6. imitationē hominem pigrum cohortetur Sapiens cū ait, *vade ad formicam ô piger & considera vias eius, & disce sapientiam: qua cum nō habeat ducem aut praceptorem parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Qui cōgregat in æstate*, inquit idē, *filius sapiēs est, qui autē stertit æstate filius*
Prou.10. *confusionis est. Sunt* & hac industria præditę ipsæ formicę dū semina in horrea congregant, ne ab ipsis cōgesta denuo resoluātur & excrescant, illā grani cuspidē, vt germē egreditur, arrodunt, vt sic infrugiferum reddant. Et ne granū humiditate quę corruptionis mater est, sub terra corrūpatur, cū sudum est, illud ad solē exponunt exiccandum, & siccum iterum in horreum referunt: & hac diligentia sæpius repetita, illud per totum annum conseruant. Est igitur & hoc & illud sūma admiratione dignum, quomodo in his tam exiguis animaleulis, tantam industriam tantamque naturę perfectionē posuerit Deus, & quomodo in capite tam exiguo duos recondiderit oculos, aures duas, olfactum gustū & reliquos sensus. Vt merito exclama-
Psa.138. uerit *Psalmista mirabilia opera tua Domine: & anima mea cognoscet nimis.*

4. CERTE hic vt obmutescant necessum est imprudētium hominum ora, qui dicunt, Ad quid creata sunt hæc, formicę, culices, muscæ & id genus animalia, cum nullum vsum hominū generi adferre videantur? Quod si sint quæ ad nostrorum corporum vtilitatem sint creata, *vt oues, boues: & pecora campi:* sunt etiā quæ ad animorum doctrinā nobis subseruiunt, dum diuinā sapientiā & potētiā nobis ob oculos ponunt. Et id apertius parua animalcula faciunt, dum ad nihil aliud creata videantur: vt enim *philosophus* ait, in minoribus magis, quā in maioribus animalibus species quædā intellectus elucet, præsertim cū nō sint tam ipsæ bestiolæ quæ hæc operantur, quam Deus, qui eis eas indidit proprietates, per illas. Neque enim ab homine edoctæ huiusmodi bestiolæ, faciūt talia, sed à meliore præceptore, quam sit hoc homo, instructæ operātur æa. Quinimo nō tā instructę, quippe quę disciplinę nequaquā sint capaces, nobis specimē diuinæ sapiētiæ atq; potentiæ in suis operationib. ob oculos ponunt, quā quod ab auctore naturæ Deo, huiusmodi proprietates & naturales vires sint eis inditę; quibus natiua quadam necessitate, non arbitrii libertate ad huiusmodi opera ferātur.

5. ID QVOD in corporibus humanis & belluinis cernere licet. Cū enim totū corpus cū omnib. suis mēbris etiā cum capillis ipsis, nutriri debeat, toti quoq; corpori & singulis eius mēbris à sapientissimo artifice Deo tres facultates sunt insertę, quibus functiones suas ad naturæ integritatē requisitas, perficiant. *Attractiua* vna, *Cōmutatiua* seu digestiua altera, & *expulsiua* tertia. *Attractiua* quidē quia sicut in magnete est vis insita qua ad se ferrū attrahit, ita in stomacho est vis attrahēdi in se cibū, in ore, vbi prima fit cōcoctio digestū: quē vlterius quasi in lacteū liquorē virtute animæ vegetatiuæ ipsius stomachi conuersum, ibi enim fit secundo digestio seu cōcoctio, ad se trahit hepar, eundemq; in sanguinē cōuertit: hūc autē sic cōmutatū venæ ad se attrahunt, per quas tanquā per quosdam meatus sanguis iste vniuersum corpus distribuitur. Et ex istis venis quod libet membrum ad se trahit quod suæ substantiæ ad sui nutritionem necessarium & conueniens est, v.g. os quia illud solidum est & durū, ex ista massa humorem frigidum & siccum magis, eo quod iste naturæ ipsius conueniat. ad se trahit & in os conuertit: caro humorem viscosum, qui facile in carnem conuertatur, ad se trahit. Fit autē huiusmodi attractio & cōcoctio

per

per calorem naturalem per totum ipſum corpus diffuſum: Qui quia nõ ſolũ coquit ipſum nutrimentũ & in ſubſtantiam corporis cõuertit, ſed etiã humidũ radicale, carnem & ſanguinẽ abſumit, haud ſecus atque oleum lampadis ardente flamma conſumitur, hinc calor iſte naturalis non minus noſtræ mortis quã vitæ eſt cauſa: mortis quidem, quatenus, vt dictum eſt, abſumit noſtram ſubſtantiam, vitæ vero quatenus ipſum nutrimentum in ſubſtantiam noſtram conuertit & deperdita reſtaurat. Et quia id quod ad ſubſtantiam noſtram per concoctionem apponitur minus perfectum eſt quam quod abſumitur, hinc fit quod humidum radicale vires ſuas paulatim amittat & vita hominis decreſcat atque deficiat.

6. Et qvoniam quemadmodum in toto noſtro corpore nihil fit, cuius ipſa anima cauſa non ſit & principiũ; ipſa enim per diuerſa membra tanquam per diuerſa inſtrumenta, diuerſas exercet functiones quia quæ per linguam loquitur per oculos videt, per pulmonẽ tanquam per quẽdam follem comprimendo & dilatando, aerem expellit & attrahit, vt cor quod calidiſſimum eſt aſſidue refrigeret, & per totum corpus innumerabiles operatur actiones, quæ vniuerſæ ceſſant & deficiũt vbi per mortem à corpore receſſerit anima, ita Deus, qui eſt veluti anima mundi, per diuerſas creaturas tanquã per diuerſa inſtrumẽta innumerabilia operatur opera: quo manum ſubtrahente mox concidunt vniuerſa: *In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus*, & ſine ipſo nec viuere, nec moueri, nec eſſe poſſumus. *Laudemus* igitur *& ſuperexaltemus eum in ſecula, ſemper ſit laus eius in ore meo*: quia eius laudibus delectari conuenit quem quis diligit.

IN FESTO

V. SACRAMENTI.

Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem & dixit, Hoc eſt Corpus meum. 1. Cor. 11.

Pars Prima.

De reali præſentia corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ.

Summa primæ partis.

I. *Corpus Chriſti realiter ac ſubſtantialiter eſſe in Sacramento Euchariſtiæ, ex Scripturis, & Patribus probatur.*

II. *Fidei orthodoxæ veritas variis exemplis confirmatur.*

III. *Exortæ circa hoc myſterium hæreſes refelluntur.*

1. Non eſt recens, neque noua ea fidei doctrina qua docemur in Euchariſtiæ Sacramento eſſe realiter & ſubſtantialiter corpus Domini: hanc enim *Paulus* dicit ſe à Domino accepiſſe, ſuiſque diſcipulis tradidiſſe: Hæc ab initio exurgentis Eccleſiæ edocta fuit ſemper & cuſtodita: Ita enim in libro paſſionis S. Andreæ ab eius diſcipulis, qui illius paſſioni interfuerunt, conſcripto, narratur Andreas Ægeo iudici reſpõdiſſe, Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie ſacrifico, qui cũ vere ſit ſacrificatus, & vere à populo carnes eius manducatæ, integer perſeuerat & viuus. Intellexerat certe Andreas hæc verba cõſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*, proprie & non figurate eſſe accipienda, vt volunt hæretici: Quod inprimis & ex eo patet, quia materia de qua hic agitur eſt Sacramentum & teſtamentum, iuxta illud *Lucæ*. Hic

Art. I. In ſacramento Euchar. realiter ac ſubſtantialiter corpus Chriſti eſſe probatur. 1. Cor. 11.

Luc. 22. & 24. *ca Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: & Matthæus* ſic ait, *Hic eſt ſanguis noui teſtamenti* : ſiue quia corpus & ſanguinem ſuum, quæ ſunt pretium redemptionis noſtræ, nobis pro teſtamento reliquerit : ſiue quia per ſanguinem ſuum nouum teſtamentũ confirmauit, nobiſq; gratiam & gloriã dare conſtituit : Teſtamenta autem in proprio ſenſu ſunt intelligenda, *vt dicitur §. de legat. 3. leg. non aliter.* Si enim teſtamento relinqueretur alicui domus, aut ager, & vellet aliquis cauillari non eſſe relictam domum veram, ſed depictam quæ eſt figura domus, & ita teſtamentum interpretaretur, Relinquo tibi domum, id eſt, ſignũ domus, merito in iudicio exploderetur : Quanto magis explodendi ſunt omnes aduerſarii qui teſtamentum Chriſti ita ad figuras detorquent, præſertim cum *Paulus* dicat *Teſtamento nemo ſuperordinat*, quaſi dicat illud ita ratum eſſe debet vt nemo audeat aliquid addere vel demere. ad Gal. 3.

2. Secvndo id ex eo probatur quod Dominus accepto pane gratias egerit & benedixerit, vt habet *Lucas* & *Matth.* ſed non conſueuerat Dominus gratias agere aut res inſenſibiles benedicere niſi cum in eis aliquid magni & mirabile operaturus eſſet, ſicut cũ panes eſſet multiplicaturus, panes multiplicandos benedixit. Ioan. 6. Luc. 9. Quemadmodũ autem cum maledixit ficui, eam cõtinuo arefecit, ita e diuerſo benedicere Dei eſt benefacere : Nam benedictio Dei non eſt precatio vt noſtra, ſed effectio, cũ enim in *Geneſi* animantibus benediceret, Gen. 1. iſta benedictione eis fœcunditatẽ & vim gignendi tribuit, quæ in hunc vſq; diem perſeuerat. Cap. 9. li. de his qui initian. Vnde *Ambroſius*, Maior vis benedictionis, inquit, quã naturæ, quia benedictione & ipſa natura mutatur, cũ panis in corpus Chriſti tranſubſtantiatur.

3. Tertio cum *Paulus* ait. 1. Co. 11. *Quicunque manducauerit panem & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini*: & paulo poſt, *Qui manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini*, *ſatis* manifeſte declarat ibi vere & realiter eſſe corpus Domini. Quid n. aliud illa verba ſignificant, *Non diiudicans corpus Domini*, niſi nõ diſcernens corpus Domini, ſed ita illud ſumens ac ſi nõ eſſet corpus Domini. hom. 24. in 1. Cor. *ſic Chryſo.* Quod ſi ſolum ſignũ ſit corporis Domini, cur grauius ſcelus committit qui illud indigne ſumit, quam qui Chriſti imaginẽ frangit, cum & ipſa ſit ſignũ corporis Domini? In imaginibus tamen confringẽdis Caluiniſtæ nõ ſolũ non ſe peccare, ſed etiã benefacere exiſtimãt. Quarto ex eo patet hic verum eſſe corpus Chriſti, quia Dominus ait, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur* : Luc. 22. Neque enim aliud corpus fuit pro nobis datum ſeu oblatum quam verum Chriſti corpus : neque alius ſanguis effuſus, quam verus Chriſti ſanguis. Et id non poſſe intelligi de ſigno corporis Chriſti, patet, quia imago Chriſti eſt etiam ſignum corporis eius, tamen ineptus eſſet qui diceret, Imago Chriſti eſt ipſe Chriſtus qui pro nobis eſt crucifixus : Neque etiam panis eſt pro nobis datus, neque vinum eſt pro nobis in cruce effuſum. Et quod *Lucas* dicit in tempore præſenti (*datur*,) hoc *Paulus* dicit in tempore futuro, *Quod pro vobis tradetur*, Cap. 22. 1. Cor. 1. quia *Paulus* reſpicit oblationem in cruce futuram: *Lucas* vero ad oblationẽ quæ de præſẽti fiebat in cœna: vt ſit ſẽſus: Quod pro vobis iã datur & Deo patri in ſacrificiũ offertur, & quod poſtmodũ in cruce in mortem tradetur, hoc eſt corpus meũ.

4. Cvm Dominvs ait. *Hoc eſt corpus meum*, pronomen (*hoc*) nõ demonſtrat panem, tanquã panis eſſet corpus Chriſti vt voluit *Lutherus*, quia poſt cõſecrationẽ non eſt amplius panis: ſed demonſtrat rẽ contentã ſub ſpeciebus panis, quæ etſi antea fuerit panis, tamen poſt cõſecrationẽ peractã eſt Chriſti corpus: Ita vt quãuis panẽ naturalẽ acceperit, panẽ tamen materialẽ nõ dederit ſed benedictũ & benedictione mutatũ: Sicut vulgo dicimus, Mactauit porcũ & comedit, nõ ſignificat quod crudũ porcũ comederit : Sicut etiã cũ Dominus mutaret aquam in vinum, ſi

Quomodo intelligẽda ſunt verba illa conſecrationis Hoc eſt corpus meum.

hydri-

hydrias aquæ oſtendendo dixiſſet, Hoc eſt vinum, & illis verbis mutaſſet aquam in vinum, non poſſemus ita exponere hác ſententiam. Hoc eſt vinum, id eſt, hæc aqua eſt vinum; id enim falſum eſſet: ſed hic eſt ſenſus huius propoſitionis, Hoc eſt vinum, id eſt, id quod eſt in hoc vaſe, eſt vinum: Ita vt pronomen Hoc, demonſtret id quod erit abſoluta propoſitione. Sic etiam cùm dicitur, *Hoc eſt corpus meum*, ſenſus eſt: Id quod eſt ſub his ſpeciebus, eſt corpus meum: Ita vt pronomen, Hoc, ſupponat quidē pro ſubſtātia, non quæ eſt, cùm dicitur, Hoc, ſed quæ eſt ſeu erit abſoluta & prolata propoſitione: quia in propoſitionibus quæ ſignificāt id quod tunc fit cùm dicitur, pronomina demonſtratiua non demonſtrant id quod eſt, ſed id quod erit, quia ſimul tempore ſunt, completa ſignificatio verborum & conuerſio panis in corpus Chriſti.

5. ORDINE tamen naturæ inuicem ſe præcedunt & ſequūtur hæc duo: nā verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, quatenus cauſa ſunt illius cōuerſionis, præcedunt cōuerſionē: & contra, quatenus veritas propoſitionis pēdet à rei eſſentia, cōuerſio præcedit ſignificationē: Sicuti ſi quis dū pingit circulū dicat, Hic eſt circulꝰ & cū prophetæ diceret, *Hæc dicit Dominus*, propoſitio non ſignificat, neq; plenā habet ſuam ſignificationē niſi in fine totius prolationis. Eſt & iſtud hic *notandum* quod cū dicitur, *Hoc eſt corpus meum*, corpus Chriſti non fieri ex pane tanquam ex materia, quo modo panis fit ex farina, alias non eſſet vnum & idem corpus cum eo quod natum eſt ex virgine Maria, quia cōſtaret ex alia materia: Imo nec ſic fit ex pane: quo modo factum eſt vinū ex aqua, quia in hac mutatione aquæ in vinū ſaltē manet materia prima ſub vtroq; termino eadem, licet non remaneat aquę ſubſtantia: Sed in tranſmutatione panis in corpus Chriſti, nihil panis remanet nec materia nec forma, ſed tota ſubſtantia panis mutatur in corpus Chriſti, hinc proprie dicitur tranſubſtantiatio. Fit igitur ex pane corpus Chriſti tāquam ex termino à quo, ſicut dies fit ex nocte, aut ſicut cœlum factum eſt ex nihilo: Et quamuis poſt conſecrationem nihil panis remaneat non tamen annihilatur panis, quia non terminatur ad nihil, ſed ad corpus Chriſti.

6. POTEST & hinc colligi eſſe vere & realiter corpus Domini quod datur hic nobis ad manducandū, quia cū Chriſtus diceret, *Panis quē ego dabo caro mea eſt pro* Ioan. 6.
mundi vita (vbi Dominus teſte *Baſilio* & Baſil. lib.
Ambroſio agit de Sacramēto Euchariſtiæ) 1. c. 3. de
non litigaſſent Iudæi adinuicem dicētes, bap. Am-
Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare bro. lib. 6.
ad manducandū? ſi tantum figuraliter hæc ca. 1. de ſa.
verba fuiſſent accipiēda. Intelligebāt igitur Iudæi aliquid noui & mirandum quid à Chriſto proponi & dici. Et cū Dominus Ioan. 6.
ibidem ſubiungit, *Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentē vbi erat prius?* Si non promiſiſſet veram ſuam carnem daturū ſe in ſacramento, ſed duntaxat in ſigno quo corpus fide percipitur, non fuiſſet opus probare potentiam ſuam exemplo aſcenſionis, quia in ſigno ſumere corpus Domini manducatione ſpirituali non eſt ita intellectu difficile.

7. NEC TAMEN quis crude hæc verba caperet, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis*, quo modo Capbarnaitæ intelligebant carnem Chriſti eſſe manducandam ſicut comeduntur carnes in macello emptæ, vnde & quidam ex diſcipulis ſic intelligētes verba Chriſti, dicebant, *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? & abibāt retro, inquit Ioannes*, quia Cap. 6.
animus abhorret humanas comedere carnes, & humanum bibere ſanguinem: Ideo Chriſtus *in fine capitis ſexti* ſubiungit, *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquā verba quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt*, quaſi dicat, ſi hæc carnaliter, ita velitis intelligere de carne mea mānducanda ſicut comeduntur carnes aſſę vel elixæ, tunc nihil vtilitatis inde perciperetis, quia ſola caro ſic comeſta abſq; ſpiritu, nō iūcta diuinitati, nō poteſt animas vi-

uificare: Sed si spiritualiter intelligantur prædicta, & fide credatur quod caro Christi sit viuifica, nõ sola, sed spiritui hoc est, Deo seu diuinitati iũcta, & sub Sacramẽto, siue sub specie panis exhibita, non nuda sua specie nobis ad manducandũ porrecta & data: quo modo Christus ea intelligi volebat, tunc ea sic intellecta, & caro Christi sic sũpta, spiritus sunt & vita, quia spiritum credentiũ viuificant & vegetãt.

Chrys. hom. 48. in Ioann. Aug. in Psal. 98. 1. Cor. 11.

sic *Chrysost.* & *Aug.* hunc locum interpretantur: Modo tamẽ digne sumatur, fide nimirum, spiritu, & deuotione, nã *qui sumit indigne, iudicium sibi manducat*, inquit *Paulus, non diiudicans corpus Domini*. Huiusmodi verba enim (*verba quæ ego locutus sum vobis spiritus & vita sunt, Qui manducat me ipse viuet propter me.* & similia) non tam significant quid fiat, quam quid natũ sit fieri: habet enim caro Christi sub specie panis sacramẽtaliter digne sumpta virtutẽ animas vegetãdi, sanctificandi & viuificandi, nõ in quantũ caro est quia sic caro non prodest quicquã, sed quia Deo iũcta est, quia est caro & corpus Dei, sicut liquor aliquis melle vel saccaro conditus habet vim indulcorandi & afficiendi palatum.

Heb. 10.

8. INSVPER *Paulus* hostias veteris testamenti vmbris cõparat, veritatẽ autem noui testamẽti imagini, sic enim ait, *vmbram habens lex futurorũ bonorũ, non ipsam imaginem rerum*, vmbræ vero rebus figuratis inferiores sunt, quia vmbra non est vera imago, sed est inanis similitudo imaginis, qualis efficitur cũ quis ambulat in sole: Sed si in sacramẽto Eucharistiæ, quæ est hostia noui testamenti, non cõtinetur verũ Christi corpus, sed dũtaxat sit signũ eius, perfectius Sacramentum fuit agnus

Tertul. li. 4 in Marcion. Hier. in c. 26. Matth.

paschalis, qui teste *Tertul.* & *Hieron.* figura fuit Christi, quam panis iste Eucharisticus, quia perfectius repræsẽtatur mors Christi, morte agni quam fractione panis & caro Christi viuacius repræsentatur carne agni immaculati quam pane: Dum igitur *Paulus* hostias veteris legis vmbris comparat, nouum vero testamentum imaginem asserat, plus hostiæ nouæ legis tribuit quam veteris. Quod satis agnouit *Dionysius* Pauli discipulus, qui *in libro eccles. hierar.* alloquens ipsum

Dionys. Cap. 3. Par. 3.

sacramentum sic exclamat, ô diuinissimum & sacrosanctum Sacramentum obducta tibi significantium signorum operimenta dignanter aperi, & perspicue nobis fac appareas, nostrosque spirituales oculos aperto tuæ lucis fulgore imple: At huiusmodi inuocatio impie referretur ad Sacramentum si solum esset signum & non viuum & verum Christi corpus.

9. ET QVIA realiter continetur corpus Domini sub specie panis consecrati, hinc semper summa diligentia fuit obseruatum & cautum in Ecclesia, ne quid huius Sacramenti vllo modo decideret in terram: Nam *Pius papa* 1. qui eodem tempore sedit in pontificatu quo *Iustinus* scripsit, grauem pœnam in eos statuit, quorum negligentia aliquid Dominici sanguinis in terram vel etiam super altare decidisset iussitque locum lambi & radi, vt patet ex *Gratiano*. Quæ cautio certe

De consecr. [illegible] 2. Can. [illegible] per negl.

euidens est argumentum fidei antiquorum. Si enim panis Eucharistiæ non esset corpus Christi nisi significatiue, non esset adhibenda maior cautela ac diligentia ne caderet in terram, quam ne imago Christi in terram decideret. *Tertul.* etiam sic ait, Calicis aut etiam panis nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Et

Tertul. li. de Corona militis. Orig. hom. 13. in Exod.

Origenes, Nostis, inquit, *qui diuinis mysteriis interesse consueuistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini cum omni veneratione & cautela obseruatis nec ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur: reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat.* Hæc ille. *Cyrillus* quoque *Hierosol. Cum Christus ipse sic affirmat & dicat de pane, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, & non erit dignus cui credamus dum vinum in sanguinem mutauit? eodem igitur dicente, Hic est sanguis meus, quis dicat*

Cyrill Cate. 4.

Digitized by Google

Dionyſ. Cap.3. Par.3.

ꝛ m eſſe illius ſanguinem? ne ex guſtu rem iudices ſed fides te confirmet, hoc certo ſciens panem qui videtur non eſſe panem ſed eſſe corpus Chriſti. Hæc ille. Quid clarius dici poteſt: His accedat *Ambroſius*, qui ſic habet (Ambroſ. Lib.4.ca. 4.de ſacra.) *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum; vbi acceſſerit conſecratio de pane ſit Chriſti caro.* Idem in libro de myſter.initi. (Cap 9.) *Quod ſi tantum valuit ſermo Heliæ vt ignẽ de cœlo iaceret deſcendere, non valebit ſermo Chriſti vt ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti. Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt, ſermo igitur Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in aliud mutare?*

(Chryſ. hom.83. in Mat.) 10. CHRYSOSTO. vero ſic ait: *O quod modo dicunt, vellem formam & ſpeciem eius videre, fimbriam veſtimenti eius tangere, ipſi obſequium aliquod præſtare, ô homo ipſum vides & ipſum tangis, ipſum comedis, non in ſua quidem, ſed in aliena ſpecie, quia vere recipitur ſub illis quæ videntur & tanguntur ſpeciebus, quemadmodum vere dicebantur angelos excipere hoſpitio, qui illos recipiebant in corpore aſſumpto.* Et alibi. (Chryſ. hom.24. in 1.ad Cor.) *Conſueuerunt amantes perſonis amantibus donare veſtes pecunias & id genus alia, ſicut Eliſæus aſcendens meloten diſcipulo reliquit, at carnem ſuam relinquere non poſſunt. Filius autem Dei aſcendens ſuam carnem nobis reliquit non in ſymbolo tantum, id enim & homo poteſt qui ſuam imaginem alteri relinquere valet, ſed in vera ac propria natura. Et amantes aliquando præ nimio amore morſu appetunt eos quos ardenter amant, vt eo modo indicent cupere ſe, ſi poſſit fieri, intime vniri & fieri vnum cum illis: Chriſtus autem in hoc mirabili modo id effecit*, inquit, *per Euchariſtiam vt corpori eius intime vniamur. Adeamus ergo eum ſinguli ægrotantes magna cum fiducia.* (Homil.51. in Mat.) *Nam ſi qui fimbriam veſtimenti eius tetigerunt, recte tunc conualuerunt, quanto magis corroborabimur*, inquit, *ſi eum integrum in nobis habeamus.* Hæc ille. Huic ſuccedat *Heron. in cap.1. epiſtolæ ad Titum*, vbi cum dixiſſet, oportere ab officio coniugali eos abſtinere qui corpus Domini ſuſcipere volunt, adferens exemplum Achimelech, qui noluit Dauidi panes propoſitiones dare manducandos, niſi prius audiuiſſet eum ab vxore mundum, ſubiungit, *tantum intereſt inter panes propoſitionis & corpus Domini, quantum inter imaginem & veritatem.*

De conſecr. diſt. 2. Can. ſi per negl.

Tertul. lib. de Corona militis. Orig. hom. 13. in Exod.

Cyrill. Cate.4.

11. AVGVSTINVS vero in ſuis Epiſtolis (Epi. 118. cap.3.), & eorum approbat deuotionem qui quotidie cum veneratione Corpus Domini ſuſcipiunt, & eorum venerationem qui venerantes illud interdum ſe ſubtrahunt, nam & iſte, inquit, honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere, vnus cum Zachæo excipit eum gaudens, alter cum Centurione dicit *Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* Idem in *Pſalmum 33.* explicans titulum Pſalmi in quo ſcriptum eſt. *Et ferebatur in manibus ſuis:* Manib. ſuis, inquit, nemo portatur ſed alienis. Et ideo quomodo hoc intelligatur in Dauide ſecundum literã non inuenimus in Chriſto autẽ inuenimus: ferebat enim ſe Chriſtus manibus ſuis quando dicebat, *Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum.* Poſtremo accedat & *Bernardus in Cant.* (Bern. Ser.33.in can.) vbi ſic habet, Habeo & ego verbum ſed in carne, & mihi apponitur veritas ſed in ſacramento: angelos ex adipe frumenti ſaginatur & nudo grano ſatiatur, me oportet interim quodam ſacramenti cortice eſſe contentum & fidei velamine. At quantalibet ſane abundantia pingueſcant iſti, non pari omnino iucunditate ſumitur cortex ſacramenti & adeps frumenti, & fides viſio, vultus & imago. Nam ſacramenta eiuſmodi ſunt vt abſque ſpiritu ſuſcepta & guſtata etiam mortem adferant. *Hæc ille.* Vt enim manna quibuſdam cibus leuiſſimus erat, ob quã cauſam anima eorum ſuper cibo iſto leuiſſimo nauſeabat: alliis vero omnis generi ſuauitatem adferebat, prout quiſque affectus erat. Ita & Corpus Chriſti per manna figuratum mors eſt malis, vita bonis. vide paris ſumptionis quam ſit diſpar exitus.

Digitized by Google

II. Confirmatur varijs miraculis in Sacramẽto esse verũ Corpus Christi.

1. PORRO non solum nudis verbis asseruit Dominus ibi esse suum corpus sed vt omnem à nobis tolleret dubitandi rationem, in confirmationem huius veritatis infinita propemodum miracula operari, per hoc Sacramentum dignatus est qualia hæretici neq; à Deo, neq; à dæmone in confirmationẽ sui erroris extorquere vnquam potuerunt, quia nec Deus testis esse potest mendacij, nec permisit hactenus hæreticis, vt etiam opera diaboli, si non vera saltem apparentia vlla miracula facerẽt. Sed è multis pauca sunt hic inserenda: Refertur in vita *B. Gregorij.* quod cũ Gregorius Eucharistiã populo distribueret, venerit ad quandã mulierẽ, quæ panem qui in altari fuerat consecrãdus, suis manibus confecerat: Cũ ergo illi S. Gregorius diceret, Corporis Domini custodiat animam tuam, subrisit mulier, & pontifex manum suam retraxit, & particulam in altari reposuit, & completis solennijs mulierem corã populo rogauit, Cur in tam tremendo mysterio risisset. Illa diu mussitans tandem respondit se non posse credere corpus Domini esse panem quẽ suis manibus fecisset. Tum S. Gregorius à Deo petiit & impetrauit vt. specie aliqua externa panis in carnem mutaretur: Quo facto tam illam ad fidem reduxit, quã totũ populum in fide cõfirmauit.

Lib. 2. cap. 41.

2. HIC NOTANDVM quod dicit *Thomas* non id quod apparet esse Carnẽ Christi sed esse speciem carnis diuinitus formatam, non ad fallendum, vt fit in præstigijs Magorum, sed ad astruendum vere & realiter ibi esse corpus Domini. Quod autẽ non sit Caro Christi id quod apparet quamuis quidam hoc existiment, inde patet, quia species ista carnis quæ apparet, diuturnitate temporis nigrescit, & corrumpitur huiusmodi caro, sed in vera carne Christi nulla potest fieri mutatio: Et ideo id quod ibi apparet nec est caro Christi, nec adorandũ adoratione latriæ, sed honorandũ tanquam id quod miraculose exhibetur ad veritatis confirmationem.

3. ALIVD miraculum refert *Thom. Cãtip.* quod contigisse scribit anno Domini M.CC.xxxi. vbi sic ait: prędicãte in Theutonia Magistro Conrado contra hæreticos, & ab ijsdem fœlici morte perempto, hæreticus quidam seductus à dæmonib. fratrem quendam ordinis prædicatorum ad hæresim inducere nitebatur, quem cũ videret instãtissime renitentẽ, dixit fratri: Pertinax valde es in fide tua nec tamen de hac nisi per scripta quædam aliquid certi inspexisti: Credere autem si velles dictis meis, Christum tibi & matrẽ eius ac Sanctos oculata fide monstrarẽ. Mox ille illusionẽ dæmonũ suspicatus, volens tandẽ probare quid esset: Non immerito, inquit, tibi nũc crederẽ, si promissa duceres ad effectũ. Gauisus hæreticus diem fratri statuit. Frater vero pixidem cum Sacramento corporis Christi clam secum sub cappa portauit. Duxit ergo fratrem hęreticus in specu cuiusdam montis in amplũ valde palatiũ, quod claritate mirabili relucebat. Nec mora vt in inferiorem partẽ palatij peruenerũt, viderunt, thronos positos quasi ex auro purissimo, in quib. Rex fulgore corusco circundatus erat, & iuxta eũ Regina sereno vultu pulcherrima, & ex vtraq; parte sedilia, in quibus seniores quasi Patriarchæ & velut Apostoli residebant, astante maxima multitudine Angelorum, & hi omnes luce siderea coruscabant, vt nihil minus quã dæmones putarentur. Hos mox vt vidit hæreticus cadẽs in faciem adorauit. Dictus autem frater immotus stetit, sed tanto spectaculo vehementer obstupuit. Et mox ad eum cõuersus hæreticus. Quare, inquit, filium Dei intuens non adoras? Pronus accedẽs adora quem vides, & ab ore eius fidei nostræ secreta suscipies: Tunc frater accedens propius extraxit pixidem, & obtulit Reginæ in solio residenti dicens, Si regina es Mater Christi, ecce filius tuus, quẽ si susceperis te Matrem Dei recognoscã, Cum hac protinus voce totum illud phãtasticum concilium euanescit, & annihilato fulgore tantæ sũnt tenebrę obortæ, vt vix frater cum ductore suo ad montis exitum

Cantip. lib. 2. c. 57. p. 23. de prop. apũ

Cantip. lib. 2. c. 5? p. 2 3. de prop. apũ

exitum egredi potuerint. Conuerſus ergo hæreticus ad fidem rediit, & mirã dæmonis aſtutiã ſtupefactus expauit. *Hæc ibi.*

4. QVANQVAM igitur iã non loquatur propheta, & pœne ceſſaſſe videantur omnia Dei miracula, mundusq; ipſe chariſmatibus diuinæ clementiæ videatur orbatus, ne tamen piarum atq; ſimplicium mentium fides vel deuotio circa Venerab. hoc Scramentum Corporis Chriſti flacceſcat aut vacillet, & in errores incidant, etiam vſq; in noſtram ætatem memoriam fecit Deus mirabilium ſuorum circa eſcam quam dedit timentibus ſe, & vſq; nunc tam ſtupenda mirandaque circa Sacramentum hoc prodigia fulgent, vt etiam perfidas animas Iudaicę plebis ſui fulgoris claritate reuerberet, innatãque hęreticis caliginem magis magiſque diſpellat, ſi modo prorſus obdurati nõ eſſent, & excæcati. Cæterũ vt prædictis aliud miraculũ adijciam. Contigit in quadã Bohemiæ ciuitate *Vratislauia* dicta, Teutonice Breſslau, quod dũ circũferretur Venerab. Sacramentũ, illudque à Catholicis paſſim ſumma cum veneratione adoraretur, Iudæi id conſpicientes cœperunt inuicẽ ſibi arridere & Chriſtianorũ ſimplicitatẽ ridere, qui eo ſtultitiæ deueniſſent, vt panẽ ab homine confectũ tanquam Deũ ſuum adorarẽt. Interea paucis elapſis diebus dũ quadam veſpera conuiuiũ quoddam inſtituiſſent, ad quod non pauci Iudæi conuenerant, communicato inuicem conſilio cuſtodem templi intempeſta nocte, erat enim hora quaſi*u* vndecima, ad ſe vocauerunt, eique dixerunt, Quid dabimus tibi vt hoſtiã quã adoratis tradas nobis: experiri enim volumus an verus ſit ibi Deus, & panis ille tranſmutatus ſit in verã carnẽ Chriſti. Stabat attonitus *hac* noua propoſitione cuſtos, interim dũ moras reſpondẽdi trahit ille, inſtãt iſti, & cupiditatẽ eius cõmouẽtes promittũt ei triginta aureos: Cõmunicato cũ vxore conſilio nam illã ſecum adduxerat cuſtos pactũ ſceleſtum init, ea tamen lege vt rem ſecretam ſeruarent. Placet conditio, numeratur pecunia, itur ad eccleſiã, traditur hoſtia Iudæo qui comitatus fuerat cuſtodem, cuſtos domũ redit, Iudæus cum ad ſuos rediiſſet, eleuato in ſublime corpore Chriſti, Hic eſt, inquit, panis ille quem Chriſtiani in carnẽ tranſiſſe dicunt: Videamus igitur nunc quid in eo lateat. Poſita eſt itaq; menſa, impoſitaque hoſtia, quam blaſphemauerunt, conſpuerunt, & cultris perforauerũt, & ſic rurſum filium Dei crucifixerunt. Cumq; hæc furioſe peragerẽt Iudæi, cœpit exiguæ molis hoſtia tam copioſe cruorẽ ſparſim per inciſiones effundere, vt per madentem ſanguine menſam hoſtiæ portiones hac illacque diffluerent. Quare perfida Iudæorum multitudo in clamorem concitata quidnam hoc eſſet miratur & obſtupeſcit. Ad clamorem autem eorum vigiles qui cuſtodiebant ciuitatem accurrunt, & iacto per rimas feneſtrarum viſu, rem vt facta erat didicerunt, & inſolitis clamoribus dormientes ciues excitauerunt: Qui cum quod factũ eſſet cognouiſſent, tota ciuitas commota & perturbata fuit, eoque concinens clerus & populus cum vexillis & accenſis procedit; quo cum perueniſſent, & Regem gloriæ in ſanguine effuſo fluitare conſpexiſſent, proni in terram corruunt eumq; graui iniuria offenſum ſaucii dolore placare contendunt: & à terra ſurgentes menſam ipſam cum corpore in ſanguine profluente ad Eccleſiam deferunt: vbi cũ debita veneratione collectis corporis partibus, & congeſto in vaſculum ſanguine menſam ipſam in publico loco omnibus viſendam ſuſpendũt, Iudæis interim quibuſdam ad fidem cõuerſis & ſacri baptiſmatis vnda renatis, plurimis vero in ſua perfidia permanentibus & flammis exuſtis. At vero cuſtos vt in nullo à magiſtro ſuo Iuda deuiaret, exterrens populum horrendis quibuſdã ac deſperatione plenis clamoribus, vna cum vxore ſceleris conſcia laqueo ſuſpenſus interiit. Hæc Collector ſpeculi.

5. HVIC SIMILE eſt & iſtud miraculũ ꝙ Bruxellis cõtigit *anno Domini* 1369. vbi Archi-

Digitized by Google

Archisynagogus quidam Iudæorum nomine Ioaathas, similiter triginta argenteis thecam seu ciborium quoddam emit, quo continebantur sedecim consecratæ hostiæ, quarum vna cæteris erat maior. Hāc thecam cum venerandis hostiis, dū ab improbo quodam custode sacelli Diu. Catherinæ oppidi Bruxellensis obtinuisset, easdem sacras hostias ad suæ fecis homines detulit, vt easdem contumelijs afficerent omnibus quibus possent modis. Ipso itaque die parasceues ij qui in vnum locum conuenerant Iudæi pugionibus & cultris easdem hostias transfixerunt & mox vbertim sanguis inde profluxit, non sine incredibili ipsorum perfidorum Iudæorum stupore, ita vt quidam tanquā cœlesti numine percussi velut mortui in terram corruerent & hoc portento consternati ab impijssimo scelere destitere, solliciti interim quomodo facinus hoc celarent, ne ad Principis & populi Christiani aures perueniret. Fœminā igitur aduocant Catherinam nomine, à Iudaismo ad catholicam fidē ante conuersam, hanc inducunt numerata certa pecuniæ summa, vt ciborium secum cum transfixis hostiis auferat facit licet aliquo modo inuita, sed paulo post conscientiæ stimulis agitata rem totam suo Pastori *Petro de Heda* dicto sub sigillo confessionis enarrat: Mandat ille vt ciborium cum hostiis ad se deferat: facit illa, mox ipse supplebanum D. Gudulæ ad se vocat, *Gerardum Spikermā* nomine, quid facto opus sit cōsulit. Interim facinus cæteris innotuit, & ad aures Ducis peruenit, qui habito examine flammis adiudicauit facinorosos Iudæos pridie Ascensionis Domini *Anno*. 1370.

Antoni. P. 3. tit. 14. cap. 3. 6. ALIVD MIRACVLVM refert *Antoninus in sua historia* qui sic ait Disputāte S. Antonio de Padua de veritate corporis Domini in Eucharistia, cum quodam hæretico in partibus Tolosanis, petiit hæreticus ab Antonio quē nouerat dono miraculorum celebrem esse, eiusmodi signū: Habeo, inquit, iumentum cui per integrū triduum pabulum non dabo: exacto triduo adsis tu cum sacramento tuo, ego adero cum iumento meo, atque ante illud hordeum effundam, si iumentum hordeo derelicto ad Sacramenti venerationem accesserit, credam. Factum est vt ille voluit, & triduo exacto S. Antonius turbis fidelium comitatus, & V. Sacramentum manu tenens sic iumentum alloquitur: In virtute & nomine creatoris tui, quem in manibus licet indignus veraciter teneo, tibi dico animal & præcipio, vt confestim venias humiliter modo tuo & ei reuerentiam exhibeas, vt ex hoc cognoscat hæretica prauitas quod omnis creatura subditur suo creatori, quem sacerdotalis dignitas iugiter tractat in altari. His verbis prolatis iumentum hordei ante se effusi & famis oblitum ad Sacramentum accurrit, & capite inclinato ac genibus curuatis, eo quo potuit modo Dominum adorauit, & hæreticum suum herum confudit.

7. ALIVD NARRAT miraculū *Tilmānus Bredenbacchius*, eius summa hæc est, *Anno Domini* inquit, 1561. die 8. Aprilis feria secunda Paschę tribus horis ante meridiē, Nouiomagi quod oppidū est in Geldria parochus quidam nomine Antonius Woltius completis Missarum solennijs, venerabile Sacramentum ad fœminam ægrotam de more Catholico deferebat. Casu accidit vt tempore eodē ad ianuam tabernæ iuxta quā parocho trāseundum erat, duo iuuenes consisterent, Nouiomagensis vnus, & Traiectensis alter, qui oua Paschalia in manibus habentes inter se contendebant vter celerius ouum deglutiret: Interea parocho propinquāte Traiectensis blasphemus & irrisor tanti mysterii, vt apparet hæreticus Caluinista sodali suo dixit se multo citius ouum suum deuoraturum, quam mulierculam Deastrum illum: Et continuo ouū in os iniecit, sed ouum in medio gutture constitit: & cum ille suffocari se sentiens vndique circumspiceret, vidit candelam sebaceam ex pariete dependentem, eaque arrepta & in os iniecta vt ouum detruderet, ita hæsit totum seuum in ouo, Lib 7 sacra. colla. cap. 60.

vt nu-

vt nudum filum seu stamen candelæ misci extraxerit: tum demum concidit in Æthiopis nigrediñe mutuato vultu elisoq; gutture expirauit: Repertum est autem postea ouum instar tuberis in altera parte gutturis, non in gutture vt par erat. Ita nimirum Christus non deastrum sed verum Deum se esse demonstrauit. Ad hæc & similia miracula non habent aliud quod respondeant hæretici, quam quod ea dicant ficta mendacia: sed pro more suo faciunt, si enim ea vera esse faterentur, veram esse & nostram doctrinam de venerabili sacramento fateri cogerentur, quia vera miracula nõ possunt esse falsæ doctrinæ testimonia, eo q̃ Deus non sit mendacii testis: Aut si ita manifesta sint vt negare nõ possint, cum Pharisæis Christi miracula impugnantib. prestigias dæmonũ esse dicũt.

III. Refelluntur hæreses exortę.

1. INTER ea mysteria quæ catholica fides nobis credenda proponit, quamuis omnia sint pari ratione credibilia, quia eidẽ primæ veritati reuelanti innituntur, ideo n. credimus quia ea Deus per apostolos aut propheras nobis reuelauit: quædã tamen sunt ad intelligendum magis difficilia, inter quæ altissimum hoc mysterium sacramenti corporis Christi cõputandum esse videtur. Nihil n. est quod ab hęreticis nostri temporis ita impugnatur atq; tremendum hoc & Venerabile sacramentum quod tanquam idolum quoddam abominantur & execrantur, eosq; qui illud venerantur & adorant idololatras vocare non verentur; verum hoc agunt vt quo illud supprimere & expugnare magis nituntur, hoc clarius emineat maiorìq; veneratione excipiatur: Nullũ est enim fidei dogma q̃ ita sedulo & serio & in scripturis sit per omnes Euangelistas descriptũ, aut diligentius à patrib. & conciliis discussum, aut pluribus miraculis confirmatum, quam hoc Eucharistiæ Sacramentũ. Ita vt prorsus sit incredibile Deum in re tãti momẽti, vnde tota salus nostra & religio dependet, permisisse Ecclesiam suam & tot sanctissimos iuxta ac doctissimos errare viros qui omnes si nõsit ibi verũ Christi corpus realiter & substãtialiter idololatræ fuerunt: Deumq; id patefecisse hominib. periuris, impuris, apostatis, hæreticis, & ab omni pietate alienis.

2. SED quid mirum eos in hoc diuino & altissimo mysterio hallucinari, cum nec in iis integri sint neq; synceri quæ rationi peruia sunt: *Si terrena dixi vobis*, ait Dominus, *& non creditis quomodo si dixero vobis cœlestia credetis?* *Terrena* hic vocat Dominus moralis philosophiæ documenta, quę portio quædam sunt diuinæ legis haud contemnenda, quæ terrena appellat Dominus, quoniam ad ea humanæ rationis lumen pertingere potest, quasi dicat: Si ea documenta quæ humanæ rationi sunt peruia, vt pote quæ contra auaritiã & diuitiarum cupiditatem, contra superbiam & animorum arrogantiam & similia vitia dixi non suscipitis, quomodo si dixero *cœlestia* quæ humanæ mentis facultatem superant credetis? qualia sunt hæc mysteria humanæ menti inaccessa & ad intelligendum difficilia. Quibus ratio credendi est consuetudo cernendi, incredibile videtur vt corpus Domini tantæ quantitatis sub hostia tam parua contineatur? Ex quib. & ego id rogare velim, quomodo per exiguum oculum videamus tam amplum cœlum; aut quomodo in paruo speculo reluceat domus tã magna? Quod si ratione humana Dei potentiã metiri velimus, & nihil credere nisi q̃ sensu cõprehendimus, certe nec Deũ ex nihilo hunc mundũ cõdidisse credemus, qũ sicut in altissimo Eucharistiæ mysterio, ita & in mũdi creatione nõ sit alia ratio facti, quam potentia seu omnipotẽtia facientis, *cui nõ est impossibile omne verbum.* Sicut igitur in principio dixit, *fiat lux & facta est lux.* Ita cũ diceret *Hoc est corp⁹ meũ*, realiter & substantialiter panis conuersus est in corpus Domini, sicut aquam mutauit in vinum. Et nequis in istiusmodi admirandis Dei operibus ad rationem confugiat humanã, dicit *Paulus se id accepisse* non ab homine per ratiocinationem humanam, aut sub- 1. Cor. 12.

tilem inquisitionem, sed *à Domino* per reuelationem, quæ certe non admodum necessaria fuisset si solum esset ibi nudum signum corporis Domini.

5. Ita *quidem* docuit olim *Berengarius* hæreticus anno Domini 1050. nimirum corpus Domini non esse in Eucharistia nisi vt res significata est in suo signo. Istũ errorem suscitauit *Zuinglius* an. 1525. qui refert in *libro quodam quem scripsit de Eucharistia*, sibi dormienti quẽdam astitisse, qui verum ater an albus fuerit, se nescire aiebat, sed eum sibi argumenta subministrasse, quib. populo persuaderet, *est*, pro *significat* sumi: Cumq; postridie verba ad populum faceret, eaq; argumenta protulisset, multos in suam sententiam pertraxisse. Hunc paulo post subsequutus est *Caluinus* qui asserit nõ ipsum corpus Christi ad nos appropinquare, sed quandã vim substantialem ex Christi carne ad nos deriuari per spiritum eius, ita vt non substantia carnis sed quædam virtus nobis donetur. Nam si solem conspicimus, inquit, radiis in terram emicantem ad generandos, fouendos, & vegetandos eius fœtus, suam quodammodo substantiã ad eam traiicere, cur inferior spiritus Christi esset irradiatio ad cõmunionem carnis & sanguinis eius in nos traducendam: Interim ingenue confiteor, inquir, mixturam carnis Christi cum anima nostra, vel trãsfusionem, qualis ab ipsis docetur, Catholicos intelligit, me repudiare, quia nobis sufficit Christum è carnis substantia vitã in animas nostras spirare, imo propriam in nos vitam diffundere, quamuis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro. *Hæc Caluinus* qui certe §.10. contrarium omnino videtur asserere, vbi sic habet, etsi autẽ incredibile videatur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis fit in cibum: meminerimus quã tum supra omnes sensus nostros emineat arcana spiritus sancti virtus, & quam stultum sit eius immẽsitatẽ modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non cõprehendit, concipiat fides, spiritum vere vnire quę locis disiuncta sunt Hic videris *Caluinus* ipse an sibi non sit contrarius: sed parum refert quid *Caluinus* dicat vel sentiat, modo de veritate constet. Hoc sciat *Caluinus* in quo hallucinatus videtur vt habeam' & comedamus verã Christi carnem nõ esse opus vt Christus de cœlo descendat, sed manente illo saluo in cœlo, verti quotidie panẽ in corp' ei', & eo modo à multis manducari, & absumi dũ species consumuntur, ita vt Christi corpus desinat ibi esse, postquam species fuerint virtute natũq; absumptę. sic *Greg. Nyssen'*.

Lib. 4. inst. c. 17. §. 12.

Greg. Nys. in orat. ca. .36. & 37.

4. Lutherus vero omnium hæreticorũ nostri temporis antesignanus, præsentiã t . & corporis Dominici quidem agnoscit, sed simul cũ panis substantia coniuncti, idq; eo duntaxat tẽpore quo corpus ipsum sumitur, non autem dum in pixide seruatur: Vnde nec ad ægrotos deferri, nec in processione circũferri aut adorari volunt Lutheri discipuli. Hanc doctrinam falsam esse patet ex veteri Ecclesiæ cõsuetudine: Iustinus enim martyr in apologia secũda prope finem, scribit post sacra peracta in Ecclesia dari consueuisse Eucharistiã diaconis deferendam ad absentes fratres qui aliqua de causa impediti interesse nõ poterant mysteriorum celebrationi. *Tertull.* quoq; testatur consueuisse suo tẽpore deferre Christianos Eucharistiã ad suas domos vt ibi eam oportuno tempore sumerent, Non sciat, ait, maritus quid in occulto ante omnẽ cibum sumas. Et *Cyprianus in sermone de lapsis* sic ait, loquens de Eucharistia, Mulier quædam cum arcam suam in qua sanctum Domini fuerat, indignis manib. tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est. Scribit & *Eusebius* Serapionẽ quendam in extremis agẽtem misisse puerum ad presbyterum vt ad se veniret cũ sacramẽto Eucharistiæ, sed presbyterum tunc non potuisse ad se venire sed misisse per eundẽ pueiũ particulã Eucharistiæ. Ex quo loco aperte constat morem fuisse asseruandi Eucharistiam propter ægrotos. *Ambrosius* quoq; in oratione de obitu Satyri fratris sui scribit eum in

Tertul. li. 2. ad vxo.

Euseb. lib. 6. c. 36. Ec. hist.

Amb. c. 7.

orario inuolutam Eucharistiæ particulã suspẽdisse ad collum suũ in periculo naufragii, & eo auxilio fretum se deiecisse in mare ac liberum ad littus euasisse: acceperat autem eam teste *Ambrosio* à Christianis qui erant in naui, cũ n. catechumenus esset Satyrus, non licuit ei aut sumere aut etiã videre. *Hæc Ambro.* Hic mos deferẽdi secum domum sublatus est postea propter abusum. *Vt patet in con. Toletano. can.* 14.

5. FVIT & alius quidam hæreticus *Petrus Bruis* circa annum Domini 1140. qui asserebat semel tantum, nimirum in vltima cœna Christi corpus vere consecratum & apostolis datũ sub specie panis: Deinceps autem meram deceptionem, quod sacerdotum ministerio dicitur aut creditur Verum cum Christus hoc sacramentum perdurare voluerit donec veniret, vt *Paulus* ait, hoc est, vsq; ad finem seculi, ideo nõ 1. Cor. 11.
solum ipse consecrauit, hoc est, panẽ in suum corpus conuertit, sed etiam apostolis eorumq; successorib. potestatem id faciẽdi communicauit, cum diceret, *Hoc facite in meam commemrationẽ.* Magna Dei nostri dignatio, vt non solum homini mortali hanc talem potestatem donare voluerit, qualem nec ipsis angelis concessit, verum etiã redemptos suos ad nouum testamentum, hoc est, ad gratiam & gloriam, hæreditatemq; nostris peccatis deperditam sanguine suo reduxerit, *Hic calix nouum testamentum est*, ait, *in meo sanguine.*

6. PVTANT hæretici contradictionem implicare vnum idemq; corpus in diuersis locis esse quia, inquiunt, tũc simul posset idem corpus & moueri & quiescere, & sursum & deorsum esse & calidũ simul & frigidum esse, & vulneratum & integrum esse, vt si hic ponatur in igne, & alibi in glacie. Rursum fieri nõ posse aiunt corpus esse & locum non occupare, quia tunc, ait *Caluinus*, corpus modo careret & specie. Ecce quã infirmis argumentis diuina impugnetur omnipotentia. Certe essentialis vnitas rei neq; à loco neque à loci vnitate dependet, sed ab internis suis principiis, quæ vna eademq; sunt, etiãsi corpus in diuersis locis existat, sicut vna eadẽq; anima est quæ in capite, manib. & pedib. est, quæ simul sursum est & deorsum, si loca respicias, quæ simul potest quiescere, & moueri per accidens, vt si pes moueatur & caput quiescat, quæ simul est in toto & tota in singulis partibus, vt etiã si vna pars lædatur, ipsa tamen illæsa permaneat. Cum igit̃ iuxta *concilium Tridentinũ* corpus Domini Conc. Tri
substantialiter contineatur sub specieb. sess. 13. c. 6.
panis & vini, eo modo quo anima continetur in corpore non mirum si corpus Christi quamuis quantitatem suam habeat & pars corporis eius extra partẽ existat, neq; enim modo aut specie caret, locum tamẽ non occupat, quia esse in loco corpori accidit eiq; externum est. & ideo potest ab eo separari. sicut corpori claro accidit videri, q̄ potest esse clarũ & nõ videri, vt patet in corpore Christi post resurrectionem. Nec iam vlla potest fieri mutatio in corpore Christi.

PARS II.

Nisi manducaueritis carnem Filii hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Ioan. 6.

Summa articulorum II. Partis.

I. *De institutione Festi venerabilis Sacramenti.*

II. *Digne sumentibus vitam, indigne manducantibus mortem adfert hoc Sacratum.*

III. *Quomodo sub tam parua hostia possit esse corpus Christi.*

HISTORIA institutionis huius Festi V. Sacramenti, conscripta per R. D. *Ioannem Blerum Diestemium* monasterii I. De institutione
S. Iacob. Leodiensis Priorem, habet quod V. Sacramenti.
circa *annum Domini* 1230. in episcopatu Leodiensi iuxta ciuitatem Leodiensem in hospitali leprosorũ, q̄ vulgo locus Cornelii montis dicitur, fuerit virgo quędã Iuliana

na nomine, omni virtutum genere decora quæ spiritu prophetico illustrata & per mentis excessū sæpius rapta, fulgebat miraculis, luctabatur cum dæmonibus, & loquebatur cum apostolis. Hæc cū orationibus suis intentata esset crebro vidit lunam quasi in suo splendore, cū aliquāta tamen sui orbicularis corporis fractione: Et videns timebat simul & mirabatur nesciēs quid hoc signum sibi vellet aut quid significaret: Vnde precib. suis nitebatur quantum poterat hoc a se amouere; sed nō valuit: cūq; id non posset, cœpit cogitare ne forte mysterium aliquod in præfato signo lateret: Tum didicit diuino responso significari in luna præsentē Ecclesiā & in eius fractione defectū vnius solennitatis, quam Deus voluit in Ecclesia celebrari ad augmentum sacræ fidei. Accepit proinde præceptum cœlitus vt hanc solennitatem introduci in Ecclesiam curaret, & mundo celebrandam nunciaret. Illa memor conditionis & humilitatis suæ respondit, obsecro Domine ne mihi arduum hoc negotium imponas sed curā hanc clericis committe, Cui Dominus, per te omnino oportet id inchoari & deinceps per personas humiles pmoueri. At illa nec sic acquiescens respondit, Excita ad id Domine viros eruditos, & me abiectā ancillā tuam dimitte: Sed cœlitus pro responso sibi dici audiuit: *Confiteor tibi pater quia hæc abscondisti à sapientib. & reuelasti ea paruulis.*

2. IGITVR Iuliana Christi ancilla humilis à tempore prædictæ visionis per cursū viginti annorum precibus & gemitibus institit apud Deum vt alteri personæ præfatum negotium committere vellet. Verū quo ipsa magis se tanto negotio indignam asserebat, eo plus, humilitatis amor hanc dignam iudicauit. Acquiescens igitur tandem virgo sancta totum ordinem præfatę visionis & commissionis Domino *Ioanni de Lansenna Canonico S. Martini in Leodio*, quem pro suæ sanctitatis eminentia in summa veneratione habebat, patefecit, rogans vt de his omnib. ageret cum iis qui clauem scientiæ in Dei ecclesia tenent obtemperat ille & cuncta proponit Domino *Iacobo de Trecis*, tunc temporis Archidiacono Ecclesiæ Leodiensis, viro fideli & docto, qui pro eruditionis & vitæ eminentia postmodum factus est Episcopus Verdunensis, de hinc Patriarcha Hierosolymitanus, demum vniuersalis Ecclesiæ Pontifex electus dictus *Vrbanus quartus*. Proposuit etiā præfatus Ioannes duobus aliis, qui tum Leodii vitæ sanctitate, & scientia eminebant, Domino *Hugoni* prouinciali ordinis prædicatorum, postea Cardinali, & Domino *Guyardo* Cameracensi Præsuli: Proposuit insuper Cancellario Parisiensi, lectoribusq; Prædicatorum, & multis aliis vita & scientia claris: Qui omnes auditis & diligenter examinatis prædictis reuelationib. vno spiritu pronunciarunt efficacem rationē in lege diuina inueniri non posse, quare festiuitas prænominata fieri non deberet. insuper & dignissimū fore & ad Dei honorē cedere, & ad pfectū gratiamq; electorum asserebant, si memoriam institutionis tanti sacramenti solennius ac specialius singulis annis mater Ecclesia celebraret. Quorum sentētiarum cōformitatē cū Christi virgo cognouisset, gratias egit Deo q̃ voluntatis suæ responsum in tantorum virorum ore conformi reposuisset.

3. VERVM cum ancilla Christi Iuliana huius nouæ solennitatis instituendæ auctrix haberi nollet, quandā Beguinam Huentē sanctitatis nomine percelebrē ad se vocari fecit, quā vt cognouit in multis diuinitus illuminatā, quæsiuit ab eadē an quid arcani cœlestis de institutione nouæ solennitatis agnouisset, & didicit q̃ ea de re *Isabella* prædicta Beguina nihil resciuisset. Nihilomin⁹ multis precib. Isabella hæc apud Deū institit, vt hac in re suas tenebras illuminare vellet, eaq; de causa quādā virginē Deo cōsecratā Euā nomine reclusā S. Martini in Leodio adiuit, & intrās in Ecclesiā primum ante crucifixum se pstrauit, vbi mox in spiritu rapta docet̃ cœlitus, q̃ hæc specialis diuinæ Eucharistiæ festiuitas sēper fuerit in secreto summæ Trini-

Digitized by Google

Trinitatis, quodq; iā tēp' aduenerat, quo hominibus palam id declarari deberet ad confirmandam Ecclesię militantis fidem. Hac beatifica visione virgo Isabella exhilarata decreuit vt deinceps collaboraret pro hac solēnitate instituēda, etiā si totus mundus obsisteret. Audiuit hoc Iuliana virgo & exultauit in spiritu, quod & alia testis diuinę reuelationis pro noua solennitate instituenda inuenta esset. Et sic factum est vt deinceps hæ duæ sāctæ mulieres audētius & familiarius super hac noua solennitate instituenda adinuicē sæpe conferrent. Post hæc virgo Iuliana cupiēs cōponi officiū de ipsa solennitate, cum nō haberet ad manū viros doctos, à quib. id agi deposceret, elegit humilem suę domus clericum parum literatum, quem rogauit vt opus hoc aggrederetur. Renititur prorsus ille quòd & ætate iuuenis, & in sacrarum literarum eruditione pusillus esset. Tandem tamē post multū renisum victus auctoritate virginis hac cōditione assensum præbuit, vt quoties ille adscribendū se daret, illa orationi vacans pro eo Dei clemētiā inuocaret. Itaq; intra paucos dies totū officium completum est, & tanta suauitate verborum, atque dulcedine cantus resonabat, vt etiam ex lapideis cordibus deuotionē extorquere posse videretur. Hoc tamen officium à prædicto clerico compositum & à Iuliana correctum antequam in publicum daretur, præfatis magnis Theologis ad corrigendum exhibitū est quorum omnium vox vna respōdentium fuit. Opus hoc non ab homine, sed à patre luminum descendisse videtur.

4. IN TERREA diuulgatum est verbum de instituenda noua solennitate V. Sacramēti per totā Leodiēsem diœcesin multis contradicentibus & impedire conantibus, qui aiebant: Nōne huius sacramenti solennitas in missarum solemniis quotidie recensetur? Verum R. D. *Hugo* sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter Cardinalis dignissimus & vir doctissimus, vnica epistola omnium aduersantium rationes valide elisit, & tam verbo quam scripto palā coram omni populo hanc solennitatem Deo gratam & Ecclesiæ vtilem fore luculento sermone declarauit. Quibus de causis B. Pater *D. Robertus* Leodiensis antistes in generali synodo solenni edicto decreuit ipsam solennitatem per omnes suæ diœcesios Ecclesias cum proprio officio à clero celebrari, atque in ea ab omni opere seruili debere feriari. Sed morte præuentus obedientiam subditorum obtinere nō potuit. Nam sola B. Martini Ecclesia hanc iussionem cæteris omnibus dissimulantibus adimpleuit. In qua quidem S. Martini Ecclesia habitauit tempore illo, vt dictum est, Sanctimonialis illa fœmina nomine Eua angelicam ducens vitam, quam prædicta Iuliana instruxerat & Domino per Euangelicum genuerat, propter quod & crebro ad eam veniebat, & de secretis cœlestibus cum ea conferebat. Quæ Eua pro vitæ suæ merito tantam apud Canonicos præfatæ S. Martini Ecclesiæ meruerat gratiam, vt ad eius instantiam solennitatem nouam de V. Sacramento primi celebrandam susciperent, multis interim contradicentibus.

5. IN DIEBVS illis missus est à latere summi Pōtificis ad Alemaniam Dominus *Hugo* Cardinalis Prædicatorum prouincialis, qui post peragratas Alemaniæ prouincias etiam Leodiū venit. Quo iubente diuulgatum est per totam illam ciuitatē quod is qui aduenerat Cardinalis apud Sanctum Martinum celebraturus sacra & sermonem facturus esset de Festo Venerabilis Sacramenti. Quo, cum magna aduenisset hominum multitudo, & ipse Cardinalis terra Missarum solennia in editiori loco, apostolico eloquio concionatus ad astantem fidelium populum de multiplici fructu nouæ solennitatis esset, vt per singulos annos hoc festum celebraretur, instanter admonuit & diligenter instituit, & apostolica authoritate præcepit. Tū maioris Ecclesiæ Canonici ad Cardinalis exhortationem atque præceptum, quamdiu ipse Cardinalis in iis partibus egit, prefatā solennitatē in sua Ecclesia celebrauerūt.

verum id non tam ex deuotione & obedientia quam ex simulatione, vel timore, vt exitus probauit, fecisse videntur. Siquidem vbi Cardinalis sese in vrbem recepisset, præfati Canonici ipsam solennitatem fieri prohibuerunt, sed vt apparet non impune. Nam breui è vita plerique ita sunt erepti vt eorum interitus laicis verteretur in prouerbium. His tamen non obstantibus S. Martini Ecclesia à concepta deuotione non recessit: Quinimo Canonicus quidam notabilem annuum cēsum ex suo patrimonio pro hac solennitate singulis annis perpetuo celebrāda ad instar paschalis festi cum proprio officio & decenti luminari suæ ecclesiæ, delegauit. Alius etiam Canonicus ad extrema vitæ vergēs suæ domus medietatē contulit in eū finē vt cum plena octaua præfata solennitas singulis annis ageretur. Prædicta autē Eua quanquam plurimum gauderet super deuotione Ecclesiæ suæ, male tamen eam habebat, quod aliæ Ecclesię ab hac deuotione se redderent alienas: Et vehemēter metuebat ne fluxu temporis conceptæ solennitatis memoriam obliuio deleret. Cui Iuliana: Ne timeas, inquit, quia confirmabit hoc opus suum Dominus, & solennitas hæc per omnes Ecclesias ad profectū omnium electorum exaltabitur: Verum humani generis aduersarius conabitur ex aduerso, sed perficiet nihil.

6. MORTVO autem iam R. D. Roberto Leodiēsi præsule, beata Iuliana incidit in varias tribulationes, & peregrina obiit in domo Cantoris Fossensis *anno* 1257. in Aprili, & in monasterio Villariensi sepelitur. Vnde factū est vt nulla Ecclesia præter S. Martini præfatam solennitatem celebrare curauerit. Verum quandoquidem vti B. Iuliana dicere sæpe consueuerat, hæc solennitas fuerat in abscondito consilio summæ Trinitatis ita præconcepta, vt eam ad effectum perducere decreuisset, placuit altissimo illis diebus manifestum signum facere, quo solennitas huius festi V. Sacramenti certius promoueretur & institueretur. Nam contigit quod sacerdos quidam veniens Bolsenam, (quod est oppidum non longe distans ab vrbe veteri, in qua Papa *Vrbanus quartus* tunc cum curia residebat) dum celebraret Missam, inter verba consecrationis dubius in fide viderit carneis oculis hostiā & de ea sanguinem fluere in calicem. Quo signo viso territus, dū conaretur occultare & cooperire, mox eadem forma etiam in ipso corporali ac variis eius partibus apparuit: Et ita coactus est populo assistenti miraculum hoc patefacere, quod deinceps ad apostolicæ sedis Præsulis ac curiæ ipsius notitiam deuenit. Mirante autem curia, per Pontificem summum, qui necdum obliuioni tradiderat quæ Leodii approbauerat, dum adhuc apud S. Lambertum resideret, interueniente consilio & assensu Dominorum Cardinalium, deliberatum est, quod festum corporis Christi per vniuersam Ecclesiam semel in anno solenniter, feria quinta post octauas Pentecostes in toto terrarū orbe celebraretur. Et vocato *B. Thoma de Aquino*, qui tum præsens aderat, præceptum iniunctū fuit ei, vt officium de tali festo secundum vsum omnium Ecclesiarum componeret. *Thomas* autem diuinarum armarium scripturarum præceptum hoc libenter acceptauit & fœliciter compleuit. In cuius rei testimonium in foribus Ecclesiæ Bolsenæ depictum est miraculum sacerdotis celebrantis, depictus est & B. Thomas sedens & scribens tanquam Doctor in cathedra circunstante curia huius festi V. Sacramenti officium dictans. Depictus est etiam crucifixus alloquens S. Thomā coram se super genua adorantem, dicens, Bene de me scripsisti Thoma.

7. PAPA vero *Vrbanus quartus* volens præfatam deliberationem ad effectū perducere, plures decretales desuper cōfecit, & ad Præsules Ecclesiarum totius orbis destinauit, & recordans sanctæ diuinæque reuelationis, atque instantiarum sanctarum mulierum, de quibus Leodii multa viderat & audierat, accersitis clericis qui tum de Leodio ad curiam venerant,

tam, intellexit D. Euam adhuc apud S. Martinum viuere, & cum magno desiderio super instituenda solennitate Dominum continuis exorare precibus: Iulianam vero diuersis angustiis & persequutionibus iniquorum hominum Leodium reliquisse, atque in partibus Namburcensibus peregrinari. Quapropter Papa *Vrbanus* Euæ transmisit epistolam in qua declarat suas preces apud Deum esse exauditas. Exemplum autem epistolæ erat tale: Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei dilectæ in Christo filiæ Euæ reclusæ S. Martini Leodiensis S. & apostolicam benedictionem. Scimus ô filia q̃ magno desiderio desiderauit anima tua vt solenne festum sacratissimi corporis D. N. Iesu Christi institueretur in Ecclesia Dei, à Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum, & ideo tibi significamus ad gaudiũ, quod nos ad corroborationem catholicæ fidei digne duximus & statuimus, vt de tam mirabili sacramẽto præter quotidianã cõmemorationẽ, quã de ipso Ecclesia facit, specialior & solénior memoria celebretur, certum ad hoc designãtes diem, videlicet feriam quintã proximam post octauas festi Pentecostes proxime sequentis. Vt in ipsa feria quinta deuotæ fideliũ turmæ propter hoc ad Ecclesias affectuose concurrant, sitque dies illa vniuersis Christi fidelibus noua festiuitate iucunda, & ampla iucunditate festiua, prout in literis nostris apostolicis, quas per vniuersum orbẽ super hoc direximus, plenius continetur. Et scias quod nos huiusmodi festum cum omnibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnon cum omnibus Archiepiscopis & Episcopis, cæterisq; Ecclesiarum prælatis tũc apud Apostolicã sedem commorantibus, ad hoc vt videntibus & audientib. de tãti festi celebritate salubre præberetur exemplũ, duximus cœlebrãdum. Lætare igitur quia omnipotens Deus tribuit tibi desideriũ cordis tui. Et quia quaternũ, in quo totũ habetur ipsius festi officium, tibi sub bulla nostra, præsentium latorem destinamus, volumus & apostolico scripto tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cũ deuotione recipias & eius copiam personis illam petentibus tribuas: Et instes, deuotis supplicationib. apud illum, qui memoriale tam salutiferũ de seipso reliquit in terris, vt nobis tribuat ex alto gratiam, commissam nostro regimini Ecclesiam suã regendi vtiliter ad laudem & gloriam nominis sui, & salubriter gubernandi. Datum apud vrbem veterem sexto Idus Septem. Pontificatus nostri anno quarto, Christi 1264.

8. VERVM quanquam apostolica mandata ad omnes Ecclesias directa fuissent, super celebrãda noua de V. Sacramẽto solennitate, omnes tamẽ Ecclesiæ obedire dissimulauerunt præter Ecclesiam Leodiensem, quę vbi apostolicum nunciũ cum bullis, decretalibus & officio apportatis honorifice suscepit, tanquam deuota filia mox quã celerrime obediuit, reiecto officio quod Iuliana virgo fieri curauerat, vtens illo officio quod Thomas Aquinas confecerat. Itaque ab aduentu præfatarũ bullarum tota & sola Leodiensis diœcesis præfatam solẽnitatem singulis celebrauit annis vsque ad tempora *D. Ioannis Papæ* 22. qui vixit anno Domini 1315. qui omnes constitutiones Clementis publicauit & ad vniuersalia studia transmisit. Et vltra illas ordinationes Vrbani quarti Clementinis constitutionibus insertas, nouas indulgentias concessit atque processionem ordinauit. Ex tunc igitur & deinceps solẽnitas hæc per totius orbis Ecclesias deuotissime acceptata est ad honorẽ Dei & Venerabilis sacramenti. Sed posset aliquis quærere: Cum dicatur in superioribus quod ante tempus D. *Ioannis Papæ* 22. nullibi sit celebratum festum Venerabilis Sacramenti præterquam in diœcesi Leodiensi, quomodo nõ saltem in Romana Ecclesia solennizabatur, cum id Papa de consensu Cardinalium mandasset? Respondetur quod Papa *Vrbanus quartus* in Pontificatu apostolico sedit dũtaxat annis tribus integris, mense vno, diebus septem

pté & epistola missa Dominæ Euæ scripta est anno quarto sui Pontificatus, *sexto Idus Septembris*, ac per hoc in fine vitæ eius. Et sic eo mortuo, omnis eius iussio mortua cum eo videbatur, cum executio nulla ante eius obitum facta fuisset. Eodē modo factum fuit in diœcesi Leodiensi: Nā quanquam *Robertus* Leodiensium præsul in synodo vniuersali decreto præcepisset hoc festum debere ab omnibus subditis suis celebrari, quia tamen morte præuentus fuit antequam festum Pentecostale adueniret, nulla Ecclesia præter S. Martini obedire curauit. *Hæc ibi.* Et sic subscriptū in Originali. *Datum anno Domini* 1496. *in Aprili, in monasterio S. Iacobi Leodiensis.*

II. Digne sumentibus vitam, indigne mãducantib. mortem affert hoc Sacramētum. Basili. ho. 1. de bap. Chrysf. ho 83. in Math.

1. QVI per baptismum regeneratus est, inquit *Basili.* participatione deinceps diuinorum mysteriorũ nutriri debet, cibo nimirum illo de quo scriptũ est, *caro mea vere est cibus* non qui ventrem sed qui mentem satiat & implet. Quis pastor vnquam membris propriis oues suas nutriuit? inquit *Chrysost.* Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes alēdos dederunt, quod ipsæ facere aut non possint aut nolint: verum Christus id facere noluit, sed fideles suos quos per baptismum genuit, proprio corpore alit sibique venit atque coniungit. Tanta igitur caritate & honore affecti non torpeamus, sed magno animi desiderio accedamus. Non videtis quanta infantes alacritate mamillas arripiunt, qua pressione papillis labia infigunt? Non minore cupiditate nos quoq; ad hanc mensã, & ad huius calicis spiritualē accedamus papillam, vt quasi lactentes pueri gratiã spiritus sugamus. Nã vt cibus corporeus vitæ corporali conseruandæ est necessarius, ita Eucharistia vitæ spirituali. Quanquam enim homo per confessionis sacramentum, & peccatorum veniam, & vitã spiritualē & salutē cõsequatur, adeo tamen anima remanet imbecillis vt certum relabendi periculũ sit incursura, nisi hoc cibo spirituali confortetur, qui non ventrē sed mentem nutrit & confortat, præsertim si magno appetitu & amore sumatur. Quod si viris tabernaculi Iob dicere licuit, Iob. 31. Quis det de carnib. eius vt saturemur? quia nimirum ita erant affecti homini huic inquit *Chrys.* vt illum si fieri potuisset intra viscera recondere voluissent, vt gratitudinem proderent cunctis & beneuolentiam erga illum, idque ob varia beneficia ab illo accepta: quanto magis Christo Domino talem affectum exhibere oportet vt eum intra nos recondamus, cũ multo sint maiora bona quæ ab eo percepimus. Hinc in primitiua Ecclesia fideles quotidie cõmunicabant, teste *Thoma*, ita vt *Anacletus Papa*, statuerit quod omnes consecratione peracta communicarent, qui autem noluerint, inquit, ecclesiasticis careant luminib. *Et Dionysius* Pauli discipulus refert quod tempore suo omnes quotquot sacris intererant, pane hoc cœlesti reficiebantur, exceptis catechumenis, Energumenis, & publice pœnitentibus.

Tho. 3. par. q. 10. ar. 10. de Consecr. dist. 2. cap. peract.

2. ET HIERONY. sic ait, Scio Romæ hanc esse consuetudinem, vt fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo nec probo, vnusquisq; enim in suo sensu abundat, sed ipsorum conscientiam conuenio qui eodem die post coitũ & consortium carnale cõmunicant. Probet se vnusquisq; & sic ad Christi corpus, accedat, hoc est, probatum & purũ se exhibeat, non solum per peccatorum ablutionem quæ fit lachrymis & pœnitentia, verumetiam per gratiarum infusionem & bonorum operum opulentiam: Nõ quod dilatæ communionis vnus dies aut biduũ sanctiorem efficiat Christianum, inquit, vt quod hodie non merui, cras vel perendie merear, sed quod dum doleo me non communicasse corpori Christi, abstineam me paulisper ab vxoris amplexu. Panes propositionis ex lege nõ poterat comedere Dauid, neque socij eius: nisi de triduo mũdos se à mulierib. respõdissēt, nõ vtiq; meretricibus, quod dãnabatur à lege, sed ab vxoribus quibus licite iungebãtur: Populum

Hieron. Tom. 2. cont. Iouinian.

Digitized by Google

pulum quoque quando accepturus erat legem in monte Sinày, tribus diebus iuſſum eſſe ab vxoribus abſtinere legimus. *Exod.* 19. Cui conforme eſt quod *Chryſoſt.* ait. Plurimi ex hoc ſacrificio ſemel accipiunt in toto anno, alii bis, alii ſæpius. Ad omnes ergo nobis ſermo eſt, non ad eos qui hic ſunt tantum, ſed etiam ad eos qui in eremo ſedent, illi enim ſemel in anno participãtur, fortaſſis & poſt duos ánnos. Quos magis acceptamus & approbamus? eoſne qui ſemel, an eos qui ſæpius, an illos qui raro accipiunt? neque illos qui ſemel, neque qui ſæpius, neq; qui raro: ſed eos qui cum munda conſcientia & vita irreprehenſibili accedunt; Iſti ſemper accedũt: Qui vero tales non ſunt, neque ſemel accedant, quia iudicium ſibi accipiunt & damnationem & ſupplicium. Dic mihi rogo, poſt annum percipis cõmunionem, & quadraginta dies putas tibi ſufficere ad emundationem peccatorum totius temporis? Et iterum ſeptimana trãſeunte trades teipſum ſordibus primis? Dic enim mihi, Si ſaluus factus quadraginta diebus ab ægritudine longa, iterum te illis noxiis cibis tradas, nonne & primum laborẽ perdes? Sanctis hæc ſancta conceſſa ſunt. Hoc etiã diaconus inſinuat in illa hora Sanctos vocans ad cõmunionem & dicens, Sanctis ſancta. q. d. Si quis non eſt ſanctus, non accedat. *Chryſoſt.*

Chryſ. hom. 17. in epiſt. ad Hebr.

3. VERVM oportet accedẽtem ad corpus & ſanguinem Domini nõ ſolum purum eſſe ab inquinamento carnis & ſpiritus, ne ad iudicium edat & bibat, ſed etiam in vita oſtendere memoriam eius qui pro nobis mortuus eſt, in eo quod & mortificatus eſt peccato, mundo, ac ſibipſi, & Deo viuit, inquit *Baſil. Qui vero indigne manducat, iudicium ſibi manducat,* inquit *Paulus,* hoc eſt, idem ſupplicium habebit, teſte *Chryſoſto*, non propter cibi qualitatem, ſed propter ſumentis malam voluntatem, quod qui eum clauis cruci affixerunt, quia non diiudicat corpus Domini, hoc eſt, inquit *Chryſoſt.* quia non inueſtigat, non conſiderat vt oportet muneris magnitudinem. Quanto enim maius beneficium accepimus, tanto magis puniemur ſi eo indigni apparebimus. Non eſt ita malum dæmoniacos intra Eccleſiam eſſe, inquit idem, ſicut qui peccati ſibi conſcius indigne accedit: Chriſtum enim conculcat, & ſanguinem pollutum ducit, & ſpiritui gratiæ contumeliam facit: Interim ſecurus accedit, gehennam contemnit, iudicium Dei paruipendit, & commonentem Eccleſiam deſpicit: & communicare non timet corpori Chriſti, accedens ad Euchariſtiam quaſi mundus & purus, quaſi nihil in eo ſit indignum, & in his omnibus putat quod effugiet iudicium Dei. Hæc autem non dico, ne accedamus, ſed ne temere accedamus. *Hæc Chryſo.*

Baſil. Hom. 1. de Bap. 1. Cor. 11. Chryſo. hom. 83. in Matth. & hom. 45. in Ioa. & hom. 28. in 1. ad Cor.

4. IN CASV primi hominis cecidimus omnes: cecidimus autem ſuper aceruum lapidum & in lutum inquit *Bernard.* Vnde non ſolum inquinati, ſed etiam vulnerati & grauiter quaſſati ſumus. Lauari quidem cito poſſumus, ad ſanandum vero opus eſt curatione multa. Lauamur igitur in baptiſmo quia deletur chirographum damnationis noſtræ, atque ita tanquam ſanies inueterati vlceris remouetur concupiſcentia ne noceat, ſi tamen à conſenſu abſtineamus. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritũ huius hulceris ferre? Confidite quia & in hoc gratia ſubuenit, & vt ſecuri ſitis, ſacramenti dominici corporis & ſanguinis pretioſi inueſtituram habetis. Duo enim ſacramentum illud operatur in nobis, vt videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus ſacramẽti operatur in eo, & gaudeat quod peſſimum hulcus accedat ad ſanitatem: Qui vulnus habet medicinam requirit: vulnus eſt quia ſub peccato ſumus: medicina eſt cœleſte & venerabile ſacramentum. Et quo-

Bernard. ſerm. in cœna Domini

quotieſcumque offertur ſacrificiũ: mors Domini ſignificatur, qua vita donatur & natura ſanatur *Hæc Bernar.*

III. Quomodo ſub tã parua hoſtia poſſit eſſe corpus Chriſti.

1. Contendere ſcire quomodo ſub tam parua hoſtia cõtineri poſſit corpus tantæ quantitatis, extremæ eſt inſaniæ, quia tota ratio facti eſt potentia facientis: nec hic aliam fidei noſtræ oportet adferre rationem, quam quia *nõ eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Propheta *Dauid* cũ immenſam diuinæ potentiæ ac ſapientiæ vaſtitatẽ intueretur, vertigine quaſi capitis ſtupeſcit, inquit *Chryſ.* de incomprehenſibili Dei natura, & ſummo cum timore demirans recedit atque exclamat *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es.* Vide modeſtiam famuli, nota animi gratitudinem, Gratias inquit propterea ago tibi, quod te Dominum habeo incomprehenſibilem. Et quia omnia eius incomprehenſibilia ſunt, ideo ex parte duntaxat cognoſcimus. Non tamen ita ex parte, inquit, vt partem ſubſtantiæ nouerit & partem ignoret, cum Deus natura ſimpliciſſima ſit: ſed quia Deum potentem & ſapientem eſſe certo ſcit, quanta autem ſit potentia & ſapientia, neſcit, & quæ ſit eius magnitudo intelligere non valet. Hac de cauſa ex parte cognoſcimus; quod Deus vbique ſit ſcimus, ſed quomodo id fiat, neſcimus inquit *Chryſo.* quod Chriſtus ſit in Euchariſtia, ſcimus, ſed quomodo ibi ſit, neſcimus. Vides cœlum hoc quã amplum, quã pulchrum, quam magnificum, quã vario ſtellarum ſplendore ornatũ, & quantum temporis iam edurauerit, nec tamen longo temporis ſpatio effectum eſt vt quam principio ſortitum eſt pulchritudinẽ eandem vlla ex parte imminutam ſentiamus. Attamen hoc pulcherrimum opus Deus, quaſi quis per ludum tuguriũ faceret, ita ſumma cum facilitate creauit: & hanc tãtam terræ molem quæ tot montium moles, tot hominũ millia, tot quadrupedum & animalium genera, tot arborum ſpecies dorſo ſuo ſuſtinet. Et hanc talem tantamque molem Deus adeo facile condidit, vt *Iſaias* quod ne exemplum quidem tantæ facilitatis haberet, perinde ac nihil factum tradiderit. Sic enim ait *Qui fecit terram quaſi nihil*, tam ingens corpus, tam opus arduum: vt ex vtraque parte nimirum, tam ex rerum magnitudine conditarum, quam ex facilitate condendi, Dei omnipotentiam intelligamus. Omnia enim Deus creauit cum tanta facilitate, quantam nemo valeat verbis exprimere. ſatis enim illi ad omnia fuerat voluiſſe, ita vt nobis voluntas nihil laboris adfert, nihil negotii, ſic illi creare tot tantaſque creaturas facile fuit. Et cum non ſatis rerum magnitudo creatarum potentiam conditoris ſui exprimere valeat, nec vllus hominum aut angelorum comprehendere poſſit, quid mirum ſi myſterium huius tanti Sacramenti concipere nequeamus, ſed intellectum in captiuitatẽ redigere oporteat in obſequium Chriſti? Iſa. 40.

Chryſ. Hom. 1.

Pſal. 138.

Pars III.

Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Ioan. 6.

Summa Articulorum Tertiæ Partis.

- I. *Quomodo caro Chriſti ſit cibus non corporis, ſed animæ noſtræ.*
- II. *De qualitatibus cibi tam ſpiritualis quam corporalis.*
- III. *An hic cibus ſit ſæpe ſumendus & ſæpius communicandum.*
- IV. *De effectibus huius cibi ſpiritualis, ſeu ſacramenti Euchariſtiæ.*

Art. I. Carnem Chriſti eſſe cibum animæ nõ corporis.

1. Quicquid vitam receperit, cibo quo vitam conſeruet, enutriri debet: ſed hoc diſcrimen inter viuentia, quod quæ corporea ſunt, corporeo cibo ſe alantur, quæ vero ſpiritualia, ſpirituali enutriantur: Cum autem ſolus homo inter omnia quæ vitam habent ex corpore ſimul

ſimul & ſpiritu compoſitus ſit, cōſequens eſt vt duplici quoque egeat alimento, quorum altero corporis, altero ſpiritus vitam ſuſtentare valeat; & illud quidem habet commune cum brutis quorum naturam participat: hoc vero cum ſpiritualibus ſubſtantiis, quia eius anima ſpiritualis eſt ſubſtantia, quo fit vt communem cum illis cibum habeat quorum cōditionem & naturam participat. Cumque Deus tot ciborum genera quæ terra marique procreantur, nutriendis corporibus prouiderit, omne enim quod mouetur & viuit inter piſces maris, volucres cœli, aut beſtias terræ, homini datum eſt in cibum, vt patet *Geneſis cap.* 4. Vnicum duntaxat cibum, hoc eſt, ſeipſum animabus deſtinauit noſtris, tanquam qui omnium in ſe ſpiritualium ciborũ virtutem atque ſuauitatem cōtineat. Natura enim quæ imperfecta ſunt multiplicat, vt omnia ſimul efficiant quod ſingula minime poſſunt: quæ vero perfecta ſunt, ſingularia ſunt, vnde vnus tantum ſol in mundo eſt qui perfectiſſime lucet & illuſtrat omnia: plurima vero aſtra, quia lux eorum imperfecta eſt & exigua: Ita Chriſtus qui eſt fons vitæ, tanquam alterum cœleſte manna omne delectamentũ atq; omnis generis ſuauitatem ac ſaporem in ſe continet. Nec ſolum ſecundum quod Deus eſt nos paſcit, verumetiam ſecundũ quod homo, ſic enim ait, *Caro mea vere eſt cibus.* Quemadmodũ enim ſi alicui liquori mel infuderis, liquor ipſe saporē & virtutem retinet mellis, ita plane, inquit *Cyrillus*, cum Chriſti caro Dei verbo ſit vnita, eiuſdem verbi virtutem tanquam eius inſtrumentũ refert. Vnde ſicut ad Dei verbũ pertinet animas viuificare & ſanctificare, ita & Chriſti caro hæc eadē in mentibus noſtris operatur, quia & per ſuam carnem nos à morte redimit, dum illam mortis ſupplicio expoſuit, & hunc honorem ei exhibere voluit, vt per eam quoque ſalutem nobis & vitam donaret. Magna enim virtus ineſt corpori Chriſti, maiorque quam fuerit inſita fimbriæ veſtimenti illius, per cuius contactum ſanabatur mulier ſanguinis fluxum patiens modo ſicut huic tangenti, ita illud manducanti æqualis iuſſit fides & deuotio. Luc. 8.

2. AD HOC vt cibus proſit alicui maſticari debet & in ſubſtantiam ipſius aliti conuerti, ſi enim integer permaneat & nō concoquatur, ipſi comedenti nō erit vſui ſed oneri, non eum confortabit ſed grauabit, & quia infirmus, cui virtus digeſtiua debilitata eſt, cibum digerere nequit, hinc per eum confortari non poteſt. Fit autem huiuſmodi concoctio, *primum* in ore vbi cibus maſticatur: *ſecundo* in ſtomacho, vbi quaſi in lac conuertitur: *tertio* in hepate, vbi lac in ſanguinem tranſmutatur: quarto in arteriis ſeu venis vbi ſanguis in carnem & ſubſtantiam ipſius aliti tranſit. Simili propemodum modo fit & in cibo ſpirituali qui Chriſtus eſt: quo qui nutriri voluerit & confortari, nō poteſt manere integer & indigeſtus, ſed variis modis immutari: *Primo* in ore prædicātis à quo quaſi maſticatur dum ab eo eius virtutes minutatim explicātur: Hinc concionatores nutricibus comparantur quæ paruulis cibũ maſticant & frangunt. *Secundo* in memoria auditoris tanquam in famelico quodā ſtomacho ſuſcipitur, & ibidem ſecunda concoctio perficitur, dum id quod auditum fuerit ruminatur & remanditur: Inde tranſit in cordis affectum, dum homo rei ſic cogitatæ afficitur eaque oblectatur: *poſtremo* in vitam & mores, velut cibus in ſubſtantiam ipſius aliti, conuertitur.

3. ET SICVT homo iſtius fit naturæ cuius eſt cibus quo paſcitur, qui n. piſcibus veſcuntur aſſidue, frigidi fiunt & humidi, ita & anima talis fit, qualia ſunt ea quibus paſcitur & oblectatur. Hinc plurimũ refert qualia ſint, ea quæ vel videmus vel audimus, vel cogitamus, vel quibus afficimur: ſi n. animus paſcatur vanis rumorib⁹ fit & ipſe vanus & inanis: ſi diſſolutis & leuibus conuerſetur quis cũ iuuenib⁹, fiet & ipſe talis: ſi tetrica ſint & triſtia q̃ videtur & audiũtur, fit & animus tetri-

eus & tristis: & si læta & iucūda sit & homo talis. E quibus facile intelligitur quomodo Christus sit cibus noster, non solū vt Deus, sed etiam vt homo: Qui enim serio, sedulo & crebro secum perpendit, quam fuerit Christus in sua conuersatione mitis & humanus, quam fuerit moribus grauis & maturus, quam in officio suo sibi iniuncto serius & sedulus, quam corde humilis & animo fortis, ac cæteras Christi virtutes mente reuoluit, idque cū quodam affectu & pio animi desiderio, fiet & ipse paulatim talis, qualē Christum esse recogitat, præsertim si iis cogitationibus animus eius afficiatur, pascatur & oblectetur, tunc veluti eiusdem spiritus atque virtutis cum Christo efficietur. Et hoc est quod Dominus ait. *Qui manducat me ipse viuet propter me.* Hoc tamen huic cibo proprium est quod cum cibus corporeus in substantiam conuertatur ipsius aliti, hic cibus edentem conuertat in naturam sui.

Ioan. 6.

4. CANIMVS in officio V. sacramenti, *Ecce panis angelorum factus cibus viatorū*, quia vt *Augustinus* ait, non aliunde viuūt homines & aliunde angeli, sed vnus idēque vtrisque cibus est, licet dissimiliter. Angeli enim Deum aperta facie videndo fruuntur eoq; pascuntur, oblectantur & satiantur, ex suauissima enim & iucundissima eius quā intuentur diuinitate incredibilem concipiunt delectationem & iucunditatem, quod nobis innuit *Isaias* cum ait, *Faciet Dominus exercituum in mōte hoc omnibus populis suis conuiuiū pinguiū medullatorum.* Nos vero immensam eius bonitatem, suauitatem, pulchritudinē & dignitatem fide tanquā sub quadam nube & velamine contemplantes, vitā spiritualem, quæ caritas est, inde haurimus, & sic pascimur, dum ea quæ Dei sunt cum quodam gustu recogitamus. Apponitur itaq; & mihi, inquit *Berna.* diuinitas Christi sed sub velamine fidei & in cortice litterę & sacramento me oportet esse contentū: Hine nō pari iucunditate sumitur sub velamine sacramenti, & sub nuda specie

in Ps. 30.

Isa. 25.

Dei, nec idem sapor vtriusque; quia quamuis idem sit cibus, modus tamen edendi est diuersus. Nam sacramenta talia sunt quæ sine spiritu sumpta etiam mortem adferunt, à quo spiritu suum condimentum accipere debent. Qui vero sine spiritu ex arida quadam consuetudine sacramentum corporis Domini suscipit, dum nullam virtutem ex sacramento Eucharistiæ percipit, etiam nullam vim ipsi sacramento inesse existimat: sicut filii Israel super manna tanquam cibo leuissimo nauseabant, cum tamē illud ipsum omne delectamentum & omnis generis saporem atque suauitatem in se contineret. Numer. ca. 11. Sap. 16.

5. VNDE fit vt inter eos qui sæpe hoc sacramentum sumunt, multi sint qui nihilo cæteris sint meliores aut sanctiores, non quod defectus sit in sacramento, sed in sumentium indignitate, quia iuxta philosophum, *Actus actiuorum sunt in patiente disposito.* Fuit quidam qui singulis quibusque mensibus sacram Eucharistiam præmissa prius confessione, sumere solebat, nec tamen pristinos mores & secularem vitam deserebat. quod cum quidam alius vir doctus & eius amicus vehementer admiraretur, quæreretque ab eo quomodo qui toties communicaret vix vlla in re mutaretur nec rectius viueret. Respondit causam esse quod hoc sacramentum non tā deuotionis affectu quam necessitate frequentaret. Voueram enim olim inquit me Hierosolymam profecturum, cuius voti cum me postea pœnituisset, in hoc religionis officium quidam sacerdos commutauit.

6. INDE fit quod multi qui etiam quotidie communicant aut missas celebrant, parum proficiant, & vtinam non multum etiam deficiant, quia minus pie & minus religiose accedunt. Nam vt *Athanasius* ait, si quis gulositate aut turpium consensu cogitationum quasi luto contaminatus sit, aut si quis odio & iniuriarū recordatione quasi vertigine affectus sit, si quis superbia inflatus sit aut arrogantia, is ad diuina & pura hæc mysteria accedere nō præ-

[illegible] priusquam per pœnitentiam [illegible] seipsum ab omni carnis & Spiri-[illegible]inamēto repurget. *Probet seipsum* 2.Cor.11.
[illegible] inquit *Paulus*, & *sic de pane illo edat & de calice bibat*. Is autem se probat qui cordis contritione & vera atque syncera pœnitentia à peccatis se emundat & purum reddit, quiq; diuinorum beneficiorū recordatione & pia meditatione, lectione & oratione probatum & dignum se efficit & in hoc partem diei aut noctis sepositā habet, donec & quousq; diuinam in se caritatem & alios pios affectus excitet, caritas enim est quæ hominē dignū & probatū efficit, ea est quæ hominem magno cum desiderio hunc cibum sumere facit, & sapidum efficit.

II. De qualitatibus cibi tam spiritualis quam corporalis.

1. INTER cætera habet cibus corporeus has tres qualitates & proprietates: *primo* quod vires labefactatas restauret atque reficiat: *secundo* quod ipsum edentem oblectet: *tertio* quod famem sedet & appetitum satiet. Sic cœlestis hic cibus inquit, *Florentina synodus*, omnia ea in piorum mentibus efficit, quæ corporei cibi in corporibus operantur, sicut enim cibus corporeus vires corporis per pugnantes qualitates absumptas reparat, ita cibus hic spiritualis vires animi per calorem concupiscentiæ deperditas, quę assidue dona spiritualia & Spiritum deuotionis depascit dum sua nos propensione & inclinatione à spiritualibus ad carnalia bona tanquam sibi natiua auocat; restaurat & robur addit, quo quis viā mandatorum Dei minori cum labore percurrere possit: Vnde & *viaticum* dicitur. Et certe inter cæteras humanæ vitæ miserias ea est non minima, quod cum infixa nobis in visceribus & animæ medullis permaneat concupiscentia adeo firmiter vt vix multo labore euelli queat, deuotio tamen & caritatis feruor ita tenuiter nobis inhærent, vt facillime languescant & deficiant nisi assidue vires restaurentur. Nā sicut si aquam calidam ab igne dimoueas protinus ad natiuam redit frigiditatem, sic concupiscentia quæ nobis est innata omnem deuotionis feruorem paulatim absumit, nisi sæpius affectus pietatis renouetur & reaccendatur. Hinc ait Dominus, *nisi manducaueritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis.* Itaque Ioan. 6.
aduersus hunc naturæ lapsę morbum cœlestis hic cibus à Domino nobis est præparatus: qui dum nos rerum cœlestium suauitate pascit à carnalibus deliciis ad spiritualium rerum amorem reuocat, vt feruore spiritus feruor extinguatur concupiscentiæ carnalis, & pestiferam vitiorū dulcedinem fuget suauitas cibi spiritualis, inquit *Bernard.* Legimus de S. *Catharina Senensi*, quod quodam tempore dum sacram Eucharistiam accepisset, tāto gaudio, tanta dulcedine, tanto amore, tantaque admiratione diuinæ bonitatis mens eius fuerit repleta, vt duarum vel trium horarum spatio in extasim rapta, omnem sentiēdi vim sic amitteret, vt grauissimo vulnere cuiusdam impiæ æmulæ suæ in planta pedis accepto, nihil magis senserit quam si ligneum pedē habuisset.

2. HAEC ITAQVE secunda cibi proprietas est tam corporalis, quam spiritualis, quod ipsum edentem oblectet, & suo sapore suauiter afficiat. Hanc delectationem comestioni immiscuit Deus ne homo in rem tam necessariam sibi deesset, vt si non propter necessitatem, saltem propter voluptatem, cuius sicut & honoris natura hominis est auidissima, homo se cibo cibaret, sine quo vitam sustinere non posset: breuem tamen nec ita vehementem sed temperatā delectationem sensuum operationibus immiscuit Deus, ne anima voluptate decepta obliuiscatur comedere panem suum, qui melioris est saporis, maioris virtutis, pretij & dignitatis, dum delectatur veritate, sapientia, & caritate De qua delectatione *Psalmista*, *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Psal. 36.
Qui gustat saporem castitatis, humilitatis, caritatis, & sapientiæ Spiritum super mel dulcem, earumq; rerum sapore gaudet, is delectatur in Domino, inquit

 Bernar-

Bernardus, tanquam horum donorum auctore atque totius iustitiæ fonte. Qui huius cibi spiritualis suauitatem & efficacitatem percipere cupit, voluptati carnis & cupiditati honoris ac gloriæ renunciare debet, his enim si anima saturata fuerit, Prou. 27. *calcabit fauum*, vt *Sapiens* ait, hoc est, qui repletur desideriis noxijs voluptatis & honoris, is cōtemnet delicias spirituales.

3. TERTIA QVALITAS cibi tam spiritualis quam corporalis est, quod appetitū restinguat & famem satiet. Dum quis enim hoc spirituali cibo fruitur, quod perfectissime fiet in futura vita, omne humani cordis desiderium expletur, quod nemo nisi vnus Deus satiare valet, iuxta illud *Psalmi 16, Satiabor cū apparuerit gloria* Psal. 16. *tua*: manifestatio enim diuinæ gloriæ, diuinæque essentiæ, & indefessum sui desiderium, & ipsius desiderii plenissimam adferet saturitatem, sic enim satiat hic cibus vt tamen satietas nunquam fastidium pariat, quod facile contigit in cibo corporeo, dum quis eo saturatus fuerit. vtrumque huic cibo inest, & virtus quæ satiat, & suauitas quæ sui desiderium semper excitat, non propter cibi sufficientiā aut edentis inopiam sed propter nimiam eius suauitatem, iuxta illud *Ecclesiastici.* Cap. 14. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.*

4. DEDIT Dominus & carnem suam nobis manducandam & sanguinem potandum, partim vt suum erga nos amorem manifestum faceret, partim vt vicissim nostrum amorem erga se excitaret. Solent enim qui ardenter inuicem se amant, non solum literas amatorias sanguine proprio conscriptas sibi mutuo transmittere, verumetiam mutua labra mordere, quasi gestiētis inuicem mandere vt ex duobus fiat quid vnum. Cuius rei Aul. Gell. Lib. 10. c. 18. memorabile refert exemplum *A. Gellius*, *de* Artemisia Cariæ regina insigni pudicitia fœmina, quæ supra humanę affectionis fidem virum suum Mausolum adamasse perhibetur, cui defunctō totā insigne sepulchrum fabricari fecit, vt inter septē mundi siue miracula siue spectacula numeraretur: Insuper amplissima oratorib. præmia proposuit, qui viri laudes copiosius & ornatius prædicassent. Neque his dilectionis argumentis contēta, extremū hoc quod instituto nostro maxime quadrat, adiecit, nempe quod viri cineres variis odoribus admixtos in cibum suum potumq; converteret. Itaque non contēta memorabili illo sepulchro, ipsa, vt *Valerii Maximi* vtar verbis, viuum ac spirās eius sepulchrum fieri voluit. Hoc exemplo perfecte intelligimus quam propriū veræ ac perfectæ dilectionis sit vnum cū eo velle fieri quem ardenter diligas.

5. TALE flagrantissimæ dilectionis argumentum nobis Dominus in hoc diuino corporis sui Sacramento ostendit, dū nobis per illud vnire, intra nos manere, in nobis esse & cibus fieri dignatus est. O vere prædicandam & admirandam Dei bonitatem, à qua tantæ dilectionis vis emanauit, vt non solum tantum elargitus sit nobis donum: vt seipsum dederit nobis in cibum, verumetiam tam propenso animo, tanto caritatis affectu, vt eo tempore quo hoc diuinum Sacramentum institueret ad suos discipulos diceret, desiderio desideraui hoc pascha comedere vobiscum: quia in hoc Sacramento tale nobis ferculum præparare decreuerat, quod non solum ipsam Christi gratiam, vt cætera Sacramenta, sed Christum ipsum gratiarum omnium auctorem, vere ac substantialiter contineret.

6. QVO FACTVM est vt hoc Sacramentum & cibus sit quo enutriuntur & confortantur sani, & medicina qua curantur ægri & infirmi, quinimo & vita qua suscitantur & viuificantur mortui. Præcipue quidem institutum est, vt tanquam cibus sanos enutriat, vnde & sub specie panis & vini porrigitur: tamen dum quis accedit, qui nec affectum habeat peccati mortalis nec conscientiam post diligentem suæ conscientiæ discussionem, fit inquit *Thomas*, vt percipiendo hoc Sacramentū inde viuificetur. Qui vero conscius peccati

cati mortalis hoc Sacramentum sumere præsumit, inde non solum nō viuificatur sed insuper in maiorem & peiorem perniciem præcipitatur, sic enim *Paulus* ait,
1.Cor.11. *Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini.* Cuius rei exemplum memorabile *Palladius* in vita Macarij Alexandrini sub cuius disciplina nouem ipse annis militauerat, his verbis refert. Ad Macarium cum aliquando venissem reperi ante fores cellæ illius presbyterum quendam, cuius totum caput adeo exesum & consumptum erat illo morbo qui cancer nominatur, vt os etiam verticis videretur: qui illuc vt curaretur aduenerat, nec tamē vsque in illum diem à S. Macario susceptus fuerat aut visus. Ego itaque tunc ipsum rogans petiui vt eius misereretur & saltem responsum ei daret, ad quod mihi respondit alter, Non est dignus iste curari, hanc enim pœnam Dei mandato accepit: Si autem vis curari eum, persuade illi prius vt à sanctorum sacrificiorum immolatione recedat & abstineat, Cum que ego dicerem, Cur obsecro id fieri iubes, pater? quia fornicatione, inquit, pollutus ministeria Domini violare consueuerat, ob quod talis supplicii atrocitate cruciari meretur. Cum vero illi qui hac valetudine laborabat, ista dixissem, culpā agnoscens Sacramento mecum paciscebatur non se vlterius ad officium sacerdotum accessurum. Quo facto à S. Macario vocatur, qui eum his alloquitur verbis, Credis, inquit, Deum esse cui nihil occultum est? respondit, Credo. Instat alter. Nō potuisti, inquit, virtutem diuinitatis eius euadere? Respondit ille, Non potui: Tūc alter, Si agnoscis peccatum, & vis euadere hanc pœnam, quam tibi propter tuum demeritum intulit Dominus, emēdare de reliquo. Quod cum promisisset, imposuit ei vir sanctus manus & paulatim sanabatur sanatus vero videntibus nobis ad propria remeauit.

7. Vnde merito *Bernardus*, væ ei, inquit, qui non communicat, & væ etiam ei qui indigne cōmunicat. Quibus verbis *Bernardus*, aliorum quidem audaciam & temeritatem, aliorum vero indiscretum timorem notasse videtur, vt enim quidam timore scrupuloso correpti ab hac sacra mensa se abstinent, & seipsos hoc tam salutari remedio priuant, ita alii inuerecunde se ingerunt, nec satis digne communicant, vtrumque malum, vtrinque pericu- 1.Cor.11.
lum. *Probet autē seipsum homo* inquit *Paulus, & sic de pane illo edat: Et Ambrosius*, sic viue, inquit, vt quotidie merearis accipere, qui nō meretur accipere quotidie, nec meretur post annum accipere, quia qui diu abstinet ab esca, paulatim tabescit & inedia absumitur.

III. An sæpe communicandū.

1. Ex hac tam admirabili huius Sacramenti virtute & efficacitate magnā fiduciam & solatium concipere possunt quicumque frequenter & religiose ad illud accedunt: Quod enim assidua infestatione deuastat ipsa concupiscentia, hoc frequenti huius Sacramenti exercitio restaurari potest. Male itaque sibi consulūt qui rarius hoc Sacramentum frequentāt, qui dicunt satis sibi esse id præstare quod præcipit ecclesia, quæ nos semel in anno ad hanc mensam accedere iubet. Certe id præcipit & statuit Ecclesia non quasi sæpius communicare consultum non fuerit sed qui negligentiores sunt & sui minus obseruantes, saltē ad minus semel in anno cōmunicent nonquasi sæpius non possint sed quia ad minimū debeāt saltem semel. Quāuis igitur sufficiat in anno semel cōmunicasse, ne violati præcepti rei simus, multo tamē fructu se homines huiusmodi qui nō nisi semel in anno sacramentū hoc percipiūt, priuāt & spiritu sæpe ac virtute flaccescunt. Quod sua ætate etiam *Chrysostomus* grauissime incusabat quod non essent admodum multi qui hæc diuina mysteria frequentarent: ô consuetudinem inquit, incassum assistimus altari, nullus est qui communicetur, vnus fit nobis dolor hac esca priuari. Et *Ambr.* tractans illā orationis dominicæ particulam, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, de Eucha-

Ambr. lib. 5. de Sacr. cap. 4.

charistia eam interpretatur, & illius frequentem vsum hac oratione commẽdat: Si quotidianus est panis, inquit, cur post annũ illum sumes? accipe quotidie quod quotidie tibi prosit, sic viue vt merearis quotidie accipere. Sunt qui sese suamque negligentiam, quod rarius suscipiant, reuerentiæ prętextu tueantur, indignos se reputantes qui ad hęc tam tremenda mysteria frequenter accedant: Verba quidem humilitatis speciem præ se ferunt, cum tamen non aliunde proueniant quam quod laborem subterfugiant, quo se probare, & præparare oporteat, vt digne suscipiant.

Cassian. colla. 22. ca. 21.

2. NON ERGO debemus à dominica mensa abstinere, inquit *Cassianus*, quia nos peccatores agnoscimus, sed ad eam magis est auide festinandum, tũ propter animæ medicinam, tum propter spiritus purificationem, veruntamen ea humilitate mentis, & fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ iudicantes remedia potius nostris vulneribus expetamus: alioquin nec anniuersaria quidem digna præsumenda est communio. Et profecto qui existimant ea non nisi sanctos atque immaculatos debere præsumere, & non potius vt nos sanctos mundosq; sua participatione perficiant, hi maiorem arrogantiæ præsumptionem, quam declinare sibi videbantur, incurrunt, quia vel tunc cum ea percipiunt dignos se eius perceptione diiudicant. Constat ex *Actis* quod fideles olim quotidie communicare consueuerint, vbi, sic habetur. Erant perseuerantes in doctrina apostolorum & orationibus, & in communicatione fractionis panis, id est, Eucharistiæ vt omnes exponunt: Vnde *concilium Tridentinum*, ad frequẽtem communionem hortatur sic inquiens. Optat sancta Synodus vt in singulis missis fideles adstantes cõmunicarent. Nam vt *Cyrillus* ait, sola dilatio per se non confert ad meliorem dispositionem, & regulariter contingit, vt qui raro accedunt minus dispositi sint, quam qui frequenter, quia qui cõmunicat crebe-

Acto. 2.

Conc. Trid. sess. 22. ca. 6.

Cyrill. Lib. 3. in Ioan. c. 37.

dit aliũ fructu Sacramenti qui prouenit ex opere operato, quia efficacia Sacramẽti multum confert per se, modo homo sit dispositus.

3. DIVINA prouidentia quæ omnia gubernat rebus omnibus quendam amorem indidit, quo cuncta quæ creata sunt se diligunt, & sui conseruationem appetunt, & quo ea quæ ad naturã conseruandã pertinent auidissime sectãtur: Id quod non modo in rebus animantis sed etiam inanimatis cernere licet: Aer enim qui natura locum superiorem sibi conueniẽtem appetit, si quando cauernis terræ inclusus fuerit, grauissimã terrę molẽ impetu suo concutit & tremere facit, & rũpit, quo in superiores regiones euadat, bruta quoque animantia summo studio & labore alimenta quærunt quibus vitã tueantur: de amore vero quo se homines diligũt, & quo quæ sua sunt appetũt, quãta auiditate ea concupiscant, quantis periculis & incõmodis vt ea adipiscãtur, sese exponant, res notior est quã vt verbis explicari debeat. In ijs vero quæ Dei sunt & animæ salutẽ concernũt, ita fugiẽt plериq; & nauseant, vt vix loco se propter illa mouere velint. Et attentius animæ nostrę statũ consideranti apparet eam similẽ esse ijs quorum media pars corporis paralysis morbo correpta est & insensibilis facta, altera vero integra & incolumi existente. Ad hunc modũ anima nostra ad spiritualia & diuina amplectẽda spirituali quadã paralysi & insẽsibilitate laborat, q̃ tamẽ ad terrenarũ rerũ amorẽ est viuacissima.

4. QVI VERO per viuam caritatem Christo insertus est, sicut palmes viti è qua omne suum haurit nutrimẽtum, qua auiditate natura appetit quæ vitę suæ cõseruandæ necessaria sunt, ita ardentissimo amore talis prosequitur quæ vitam spiritalem conseruant & enutriunt, teste *Paulo* qui ad *Corinthios* ait *caritas Christi vrget nos*, quasi dicat, non solum allicit & incitat, sed vrget & vim quodãmodo mentib. nostris infert. Et ex hac varia hominũ dispositione prouenit quod in particulari non

1. Cor. 5.

Digitized by Google

non poſſit certa aliqua regula dari de frequētanda communione q̄ omnibus expediat, ſed pro diuerſitate ſtatuum & morū id prudenti arbitrio definiendum eſt & committēdum. Vnde *Auguſtinus*, ſiue quiſquis ſit autor, *in libro de eccleſiaſticis dogmatibus*, nec laudat nec improbat ſi quis quotidie communicet. Et quia regulariter loquendo tot ſunt humanæ vitæ negotia & impedimenta quæ & animum diſtrahunt, & tempus occupant, vt non poſſint homines frequentius accedere cum debita diſpoſitione nec tantum, temporis huic actioni dare, quantum par eſſet, ideo videtur ſufficere ſi octauo quoq; die quis cōmunicet, raro autem conſulendum alicui vt ordinarie ſingulis dieb. cōmunicet, ſic *Suarez*. Dicit tamen *Bernardus* non eſſe omittendam communionis frequentiam propter ſola peccata venialia, neq; quia homo minorem feruorem deuotionis & caritatis in ſe ſentire videatur, q̄ non eſt exiguus huius ſacramenti fructus, quod in magnis peccatis impediat conſenſum, & in minimis ſenſum minuat. Vnde *Bonauentura* ſic ait, licet tepide, accedas fiducialiter, confidens de miſericordia Dei, quia quo magis æger, magis medico indiges. Et *Beda*, non eſt negandum interdum poſſe commūionem differri ad conciliādam maiorem reuerentiā: id tamen rarū ſit, inquit, nec tanta debet eſſe dilatio, vt plus nocere poſſit quam prodeſſe ne forte alicui contingat illud *Pſalmiſta*, *percuſſus ſum vt fœnum & aruit cor meum quia oblitus ſum comedere panem meum.*

August. c. 51. & epiſt. 118.

Bern. ſer. de cœna domini.

Pſal. 101.

IV. De effectu huius Sacramenti.

1. POSTREMO videndum quiſnam proprius ſit huius ſacramenti effectus: p quo notandum quod hoc ſacramentum per ſe & ex propria inſtitutione conferat nō tam gratiam ſanctificantem, quæ proprie datur per baptiſmum & ſacramentū pœnitentiæ, quam gratię prius habitę augmentum quo magis ac magis quis coniungatur & vniatur Deo. Vt enim *Baſilius* ait, qui per baptiſmū regeneratus eſt, participatione diuinorum myſteriorum deinceps nutriri debet. Cū autem hoc ſacramentum per modum cibi & potus ſit inſtitutum, iuxta illud, *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*, & propria ratio cibi ſit vt conferatur ad nutrimentum & augmētum viuentis, ſequitur quod & hic cibus detur ad nutrimentum & augmentum vitæ ſpiritualis. *Hic notanda* eſt differentia inter cibum corporalem & hunc ſpiritualem quod ille non ſemper auget quando nutrit, quia viuens non ſēper eſt in ſtatu augmenti etſi nutriri poſſit, quia non ſemper plus acquirit quā perdat: at vero in hoc ſacramēto idem eſt nutrire & augere gratiam, quia gratia nunquam remittitur, & vbicumque eſt nutritio ſeu additio ſine remiſſione, neceſſe eſt fieri augmentum, vt ex eo quis fiat ſanctior, melior & Chriſto coniunctior: iuxta illud *Ioannis*: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo.* cap. 6.

Baſil. ſer. 1. de baptiſ. c. 13.

2. Hoc enim huic cibo proprium eſt, vt in ſui naturam conuertat hominem alitū: ſicut enim acerbi fructus ſaccaro conditi, nihil priſtinæ acerbitatis retinent, ſed illius liquoris ſaporem referunt in quo decocti ſunt, ita qui per manducationem ſpiritualem cibi huius in Chriſtum tranſmutatus eſt, nihil in eo priſtinæ amaritūdinis remanet, ſed quicquid in eo relucet ſanctum eſt, ſuaue, viuū & diuinum eſt. In me manet & ego in eo, hoc eſt vnus ſpiritus ambo efficimur: ſicut in ferro ignito & ferrum eſt in igne, & ignis in ferro & ignis qui eſt maxime actiuus ipſum ferrū reddit ignitum & igneæ quaſi naturæ, ſalua tamen ſua ſubſtantia exiſtente: ſic homo per hunc cibum non ſolum ſacramentaliter ſed ſpiritualiter ſumptum fit iſtius ſpiritus cuius Chriſtus eſt, eſtq; ille Chriſti ſpiritus in anima quam ſpiritalē & diuinā, purā & ſanctam efficit, eſtq; anima ipſo ſpiritu à quo viuificatur, ſpiritalis & diuina efficitur.

3. PORRO cum hoc ſacramentum applicetur per modum cibi ſeu nutrimenti, ſicut cibus corporeus ad hoc vt nutriat, actū re-

requiritipsius viuentis, cōcoctionem scilicet, seu digestionem, ita & hoc sacramētum vt spiritualiter nutriat & gratiam seu caritatem augeat, aliquis actus ipsius sumentis concurrere debet, videlicet reuerentia & actualis deuotio: alias cum multi sacerdotes in statu gratiæ quotidie cōmunicent, necessum esset eos magnum cumulum gratiæ & magnum caritatis augmentum comparare, si nihil aliud ad effectum huiusmodi esset necessarium: at vero experientia satis constat eos nō consequi tale caritatis augmentum, quia si illud haberent, aliquod indicium eius darent, eo quod caritas otiosa esse non possit: Iā vero plerique minus proficiunt & parum vtilitatis consequuntur quia frequenter multum distracti & sine vllo bono motu seu actuali dispositione & deuotione accedunt, habitualis vero dispositio e. si ad hoc sufficiat vt quis non indigne accedat, minus tamen sufficit vt augmentum gratiæ acquirat, quia vt *Thomas* docet, non augetur gratia nisi per actum eumq; nō remissum, sed feruentem, eo quod causa potior debeat esse suo effectu.

4. ET posse interdum dari statum medium in recipiente hoc sacramentum, id est, vt in ipsa receptione nec mortaliter peccet, nec fructum gratiæ consequatur, docet *Bonau. Adria. Caiet.* & plures alii. Non tamen requiritur vt quis in susceptione huius sacramenti augmentū gratiæ & caritatis faciat, quod omni peccato veniali careat: Imo dicit *Thomas* q peccatum veniale etiam actu concomitans sumptionem huius sacramenti, non impediat gratiæ augmentum, quia peccatū veniale nō pugnat cū gratia habituali neque eius augmento, sed potest simul esse cum eo. Non tamē hoc sacramentum remittit illud veniale peccatum, cuius quis actualem habet affectum dum communicat, remittit tamen alia peccata venialia non obstāte hoc affectu. sic *Alens.* nā posse vnū veniale remitti sine alio certū est.

Bonauen. in 4. dist. 12. q. 2. 24. 3. p. q. 79. ar. 8.

q. 41. men. 1. art. 1.

5. PLVRES ponuntur huius sacramenti effectus dum illud digne quis sumit, ardorem n. concupiscentiæ extinguit, fomitem minuit, deuotionem auget pœnam peccatis debitam remittit, si non totā, saltem secundum modum deuotionis & feruoris eius qui illud digne suscipit: magis enim hic attenditur affectus suscipientis, quam dignitas rei susceptæ, quæ quamuis ex sui quantitate sufficiat ad remittendū omnē pœnam, & ad dandum gratiam omnem, tamen hæc non fiunt nisi secundū quantitatem deuotionis & dispositionis eius qui suscipit, inquit *Thomas*. Sed *obseruandum* hoc sacramentum quosdam effectus producere vi propria, & vt scholastici loquuntur, *ex opere operato*, eos nimirum ad quos producendos est directe & principaliter institutum, vt quod nutriat, datur enim vt cibus, quod gratiam & caritatem adaugeat, quatenus enim has auget, eatenus animam spiritualiter nutrit & confortat, præsertim dum quadam spirituali dulcedine mentem replet & reficit: Quosdam vero producit ex quadam concomitantia & per accidens, vt in scholis loquuntur, non ratione sui aut vi propria, sed ratione alterius coniuncti & quasi indirecte, quia dum augetur caritas concupiscentia minuitur, dum deuotio feruet, pœnam peccatis debitam facile quis exorat, dum Christus in nobis manet (quod vtiq;) fit vi huius sacramenti, iuxta illud *Ioannis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinē in me manet & ego in eo*) sedat, inquit *Cyrillus* sęuientem membrorum nostrorum legem, perturbationē animæ extinguit: Et *Chrysostomus* sic ait, Quonam modo ab hac tam noxia peste liberabimur? (disputat de passione iræ) si illam vtiq; potionem bibamus, quæ omnes intra vermes serpētesq; mortificat: Et quodnam inquies istud est poculū quod eam vim habeat? pretiosus scilicet Christi sanguis si cum fiducia sumatur. *Hæc Chryso.* Tunc vero hūc operatur effectum hoc sacramentum, quando id fit q sacramento significatur, manducatio autem externa manducationem significat internam, & refectionem spiritualem: qui igitur mente

Thom. 3. p. q. 79. ar.

cap. 6.

Cyril. li. 3. in Io. c. 37.

Chrys. ho. 4. in Mat.

mente reficitur & confortatur, is prædictos percipit effectus: qui vero sacramentali manducatione contentus non peruenit ad spiritualem refectionem, is prædictos huius sacramẽti nõ cõsequit᷑ fructus.

PARS IV.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Hoc facite in meam commemorationem.

Luc. 22.

Summa Articulorum, qui hic explicantur.

I. *Est vnicum nouæ legis sacrificium, quod valet ad quiduis impetrandum.*

II. *An plus valeat maiorisque sit virtutis Missæ sacrificium boni sacerdotis quã mali, & pro vno solo oblatum quam pro pluribus.*

III. *De partibus & ceremoniis sacrificii Missæ.*

I. Vnicum esse nouæ legis sacrificiũ, idq; sufficiens.

QVEMADMODVM veteri populo, ne beneficii liberationis ex Ægypto, quod inter cætera præcipuum & maximum reputabatur, obreperet obliuio, iussum est singulis annis Domino in gratiarũ actionem offerre agnum paschalem: Ita Christus populo noui testamenti in gratam suę redemptionis memoriam iussit agnum illum qui tollit peccata mundi iugiter offerre, dicendo: Hoc facite in meã commemorationem. Sicut enim beneficii liberationis ex Ægypto memoria coram Deo fieri debebat: Ita & mortis Domini annunciatio, nõ tam vt oblitus quis recordetur, quam vt ei de tanto beneficio dignæ gratię agantur. Vnde & Eucharistia idẽ sonat q̃ gratiarum actio: Oblatione n. Eucharistiæ & rebus & verbis ꝓfitetur populus Christianis se Christi beneficio a potestate tenebrarum ereptum & hæreditatem cœlestem esse adeptum.

2. SVCCESSIT autem vnicum hoc Missæ sacrificium in locum omnium aliorum sacrificiorum, tam in lege naturæ quam tempore legis Mosaicę institutorum, ideo ad omnes effectus impetrandos & consequendos valet ad quos aliquod eorum referri & accommodari poterat. Hostia in hostiam transit, inquit Leo vt iam deinceps pascha non in oue sed in carne Domini celebraretur & figuræ iam completæ veritas subiũgeretur, quia agnꝰ paschalis figura fuit non solum oblationis Christi in cruce peractæ, sed etiam immolationis eiusdẽ in cœna factæ. Quod satis insinuat Dominus ipse cũ ait *desiderio desideraui hoc pascha comedere vobiscum antequam patiar.* Luc. 22. Vbi non de agni esu quem stantes comedebant Iudæi, sed de nouo pascha q̃ esto iã agno Christus instituebat, agitur, quia alterum pascha, q̃ celebrabatur in oue nõ tantopere desiderabat Dominus manducare cum eis, cum illud antea cum ipsis aliquoties iam manducasset: de nouo paschate igitur agitur, quod est Christus ipse: de quo *Paulus*. *Pascha nostrũ immolatus est Christus: Itaq; epulemur non in fermento malitiæ aut nequitiæ, sed in azymis syncerita-tis & veritatis.* 1. Cor. 5. Vbi cum *Paulus* fideles cohortaretur ad sumendum Christũ per cõfectionẽ Eucharistiæ immolatũ satis indicat, quod sicut Iudæorum pascha fuit agnus irrationalis, quẽ occisum & immolatũ per familias in Ierusalẽ, & in cõmemorationẽ liberationis Israelitarũ de seruitute Ægypti, Deo in sacrificium oblatum comederunt filii Israel: Ita pascha nostrum sit Christus sub specieb. panis & vini oblatus & immolatus, sub quib. se nobis in cibum & potum dedit, dicens *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei.*

Leo ser. 7 & 8. de pass. Dom.

3. QVANDOQVIDEM vero hæc Deo patri offeruntur iam in noua lege sub specie panis & vini sicut & Christus obtulit in cœna, ideo Christus *à Psalmista* dicitur *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Psal. 109. In æternum quia sacrificio Missæ non succedit aliud, sicut aliud, successit sacrificiis veteris legis, sed durabit istud

vsque ad finem seculi. Et hoc secundum ordinem Melchisedech, quia sicut Melchisedech panem & vinum Deo obtulit in sacrificium. *Erat enim sacerdos Dei altissimi*, ait scriptura, cuius officiũ erat Deo dona & sacrificia offerre: Ita Christus, ait *Cypria.* veritatẽ adumbratæ imaginis adimplens panem & calicem vino mixtũ obtulit. Et *concilium Trident.* Redemptor noster, inquit corpus suũ id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, Nam quã-quam Christus ante consecrationem obtulerit panem & vinum (istum n. offerendi ritũ panis & vini ante consecrationẽ, cum sacerdos eleuato pane dicit: *Suscipe sancte pater hanc immaculatam hostiam*, &c. Et cum suscepto calice ait, *Offerimus tibi calicem*, &c. qui ritus offerendi per totam seruatur Ecclesiam, Christus suo exemplo suos docuit apostolos, apostoli v. suis successoribus tradiderunt sic enim Iræneus ait. Non tamen illa obtulit pro ea qualitate in qua tunc erant, sed magis prout erant futura, ita vt per id implicite obtulerit corpus & sanguinem suum. Neque enim diuersæ sunt oblationes ante & post consecrationem sed vna & eadem quamquam si offerendi formulam spectes, huiusmodi oblatio panis & vini nondum cõsecrati sit ab ecclesia si vero rẽ ipsam attẽdas sit à Christo instituta.

Gen. 14.
Cypri. Epi... 63.
Iræn. li. 4 c. 32.

4. ET licet bis in Missa offerri videatur, semel ante consecrationem cum eleuato pane sacerdos dicit, *Suscipe sancte pater hãc immaculatam hostiam*, &c. & rursum cum post consecrationem dicit, *unde & memores nos serui tui offerimus præclaræ maiestati tuæ*, &c. Tamen non sunt distinctæ oblationes distinctarum rerum, sed vna & eadẽ vtriusq; & eiusdem rei præsentatio: quia verbalis oblatio quæ fit post consecrationem tum sacerdos dicit, offerimus præclaræ maiestati tuæ, &c. nõ tam exprimit oblationis actionem, quam oblationis factæ approbationem. Cum autem fit oblatio sæpius supplicat sacerdos offerens & ante & post consecrationẽ pro munerum susceptione, vt illa Deus accepta habere dignetur, quia cum munerum acceptatio in eius cui munera offerũtur, arbitrio sit posita, præsertim si non tam ipsi quam offerentibus sint profutura, offerri debẽt munera præsentatione supplici. Et hoc petit vt accepta habere dignetur, nõ ex parte rei, quæ cum sit corpus & sanguis Christi, non potest non esse gratissima Deo, & magis accepta quam fuit aut sacrificiũ Abel, aut sacrificiũ Mechisedech: Sed rogam⁹ vt huiusmodi oblatio quatẽ⁹ fit ab offerẽte Deo sit acceptata, sicut acceptũ fuit sacrificium Abel. Nomen n. *sacrificiũ* vtrũque includit & significat, tã ipsius offerẽtis actionẽ, quam rẽ oblatam seu sacrificatã. Et quãquã sacerdos offerat & sacrificet non in propria persona, sed in persona Christi, vtpote eius charactere insignitus habens ab eo potestatem consecrandi & offerendi, & eatenus sacrificiũ non possit non habere suum effectum & sit Deo gratum, tamen quia sacerdos sic est minister Christi vt etiam propriam habeat actionẽ hinc ex parte ipsius requiritur certa dispositio, idoneitas & deuotio. Et eatenus orat vt Deus, hæc munera velit habere accepta, vt quod deest ex parte offerentis, Deus ex sua misericordia supplere dignetur.

5. IN lege noua ita vnicũ Eucharistiæ sacrificiũ instituit Christus, vt noluerit cũ illo aliquod aliud adiũgi aut offerri. Nulla enim iã sunt vera aut legitima sacrificia præter illud vnicum Eucharistiæ sacrificium à Christo institutum. Quo fit vt iam in noua lege thuris cremario etiam si Deo offerri videatur, nõ sit sacrificium sicut erat in veteri lege: Quia quamuis homines instituere possint sacrificia suo statui accommodata, quibus Deum colant & honorent (ad rationẽ n. visibilis sacrificii sufficit significatio inuisibilis sacrificii, quo quis agnoscat & protestetur Deum supremum Dominum: potest autem homo rebus visibilib. sicut & vocib. huiusmodi fidẽ corã Deo protestari & sacrificio declarare) potest tamen Deus præuenire illã humanã potestatẽ, sicut & præuenit: vnicũ duntaxat sacri-

ſacrificium Euchariſtiæ inſtituēdo, quod inſtitutum nullatenus infringere aut mutare licet.

6. QVIA igitur ablatis omnibus ſacrificiis veteris legis in eorum locum ſubſtituit Chriſtus vnicum Miſſæ ſacrificiū, fit vt ſit & holocauſtum, & hoſtia pacifica, & ſacrificium propitiatorium. Holocauſtum quidem, quia ſicut illud olim totum abſumebatur in honorem Dei ad proteſtādum nos omnia à Deo habere, omniaque noſtra & nosipſos ab eo dependere, in cuius manu ſunt & mors & vita noſtra: Ita ſacrificium hoc noſtrum tanquam holocauſtum offertur, non ſolum, quia in memoriam eius, qui ſe in cruce tanquam holocauſtum obtulit, dum in Dei patris honorem & vitam dedit & ſanguinem profudit, & quicquid haberet donauit & obtulit, verumetiam quod totum iſtud in reuerentiam ac amorem diuinæ maieſtatis ordinetur, Deoque maneat conſecratum. Ita enim & homo ſemetipſum tanquam holocauſtum offert Deo, dum quicquid eſt & habet in Dei honorem expendere nouit. Eſt & hoſtia, pacifica ſacrificium hoc noſtrum, quia offertur & in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, aut per modum orationis pro accipiēdis, vt hoſtiæ pacificæ ſolent. Eſt & propitiatorium pro peccatorum remiſſione impetranda, ſicut ſacrificia propitiatoria ad placandum Deum offerebantur.

7. NON TAMEN fruſtra adhibentur cætera ſacramenta, nō fruſtra petitur baptiſmus aut beneficiū abſolutionis, quia ſacrificio Miſſæ delentur peccata eo quod cordis conuerſionem & cōtritionem impetret, per quam virtute abſolutionis tanquam cauſa proxima & immediata fit remiſſio. Ita vt inter omnia religionis officia nullum iſto Miſſæ ſacrificio ſit aut Deo gratius, aut ab eo quippiam impetrandū efficacius, quippe quod non ſolum ex deuotione & qualitate offerentis vim habet aliquid à Deo impetrādi, verumetiam ex inſtitutione Chriſti, & propria ſua virtute, ſicut ſacramenta quæ operantur *ex operato*, vt loquuntur ſcholæ doctores.

8. ET POTEST ex hoc ſacrificio aliquis fructus ſubſequi, etiamſi ſacerdos offerens impius fuerit, & is pro quo offertur improbus ſit, quia qui principaliter hic offertur Chriſtus eſt, cuius vicem ſupplet & ſubit ſacerdos offerēs. Quapropter ſicut Deus etiam per malos miniſtros propriū ſacramentorum effectum producere non ceſſat, ſuæ inſtitutionis & promiſſionis rationem habens, potius quam virtutis miniſtri aut qualitatis inſtrumenti: Ita effectus ſacrificii Miſſæ proprius pendet nō ex deuotione aut ſanctitate offerētis, ſed ab hoſtiæ dignitate, & Chriſti offerentis virtute: operatur autem hoc ſacrificiū nō immediate iuſtificationem primam, vt baptiſmus & ſacramentum pœnitentiæ, ſed impetrando donū contritionis & pœnitentiæ, aliaque ad ſalutem cōducentia. Vnde non neceſſario aliquam in eo pro quo vtiliter offertur diſpoſitionem prærequirit, ſicut ſacramēta, ſed ipſam diſpoſitionem interdum impetrat, ſicut cum pro infidelibus obduratis, excommunicatis & ſceleratis offertur. Nam quanquā pro excommunicatis in ſacrificio Miſſæ publice & palam orare non liceat, ita vt eorum nomina recitentur, quod ad honorem pertinere dicit *Chryſoſto.* cum excōmunicati non honore digni ſint ſed cōfuſione, tamen clam & priuatim pro iis ſacrificare licet vt conuertantur & reſipiſcant.

9. HIC OBSERVANDVM quod quamuis Euchariſtiæ ſacrificium re idem ſit cū ſacrificio crucis eandem continens hoſtiam, idemque Chriſtus per miniſtros offeratur, qui & ſemetipſum obtulit in cruce, tamen valor & effectus Miſſæ nō tantus eſt, quantus eſt ſacrificii crucis, quia in ſacrificio crucis Dominus offerebatur & patiebatur in propria natura, hic autē ſacramētaliter offertur ſub ſpecie panis & vini, nō in propria ſpecie. Ideo limitato modo applicatur nobis virtus crucis Chriſti per ſacrificium Miſſæ, ſicut & per alia ſacra-

menta. Et quoniam oblatio crucis erat actio immediate promanans à persona filii Dei, oblatio vero Christi in Eucharistiæ sacrificio solum actio est ministri in persona Christi, hinc illa infiniti fuit valoris & meriti, non sic sacrificium Missæ, quia quamuis petitio Legati nomine sui Principis facta, amplius valeat & possit quam si proprio nomine fieret, attamen longe præualet ore Principis deprompta postulatio, nec tā facile repulsam patitur quam ipsius Legati.

10. Insuper quandoquidem necessum fuit Christi fideles quotidiano Dei cultu, qui per sacrificium Missæ defertur maxime sese ad pietatem promouere, Deumque colere & adorare, non decuit vt vnica oblatio Eucharistiæ ad omnia sufficeret, sicut sufficit vnicum sacrificium crucis, sed id decuit & conueniens fuit, vt singulæ oblationes, sicuti & operationes sacramentales, certam portionem fructus passionis Christi applicarent, determinatūque valoris gradum haberent, eumque *ex opere operato* vnicuique æqualiter disposito æqualiter conferrent, siue quo ad gratiæ quantitatem impetrandam, siue quo ad satisfactionis certum gradum consequēdum Ita vt hîc operantis solus accidentarius sacrificii fructus maior, aut minor esse possit imo interdum etiam nullus subsequitur fructus, nō defectu sacrificii, sed defectu ministri offerentis, aut defectu eius pro quo offertur: Sicut enim prima & vniuersalis causa non totam vim suam in singulis causis secundis effundit, sed ad illarum omnino vires vel perfectas vel imperfectas sese attemperat, & varios quasi partus procreat perfectione, & imperfectione differentes nec tamen ideo virtus causæ primæ seu vniuersalis minor est, neque potestas infirmior, quia causis secundis se attemperat, quarum imperfectione licet interdū suo frustretur effectu, id tamen non fit defectu proprio, sed causæ adiutricis, seu causæ secundæ, quos autē effectus per se sine causa adiutrice producit, in his nihil frustra facit: Sic Christus quas preces per se fudit in ara crucis, in iis *exauditus est*, inquit *Paulus*, *pro sua reuerentia*: sed in iis quas offert per homines in sacrificio Missæ non semper exauditur, non quod Christo supplicāti quicquam denegetur, aut defectus in ipso reperiatur, sed in ministro. Cū enim passio Christi sit causa vniuersalis suos effectus non deriuat in nos, nisi per causas secundas, nimirum per sacramenta & sacrificium Missæ, per orationes, eleemosynas & similia. Heb. 5.

II. An maioris sit efficaciæ Missa boni sacerdotis quam mali.

1. Cvm sacrificium Missæ vim habeat impetrandi & *ex opere operantis* seu deuotione offerentis, sicut & cæteræ preces ac orationes: & insuper valeat & vim habeat impetrandi *ex opere operato*, seu ex institutione Christi, sicut & sacramenta quæ solum ministerialiter fiunt ab ipso operante, ita vt Deus respiciat non tam ad bonitatem ipsius ministri seu sanctitatē, quam ad suam institutionem, idem enim operatur baptismus siue à bono siue à malo ministro conferatur: Sic & sacrificium Missæ licet ipse sacerdos sacrificans impius fuerit, vim tamen habet impetrandi ex opere operato, hoc est, ex eo quod sacrificiū offertur: quia qui hic offert est Christus ipse, inquit *concilium Tridentinum*, idque facit per manus sacerdotis tanquā sui ministri: Cum enim sacerdos consecrando offert dicens, *Hoc est corpus meum*, ea verba profert non in propria persona, tunc enim falsum diceret, sed in persona Christi. Et si respicias Christum offerentem, sic valet hoc sacrificiū & vim habet impetrandi ex opere operantis, hoc est, ex bonitate Christi offerentis: Sed si respicias sacerdotem offerentem qui proprie operatur & immediate offert, vim habet ex opere operato, quia placet Deo & effectum habet etiamsi minister sacrificans improbus sit. Itaque quod est opus operātis respectu Christi, inquit *Bellar*, hoc est opus operatum respectu ministri. Absolute tamen cum dicitur Missa vim aliquam habere ex opere operantis, semper intel- Cōc. Trid sess. 22. c. 2. Bellam, Lib. 2. cap. 4. de missa.

ligitur

Digitized by Google

ligitur de valore quem habet ex bonitate miniſtri, quia ipſe eſt qui proprie operatur, Chriſtus vero non operatur neque offert niſi per miniſtrum.

2. ET QVANQVAM ſacrificium Miſſæ neceſſario non requirat bonitatem miniſtri offerentis, neceſſario tamen requirit bonitatem alicuius offerẽtis, ſiue Chriſti, ſiue ſacerdotis, ſiue populi qui offert in ſacerdote & cũ eo, quia cum impetret per modum orationis non placere nec impetrare, niſi offerens placeat: Quanquam enim res quæ offertur ſit Deo gratiſſima ex ſe, non tamen res illa ſed eius rei oblatio proprie ſacrificium dicitur, quia ſacrificium eſt actio tranſiens, non res permanens, oblatio autem rei non placet Deo niſi offerens prius placeat, quia ipſe bonorum noſtrorum ſeu munerum non indiget. Cum itaque bonitas miniſtri offerentis & feruens oratio & medulla deuotionis eius accedit, tunc ſicut ſacramentũ corporis Chriſti pro diſpoſitione ſuſcipientis plus minuſue operatur, Ita pro deuotione offerentis eſt plus minuſue acceptum Deo, & plus minuſue fructus percipitur ex eo. Et hoc eſt quod *Bernardus* ait, Si non places non placas.

3. EX QVIBVS conſequitur Miſſam boni ſacerdotis, licet in ſe non ſit maioris virtutis quam mali, plus tamen prodeſſe etiam ex parte ſacrificii, ſicut magis digna ſacramentorum ſuſceptio plus obtinet de virtute ſacramenti. Detrimentum tamen quod obuenit ex parte ſacerdotis ſarciri poteſt deuotione populi circumſtantis, aut Miſſam expetentis, aut etiam totius Eccleſiæ in ſingulis ſuis membris offerentis, aut etiam precibus Sanctorum vt illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris: A quibus lege communionis Sanctorũ tantum ſubſidii quiſque conſequitur, quantum deuotio cuiuſque adiuuari meretur. Poteſt tamen euenire fructus ex ſacrificio Miſſæ, etiamſi nec ſacerdos qui immediate offert pius aut deuotus fuerit, nec ii pij ſint aut deuoti pro quibus offertur, vt ſi pro infidelibus offeratur, quibus valet ſacrificium Miſſæ, non iure communionis, ſicut fidelibus, ſed plane gratis ex benigna Dei acceptatione, & meritis offerentium & Eccleſiæ, tanquam catellis qui edunt de micis cadentibus ex menſa Dominorum ſuorum.

4. CETERVM deuotionis nomine hoc loco intelligimus non ſenſibilem illam affectus dulcedinem, mulieribus & primo incipientibus multum vſitatam, ſed conſiderata immenſa Dei maieſtate, profundam erga eam reuerentiam, timorem & humilitatem: & cognita eius bonitate, & miſericordia, fiduciam, & dilectionem; perpenſa quoque acerba Chriſti paſſione, cuius in Miſſæ ſacrificio memoriam facimus, excitemus compaſſionem & gratiarum actionem: conſiderato etiam fructu, quem ex ipſo ſacrificio conſequi nitimur, affectum illi congruum prouocemus, vt ſi peccatorum veniam obtinere velimus, cordis compunctionem, ſine qua veniam ægre quis conſequi poterit, excitemus: quod ſi ſapientiam aut aliam quampiam virtutem adipiſci nitamur, flagrans erga illam deſiderium exhibeamus, & dum pro aliis ſacrificamus, pro illis quoque ſimiles affectus ſuſcitemus, quod quia difficile eſt pro multis æque facere, ac pro paucis, ideo non poteſt pari fructu Miſſa pro pluribus dici ac pro vno aut pro paucis, & minus prodeſt vnum ſacrificium ſingulis, dum pro multis offertur, ad ſatisfaciendum vel aliquid impetrandum, quã ſi pro ſingulis in particulari offerretur: non ſecus quam oratio ſpecialis vni applicata eidem plus conducit quam generalis.

5. HINC NON ſatis tuto faciunt qui pro vnica Miſſa celebranda diuerſa ſtipẽdia a diuerſis ſuſcipiunt, fraudãt enim eos fructu ſacrificii ſi non integro, ſaltem ex parte: nam alioquin fruſtra in particulari pro ſeipſo vel amico ſacrificium fieri quis procuraret, nec habenda eſſet ſingularis memoria aut Pontificis, aut Regis, aut huius vel illius, in ſacrificio Miſſæ: Su-

sæ: Superuacaneum insuper foret studium fidelium, quo speciatim pro se offerri, atque nominatim in memoria actionis sacræ constitui, eleemosynis piisue legatis in enim finem derelictis, satagunt: quod in Wiclefo speciales orationes non plus quam communes prodesse asserente olim datum est in *synodo Cantuar. concil.* 19. vnde sequitur diuersarum fundationibus Missarum vnico sacræ oblationis officio minime satisfieri, quando fundatores pro se ipsis aut certis causis vel personis speciatim offerri constituerunt, quod recte ordinari posse constat ex *Apostolo*, qui sacrificales orationes cum pro omnibus, tum pro specialibus personis fieri præscripsit: & ad *Ephesios 6. cap.* præter communes Ecclesiæ preces, orari pro se petiit, *orate*, inquit, *pro omnibus sanctis & pro omnibus sanctis & pro me.* Sacrificatio autem est efficacissima & realis quædam oratio: vt enim qui principi præclarum aliquod munus offert & exhibet, per illud Principem sibi beneuolum efficit vt facilius si quid postulet, impetret, ita cum in sacrificio Missæ Deo patri corpus & sanguinem vnici sui filii offeramus, quæ nobis relicta sunt & tanquam pignus hæreditatis, & velut pretiū nostræ redēptionis, vt quoties illa offerimus, nō solum nos Christi passionis memores simus, sed etiam, ea Deo tanquā pretium, & velut litrum nostræ redemptionis præsentemus & exhibeamus, per hoc nobis Deum Patrem & propitium & beneuolū reddimus, vt quod postulamus facilius impetrare possimus.

7. Et quia facilius remissionē vnius Rei impetramus, quam multorum, ideo plus energiæ habet, & plus prodest sacrificium pro vno solo oblatum quā pro multis. Hinc tamen non sequitur quod melius sit interesse sacrificio Missæ ad quod pauci conueniunt, quam ad quod multi: aut quod minus de eo participēt cui multi intersunt Missam audientes, quam vbi solum vnus & alter interest, quia cū multi intersunt, singuli in sacerdote per eius ministerium pro se offerunt: & quo quisque deuotius Missā audit, eo plus fructus cōsequitur: & qui pro se curat fieri sacrū, pro sua munificētia plus accipere meretur, quā si nihil contribueret. Quanquā enim certus finitusque sit sacrificii valor & fructus, non tamen ille pluribus cōmunicatus minuitur, vt fit in rebus corporalibus quæ diuiduntur, sed is vnus & idem in se permanens, licet finitus sit, tantum quisque de eo participat, quantum capax fuerit, sicut fit in rebus spiritualibus aut etiā in participatione luminis solis.

III. De partib. & ritibus Sacrificii Missæ.

1. In primis hic notandum quod nomen Missæ à *Missach* deductum videatur, quod in veteri lege voluntariam oblationem significabat. Nam cum Apostoli ad hoc sacrificium offerendum sacerdotes à Christo instituti Hebræi fuerint, non improbabile est mysterio noui testamenti hebræum nomen eos indidisse, quod postea retentum sit à conuersis gentibus & ab Ecclesia è gentibus congregata, sicut & hæc vocabula hebræa in Ecclesia fuerunt retenta, Pascha, Ozanna, Sabaoth, Amen. Idque conuenientissime, cum sit sacrificium voluntarium, quod quisque voluntarie & ex deuotione offerre debet. Neque enim hoc dicendum quod falso docuit *Lutherus* in sacrificio Missæ, sicut & in sacra cœna, fieri duntaxat sacramentum, non autem institui sacrificium. Nam & sacramentum est quod nobis datur ad manducandum, & idem sacrificium est quod Deo offertur ad eius supremum dominium recognoscendum, eumque tamquam summum Dominum honorandum. Neque enim repugnat vnum & idem esse Sacramentum & sacrificium alio, & alio respectu, vt iam ostensum est. Nam sicut agnus paschalis prius offerebatur à filiis Israel quam comedebatur, ita & Christus in Eucharistia quæ successit in locum agni paschalis, prius seipsum patri obtulit & postea Discipulis ad manducandum dedit. Deuter. 16

2. In Sacrificio Missæ quinq; partes solent

solent constitui, præter eam Missæ partem quæ est catechumenorum, durans vsque ad offertorium. *Prima* pars est oblatio panis & vini quæ fit ante canonem, vbi aqua vino miscetur & simul offertur: quo significatur quod populus Christo adunatus seipsum cum Christo Deo offerat. Nemo solam aquam offerre præsumat, inquit *Cypria.* quia non potest esse gratum sacrificium si homo seipsum solum sine Christo offerat. *Secunda* pars est consecratio qua panis in corpus Christi conuertitur, & vinum in sanguinem, estque in ea realis mutatio quæ ad rationem externi sacrificii requiritur, quia licet corpus Christi in se nullam iam admittat mutationem aut læsionem, ponitur tamen in altari vi consecrationis, & Deo sistitur, atque offertur tanquam mactatum & occisum, dum seorsum corpus sub arida specie panis, & seorsum sanguis sub specie vini exhibetur. Satis autem demonstrat se Deo aliquid offerre, qui reipsa offert, etiamsi verbis nihil dicat: ita vt hic simul sint consecratio, oblatio, & immolatio, quia victimam in altari ponere quod fit per consecrationem, est reipsa eam Deo offerre, & quoniam sacrificium principaliter in persona Christi offertur, & nihil faciat sacerdos tam perspicue in persona Christi quam Consecrationem, dicendo *Hoc est Corpus meum, Hic est sanguis meus*, ideo in consecratione principaliter consistit essentia & ratio sacrificii.

Cypr. lib. 2. Epist. 3.

3. ET CVM Christus sacerdos sit secūdum ordinem Melchisedech, qui panem & vinum obtulit, vt veritas figuræ correspondeat, instituit & Christus sacrificium nouæ legis sub speciebus panis & vini, vnde *concili. Toleta. 7. can.* 2. constituit, vt si post vnam speciem consecratam, sacerdos ægrotare incipiat, alius inchoatum sacrificium perficiat. Nihilominus quamuis perfectius repræsentetur Passio Domini dum fit consecratio sub vtraque specie, potest tamen fieri, si necessitas tale quid postulet, sacrificiū per vnius speciei consecrationem, quia & hic potest repræsentari exangue corpus Christi, dum solus panis consecratur, aut sanguis effusus, dum vinum solum consecratur. Vnde *Volateranus* scribere dicitur Norvvegiis ab Innocentio 8. concessum fuisse, vt absque vino consecrarent, & sacrificarent, eo quod nec vinum ibi crescat, & aliunde aduectum mox acescat. Vnde hæ duæ species panis & vini ad integritatem sacrificii requisitæ, magis videntur partes integrales esse, quam essentiales ipsius sacrificii, vt perfectius repræsentetur passio Christi. Et sicut Christus licet sub vtraque specie sacramentum distribuerit, non tamen per hoc omnibus necessitatem sumendi vtramque speciem imposuit: Sic nec ex institutione sacrificii sub vtraque specie consequitur legem a Domino constitutam esse, vt aliter fieri nequeat. Non facile tamen omittenda est altera species, nisi vrgens sit necessitas, quia multi sunt Doctores, qui sustinent vtriusque speciei consecrationem non solum ad integritatem, sed etiam ad sacrificii essentiam requiri, ita vt sine iis sacrificium subsistere non possit. Sed alterius sententiæ est Bellarminus.

Volat. lib. 7. cap. 4.

Bellar. lib. 4. cap. 24. de Eucha.

4. TERTIA PARS est oblatio corporis & sanguinis Domini quę consecrationem sequitur: Et quia verba huius oblationis non dicūtur in persona Christi, sed in persona ipsius ministri & ecclesiæ, sic enim dicitur, *Vnde & memores nos serui tui* &c. ideo non consistit ibi ratio sacrificii, sed est veluti approbatio, quod tota Ecclesia consentiat in oblationem à Christo factam, & quod simul cum ipso offerat. *Quarta* pars est fractio & commixtio sacramenti. *Quinta* pars est sumptio corporis & sanguinis Domini, qua fit vt realiter desinat Christus esse in sacramento. Et hæc sumptio celebrāti est necessaria, quia Christus sacerdotem non solum offerre, sed etiam manducare hostiā voluit, quia teste *Paulo, qui edunt hostias participes sunt altaris*, id est hostiæ prius in altari immolatæ, & *Ioan. Qui manducat meam carnem*

1. Co. 11.

cap. 6.

sicut cum oleum infunderetur similæ, aut vinum pani, aut per contusionem, aut per frixionem, vel per quamlibet aliam mutationem iuxta diuersitatem rerum quæ offerebantur. Voluit autem Deus res quæ sacrificabantur interimi, si viua erant animalia, aut alio modo absumi vel saltem immutari, si res erant inanimæ, vt eo modo humanis vsibus subductæ, ac in Dei viui tanquam supremi omnium Domini, veluti possessionem, tam quo ad vsum quam quo ad substantiam translatæ, perfectum eius in omnia dominium, cũctaq; eius obsequio seruire oportere, designaretur. Hæc moralis significatio intrinseca est omni sacrificio, fuissetque etiamsi homo non peccasset, & Christus mortuus non fuisset: Sed præter hanc moralem significationem, habet & aliã mysticam, quæ est ipsi sacrificio veluti externa, eique accessit ex diuina institutione post hominis lapsum, quo typice nimirum adumbratur mors Christi, & peccati mortisque destructio.

3. CVM ITAQVE sacrificia post lapsum sint instituta non solum in recognitionem supremi dominii, quæ Deo offerantur, vt creatori & auctori naturæ, qui vitã nobis donat, & alimenta, quibus vitam sustinemus, subministrat: verum etiã in typum & figurã passionis Christi, quæ Deo exhibentur vt auctori gratiæ, ad fructum spiritualem, vtpote ad remissionem peccatorum & alia dona supernaturalia consequendum, quippe quæ mysterium Christi venturi in se cõtinebant, quod mysterium non poterat ab homine præfigurari, nisi diuinitus informatus & de hoc mysterio fide fuisset illustratus: Recte mihi dicere videntur qui tradunt quod legitimorum sacrificiorum, sicuti & diuinorum sacramẽtorum institutionẽ Deus sibi soli seruauerit: idque etiam ideo ne quis superstitiosum existimaret esse cultum dum quis externis sacrificiis, vtpote occisione animalium & similibus colit & honorat Deum: non tanquam Deus oblectetur odore thuris incensi, aut nidore animalium cremandorum, sed quia offeruntur in recognitionem supremi dominii, dum per id agnoscimus Deum & primum principium a quo omnia proueniunt, & finem vltimum in quem omnia referri debeant. Hinc & dæmones tantopere affectant vt ipsis sacrificetur, non quod sanguine occisorum animalium delectẽtur, sed quia sacrificiis tanquam signis supremi dominii & honoris diuini se honorari gestiãt. Inter homines autem rarissimi commemorantur qui sibi vt sacrificaretur, cum regia potestate pollerent, ausi fuerint imperare, inquit *Aug.* Quicumq; tamen ausi sunt, per hoc se Deos haberi voluerunt.

Aug li. 10. de Ciuit. cap. 4.

4. PRIMIS itaque fidelibus, vt Abeli, Enoch & similibus tempore legis naturæ interna inspiratione: postea tempore legis Mosaicæ aperta iussione declarauit, quomodo quibusue sacrificiis coli vellet, nec alia cuiquã instituere vel offerre permisit: Quia vt recte docuit *Socrates*, teste *Aug. de consen. Euang.* Deũ colere oportet quomodo se colendũ ille præcepit: Id quod & Moyses docet cum ad populũ ait, *quod præcipio tibi tantũ facito Domino.* Quæ sentẽtia in oblatione sacrificiorũ indubitatã veritatẽ obtinet: nã veteri populo Deus sacrificia per quæ vellet latriã sibi exhiberi, instituit, nec alia cuiquã instituere vel offerre permisit. Vnde temerarium fuit facinus Iephte in immolatione suæ filię, si *Ambrosio* credimus neque sacrificium huiusmodi, licet vt votum impleret obtulerit Iephte, Deo fuit acceptum Poterat quidem Deus mandare vt vel nosipsos, vel carissimos nostros liberos in tributum naturæ pẽderemus & offerremus, quemadmodum Abrahæ imperauit immolationem filii sui Isaac, & in lege primogenita exegit, sed quæ redimere licuit: verum huiusmodi sacrificia non admisit, ne ex hominum cæde homo crudelis euaderet & inhumanus.

Aug. lib. 1. cap. 18.

Deut. 12.

Ambr. lib. 3. off. c. 12.

5. ET QVONIAM impuri spiritus nõ ignorabant vitam hominis Deo deberi, & pro eius honore si aut ipse præciperet, aut

Digitized by Google

necessitas postularet nos mortem oppetere oportere, hinc suis cultoribus persuaserunt filios suos & filias suas dæmoniis sacrificare. Sicut Rex ille Moabitarum ad
4. Reg. 3. extremam necessitatem redactus proprium filium immolauit, vt hoc veluti excellentissimo sacrificio, diuini numinis opem sibi asciseeret. Per sacrificium enim tanquam per gratuitum quoddam donum, & munus excellentissimum, quod homo Deo offerre posset, & bona hominis affectio erga Deum ostenditur, & diuinus honor ei tribuitur, dum per illud supremum illum Dominum agnoscimus, nosque & omnia nostra ei subiecta profitemur: hocque agendi modo eius beneuolentiam, beneficentiamque promereri studemus. Nam quanquam Deus munerum nostrorum non egeat, neque nidoribus animalium occisorum delectetur, gratus tamen est ei pius & humilis offerentis affectus & animus. Sic enim ad A-
Gen. 22. braham dixit, *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me, benedicens benedicam tibi.*

6. Svnt namqve sacrificia omnia veluti reales quædam orationes quæ plurimum prosunt ipsis orantibus vt preces eorũ facilius exaudiantur: meretur enim citius exaudiri qui precibus suis munera adiungit & dona, quibus licet Deus non egeat, tamẽ affectus donãtis ei gratus est. Sed in hoc excedit sacrificiũ nouæ legis, quod est sacrificium Missæ, sacrificia vetera, quod hæc omnem suam vim habuerint ex deuotione offerentis, Deoq; eatenus grata erant & placebant, quatenus ab amico & ab eo qui ei gratus erat offerebãtur, vnde dicit *Ambro.* Quod Deus respexerit ad Abel & ad sacrificium seu munera eius: Prius inquit, ad Abel, quia is gratus erat, ideo & sacrificium eius Deo placebat: Ad Cain autem quia improbus erat non respexit, ideo nec eius sacrificiũ placebat. Sic & sacrificiũ Iob potius quã amicorum eius suscepit Dominus, quia Iob amicus erat Dei, non item alii. Ex vi autem propria nihil valebant sacrificia vetera, sed erant *infirma & egena elementa*, teste *Paulo*: valebant quidem ex sua Gal. 4.
institutione ad immundicias carnis tollendas, sed non ad conscientias emundandas.

7. Hinc Dominvs per *Isaiam* dicit, Isai. 1.
Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum: holocausta arietum & hircorum nolui, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens: & alibi sic ait, *Qui ma-* Isa 6.
ctat pecus quasi qui excerebret canem & qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum. Certe molesta fuerũt Deo huiusmodi sacrificia non per semetipsa, quia Deo non potest suũ displicere institutũ, sed per abusum offerẽtium, dũ non solũ absq; virtute & correctione interioris hominis illa offerẽt, sed etiam quia plurimi Israelitarũ ex consuetudine gentilium talẽ de Deo habebant opinionem, qualẽ idololatræ de suis idolis, tanquam Deus carnalibus delectaretur sacrificiis, vnde Dominus tanquam per irrisionem eos interro-
gat, *Nunquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo? Si esuriero non dicam tibi, meus est enim orbis terræ & plenitudo eius.* Psal. 49.
Hunc errorem igitur quo quidam sacrificãtes se suis sacrificiis Deo potius quam sibi consulere putabant, tãquã sacrificia Deo essent profutura, sublatum volebat Dominus, neque enim Deus nostrorum eget bonorum.

8. Permittebat tamen Deus Israelitis sacrificandi vsum, vt quæ idolis offerre consueuerant in Ægypto, inquit
Greg. sibi ea offerri præciperet: principio Gregor.
satis fore ratus, si dissimulata opinionis Epist. 71.
illius prauitate Israelẽ per sacrificia à cultu idolorum ad suum cultum traduceret: cogitans interim prauam eorum opinionẽ sensim corrigere, & ad veram fidem ac legitimum sacrificiorum vsum perducere. Cum autem Israel in praua illa opinione vltra quam par erat, hæreret & non corrigeretur, dixit tandem Deus, Nõ accipiam de domo tua vitulos neq; de gregibus tuis hircos. Vt enim illi qui ærariam profitentur artẽ, liquefacta cera vtili-

ter

ter præmonstrāt futurorum figuras, non vt ars vlterius non progrediatur, sed vt in in illis eorum quę nondum facta sunt, prę luceat similitudo: Ita inquit *Cyrill.* Deus priscis temporibus inspirauit & instituit sacrificia, quæ Passionis, & Resurrectionis Christi præuiæ essent figuræ: Non vt religio fidelium illis immolandis perpetuo deseruiret, sed vt ex illis ad meliores tandem hostias immolandas, fideli Republica in melius proficiente procederet, sicuti à signis ad rem signatam procedere quis solet.

Cyrill. lib. 9. in Iulia.

9. ET EATENVS dicitur in Scriptura sacra aliquoties, quod Deus incenso sacrificio odoratus sit odorem suauitatis, partim propter animum offerentis pium, humilem, & deuotum, partim propter mysterium rei significatæ, quæ quanto erat dignior & præstantior, tanto erat ipsum sacrificium gratius & acceptabilius rem huiusmodi præfigurans. Hinc de quibusdam hostijs peculiariter dicitur quod apud Deum fuerint suauissimi odoris: Nā quanquam omne sacrificium inde laudē habeat Deoque gratum sit, quod immediate in supremi dominij & diuinæ excellentiæ recognitionem offeratur: Tamen præter hanc moralem significationem, habet & aliam mysticam, quæ est ipsi sacrificio accessoria & veluti externa, qua typice nimirum præfiguratur mors Christi. Vnde duplici de causa circa ipsū sacrificium immutatio seu destructio fieri debebat, partim propter mysticā significationem, quia res mysticè significata, Christus nimirum ipse morte erat immutandus partim propter moralē significationā, quia significabatur quod res omnis totaliter & quo ad vsum & quo ad substantiā Deo sit subiecta, tanquam qui potestatem & plenū dominiū habeat vitę & mortis. Et quanquam in lege Mosaica discernebantur animalia munda ab immūdis, & illa offerri, Deo sic statuente, hæc nequaquā poterant, tempore tamen legis naturæ propemodū cuiusuis generis animalia offerre licebat, quia Dei sunt omnia.

10. QVID SI mutatio rei sit de ratione sacrificij, ergo dum Melchisedech panem & vinum obtulit, vt ea obtinerent rationem sacrificii, non integra permanere poterant, sed certo ritu facta commixtione panis & vini, vel aspersione & effusione in sacrificium commutari debebant. Nā, vt dictum est huiusmodi mutatio fiebat varijs modis, aliquando gladio per occisionem animalis, aliquando igne per cōcremationem, sicut quando thus accendebatur, aliquando effusione vt cum vinum effunderetur, aliquando fixione aut aliis modis. Hunc sacrificandi ritum etiā gentiles obseruabant, sed eum à fidelibus didicerant, & hauserant, diabolus enim cum & ipse Deus haberi velit, diuinoque delectetur honore tanquam simia Dei eum imitatur quibuscumque potest modis. Etiam Christus sacrificium nouæ legis instituens illud sub duabus speciebus panis & vini instituit in memoriam suæ passionis, quæ repræsentatur in eo quod vi verborum consecrationis sub specie panis ponatur quasi exangue corpus Christi, & sub specie vini, sanguis quasi effusus.

II.

1. CVM proprio & peculiari cultu coli, velit & debeat Deus, qui non sit ei sacrificio cum creaturis villis cōmunis, is autem in non potest sacrificio externo atque visibili situs sit, consistere quo protestamur summum & supremum eius dominium quod cum nemine habet commune, sed ei soli competit, qui est principiū à quo omnia & finis in quē omnia, qui est auctor vitæ & rerum subsistentiæ, quod de eo profitemur dū illi sacrificium offerimus: patet sine sacrificio veram non posse consistere religionē: Quia quotquot sunt alia honoris aut cultus signa, vt genuflexio, candelarum accensio, statuæ erectio, laus & vocalis oratio, adoratio & similia, etiā aliis à Deo impendi possunt. At sacrificium talis latriæ cultus est, vt nulli nisi Deo impendi possit. Et quanquam Deus spiritus sit, qui spiritu potissimum sit colendus,

Absque sacrificio externo non potest consistere religio.

i 3 vtpote

vtpote fide, dilectione, deuotione, caritate, oratione & similib. mentis actibus: quoniā tamē homo nō solū anima sed & corpore cōstat, licet Deū visibili, & externo sacrificio nō egeat, eget tamē ipse homo quo nō solū semetipsū externe & fidē protestetur, verumetiam sine quo in vnā religionem populus christianus coalescere non posset.

2. HINC DIABOLVS per suos ministros hæreticos in id totus incumbit vt tollat sacrificium, sciens quod sublato sacrificio interire debeat & religio. Nullū enim visibile noui testamenti sacrificium agnoscunt hæretici, sed quicquid de sacrificiis visibilibus in nouo testamento dicitur, ad bonas operationes & præsertim eleemosynas detorquent. Nam: *Paulus* loquens de eleemosynis sic ait *Talibus hostiis promeretur Deus.* Haud dubie etiam bonas nostras operationes requirit à nobis Deus ne simus infructuosi & cum ficu infructuosa maledictioni obnoxij: quia non solum qui male operati nō sunt peribūt, sed & qui bene operati non fuerint: Ita n. legimus *Math. 25. Esuriui & nō dedisti mihi mā ducare. Ite maledicti in ignē æternū.* Hebr. 13.

3. VERVM CVM Christiana religio omnium quæ vnquā fuerunt sit perfectissima, & nulla vnquam religio sine sacrificio constare potuerit, adeo vt ne gentes quidem idola colentes suis caruerint sacrificiis, vt enim actu fidei interno credimus Deum omnium supremum Dominum & primum principium à quo omnia, Ita sacrificii actu externo profitemur Deum supremum Dominum. Vt proprerea dixerit *Aug.* quod nemo vnquam alicui sacrificauerit, aut sacrificandum esse duxerit, nisi ei quem Deum aut sciuerit aut esse putauerit, Certe non decuit vt ea suis sacrificiis careret, quæ & tempore legis naturæ & Mosaicæ legimus à Deo instituta & à Dei cultoribus obseruata fuisse, quibus Deum & publico ritu & externa veneratione ipsi singulariter d[...]ta, colerent, & adorarent. Nam quanquam christianæ religionis cultus præcipue sit internus, situs in fide & caritate, quia tamen non tantum animo, sed etiam corpore constamus, & sensibili externoq; cultu in vnam religionem coalescere debeamus: consequitur non solum interno, sed etiā externo obsequio & cultu, qui Deo proprius sit, quale est sacrificium, nos Deum colere oportere: Nisi in illā maledictionem & desolationem incidere velimus, quam olim Deus per Oseam fuit comminatus Iudæis in peccatorum vindictam, quod innumeris diebus sederent absq; sacerdotio, absque altari & sacrificio. Et certe vbi deest religionis exercitiū & externus cultus Deo proprie debitus, qui in sacrificio consistit facile flaccessit internus pietatis spiritus. Nam quanquā is & orationibus & eleemosynis foueri possit, non tamen ita vt cultu sacrificii, quod vim habet impetrādi non solū ex deuotione offerentis, sed etiā ex propria qualitate & sui institutione, præsertim si id quod offertur & sacrificatur sit pretiosum & Deo gratum atq; acceptū, vt est corpus & sanguis Christi, & in hoc Azarias sese suosq; collegas deflet, quod in Babylonica captiuitate sedētes nulla haberent holocausta aut sacrificia. Sic enim ait *Daniel, & non est in hoc tēpore princeps & propheta, neque holocaustum neque sacrificium, vt possimus inuenire misericordiam tuam.* August. lib. 10. de ciui. ca. 4. Ose. 3. Dan. 3.

4. DOCENT hæretici, quandoquidem vnica oblatione cōsummauerit Christus sanctificatos in æternum, vti *Paulus* ait quod nullum amplius restet sacrificium in noua lege offerendum, quia acquisita semel peccatorum remissione & sanctificatione consummata, superflua est omnis hostia. Sic enim *Paulus* ibidem argumentatur, *per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter, nunquam potest lex habens vmbram futurorum bonorum accedentes perfectos facere, alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent vltra conscientiam peccati cultores semel emondati.* Id si verum esset sicuti hæretici volunt & intelligunt, tunc nec sacrificia veteris legis Hebr. 10. Heb. 10.

nec baptismus, nec orationes, nec alia salutis obtinendæ media forent necessaria. Nam omnium temporum homines non nisi per sacrificium crucis iustitiam sunt adepti. Cuius licet infinita sit virtus, ea tamen non nisi per certa media erat ad nos deriuanda, antequam fructum eius participare possimus. Huiusmodi autem media sunt fides, oratio, eleemosyna, sacramenta, sacrificium Missæ & similia, per quæ ex diuina ordinatione & institutione fructus sacrificij crucis Christi, tanquam causæ vniuersalis ad nos deriuatur.

5. ET IDEO sicut baptismus non est superfluus, neq; orationes superfluæ sunt licet Christus vnica oblatione cõsummauerit sanctificatos in æternũ, sic nec sacrificiũ Missæ superfluum est. Nam cum dicitur quod *Christus vnica oblatione consummauerit sanctificatos in æternum*, hoc intelligitur quoad sufficientiam, quia sufficiẽs est sacrificium crucis omnes sanctificare ita non sit necesse Christum sæpius mori. Sed vt ego per sacrificium crucis efficiar sanctus debet mihi illa hostia quę ad sanctificandum est sufficientissima, per certa media vtpote per orationes, per sacrificiũ Missæ, per sacramenta & similia applicari. Imo quotquot sanctificantur, aut in sanctitate consummantur & confirmantur, non nisi per oblationem crucis consummãtur & sanctificantur, licet diuersa media vtpote Sacramenta & sacrificia ad id adhibeantur: Inter quæ duo hæc ponitur differentia, quod operationes Sacramentales ad nostram salutem procurandam sint institutæ: sacrificia vero ad honorẽ Deo immediate exhibendum, & vlterius ad aliquid ab eo impetrandum (sunt enim sacrificia veluti reales quædã orationes) sint nobis præscripta. Et cũ *Paulus dicit*, Hebr. 10.
Si lex potuisset suis hostiis accedentes perfectos facere, cessassent offerri: Sumit ibi hostias prout eas capiebant & de eis loquebantur Iudæi, volentes per eas secundum se sumptas absq; sacrificio crucis sanctificari, tanquam eæ istius fuissent virtutis & sufficientię, cuius est sacrificiũ crucis. Et hoc *Paulus* dicit falsum esse, quia lex cum suis hostiis secundum se sumpta nihil adduxit ad perfectum.

6. IAM IGITVR in noua lege non quidem oues, & boues Deo in sacrificium offerimus, sed Christus semetipsum reliquit, hoc est, corpus suũ sub specie panis & sanguinem sub specie vini tradidit nõ solum in Sacramẽtum quo pascamur, sed etiam in sacrificiũ quod Deo in recognitionem supremi dominij offeramus. Id olim *Malachias* futurum prædixit sic inquiens, *A solis ortu vsq; ad occasum magnũ est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, vbi Propheta legalium sacrificiorum cessationem, gentium vocationẽ mundissimæ eucharistiæ oblationem in ecclesia toto orbe colligenda prædicit futuram. cap. 1.
Neque enim ad spiritualia precũ bonorumque operum sacrificia hic locus referri potest, vt hæretici volunt, quia propheta sacrificium sacrificio, sacerdotem sacerdoti, panem pollutum oblationi mundæ quæ nulla ministrorum iniquitate pollui posset, sicut antiqua illa carnaliaq; sacrificia polluebantur ex ministrorum impietate, opponit. Nam propheta oblationem synagogæ in animalium cæde sitam reiiciendam, & in eius locũ nouam aliamq; externam oblationem in gentibus successuram prędicit.

7. SACRIFICIVM laudis, precum, bonorumq; operum non est populo Christiano proprium, cũ in omni lege & statu veri fideles talibus metaphoricis sacrificiis Deum coluerint, neque hic de sacrificiis improprie dictis seu metaphoricis, sed proprie dictis agitur. *Improprie* sacrificia vocantur, quæ, præter bonitatem, quam ex specie sua obtinent, per virtutem religionis ad cultum & honorem Dei referuntur, qualia sunt omnia virtutum officia in Dei honorem relata, proprie autem sacrificium appellatur, quod ex primaria sua institutione ordinatum est ad exhibẽdum Deo externum latriæ cultum, quod inde tantã laudem habet, iuxta

The-

Tho.2.2. q.85.a.3. Aug li.10. de ciuit.c.4.& seq. *Thomam* quod in Dei reuerentiā fiat. De vtroque sacrificiorum genere differens *Aug.* proprie dictum sacrificiū vocat externum seu visibile interni seu inuisibilis sacrificij sacrum signum & improprie dictum sacrificium appellat verum & perfectum sacrificium, non quia ratio sacrificij proprie ei conueniat, sed quia ex natura & officio virtutis, opus laudabilius Deoque magis gratum & saluti nostræ cōducibilius sit externa & visibili sacrificii typici oblatione quæ per se secundum actum externum considerata, non bona vel Deo accepta, sed tantum ex interni sacrificij Deo per se grati significatione, aut alterius rei commemoratione. Quomodo Christus dicitur *vitis vera*, nō quia sit vitis proprie dicta, sed quia per metaphoram vitis appellatio ei competat & res significata incōparabiliter re significante sit præstantior.

III. Sacrificiū requirit sacerdotium. Hebr.5. Qvando qvidem sacrificium præstantissimus sit diuinitatis cultus in ter omnes cultus externos merito ad illud offerendum non quilibet ministerre putatur idoneus, sed qui peculiari ritu ad id fuerit ex diuina præscriptione consecratus & deputatus. Sic enim *Paulus* ait *Nemo sibi assumat honorem sed qui vocatur à Deo sicut Aaron: vnde nec Christus semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:*

Num.16. Quare *Dathan, Chore & Abiron* sibi sacerdotij munus vendicare præsumerent, repentino terræ hiatu absorpti sunt. *Saul*

1.Reg.13. quoque quia sacrificare ausus fuit regno eiectus est. *Ozias* Rex ob similem temeri-

2.Paralip.26. tatem lepra percussus legitur. Hinc Christus offerendi potestatem suis apostolis dedit cū eos in sacerdotes consecrauit, dicens: *Hoc facite in meam commemoratio-*

Matt.26. *nem* Apostoli vlterius per ciuitates episcopos alios & sacerdotes ordinarunt, vt rite sacrificare possent: & hic mos ex apostolica traditione in hunc vsque diem in ecclesia permansit, vnde *Dionysius* ait, nec ipse sacerdos erit nisi pontificalibus officiis ad hoc ipse fuerit promotus, & *Tertullianus* Marcionitas ridet quod laicis sacerdotalia munera committerent, cum ne quidem matri suæ Christus permiserit inquit Epiphanius vt sacrificaret. Dionys. lib. de eccl. hier. ca.5. pag.2. Her.79.

2. Qvæstio hic moueri solet de agno paschali, qui institutus fuit non solum in conuiuium vt ederetur, sed etiam in sacrificium vt immolaretur, vt patet *Exod.* 12. vbi sic dicitur *immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel:* ita vt *Philo Iudæus* dicat, quod cum mactaretur & immolaretur agnus paschalis, quisq; se pro sacerdote gesserit, quomodo ergo requiritur peculiaris minister qui sacrificiū offerat. *Hic dicendum* Sacrificium Agni paschalis fuisse institutum ante legē populo adhuc existente in Ægypto, cum lex demum fuerit instituta decimo quinto die post exitū de Ægypto, & exinde institutū sit legale sacerdotium: Ipsum tamen sacrificium Agni paschalis ad legis obseruantiā fuisse translatum, sicut & circumcisionē, quæ fuit ante legem instituta, & ideo sicut tēpore legis naturæ, primogeniti iuxta Hebræorum traditionē ac patresfamilias sacerdotio fungebātur quod erat eis assignatum non lege diuina, sed institutione humana, teste *Thoma*, idque Tho.1.2. q.103.ar.1. ad3. causa seruādi decoris, quia indecorū videbatur sacrificia quę ad diuinos honores pertinent, à vulgo offerri, sicut igitur in lege naturæ sacrificia offerebant primogeniti, & capita familiarū, ita & agnus paschalis ab ijs fuit mactatus & immolatus in cultū Dei. Et ideo nō requirebatur aliud ad id sacerdotium, sicut nec altare, nec tēplum, nec aliquid huiusmodi quæ absolute ad rationem sacrificiorum necessaria non sunt, nisi lege diuina iam posita: antea poterat agnus paschalis in domibus offerri, imo offerebatur in singulis familiis, & immolatus edebatur, quod si numerus edentium non sufficiebat, aduocabant vicinos, quia ex eo nihil poterat remanere vsq; ad mane.

DO-

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

HOMO *quidam fecit cœnam magnã & vocauit multos, &c.* Luc. 14.

PARS I.

Summa Articulorum Partis I.

I. *Cœna hæc deliciis & gaudio plena iiſque variis.*

II. *Quorum ſit vocare ad hanc cœnam, quomodo omnia parata.*

III. *Peccant ſe excuſantes, & ideo à regno cœlorum excluduntur.*

I. Cur hæc cœna magna.

1. HOMO *quidam fecit cœnam magnã & vocauit multos.* Magna dicitur hęc cœnã quia magna conuiuantiũ multitudo quæ numerari non poterit, ſic enim in *Apocalypſi* legimus, (cap. 5.) *poſt hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis:* magna etiam dicitur quia omnibus deliciis affluentiſſima, ſicut magnorum principum conuiuia ſolẽt, quia ſufficiat explendis deſideriis & hominum & angelorum, vt enim *pſalmiſta* ait, (Pſal. 35.) *Inebriabuntur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis tuæ potabis eos,* quia Deo pleni per ipſum ita ſaturabuntur vt extra Deum nihil ſint deſideraturi. Huius cœnæ vmbra fuit Aſſueri conuiuium, de quo ſic legimus. (Eſth. ca. 1.) *Fecit Aſſuerus grande conuiuium cunctis principibus ſuis, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui.* Sic bona huius vitæ, diuitiæ, honores & deliciæ, quæ ſubito euaneſcunt, & tamquam imago in ſpeculo apparent, ſic hominem afficiunt vt propterea & viuere deſiderent &, mori non dubitent multi, quanto magis ea bona hominem oblectabunt, quæ vera, ſolida & plena ſunt & in æternum duratura? De quibus (1. Cor. 2.) *Paulus oculus non vidit & auris non audiuit, & in cor hominis non aſcenderunt quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.*

2. COMPARAT autem Chriſtus ęternam beatitudinem cœnę, quia iſto honore, gaudio, & voluptate ſpirituali quibus fruentur beati in regno Dei, mirum in modum reficientur, paſcẽtur, & oblectabuntur corda Sanctorum quo modo cibo corporali corpora paſcuntur & ſapore oblectantur. Inde eſt quod *Sapiens* ait, (Prou. 15.) *Secura mens quaſi iuge conuiuium:* paſcitur enim ſuis cogitationibus quæ ſuauitate diuina plenæ ſunt, paſcitur piis deſideriis & affectibus, paſcitur & reficitur diuina meditatione & ſpiritus ſuauitate, non ſecus atq; faui ſui dulcedine. Hinc & *pſalmiſta* (Pſal. 30.) ait. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te:* nõ ſolum magna eſt abundantia huiuſcemodi dulcedinis quam Deus abſcondit & in occulto communicat amicis ſuis: verũ (Sap. 5.) etiam multiformis eſt & multa; *vt enim contra inſenſatos pugnabit orbis terrarum, & contra illos ſtabit ſpiritus virtutis & tanquam turbo venti diuidet illos,* teſte *Sapiente,* ita, vniuerſus orbis & omnia quæ in eo ſunt electis Dei gaudium adducent & exultationem: nam Deus non ſolum miris ſed etiam variis modis ſuos conſolari & & lætificare ſolet non ſolum in futura ſed & in præſenti vita. Quod ſæpius experiuntur ii qui orando & meditando ſe Deo, à quo animæ vita & vitæ ſuauitas omnis deriuatur, iũgere norunt: Orando inquit (Bern. ſer. 11. in cant.) *Bernar.* bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum ſpiritus quod inebriat & carnalium voluptatum obliuionem inducit. Hoc vino lætificante & confortante, his ſpiritus deliciis, quibus nullæ epulæ terrenæ comparari poſſunt, frui ſolent Dei amici, corũque animæ hoc quotidiano paſtu ſaginari: vt nihil mirũ ſit ſi adipe iſto ac dulcedine ſpiritali repletę diuitiis, delicis & honoribus ſeculi huius facile renuntient: vt nihil mirum ſit ſi hoc cibo ſpiritali confortatæ, tantas vires habeant, non ſolum ad ardua quæque opera facile obeunda, ſed etiam dura & aduerſa perpetienda. Nam quamuis virtus in ſua exercitatione aliquid laboris habeat.

abundantia tamen internæ ſuauitatis ac dulcedinis ſpiritalis ita animam afficit & corroborat vt in externo opere vix vllus labor ſentiatur.

Iſa. 51. 3. Istvd eſt quod per *Iſaiam* ſuis promittit Dominus cum ait, *Bonam deſertum quaſi delicias, & ſolitudinem quaſi hortum Domini gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Anima ſpiritu Dei deſtituta, eſt inſtar ſolitudinis ſqualida & arida, dum ſe abſtinet à voluptatibus carnis & ſeculi cupiditatibus, quo fit vt huius ſterilitatis impatiens moroſa fiat facile & inſtar deſerti ſentib. paſſionum plena, quæ ægre cum proximo pacifice viuere queat, vt facilius interdum etiam huius ſeculi homines inter ſe conueniant affectibus aut cupiditatibus pleni, quam ii qui vtroque amore & carnali & ſpirituali deſtituti, ſunt inſtar deſerti aut ſolitudinis aridi. Hos ponit Dominus quaſi delicias & quaſi hortum Domini quando humilitate ſua id merentur vt à Domino viſitentur & per ſpiritum eius viuificentur, & participes effecti dulcedinis eius in gaudium & lætitiam, in gratiarum actionem & vocem laudis erumpunt. Ita legimus *S. Antonium* dum his frueretur ſpiritalibus deliciis, integras noctes in gratiarum actione, in voce laudis & cordis iubilo, in meditationibus diuinis & ſublimium contemplationibus duxiſſe inſomnes. Neque enim homini ſubtrahuntur ſolatia, aut gaudia dum à carnalibus deſideriis abſtinet, ſed ea in melius commutantur. Cum enim ſpiritales deliciæ & ſuauiores ſint, & meliores & honeſtiores, quam aut carnales aut ſeculares, cum multum exuberant non ſolum ipſam animam oblectant, ſed & in carnem & ſenſus ipſos redundant. Hac enim de cauſa ait *pſalmiſta Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*: vt enim ſi vehemens ſtrepitus in ſuprema domus parte excitetur, etiã in infima domus parte facile exauditur, ſi autem exiguus is fuerit, inferius vix percipitur, ita dum cor cor multũ gaudio ſpiritali exuberat etiam in ſenſum redundat. (Pſal. 83.)

4. Vincenti *dabo manna abſconditum, ait Dominus, quod nemo nouit niſi qui accipit*: magnam iſtam multitudinem ſpiritualis dulcedinis is demum percipit, qui victoriam de peccato, eiusque concupiſcentiis obtinuerit, qui peccato non ſolũ non conſentit, ſed nec ſentit. Id quod de ſe teſtatur *Auguſtinus* cum ait: Sic ægrotabam & excruciabar accuſans memetipſum ſolito acerbius nimis, ac voluens & verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum quo iam exiguo tenebar: & inſtabas tu in occultis meis Domine ſeuera miſericordia, flagella ingeminans timoris & pudoris, ne rurſus ceſſarem & non abrumperetur idipſum exiguum ꝙ remanſerat, & reualeſceret iterũ & me robuſtius alligaret, pluſque in me valeret deterius inolitum, quam melius inſolitum. Dicebam enim apud me intus, ecce modo fiat, modo fiat, & cum verbo iam ibam in placitum, iam pene faciebam, & non faciebam: nec relabebar tamẽ in priſtina, ſed de proximo ſtabam & reſpirabam, hæſitans mori morti & vitæ viuere: Retinebant me nugæ nugarum & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & ſuccutiebant veſtem meam carneam & ſubmurmurabant, dimittis ne nos? & à momento iſto non erimus tecum vltra in æternum? & quas ſordes ſuggerebant? & quæ dedecora? quæ ſuggerebant Deus meus auertat ab anima ſerui tui miſericordia tua, & audiebam eas iam longe minus quam dimidias, non tanquam libere contradicentes eundo in obuiam, ſed velutiá dorſo muſſitantes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes vt reſpicerem, retardabant tamen me cũ diceret mihi conſuetudo violenta, putaſne ſine iſtis poteris? Sed iam tepidiſſime hoc dicebat. Aperiebatur enim mihi caſta dignitas continentiæ ſerena & non diſſolute hilaris, honeſte blandiens vt venirem, & extendens manus pias ad me ſuſcipiendum & amplectendum: & irridebat me irriſione exhortatoria, quaſi diceret, Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An vero iſti & iſtæ in ſe-

meti-

Apoc. 2.

Auguſt. li. 8. confeſſ. ca. 11. & 12.

metipſis poſſũt ac nõ in Deo ſuo? Proiice te in eum ſecurus, non ſe ſubtrahet vt cadas, ſed excipiet vt ſauet. Obſurdeſce aduerſus immunda membra tua, vt mortificentur: narrant tibi delectationes, ſed non ſicut lex Dei tui, vbi vero alta conſideratio congeſſit totam miſeriam meum in conſpectu cordis mei, oborta eſt procella ingens ferens ingentem imbrem lachrymarum: & vt totum effunderem cum vocibus ſuis ſurrexi & remotius receſſi, & ſub quadam fici arbore me ſtraui, & dimiſi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, & dixi: & tu Domine vſquequo? & iactabam voces miſerabiles; Quamdiu, quamdiu, cras & cras? quare non modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc & flebam amariſſima contritione cordis mei, & ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis & crebro repetentis quaſi pueri: Tolle lege, tolle lege. Statimque repreſſo impetu lachrymarum ſurrexi, nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, niſi vt aperirem codicem & legerem quod primum caput inueniſſem. Audieram enim de Antonio quod ex euangelica lectione cui forte superuenerat, admonitus fuerit tanquam ſibi diceretur quod legebatur: vade vende omnia quæ habes & da pauperib. & veni ſequere me, & tali oraculo confeſtim ad te eſſe cõcurſum. Itaque concitus redii ad eum locum vbi ſederat Alipius: ibi enim poſueram codicem Apoſtoli cum inde ſurrexeram. Arripui aperui, & legi in ſilentio capitulum, quo primum coniecti ſunt oculi mei, non in commeſſationibus & ebrietatibus, nõ Ro. 13.
in cubilibus & impudicitiis, ſed induite Dominum Ieſum. Nec vltra volui legere ſtatim quippe cum fine huiuſce ſententię quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum vlterius *capite primo libri noni ſubdit.* Quam ſuaue mihi ſubito factum eſt carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimiſiſſe gaudiũ erat: eiiciebas n. eas a me vera tu & ſumma ſuauitas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior, ſed homini ſecreto interiori: omni honore ſublimior, ſed non ſublimib. in ſe. *Hactenus Aug.* Quib. verbis ſatis ſignificat, priuſquam quis dapib. huius cœnę frui poſſit, quod peccatum viciſſe & membra ſua mortificare debuerit, vt quo modo homo mortuus nullum habet ſenſus aut vitæ motũ, ita ille nullo peccati deſiderio tãgi aut moueri debeat. Id quod quamdiu factum non fuerit, non tã animam eſurientem in hac cœna, quæ inchoatur in hac vita, dapib. cœleſtib ſatiare poterit, quã q cũ catellis micas de mẽſa Domini cadens, colligere licebit.

I. MISIT *ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia parata ſunt omnia.* Hæc debet eſſe cura paſtoris eccleſiaſtici & diligẽtia, vt modo hos modo illos ad cõuiuiũ cœleſte vocet, & quãtũ in ſe eſt introducat, nemin ẽ quantũuis abiectum: nõ cœcũ, nõ claudũ indignum reputare debet quẽ ad cœnam vocet: quãquam n. iam nõdum ſit dignus qui ad cœnã introducatur opera tamen & induſtria ſui paſtoris dignus fieri paulatim poterit. Nec tamen præſumat, quantumuis diligens & induſtrius, quod omnes ad ſalutem perducturus ſit, quia fruſtra laborat humana induſtria ſi non adſit cooperans Chriſti gratia, *niſi Dominus ædificauerit ciuitatem*, inquit Pſalmiſta, *fruſtra laborat qui ædificat eam*: quia niſi Dominus per ſemetipſum ſubminiſtrauerit fidem per quã fundatur ciuitas Dei & eccleſia Chriſti: niſi dederit fraternitatis amorem, per quam compingitur & coadũatur: niſi infuderit & caritatem per quam ad iuſtum incrementum ſanctimoniæ virtutis deuenit, in vanum laborat & abſque fructu, qui eam exemplo vitæ & verbo doctrinæ, autoritate & ſollicitudine extruere ſatagit, quia fidem dare, amorẽ fraternitatis, charitatem & reliqua intrinſeca incremẽta, excedit humanam humilitatem, ait *Auguſt.* excedit angelicam ſublimitatem,

II. Quomodo omnia parata.

Pſal. 126.

tract. 80. in Ioan. ad Corin. non pertinet niſi ad agricolam Trinitatẽ, iuxta illud *Pauli Dei ſtructura eſtis Dei ædificatio* verum quamuis Deus ſit primarius ædificator, cooperatores tamen aſſumit homines per quos aliorum conuerſionem procurat & ſalutem, dicente *Marco, Illi profecti vbique prædicauerunt Domino cooperante, & ſermonem ſequentibus ſignis confirmante.*

2. HIC obſerua quod quædam ſint, in quibus ſolus Deus abſq; miniſterio alterius operatur, vt cum fidem inſpirat, ſpem & caritatem ac cętera virtutum incremẽtum donat: quædam vero ſunt in quibus homini cooperari dicitur, vt cum linguã dicentis regit, ſpiritum dicendi ſubminiſtrat, memoriam confortat, & ea quæ dicẽda ſunt ſuggerit vt in tẽpore occurrãt. Aug. li. 4. de doct. chri. ca. 15. Quocirca docet *Aug.* eos qui pro concione dicturi ſunt, cum etiam doctiſſimi fuerint, ſuggeſtione ſpiritus ſancti peculiariter egere. Cum enim de vnaquaq; re quæ ſecundum fidem dilectionemq; tractanda ſunt multa ſint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur ab eis qui hoc ſciunt, quis nouit quid ad præſens tempus vel nobis dicere vel per nos expediat audiri niſi qui corda omnium videt? & quis facit vt quod oportet, quemadmodum oportet, dicatur à nobis, niſi is in cuius manu ſunt & nos & ſermones noſtri? Ac per hoc diſcat quidẽ omnia quæ docẽda ſunt qui & noſſe vult & docere: ad horam vero ipſius dictionis, illud potius cogitet bonæ menti conuenire, quod ait Dominus, *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. hæc Aug.* Quapropter ſponſa egreſſura in agrum huius mundi ad gentes conuertẽdas, ſponſum rogat & inuitat, vt in hoc Can. 8. opere ei aſſiſtat & cooperetur, *veni dilecte mi*, inquit, *egrediamur in agrum commoremur in villis, non* obiter eos inuiſere cupit & veluti per tranſcurſum, ſed quia nouit, prolixiori opus eſſe cura circa homines barbaros, rudes & paganos qui ab omni virtute plurimũ ſunt alienati, petit in villis morari donec plene fuerint conuerſi & ad iuſtũ virtutũ incrementũ peruenerint.

3. E O referre debet ſeruus ſuæ vocationis ſucceſſum vt veniant inuitati, & ad ſalutem perducantur: venit autem quiſq; ad cœnam hic paratã, non greſſibus corporis ſed affectu cordis, dum per trãmitem virtutum, qui ducit ad regnum cœlorum, ꝓgreditur, & actiones ſuas ſecundum legẽ Dei inſtituit, iuxta illud *Mat. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*, vt enim peccata via ſunt ad perditionẽ, iuxta illud *Pauli* cap. 19. *Qui talia agunt* (loquitur de operib. carnis) *regnum Dei non conſequentur*: ita fides ſpes caritas & reliquæ virtutes ducunt ad regnum cœlorũ: quo tãto propius quiſq; Gala. 5. accedit quanto plus in fide, ſpe, caritate ac cæteris virtutibus profecerit; venit ergo qui de virtute in virtutem progreditur, quiq; per ipſarum virtutũ opera incremẽtum capit iuſtitiæ ſuæ, cuius ſalus iam eſt propinquior quam erat cum primo crederet, Rom. 13. quia paruulus erat fide & caritate cũ primo crederet, iam autem factus eſt vir qui ſicut ætate, ita creuit & virtute. Hoc tamen non eſt omnium, quia ſunt nõnulli qui cũ ſpiritu cœperint, carne cõſummãtur, ſicut *Paul.* loquitur *de Galatis*: ſicut ẽtiam Gal. 3. nonnulli qui caritate feruẽt in principio conuerſionis ſuæ, & tepent in fine: De quibus *Ioannes* in *Apocalypſi* ſua, *Habeo* Apoc. 2. *aduerſum te quod caritatem tuam primã reliquiſti: memor eſto vnde excideris & age pœnitentiam & prima opera fac, ſin autem venio tibi & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo niſi pœnitentiam egeris*, quia peccato non caret, non facere prima opera: & non proficere deficere eſt: & poſſent multi proficere ac meliores fieri, ſi ſe iam ſatis perfectos & ſatis bonos eſſe, non arbitrarentur.

4. CAVSAM cur merito venire debeant, ſubiungit cum ait, *Quia parata ſunt omnia.* Si ſpes etiam incerta rerum caducarum tantam vim habeat vt omnem laborem leuem efficiat, & quæuis hominũ ſocietas vtilitatis intuitu operi ſe accingat, agri-

cola

cola frugum expectatione labores immẽſos facile perfert: miles ſpe victoriæ & prędæ incenſus animo forti excipit vulnera: qua ſpe ſublata ſegnes prorſus & inertes reddũtur omnes: quãto magis qui diuina illa & ampliſſima bona ſpiritualia firma fide tenet ſibi parata, nulli labori parcere debet vt ea ſibi obueniant? *Paratæ iam ſunt omnia* quæ ex parte Dei erant præparanda, iam nihil deerat quod ad ſalutem neceſſarium eſt, olim antequam Chriſtus morte ſua reſeraſſet cœlum, antequã nos Deo reconciliaſſet; & diuinæ iuſtitiæ ſatisfeciſſet, non erant omnia parata, quia nullus quantum libet iuſtus regnum Dei intrare poterat, nondum erat exolutũ pretiũ redemptionis generis humani, & ideo in carcere remanere cogebãtur etiã Moyſes & Abraham. verum quãquam ex parte Dei omnia ſalutis media ſint parata, tamẽ quia multi ſunt qui illa media non amplectuntur, hinc ex parte eorum omnia ſunt imparata, deeſt caritas, deeſt fides, deeſt interdũ & bona volũtas, quo fit vt quidam negligant, nonnulli etiã contẽnant ea quę ſalutis ſunt, de quibus ſcriptũ eſt, *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.* Pſa.105. Neque enim Chriſtus ſic omnia parauit, aut ſatisfecit vt etiam nos ſtertentes facturus ſit ſaluos, *ſed factus eſt cauſa ſalutis*, inquit Paulus, *omnibus obtemperantibus ſibi*, tãquam ſi eſſet ægroto medicina parata, ſed quæ non medetur niſi ſumpta. Mat.25. Hinc de virginibus prudentibus dicitur, & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias.

II. Non legitime ſe excuſant.

1. COEPERVNT *ſimul omnes ſe excuſare: & primus dixit villã emi.* Qui ſe excuſat, iuſtã rationem ſe prætendere putat propter quã nõ faciat quod ab eo petitur. Itaq; duplici modo hi peccant, tũ quia bona terrena quibus inuoluti erãt, pluris faciebant magiſq; neceſſaria putabant, quã bona cœleſtia in æternum duratura: tum quia cũ id facerent non ſe peccare putarent, ſed excuſationẽ iuſtam ſe prætẽdere poſſe exiſtimarent. Eſt aduertendum hic quod Dominus non adducat in medium manifeſta hominum improborum ſcelera, vt ſunt adulteria, furta, homicidia & his & ſimilia, quæ non minus hominem excludũt à cœleſtis menſæ cœna: quia qui talia faciunt nullã excuſationẽ prætexere poſſunt, ita enim iniqua ſunt huiuſmodi opera vt ea quiuis ſolo rationis lumine ductus deteſtetur. Sed ea adducit, quæ cũ licite fieri poſſint, & illicito modo fiunt, à regno cœlorum hominẽ excludunt. Neq; enim per ſe crimen eſt villam emere, aut vxorem ducere, neque res ipſæ damnantur, cum eæ, à Deo ſint inſtitutæ, ſed rerũ abuſus. Inſtituit autem Deus & matrimonium, & agriculturam & mercaturam ac cætera opificia huic vitæ neceſſaria: vnde ea & à viris ſanctis legimus ſurpata: ſic enim Raphael ad Tobiam minorem ait. *eſt hic Raguel qui habet filiam nomine Sarã, eam oportet te accipere coniugem:* Tobi.6. Scribit & *Pau. ad Titium, iuuencula hortare vt domus curam habeant:* Cap.2. & Iacob ad Labam, *iuſtum eſt*, inquit, *vt aliquando prouideam domui mea* Gen. 30. *& Paul.* ad *Corin.* Non *debent filii parẽtibus theſaurizare ſed parentes filijs.* Hoc itaque dico ſecundum *Paul Tempus breue eſt,* 2. Co.12. *reliquum eſt vt qui habent vxores, tanquã nõ habentes ſint, & qui emunt tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur, præterit. n figura mundi.* 1. Cor.3.

2. ABVSVS rerum iſtarum eſt dũ quis iis immoderato amore inhæret & afficitur, quo fit huiuſmodi amore tanquã quodã viſco anima rebus terrenis adglutinata aſſurgere nequeat vt Deum ſupremum ſuum bonum diligere valeat, vt enim ſtomachus vili cibo vtpote alliis & oleribus repletus appetitu deſtituitur, vt opipara fercula nec appetat nec oblata ei ſapiant, iuxta illud *Sapientis*, *Anima ſaturata calcabit fauum*, Prouer. 27. ita dum fœda voluptas aut ambitioſiis honos, aut opum cupiditas animum præoccupat & opplet omnem amorem, omnemque ſaporem rerum ſpiritualiũ ſuffocat & profligat, vnde *Iſaias*, *væ flori decidenti gloriæ exultationis, erit flos decidens gloria exultationis eius,* Iſai.28.

quaſi temporaneum ante maturitatem au
tumni: ſicut enim immaturus fructus dē-
tium ſtuporem inducit, vt cibus etiam de-
licatus non ſapiat: ſic deliciæ huius mun-
di, quib. quis fruitur, id efficiunt: vt ſtupo-
rem in animam inducant, & ſaporem re-
Lucæ.6. rum ſpiritualium amittat. Hinc Dominus
apud *Lucam, væ vobis diuitibus qui habetis*
hic conſolationem veſtram, væ vobis qui ſatu-
1.Io.2. *rati eſtis quia eſurietis*. Cum enim teſte *Io-*
anne, mundus transeat & concupiſcentia
eius, iis, quibus quis iam fruitur, homini
ſubtractis, remanet anima vacua & fa-
melica. Nam quanquam auarus diuitias
amittat in morte, non tamen amorem di-
uitiarum deponit, ſed eo cruciatur ſicut
famelicus cui panis ſubtrahitur. Id quod
Scriptura nobis innuit cum ait, *Negotia-*
Apo.18. *tores terræ flebunt & lugebunt ſuper illam,*
quoniam merces eorum nemo amplius emet: &
in vna die venient plagæ eius, mors & luctus,
& fames. Quibus verbis ſignificatur quod
manebunt cupiditates & deſideria priſti-
na, quæ quia ad effectum perducere, &
quæſtum vt ſolent, facere non poterunt,
cedent eis in magnam pœnam.

3. PORRO coniugii abuſum manifeſte
nobis ob oculos ponit Raphael cum ad
Tobi.6. Tobiam ait, *Ii qui coniugium ita ſuſcipiunt,*
vt Deum à ſe & à ſua mente excludant, &
ſuæ libidini ita vacent ſicut equus & mulus
quibus non eſt intellectus, ſuper eos poteſtatem
habet Dæmonium. Tales erant de quibus
Cap.24. Dominus apud *Matthæum, Sicut erant in*
diebus Noe edentes & bibentes, nubentes &
nuptui tradentes vſque ad eum diem donec
venit diluuium & tulit omnes, ita erit &
aduentus filii hominis. Hi quia vxores du-
xerunt, dicunt ſe non poſſe venire, quia
nihil eſt quod hominem ita captiuum
detinet, quod animum virilem ita ener
uat & effœminatum efficit, vt voluptas
carnis, à qua non poſſunt ſe expedire qui
intemperantes ſunt: Adeo vt de quodam
referat *Ambroſius*, qui cum infirmis eſſet
oculis, ſimul & in vxorem admodum in-
temperans, cum ei inhibuiſſet medicus
conſortium vxoris ſuæ, alioquin fore vt
niſi abſtineret lumen oculorum amiſſu-
rus eſſet, victus ſua voluptate cum vxori
iungeretur viſum amiſit, exclamante iu-
terim eo vale amicum lumen oculorum
meorum. Narrant & poetæ, inquit idem,
Vlyſſem cum poſt decem annorum exili-
um, quibus in Ilio pugnatum eſt, ad pa-
triam properaret, ne cantu Sirenarum ille-
ctus in voluptatis naufragium ac bara-
thrum deduceretur, aduerſus illecebroſas
cantilenas inſerta cera ſociorum clauſiſſe
aures, ſeſeque corporalibus vinculis ad
malum alligaſſe, ne laſciuiarum mouere-
tur illecebris, curſumque naturæ detor-
queret in voluptatis periculum. Quid ſibi
vult Sirenarum ſeu puellarum figura,
niſi euitatæ voluptatis illecebra quæ
conſtantiam captæ mentis effœminat?
Hæc Ambroſius.

4. INIICIVNT & cæteri ſua ſibi im-
pedimenta quibus conſtricti ad cœnam
venire neglīgūt, qui aut ex ambitione vil-
las & dominia acquirunt, quam ambitio-
nem generoſi animi notam putant: aut ex
auaritia opes multas & magnas congre-
gant, quam auaritiam prudentiam inter-
pretantur, nā vt *Ioannes* ait, *Quicquid eſt in* In epiſt.
mundo eſt concupiſcentia carnis, concupiſcen- cap.2.
tia oculorum aut ſuperbia vitæ, cui confor-
me eſt quod poeta ait

Ambitioſus honos & opes & amica voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Amant enim & auari ſuas diuitias & ſu-
perbi ſuos honores, & voluptuoſi ſuas
voluptates amplius quā Deum ipſum, vt
teſtatur *Paul.* cum ait, *Quorum Deus venter*
eſt. Id enim cuique ſuus eſt Deus quod vt Philip.6.
ſupremum & optimum ſuū bonū maxime 3.
amat, De his dicitur quod iuerint proba-
re & videre ſua bona: nec id ſine cauſa,
quia vt *Eccleſiaſ.* ait, *Auarus non implebitur* Cap.2.
pecunia, & qui amat diuitias, fructum nō ca-
piet ex eis, & quid prodeſt poſſeſſori niſi
quod cernat diuitias oculis ſuis? Dum quip-
piam ſolum probamus & guſtamus, inde
ſatietatē non capimus, verū ſuas diuitias
æſtimant auari non ex ipſarū natura ſed
ex ſuo

ex ſuo amore, vt ſicut eas ſumme amant, ita eas & ſupremũ ſuum bonum reputent, ſeſeque beatos exiſtiment ſi iis ſrui ſeſeq; iis oblectare poſſint. Quo fit vt *pauperes, cæci & claudi* facilius ad cœnam hanc vocati veniant, tanquam qui minus impedimenti habeant & huiuſmodi prauis affectibus non ita impliciti ſint, quam auari, ſuperbi aut voluptuoſi. Dicit autem pauperes, cæcos & claudos vocatos intraſſe, quia priuſquam vocentur omnes ſunt tales, pauperes ſpiritu, ignorantia cæci, & in via virtutum claudi: ſed non permanent tales dum vocati cœnam intrant, ſed omni virtutum genere perfecti ſunt.

PARS II.

Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati ſunt guſtabit cœnam meam.

Luc. 14.

Summa articulorum quæ hic explicantur.

I. *Cur cum Deus velit omnes ſaluos fieri, & omnes ſalui fieri cupiant, non omnes ſalui fiant.*

II. *Abuſus honoris & dignitatis impedit hominem à conſecutione regni cœlorum.*

III. *Abuſus diuitiarum imo & rerum neceſſariarum idipſum facit.*

IV. *Excludit & abuſus matrimonij hominem à regno cœlorum.*

Art.1. Cur non omnes ſalui fiant.

1. MIRVM eſt cum Deus omnes velit ſaluos fieri, & nullus ſit qui velit eſſe miſer, ſed omnes cupiant eſſe beati, eſt enim beatitudinis appetitus naturaliter homini inſertus, quod non omnes ſalui fiant. Quod autem Deus velit omnes ſaluos fieri, patet ex variis ſcripturæ locis: Sic enim ait (Ezech. 18.) *Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris: ſed magis vt conuertatur, & viuat*: & (Ierem. 8.) *Nunquid cadens non adiiciet vt reſurgat, aut auerſus non reuertetur?* Ad iuſtum autem ſic dicit: (Ezech. 18.) *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, nunquid viuet? omnes iuſtitiæ eius quas fecerat non recordabuntur, in præuaricatione qua præuaricatus eſt morietur.* Ad impium vero ſic, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet & non morietur.* Minatur iuſto & terret, ne peccet: conſolatur peccatorem & blanditur & per clementiam excitat vt à peccato reſurgat, quia vtrumque ſaluum fieri cupit. Ita tamen impius ſperet miſericordiam, vt diſcat timere & iuſtitiam, ne negligat pœnitentiam: quia vtrumque vtrique coniunctum ſit oportet, & ſpes timori, & timor ſpei, vt quem ad fiduciam veniæ gratia parcentis inuitat, eum ad corrigenda peccata & pœnitentiam ſubeundam iuſtitia iudicantis terreat: incaſſum miſericordiam ſperat, inquit *Grego.* (Greg. Lib. 33. mora. cap. 10.) qui non etiam iuſtitiam timeat: & incaſſum iuſtitiam metuit qui de miſericordia non confidit. Inter præſumptionem & deſperationem media incedendum via, quia vtrumque malum, vtrumque metuendũ: qui enim de miſericordia præſumit, veniam ſperat etiamſi pœnitentiam non agat: Qui deſperat, maiorem ſuam iniquitatem quam Dei miſericordiam putat, & dicet nulla ſpes eſt veniæ, iam damnãdus ſum, cur nõ facio quicquid libet, etſi non licet?

2. NOLI de venia deſperare, ſi magna eſt iniquitas tua, maior eſt Dei miſericordia. Dicẽte cũ *propheta, Miſerere mei Deus ſecundũ magnam miſericordiam tuam*; Qui magnam deprecatur miſericordiã, inquit *Aug.* in hunc locum, magnam confitetur miſeriã. De tã lethali vulnere deſperarẽ, inquit *idẽ in pſal.* 101. niſi tãtũ medicũ reperirem, qui & cæcos & claudos vocat vt ſanet, vt nullꝰ quãtumuis ſceleratus de miſericordia aut venia deſperet modo vocati obtemperet. Nonne eſt hic *qui dat niuẽ ſicut lanam & nebulam ſicut cinerem ſpargit: qui mittit chryſtallum ſuam ſicut buccellas, qui conuertit ex Baſan & conuertit in pro-* (Pſal. 147.)

in profundū maris? vbi *Aug.* explicans hæc loca diuerſi generis intelligit peccatores, vt enim niues ſurſum gelant,inquit, & in ima decidunt, ſic frigeſcente caritate humana natura congelat,& in has terras decidit. Sed dat niuem ſicut lanam, quia in iſta niue ſunt prædeſtinati filii Dei, qui prius congelauerant frigidi & pigri, qui

Matt.17. nondum feruent ſpiritu caritatis, hos dat ſicut lanam, quia facturus eſt inde veſtē, vt ſicut in monte veſtis Chriſti fulſit ſicut nix,ita fulgeant electi & ſancti Dei, præſertim in futura vita, ad hoc enim hic prçparantur, ſiut lana præparatur vt veſtis inde conficiatur.

3. PER CRISTALLVM vero peccatores intelliguntur non qualeſcumq; ſed prorſus obdurati: nix enim multorum annorum tempore durata & ſerie ſeculorum chryſtallum dicitur, inquit *Auguſt.* Hoc chryſtallum mittit ſicut buccellas, quia quidam eorum ſic obduratorum ita vocati ſunt vt etiam paſcerent alios, ecce chryſtallū erat Paulus durus & obduratus aduerſus eccleſiam Chriſti, conuerſus autē, factus eſt apoſtolus & buccella panis qui paſceret alios. Quod ſi totū corpus Chriſti vnus dicitur panis: ſic etiam *Paulus* loquitur *ad Corin.* vnus panis multi ſumus, membra Chriſti buccella & fruſta panis recte dicuntur. Gentes quamuis & ipſæ frigidæ eſſent & obduratæ, tamen chryſtallum non erant ſicut Paulus qui ſibi nitidus videbatur & candidus quia æmulator legis. Deus emiſit verbum ſuum & liquefecit hoc chryſtallum, cum tremebūdus diceret, Domine quid vis me facere? Rurſum cum Dominus ait *ex Baſam*

Pſal.67. *conuertam, conuertam in profundum maris*: Baſan ſiccitas interpretatur, qualis erat qui dicebat, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*. Conuertit enim Dominus etiam eos qui pondere peccatorū iacent demerſi in profundo huius ſeculi. Si itaque impius es cogita Paulū, qui de ſe dicit, Quorum primus ego ſum, id eſt, omnium peſſimus ego fui perſecutus ſum eccleſiā Dei. Quid eſt peccatū ad miſericordiam Dei, inquit *Chryſ.* tela areneæ quæ vento flante nuſquam comparet. Chryſo- hom 2. in pſalmo.

4. DEVS QVI natura bonus eſt inuitus hominem à facie ſua proiicit, & non niſi magno cum dolore peccatores damnare compellitur inquit *auctor homil. 46 imperfect.* Hoc & ſcriptura innuit quæ ait, *Quomodo dabo te Ephraim? ſicut Adama? ponam te, vt Seboim? conuerſum eſt cor meum in me, pariter conturbata eſt plenitudo mea*: Oze.11. q.d. neſcio quid tecum agere velim: dabone te in perpetuam perniciem ſicut Adamam & Seboim? quæ ſcelera Sodomitarum ſectatæ incendio Sodomitico interierunt: hoc dum cogito, commouentur omnia viſcera mea. Non ſic dolet Deus quia ipſe offenditur ab homine, q̄ quia ipſe quaſi violenter cogitur perdere aliquem qui omnes cupit ſaluos fieri. Sed dicet aliquis, *inquit prædictus auctor.* Cum in poteſtate habeat Deus perdere & ſaluare, quis eum inuitum compellit condemnare? Tu qui nō deſideras miſericordiam Dei, Sed dicis; Quis eſt homo qui non deſiderat miſericordiam Dei? Tu qui permanes in peccato. Homo peccator quaſi luctatur, contra miſericordiam Dei, cum inceſſabilibus iniquitatibus ſuis miſericordia Dei quaſi laſſata iam à propoſito ſuo deficit, & quaſi conquerens ait, Quomodo curabo infirmitatem tuam quæ omnem reſpuis medicinam? Miſi ad te Iſaiam & ſerraſti eum: miſi ad te Ieremiam, & lapidaſti eum: miſi Ezechielem, & tractum ſuper lapidem excerebraſti eum: Sanctis meis non peperci vt tibi parcerem peccatrici, illorum vitam expoſui morti, ne tuam viderem mortem, iuxta quod *Ozeas* ait, *Propter hoc dolaui in prophetis & occidi eos in verbis oris mei*, Oze.6. q. d. dum per Prophetas meum populum tanquam rudem truncum dolare & polire cuperem verbis oris mei occidi eos, hoc eſt prophetas meos morti expoſui q. ia eos perſecuti ſunt vſque ad mortem dum eis verba mea annunciarēt. Sic homo peccator Dei naturam quodammodo immutat dum eum qui bonus

eſt

[illegible] & dulcissimus vertit in amaritudinem [illegible] saluare cupit damnare cogit: quia cum multo tempore parcat improbis Deus dans locum pœnitentiæ, & ipsi conuerti nolint, sed insuper peccata peccatis accumulent, tandem quasi vincunt Dei naturam, & subito disperdit illos. Sic enim loquitur Dominus *Isa. 7. Indignatio non est mihi, quis dabit me spinam & veprem in prælio?* hoc est inquit *Hiero.* explicans hũc locum, Quis me faciat asperum atque seuerum vt vincam naturam meam, & clementiam meam quæ mihi naturalis est, vertam in iram & iracundiam, quæ mihi naturalis non est, inquit *Hier.* Hinc *Exod. 15. Immisisti iram tuam qua deuorauit eos sicut stipulam.* Quod coniunctum est & in vno corpore copulatum, mitti nõ potest, inquit, sed illud quod extra corpus est, v. g. lancea, telum, sagitta: sic est Dei ira quę immittitur, misericordia autem ei coniuncta est. *Hæc ille.*

Hieron. in cap. 16. Ezech.

II. Quomodo qui villam emit regno cœlorum indignus fit.

1. IN illo vno qui villam emit & se excusari petit omnes illi significari possunt qui aut dominiis & dignitatibus inhiant & honoribus diffluunt, aut cupiditate, diuitiis accumulandis incumbunt: Hi omnes se excusatos petunt non tam quod id verbo dicant quam quod facto ostendant se pluris facere sua dominia, suos honores suasque diuitias quam cœnam inuitantis: vnde & indignos se reddunt regno cœlorum aut qui ad cœnã admittantur, eo quod scriptum sit, *Qui amat patrem aut matrem, aut filium aut filiã adhuc & animam suam plusquam me, non est me dignus,* vnde recte ait *Basil.* Non conuenit honores ac prærogatiuas quærere, quia præsens vita tota operum ac certaminum est; futura vero coronarum ac retributionum. Sic enim *Paul.* ait *Bonum certamen certaui, cursum consummaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Si itaque regnare vis in futuro, hic ne quæras honores sed etiam oblatos recuses, hæc *Basilius.*

Basil. in Const. monast. c. 25.

1. Tim. 4.

2. SED ÆGRE id hominibus persuaderi potest non esse gloriandũ inquit *Bern.* quia cum honor & gloria sit præmium virtutis, allicitur homo spe honoris consequendi vt virtutem colat & exerceat, sicut mercator spe lucri allicitur vt mercimonium exerceat. & vt *August.* refert huic vitio non solum non resistebant Romani & Philosophi, verum etiam id excitandum & appetendum censebant: & vt *idem* ait Romani laudis auidi & pecuniæ liberales, gloriam ingentem, diuitias honestas volebant, hanc ardentissime diligebant, propter hanc viuere volebant pro hac & mori non dubitabant: cæteras cupiditates huius vnius ingenti cupiditate premebant: vnde & *Cicero* aiebat, principem gloria alendum, & omnes, inquit accendimur ad studia gloriæ, quia honos alit artes, & quotquot cogitatione terrena huic seculo conformantur, inquit *Grego.* per omne id quod agunt huic mũdo relinquere sui memoriam appetunt: alii bellorum titulis, alii altis ædificiorum mœnibus, alii disertis doctrinarum secularium libris instanter elaborãt, sibiq; memoriæ nomen ædificant. *Hæc Grego.*

Bern. ser. de Trip. gloria.

August. li. 5. de ciuit. c. 13.

cap. 12.

Greg. lib. 2. Dial. ca. 14.

3. SED VT idem ait, cum ipsa vita ad finem celerius percurrat quid in ea fixum stabit, quandoquidem & ipsa celeriter mobilis pertransit? vt propterea B. Iob. stultorum gloriam ac memoriam recte dicat cineri, quem proiicit ventus à facie terræ comparandam & *psalmista* recte dicat, *deiecisti eos dum alleuarentur*: non dicit, inquit *Grego.* postquam eleuati sunt deiecisti eos, sed dum alleuarentur, quia quanto foris videntur altius surgere, tanto profundius intus ruunt: ipsa eleuatio ipsorum ruina est, quia dum gloria vana & falsa exaltantur, à gloria vera decidunt & euacuantur. Hinc iterum dicit *psalmista, deficientes quemadmodum fumus deficient:* fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando euanescit. Quare apte dicit *Iob vidi stultum firma radice & maledixi pulchritudini eius statim.* Quem locum explicans *Grego.* sic ait, putat stul[illegible] & su-

Iob. 13

Psal 71.

Greg. lib. 1. Epist. 5.

psal. 36.

Iob. 5.

Greg. lib. 6. moral. ca. 4

& superbus homo quod sicut totis desideriis in amore terreno figitur & solidari se putat, ita firma radice in prosperitate huius seculi fulciendus & stabiliendus sit, *vt sicut est hodie ita futurum sit & cras & multo amplius*, vt loquitur *Isai.* arbitratur enim hæc tanquam stantia & non velut fugientia, teste *Amos*. Hinc *Iob* cum huius gloriam aspiceret, & protinus quæ post gloriam pœna sequatur attenderet, statim maledicebat pulchritudini eius, & non sine causa addidit, *statim*, nam gloriam morituri nihil esse in ipsa iam morte pensare quilibet potest: sed ei maledicere & nihil esse, dum floret impius, reputare, hoc sapientis est, qui considerat quo cursu fœlicitas transuolet, & quæ pœna in æternum duratura sequatur, attendit. Si qua gloriæ delectatio aut cupiditas eum tenuisset, vt infirmos solet, non statim maledixisset, sed stultum fœlicem putasset, & cum *psalmista* dixisset, *Mei autem pene moti sunt pedes pacem peccatorum videns.* Mos quippe infirmæ mentis vt cum earum rerum quas videt, qualitate & mutatione mutetur & ipsa & iuxta hoc quod aspicit, iudicium illius sensusque formetur. Nam plærumque dum quorundam gloriam cernunt infirmi, eiusdem gloriæ aspectu delectantur, ac magnum aliquid æstimant, seseque talia mereri ac consequi posse exoptant. Cum vero gloriosos quosque aut deiectos subito, aut fortasse etiam morientes aspiciunt, tunc quod humana gloria omnino nihil sit cum gemitu fatentur: Qui hoc rectius dicerent, si cum in gloria hominem cernunt, tunc eius interitum cogitantes, transeuntem gloriam nihil esse sentirent. *Hactenus Gregorius.*

Psal. 71.

4. NON TEMERE tamen iudicandi sunt qui aut villas aut dominia emunt, neque desperandum est de hominibus bonis inquit *August.* si per eos terrenum aliquid administretur: nec rursum continuo gratulandum hominibus qui cœlestia agere dinoscuntur negotia, cum plærumque illi qui negotiis secularibus implicati sunt, cor semper sursum habeant, & isti qui cœlestia semper prædicant cor trahant in terra. Sed sunt ista talia qualis est animus possidentium ea: Si quis enim purpuram gerat, aut Remp. terrenam regat, & fidelis sit & pius qui cor sursum habeat, contemnens in quibus est, & sperans in quibus nondum est (de quo genere fuit illa sancta mulier Esther, quæ cum esset vxor Regis, & oraret coram Deo, vbi mentiri non posset in oratione sua, dixit ita sibi fuisse illa ornamenta regalia, sicut pannum menstruatæ) nihil patitur mali ab ea qua bene vti nouit & abuti nescit dignitate, verum vt *Chrysost.* ait magno valde animo & sublimi opus est ingenio vt dignitate vti & nõ abuti possis. Qui enim dignitate & potestate floret ei similis est qui cum puella formosa cohabitans, legem atque præceptum suscepit, ne inique lasciuientibus ipsam oculis intueatur: talis quippe res est dignitas & potestas, extollunt enim facile ad inanem gloriam, in tumorem atque superbiam, in contemptum aliorum impellunt, desidiam augent & iram. Quamobrem excelso quodam robore animi opus est, vt possimus tot, tantosque vndarum fluctus euadere, tot ventorum flatibus resistere. Ideo difficile huiusmodi homines, etiamsi mille virtutibus muniantur, in Regnum Dei perueniunt. *hæc Chrysost.* Et quia hominibus persuaderi non potest non esse gloriandum, propterea saluberrimum apostolus adinuenit consilium dicens, qui gloriatur in Domino glorietur, in hoc glorietur quod Deum nouerit & diligat.

August. in psal. 51.

Chrys. hom. 41. in Matt.

III. Qui per eum intelligantur qui emit quinque iuga boum.

1. QVANDOQVIDEM sententia parabolica in varios potest trahi sensus, ideo & hæc sententia (*iuga boum emi quinque & necesse habeo probare illa, rogo te habe me excusatum*) variis modis potest exponi. *Aut* enim ii intelliguntur qui bones emendo & vendendo ex auaritia diuitiis accumulãdis sic incumbunt, vt pro

nihilo

nihilo habeant terrā desiderabiliē, & pluris faciāt diuitias huius sęculi quā futuri: *Aut* si qui bobus terram arando & agros colendo sic vitæ necessaria quærūt & solliciti sunt vt habeant vnde viuant, vt animæ salutem penitus negligant, tanquā in vanum accepissent animas suas: nō quod malum sit aut diuitias habere, aut agros colere, sed quia id ab iis non bene sit: qui fructū dumtaxat terrenum quærūt, & ea quæ spiritus sunt non sapiunt. Vnde alibi Dominus. *duo in agro vnus assumetur & alter relinquetur*: ille.n.assumetur & saluabitur qui quāuis agrū colat, nihil tamen prius quā Deum habeat, qui cū *psalmista* dicit, *& à te quid volui super terrā?* Ille relinquetur & peribit, qui neglecto Deo dumtaxat vitæ necessaria quærit, quibus habitis iis cōtentus viuit, nec ea quæ sursum sunt, qualia sunt caritas, sapientia, pietas & similia virtutum genera, quærit. Et quid mirū si qui Deum deserit, deseratur ab eo? itaque non tam perpendendum quid quisque faciat, quam quo fine aut quo modo id agat: potest enim quilibet per ea quæ facit externa opificia animam suam aut perdere aut saluare.

2. DIVITIAS habere malum non est, sed diuitum pericula & præcipitia multo sunt plura & maiora quā ipsorum pauperum, quanquā nec hi omni periculo careant, est enim tota vita hominis tentatio super terram, inquit *Ambro.* & tam abundantia quam inopia, materia solet esse peccati, sed illa maior. Considera impedimenta diuitiarum, inquit *Chrysost.* primum est superbia, item auaritia radix omnium malorū, quæ diuitibus communis est, qui quāto plura possident, eo plura appetunt: non enim pauper sic necessaria desiderat, vt diues superflua, nec ita formidat famem pauper, sicut rerum suarum iacturam diues, vt propterea recte dixerit *Ambro.* quod omnis diuitiarum abundantia, vera sit inopia, quia mentis cupiditatem non satiat sed adauget: verū est enim quod vulgo dicitur: *Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.* Hinc *Ecclesia-*

Ambro. epist.84.
Chryso. hom. 13. in epist. 2. ad Co.
Ambro. li. 8. epist. 28. tom. 5. cap. 5.

sticus beatum prædicat illū *qui post aurum non abiit nec sperauit in pecunia thesauris:* sed quia tam rarus est, subdit, *quis est hic & laudabimus eū, fecit n. mirabilia in vita sua, qui potuit transgredi & non est transgressus, facere malum & non fecit.* Hoc dicitur non quia quouis modo potuit, posse n. transgredi cōmune est omni homini, qui libero potitur arbitrio; sed cū multa haberet quæ eum ad transgrediendum allicerent, multa quæ ad peccandum inducerent, illis reiectis & viriliter superatis, malum operatus non est. Quid enim mali pecuniæ? non perpetuantissimo non pecuniæ sed mala voluntas, inquit *Chryso.* filii Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse, qui multa pecora & iumenta habebant, dum extra Iordanem quæ viderant campestria concupiscunt, in repromissionis terra hæreditatem habere noluerunt, dicentes *terra hæc vberrima est ad pastum animalium, & nos serui tui habemus iumenta plurima, precamurque te vt des eam nobis in possessionem nec facias nos transire Iordanem.* Sic qui rebus perituris inhærent inquit *Grego.* omnique desiderio iis inhærent licet fideles sint, habitationem cœlestis patriæ, non requirunt.

3. QVÆRIT *Basilius* variis de diuite, de quo Luc. 12. cur fertilis fuerit ager hominis nihil boni ex abundantia facturi, & respondet, vt magis Dei bonitas appareat, quæ etiam vsque ad tales se extendit, nam à Deo & seminū vbertas, & aeris tēperies, & boum auxilia, & reliqua quibus agricultura abundare solet. Ab homine vero qualia? ingratitudo, luxus, auaritia & illiberalitas: non enim putat oportere superfluum in egenos distribuere, nullam huius præcepti habet rationem, frange esurienti panem tuum, non putat se Dei ministrum, sed omnia suo ventri præparata cogitat, nec id existimat quod de his omnibus exacte reddēda sit ratio, sed curis inuigilat, quomodo veteribus noua adiiciat, & consiliū cōtra seipsum initstolido cōsiliario seipso vtēs. Cōsidera ô homo qui dedit, & à quo accepisti, memor

Chrysost. hom. 17. in epist. 1. ad Timot.
Iosue. 3.
Grego. 27. mora. cap. 7.
Homil. 6. ex 29.

sis tuiipsius, qui es qui dispensas, velut de alienis statue de his quæ in manibus habes, paruo tempore iis frueris, deinde fluxa peribunt, *hæc Basili.* vnde salubre suggerit consiliũ *Aug.* Diuitiæ si diliguntur, ibi seruentur vbi perire non possunt, honor si diligitur, illic habeatur vbi nemo indignus honoratur: salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, vbi adepta nihil timetur: vita si diligitur, ibi acquiratur, vbi nulla morte finitur. Quid igitur totamente diuitiis inhiamus, quandoquidem nos istæ satiare non possunt, nec in cœlũ euehere? sed nec à malis liberare. A quo enim morbus ob pecuniã abstinet? aut cui mors ob diuitias parcit? Ad subsidium vitæ non ad malorum incitamentum pecunia data est, animæ redemptio est, non exitii occasio, inquit *Basili.*

Epist. 45.

4. QVASI gubernatores sumus in magno mari, inquit *Ambro.* si quis bene gubernat nauigium suum, cito trãsit fretum vt perueniat ad portum: qui autem nescit regere suum censum onere suo mergitur, & in omni tẽpore extiterunt, & in nostra quoque ętate non desunt, inquit *idem,* sicut & boni pauperes, ita & boni diuites, quia licet in pecuniariis copiis multa sint lenocinia delictorũ, inquit, plæraq; tamen sunt etiam incentiua virtutum, dum diuites possessionibus suis nõ aliter quam rebus pauperũ præsunt, vt Ecclesiasticæ vtilitati sub quadã procuratione famulantur, elaborantes singuli pro suarum virium portione vt ad victum atq; vestitum familiæ Dei & maxime domesticis (quia qui domesticorum curam non habet, inquit *Apostolus*, infideli est deterior) necessaria cõferantur. Non igitur census sed affectus est in crimine, neque eos qui diuitias habent, sed eos qui vti iis nesciunt, cœlestis sententia condemnat. Nam vt ille pauper laudabilior qui prompto largitur affectu, nec repagulis impendentis egestatis inhibetur, inopemque se non putat qui habet quod naturæ satis est, ita hic criminosior diues qui cẽsum ad communem vsum datum, sine vsu abdere, defossisque terrę thesauris incubare non reformidat. *hæc Ambro.* Diuitias igitur cæteraque temporalia bona nõ magis superflue quam necessitas exigit, parare oportet, inquit Basilius, nam qui necessitatis terminum excesserit similis est illi qui in decliue fertur & lapsum sistere nequit & nusquam ab vlteriore delatione interquiescit, sed quanto plura acquisierit, tanto ampliore ad concupiscẽtiæ expletionem indiget: Ipsam autem necessitatem non voluptatibus terminabimus, quia illas ignominiosas ducimus, sed iuxta naturæ necessaria, *sic Basilius.*

Ambr. lib. 8 epist. 28. & 84. tom. 4. Ambr. in 6. cap. Lucæ.

IV. Excludit & abusus matrimonii hominem à regno cœlorum.

1. VXOREM duxi, inquit alter & ideo non possum venire, non hinc colligeris vitam coniugatorum esse damnãdam, sed id tantũ, cõiugatorum vitã multis periculis subiectã, & liberius Deo vacare posse qui coniugium non ineunt. Vnde *Hierony. Epist. ad Ruffi.* qua ei suadet ne vxorem ducat, sic ait: Phoroneus Rex qui primus leges gentibus dedit, morti propinquus dixit Leontio fratri suo, attigissem quidem summam fœlicitatẽ mortalibus in hac vita possibilem, si vxorem non duxissem. Cumque alter sciscitaretur, Quod impedimentum ad id adferre possit mulier: protinus respondit, omnes viri id sciunt: & vtinam tu vxorem ducas, nec id experientia teste dicas? *Cicero* post repudium Terentiæ ad secundas nuptias transire recusauit, dicens se philosophiæ pariter & vxori operam dare non posse. Iis tamen & iis solis, secundum *August.* hoc tempore consulendum, vt matrimonio iungantur, qui se non continent. Sic autem habet primis temporibus generis humani maxime propter Dei populum propagandũ matrimonio vti debuerunt sancti; nũc vero laudabilius erit cõtinere. Quid enim aliud vult *Apostolus,* vbi ait *volem omnes esse sicut meipsum,* vnde mihi videtur hoc tempore solos eos qui se non continent, coniugari oportere.

Aug. lib. de bono coniug. Tom. 6. 1. Cor. 7.

2. REFERT *Ambro.* virginem quandam dum ad nuptias vrgeretur, templum

Ambr. lib. de virg.

Digitized by Google

templum adiisse & ab ara diuelli nõ potuisse, sic autem habet, memoriæ nostræ puella multum nobilis in seculo, nunc nobilior Deo, cum vrgeretur ad nuptias à parentibus, & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit: Quo enim melius virgo recurreret, quam vbi sacrarium virginitatis offertur? Stabat ad aram Dei victima castitatis & ait, Quid agetis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis solicitatis animum? Iamdudum prouisas habeo: Sponsum offertis, meliorem repperi. habeo eum cui nemo se compararet, diuitem mundo, potentem imperio, si vos non reperitis non prouidetis mihi, sed inuidetis. Silentibus cęteris vnus sic infit: quid si inquit pater tuus viueret, innuptam te manere pateretur? Tum illa, & ideo ait fortasse defecit, ne quis impedimentum posset adferre. Quod ille respõsum de patre, de se oraculum maturo suo probauit exitio. Ita cæteri eadem quisq; metuentes fauere cœperunt, qui impedire quærebant. *Hæc Ambro.*

Hieron. libr. 1. adu. Iouin.

3. HIERO. refert Theophrastum in libro quodam quem scripsit de nuptiis, mouere hanc quæstionem, an consultum sit viro sapienti ducere vxorem, & cum definiuisset, si pulchra esset, si bona & bene morata, si diues, si honestis parentibus, sic sapientem aliquando inire posse matrimonium, statim intulit, Hæc autem in nuptiis raro vniuersa concordant; non est ergo vxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophiæ, nec posse quenquam libris & vxori pariter inseruire. Secũdo multa esse quæ matronarum vsibus necessaria sunt, pretiosæ vestes, gemmæ sumptus ancillæ, supellex varia: deinde per noctes totas garrulæ conquestiones. Illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego in cõuentu fœminarũ misella despicior: sic qui mortali connubio coniunctus est, ad suam ipsius curam, fœminæ quoque adiecta est, & geminam sollicitudinem necessario sustinet, vbi vero & proles nata fuerit, alia cura adiicitur. Quod si insuper & viro iuncto atque immiti coniuncta fuerit vxor, tota pene vita non nisi cruciatus est, eadem incõmoda & ex prolibus si quas habuerit sustinebit. Quod si & aliud malũ accedat, vt zelotypia laborent qui matrimonio iuncti sunt, etiamsi magnis affluant diuitiis, etiamsi sumptuosas habeãt mensas miserrimi sunt omnium, & fluctus turbationum sibi quotidie excogitant. Nam & ille quidem suspiciose obseruat vxorem, & hæc virum: cur aspiciebas vicinã quid cum ancillula loquebaris? Alterius amorem suum odium suspicatur: & qui debebant vna caro esse, in tanta viuunt animorum dissensione quasi dissecti sint.

4. ADDE quoniam nulla est vxoris electio, sed qualiscumq; obuenerit, habẽda est, si iracunda, si fatua, si superba, si fœtida, quodcumque vitii est post nuptias discimus, equus, asinus, bos, vestes probantur prius, & sic emũtur: sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur. Pauperem alere difficile est, diuitem ferre tormentum: si totam domum regendam ei commiseris, seruiendum est, si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi haberi non putabit. Si pulchra est cito adamatur, & difficile custoditur quod plures amant: si turpis est & fœda, facile concupiscit & molestum est possidere, quod nemo dignetur habere: minore tamen miseria deformis habetur, quã formosa seruatur. Quod si bona fuerit & suauis vxor, quæ tam rara auis est, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur: Quod si malus maritus malam vxorem nactus fuerit, quotidianæ pugnæ inter eos nascuntur & à malis nũquam habent quietem. Neque tamen verberandam vxorẽ malam dico, inquit *Chrys.* absit, vltima namque ignominia est, non eius quæ verberatur, sed eius qui verberat. Propterea vos viros illud admoneo, inquit, nullum sit tam graue peccatum quod ad verberandam vxorem vos compellat, & quid dico vxorem? ne seruam quidem verberare & manus in

Chrys. Hom. 29. in Matt.

eam inficere viro libero esset tolerandum, maior vero imo summa est iniuria vitæ sociam tanta ignominia afficere. Quotiescumque ergo aliquid molesti domi contigerit, si quid vxor peccauit, corripe in mansuetudine & noli malitiam augere. Quod si rixosa est, ebriosa & mala, dolendum est, nō irascendum, admonenda est, & consilio adiuuanda, & omni cura adnitendum est vt illis liberetur affectibus: & velut corpus morbidum, ita sananda, morbum morbo nunquam curabis, scilicet nec malitia malitiā, sed augebis malum. Fertur quendam externorum philosophorum cum vxorem haberet prauam & temulentam, & interrogaretur qua gratia eius mores toleraret, respondisse, vt palæstram philosophiæ domi habeam, ero enim inquit, cum aliis mā suetior, cum in ea quotidie toleranda erudior, *hæc Chrysostomus.*

5. HOC IGITVR agendum vt bonam nāciscaris vxorem & omni virtute decoram. Quod si falli contingat, vt neque bonam neque tolerabilem duxeris, noli ægre ferre, *inquit idem*, sed repositum tibi ex his præmium intellige, quia qui exosam colit, hic maxime coronatur, sed qui virum perfert mansuetum aut vxorem bonam, quod nam ei præmium dabit Deus, cum nihil magni faciat? *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* inquit Dominus. Quod si propter Deum viro malo paruerit vxor, ne mihi proponat quæ ab eo fieri deceant, sed ea quibus te legislator fecit obnoxiam diligēter exequere, hoc enim est maxime Deo parere si aduersa etiam patiens legem non præuaricaeris & hæc dico, non vt viros in mulieres, exasperari velim, *inquit Chrys.* sed suadeo mulieribus vt viros etiam asperiores perferant, & suum vnusquisque officium impleat, non autem quid proximum deceat, inquirat. hactenus ille.

DOMINICA III.

POST PENTECOSTEN.

IN illo tempore, erant appropinquantes ei publicani & peccatores vt audirent illum. &c. Luc. 15.

PARS I.

Summa Articulorum 1. Partis 5.

I. *Cur peccator à pœnitentia incipere debeat, & à quali.*

II. *Peccatum peius malum quam si tant morbus aut mors corporis.*

III. *Peccatum confiteri & de eo conteri qualiter oporteat.*

IV. *Est vera & ficta pœnitentia.*

1. MAIVS *erit gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente quā super nonaginta nouem iustis.* Non hoc sic accipiendum est inquit *Cyprian.* quasi Deo & angelis eius gratius sit post lapsum redire ad pietatem per pœnitentiam, quam citra lapsum perseuerare in innocentia: cum absque vllo dubio gratior sit Deo multorum innocentia, quam vnius peccatoris pœnitentia. Loquitur itaque scriptura humano more illud testatum esse volens, Deo gratissimam esse peccatorū conuersionem: Insolitum quoque atque inexpectatum gaudium magis afficere solet, quam consuetum, sicut pater magis gaudebat de filio prodigo reuerso qui perierat quam de fratre seniore qui semper apud eum manserat: & dum quis è morte eripitur ei magis congratulari & congaudere solemus, quam aliis qui simili periculo nō fuerunt subiecti. *Potest* & hoc modo prædictus locus intelligi: dum cōparantur vere pœnitentes cum ijs iustis, qui potius videri iusti, quam esse volunt, quales erant pharisæi isti contra quos hic agit Dominus, qui quia sibi iusti videbantur, se pœnitentia egere non putabant: Tunc haud dubie magis placet humilitas, & pœnitentia hominis peccatoris quam simulata iustitia superbientis,

Art. I. Reditus peccatoris ad Deū à pœnitentia debet inchoari.

ille

ille enim dum morbum agnoscit, medicum quærit: his vero quia nescit se ægrotare, non cupit sanari. Hinc Dominus ad pharisæos, *Amen dico vobis quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.*

Matt. 21.

2. Apoenitentia oportet quod incipiat peccator si ad Deum venire velit, quia qui moribus sunt dissimiles firmam amicitiam nunquam inire, nec inuicem sibi coniungi poterunt: Ideo necesse est vt quod Deo displicet, displiceat & homini, & quod odit Deus oderit & homo, odit autem Deus omne peccatum & omnem iniquitatem, si eam oderis & tu Deo consentis: quod si ames id quod Deus odit, ei vera & syncera charitate iungi non poteris, sicut nec aquæ oleum misceri, aut ignis aquæ iungi potest, eo quod sint diuersæ ac contrariæ naturæ. Et hæc ratio cur tã rari erga Deum sint feruidi, quod à peccato non sint satis auersi, nec solidum verę pœnitentiæ posuerint fundamentũ, quamdiu enim imago commissorum criminũ præluserit ante oculos nostros, & eorum delectatio aut etiam recordatio turbauerit mentis nostræ serenitatẽ, nouerit quisq; inquit Basilius, se nondum perfecte à pristinis vitiis absolutũ. Hinc dicit & *Ambr.* se plures inuenisse qui innocentiam seruauerint, quam qui condignã pœnitentiam peccatis correspondẽtem peregerint, fere enim ita nobis persuademus, satis esse si vel tenuiter nostra nobis errata displiceant, si vel exiguã sentiamus cordis contritionem, vix minimæ à nobis perpetratæ culpæ respondentem. Et qui eam in corde admiserit persuasionem vt modicam contritionem, aut breuem luctum magnis expediendis sceleribus sufficere putet, nunquam ad verum pœnitentiæ fructũ aut iustitiæ profectũ deueniet, nunquam radicitus amorẽ mũdi extirpabit, sed velut candela recens extincta, in qua etiamnum quidã color remanet, si vel parumper in eam sufflaueris facillime reaccendetur, & inidem relaberis malum. De quibus sic Dominus apud Ozeam. *Quid faciã tibi Ephraim, quid faciã*

Cap. 6.

tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens, quasi dicat sicut ros adueniente sole statim absumitur & in nihilum redigitur, ita gratia tibi data exurgente tentatione extinguitur & in nihilum abit.

3. Porro vt quis ad verũ cordis dolorem & animi cõtritionẽ peccatis suis correspondentem deueniat, nequaquam sibi sufficerit, si in vita sua exploranda & peccatis inuest gandis & per confessionem explicandis, studiosus fuerit, sed multo magis instare debet, modo gemitibus & piis suspiriis ac precibus, modo eleemosynis tam corporalibus quam spiritualibus vt dimittat aliis qui sibi vult dimitti, modo ieiunio & afflictione sui corporis, modo affectu caritatis quæ operit multitudinem peccatorum, modo Sanctorum inuocatione, modo aliis quibus potest modis apud Deum, vt hoc tantum donum qualis est contritio, consequi possit: id quod homini grauiter lapso potissimum summo studio est conitendum, quia fieri potest vt contritio sine confessione peccata doleat, vt autem confessio prosit sine contritione aut pœnitentia fieri non potest. Qui propter male sibi consulunt qui cum in perscrutandis & confitendis peccatis suis nullum finem faciant, in deflendis tamen conscientiæ suæ maculis negligentissimi sunt: quo fieri plerumque solet vt eorum confessio vtpote sterilis & arida conscientiam nunquam reddat quietam aut tranquillam Ad veram autem & salutiferam pœnitentiam nos hortatur scriptura apud Mat. cum ait, *facite fructum dignum pœnitentiæ.* Si magnum & graue sit crimen quod commissum est, multa tibi opus est confessione, inquit *Basilius*, amaris lachrymis, indesinenti ieiunio, vt iuxta proportionem criminis etiam curationis auxilium assumatur. Cui conforme est quod *Ambrosius* ait ad virginem lapsam, Grandi plagæ inquit, alta & prolixa opus est medicina, grande scelus grandem habet satisfactionem necessariam.

Matth. Cap. 3.

riam. Quam autem peccata sint grandia aut parua non humano, inquit *Aug.* sed diuino ea pensanda sunt iudicio: sunt enim quę leuissima putarentur nisi in scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis magnum putaret malum irasci fratri, & dicere ei fatue, nisi huius mali magnitudinem nobis exprimeret *Matthæus* cum ait, *omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, qui autem dixerit fatue reus erit gehennæ ignis?* Solet homo peccatum æstimare non ex natura rei, sed ex consuetudine & communi hominum viuendi modo, vt id damnet quod cõsuetudini aduersatur, approbet vero quod illi conforme est, etiamsi diuinæ legi sit cõtrarium: & si quid scriptura pręceperit quod à consuetudine abhorret, figurate dictum putetur, v. g. cum dicitur, *diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Beati qui lugent: væ vobis qui ridetis quia flebitis, & his similia.*

Cap. 5.

II. Quantum malum sit peccatum.

1. PEIOR est animi quã corporis morbus, peius & miserius vexari cupiditate quam fame cruciari, hęc enim edendo explere potest illa minime, quia *crescit amor nummi quãtum ipsa pecunia crescit:* & qui morbo cruciatur corporis, patitur quidem multa mala, sed non ideo aut fit malus ipse, aut malum facit: sed qui laborat morbo animi, quod peccatum vocamus, non solum patitur multa mala dum per peccatum fit miser, sed etiam fit ipse malus & facit multa mala, propter quod pœnis insuper & supplicijs fit obnoxius, vehementia namque affectum & animi incitationes (quæ eius morbos appellamus, quia animi tollunt æquitatem, sicut morbus corporis sanitatem) male affectis principia sunt agendi, coguntque multa agere inique: tunc enim vel maxime agunt & minime quiescunt, quando vel ira, vel libidine, vel animositate, vel cupiditate incitantur, & quibus in rebus peccãt, eas se recte gerere opinantur, quia mens ipsa, cuius erat deprehendere morbum, morbo sui sensum auferente hoc est ignorantia laborat? animositatem enim fortitudinem, iram iustitiæ zelum, cupiditatem prouidentiã, amorem amicitiã putat. Quo fit vt cum se ægrotare minime credant, animæ suæ medicum non solum non quærant, sed & remedium oblatum repudient. Cui & hoc accedit, vt animæ prauitas velut insanabilis vix tandẽ aboleri possit, sed multis per omnem vitam inhæret. Est autem peccatum perniciosum animæ malum, non quod sit res aliqua positiua quę animam perimat, sed quia est priuatio rei quæ animam viuificat, sicut cæcitas quamuis nihil sit in oculo, malũ oculi dicitur, quia est visus priuatio qui oculum visiuum efficit: Item non manducare quamuis nihil sit, eo tamen fit vt vita hominis, quæ manducatione & esu sustineri debet, langueat, tabescat & tandem intereat, ita non adhærere Deo, q. fit peccato, quãuis nihil sit, eo tamen fit vt anima quę Deo non adhæret intereat, non quidem vt penitus nihil sit sed vt minus sit quam erat cũ Deo adhæreret: nam sic conditus est homo vt si sine Deo secundum se viuere velit, recte valere non possit. *Hæc fere Augustinus.*

2. ITAQVE peccatum malum est, non solum quia prohibitum, sicut gustare pomum vetitum Adamo fuit malum, sed ideo prohibitum quia malum, sicut sumere venenum: vt enim per venenum amittit homo corporis sanitatem, ita per peccatum, siue illud superbia, siue fornicatio, siue quodcumque aliud fuerit, amittit animæ salutem & spiritus vitam. Sed huius amissi tam magni boni, licet interim minus amati, non sentitur malum, quando is qui peccat fruitur minori bono magis amato. Nec posset homo ad hanc tantam sui corruptionem peruenire quã infert ei malum peccati, nisi prius deceptus esset specie boni, videmus n. quomodo pueri & bruta mortem etiam inexpertã abhorreant, pallent si eis præcipitiũ ex alto mineris, sic homo nunquam perderet vitam spiritus, quæ adeo dulcis est & suauis vt etiã ipsos angelos oblectet & viuifi-

Digitized by Google

viuificet, niſi deciperetur ſpe melioris & maioris boni conſequendi. Ideo namque ſerpens ſeducturus Euam ei perſuaſit ſi pomum guſtaret, quod non ſolum non moreretur, nec quicquã mali paſſura eſſet etiamſi pomum decerperet & guſtaret, ſed quòd ex eo ſupremum & ſummum bonum conſequutura eſſet, ſic enim ait in

Gen. 3. *Geneſ. Nequaquam morte moriemini, ſed Deus ſcit quod quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri & eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum.* Quod cum crederet Eua, pomũ comedit & decepta in mortem incidit: à qua cum natura abhorreat, naturæ ſuæ reluctari debuit præſertim cum adhuc ſenſu & iudicio integra eſſet, priuſquam tam magnũ malum perpetrare poſſet. Hac calliditate quemlibet peccantem circumuenit etiam modo ſerpens ille dum eum quadã voluptate præcipitat eum in animæ perditionẽ: peccatũ n. proponit, non vt nociuum, ſed vt iucũdũ & delectabile, quod cũ putat tale eſſe, amplectitur homo & decipitur. Nam ita ſe habet peccatum, inquit *Chryſoſt.* vt priuſquam fiat & ad opus perueniat, obtenebret & mentem decipiat, vt quantum damni patiatur nec ſentiat nec intelligat homo, poſtquam autẽ cõſummatum fuerit, tunc nobis ſuam malitiam oſtendat: breuis enim voluptas continuum menti dolorem inſerit, vt etiamſi omniũ obliuiſci queat, iudex ſui ipſius factus & accuſator terrore ac formidine plenus mordentem cõſcientiam quaſi carnificem ſe lancinantem & continuo flagellantem circumfert, vt neque ſomnus ei ſuauis, neq; amicorũ colloquia, nec cibus ei voluptatem adferre aut præbere poſſit, ſed etiamſi in ſolitudine ambulet, omnia timet etiam folia & vmbras.

III. Cur confeſſionem exigat Deus.

1. Talis igitur quo hanc tempeſtatẽ euadat, ad luctum & pœnitentiam ſe conuertat, ad confeſſionem facinoris ſui feſtinet & medico vulnus oſtendat qui curet & non exprobret. *Dic tu prior iniquitates tuas,* inquit *Iſaias, vt iuſtificeris.* (cap. 43.) Non quia ignorat, confeſſionem exigit Deus qui ſcit omnia antequam fiant, ſed volens per confeſſionẽ hominẽ ad ſui ſuiq; ſceleris agnitionem, ad humilitatem & pœnitentiã diducere id facit, vide id quid ſit inquit *Chryſoſt.* Si tu memor ſis peccati tui, Deus non erit memor, ſi tu oblitus fueris, Deus eius recordabitur, quod ſi cõſcientiæ teſtimoniũ ſubterfugere velis & crimen vel non agnoſcere, vel excuſare nitaris, ipſa negatione grauiorem pœnam incurres: vnde huiuſmodi excuſationes *verba malitiæ* vocat *pſalmiſta* cum ait, *non* Pſal. 141. *declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.* & merito huiuſmodi verba dicuntur verba malitiæ, qa qui ſe excuſat, ait, *Bernar.* indulgentiæ Bern. ſer. medicinam à ſe repellit, & vitam ſibi pro- 13. in can. prio ore intercludit. Tantum boni confert meminiſſe peccati ſui, vt etiam *Paulũ apoſtolum* videamus ait *Chryſo.* ea quæ abolita iam fuerant adducere tamen in medium, & cum culpam de præſentibus non haberet, illa commemorat quæ per ignorantiam ante baptiſmum commiſerat. Sic enim ait *ad Timotheum. Quorum primus* 1. Tim. 4. *ego ſum, qui prius blaſphemus fui, & perſecutor & cõtumelioſus,* & alibi, *non ſum dignus vocari apoſtolus quia perſecutus ſum eccleſiam Dei.* Sed & propheta *Dauid* non eſt oblitus peccati ſui quamuis conceſſum ei & remiſſum fuerit, ſed in conſcientia ſua tanquam in quodam libro adulterium & homicidium depictum circumferebat, ſic enim ait, peccatum meum coram me eſt ſemper. *Hæc Chryſo.*

2. Tales erant Sancti Dei, virtutes ſuas non meminerant, ſed peccatorum ſuorũ memoriam reuocabant. Nam quanquam reatu abſoluamur, peccata tamen priora ſi adducantur ante oculos & animæ frangunt arrogantiam & incutiunt verecundiam & eius prouocant amorem, qui tam multa & tam magna donauit, cuius miſeratio niſi nobis ſubueniſſet, tantum illud peccatorũ pondus in imis nos inferni pœnis preſſiſſet. Itaq; & tu in conſcientia tua tanquam in quodam codice quotidiana

tua peccata ſcribito: qñ accubueris ſuper ſtratũ tuũ anteq̃ veniat tibi ſomnus reminiſcere ſi quid in verbo, ſi quid in facto, ſi quid in cogitatione peccaſti, per diem nõ habuiſti tempus (*ſunt verba Chryſoſtomi*) ſed iniunctum negotium confabulatio amicorum, domeſtica neceſſitas, filiorum cura & cæterarum, mille te rerum circundederunt curæ: quando igitur in lectũ tuũ veneris nemo tibi moleſtus tunc, dicito in corde tuo, expendimus hunc diem ô anima, quid boni fecimus? quid mali operati ſumus; & ſi quid boni feciſti gratias age Deo: ſi quid mali dole, ingemiſce, gehennã time. Ita fecit qui ait, *lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* Qualis præceſſit offẽſio, talis debet ſequi reconciliatio: ſi cogitatione offendiſti, cogitatione reconciliare, v.g. cogitaſti male facere alicui, depone nocendi propoſitum & cogita eidẽ benefacere: nam cogitationis peccatum contraria cogitatione diſſoluitur, ſic e-
Pſal.4. nim *pſalmiſta* ait. *Quæ dicitis in cordibus veſtris & in cubilibus veſtris compungimini.* Si autem verbis læſiſti fratrem tuum verbis ſatisfacito: quod enim verborum peccatum verborum ſatisfactione diſſoluatur,
Nu.12. tur, teſtis eſt *Aaron*, qui cum detraxiſſet Moyſi fratri tuo, verbis eũ reconciliauit
cap.19. dicens, *Rogo Domine ne inferas in nos peccatum* hoc. Si operibus aliquem læſiſti, opere ſatisfacito, iuxta illud *Lucæ Si quem defraudaui reddo quadruplum: hactenus Chryſoſt.* Ita & tu facito forte mercenariis tuis mercedem laborũ non reddidiſti o-
cap.4. pere ei ſatisfacito, & iuxta *Tobiæ* conciliũ. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui omnino apud te non remaneat. Alioquin niſi quem factis læſiſti, factis placaueris, ſine cauſa oras ad Dominum. Si pro te Deum oras, alter aduerſum te Deum interpellat, & ſi ad tuam orationem velit tibi Deus miſeri-*
Eccl.4. *cordiam facere, illius interpellatio impediet. Scriptum eſt enim, Maledicentis tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio il-*
cap.5. *lius*: & rurſus apud *Iacobum, ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*

3. SI quotidie peccas, quotidie pœnitẽtiam agas, nec illud vnquam intermittas, inquit *Chryſoſt.* id quod in antiquis domibus facere ſolemus cum fuerint putrefactæ putrida ſubtrahimus & noua ſupponimus. Qualis autem præceſſit offenſio, talis debet ſequi recõciliatio, exigua culpa leuiorem requirit pœnitentiam, ea n. & gemitibus & precib. à Deo qui miſericors eſt, facile exorari poteſt, & hanc ob cauſam habent & qui perfectiores ſunt cur quotidie ingemiſcant & pœnitentiã agãt non quia ſtudio operibus ſe implicant natura malis, vt ſũt ebrietas, fornicatio, iniuſtitia & his ſimilia, ſed quia pondere terrenæ cogitationis prægrauati facile à meditatione diuina decidunt, & nec ipſa opera bona faciunt, quin multis modis in iis peccent, dũ aut nẽgligẽtius & cũ quodã tædio peragũt, aut minus attenti cogitationib. vagi huc illucq; rapiuntur. Quę omnia quamuis videantur leuia, & à peccato aliena iis, qui grauiorib. vitiis inuoluuntur, ſitientib. tamen perfect:onẽ & purę mentis illuminationem appetentibus, tã videntur grauia vt ea amariſſimis & aſſiduis lachrymis eluere nõ ceſſent, magisq; de iis doleant & confundantur quam plerique de ſuis ſcelerib. ſicut *Hieronymus* teſtatur de Paula quod quotidianos defect⁹ defleret, tanquam ſi & homicidium cõmiſiſſet. Interim ſi hunc ſummum dolorẽ, & hanc perfectam pœnitentiã conſequi non poſſis, ne propterea animo concidas, ſed cũ à ſummis defcis, humilib. obſequiis Deo placere & placare ſatage, perficit enim Deus laudem ſuam etiam ex ore infantium & lactentium.

4. PORRO ſicut leuiorum delictorũ venia populi conced.tur precibus, ita grauiorum criminum iuſtorum reſeruatur orationibus: iuxta illud *Ioannis eſt peccatũ ad mortem pro eo non dico vt oret quis*: & 1.cap.5.
alibi, *ſic peccauerit vir in virum placari ei* 1.Reg.2.
poteſt Deus, ſi autem in Deum peccauerit

vir

vir quis orabit pro eo? non negat *Apoſtolus* pro criminibus orãdum, qui Moyſen nouerat pro idololatris oraſſe. & Stephanum pro lapidantibus, nec denegatur peccantibus venia tanquam nullus ſit qui Deum pro tali exorare poſſit; ſed id vult ſcriptura non quemlibet pro quolibet peccato exorando ſufficere, & idoneum eſſe, ſed ſingularis vitæ ſit oportet qui veniã impetrare poſſit & dignus ſit. quo enim maiora culpa eo maiora & digniora quærẽda ſunt ſuffragia, neque quicumque de vulgo, ſed Moyſes vnus aut vir magnus in delictis magnis exorandis eſt requirendus. Quinimo quædam ſunt ſcelera quæ ſolis verbis ac precibus exorari nequeunt, ſed dignis caſtigationibus & pœnis expiari debent, adeo vt impudentem dicat eum *Ambroſius*, qui cum grauiter Deum offẽderit, leuiter ſe eum placare poſſe putat. Quapropter Dauid cum grauiter lapſus eſſet & adulterio homicidium coniunxiſſet, non ſimpliciter omnem pœnam euadere cupiuit, cũ dicat, *Quoniam ego in flagella paratus ſum*, ſed vnice rogauit vt non in furore corriperetur, *Domine inquit, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me* q.d. pœnã effugere nõ cupio quoniam ego in flagella paratus ſum, ſed ne in furore tuo & abſque ſpe veniæ me corripias. profecto non ſine graui cauſa tantũ prophetam & tam potentem Regem cõſtituere voluit Deus velut ſpeculũ & exẽplar omnium vere pœnitentium, vt nemo ſiue Rex fuerit, ſiue propheta ſe excuſatum putet, ſi in culpam lapſus pœnitentiam agere noluerit.

Pſal.37.

IV. De vera & ficta pœnitentia.

1. INTER eos qui pœnitentiam agunt & à peccatis reſurgunt, quidam ſyncere id faciunt, & facile id poſſunt: quidam vero ſimulate id agunt, & ægrè admodum poſſent ſynceram & veram agere pœnitẽtiam. Nam quemadmodum in omnibus rebus quæ vel arte vel natura conſtant, aliæ quidem veræ, aliæ autem ſimulatæ ſũt, quæ tamen veritatis ſpeciem referunt, eſt enim verũ aurum, eſt & adulterinũ aurũ, Ita quoque in moribus noſtris euenit, eſt enim vera iuſtitia, eſt & ficta ac ſimulata: eſt vera amicitia, eſt & ficta: vera humilitas & ficta: vera eſt pœnitentia, eſt & ficta atque ſimulata. Multum enim refert qualis is fuerit qui reuerti ad Deum & pœnitentiam agere cupit: ſi enim nihil boni vnquam egerit, ſed totam vitã in criminibus abſumpſerit, ægre ad veram pœnitentiã peruenire poterit, niſi Deus ſingulari ſua miſericordia eum conuerterit & cor durũ emollierit. quod interdum facit, vt exemplo conſtat ipſius latronis in cruce cõuerſi, vt de nullo deſperaremus quantumuis flagitioſo. vnde *Auguſtinus* agens de iis qui in fine vitæ conuertuntur ſic ait in quodam loco. Qui poſitus in extrema neceſſitate ægritudinis ſuæ pœnitentiã agit & mox reconciliatus fuerit & de corpore exit, fateor vobis, inquit, nõ illi negamus ꝙ petit, ſed non præſumo dicere quod bene hinc exit: fidelis bene viuens ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam dũ ſanus eſt & reconciliatus ſi poſtea bene vixerit, ſecurus eſt. Qui in fine pœnitentiã agit an reconciliatus ſecurus hinc exeat, ego non ſum ſecurus: pœnitẽtiã dare poſſum, ſecuritatẽ dare nõ poſſum. Nunquid dico dãnabitur? non dico, ſed nec dico ꝙ ſaluabitur. vis igitur à dubio liberari, vis quod incertum eſt euadere? age pœnitentiam dũ ſanus es, tene certum & dimitte incertum Si non ſperarem etiam de eo qui in extremis pœnitet, pœnitentiam non darẽ, ſed dum non odio peccati, ſed metu pœnæ pœnitet, ſæpe non pœnitiam agit veram ſed ſimulat. *Hæc Auguſt.*

2. MULTOS vt id ſibi perſuadeant, quẽlibet peccatorem facile veniam conſequi poſſe, monet immenſa Dei miſericordia, quæ ſimul atque peccator ingemuerit, non fore ſe memorem peccatorum illius pollicetur apud *Ezechielem*, qui ſic habet, Ezech.18. *ſi impius pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea omnium iniquitatũ eius quas operatus eſt recordabor, in iuſtitia ſua quam operatus eſt viuet.* Quod pro-

cul dubio nemo negare poteſt, quia Dei verbum eſt: ſed gemitus iſte & dolor quo Deus ad miſericordiam permouetur, verus ſit oportet, ex Dei tractu & amoris affectu proficiſcens: Quo certe perinde plerique præditi ſunt, vt ipſi arbitrantur, cũ quod vna hora plangunt, id alia rurſum admittunt. Enimuero homo mundanis ſenſibus ſuis deditus, atq; totus in res caducas mundi huius effuſus, ægre profecto id aſſequi poteſt vt inuiſibilia ac ſpiritualia dolore eum, aut gaudio reuera afficiãt, cum nouum diuinæ gratiæ & amoris vinum, non niſi mundis nouiſq; vaſis infun-
Matth. 9. datur teſte *Matth.* Atque eam ob rem olim in primis naſcentis eccleſiæ initiis, magno id epiſcopi ſtudio curabãt, vt peccatores ad veram contritionem adducerent, neque tam facile quempiam grauib. preſſum criminibus licet alioquin bene confeſſum abſoluebant, niſi prius certa in eo & permagna veræ contritionis indicia reperiſſent, ne impingerent in id quod
cap. 6. *Ieremias*, ait, *cum ignominia curabant contritionem populi mei dicentes pax & non erat pax.*

3. NON ſufficere autem quamuis pœnitentiam ad remiſſionem conſequendã
lib. 2. Machab. ca. 9. patet exemplo regis Antiochi de quo ſic legimus, is qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare ſuper humanum modum ſuperbia repletus, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſe conteſtãs, ita vt de corpore impii vermes ſcaturirẽt & fœtore eius exercitus grauaretur. Hinc igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui venire, & cum nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait, Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo mortalem nõ paria Deo ſentire: & ciuitatem ad quam feſtinans veniebat vt eam ad ſolum deduceret, nunc optabat liberam reddere; & Iudæos quos nec ſepultura quidem ſe dignos habiturum dixerat, æquales nunc Athenienſibus facturum pollicetur: templum etiam ſanctum quod prius expoliauerat optimis donis ornatum, & ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad ſacrificia ſumptus de redditibus ſuis præſtaturum: ſuper hæc & Iudæum ſe futurũ & omnem locum terræ & perambulaturũ & prædicaturum Dei poteſtatem. Hæc cum diceret, adiungit ſcriptura: Orabat autem hic ſceleſtus Dominum à quo non eſſet miſericordiã conſequuturus, quippe qui nullo modo à malitia ſua ceſſabat, cũ non odio peccati, ſed metu pœnæ & dolore tormentorum coactus huiuſmodi promitteret: vt hinc pateat verum eſſe quod vulgo dicitur, pœnitentia ſera, raro vera.

4. PORRO qui laudabiliter ſemper vixit, ſi ex infirmitate eum labi contingat, ſicut de Dauide & Petro legimus facilius reſurgere & ad veram pœnitentiam peruenire poteſt, eo quod præcedentium bonorum eius operum rationem Deus habere ſoleat: Ita enim de Ioſaphat legimus, *Impio* 2. Paral. 19.
prabes auxilium, & iis qui oderunt Dominũ amicitia iungeris, idcirco iram quidam Domini merebaris, ſed bona opera inuẽta ſũt in te eo quod abſtuleris lucos de terra Iuda & praparaueris cor tuum vt requireres Dominum. Contingit interdum pœnitentem multa magnaque facere bona, & rurſum in medio illorum bonorum æquiualens perpetrare peccatum: & hoc validiſſimum eſt, ait, *Chryſ.* ad inducendum in deſperationem, tanquam ædificatis & curatis omnibus incaſſum & inaniter à ſe elaboratis: ſic enim *Eccleſiaſticus* ait, *vnus ædificans & v-* Eccl. 12.
nus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor: Qui baptiſatur à mortuo & iterum tangit eũ quid proficit lauatio illius? ſic homo qui ieiunat in peccatis ſuis & iterum eadem faciens quid proficit, humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet? hæc ibi. Neceſſum tamen hanc expellere cogitationem animiq; eliminare puſillanimitatem, ait *Chryſ.* niſi enim præuenientes meritorum menſu ã peccatis poſtea perpetratis æquiualentem repoſuiſſemus, funditus nos ſubmergi nihil prohibuiſſet: nune vero quaſi fortis quidam thorax acutam ſagittam effectũ ſuum habere non permiſit, ſed ipſe diſſiſus atque perfoſſus magnum à corpore pe-

re periculum amouit. *hæc Chryſoſt.* Summopere cauendum iis, qui ex infirmitate ſæpe relabuntur ne paulatim in peccandi conſuetudinem deueniant, & tandem ſeipſos penitus negligant, ſimiles iis qui variis confoſſi vulneribus cadunt & viribus ſurgendi ſeſeque tuendi prorſus deſtituantur. Sunt enim qui ſub ſpe veniæ peccant facile, eo quod Deum miſericordem ſcriptura prædicet. heri deliquerunt, hodie idem faciunt, cras ſimiliter, & paulatim ita peccatum placere incipit vt tandem de eo relinquendo nec ſemel cogitent. Hinc homo peccans oui erranti comparatur, quæ quia in eodem loco non manet, quo longius recedit eo plus oberrat: Sic peccator: quia peccatum ſuo pondere contrahit in aliud ſi pœnitentia non deleatur: relinquit enim quodlibet peccatum perpetratum certum aculeum cordi peccantis infixum, qui ad ſimilem actum perpetrandum incitat & inſtigat ſemper, cui tanto ægrius reſiſtere poteſt, quanto infirmior ſæpius peccando efficitur.

5. Etenim vt quis de remiſſione peccatorum certus animari poſſit, quamuis certo & infallibiliter ſcire non poſſimus per pœnitentiam nos peccatorum veniam eſſe conſequutos, tamen tunc credenda ſunt peccatata præterita nobis eſſe dimiſſa, inquit *Baſilius*, cum deſideria & paſſiones voluptatum præſentium ac præteritarum fuerint radicitus è cordibus noſtris euulſa, cum mentis tranquillitas & ſpiritus ſuauitas fuerit cordi inſita: iſtis enim & ſimilibus indiciis reddit ſpiritus ſanctus teſtimonium ſpiritui noſtro. quod ſumus filii Dei. Sed quamdiu, *inquit idem.* imago commiſſorum criminum præluſerit ante oculos noſtros dum ſatisfactioni & gemitibus inhæremus, & eorum delectatio, vel etiam tenuis recordatio turbauerit mentis noſtræ ſerenitatem, nouerit quiſque, inquit, ſe nondum plene ſolutum à priſtinis vitiis, & ideo hanc plenariam indulgentiam nullus eorum aſſequitur, qui vel per ignauiam, vel per contemptum neglexerit peccata ſua purgata: opus enim eſt vt multis gemitibus ſic excoquat omnem maculam nequitiæ & immunditiæ ſuæ, quamdiu recordatione peccatorum ſuorum præcedentium mordetur animus eius, poteſt interim tam vehemens eſſe animi dolor & pœnitentia, vt omnis culpa ſimul & pœna deleantur, vt patet in Magdalena, vt plurimum tamen quia ſcelerum magnitudinem doloris magnitudo non adæquat, contritionis infirmitas ſatisfactionis labore & pœna eſt reſarcienda, & æquum eſt vt corpus affligatur cum animo male eſt, quoniam dum corpus eſt in ægritudine compatitur animus. Quod itaque nonnulli hanc cordis pacem conſequi non poſſint, ſed aſſidue conſcientiæ ſtimulis diuexentur, & ſcrupulis tanquam quodam carnifice lancinentur, quantumuis ſæpius confiteantur, id de vulnere prouenit nondum plene ſanato, obnoxii ſunt occultis quibuſdam vitiis quibus affectus etiamnum inhæret: ſanari autem poterunt ſi vere humiles effecti ad veram cordis contritionem deuenerint.

Pars II.

Erãt appropinquantes ei publicani & peccatores vt audirent illum.

Luc. 15.

Snmma II. Partis.

I. *Deus non deſerit hominem niſi prius ab eo deſertus.*

II. *Quomodo homo obduretur à Deo.*

III. *An obduratus poſſit quolibet tempore conuerti ad Deum.*

I. Art. Deus nõ deſerit hominem niſi prius ab eo deſertus.

1. CVm ſcriptura dicit publicanos & peccatores approquinquaſſe Chriſto, eos ab ipſo prius receſſiſſe atq; elongatos fuiſſe inſinuat, nõ enim accedimus quempiã niſi quia prius ab eo diſſiti eramus. Recedimus autẽ à Deo ipſumq; accedimus non greſſibus corporis, ſed affectu cor-

ctu cordis: tūc enim appropinquamꝰ eūq; accedimꝰ quādo caritate, ſapiētia & ſimilibus Dei donis ei ſimiles efficimur, quæ quo quiſque plura habuerit eo magis Dei appropinquat, eique magis efficitur ſimilis, quo pauciora, eo minus accedit, minuſque eſt ſimilis. Recedimus à Deo quando amiſſis donis ſpiritualibus, prauis affectibus vtpote odio, inuidia, ignorantia, ſuperbia & ſimilibus imbuimur, quibus Deo diſſimiles, Deoque contrarii efficimur.

2. SCIENDVM itaque dum quiſpiam peccat, primum, Deum illi ſubtrahere caritatem gratiamque iuſtificantem, dum induere & infundere ceſſat, dum hominem peccatorem inidoneum & indignū videt cui huiuſmodi dona infundat. Nihilominus alia illi relinquit auxilia & interna & externa, quibus iuuari queat vt reſurgat & gratiam perditam recuperet: quæ auxilia ſi peccator negligit & peccata peccatis accumulet, difficilior fiet eius conuerſio, & ægrius reſurget, tum ex parte ipſius quia pluribus peccatorum vinculis ſeſe conſtringit, tum ex parte Dei qui in pœnam tot peccatorum, multa gratiarum dona, quibus ille prius iuuari poterat, ei ſubtrahit: & in tantum poſſet ille peccando procedere vt penitus deſereretur à Deo & omnibus auxiliis deſtitueretur, & tunc talis recte dicitur induratus, idque à Deo propter diuini auxilii ſubtractionem, quo modo in libro Exodi ſępius legitur Deum indurasſe Pharaonem, qui tot & tanta mala ac ſcelera in Deum eiuſque populum commiſerat, vt promeritus fuerit totaliter a Deo deſeri & ſic indurari.

3. IAM QVÆSTIO eſt inter Doctores, an aliquis in hac vita propter enormia ſua ſcelera ita à Deo deſeratur, omnique ſubſidio priuetur vt penitus conuerti & reſurgere nequeat, ſicut conuerti nequeunt qui iam in inferno damnati ſunt. *Iſidorus* certe ſic ait, deſerente Deo nullus pœnitere poteſt: nonnulli autem ita deſpiciuntur à Deo vt deplorare mala

Iſidor. lib. 2. de ſum. bo. cap. 16.

ſua non poſſint etiam ſi velint. Ingemiſcendum eſt iugiter & excuſſa omni ſecuritate lugendum, nè in Dei ſecreto & iuſto iudicio deſeratur homo & perdendus in poteſtate dæmonis relinquatur, *hæc Iſidorus. Adrianus* quoque *Roffenſis Andreas Vega Toſtatus* hanc ſequitur opinionem vt putent nonnullos ſic deſeri à Deo propter multiplicia & enormia ſua ſcelera, qui omnino conuerti non poſſint. Sic autem habet *Vega* loco prædicto, veriſimile eſt, vt etiam ante nos aliquot nobiles auctores tradiderunt, eſſe certum aliquem numerum peccatorum ita magnum & grauem coram Deo vt cum homines eum compleuerint, Deus eos deſpiciat & a ſe proiiciat, & ſic videretur dicere *Eccleſiaſtes* cum ait, *conſidera opera Dei quod nemo poſſit corrigere quem Deus deſpexerit.* Quantus autem ſit numerus peccatorum, aut quam enormia ſint peccata & quoties repetita, quibus meretur aliquis ſic deſeri vt ei gratia ad pœnitendum non detur, ignotum eſt homini, ſic Toſtatus.

Adrian. quæſt. 3. de Pœn. Art. 3. in Luth. Lib. 15. in con. Trid. cap. 23. Toſtat. quæſt. 12. Exod. cap. 7.

4. HVIC SENTENTIÆ plurimæ videntur fauere ſcripturæ: & imprimis præter eam quæ ſupra ex *Eccleſiaſte* eſt adducta, dicit ſic *ſapiens Nequam erat natio eorum & naturalis malitia ipſorum, & non poterat mutari cogitatio ipſorum in perpetuum*, item *Ieremias* ſic ait. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam & pardus varietates ſuas & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* Huc pertinent quod & *Paulus* ait *quoſdam traditos in reprobum ſenſum*: & alibi quoſdam vocat *vaſa iræ apta in interitum*: & *Iere. ca. 7.* dixit Dominus ad Ieremiam, *noli orare pro populo iſto & non obſiſtas mihi quia non exaudiam te* Rurſum *Ezechi.* & *ſi fuerint tres viri iſti in medio eius Noe Daniel & Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabūt animas ſuas, ait Dominus exercituum ſed nec filios nec filias liberabunt.* Denique 1. *Reg.* 16. ait Dominus ad Samuelem, *vſquequo tu luges Saul cum ego proiecerim eum?* *Iſaias* quoque ſic habet. *Oſtendam vobis quid ego faciam vi-*

cap. 7. cap. 12. Ierem. 13. Rom. 2. cap. 9. Ierem. 7. Ezech. 14.

nea

*nea mea: auferam ſepem eius & erit in depra-
dationem, diruam maceriam eius & erit in*
Iſa.6. *conculcationem, & ponam eam deſertam,
non putabitur & non fodietur, & aſcendent
ſuper eam vepres & ſpinæ, & nubibus man-
dabo ne pluant ſuper eam imbrem.* Et *idem
excæca cor populi huius & oculos eius clau-
de ne forte videant oculis ſuis & conuertan-
tur & ſanem eos.* Huc etiam ſpectant
cap.51. apud Ieremiam verba angelorum Baby-
lone diſcedentium, *curauimus*, inquiunt,
*Babylonem & non eſt ſanata, derelinqua-
mus eam quoniam peruenit vſque ad cœlum
iudicium eius. Pſalmiſta* quoque ſic ait,
Pſal.80. *Non audiuit populus meus vocem meam &
Iſrael non intendit mihi, & dimiſi eos, ſecun-
dum deſideria cordis eorum ibunt in adinuen-
tionibus ſuis.*

5. CERTE cum Deus ſinit peccatores
ſuas ſequi cupiditates, nec impedit eo-
rum conatum, nec gratiam largitur qua
ſuis concupiſcentiis reſiſtant, idque me-
ritis ipſorum hoc poſtulantibus: inſu-
per cum ab iſtis ſceleratis hominibus
medicos amouet ſpirituales, tam viſibi-
les, vt ſunt Confeſſarii & Prædicatores,
quam inuiſibiles, vt ſunt angeli boni:
inter hæc dum dimittit in eos falſos pro-
phetas, & dæmones ſinit eos ſeducere &
2.Theſſ.2. in varios errores præcipitare, iuxta illud
*Pauli. 2. Eo quod charitatem veritatis non
receperunt vt ſalui fierent, ideo mittet illis
Deus operationem erroris vt credant men-
dacio:* inſuper cum ſummis votis id à
Deo poſtulaet *Dauid* ne à Deo deſerer-
Pſal.50. tur, ſic enim ait *Ne proiicias me a facie tua &
ſpiritum ſanctum tuum non auferas à me*,
ſummo iure profecto metuendum ne di-
uina ira etiam in hac vita quoſdam ſic
deſerat vt nulla ſalutis ſpes eis relicta
ſit, præſertim cum ita nonnullos videa-
mus induratos vt nullas monitiones ad-
mittant, nullas correptiones ſuſcipiant,
nullis precibus moueantur, nullis mi-
nis terreantur, nullis flagellis emenden-
tur, ſed indurentur magis, impauidi ad
pericula, inhumani & ingrati ad benefi-
cia, qui nec Deum timent nec homines
reuerentur, qui percuſſi à Deo non ſen-
tiunt, attriti reuerti nolunt: Sicut de iis
teſtatur *Ieremias* cum ait *Domine per-* Ierem.5.
*cuſſiſti eos & non doluerunt, attriuiſti eos
& renuerunt accipere diſciplinam, indurauerunt
runt facies ſuas ſupra petram & noluerunt
reuerti.* Talis vnus Pharao fuiſſe videtur,
quem toties in ſcripturis ſacris Deus in-
duraſſe dicitur.

1. SED explicandum id latius quomodo II.
Deus Pharaonem indurauerit, cum Quomo-
duritia cordis, qua quis Deo monenti, do Deus
præcipienti, minanti, flagellanti, per- dicatur in-
cutienti cedere non vult, ſcelus ſit gra- durare cor
uiſſimum, Deus autem nedum ſceleris: da homi-
ſed nec peccati alicuius auctor eſſe poſ- num.
ſit. Sunt qui hoc modo iſtud interpre-
tentur, *ego indurabo cor Pharaonis*, tan-
quam diceret, ego quam ſit duro corde
ipſe Pharao, vobis oſtendam, cum tot Exod.
percuſſus plagis, Deo neque obtempera-
re, neque cedere, neque eius voluntati
acquieſcere volet & ſic interpretatur
Auguſt. Nec eſt aliena ſcripturis ſacris Auguſt.
huiuſmodi locutio, quia Deus dicitur quæſ.18.In
aliquid facere, dum id quod fit vel fa- Exod.
ctum eſt, in aliorum notitiam deducit:
Sicut cũ dicitur in Gen. *Nunc cognoui quod* Gen.22.
timeas Dominum, id eſt, cognoſcere alios
feci.

2. VERUM huiuſmodi interpretatio li-
cet vera ſit, non tamen totum id quod
ſub iſtis verbis continetur, explicat: ideo
& ipſe *Auguſt.* variis in locis, & *Chryſoſto*,
& alii Patres alias & varias dant huius
ſententiæ, *ego indurabo cor Pharaonis*, Rom.1.
interpretationes. *Chryſoſt.* certe interpre-
tans illud *Tradidit eos Deus in reprobum
ſenſum*, hoc eſt, inquit, tradi permiſit,
innuit quod Deus dicatur hominem in-
durare quia permittit vt homo induretur. Damaſ.
Sic & *Damaſ.* operæ pretium eſt agno- lib.4.orth.
ſcere, inquit moris eſſe diuinæ ſcripturæ fid.cap.20
permiſſionem Dei actionem eius vocare.
Sed id obſeruandũ in *Chryſ.* quod non id-
eo ſimpliciter dicatur Deus hominẽ indu-
rare, quia indurari permittit, alias ſimili
modo

modo poſſet dici Deus mentiri, furari, quia hominem mẽtiri & furari ſinit, nihil enim niſi quod Deus permittit, fit: aliquid igitur plus habet Deus in induratione, quam in aliis peccatis quæ permittit. Dicitur itaque Deus *indurare hominem* dum ſic exigentibus eius meritis & peccatis, eum deſerit, ipſumque ſua gratia & auxiliis tam internis quam externis deſtituit, quibus ille deſtitutus nec diabolo impugnanti reſiſtere, nec propriam concupiſcentiã vincere, nec reſipiſcere aut emolliri poteſt, ſed indies obduratur magis & peior euadit: tãquam ſi dux aliquis ingraueſcente bello ſe ſubducat, ſuumque exercitũ deſerat, recte eum hoſtibus tradidiſſe dicendus eſt, inquit *Chryſoſto.* non q̃ eos in ſtragẽ impulerit, ſed quod eos ſuo auxilio deſtituerit: ad eundem ſane modum & Deus eos qui oblatum à ſe auxilium amplecti nolẽtes priores reſilierunt, deſerit & derelinquit: aut ſicut gubernator nauis deſerens eã, ſi exorta tẽpeſtate ſubmergatur dicitur cauſa ſubmerſionis:

Chryſ. Hom.67. in Ioann. ſic inquit *Chryſoſt.* dicitur De[us] quoſdã indurare, & in reprobum ſenſum tradere, non quod hæc a Deo fiant, inquit, quippe cum a propria hominum malitia proueniant, ſed quia Deo iuſte homines deſerẽte, hæc illis contingunt.

3. CVM ENIM deſerimur à Deo, tradimur diabolo, in cuius poteſtatem redacti innumeris malis inuoluimur. Quod autẽ Deus non deſerat nos, niſi prius à nobis deſertus, docet *Iſa. Peccata veſtra diuiſerũt, inter vos & Deum veſtrum. Hæc Chryſoſt.*

Iſa.59. Auguſt. Epiſt. 105. Sic & *Auguſt.* Non obdurat Deus, inquit, impertiendo malitiam, ſed nõ impertiendo gratiam, quibus autem nõ impertitur nec digni ſunt illi, nec merentur, quin potius vt non impertiatur Deus gratiam ſuã, hoc digni ſunt illi & hoc merẽtur.

Greg. 31. Moral.c.11. Grego. quoque, tractans illa verba Iob, priuauit illum Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam: quamuis, inquit, aliud ſit priuare, aliud non dare, hoc tamen repetiit ſubdendo, non dedit, quod pręmiſit, priuauit: ac ſi diceret quod dixit priuauit, non iniuſte ſapientiam abſtulit, ſed iuſte nõ dedit, vnde & Pharaonis cor Dominus induraſſe dicitur, non quod ipſe duritiam cõtulit, ſed quod exigentibus eius meritis nulla illud deſuper infuſi timoris ſenſibilitate molliuit.

4. SVNT QVI dicunt quod Deus cauſa dicatur indurationis; non vt peccatũ eſt, ſed vt eſt pœna peccati: Sicut *Paul.* dicit quod *propterea Deus tradiderit gentes in reprobum ſenſum quia mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & ſerpentium.* Rom.1. Certe indurationem pœnam eſſe præcedentium peccatorum & vt ſic à Deo, docet *Iſidorus* dum inquit, pœna peccati admittitur, quando pro merito cuiuſque peccati Deo deſerente in aliud peccatum deterius itur de quo amplius qui admiſerit ſordidetur: præcedentium vero peccatorũ pœna, ipſa vocatur induratio veniens de diuina iuſtitia, hæc Iſido. Iſid.lib.2. de ſumbo cap.9.

Sic & *Caiet.* dicit quod maledictio Semei in Dauide fuerit a Deo nõ vt eſt culpa, ſed quatenus erat pœna ipſius Dauidis vt n. huiuſmodi maledictio procedebat ab iniqua voluntate ipſius Semei qui odio in Dauidẽ inardeſcebat, erat culpa, neque ita fuit à Deo: ſed vt erat paſſio qua affligebatur Dauid propter homicidiũ & adulteriũ, a ſe cõmiſſũ, ſic erat pœna & à Deo, Nã vt *Aug.* docet, vtitur Deus bene cordibus malis ad id quod vult oſtẽdere bonis Aug.q. 18.in Exod. vel quod facturus eſt bonis, & quãuis vniuſcuiuſq; cordis in malitia qualitas ſuo fiat vitio quod inoleuit ex arbitrio voluntatis, vt tamen qualitate mala huc vel illuc moueatur, cauſis fit, quibus animus propellitur, quæ cauſæ vt exiſtant vel nõ exiſtant, non eſt in hominis poteſtate, ſed veniunt ex occulta prouidẽtia iuſtiſſima plane & ſapientiſſima, vniuerſum quod creauit diſponentis & adminiſtrantis Dei.

5. VT ERGO tale cor haberet Pharao quod patientia Dei non moueretur ad pietatẽ, vitii proprii fuit, quod vero facta ſint ea, quibus cor ſuo vitio iam malignũ reſiſte-

reſiſteret iuſſionibus Dei (hoc eſt enim quod dicitur induratum quia non flexibiliter cōſentiebant, ſed inflexibiliter reſiſtebat) diſpenſationis fuit diuinæ, qua tali cordi non ſolum iuſta, ſed euidenter iuſta pœna parabatur, qua pœna timētes Deū corrigerentur: propoſito quippe lucro e. g. propter quod homicidiū cōmittatur, aliter auarus, aliter pecuniæ contēptor mouētur, ille ſcilicet, ad facinus perpetrandum, hic ad cauendū: ipſius tamen lucri propoſitio in alicuius illorum non fuit poteſtate. Ita cauſæ veniunt hominibus malis quæ nō ſunt in eorum poteſtate, ſed de illis faciunt, quales eos inuenerint iam factos propriis vitiis & præterita voluntate. *Hæc Auguſt.* Induratio igitur vt eſt culpa malæ voluntatis quæ Deo reſiſtit & cedere non vult, non eſt à Deo: ſed quatenus conſideratur vt eſt pœna ſpiritalis dum quis propter præcedentia peccata meretur deſeri & indurari, ſic eſt à Deo hominem deſerente. Nam vt *Thomas* docet cauſa ſubtractionis gratiæ non ſolum is eſt qui peccādo ponit obſtaculum gratiæ, ſed etiam Deus ipſe qui ſuo iudicio gratiā non apponit illis in quibus obſtaculum inuenit. Et hoc modo Deus eſt cauſa excœcationis & obdurationis quatenus excœcatio & induratio ex parte ſubtractionis gratiæ ſunt quædam pœnæ quas homo propriis ſuis demeritis incurrit, ſicut & cæteras pœnas. *Hæc Thom.*

S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 3.

August. lib. 5. con. Iulia. c. 3.

6. His addere oportet quod *Aug.* dicit Deum ad indurationem cordis & mentis excœcationem concurrere nō ſolum ſecundum permiſſionem vel ſecundū patientiam (nimirum dum longa ſua patientia parcit homini peccanti, vnde peior euadit & durior efficitur, vbi non Dei accuſanda eſt patientia, inquit *Hier.* ſed eorum duritia qui bonitate Dei in ſuam perditionem abuſi ſunt, quandoquidem vt *Eccleſiaſtes* ait *non cito profertur contra malos ſententia abſque timore vllo perpetrant mala filii hominum:* & *Paulus Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam theſaurizas tibi iram in die iuſti iudicii Dei.*) ſed etiam ſecundum potentiam & actionem, non ſane per quam fiat immediate ipſa cordis duritia, ſed per quam multa fiant, à quibus peccator vitio ſuo concipiat duritiam cordis eamq; augeat. Multa enim Deus circa hominē facit interius & exterius, è quibus capit is occaſionem grauius peccandi. Cum enim iam diu multumque peccādo deprauatum animum habeat, tam bona quam mala in ſuam vertit perniciē: ſiue enim det ei Deus affluentiam bonorum temporalium, hac proſperitate elatus remis velíſque, vt aiūt ad omnia fertur flagitiorum genera quia teſte *Sapiente proſperitatis ſtultorum perdit illos:* Siue tribulationes & flagella immittat, tantum abeſt vt iis corrigatur, vt etiam peior & durior inde euadat, iuxta illud *Iſa. Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem?* Nam qualis quiſq; eſt animo, talia fiunt ei & ea quæ accidunt omnia: vt enim *his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, omnia cooperantur in bonum,* teſte *Paulo* ita reprobis & in ſenſum reprobum traditis omnia vertuntur in malum: nam vt *Sapiens* ait *Creatura Dei in odium facta ſunt & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium,* non natura ſua, ſed vitio iis abutentium.

Hier. Epiſt. 150. in reſp. ad 10. qq.

cap. 8.

Rom. 2.

Prouer. 1.

Iſa. 1.

Rom. 8.

cap. 14.

Rupert. li. 7. ca. 21. in Exod.

7 Hinc Rupertus quærens quomodo Deus indurauerit Pharaonē ſic ait, Quid eſt, inquit, ego indurabo cor Pharaonis? Nunquid iniquitas eſt apud Deū vt cor Pharaonis prius tenerum fecerit ipſe durum, quo per occaſionem duritiæ eius mirabilia faciendo glorificaretur? Abſit. Sed obdurauit Pharaonem flagellando Ægyptios, Hebræis benefaciendo. Cum enim Pharao ſicut & Ægyptii odiſſent Hebræos, iuxta quod dicitur pſ. 104. Conuertit cor eorum vt odirent populum ſuum quo fœlicius agebant Hebræi & quo plura à Deo percipiebant beneficia, eo magis increſcebat Ægyptiorum in Hebræos inuidia, eaque mox profecit in capitale odium, quo indurabatur cor eo-

rum: Sicut enim eodem calore solis cera liquescit, & lutum obdurescit, ita iisdem beneficiis animus pius emollitur, impius & incredus obduratur.

8. ITAQVE Deus hominem obdurare dicitur non proprie, sed figurate, dum id quod est euentus ipsi causæ tribuitur, vt si ex dicto vel facto alicuius aliquid eueniat etiã præter intentionem & voluntatem ipsius, id vulgo dicitur factum ab illo.
Gen. 43. Sic Iacob dicebat filiis suis, *In meam hoc fecistis miseriam vt indicaretis ei & alium vos habere fratrem*: Non quod filii Iacob ea intentione indicarint se alium habere fratrem vt patrem facerent miserum, sed quia ex illo dicto quod ipsi dixerant, secutum est vt Iacob abducto filio miser fieret.
Ioan. 17. Sic cum Scriptura ait *Nemo ex eis periit nisi filius perditionis vt scriptura impleretur* &c. non propterea periit, inquit *Chrysost.* vt impleretur scriptura, sed hoc secutum est dum ipse periret quod scriptura impleretur: Is enim scripturæ mos est, vt quæ euentus sunt, pro causa ponat. Sic quia multa circa reprobos facit Deus, & bene faciendo & flagellando, vnde ipsi peiores euadũt & duriores, hinc euenit quod eorum obduratio Deo tribuatur, non quod proprie Deus induret aut excæcet duritiem & cæcitatem efficiendo, sed quia Deus aliquid facit ex quo alter occasionem capit suæ cæcitatis.

9. ALIO MODO igitur *Deus* excæcat alio modo *diabolus*, alio modo hominis *malitia* alio modo *munera*: Nam hęc quatuor esse reperimus in scriptura sacra quæ hominem excæcare dicuntur. Sic n. legi-
cap. 20. mus apud *Ecclesiasticum Nec accipias munera quæ excæcant prudentes*: munera non excæcant proprie & efficienter, sed per occasionem duntaxat, dicuntur enim excæcare quia inde homo occasionẽ sumit peruertendi iudicium. Rursum *Sapi.* 2. legimus *excæcauit eos malitia eorum*: malitia excæcat meritorie quia per eam meretur quis excæcari à Deo, Item legitur diabo-
2. Cor. 4. lus excæcare hominem, *Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium*, inquit Paulus, *vt non fulgeat eis illuminatio euangelij*. Excæcat autem diabolus hominem ad peccatum incitando, errores suggerẽdo, mendacia persuadendo, sicut & hæretici excæcant scripturas adulterando, Deus excæcat permittendo dum sinit peccatores suas sequi cupiditates, deserendo dum gratiam subtrahit & reliqua salutis subsidia tam externa quam interna ab hominibus reprobis amouet, idque exigentibus eorum meritis, sicut dictum est.

III. De nullo hic desperandum.

1. HACTENVS de *induratione*. Iam in medium adducenda est eorum sententia qui docẽt nullum esse peccatorem in hac vita quantumuis induratũ & à Deo derelictum qui non possit, etiã omni tempore fructuose pœnitere, & ad Deũ conuerti, non quidem solis naturæ viribus, quod Pelagianum esset dicere, sed quod sufficienter Deus ei assistat & suã gratiam offerat, qua pro extremo saltem viriũ laborando, cõuerti & indulgentiã cõsequi possit, & pro se allegãt has & similes scripturas: *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos*. Qui vocat Matth. 11.
omnes neminem excludit, & si quis esset qui venire non posset absolute, ridiculum esset talem vocare, sicut stultum esset cæco dicere, vide. Item *Deus vult omnes homines saluos fieri*: Ezechi. 18. *Viuo ego dicit Dominus nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat*. Rursus Ioel. 2. *derelinquat impius viam suam & vir iniquus cogitationes suas & reuertatur ad Dominum & miserebitur eius*. Has & similes scripturas dicunt pertinere ad omnes peccatores in via constitutos quantumuis induratos, alias si quis totaliter sic à Deo esset desertus vt omnino conuerti non posset, sicut damnati in inferno non possunt, esset extra statum viæ, quod pro absurdo habent, vnde *Thom.* ait dicere aliquod esse in hac vita peccatum de quo non possit homo pœnitere erroneum est, quia hominis viatoris liberũ arbitriũ flexibile est & ad bonum & ad malum, si autem non posset pœnitere per hoc tolletur

1. Tim. 2.

3. p. q. 86 a. 1.

tetur libertas arbitrii. *ſic Thom.* addens ſi *Aug.* dicat quoſdam eſſe peccatores qui de peccandi humilitatē ſubire nō poſſint etiamſi peccatū ſuum mala conſcientia agnoſcere cogantur: dicit hoc intelligendum eſſe, quod nō poſſint, quia ægre poſſunt ſicut dicitur de fratrib. Ioſeph quod non poterant ei quicquam pacifice loqui. Et ſic ſoluunt omnia argumenta in contrariam partem adducta: vt cū dicitur, & *non poterant credere* hoc dictū volunt non quaſi ſimpliciter credere non potuerint, ſed quia non niſi cum maxima diffi[c]ultate, & quaſi miraculoſe, quia qui tales peccatores ſunt & tam indurati, iis conuertēdis non ſufficiunt communia & ordinaria remedia, ſed opus eſt auxiliis efficaciſſimis & extraordinariis.

Ioan. 12.

3. ET CVM aliqua peccata dicuntur irremiſſibilia *quæ non remittuntur neque in hoc ſeculo neq; in futuro.* vt dicitur *Matthæ.* 12. hoc dicitur, inquit *Tho.* non quod omnino irremiſſibilia ſint, ſed ſicut morbus aliquis dicitur incurabilis qui tollit virtutem naturæ, & inducit faſtidium cibi & medicinæ, licet talem morbum Deus per omnipotentiam ſuam poſſit curare, Ita dicit eſſe peccata quædam irremiſſibilia ſecundum ſuam naturam, quia excludūt ea quæ fit remiſſio peccatorum: quamuis per Dei omnipotentiam & miſericordiā eiuſmodi peccata remitti poſſint, per quā tales peccatores aliquando quaſi miraculoſe ſpiritualiter ſanantur. Et ideo conſiderata Dei potentia & miſericordia de nullo peccatore in hac vita deſperandum eſt: Conſiderata tamen conditione peccatorum dicuntur aliqui filii diffidentiæ. Et quamuis liberum arbitrium maneat ſemper in hac vita vertibile ad bonū, tamen quandoq; abiicit ex ſe id per quod verti ad bonum poteſt quantū in ipſo eſt: vnde ex parte ipſius peccatū eſt irremiſſibile, licet Deus remittere poſſit, *hæc Thomas. Aug.* quoque ſic ait, de nullo deſperandum eſt quamdiu ad pœnitētiam patientia Dei adducit: Paganus eſt hodie, Iudæus eſt hodie, hæreticus eſt hodie,

S. Thom. 22. q. 14. art. 8.

Aug. ſer. 11. de verbis Dom.

ſchiſmaticus eſt hodie: Quid ſi cras amplectitur catholicam fidem & ſequatur catholicā veritatem? Quid ſi iſti quos tāquā deſperatiſſimos damnas, antequam finiant iſtā vitam, agant pœnitentiam & inueniant pacē? Nolite ergo ante tempus iudicare quenquam. *ſic Aug.* Cum itaq; de nemine ſit deſperandum quamdiu viuit, poteſt peccator, inquiūt, quouis tempore quamdiu viuit ad Deum conuerti. Et id probant ex iſto loco *Ioannis Eſt peccatum ad mortem pro eo non dico vt oret quis: ſed qui ſcit fratrem peccare non ad mortem petat & dabitur ei vita peccanti* non ad mortem. Peccantes ad mortem ſunt tantum, inquiunt, qui in peccato perſeuerant vſque ad mortem: ſic enim exponit *Aug.* & *Greg.* Atque idipſum exigit *Ioannes* qui vult fideles ſcire pro quibus debeant fructuoſe orare, & pro quibus non: Docetq; pro omnibus in hac vita peccantibus, quoniam adhuc ſpatium habent pœnitendi, eſſe orandum, talemq; orationem fructuoſam eſſe apud Deum, ſed pro iis qui moriuntur in peccato, non eſſe orandum, cum iam nullum habeant pœnitendi ſpatium.

Ioan. 1. Epiſt. cap. 5.

Aug. c. 12. de Cor. rep. & gra. Greg. 16. Mor. c. 21.

3. QVIN ET *Aug.* retractans quod dixerat *li. 1. de ſer. Do. in mo.* peccatū ad mortem eſſe cum quis poſt agnitionē Dei per gratiā Chriſti, oppugnat fraternā gratiā, & aduerſus ipſam gratiam qua recōciliatus eſt Deo, inuidentiæ facibus agitatur: hæc inquā verba retractans dicit, addendum præterea fuit, Si in hac tam ſcelerata mentis peruerſitate finierint hanc vitā: de quocumq; enim quamuis peſſimo in hac vita conſtituto non eſt vtique deſperandum, nec pro illo imprudenter oratur de quo nō deſperatur, *hæc Aug.* Ad hæc dicere quendam peccatorum numerum certū eſſe, quē qui impleuerit, is omnino à Deo derelictus amplius ad Deum conuerti nō poterit, videtur ſcripturæ ſanctæ contrarium. Nam quærenti Petro, *an dimiſſurus eſſet fratri peccanti vſque ſepties?* Reſpondit Dominus *non dico tibi vſque ſepties ſed vſq; ſeptuagies ſepties:* ſignificans quotlibet

Aug. lib. 1. Retract. c. 19.

Matth. 18.

libet & quantislibet peccatis fratrum esse ignoscendum. Quod si apud hominem nullus esse debet certus numerus peccatorum vltra quem non parcat delinquenti fratri, quanto minus apud Deum *cui proprium est misereri semper & parcere.* Sed & *Adria.* loco supra citato hanc opinionem tenet tanquam probabiliorem: sic enim ait, Sicut damnatis nulla est facultas per pœnitentiam reuertēdi ad Deum, ita peccatoribus perditæ vitæ merito adimitur etiam in hac vita sæpe facultas sine qua non sunt conuertendi. Dico notanter restricte, sine qua non conuertentur, non autem dico sine qua conuerti non poterunt, quia eam misericordiam, vt probabilior teneo, viatoribus exhibet Deus, quod sufficienter eis assistat & suam gratiam offerat, qua pro extremo saltem virium laborando, possent peccatorū indulgentiam promereri: vt in hoc differentia sit viatorum ab iis qui transierunt terminū. Teneo inquit probabiliter quod nunquam in viatore est cōsummata sententia Dei de subtractione auxilii sufficientis ad pœnitēdū. *hæc Adri.* Dicit & *Vega* quāuis multi sint ita obfirmati in malo vt nunquam sint conuertendi, nullos tamen esse in via qui non possint conuerti.

4. PROPTER hæc quæ dicta sunt & allegata, putat *Ruardus arti.* 7. vbi tractat hanc quæstionem in vtramque eius partem suppetere argumenta tā ex scripturis quā ex patribus, ideoque vtramq; partem probabiliter defendi posse: additque sibi certū videri aliquos omnino deseri à Deo nō quidem per totam vitam, vel vsque ad mortem, sed ad aliquod tantum tempus, in quo omnino derelicti tunc conuerti nequeant. Et hanc *Ruardi* sentētiam tanquam verisimiliorem sequimur, eo quod & Pharaonem & Saulem reprobos & obduratos homines, etiam compunctos & ad pœnitentiam commotos fuisse interdum ex scripturis constet, quamuis paulo post ad naturam & obduratam mentē redierint sicut aqua quæ nimio frigore constringitur, sed calore solis superueniente resoluitur, & paulo post eodē sole discedente iterum constringitur & obduratur.

PARS III.

Murmurabant pharisæi & scribæ dicentes, Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis. Luc. 15.

Summa Articulorum Partis Tertiæ.

I. *Quibus periculosum sit conuersari cum peccatoribus, quibus non sit.*

II. *Ostendit Deus suam misericordiam etiam in maxime sceleratos, vt nemo desperet.*

III. *Cur pharisæi ob hoc murmurauerint, eique detraxerint, & de detractione.*

IV. *Non sola Dei misericordia consideranda, sed & iustitia metuenda.*

1. HOMINIBVS infirmis nequaquam consultum fuerit vt cum reprobis conuersentur ne illis similes fiant. Sic enim *Sapiens* ait *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius & sumas scandalum animæ tuæ.* In quem locum sic *Hiero.* Sicut perfecti viri peruersos proximos non debent fugere, qui illos sæpe ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad peruersitatem nunquam trahuntur, iuxta quod Dominus ad *Ieremiam* ait, *Ipsi conuertentur ad te & tu non conuerteris ad eos:* ita infirmi quique societatem debent declinare prauorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectet imitari. Hinc tam serio mandabatur Israelitis ne fœdus inirent cum Chananæis, sed omnes habitatores terræ Chanaan interficerent, *alioquin,* inquit Dominus, *erunt, vobis quasi claui in oculis & lanceæ in lateribus.* Cum enim populus Israel ad idololatriā, cui in Ægypto assueuerat multum esset propensus, minima data occasione in eādem rursum prolapsus fuisset, sicut infirmi facile relabi solent. Et quandoquidem necessum est interdū corporali conuersatione malorū interesse societati, in istud sedulo quisq; incūbat ne mala eorū opera approbet aut ipsis cōsentiat. Hoc enim est cu-

[Margin: Art. I. Quibus nam periculosum sit cum peccatoribus conuersari. — Prou. 22. — Iere. 15. — Exod. 23. — Deut. 7. — Num. 33.]

est cuius nos admonet *Paulus* cum ait, *nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite*: Communicat qui consentit, qui approbat. (Ephe. 5.)

2 CHRISTVS conuersans cum peccatoribus non magis inde contaminari potuit, quam radii solares in lutum incidentes coinquinari possunt. Nec id mirum de Christo, cum & alij viri sancti inter sceleratissimos degentes vitæ sanctimoniam perpetuo seruauerint incontaminatam. Loth enim inter flagitiosissimos Sodomitas aspectu & auditu iustus erat, teste *Petro* habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. (2. Petr. 2.) Et cum Dominus diceret ad *Ozeam*, *vade & sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum*, (Oze. 2.) non culpādus est propheta, inquit *Hiero.* si meretricem conuerterit ad pudicitiam: (Hiero. in 1. cap. Ozeæ.) sed potius laudandus quod ex mala bonā fecerit. Non enim qui bonus permanet ipse polluitur si societur malo, sed qui malus est in bonum vertetur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus non pro phetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariā assumpsisse pudicitiā, quam antea non habebat. *sic Hieron.* Sic propheta Iob cum esset vir simplex & rectus habitans inter impios Hussitas (qui, teste Origene erant viri ex genere Esau impij, iniusti, infideles & obscæni, sicut & pater eorum Esau, inquit, (Orige. in 1. ca. Iob.) qui cum esset impius non docuit filios suos pietatem aut iustitiam, sed impietatem & iniustitiam) innocentiam tamen & simplicitatem non amisit, sed simplex & rectus permansit. Vnde *Grego.* explicās (Grego. l. 2. mor. cap. 26.) illud *Iob. ca. 1 vir erat in terra Hus*, sic ait. Sanctus vir vbi habitauerit exprimitur vt eius virtus commendetur, & hoc laudibus eius proficiat quod bonus inter ma los exiſtat. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij bonum etiam inter malos extitisse. Hinc est quod idem *Iob* (Iob. 10.) de se dicat *frater fui struthionum & socius draconum*, quibus verbis se inter homines impijssimos habitasse designat. Bernard. quoque ad illa verba. *Sicut lilium inter spinas sic amica inter filias* Spina, inquit, falsus frater est, spina vicinus malus est. (Bernard. ser. 48. in cant.) Plenus spinis mundus est, inquit, in his versari & minime lædi, diuinæ potentiæ est, & non virtutis humanæ.

1. SICVT stantem non oportet præsumere, ita nec oportet peccatis immersum desperare: quia vt *Chrysost.* ait, à peccatoribus redeūtibus non solum non auertitur Deus, sed etiam non minore cū iucunditate eos quam ipsos proficientes recipit: vt sic neque malis obruti spe destituamur, neque bonis abundantes nimium confidamus, sed & proficientes timeamus ne per confidentiam labamur, & labentes pœnitentiam non recusemus. (II. Etiam sceleratissimos conuertit Deus. Chrys. hom. 10. de pœn.) Duo enim hæc, stantem confidere & desperare iacentē, perditio est animæ. Quare stantes admonens *Paulus* dicit *qui stat videat ne cadat*: & Dominus *Matth. 20. multi nouissimi erunt primi, & primi nouissimi*. (1. Cor. 10.) Hoc autem dicebat inquit *Chrysost.* vt nec illi torperent tanquam redire non possent, nec hi confiderent tanquam stēt immoti. (Chrys. ho. 77. ad pop.) Multi postquam in ipsum ascenderunt verticem cœli, & omnem exhibuerunt tolerantiam & in desertis morati sunt, nec in somnis quidem viderunt mulierem, quod paululum torpuerint supplantati sunt, & ad ipsum malitiæ barathrum deuenerunt. Alii rursum illinc ascenderunt in cœlum, & ex cœlo ad angelicam migrauere conuersationem: vnde *Hiero.* vbi Iacob vidit scalam erectam & Angelos ascendentes & descendentes, (Hier Epi. 34. to. 1.) locus ille vocatus est Bethel id est Domus Dei, in qua quotidie ascenditur & descenditur, quia & Sancti corruūt si fuerint negligentes, & peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes fletibus lauerint, hæc *Hiero.* & *Grego.* dicit vbiq; nobis succurrit supernus medicus, quia & dedit homini præcepta ne peccet, sed & pec- (Greg. 33. mor. ca. 10.)

 canti

canti & lapso dedit remedia ne desperet. Ante culpam homo iustitiam metuat, post culpam tamen de pietate confidat, *hæc ille.*

2. VIDE quanta misericordia Deus vsus sit erga peccatorem, non expectat donec peccator ad ipsum adueniat, sed ouē errantem quærit donec inuentam humeris imponat & sic ad casam reducat, etiā antequam ouis errans ad eum rediret. Et in hoc maxima Dei misericordia ostenditur, vt etiā eum qui aberrat & actu peccat, conuertat, sanet & saluet, qualis fuit Paulus persequens ecclesiam Dei & in via conuersus qualis fuit & hæc ouis errans, quæ quia non quiescit, quo magis aberrat, eo amplius a Pastore recedit. Sic *August.* interpretatur istum versiculum *Psal. 67. ex Basan conuertam in profundum maris,* quia misericordia sua, inquit conuertitur etiam ad eos liberandos qui iacent in profundo malorum, et antque desperatissimi peccatores: Basan enim interpretatur siccitas, quia tales semper sitiunt, & cupiunt vlteriora nec vnquam satiantur. Facit Deus instar peritissimi alicuius medici qui nouam ingrediens ciuitatem in qua eius peritia cognita non est, eos quærit ægros, qui grauioribus detinentur morbis & desperate laborant, vt illis præter spem ad pristinam sanitatem restitutis, etiā cæteri quātumuis desperati spē concipiant sanitatem consequendi. Sic Christus non vulgares solum sed maxime infames peccatores vt publicanum, meretricem, persecutorem ecclesiæ ad se conuertit, vt dum in iis omnem ostendit longanimitatem, cæteri quoque spem concipiant salutem consequendi, vnde *Aug.* explicans illa verba *psal. 56. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.* sic ait. Si altissimus est quomodo te audit clamantem? nata est, inquit, experimento fiducia, quia ad Deum clamo qui benefecit mihi. Si antequam eum quærerem benefecit mihi, clamantem me non exaudiet? pro qualibus voluit mori filiū suum? pro impijs. Impij autem non quærebant Deum, & quæsiti sunt à Deo, quod & *Paulus* nobis insinuat prædicator egregius cum sic ait, *pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* Ecce, inquit *Greg.* inter nos & Deum discordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, vt nos ipsi qui peccauimus ad pacem Dei rogati veniamus post culpam nostram, & ei reconciliemur, & ipse qui offensus est legatis interuenientibus obsecrat Deus *hæc Greg.*

Act. 9.

2. Cor. 5.

Greg. ho. 32. in Euang.

3. SED & *Chrys.* sic ait, vide quanta misericordia Deus sit vsus cum vocaret Adam non dixit, ó scelerate tanto à me decoratus beneficio vt omnibus terrestribus nullo ex tuo merito prælatus esses, tu improbum dæmonem & pestiferum tuæ salutis inimicum, Domino cui crederes, digniorem duxisti? Quid illi tibi tale monstrauit, quale ego? nonne cœlum propter te creaui, terram, mare solem, lunam, stellas omnes? Non enim vlli angeli his creaturis indigebant, sed propter te talem feci mundum. Et promissionem fraude plenā fide digniorem ratus teipsum illi tradisti, measque leges conculcasti. Hæc & his plura Deus læsus poterat dicere, sed non ita, verum timentem confidere fecit & iacentem erexit, proprio ipsum compellās nomine & dicens, *Adam vbi es?* Quos odio habemus neceorum quidem nomina nominare volumus: sicut Saul cum Dauidem odio prosequeretur, non dixit vbi est Dauid? sed vbi est filius Isai? Et Iudæi quia Christum auersabantur, non dixerunt, vbi est Christus? sed vbi est ille? Et rogat vbi sit, quid factum sit, non quasi nesciret, sed vt eum ad sui cognitionem deducat: q. d. alium te inuenio, quam reliqui: gloria vestitum, & innocentia ac virtutibus te decorum reliqui, nunc in nuditate te inuenio: vbi imago mea primum formata? vbi manuū mearum artificium? vbi nunc familiaris meus amicus? fugientem simulat se nō videre, simulat se nescire quod gestum est, vt ad perpetrati sceleris agnitionem reuocet.

Chrys. ho. 17 in Gen. & 7. ad pop.

Quæ

Digitized by Google

Quæ omnia non niſi miſericordiæ ſigna & compatientis animi indicia, cum po tuiſſet eum ne reſponſo quidem dignari, qui peccauerat, ſed pœnam promeritam & comminatam infligere, verum non id fecit, ſed vt pius pater filium fugientem reuocat.

Chryſ. ho. 6. de pœn. 4. EST & hæc cauſa vna ſecundũ *Chryſ.* cur Deus Dauidem hominem tam ſanctũ & virum ſecundum cor Dei labi permiſerit. *Primo* vt eius exemplo teipſum quantumuis bene officioſeq; te geſſeris, corrobores ne cadas, ſequens illud Apoſtoli, *qui ſtat videat ne cadat:* ſed cum propheta dicat, *vſque in ſenectam & ſenium Deus ne derelinquas me.* Ne dixeris, inquit, Sũ religioſus, ſum eremita, multum virtute officioq; profeci, multis inſignitus sũ meritis ieiuno, vigilo, oro, lachrymor, induor cilicio, corpus meum auſteritate contero, non iam diaboli impetus formido, iam mihi quæ ad coronam pertinent perfecta ſunt. Noli extolli neq; erres ô homo, haud plura feciſti quam Dauid. Audi dicentem ipſum, *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio & caro mea infirmata eſt propter oleum.* Et iterum, *ego autem cum mihi moleſti eſſent induebar cilicio:* Et de vigilia ſic ait, *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi:* & de lachrymis quid dicit: *lauabo per ſingulas noctes lectum meum lachrymis meis:* audi eũ & de auſteritate vitæ, *quoniam cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* Et tamen poſt tot geſta in turpiſſima ſcelera delapſus eſt, & cur iuſtum ſic permiſit ſecundum proprium arbitrium ambulare? partim ne de te præſumas etiamſi multũ [iu]ſtus fueris: partim vt ſi peccaueris non deſperes, ſed peccatum confitearis: tametſi millies peccaueris, perſta millies confitere inquit *Chryſoſt.* nihil enim deſperatione peius. Quando medicus deſperat de ſalute ægroti nullam adhibet vltra curam, ſi vero ſanitas expectetur omnem artis adhibet induſtriam. Pari modo ſi quis deſperando peccatis ceſſerit, quaſi non ſit pœnitenti ſalus, in maius malum præcipitabitur. Propterea & peccatorum maxima Chriſtus peregrinatus in terra remiſit, latronẽ in paradiſum duxit, publicanũ fecit Euãgeliſtam, blaſphemum Paulum orbis Apoſtolum, vt peccans tu minus deſperes, ſed etſi millies peccaueris millies confeſſione te excita. Hæc autem dico, non vos alliciens ad peccãdum, ſed peccatores ad confeſſionem prouocans. *Hactenus Chryſoſtomus.*

5. SVNT qui potius parati ſunt mala ſua defendere quam fateri, quales ij ſunt qui in pecandi conſuetudinem deuenerunt: conſuetudo enim malorũ facit vt id quod fieri conſueuit, licite fieri putetur. Vnde iraſcuntur homines cum reprehenduntur, intantum vt Sodomitæ quondam dicerent viro iuſto reprehendenti nequiſſimã eorum voluntatem: *Habitare veniſti non leges dare.* Tanta ibi nefandę turpitudinis conſuetudo erat, vt iam nequitia eſſet iuſtitia, & prohibitor potius reprehenderetur quam factor. Tales conſuetudine maligna preſſi, tanquam ſepulti ſunt & in ſepulchris habitant, vt de illis dicatur, quod de Lazaro dictũ eſt, *Iam fœtet.* Nã vt *Chryſoſto.* ait, in peccatis miſeram vitam agentes nihil à mortuis differunt: imo vero maxime differunt, cum ſint illis multo deteriores: quia ſi poſſes animam hominis peccatis inuolutam oculis cernere corporeis, non dubitares multo melius eſſe in ſepulchro iacere, quam delictis irretitum detineri, & lapide potius, quam graui peccatorum pondere premi, moles enim illa impoſita ſepulchro, ipſa eſt vis dura conſuetudinis qua premitur anima: & mortuum quidem vermes deuorant ſed perturbationes animi omni feroci beſtia truculentius animam exagitãt.

Aug. in pſ. 67. & tract. 44. in Ioan.

Chryſ. ho. 18. in Mat.

6. DE HIS ſic Paulus *Sepulchrum patens eſt guttur eorum,* Omne ſepulchrum *inquit Ori.* immundiciem defuncti cadaueris contegit, vnde & Dominus de phariſęis dicebat quod eſſent *ſepulchra dealbata* quæ foris quidẽ ſpecioſa videtur hominibus, intus autẽ plena ſint omni ſpurcitia, videtur autẽ *Paulus* in hoc loco maius

ad Rom. 3. Orig. in 3. c. Rom. Matt. 23.

aliquid

aliquid in istis, de quibus sermo est, ostendere criminis, cum eos *sepulchrum* non tectum sed *patens* appellat. Clausa enim sepulchra dicuntur ij, quos aliquantulum pudor cohibet palam delinquere & proferre ad publicum crimina sua. Patens vero sepulchrum dicuntur ij qui immundicias suas & impuritates in propatulo habent, quib. assiduitas & vsus scelerum, quod est in malis vltimum, etiam commissorum verecundiam sustulit: quales ij sunt de quibus scriptum est. *Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit.* Prou.18.
Si quando videris ergo hominem lasciuo ore impudica verba iactantem, aut tumido & furibundo cõtumelias & maledicta proferentem, non dubites de hoc dicere, *inquit Orig.* quia sepulchrum patens est guttur eius, de abundantia enim cordis os loquitur. Ne tamen quis desperet, ab vtroq; gratia Christi educit in fortitudine: Si enim psalmista ait. *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperãt qui habitãt in sepulchris.* Quem locum explicãs *Aug.* sic dicit, Soluit grauia vincula peccatorum, quibus impediebantur ne ambularent in via præceptorum: similiter exasperantes siue iustitiæ resistentes, qui habitant in sepulchris, id est omnino mortuos & in operibus mortuis occupatos, & hi exasperant dum iustitiæ resistũt, Nam illi compediti forsan volunt ambulare nec possunt, *inquit Aug.* Dumq; precantur vt possint, eiq; dicunt, *de necessitatibus meis erue me*, à quo exauditi gratias agunt dicentes, *dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Hos vtrosq; soluit Dominus, quia & mulieris quam alligauerat Sathanas per decem & octo annos, vincula soluit, & Lazari mortem clamando superauit. Qui fecit hęc quondam in corporibus, facit & in mentibus, educens vinctos & eos qui exasperant qui habitant in sepulchris. Et quis magis mortuus est eo, *inquit Chrysost.* qui fouet peccatum in sinu suo, in conscientia sua, & nec sentit nec expauescit, mortuus inquam est, etiam si corpus sit integrum & floridum, quia anima corrupta est & deperdita.

Psal.67.

Luc.13.
Ioan.11.

III. De murmuratione & de detractione.

MVRMVRABANT *Pharisæi dicentes hic peccatores recipit.* Detrahebant Christo tanquam peccatoribus similis foret: vnde & alibi dicunt, ecce homo vorax & potator vini, publicanorũ & peccatorũ amicus, vbique pene tales inuenias: *inquit Bernar.* qui curiose superiores suos obseruent detrahendi non immutãdi causa, videas eos ambulare seorsum & sedere pariter moxq; laxare procaces linguas in detestandum susurrium & detractionem. Profecto omnis qui detrahit, primũ quidem seipsum prodit caritate vacuum, deinde quod aliud detrahendo intendit, nisi vt is cui detrahit incontemptum veniat. vnde *Hiero.* vilium satis hominum est & suam laudem quærentium alios vilesfacere, quia alterius vituperatione se laudari putãt & qui suo merito placere nõ possunt, placere volunt in comparatione peiorum. Pessimum hoc vitium est quod alterum vilem facit videri, ideo non solum ipsa non detrahas, sed nec detrahenti quidem aliquando credas, non minus auribus quã lingua fugias detractionem, scripturæ memor quæ dicit. *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequã* quæ teste *Bernar.* dum aures inficit, animas interficit: Cor siquidem felle liuoris amarum per linguæ instrumentum spargere non nisi amara potest, quia ex abundantia cordis os loquitur. Dum qui detrahentem audit, aures auertit, & vultum contrahit, etiam tacens male loquentem arguit, vt discat libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri, qui autẽ libẽter detractorem audit, detractorẽ facit. Qui vero detrahit alicui rei, ipse se in futurũ obligat, inquit *Sapiens*: quia si bonæ rei detrahit, faciẽdo quod non debuit, pœnã sibi qua constringatur præparat: sed & qui malæ rei detrahit, ipse se in futurũ obligat, vt post detractionẽ cautius agat, quia quæ in aliis iuste reprehẽdit, in se impune nõ admittit, dicẽte Domino: *Qua mẽsura mensi*

Matt. c.11
Bernar. ser.24. in Can.

Hiero. epist. ad Demetria. tom.4.

Eccl.28.

Prou.13.

menſi fueritis,, remetietur vobis: & dicente
apoſtolo. *In quo alterum iudicas teipſum cō-
demnas.* Melius eſt igitur de ſua quemq;
fragilitate metuere, quam aliorum errata
ſtulto ore lacerare. *Sic Hiero.*

2. QVANTOPERE autem diſpliceat Deo
detractio, manifeſtum eſt ex ira Dei ad-
uerſus Mariā quādo detraxit Moyſi, cuius
Nu.12. peccatum ne ipſo quidem Moyſe depre-
cante inultum dimiſit Dominus ſed lepra
percuſſa inſuper & extra caſtra ad tempus
exire eſt coacta: ex quo facto vtiliter mo-
Orig. in neor, *inquit Origenes*, ne detraham fratri,
hunc locū. ne male loquar de proximo meo, ne for-
taſſis ex huiuſmodi detractione anima le-
pram contrahat, ſicut caro Mariæ lepra
Baſil. in fuit infecta. Duos tamen ponit caſus Baſ.
reg. bre. in quib. liceat ſecus aliquid de aliquo di-
reſpon. 25. cere: videlicet & quādo neceſſe habet cō-
ſultare vna cum aliis, qui adhoc idonei iu-
dicati ſunt, quo pacto corrigendus ſit qui
peccatum commiſit: ſecundo quando ne-
ceſſitas poſcit vt periculo conſulatur ali-
quorum, qui ſæpe commiſceri poſſent ex
ignorātia cum malo tanquam cum bono:
cum *Apoſtoli* præceptum ſit vt ne quis ſe
commiſceat cum his qui iſtiuſmodi ſunt,
ne qñ capiat laqueos animæ ſuę. Quod
quidem videmus eundem apoſtolum fe-
ciſſe cum ait *Alexander ærarius multa mala
Paul. 2. ad mihi oſtendit, quem & tu deuita, valde enim
Timo. 4. reſtitit verbis noſtris.* Extra autem huiuſ-
modi neceſſitatem, qui aliquid ſecus de a-
liquo loquitur illius vituperandi cauſa,
detractor eſt, etiamſi verum ſit quod lo-
quitur. *Hæc Baſilius.*

Gre. ho. 9. 3. ISTVD autem obſeruandū quod *Greg.*
in Ezech. ait vt detrahentium linguam noſtro ſtu-
dio non excitemus ne ipſi pereant; ſed eā
vitæ noſtræ diligentiam adhibere debe-
mus ne malæ mentes occaſionem inueni-
ant nobis detrahendi, alioquin fruſtra ira-
ſcimur obtrectatoribus noſtris, ſi eis ipſis
materiā obtrectandi miniſtramus. Si autē
nobis diligenter atque ſollicite omnia ad
honeſtatem prouidentib. cunctiſq; actib.
noſtris timorem Dei præferentibus, & il-
li nihilominus detrahant, conſoletur nos
conſcientia noſtra, quæ tunc maxime tu-
ta eſt & ſecura cum ne occaſionem quidē
male de ſentiendi dedit. Senti de Auguſti-
no quicquid libet, *inquit Aug.* ſola me in Aug. lib.
oculis Dei conſcientia non accuſet: Di- con. Secū-
cam cum apoſtolo, *mihi pro minimo eſt vt* dū Ma-
à vobis iudicer, aut ab humano die. Nam ſi nich.
in eis quibus me criminantur obtrectato- 1. Cor. 4.
res, teſtimoniū conſcientiæ meæ non ſtat
contra me in conſpectu Dei, non ſolum
contriſtari non debeo, verumetiā gaude-
re, qa merces mea multa eſt in cœlo. Ne-
que enim intuendum eſt quam ſit anima-
rum, ſed quam falsū quod audio. Quiſquis
volens detrahit famæ meæ, nolens addit
mercedi meæ, quia ſi tolerabimus & con-
regnabimus: Si patremfamilias vocaue-
runt Beelzebub, & potatorē vini, quanto
magis domeſticos eius? Si autem non au-
rem ſolam percutit iracūdia criminantis,
verumetiā conſcientiā mordet veritas cri-
minis, quid mihi prodeſt ſi me totus mun-
dus collaudet? Ita nec malā conſcientiam
ſanat præconium laudantis, nec bonam
vulnerat opprobriū conuiciantis. Æqua-
nimiter itaque tollerandæ linguæ detra-
hentium cum corrigi nequeunt, vt nobis
meritū accreſcat. Nec obtrectationis ſer-
mo timendus eſt, ne dum vituperatio per-
uerſorum metuitur, *inquit Grego.* recti o-
peris via deſeratur, vnde Ezechieli dici- Ezech. 2.
tur *Sermones eorum ne metuas, quia cū ſcor-
pionib. habitas.* Scorpio palpando incedit,
ſed cauda ferit: nec mordet à facie ſed à
poſteriorib. Scorpiones ſunt omnes blan-
di & malitioſi, q bonis qdē in facie adblā-
diuntur, ſed mox vt receſſerint, lacerāt &
detrahunt. De quib. Pſal. *Circundederunt* Pſal. 117.
*me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpi-
nis.* Apes in ore mel habent: in aculeo cau-
dæ vulnerant omnes qui lingua blandiū-
tur, ſed latēter ex malitia feriunt, apes ſunt
quia loquendo dulcedinē mellis pponūt,
ſed occulte vulnus à tergo inferunt. Ita v.
facientes exardeſcunt ſicut ignis in ſpinis
quia p flammas detrahentiū, non iuſtorū
vita abſumitur, ſed ſi quæ in eis erāt ſpinæ
peccatorum concremantur. *Hæc Grego.*

Ecclef. 7.

4. BENE itaque nos admonet *Ecclesiastes. Omnibus sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne forte audias seruum maledicentem tibi*, in quem locum sic *Hieronym.* Fac quæ præcepta sunt tibi & sapientiæ auxilio confortatus, vel ad bona vel ad mala præpara cor tuum, & non cures quid de te loquātur inimici. Quomodo enim prudentis viri est murmurantem famulum non audire, nec curiose aurem apponere quid de se loquatur absente, si enim hoc fecerit ad mussitationem serui animus commouebitur: sic & sapientis hominis est sapientiam præuiam sequi & vanos non considerare rumores. Beatus autem is est qui tam sancte tamque grauiter disponit vitam suam, vt de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dum aduersus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo: nec fingere quisquam ausus est quod à nullo putat esse credendum. Quod si assequi nimis arduum est, saltem hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inueniant detrahendi. *Hac Hieronym.*

Si quis inter Christianos voluerit esse diligētior & melior, vt inter ebriosos sit sobrius, & inter luxuriosos cast⁹, etiā ab ipsis christianis male viuentibus auditurus est insultationem, tu Ioseph, tu hypocrita. Ne timeas insultatorum verba vana & inania, ne dum audis conuitium, & disponis pro maledicto reddere maledictum, incidas in laqueum venantium. Dic Domino, *susceptor meus quoniam tu liberabis me de laqueo venantium & à verbo aspero. Hac Aug. in Psal. 99.*

IV.

Non solā Dei misericordia sed & iustitia attēdenda. Bern. ser. 36. ex paruis.

1. DEVS licet vnus sit & vnum sit, *inquit Bernar.* tamen non sui quidem mutatione aut varietate, sed animi nostri variatione, gustantibus nobis diuersos habere videtur sapores: sapit enim timenti, iustitiam & potentiam, amanti vero bonitatem & misericordiam. Is autem cui nec timorem Deus sapit, nec amorem, penitus insipiens est, Discat quantum vult, ego sapientem non dixerim: qui nec timet, nec diligit Deum, imo is dicit in corde suo, Non est Deus. Deus enim non putat, qui nec iustum quem timeat nec pium quē amet, reputat. Quod si dolore peccati & iudicii timore compungeris, veritatis iudiciique saporem percepisti. Et si dolorem atque timorem, intuitu diuinæ pietatis ac bonitatis spe indulgentiæ consequendæ temporas, misericordiæ sapore tangeris vnum sine altero experiri non expedit, quia & recordatio solius iudicii in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem. hæc Bern.

Datum est & mihi, *inquit Bernar.* nonnunquam sedere secus pedes Domini, & modo pedem misericordiæ, modo alterum iustitiæ tota deuotione amplecti, in quantum me sua benignitas dignabatur admittere. At si quando miserationis oblitus stimulante conscientia iudicio paulo diutius inhærerem, mox metu incredibili ac miserabili confusione deiectus, & tenebroso circumfusus horrore, de profundo clamabam, *quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuā dinumerare.* Quod si eo relicto pedem misericordiæ plus tenere contingeret, tanta econtrario incuria & negligentia dissoluebar vt confestim & oratio tepidior, & actio nigrior, & risus promptior, & sermo incautior appareret, *hac Bernardus.* serm. 6. in Can.

2. GRATIAM & misericordiam proclamat nunc Deus, non parciturus postea si contempserimus eam quæ nunc offertur gratiam. Quod si Deus ante vellet iudicare, quam misereri quis inueniretur liberandus? *inquit August.* modo misericordia, postea iudicium, in qua misericordia peccata donāt, in quo iudicio peccata puniuntur: Hinc ait Dauid *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine:* Prius misericordia, postea iudicium, quando omnes ante tribunal Christi manifestabimur *vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum.* Mecum pariter pauescite, *inquit August.* quia

August. in psal. 74.

2. Cor. 5. Aug. ser

mo. de ver. apoſt

quia non dicit quod reddet vnicuique ſecundum miſericordiam ſuam, ſed *ſecundum opera ſua*. Hic eſt enim miſericors, ibi iuſtus, nam quod ſtatim in peccatores non vindicet, patientia eſt vt nos ad pœnitentiam reſeruet, vnde valde timendum eſt ne quanto diutius expectat vt corrigamur, tanto grauius vindicet ſi non emendemur.

Chry. ho. 3. in epiſt. ad Philē.

Sed dices, vbi eſt Dei illa infinita clementia niſi, & malos ſaluet? audio enim pleroſque iſta dicere, *inquit Chryſoſt.* Quia benignus eſt, omnino ſaluabit omnes. Ne fruſtra nos fallamus: ſi enim eos qui ante legem peccabāt tanta ſeueritate puniuit, vt toti orbi diluuium induceret, eos qui poſt gratiam peiora commiſerant qua ratione impunitos dimiſſurus eſt? *Sed dices*: Hoc bonitatis Dei indicium videri poſſet ſi peccatorum rationem minime exigeret. Imo ſi non exigeret, bonus non foret, *inquit Chryſo.* quia ſi non exigeret etiam ipſis feris immaniores euaderēt homines. Quod ſi ſeruis veſtris perſuaſū foret, quęlibet in vos peccauerint, ſiue in vos inſurgant, ſiue veſtra diripiāt, ſiue ſe inebriēt, interim nulla pœna digna plectentur, nū iſta bonitatis eſſe videntur? cum per hanc inſulſam benignitatem peiores euadant? Audi quid propheta teſtetur, *lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Non gratulando inſultans, abſit ſed metuens ne patiatur eadem, emendare intima ſua, vitamq; omnem corrigere ſtudet.

Pſal.57

3. QVAMQVAM igitur Deus miſericors eſt, videas tamen plurimos per omnem ętatem grauiſſimis morbis elaborare, alios perpetua egeſtate premi, hos in bello perimi, illos ad perpetuos carceres damnari, Nonne vides homines vno interdum furto, vno adulterio minimo temporis ſpatio commiſſo in carcere & catenis totam vitam conſumere? Quamdiu igitur frigidū hoc & ridiculum verbum dicemus, *ait Chryſoſt.* Deus miſericors eſt? ego non quod miſericors ſit dico ſolum, ſed quod nihil miſericordius ſit ipſo, qui & *pater miſericordiarum* dicitur & *Deus totius conſolationis.* qui interim & *Deus vltionum* dicitur, id tamen rarius, quia ex ſe ſumit materiam miſerendi, quod autem iudicat aut condemnat, nos eum quodammodo ad id cogimus, *inquit Bernar.* dum miſerandi cauſam ſumit ex proprio, iudicandi ex noſtro. Rurſum ſi quem videris improbam vitam agentem & nihil aduerſi hic patientem, imo diuitiis, honorib. & deliciis diffluentem, qualis fuit diues ille epulo. Ecōtra ſi quem videris virtutis ſtudioſum, & eundem innumeris affici malis, ſicut pauperi accidit Lazaro: Ne propterea Deum aut ſuæ miſericordię aut iuſtitiæ oblitum exiſtimes. Nam diues ille epulo adeo ſeuere poſtea punitus eſt, vt ne minimam quidem guttam impetrauerit, quoniam hic nullam peccatorum partem abluit, & ideo totā illic pœnam & ineuitabilē vindictam ſuſtinere cogitur; hinc infelix & deplorandus erat etiā cum deliciis diffueret: Lazarus vero beatus prædicādus, etiam dum vlceribus eſſet plenus, vtpote qui & hic omnia ſua peccata diluerit, & illic multam habeat mercedem paratam. In peccatoris itaque pectore inceſſanter debet ſpes & formido coniungi, quia in caſſum miſericordiam ſperat, ſi non etiam iuſtitiam metuat. *Hæc Gregorius.*

Chry. ho. 21. in Act. tom.3.

Bern. ſer. 5. in die nat. Dom.

Luc.16.

Greg. 33. mor. c. 10.

PARS V.

Summa Partis Quintæ.

An homo lapſus per pœnitentiam ſemper reſurgat ad maiorem, aut ſaltem æqualem gratiam cum ea à qua lapſus eſt.

1. HANC quæſtionem ſi dilucide ac perſpicue explicare voluerimus, ſcire operępretiū fuerit quidnā ſit ea iuſtificationis gratia, de qua hic agit, quidue in anima hominis iuſtificati operet. Nā quāq̄ melius ſit habere gratiā & ſētire eius virtutē, quam ſcire eius definitionem, imo ra-

rationem substantiæ ipsius inuestigare ac definire scire admodum sit difficile ac propemodũ nobis impossibile, eo quod species rerum spiritualium perdiderimus ab ortu natiuitatis nostræ: tamen ab effectu illã describere, quo modo rerũ diffinitiones nobis tradere & philosophi & scholæ Doctores solent, vt saltem in aliqualem ipsius cognitionẽ deuenire possimus, nec impossibile nec inutile putamus. Est itaque *gratia*, de qua hic agimus, *participatio quædam diuinæ naturæ*, iuxta illud Petri, *vt efficiamini diuinæ consortes naturæ.* non per coæqualitatem, alias homo Deus esset, sicut & filius & spiritus sanctus, sed per quandam similitudinem: Sicut enim sapientia creata quædã est similitudo sapientiæ increatæ, iuxta quod sapiens ait. *Sapientia emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera & candor lucis æternæ*: sicut & lumen aeris lucidi emanatio quædam est & candor lucis solis non per essentiam sed per similitudinem, sicut effectus referre solet suæ causæ naturam: Ita gratia quæ informat & viuificat animam, participata quædã similitudo est vitæ illius qui Deus est, cuius virtute fiat vt anima viuat vita spiritali, quæ ipsam dignam efficiat vita æterna, quæ ex ipsa tanquã fructus ex semine profluit atq; promanat, sicut n. arbor ipsa tota & quicquid ipsius est, radix, caudex, rami, folia, flores & fructus sunt in semine non quidem actu sed virtute: Ita gratia quæ ipsam animæ essentiam informat atq; viuificat, principium est & radix vnde promanant nõ solum virtutes & dona quæ perficiunt cæteras animæ potentias, sed etiam vnde prouenit gratia gloriæ æternæ, cui ipsa æqualis est, non quidem actu sed virtute eo, quod per gratiam Spiritus sanctus hominem inhabitet, ipsumq; tãquã templum suum sanctificet, & vita æterna dignum idoneumq; reddat.

2. Pet. 1.

Sap. 7.

Thom 1. 2. q. 114. 6. ad 3.

2. CÆTERVM cum gratia hæc gradus suscipiat, & interdum multum remissa, interdum etiam multum sit intensa, atq; homo ipse qui iustificatur, gratiam recipiat suæ dispositioni adæquatam & proportionatam, vt enim *concilium Tridentinum* docet Deus vnicuiq; gratiã infundit iuxta ipsius dispositionem, manifestũ euadit eum qui resurgit per actum contritionis remissum, etiã ad minorẽ gratiam resurgere quam antea habuerat, interdũ v. ad æqualem aut etiam maiorem pro ratione dispositionis cum qua à peccato resurgit. Id quod manifeste docet Thomas sic inquiens: Manifestum est quod formæ quæ possunt recipere magis & minus, intendantur & remittantur secundũ diuersam dispositionẽ subiecti: vnde fit vt quo motus liberi arbitrii impœnitentia est intensior vel remissior, eo pœnitens maiorẽ vel minorẽ consequatur gratiã. Cõtingit a. intensionẽ motus pœnitẽtis quãdoq; proportionatã esse maiori gratiæ, quã illa à qua ceciderat per peccatũ: quãdoq; autẽ æquali: quandoq; v. minori. Et ideo pœnitens quãdoq; resurgit ad maiorem gratiã, quam prius habuerat, quãdoq; autem in æquali, quandoq; etiam in minori. *Hæc Tho.* Nam quanquã pœnitentia res optima sit quæ omnes defectus reuocat ad perfectum, *vt auctor ait li. 3. hypogno.* ea tamen impeditur non raro ex parte hominis, *ait Tho. loco prædicto.* qui remissius per dilectionem mouetur in Deum, remissius quoq; per pœnitentiã in detestationẽ peccati sicut etiam in baptismo aliqui adulti consequuntur maiorẽ vel minorem gratiam secundũ quod diuersimode se disponunt. *hactenus Thom.* Asserit quoque *Duran.* quod postquam homo gratiam amisit, nunquam illam recuperet intensiorem quam sit actualis dispositio per quam illam recipit. Ita vt gratia non augeatur ex vi præcedentium meritorum, quia non possunt illa merita efficere vt gratia excedat præsentem dispositionem: Et fieri posse vt quamuis talia merita non præcessissent, daretur tamen homini tota gratia suæ dispositioni commẽsurata. *Hæc Durandus.*

Sess. 6. c. 7.

S. Thom. 3. p. q. 89. a. 2.

Durand. in 3. d. 31. q. 2.

3. STET

3. STET IGITVR hoc fundamẽti loco, hominem qui iuſtificatur gratiam recipere ſuę diſpoſitioni correſpondentem, iuxta *concil. Triden.* doctrinam, vt ſi contritio ſit remiſſa, etiam gratia infũdatur remiſſa non obſtantibus præcedentibus meritis: alias contingere poſſet hominem habentem remiſſam contritionem perfectius iuſtificari quam alium qui intenſius conteritur: Hoc autem abſurdum eſſe ex eo patet, quia gratia tum diſpoſitionis proportionem excederet, quod Concilio Tridentino repugnat: tum etiam quia tota gratia quæ in prima iuſtificatione datur gratis detur, ab eo enim quod gratis detur gratia dicitur, proinde merita mortificata non poſſunt in illo iuſtificationis inſtanti habere eff. ctum gratiæ alias gratia non eſſet gratia, ſed ex meritis & præcedentibus operibus debita.

4. SCIO QVID hic reſpondeant qui contrariam ſuſtinent & defendũt opinionem, vtinam veram, vt non pro veritate cum animarum detrimento occultum doceant & tueantur errorem, dum hominem tam leui pœnitentia & facili negotio in priſtinam gratiæ dignitatem & plenitudinem reſtituunt, poſſent enim plurimi peruenire ad gratiæ incrementũ niſi ſe iam perueniſſe, ſibi perſuaſum haberent, moti vt exiſtimo hoc potiſſimum argumento, quod opera bona per peccatum mortificata, per pœnitẽtiam reuiuiſcant: vnde inferunt & concludunt hominem ſemper non ſolum ad æqualem, ſed etiã ad maiorem reſurgere gratiam, putãt enim & eam ipſum recuperare gratiam quæ præcedentibus correſpondeat meritis, vt ſi ea octo fuerit graduum, redintegretur & ea quæ ſit octo graduum, & pręter hanc inſuper recipiat gratiam ſuæ contritioni ſeu diſpoſitioni correſpondentem, quæ fortaſſis duorum poterit aut triũ eſſe graduum, quæ priori addita haud dubie eam efficiet maiorem. Magnus certe præſumptionis ſpiritus qui tantam in animo noſtro ex leuiculo argumento operatur audaciam, vt cum ſanctos homines de leuibus etiã culpis videamus grandem egiſſe pœnitentiã, quomodo *S. Hiero.* de Paula ſcribit fœmina ſanctiſſima, quod quotidianas culpas tanquam ſi crimina commiſiſſet, deflere conſueuerit, & Mariam Moyſis ſororem lepra percuſſam legamus, eo quod liberius & acerbius in fratrem locuta fuiſſet: atque ea de cauſa è caſtris eiectam non niſi poſt certa temporum interualla reconciliationem obtinere potuiſſe: nos tamen animali ſapientia pleni dicere nõ veremur, homo etiam leuiſſima pœnitentia modo ſacramẽtum accedat, gratiam amiſſam non ſolum recuperat æqualem, ſed & maiorem. Quod ſi ſpes hæc minime fallit nos, agamus gratias Deo, qui dedit nobis, ſi tamen dedit, ſine labore ſanctimoniam, ſine pœnitentia veniam, ſine opere iuſtitiam, ſine pugna victoriam, deliciiſque carnalibus ſimul & ſpiritualibus affluere. Quod ſi ita eſt, melius certe nobiſcum actum eſt, quam cum Baptiſta Ioanne & aliis Dei ſanctis, qui tantis laboribus emerunt, quod nos delicati gratuito poſſidere volumus. Nos enim vt *Baſilius ait* ſi vel vno die orauerimus, vel hora vna breuem aliquam ſuper peccatis noſtris triſtitiam paſſi fuerimus, ſecuritatem illico nobis promittimus perinde ac ſi quippiam confeciſſemus quod ex æquo reſpondeat diluendæ noſtræ omni malitiæ, cum propheta Dauid ſibiipſi afflictionem quæ magnitudinem admiſſi peccati compenſaret aſſumpſerit non vno aut altero die, ſed tota die contriſtatus ingrediatur & per ſingulas noctes lectum ſuum ſe lachrymis rigaſſe dicit, hæc Baſili. Qui alio in loco idipſum confirmat cum ait, Si magnum & grande ſit peccatum, multa tibi opus eſt confeſſione, amaris lachrymis, indeſinenti ieiunio, vt iuxta proportionem delicti etiam curationis auxilium aſſumatur: Sic Dauid veri Pœnitentis exemplar per ſingulas noctes lectum

Num. 12.

Baſilius pſal. 124.

ſuum lachrymis rigabat, & tota die contriſtatus ingrediebatur. *Ambro.* quoque ad virginem lapſam ſimile quid habet, ſic inquiens, Grandi plaga alta & prolixa opus eſt medicina, grande ſcelus grandem neceſſariam habet ſatisfactionem. Pro leuioribus pio gemitu venia impetratur, ſed grauiora ſcelera ſeuero examine in te punias. *Et Cypri.* putaſne, *inquit*, tu Dominum cito poſſe placari? orare oportet impenſius, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes & fletibus ducere, ſtratos ſolo adhærere in cinere & cilicio & ſordibus volutari, quam magna deliquimus tam granditer defleamus: alto vulneri diligens & longa medicina non deſit: pœnitentia crimine minor non ſit: dicente ſcriptura, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*: Et rurſum in alio in loco, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu, & ſcindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra.* Et iterum Iſaias *Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis.* hoc eſt: Quia auiditate ante fugitiuos honores & perituras diuitias & carnis voluptates captabatis, & quo dolore harum rerum iacturam lugebatis: eodem affectus ardore & mentis cupiditate ad Deum ipſum conuertimini; ſimilique doloris ſenſu plangite quod Deum eiuſque gratiam ac amicitiam amiſeritis. Rurſum ſubſeruit quod *Ambro.* alibi ait, Quod ſi graue ſit peccatum tuum ita vt illud pœnitentiæ tuæ lachrymis abluere non poſſis, fleat pro te mater eccleſia, cuius lachrymis commotus Chriſtus te tangat, & haud dubie reſurget quæ mortua iacebat in corpore tanquam in feretro anima: quia vt Dominus ait apud Ioannem, venit hora & nunc eſt quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint viuent. Cui conforme eſt & iſtud *Hieronymi.* Quicumque dignitatem diuini gradus non cuſtodiunt, contenti ſiant animam ſaluare, reuerti enim in priſtinum ſtatum poſt lapſum difficile eſt. Hoc quamuis aliqui ſic interpretentur vt difficile ſit reuerti ad priſtinum gradum eccleſiaſticum, à quo quis ſuo demerito deiectus fuerit, tamen præcipue *Hieronymum* eſſe intelligendum de dignitate diuini gradus quem prius coram Deo promeruerat antequam lapſus eſſet, manifeſtum eſt ex littera textus. Rurſum dicit *Aug. ſeu quiſquis auctor fuerit lib. de ver. & fal. pœni. ca.* 10. quod licet pœnitentia acquirere poſſit gratiam, non tamen mox reſtituit, *inquit*, in dignitatem primam. Denique *Chryſoſt.* circa illa verba, *Aſperges me Domine hyſſopo*, Non ſatis habet curatum eſſe vulnus inquit, cicatrices ſanari, & priſtinum decorem reſtitui petit. Quod ſi Dauid etiam poſt remiſſam culpam & impetratam veniam priſtinum obtinuiſſet decorem, certe non dixiſſet, Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: Quod ſi æque gratus Deo fuiſſe poſt translatum peccatum, atque erat antequam peccaſſet, certe diuinam iram deprecari non oportuiſſet, dicendo etiam venia iam conceſſa, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*: Qui enim iræ Dei & offenſæ diuinæ ſubiectus eſt, non tam eſt gratus, quam innocens qui iram non meruit. Quod ſi vires priſtinas ſtatim poſt obtentam veniam, & robur ſpiritus obtinuiſſet, quo vigebat priuſquam lapſus eſſet, non tam anxie poſtulaſſet etiam iam reconciliatus, *Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum, ſana me Domine quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ, Miſer factus ſum quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus & non eſt ſanitas in carne mea.* Quod ſi Deo æque deuotus eique fuerit æque familiaris remiſſo iam peccato, atque erat antequam ad lapſum deueniſſet, quomodo hunc diuinum fauorem exquirit & expoſtulat dicens, *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.*

Cypr. ſer. 5. de lapſis.

Iſa. 31.

Chryſ. ho. 2. in pſal. 50.

5. CVM IGITVR in homine lapſo etiam iam pœnitente & reconciliato, reatus pœnæ temporalis maneat, pœni purgandi

gaudii inhæreant, prauæ diſpoſitiones ſanandæ veluti morbus quidam & languor, etiamnum inſint, familiaritate diuina, & feruore conſueto, cæteriſque Dei ſpecialibus auxiliis quibus prius frui & gaudere ſolet, iam priuatus ſit; ſitque ſimilis illi qui in latrones incidit qui plagis impoſitis etiam diſpoliauerunt eum: cuius vulnera Samaritanus alligauit infundens oleum & vinum, eiuſque curam egit vt paulatim ſanitatem & dona amiſſa recuperare poſſet: Quomodo verum eſſe poteſt quod à lapſu reſurgens non ſolum æqualem, ſed & maiorem ſemper recuperet gratiam? Si æqualis gratia, ergo æque gratus, æque decorus, æque ſanus & fortis, æque alacer & promptus vt viam mandatorum Dei percurrat. Pono enim talem prius infuiſſe gratiam quæ hæc omnia ei præſtabat qui tali gratia præditus erat: qualem Paulum habuiſſe credibile eſt cum diceret, *Omnia poſſum in eo qui me confortat ſcio abundare & penuriam pati, in omnibus & per omnia inſtitutus ſum: propter placeo mihi in infirmitatibus meis:* ecce gaudium exiſtimabat cum in varias tentationes incidiſſet. Qui vero contriſtatur in exercitatione ſua, & difficultatem in præceptis Dei ſeruandis inuenit, cum ea grauia non ſint, quia *iugum meum ſuaue*, inquit Dominus, *& onus meum leue*, ſe vires nondum accepiſſe ſciat, *inquit Auguſtin.* quibus præcepta Dei facilia fiant: Dum quis enim miſericordiæ operibus inſiſtit, tanto hilarius atque alacrius proximo ſubuenit, quanto ipſa gratia & caritas maior fuerit: tanto autem citius atque facilius tædium obrepit, tanto ipſa caritas minor fuerit.

6. QVANDOQVIDEM ergo homo poſt lapſum ſemiuiuus relictus, de quo ſicut metus eſt quod mori poſſit, ita & ſpes quod ſuperuiuere valeat, & donis diuinis vtpote gratia & charitate & ſimilibus ſpoliatus, totus remanſit ſecundum animam & corpus deprauatus, iuxta *concilium Arauſicanum*, & ſic infirmus, vt ſi amoris affectum, aut peccati dolorem in ſe excitare velit, cum ad id efficiendum diu multumque laborauerit, tanquam qui viridem faſcem exiguo igne ſuppoſito flatu ſuo incendere velit, eaque omnia animo voluerit atque reuoluerit, quæ ad effectum huiuſmodi excitandum valere putauerit, in hac ſua meditatione tantum abeſt vt exardeſcat ignis, vt vix vllam intra ſe amoris ſcintillam deprehendat. Econtra vero ſi impura aliqua cogitatio, aut iræ motus mentem attigerit, dictu mirum eſt quam breui temporis mora ſic totum hominem commoueat, vt non modo animum afficiat, incendat & perturbet, ſed interdum etiam corpus ipſum inflammet. Id quod ſibi accidiſſe conqueritur qui *Pſal. 72. dicit*, *Inflammatum eſt cor meum*, indignatione ſcilicet aut concupiſcentia, modo hac, modo illa: & renes mei commutati ſunt, nimirum cum accenduntur libidine: & ad nihilum redactus ſum, quia amor temporalium ſenſim ad nihilum conſpectu Dei redigit amantem: Et neſciui, quare inſenſibiliter auferantur homini peccanti bona ſpiritualia, ſicut Sampſon raſis capillis fortitudinem perdiderat, & neſciebat: vt iumentum factus ſum apud te, quærens quæ carnem afficiant & oblectent, quæ nobis cum iumentis communia ſunt: Et ego ſemper tecum, ſcilicet me eſſe putabam, etiam cum longius receſſiſſem. Qui igitur poſt lapſum talia in ſe ſentit etiam reconciliatus, tantamque carnis aduerſus ſpiritus rebellionem ſuſtinere cogitur, quantam ante lapſum nequaquam in ſe experiebatur, quis hunc aut æqualem aut maiorem gratiam per reconciliationem ſuſcepiſſe dixerit? cum vt *Bernar. ait* repugnantia carnis aduerſus ſpiritum, indicium eſſe ſoleat repugnantiæ ſpiritus aduerſus Deum. Exclamet igitur talis cum Paulo. *Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore*

corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum per hoc autem quod dicit, *liberabit*, ſignificat ſe nondum liberatum, ſed liberandum ſe ſperat.

7. Scio qvid hic reſpondere ſoleant qui contrariam ſuſtinent & defendunt opinionem, Gratiam nimirum ſi non tanquam habitum, ſaltem tanquam habitudinem recipi immediate & ſubſiſtere ſeu ineſſe in ipſa aſſentia animæ: deprauatos autem vitiorum habitus ex praua vitæ conſuetudine relictos inferioribus animæ potentiis inhærere: ideoque quempiam poſſe per gratiam mente ſeruire legi Dei, etiamſi carne per deprauatos huiuſmodi vitiorum habitus ſeruiat legi peccati: Sic enim de ſeſe lo-
ad Rom.7 quitur Paulus: *Igitur* inquit, *ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati*: præſertim cum & per baptiſmum, in quo plena fit remiſſio culpæ & pœnæ, homo mente quidem renouetur, carne autem vetuſtus remaneat, *teſte Aug.* quo fit vt & recens baptizatus huiuſmodi prauos vitiorum motus in ſe ſentiat; licet non conſentiat: proinde hos illius perfectioni nequaquam repugnare, verum in eodem homine, ſed in diuerſis ſubiectis ſimul ſubſiſtere poſſe. Hic
S.Tho.12. q.110. a. 3. ad 3. *notandum ex Thom.* quod quamuis gratia quæ præſupponitur virtutibus infuſis tanquam principium & radix earum, eſſentialiter ab illis ſit diſtincta, tanquam quæ & circa diuerſa obiecta verſentur, & in diuerſis ſubiectis reperiantur: gratia enim, ſi Thomæ credimus, in eſſentia animæ immediate ſuſcipitur, quam & efficit diuinæ conſortem naturæ: caritas qua quis Deum diligit, in voluntate ſapientia qua quis ſapit ea quæ Dei ſunt, in intellectu, nihil enim eſt aliud ſapientia quam ſapida quædam ſcientia: temperantia quæ delectabilia moderatur in parte concupiſcibili: fortitudo qua quis ardua fert aut aggreditur, in iraſcibili, quatenus potentiæ hæ ſubſunt rationali voluntati: Tamen aucta gratia augentur & virtutes reliquæ, quod etiam admittunt qui contrariam ſuſtinent & defendunt opinionem, vt videre eſt in *Suarez in opuſ. de mortificatis & reuiuiſcētibus meritis*: Quo autem virtutes ipſæ magis augentur, eo vitioſi habitus ipſis cōtrarii magis minuuntur; nam creſcente caritate minuitur cupiditas: aucta ſapientia imminuitur ſtoliditas & ignorantia: poteſtque ipſa gratia & virtutes ex ea exorta ſic augeri vt nihil remaneat vitii oppoſiti, vnde Baſilius, Tunc peccata cenſentur plene dimiſſa cum nullum iam voluptatis deſiderium, aut cogitatio vel imaginatio animum inquietat. Sed quãdiu imago commiſſorum criminum præluſerit ante oculos mentis, & eorum non dico delectatio, ſed vel tenuis recordatio turbauerit animi ſerenitatem, nouerit is qui tale quid ſentit ſe nondum penitus abſolutum a briſtinis vitiis, *hæc Baſilius*.

8. Cvivs igitvr animum virilem ita vehementer adhuc eneruant & impugnant huiuſmodi deprauati & vitioſi habitus, indicium eſt quod nec ipſa gratia, nec cæteræ virtutes in ſua plenitudine reperiantur in tali, etiã ſi recens baptizatus fuerit, aut beneficiũ abſolutionis cõtritione vera cõſequutus ſit. Hoc quidẽ negari non poteſt, quin per baptiſmum plena fiat remiſſio & culpæ & pœnæ, iuxta illud
Pauli: *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis* Rom.8.
qui ſunt in Chriſto Ieſu. Sed nec illud negari debet aut poteſt, quin reconciliatus gratiam & virtutes recuperet: hoc enim illa parabola de filio prodigo ad patrem reuertenti manifeſte declarat, vbi
pater ad ſeruos ait, *Cito proferte ſtolam pri-* Luc.15.
mam & induite illum & date annulum in manum eius & calceamenta in pedes eius: Hic recipit *ſtolam* primam gratiam qua induitur & ornatur anima: *annulum* fidei in manu vt in bonis operibus deinceps fidelis permaneat: & *calceamenta* in pedibus, vt per mortificationem membrorum

per

per calceamenta deſignatam, eo quod calceamenta de pellibus mortuorum animalium confici ſoleant, per lubricum & aſperum mundi iſtius iter fixus firmuſq; incedat. Sed nec in baptiſmo, nec in ſacramento reconciliationis huiuſmodi gratia ſemper datur in ea plenitudine in qua prius erat, ſed tanto quiſque vberiorem in vtroque ſacramento recipit, quanto plenius atque perfectius ſe ad illam diſpoſuerit: Nam axioma iſtud philoſophicum etiam hic locum habet. *Actus actiuorum in patiente ſunt diſpoſito.* vnde fit vt qui bene præparati abundantiorem perceperunt gratiam, minus plerumque à ſua cupiditate inquietentur: ſicut de ſe teſtatur *Cyprianus ille*, qui quod ſibi ante baptiſmum putabat impoſſibile, nimirum abſtinere à carnalibus deſideriis, ſuſcepto baptiſmo factu facile inuenerit.

9. ALII VERO qui minus præparati accedunt, minorem etiam gratiam percipiant tam in baptiſmo quā in ſacramento pœnitentiæ. Hinc *Petrus* recenter conuerſos & baptizatos adhortatur vt ſicut modo geniti infantes ſine dolo lac cōcupiſcant, vt in eo creſcant in ſalutē: Quam ſit autem vita infantum tenera ex eo manifeſtum euadit quia facillime extinguitur niſi ſimul cum ætate accreſcat & robuſtior fiat: Tale quid & gratia, ſiue recens iam Baptizati, ſiue iam primo recōciliati mihi eſſe videtur, quæ quoniam admodum eſt tenera, niſi paulatim piis meditationibus, humilibus precibus & bonis operibus creſcat & roboretur, facillime perit & extinguitur, hinc tot recidiui lapſus eorum qui recenter conuerſi toties & tam facile relabuntur. Quapropter ſi eā in corde admiſeris perſuaſionē, per modicam contritionem vix minimæ à nobis perpetratæ culpæ reſpondentem, magnis expediendis ſceleribus ſufficere, nunquam ad plenam peccati eradicationem, nec ad verū gratiæ augmentū vnde decidiſti deuenies, nec vnquam radicitus amorem mundi è corde tuo expelles, ſed velut candela recens extincta, in qua etiamnum quidam calor remanet, ſi vel parumper in illā ſufflaueris, facillime reaccenditur, ita & tu in idem malum exorta tētatione citiſſime relaberis. Et iſtius generis pœnitentes ſunt valde multi, qui mundantur quidem ſed velut pannus immundus qui leuiter dumtaxat ſecundum ſupremam ſuperficiem abluitur.

1. Pet. 2.

10. NEQVAQVAM tamen animo concidere debet, qui per extremā diſpoſitionē & ſummum dolorē aſſequi nondū poteſt gratiam æqualem aut maiorem, quia vt *Iſaias* ait, *etiam fumigans linum non extinguet Dominus*: Exiguū eſt quod in homine reſpicit Deus. Si peccati deteſtatio ex dilectione Dei orta adeo ſit exigua, vt in ſola rationali volūtate ſubſiſtat, & motum nullū in parte inferiori, hoc eſt, nullum dolorē in parte ſenſitiua excitet, quæ res aperte innuit tenuem quidē eſſe illam peccati deteſtationem, quæ in ſola mente eſt, vt partem inferiorē non attingat, tanquam ſi ſtrepitus aliquis in tabulato tāto ſilentio fiat, vt nihil inferius audiatur: Et nihilominus ſi talis ſit vt peccatū Deo cōtrarium euitare ſtatuat, & Deum rebus omnibus anteponat, ſpē ſalutis concipere debet, quia vt dictum eſt, *linum fumigans non extinguet, & calamum quaſſatum non confringet Dominus*: verum ſi cuius contritio cordis tam vehemens fuerit vt etiam dolorem in partem inferiorem transfundat, qualis fuit pœnitentia Petri & Magdalenę, ꝙ ſuis teſtabātur amaris lachrymis, talis diſpoſitio ſeu cōtritio &anioſiorem promeretur gratiam, & pacem ac tranquillitatem animi obtinet vberiorem quod exemplo patet in Magdalena quæ à Domino receſſit in pace & tranquillitate animæ ſuæ, ſic n. ad eam dixit Dominus, non optando ſed iubendo, vade in pace, dixit & facta ſunt, mandauit & pax venit. Hic eſt enim vnus pœnitētiæ fructus admirādus, quod interna pace & animi trāquillitate fruatur homo pœnitēs accepta remiſſione. De qua *ſic Aug.* Tu qui veram requiem quæ poſt hanc vitam Chriſtianis promittitur, quæris, etiam hic iam inter Iſa. 42.

amariſſimas vitæ huius moleſtias, ſuauẽ
guſtabis, ſi eius qui eam promiſit, præce-
pta dilexeris: Cito enim ſenties dulciores
eſſe fructus iuſtitiæ, quam iniquitatis, &
verius ac iucundius gaudebis de bona cõ-
ſcientia, inter moleſtias, quã de mala in-
Prouerb. 3. ter delicias. Hoc idem teſtatur & *Salomon*
cum ait, *Cum dormieris non timebis, quie-*
ſces & ſuauis erit tibi ſomnus tuus. Ex iis i-
taque quæ dicta ſunt, facile poteſt quiuis
intelligere hominem pœnitentem non
ſemper ad æqualem, multo minus ad ma-
iorem reſurgere gratiam.

II. SED VNICVS hic reſtat nodus ſol-
uendus, Si homo per pœnitentiam quan-
doque reſurgat in minori gratia vel cari-
tate, iuxta doctrinam *D. Thomæ*, quã fuerit
ea à qua lapſus eſt quomodo ergo verum
eſt quod merita bonorum operũ per pec-
catum mortificata per pœnitentiam reui-
uiſcant? cum gratia viæ gratiæ gloriæ æ-
S. Th. 1. 2. q. 114. a. 3. ad 3. qualis ſit, non quidem actu, teſte Thoma
ſed virtute, ſicut ſemen arborum æquale
eſt ipſi arbori, quia in ipſo virtus eſt ad to-
tam arborẽ. Dico & reſpondeo ex eodem
S. Tho. 3. p. q. 89. a. 2. & a. 5. ad 3. Thoma eum qui reſurgit per actum con-
tritionis ſeu pœnitentiæ remiſſum nõ re-
cipere gratiam præcedẽtibus meritis cor-
reſpondentem: & proinde eum qui reſur-
git per actũ remiſſum etiam in patria ca-
rere præmio eſſentiali prioribus meritis
mortificatis adæquato: Sic autem habet
S. Tho. q. 89. a. 5. ad 3. *Thomas* loco prædicto Ille qui per pœni-
tentiam reſurgit in minori caritate, con-
ſequetur quidem præmium eſſentiale ſe-
cundum quantitatem caritatis, in qua
inuenitur: habebit tamen gaudium ma-
ius de operibus in prima caritate factis,
quam de operibus quæ in ſecunda fecit,
quod pertinet ad præmium accidentale.
Hæc Thomas. Satis tamen videtur proba-
bile, id quod *Soto* dicit, quod quamuis
merita mortificata non viuificentur neq;
reuiuiſcant totaliter per quamcunque
peccati mortalis remiſſionem, ea tamen
reuiuiſcere ex parte iuxta diſpoſitionem
ipſius pœnitentis. Sic autem habet *Soto.*
Quoties homo à peccatis reſurgit, præ-
ter gradus gratiæ qui reſpondent contri-
tioni, recipit aliquos gradus gratiæ pro-
pter merita præcedentia quæ per pecca-
tum fuerunt mortificata, quamuis non
ſemper accipiat totam gratiam quæ illius
meritis debeatur, ſed tunc ſolum quando
homo reſurgit à peccato per diſpoſitionẽ
æque intenſam ac fuit gratia præcedens.
Sed quanquam in iuſtificatione peccato-
ris non reſtituatur illi tota gratia, quã pri-
us habuerat & peccando amiſerat, poteſt
tamen in diſcurſu vitæ paulatim illam to-
tam recuperare exercendo opera pœnitẽ-
tiæ, dilectionis, & alios virtutum actus in
merito apud Deum æquiualentes: Sed ſi
homo non amplius ſe diſponat, verum cũ
ea imperfecta diſpoſitione diſcedat, nun-
quam obtinebit fructum præcedentium
meritorum quoad illos gradus gratiæ qui
deerunt neque tunc merita integre viuifi-
cantur aut reuiuiſcunt propter imperfe-
ctam diſpoſitionem, ſed ſolum ex parte.
Hæc ille. Porro Deum habere rationem
præcedentium bonorum operum, vt ideo
& homini parcat qui iam meruerat, &
facilius ignoſcat, & maiorẽ gratiam ad-
iiciat, *patet ex 2. Paral. ca. 19.* vbi prophe-
ta ſic ait ad Ioſaphat regem, *Impio præbes*
auxilium, & his qui oderunt Dominum a-
micitia iungeris, & idcirco iram quidem
Domini merebaris, ſed bona opera inuenta
ſunt in te, eo quod abſtuleris lucos de terra
Iuda: & præparaueris cor tuum vt requireres
Dominum Deum tuum.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

FACTVM *eſt autem cum turbæ irru-*
erent in eum vt audirent verbum Dei
& ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.
&c. Luc. 5.

Summa Articulorum Partis I.

I. *Nauis Petri ideſt Eccleſia Apoſtolica, catholica & ſancta, fluctuat interdum, nunquam ſubmerſura.*

II. Quæ-

II. Quomodo omnia non niſi Dei ordinatione fieri debeant.

III. Quomodo relictis omnibus Chriſtum ſequi oporteat.

PARS I.

Art. I. Nauis Petri id eſt Eccleſia Apoſtolica catholica & ſancta fluctuat aliquando at nunquam ſubmergitur.

ASCENDENS *in vnā nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillū, & ſedēs docebat de nauicula turbas.)* Omnia quæ hic à Domino narrātur facta & geſta, nō niſi quædā prædemonſtrationes fuerūt certorū myſteriorum poſtmodum futurorum. Nam quod de nauicula Petri docuerit, hoc ſignificat ꝙ in Eccleſia Romana quā regit & gubernat Petrus eiuſq; ſucceſſores, vera ſit Chriſti doctrina & ſalutis ſcientia, q̄ primo ſuis apoſtolis tradidit Chriſtus, & per apoſtolos eorumq; ſucceſſores ad nos vſque deriuauit. Cōuenticula aūt hæreticorū, quamuis & ipſi non niſi verbū Dei iactitent, & Euangeliū Chriſti cōcrepent, tamē doctrinam Chriſti nō enunciant, quia ſcripturā ſanctā à genuino ſuo ſenſu à Chriſto & apoſtolis eius tradito detorquēt & ſenſū falſum ab ipſis confictū in eā inducunt. Et vt *Tertul.* ait, hæreticus de ſuo arbitrio eligit quod credere vult, & quod nō vult reiicit.

Tert. cap. 6. de præſcript. hær.

Nā hoc habēt ſchiſmatici ſicut & hæretici quod liberi eſſe velint, & Eccleſiæ præpoſitis obedire recuſent vt ꝓ arbitrio viuāt, & quæcūq; libuerit de religione placita ſine cuiuſquā reprehenſione, aut ſupplicii metu ſequātur, Nobis vero, *ait Tert.* ex arbitrio noſtro indulgere nihil licet, ſed nec eligere ꝙ aliquis de arbitrio ſuo induxerit, apoſtolos Domini auctores habemus, q nec ipſi quicquā ex ſuo arbitrio quod inducerēt elegerūt, ſed acceptam à Chriſto fidei regulā fideliter nationibus aſſignauerūt: *hæc Tert.* Et *Aug. contra Fauſtum,* Qui in Euangelio ꝙ vult credit, *ait,* & quod nō vult nō credit, ſibi potius quā Euangelio credit, & ideo fidē non habet.

Aug. lib. 17. ca. 3.

Sicut n. qui vnū diligit & alterū odit, fraternam dilectionē non habet: aut qui vni quod ſuū eſt reddit, & alterū iniuſte ſpoliat iuſtus nō eſt: Ita qui vnū articulum fidei ſuſcipit & alterū reiicit, fidelis nō eſt, quia bonum non eſt niſi ex integra cauſa, malum aūt ex ſingulis defectibus. Inducit n. hæreſis, vt *Paulus* docet tanquā tēpeſtas quædā, naufragium fidei, vt ſicut vi tēpeſtatis nauis frāgitur & integra nō manet, ita ꝑ hęreſin perit integritas & ratio fidei.

1. Tim. 1. cap. 2.

2. PORRO doctrinā fidei Eccleſiæ Romanæ, eſſe doctrinā apoſtolicā & ab apoſtolis traditā patet ex cōtinua ſucceſſione Epiſcoporum Romanorū a tēporibus Petri ad nos vſq; deducta, Nā q̄d prædicauerint & docuerint apoſtoli, & q̄d apoſtolis Chriſtus reuelauerit, ꝓbatur per ipſas Eccleſias ab apoſtolis fūdatas, à quib. eccleſiis reliq̄ eādē fidei doctrinā ſuſceperūt atq; mutuatę ſunt: quid aūt Petrus Romę prędicauerit atque docuerit, ex ipſa Romana eccleſia ſcire licet, quæ in hodiernum vſq; diē a tēporibus Petri perſeuerat. Hac ſucceſſione tanquā argumēto euidentiſſimo vſi ſunt omnes veteres ad verā eccleſiā oſtendendam. Et per hanc ſucceſſionē cōfundūtur omnes hæretici qui fidei ſuæ originem ad apoſtolos referre nequeūt, vt apoſtolica dici poſſit. vnde *Tertul. in lib. de præſc. hær.* ſic ait, Cedāt originē Eccleſiarū ſuarū hæretici, euoluāt ordinē Epiſcoporū ſuorū ita per ſucceſſionē ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquē ex apoſtolis vel apoſtolicis viris habuerit auctorem & anteceſſorem. Et quia aliunde ſuæ fidei originem deducunt non iā Chriſtiani à Chriſto dicuntur cū Chriſtū ſuæ fidei auctorē non habeāt, ſed merito auctorū ſuorum nomina præ ſe ferūt, vt qui Caluinū ſequuntur Caluiniſtæ, qui Lutherum Lutherani, qui Arriū Arriani dicātur, quia eccleſia Caluiniſtarum primum auctorem ſuæ fidei habet Caluinū, & ſic de cæteris hæreticorum congregationibus, qui ſuorū hæreſiarcharum nomina referunt, cū vt *Athanaſius docet,* nūquā populus ab Epiſcopis ſuis, ſed à Domino in quē creditū fuit nomē acceperit.

Serm. 2. con. Arr.

3. CVM AD Simonem dixit Dominus, *Duc in altū & laxate retia veſtra in capturam,* ſignificat quod Petro commiſſurus eſſet talentum annunciandi euangelii, atq; in pro-

in profundo huius mundi vt inde homines extraheret & ad lucem veritatis perduceret; priuſquã enim fides Chriſti annunciaretur mundo, ſedebat populus in profundo ignorãtiæ, in tenebris & in vmbra mortis, vt nec ſe agnoſceret, nec ſuũ miſerandum cerneret ſtatũ. Et iuſſui Domini obtemperans *cepit copioſam piſcium multitudinem, ita vt ambas naues impleret*, quia occulta virtute Dei Petrus plurimos perduxit ad fidem tã ex Iudæis quã ex gẽtibus ita vt vtriuſq; gentis eccleſia adimpleretur, totq; ad fidẽ perducerẽtur, quot, vt numerus electorum à Deo definitus impleretur, ſufficerent, verũ huius piſcationis ſeu prædicationis fructus aſſcribẽdus eſt nõ tã induſtriæ humanæ, quã virtuti Dei occultæ: vt enim piſcator quãdo rete mittit in mare neſcit an quippiã capturus ſit, ſed piſcẽ quẽ ſors obtulerit piſcatur, ſic prædicator diuini verbi neſcit, an ſua concione aliquẽ fructum facturus ſit aliquos conuertendo, ſed illũ capiet & ad fidem perducet quem Deus in hoc rete ſalutis venire faciet, ſicut dicitur *in Actis*
Acto. 13 *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.*

4. CVM VLTERIVS ſubiungitur *& rumpebatur rete eorum*, hoc propter hæreticos & ſchiſmaticos dicitur, qui rupto vinculo fidei & obediẽtiæ ex eccleſia excidunt: qui fidẽ non habet ad eccleſiã non pertinet quia fides eſt internus nexus quo quis corpori eccleſiæ adhęret. Poteſt quidẽ qui occulte hęreticus eſt externa ſacramẽtorũ participatione eſſe in eccleſia hactenus quia exteriori iſto vinculo cæteris colligari videtur: tanquã ſic præciſum ſub veſtis continuatione lateat brachiũ quod corpori adhærere putatur: Sed dũ ficto animo ita ſunt in eccleſia tandem aperte diſcedunt vbi oportunitatẽ viderint, quia quod ſimulatum eſt diu celari non poteſt: Sic enim adueniente Antichriſto omnes qui tunc inuenientur in Eccleſia occulti hæretici ab ea recedent & Antichriſto ſe iungent, quo modo & *Ioannes* ais, *ex nobis prodierunt ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum, ſed vt manifeſti ſint quoniam non ſunt omnes ex nobis*, quaſi dicat, externo ritu nobis adhærere videbantur dum facerent eadem quæ fideles facere ſolent, ſed animo intus non erant, neque noſtram ſocietatem amabant, ideo data occaſione foras exierunt, & ſocietati hæreticorum ſe iunxerunt. Sic ſolent & ſchiſmatici facere diuiſionem, dum retenta fide quidem animo ſunt diuiſi per odium catholicæ ſocietatis & potiſſimum ſuorum ſuperiorum, quibus obtemperare & ſubeſſe nolunt & ideo propria ſponte foras ſecedunt.

Auguſt. tract. 122. in Io.

1. epiſt. cap. 2.

5. EST ENIM duplex nexus quo quis continetur in eccleſia & aliis catholicis adhæret, fides & fraternitatis ſeu fraternę ſocietatis amor. Hæreticus vtroque caret: ſchiſmaticus altero tantum, & ideo hæreſis grauior eſt quam ſit ſchiſma. Attamen quam grande ſit ſchiſmatis piaculum, & quantam perditionem ſibi acquirant qui ſchiſma faciunt, declarat terræ hiatus qui Core Dathan & Abiron ſchiſmaticos & Moyſi ſubeſſe nolentes abſorbuit, prout in *li. Num.* legimus. Hoc enim habẽt ſchiſmatici, ſicut & hæretici, quod liberi eſſe velint & ſubeſſe atque eccleſiæ præpoſitis obedire recuſent, vt ſine cuiuſquam reprehenſione & ſupplicii metu pro arbitrio viuant ſicut volunt.

6. NOTANTER hic dicitur, Quod *præ multitudine ruptum ſit rete*, quia poſtquã ad principes ventũ eſt, & totus mundus chriſtianam cœpit amplecti religionem, numero quidem, potentia & diuitiis maior eſt effecta eccleſia, ſed pietate, ſanctitate & virtutibus minor: Perſecutio enim vt eccleſia conſtantia & ſanctitate fulgeret, efficiebat, *inquit Hiero.* pax vero molles & deſides facit, & opulentia quæ ad diuinas laudes merito excitare debuiſſet, carnalibus hominib. ambitionis & rebellionis occaſionẽ ſæpe præbet. Vbi vero radix horũ malorũ ſublata fuerit, ſicut auferetur à cõgregatione ſanctorũ in futura vita nullũ ꝑpter multitudinẽ aut magnitu-

gnitu-

gnitudinem piſcium ſuberit rupturæ aut ſchiſmatis periculum, ſed omnes idē dicent, idem ſapient, inuicem ſibi mutua dilectione adhærebunt, vnde cū apud *Ioannem* iuſſu Domini Petrus miſiſſet rete in
Ioan. 21.
dexterā nauigij partē & copioſam piſciū multitudinem cōprehendiſſet: qui ſimul & magni fuiſſe leguntur, dicitur quod nō fuerit ſciſſum rete, quia electi ad dexteram collocandi nullam, *inquit Aug.* faciēt in cœlo diuiſionem. Hoc loco non dicitur quod rete fuerit miſſum ad dexteram aut etiam ad ſiniſtram, neutrius fit mentio, quia in Eccleſia congregantur vtriuſque generis homines boni & mali, ſed mali ſeparabuntur in fine ſeculi de medio iuſtorum.

7. CVM SVBDITVR & impleuerunt ambas nauiculas ita vt pene mergerentur, ſignificatur quod propter improbam multorum chriſtianorū vitam, eccleſia quaſi mergenda & peritura videbitur, & non ſolum ſanctam conuerſationem, ſed & fidē catholicam amiſſura. Certe cum videamus præter Romanam ſedem, alias defeciſſe ſedes apoſtolicas, vt Antiochenam, Alexandrinam, Hieroſolymitanam, & plures alias in quibus vix vlla perdurauit ſucceſſio, imo integra regna à fide catholica defeciſſe videamus, Ægyptum, Syriam, Græciam, Perſidem, & in his noſtris regionibus, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Hollandiam, Zelandiam, Friſiam & plures prouincias alias, & potiſſimum in fine mundi tempore Antichriſti totus propemodum mūdus ſit ſubuertendus, adeo vt Chriſtus dicat apud Lucam, *verum-*
Lucæ. 12.
tamen filius hominis veniens putans inueniet fidem in terra? non ſine cauſa hic dicitur, *Ita vt pene mergerentur.* Verum quamuis pene mergantur, non tamen mergentur, quia ait Dominus ad Petrum, *Ego pro te*
Matt. 16.
rogaui Petre vt non deficiat fides tua, & rurſum, *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi nō præualebunt aduerſus eam*, virtute huius promiſſionis Chriſti & orationis eius, ſedes Petri & eccleſia Romana nunquam à fide defecit, neq; deficiet, ſed ſicut hactenus in fide permanſit conſtans & immobilis, haud dubie Deo ipſam conſeruante & protegente, ſic permanebit ſemper. Et ex hac ſede Romana ſuam originem deducunt omnes Epiſcopi cæteri, ſuamq; fidei firmitatem hauriunt, ita vt nec cæteræ eccleſię aberrare poſſint, quamdiu matrici eccleſiæ Romanæ adhærent.

8. ET HAC de cauſa dicitur eccleſia catholica, quia ſemper fuit & ſemper interrupta permanſit & permanebit, fruſtra eā oppugnantibus paganis, Iudæis, Hæreticis & Schiſmaticis, vt enim aquæ diluuij regna & prouincias obruebāt & ſubuertebant, arcam vero Noe in altum magis ac magis attollebant: Ita perſecutiones & bella regna terrena facile diſſipant ac deſtruunt: at Chriſti regnum, quod eſt eccleſia, non ſolum non deuaſtant ſed etiā adaugent & illuſtrant magis, ita vt ſan- Tertul.
guis martyrum, *teſte Tertulliano*, ſemen Cap. vlt. in
fuerit Chriſtianorum, vt quo plures pro- apolog.
pter fidem occidebantur, eo plures ad fidem conuerterentur. Nec id mirum cum dictum à Chriſto & promiſſum & portę inferi non præualebunt aduerſus eam. Hæreſes diu ſtare non poſſunt, ſed inſtar torrentis ad tēpus impetu currunt, ſed cito decurrunt vt amplius non appareant, vt vix vlla earum ſuperſit memoria, niſi in libris catholicorum, eaque exigua Numerat *Auguſt.* 88. hæreſes vſq; ad ſua tempora exortas, & prope omnes emortuas. Nnumerātur iam vſque ad hæc noſtra ſæcula amplius quā ducentę, quarum pars maior intercidit, quædam ſuperſunt & graſſantur breui caſuræ.

Cur Eccle-
9. ECCLESIA autem Romana dicitur ſia Roma-
catholica & à tempore, quia ſemper fuit & na dicitur
erit, & à loco, quia omnia complectitur catholica.
loca, omnes nationes & omnium hominum genera: eoſque proprie vocamus catholicos, iuxta *Vincentium Lyrinenſem* qui tenent id quod ſemper, quod vbique Pſal. 2.
quod ab omnibus creditum eſt. Sic olim prædixerat pſalmiſta, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam termi-*

Isaias. 43.

nos terræ: & Iſaias ſic ait. *Ab oriente adducã ſemen tuum, & ab occidente congregabo te. dicam Aquiloni, da, & auſtro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Non quod omnes ſimul ſint catholici, ſed ſucceſſu temporis annunciatum eſt euangelium per totum mundũ, vt in omnibus propemodũ regnis & prouinciis aliqui reperiantur catholici. Hæreſes etſi in plurimis reperiantur locis & idololatria olim etſi vniuerſum occuparet mundum non tamen eadem fuit apud omnes, ſed diuerſæ, ſicut & diuerſi colebantur Dij Eccleſia autem vna eſt quia vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Secta quoque Mahumeti licet longo durauerit tempore, & etiamnum in Oriente adhuc vigeat, nunquam tamen ad Occidentem tranſiuit. Hæreſes autem Caluini & Lutheri nunquam tranſierunt mare, nec Aſiam, Aphricam aut Ægyptum viderunt. At Eccleſia Romana præter Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, Angliam, Syriam, Græciam, Aphricam, & Æthiopiam, in quibus plurimi reperiuntur vbiq; catholici, inſuper in ipſo nouo orbe habet ad Orientem in Indijs, ad Occidentem in America, ad Septentionem in Iaponia, ad Meridiem in Braſilia & extrema parte Aphricæ plurimos qui Catholicam & Romanam profitentur fidem.

10. PORRO quamuis plurimi in eccleſia ſint mali, ſemperque in ea permanſuri ſint vſque ad diem iudicii, quod nobis ſignificat illa parabola de zizanijs apud *Matth.* qui ſunt in corpore Eccleſię, ſicut palmites aridi non ferentes fructum ſunt in vite, de quibus apud *Ioannem* ſic Dominus

Matt. 13.

Cap. 15.

Omnem palmitem in me non ferentem fructũ tollet eum: & qui in me non manſerit mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum & in igne mittent & ardet? Tamen recte eccleſia dicitur ſancta: eo quod profeſſione talis ſit: ad hoc enim ad eccleſiam vocamur vt ſanctificemur & Deo conſecremur: Cum autem Deo per caritatem & obedientiam tanquam præſtantiori & meliori bono iungimur, inde ſanctitatem puritatem, præſtantiam & dignitatem adipiſcimur. Hanc ſanctitatem, puritatem & dignitatem conſequuti ſunt Patriarchę Prophetæ, Apoſtoli, Fundatores ordinũ, vt Benedictus, Franciſcus & plures alij, ita vt etiã ipſi aduerſarij hos ſanctos fuiſſe admittere & fateri cogantur. Et hæc cauſa *inquit Chryſ.* quod vniuerſus orbis ad fidem confluxerit extincto idololatriæ errore, quia barbarorum pietas, monachorũ philoſophia virginum caſtitas, martyrum fortitudo, confeſſorum modeſtia, diuitum eleemoſynę, cæterorumq; fidelium opera bona, quouis ſole clarius reſplendeant. Sic enim Paulus ait *In quibus lucetis quaſi luminaria in mundo*, vnde idem *Chryſ. ad Timo.* Ideirco, *inquit*, nos ille elegit, vt ſimus velut luminaria in mundo lucentia, vt magiſtri cæterorum efficiamur. Quia & nihil opus eſſet verbis aut magiſtris ſi vita noſtra ſanctitatis luce fulgeret, ſi Dei montius obtemperaremus, ſi iniurias perpeſſi vires non referremus, ſed pro malis bona redderemus. Nemo eſſet tam fera belua vt non ſtatim ad religionem accurreret. Nam cum diſcipuli ſemper doctorum vitam intueantur, cum vident nos eadem ſecum appetere, honores & pecunias quęrere, mortem ſimiliter metuere, morbos eadem impatientia tolerare, quid mirum ſi nullus accedat, nullus attrahatur: *hæc ille.*

Chryſ. hom. 6. in 1. Cor.

ad Philip. 2.

Chryſoſt. hom. 10. in 1. Tim.

11. HAC de cauſa lex *Domini dicitur immaculata conuertens animas*, vt Pſalmiſta ait, non ſolum quia in ſe talis eſt, quippe quæ nihil falſi in ſe contineat quoad fidei doctrinam, nihil iniuſtum præſcribat quoad morum inſtructionem: verumetiam quia hominem legi obtemperantẽ efficit ſanctum & immaculatum: eſt enim ſermo Dei viuus & efficax. Philoſophi ſuis legibus nunquam vel vicina oppida ad ſe pertrahere potuerunt, *vt docet Athanaſius* quia non erant viua & efficacia eorum verba, in iis non erat ſpiritus Dei ſed ſpiritus hominis. Sed nec hæretici vnquam leguntur conuertiſſe vllos ethnicos aut Iudæos ad ſuam fidem ſeu potius perfidiã

Pſal. 18.

Athan. lib. de hum. ver.

ſed

ſed ſolum peruertiſſe impios aut infirmos Chriſtianos. Quod etiam annotauit *Tertul. in libro de præſcrip. hær.* vbi ſic habet, De verbi adminiſtratione quid dicam inquit? cum hoc ſit negotium illis non ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi, noſtra ſuffodiunt vt ſua ædificent.

II. PRÆCEPTOR *per totum noctem laborantes nihil cœpimus, in verbo autem tuo laxa bo rete.* Hæc obſeruant & obſeruauerunt Sancti Dei ſemper, vt nihil audiant, nihil attentent vnquam, niſi de ſummi Dei ſententia, quam non præuertere ſolent, ſed in omnibus ſubſequi ſtudent, vt nihilominino niſi ex ipſius præſcripto aut imperio aggrediantur, vſque adeo vt ne licita quidem, & communi more & lege conceſſa moliri vel aggredi velint, niſi prius Dei numē inſpiciant, & Deū auctorē & directorem habeant. Sic Dauid conſulit Dominū num aſcenſurus eſſet in vnam de ciuitatibus Iuda, *& ait Dominus ad eum, Aſcende, Dixitque Dauid, Quo aſcendam? & reſpondit ei, in Hebron: aſcendit ergo Dauid.* Sed & Moyſes dicebat ad Dominum, *Obſecro vt gradiaris nobiſcum, & ad hoc nos hortatur* Sapiens cum ait, *In omnibus viis tuis cogita Deum, & ipſe diriget greſſus tuos.* Hæc Dei directio atq; diſpoſitio tantæ eſt energiæ, vt ſi opera noſtra eius fiant iuſſu, effectū ſuum ſortiantur, etiam nobis nihil tale cogitantibus. Sic interdum nobis euenit, vt etiam non quærentibus deſideratus Dominus occurrat, noſque benedictionibus dulcedinis præueniens diuinæ conſolationis gratia abundantiſſime perfundat, qui prius toti aridi non niſi frigidas eij ciebamus precatiunculas. Cū itaq; videt homo hæc diuina ſolatio etiam quæſita interdum velut nos fugere, & non quæſita ſubinde obtingere, facile intelligit, ea non tam humanæ induſtriæ opera, quam diuinæ largitatis eſſe beneficia. Id quod nos ſuo exemplo docet *Petrus*, qui cum per totam noctem laborans nihil cepiſſet in verbo Domini laxans rete copioſam cepit piſcium multitudinem.

Quomo- [illegible] omnia D[illegible] ordi- [illegible]one fi- e[illegible] debeãt.

2.Reg.c.2.

Exod. 30.

Prouer. 3.

2. VERVM communis hic fere omnium mortalium morbus eſt & error, quod humanis conſiliis & induſtria freti inconſulto mundi moderatore Deo res ſuas aggrediātur. Ex quo innumera pene mala oriūtur, cum conſtet omnes omniū hominum conatus, omnia ſtudia atq; conſilia rerum agendarū inania & inutilia eſſe, niſi diuina ope & ſpiritu Dei dirigantur, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificāt eam.* Hinc tot infauſti contractus tot pœnitendæ nuptiæ, tot rei familiaris iacturæ tot rerum publicarum euerſiones, tot bellorū infelices euentus, ac omnes fere mūdi calamitates originē trahunt, quia nimirum inconſulto Deo ſuis conſilijs ſuaque potētia nixi ſua negotia aggrediūtur mortales. Id quod exemplo Amaziæ Regis Iuda clarū euadit, Hic enim ſuperbia elatus quod Idumæos viciſſet, bellū aduerſus Regem Iſrael mouit, ſperans & ab eo victoriā ſe reportaturum: quod dum attentat, & ſibi magnam infamiam & populo ſuo magnam intulit cladē. Sic & Ioſephus & Azarias principes, dum fortiter ſe facturos ſperant, ſibiq; nomē facere volunt, hoſtes adorti ab ijs fugati ſunt & turpiter fugerūt *cecideruntque illo die de populo Iſrael ad duo millia viri, & facta eſt plaga magna in populo,* inquit ſcriptura, *quia non audierunt Iudam & fratres eius: ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum per quos ſalus facta eſt in Iſrael.* hæc ibi.

Pſal. 126.

lib. 1. Machab. c. 5.

3. PORRO cum laborem & induſtriam hominum ſcriptura tanquam inanem improbat, id non eo facit vt oſcitantes ſimus & Deo omnia committamus, ſed vt diſcamus in labore noſtro plus Deo tribuēdum eſſe, quam noſtræ induſtriæ eique præcipue fructum laborum noſtrorum aſſcribendum eſſe. Id quod nos ſcriptura manifeſte docet, quæ ait, *eſt homo laborās & feſtinans & tanto magis non abundabit: eſt homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute & abundans paupertate, & oculus Deus reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius & exaltauit illū & mirati ſunt in eo multi, & honorauerūt Deū.*

Eccleſ. 11.

Bonæ enim & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. hæc ibi. Nam quemadmodum hic mundus inferior omnibus in reb. à ſuperiori, hoc eſt, à cœleſti regione dependet, illius virtute omnia aluntur, vegetantur & conſeruantur, & ad iuſtam maturitatem perueniunt, ſic vita, ſalus dignitas & fœlicitas noſtra à Deo rerum omnium moderatore ita manant, ita citra eius opem nihil proſperum, nihil ſalutare in hominum vita contingere poſſit.

4. Et quo Dominus manifeſtius oſtendat ſibi ſuæque virtuti omnem ſalutarem effectum eſſe aſſcribendum, ad euangelicæ doctrinæ prædicationem vocauit non ſubtiles & ſapientes Philoſophos, non eloquentes & facundos oratores, ſed rudes piſcatores, ſic enim ad Simonem ait, *Ex hoc iam eris homines capiens*, vt dum per rudes & ineruditos piſcatores mundum ad fidei veritatem perducit, mundi conuerſio aſſcribatur non ſapientiæ aut eloquentiæ hominum, ſed inuiſibili virtuti Dei. Hinc tamen non recte quis collegerit rudes homines & laicos potius quam eruditos viros eſſe vocandos, & magis euangelicæ prędicationi eſſe idoneos. Non enim Chriſtus ſuos apoſtolos reliquit rudes, ſed omnem veritatem docuit, donū linguarū impertiuit, iuxta illud Lucę, *Dabo vobis os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarii veſtri*, & alibi,
Cap. 21. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtris qui loquitur in vobis* verum quamuis tunc citra humanam operam, ſtudium & diligentiam, & ſapientiam, eruditionem & eloquentiam ſuis apoſtolis impertierit Dominus, quemadmodū in deſerto manna cœleſti abſq; labore humano pauit Iſraelitas, tamen poſtmodum eorum ſucceſſores ſimilia dona non niſi adhibito ſuo ſtudio conſequi potuerunt,
1. Tim. c. 3. ideo *Paulus* Timotheum hortatur cum ait *Dum venio attende lectioni, & exhortationi doctrinæ, hæc meditare, in his eſto: Hoc enim faciens & teipſum ſaluum facies & eos qui te audiunt.* Neque enim fruſtra Deus etiā humana præſcripſit media, etiamſi iiſdem iſſis interdum homini ſubueniat diuina ſua potentia: filios Iſrael pauit quidem in deſerto abſque labore humano, quos tamen poſtquam venerunt in terram promiſſam non enutriuit niſi adhibito ſtudio & labore, nam ſi ſerere nouiſſent, nec etiam meſſuiſſent, & vt Paulus ait, *Qui non laborat, non manducet.*

III. Quomodo relictis omnibus Chriſtum ſequi oporteat.

Relictis *omnibus ſecuti ſunt eum.* Inter omnia quæ diuina benignitas pro hominum ſalute nobis præſcripſit remedia, hæc viuendi ratio certis ſub legibus formuliſque conſtricta, quam ſuis diſcipulis propoſuit Chriſtus, videtur vel præcipuas obtinere partes, in qua præterquā quod recte viuendi leges præſcribantur, ad quarum normam quiſque ſuos mores ſuamque vitam dirigere queat, mala malorumque occaſiones & pericula, quibus obiecti ſunt qui in ſeculo verſantur, euitantur & commodius, & omne virtutum genus exercetur perfectius, dum in ſancta ſocietate Chriſti diuerſi diſcipuli tanquā diuerſa vnius corporis membra ita adinuicem coaleſcunt, vt virtute vnius alterius infirmitas ſuſtentetur ac roboretur, iuxta illud eccleſiaſtæ, *Melius eſt duos eſſe ſimul* Cap. 4. *quam vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, ſi vnus ceciderit ab altero fulcietur.* Nam quemadmodum in muſica vox quæque licet ſuauis ſit, dum per ſe ſeorſim auditur, plus ſuauitatis habet & energiæ dum per quandam harmoniam cæteris apte commixta ſuauiter reſonat, ſic quilibet virtute præditus, etſi ſeorſim per ſe laudem prometetur, dum pro ſuo modulo Deo ſeruit quam poteſt optime, in multorum tamen congregatione in pietatis ſchola Chriſti congregatus, quorum ſinguli ſingulis permiſcentur, plus habet & ſuauitatis, & decoris, & energiæ, quia ſeorſim quiſque conſideratus non plus habet quam per ſe valet, ſed cæteris iunctus tantum valet quantum tota congregatio poteſt, vt eam ob causā Pſal. 132. merito dixerit pſalmiſta *ecce quam bonū & quam*

quam iucundum habitare fratres in vnum: in vnum habitant quibus cor vnum & anima vna, alioquin parum iucundũ eſt & parũ vtile loco coniungi & animo diſiũgi, in eadem domo habitare & moribus diſſidere.

2. Hanc itaq; pietatis ſcholam erexit Chriſtus, hanc inſtituit ſocietatem, quæ omnibus relictis eum ſequeretur, eiuſque diſciplinam amplecteretur, & viuendi normam ab eo ſcriptam ſequeretur, vt ad
Baſil. ca. 19. de conſt. mon. eum viuendi modum, illudq; bonum, *inquit Baſilius*, quod ex natura eſt, reuerteretur, in quo omnis propria, & priuata rei cuiuſlibet poſſeſſio erat excluſa, quia in illo primo naturæ ſtatu omnia erant communia: communis animus, cõmunis pietas, communis Deus, commune cœlum, eaque omnia communia quib. ad cultum & victum vtimur. Tales nimirũ nos Deus eſſe voluit cum nos ab initio creauit, ad hunc viuendi modũ ſuos diſcipulos reuocauit & reformauit Chriſtus, hũc imitãtur qui monaſticam vitã profitentur, modo vitæ ſuæ præſcripta obſeruent: non quaſi perfecti ſint ſimul vt omnibus renunciauerint q̃ poſſidẽt, Chriſtũq; ſequuti fuerint, ſed quia conuenientiorẽ modum amplectuntur quo facilius perfectionem, ad quam omnes tenentur etiam ſeculares, aſſequantur. Tendunt eo & ſeculares vt perfecti ſint, ſed per media magis difficilia, expoſiti maioribus peccatorum periculis, plura enim eis in via occurrunt perfectionis impedimẽta, minus etiam habent ſubſidii, quam qui monaſticam elegerunt profeſſionem: perinde atq; ſi quis Romam tendant pedes, idq; per viam laborioſam & ſpinis obſitam, & multis latronum periculis expoſitam: alter v. eodem contendat; ſed eques, idq; per viam planiorem, breuiorem, tutiorem & faciliorem.

3. Habet quidem hoc eorum ſtatus qui omnia relinquunt & Chriſtũ ſequuntur, quod ſi ea duntaxat intueri velis quæ externa ſunt, vt aſpera videantur, dura & abiecta, nã & victus tenuis, & habitus vilis vigiliæ longæ, ieiunia multa, paupertas rigida; labor grauis, obedientia ſtricta, & ſi quæ ſint alia quæ homini carnali videntur intolerabilia. At ſi internos eorũ fructus deguſtaueris, nulla vita iucundior, aut ſuauior, aut beatior. Nam ſi amor mũdi & honor ſeculi hominem ita afficiunt vt propter eum conſequendum multi & viuere cupiant & mori non dubitent, quãto magis amor Chriſti & honor Dei hominem oblectant? cum tanto amplius bonum quodlibet hominẽ afficiat, quanto ipſum præſtantius fuerit: Cum autẽ Deo nihil ſit præſtantius, vita quoq; Dei nihil eſt beatius, nec caritate eius quicquã melius. Sed in eo fallitur vulgus hominum, quod hominis fœlicitatem & dignitatem æſtimet à rerum externarũ quas poſſidet & quibus fruitur pretio, vt quo quemque viderit ditiorem, eo putet & fœliciorem: Cum res quæq; non ſecundum ea quæ extrinſecus ei adueniũt, ſed ſecundũ ſuã naturam & internas qualitates æſtimari debeat, neq; enim vinum propterea præſtãtius quia aureo circumfertur poculo, ſic nec homo melior aut ſapientior quia aurea ornatus catena. Et ex hoc peruerſo rerũ iudicio prouenit quod mundus leges habeat alias quas ſuis ſectatorib. præſcribit obſeruandas, alias vero Chriſtus: Cum n.
Chriſtus eos prædicet beatos qui *pauperes* Matth. 5.
ſunt ſpiritu, qui lugent, qui mundo ſunt corde, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Mundus econtra ſua habet axiomata his omnino contraria, quia diuitiis incumbere, voluptatibus diffluere, honoribus extolli, pulchrum putat, & omnib. hæc appetenda prædicat: Sic enim de iis pſal-
miſta ait, *Beatum dixerunt populum cui hæc* Pſal. 145.
ſunt, quorum promptuaria plena eructantia ex hoc in illud, quorum oues fœtoſæ abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ. Hæ ſunt leges mundi ex quibus ſectatores eius ſuos mores componunt, hæc priora ſunt rudimenta quæ teneris puerorum animis à pueritia inſtillantur nõ ſolũ per domeſticam ſuorum parentum diſciplinam, verumetiam per promiſcua multitu-

titudinis quæ paſſim cernuntur exempla viua, quæ omnia iſta tam ardenter appetit vt nec ſibi nec vllis laboribus in iis cõquirendis parcat. Et cum hæc ita faciat non ſolum non errare ſe exiſtimat, ſed etiam bene & laudabiliter ſua ſe facere putat, qa vbi vitia in mores vertuntur, iam nõ vitia ſed virtutũ exempla putantur. Non quod malum ſit habere diuitias, cum Abraham & Iob diuites fuerint, ſed illis inhiare malum eſt, iuxta illud Pauli, *Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum diaboli, & deſideria nociua quæ mergunt homines in interitum radix enim omnium malorum cupiditas eſt.* 1.Tim.6.

4. NON ſufficit omnia relinquere & Chriſtum ſequi, ſed vt id ſalutariter fiat & Deo placeat, pura & ſyncera adſit intẽtio oportet; qua quis non ſuum honorẽ, ſed Dei gloriam ſuamq; ſalutem principaliter intendat. Legimus enim de quodam apud *Lucam*, quod cum diceret Chriſto. *Sequar te quocumque ieris* reſponderit ei Ieſus, *vulpes foueas habent & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Non famulatum reſpuit Dominus, ſed duplicem animum redarguit & reprobat. Nam vt *Cyrillus ait*, plenus erat impudentia, dum non ſimpliciter Chriſtum ſequi petebat, ſicut alii plures de populo, ſed magis ad apoſtolicas dignitates inſiliebat: cum Paulus dicat, *Non aſſumat quiſquam honorem, ſed à Deo vocatus.* Itaque quamuis munificus ſit Dominus, non ſimpliciter tamen & improuide ſingulis dat ſuperna & diuina dona, ſed illis qui digni ſunt recipere: Hic nondum renunciauerat preſentis vitæ affectibus, quia vt *Theophylactus ait*, cum videret quod Dominum multus populus ſequeretur, putauit ſi Dominum tanquam diſcipulus ſequeretur, quod inde multam pecuniam congregare poſſet, & etiam multum honoris aſſequeretur. Hos prauos affectus in eo vidit & improbauit Dominus, tanquam diceret, *inquit Beda*, Qui me propter lucra huius ſeculi cupis ſequi, cum tantæ ſim paupertatis vt nec hoſpitiolum quidem habeam, nec vbi caput reclinem, non erat ei mẽſa, *ait Chryſo.* non candelabrum, non domus, nec quicquam aliud taliũm, ſed paupertatem quã verbo docuerat, etiã opere declarat, *inquit* vt autem aduertas Deum non famulatus aſpernantem eſſe, *inquit Ambroſius*, ſed fraudis, qui repudiauit fraudulentum, elegit innocentem ad quem ait, *Sequere me*, nec permittit vt patrem iam mortuũ ſepeliat prius; *inquit Ambroſius*, quia humana ſunt poſthabenda diuinis: bonum ſtudium ſepelire mortuos, ſed melius annunciare regnum Dei, ergo prius ſunt obeunda quæ maxima: nam & apoſtoli ne occuparentur ſtudio diſpenſandi, miniſtros pauperibus ordinarunt: *non eſt æquũ*, inquiunt, *nos relinquere verbum Dei & miniſtrare menſis.* Act.6.

Luc.9.

PARS II.

Cum turbæ irruerent in eum vt audirent verbum Dei, ſtabat ipſe ſecus ſtagnum Geneſareth.

Summa Articulorum partis II.

I. *Magna vtilitas eaque varia capitur ex verbo Dei audito.*

II. *Quid ſit nauem à terra reducere puſillum & in altum ducere, & de profectu virtutum.*

III. *Nauis Petri & Eccleſia Chriſti etiam malos continet, ideo pene mergitur.*

1. CVM *irruerent turbæ in Chriſtum vt audirent verbum Dei*, ſatis per hoc innuitur quanta auiditate & deſiderio illud audierint: nam ſicut eſurire ſanitatis corporalis eſt indicium, ita & ſtudio magno audire diuina eloquia, bonæ animæ valetudinis certiſſimum eſt argumentum, *teſte Chryſoſto.* Et ideo, *inquit*, videns alacrem & quotidianum veſtrum in hoc templo conuentum, magnam percipio voluptatem, miſericordemque Deum in profectu veſtro glorificare nõ ceſſo. Nam

I. Quam vtile au re verb Dei.

Chryſ. 5. in Ge

Nam is Domini noſtri mos eſt, vt quoties videt animam multo deſiderio ſpiritualibus inhiantem, liberaliter illam gratia & opulentis donis ſuis locupletet. Vnde nobis maior dicendi fiducia accedit, qui videmus non in vanum nec fruſtra nos laborare ſed quotidie ſemē ſpiritale in vobis creſcere, & non ſicut in Euangelio ſeminanti euenit, ita & nobis vobiſcum: ibi enim vna pars tātum ſalua fuit, hic in gratia Dei ſpes eſt omne ſemen in terram bonam cadere; & alios facturos fructum cētuplum, alios ſexageſimum, alios trigeſimū, quia intenta mente noſtra dicta accipiuntur: Qui autem aliquid cum voluptate audit, certū ꝙ illud bono figit in animo ibiq; reponens facit ne eradi facile queat, & quemadmodum infirmus qui ipſe venit ad medicū, ex parte iā ſanus eſt, *ait auctor imperfec. hom.* 8. ſic & ipſe peccator qui venit ad ſacerdotem, vt doctrinæ medicinā quærat ex parte iam iuſtus eſt.

2. ILLVM autem grauius tenet infirmitas, quem ſacerdos ſequitur verbis, & ille ſpiritualium verborum medicamentū nō ſentit, nec melioratur, ſed quaſi qui ſtomachum patitur, quicquid manducauerit & biberit, iterum vomit; ſic & illa anima patiens, quicquid audierit ſtatim de ſenſibus ſuis proiicit foras: Tales erant de quibus dicitur. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum* De quib. & *Orige.* cōqueritur dū ſic ait, vereor ne adhuc in triſtitia & gemitu eccleſia filios pariat. An non eſt ei triſtitia & gemitus cum vos non conuēnitis ad audiendum Dei verbum? Et vix feſtis diebus ad eccleſiā proceditis. Quid igit̃ ego faciā cui diſpēſatio verbi credita eſt? Qui licet inutilis ſeruus ſim, accepi tamen à Domino diſtribuendam familiæ dominicæ tritici menſuram in tempore Quid ergo faciam? vbi vel quando veſtrū tempus inueniam? plurimum ex hoc, imo pene totum tempus mundanis occupationib. teritis in foro, aliud in negotiatione conſumitis, aut in agro, alius litib. vacat, & ad audiendum Dei verbum nemo aut pauci admodum vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? quid de abſentibus conqueror? Pręſentes etiam & in eccleſia poſiti non eſtis intenti, ſed communes ex vſu fabulas teritis, & verbo Dei ac lectionibus diuinis terga conuertitis. Vereor ne & vobis dicatur ꝙ olim de Iudęis dixit Zacharias. *Auertunt ſcapulam recedentes ne audirent.* Quid igitur ego faciā? poſſum ne ſurdis & auerſis auribus ingerere margaritas verbi Dei? *hæc Orige.* Si cū Regiæ leguntur litteræ vbique eſt ſilentiū omnibus aures arrigentibus vt ſciant quæ regiis litteris manifeſtentur, multo magis cum magno tremore adſtandum, & pellendæ cogitationes turbulentæ, vt quę dicuntur intelligere poſſitis, quo Rex ꝓbata obedientia veſtra maiorib. vos muneribus remunerare dignetur.

Pſal. 60. Orig. ho. 10. in c. 24. Gene. Zach. 7.

3. IDEM confirmat & *Baſilil.* Quemadmodū mihi neceſſitas incumbit, ait, & vę mihi eſt ſi non euangelizauero, itidem & vos quoq; in pari mecum eſtis periculo, ſi aut in exquirendo ſegnίores, aut ad ea q̃ tradita vobis fuerint, conſeruanda & reipſa lento animo fueritis ac diſſoluto. Oremus ergo communiter fratres, vos quidem vt hoc delatum mihi loquendi munus careat offēſione, ego viciſſim vt doctrina mea vobis ſit fructuoſa. Quod ſi eorū quę iā dicta ſūt memores eritis, ꝓmptius etiā quæ poſt hac ſeminaturi ſuſcipietis: & nos quoq; maiori vbertate dicemus quæ nobis ſuppeditabit gratia Dei ſi germinare viderimus quæ nunc à nobis dicta ſunt. Quandoquidē & agricola videns ſemina naſci, maiori promptitudine arua excolit paratus & alia ſeminare. Vita conſonet fidei dogmatib. & dogmata prædicentur & inſtruant vitam. Nam tametſi ſanam teneamus doctrinam, vitā autem neglexerimus, nihil nobis proderunt doctrinę. Scriptum eſt enim *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens vapulabit multis. Sed qui audit hos ſermones, & facit eos aſſimilabitur viro prudenti.* vide quomodo non ſolū audire nos vult, ſed & facere & operib. monſtrare obedientiam. Quid n. profuerit audire & ſcire

Baſil. in prob. in reg. fuſ. diſp. Luc. 12.

quod te caſtum, pacificum, patientem eſſe oportcat, niſi adnitaris quoque vt talis ſis & euadas. Et hunc prudentem vocat Dominus qui operibus conſequentibus ſermones conſpicuus eſt. Qui vero tantum ad ſermones peruenit, & non ad opera, cũ ſtultum vocat & merito, qui talis domum ſuam ſuper arenam ædificat, propterea neq; vim ventorũ ferre potuit ſed ſtatim corruit. *hac Chryſo.*

Chry. ho. 2. in Gen. 4. CVI conforme eſt quod *Orig.* ait explicans illa verba, *mutuatur peccator & nõ ſoluet, iuſtus autem miſerebitur & retribuet.* Audis ſermonẽ de caſtitate ait, amplecteris doctrinam & collaudas doctorem, & per hoc accepiſti pecuniam ad vſuram. Et ſi quidem peccatores, egreſſus eccleſiã egeris laſciuia verba excipit te ſcurrilitas ſubſequitur temulentia oblitus continuo omnium quæ à Doctore acceperas, & ad impudica rurſum deuolueris ſcorta, & effectus peccator qui mutuatus es verbum caſtitatis, & non reddis opera caſtitatis. Similiter ſi audieris verbũ iuſtitiæ in Eccleſia, egreſſus es foras & continuo oblitus eorũ quæ dicta ſũt, vt cupiditati tuæ ſatisfacias inuadis quę aliena ſunt, vel defraudas proximum; & ſic mutuatus de iuſtitia, pecunię non reddis vſuram, operãs geſta iuſtitiæ. Sic ergo de ſingulis quibuſque mutuatur peccator & non ſoluit. *hac Origenes.*

Orig. ho. 3. in pſ. 36.

5. QVOD ſi inſuper ſcripturas diuinas aut ipſi non legimus, aut legentes alios nõ libenter audimus, ipſa nobis medicamẽta conuertuntur in vulnera, *inquit Auguſt.* & inde habebimus iudicium vnde habere potuimus remedium. Tales ii ſunt qui *inſtar aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas vt non exaudiat vocem incantantium*, auertũt ſcapulã ne audiant Deum per os ſanctorũ ſuorum loquentem. Aſpis cum cœperit pati incantatorem ſuum, *inquit Aug.* qui eam quibuſdam carminibus propriis euocat, audi quid faciat: vult incantator incãtando educere aſpidẽ de tenebroſa cauerna vtique in lucem, illa autem amando tenebras ſuas, quibus ſe inuoluta occultare dicitur, quod cum exire noluerit, recuſãs tamen audire illas voces, quibus ſe cogi ſentit, allidit vnam aurem terræ, & de cauda obturat alteram, atque illas voces quãtũ poteſt euitans non exit ad incantantẽ. Sic ſunt qui nolunt audire verbum Dei, ſed exiſtentes in tenebroſis cauernis ignorantiæ & peccatorum, ne venenum ab eis abſtrahatur peccati, vnam aurem affigunt terræ, id eſt, delectationi præſentium bonorum, & aliam obturant cauda, id eſt, ea doctrina quæ turpitudinem tegit peccati & homini aſſentatur, hæ ſunt enim proprietates caudę maxime in cane: hinc Propheta docens mendacium *cauda* in ſcriptura dicitur. Isa. 9. Tales erant Iudæi Stephanum veritatem prædicantem audire nolentes, aureſq; obturantes impetum fecerunt in eum. Quanquam enim aures patentes in corde non haberent, violentia tamen verbi per aures carnis irruẽs, etiam ipſis auribus cordis vim faciebat, & ideo clauſerunt & aures corporis, & ad lapides cucurrerunt.

Aug. ſer. 55. de tẽp.

Aug. in pſ. 57.

6 CERTISSIME ſcitote, inquit *Aug.* quia qualis eſt caro quæ poſt multos dies percipit cibum, talis eſt anima quę aſſidue nõ paſcitur verbo Dei: & quo modo caro per famem & inopiam tenuis & ſicca, velut quoddam ſimulachrum efficitur, ita anima ſi verbi Dei cibo non paſcitur, arida & inutilis & ad nullum opus bonum congrua inuenitur. Quod ſi horrea & cellaria noſtra annis ſingulis replemus vnde vno anno cibum habeat caro noſtra, putas quantum debemus recondere, vnde in æternum ſuſtentetur anima noſtra? Tempus quod nobis furioſus tabulæ ludus ſolebat auferre, lectio diuina incipiat occupare: otioſis fabulis & mordacibus iocis & detractationibus venenatis colloquia de ſcripturis ſanctis ſuccedant, & ſi iuſtũ eſt vt caro noſtra interdum bis in die capiat cibum, anima in qua imago Dei eſt, vix poſt plures dies accipiet verbum? Quapropter lectiones diuinas, & in eccleſia ſicut conſueſtis audite, & in domibus veſtris relegite, aut alios legentes requiri-

Aug. ſer. 56. de tẽp.

quirite & audite libenter, recondite in conſcientiæ theſauro pro animæ ſalute quæ auditis. *hæc Aug* & id opto; *inquit* Chryſo. hom. 14. in Gen. *Chryſo.* vt omnes qui hinc egrediuntur cũ proximis de nũc dictis inter ſe mutuo cõferant, vt ita ruminantes diuinas has doctrinas, menteque in his occupata poſſitis facile & turbulentas animi affectiones vincere, & diaboli inſidias effugere. Nam cum Diabolus videt animam de diuinis rebus ſollicitam, & perpetuo illas verſantem, neque appropinquare audet, à ſpiritus operatione quaſi à ſuccenſo igne reiectus. Si vobis curæ fuerint diuina, ipſe quoque Deus pro vobis ſollicitus erit, vt magna ſecuritate per pelagus huius vitæ nauigemus. *Sic ille.*

7. DVM QVIS auide audit verbum Dei ſimilis eſt edenti *inquit Aug.* multas enim proprietates habet ſermo ad eſcam: vt enim eſca ſapit palato oris, & ventrem paſcit & carnem, ſic verbum Dei auide ſuſceptum palato ſapit cordis, & mentem nutrit & animam. Hoc teſtatur Dauid cũ Pſal. 118. ait *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Nihil dulcius melle habemus, ſic ſapit homini ſano verbum Dei edenti & ruminanti modo illud quod ruminat diligat. Ruminari autem debet ipſum verbum & quaſi dentibus mandi & teri, vt intelligatur quid dicatur, quia ſi integrum permaneat, & non intelligatur nec exponatur, inſipidum maneti ſi enim cibi ſaporem non percipimus ſi non maſticauerimus, multo minus virtutem verbi Dei, percipiemus, ſi illud non intellexerimus & in memoriam tanquam in ſtomachum tranſmiſerimus, vt inde reuocemus & remandamus ac ruminemus, donec in mores tanquam in naturam noſtrã tranſmutemus, *ſic auctor imperſe.* & ſicut Hom. 41. in Matt. Leuit. 11. & Deut. 14. Pſal. 1. illa animalia immunda erant apud Iudæos quæ non ruminabant: Ita homo ille immundus eſt ante Deum, qui non recordatur aliquando, nec ruminat vnquã quod audiuit. *Beatus autem is dicitur qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* Meditatio autem iſta, *inquit Hiero.* non ſolum in legendis aut ruminandis ſcripturis, ſed etiam in his quæ ſcripta ſunt faciendis conſiſtit. Iuſtus igitur ſiue manducat, ſiue bibit, ſiue dormit, in nomine Domini omnia faciens, meditatur legem eius die ac nocte.

8. QVI VVLT cum Deo ſemper eſſe, debet aut frequenter orare, aut frequenter legere: Cum oramus ipſi cum Deo loquimur cum vero legimus, Deus nobiſcũ August. ſer. 112. de tem. loquitur, & ideo *teſte Aug.* bonum habemus ſolatium diuinarum lectionem ſcripturarum, quæ & debilem confortant, & triſtem conſolantur, & animam purificant. Sic enim Dominus ait, *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*, & pſalmiſta *Paraſti in conſpectu meo* Pſal. 22. *menſam aduerſus eos qui tribulant me:* In quem locum *ſic Hieron.* Menſam vocat ſcripturam diuinam: Sicut enim poſt laborem in menſa inuenitur conſolatio & refectio: ſic & Sancti per diuinam ſcripturam habent conſolationem & refectionem non ventris, ſed mentis, percipiunt virtutem aduerſus perſecutores, dæmones & hæreticos: contra morbos & animæ defectus efficacia inibi inueniunt medicamenta & remedia. Nam teſte Ezechiele, *fructus eius erit in cibum,* Cap. 47. *& folia in medicinam*, vt in fructu ſenſum ſpiritualem intelligas quia is nutrit: in foliis vero ſimplicia verba quæ moralem continent doctrinam & tribuunt ſanitatem dum peccantium curant vulnera. Baſilius hom. 2. inter 29. varias, tom. 1. Tu igitur, *inquit Baſili.* vbi ſermonem audieris, cogita, Quid me concernit? Si acceſſeris ad medicum & videris ibi varia pharmaca, conſiderabis quodnam tuo morbo conueniat: Neque enim qui pede læſus eſt quærit oculi curationem, ſed qui oculum habet male affectum, commodam opem quærit oculo. Ita quoque quiſque ex ſcripturis & concionibus morbo ſuo conuenientia remedia ſumat. Quæ de iracundis ſunt dicta, agnoſce pro tuis qui iracundus es: dicito,

Hic meus eſt morbus, agnoſco infirmitatem meam. Accipe, remedium, & diſce
Prouerb. 26. ex hac ſcriptura, *Sicut ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas*, & rurſus
Prou. 22. *Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum homine furioſo, ne forte diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.*

Sit hæc ſcriptura tibi vice ſpeculi in quo proprios cernas defectus, & ex ea diſce cohibere iram. Sis autem non auditor obliuioſus ſed factor operis, vt cureris: tum demum beatus eris ſi ſcripturas in opera verteris, vt corrigas ſecundum eam quæ in te deprehenderis corrigenda:
Pſal. 118. Propter hoc enim ait Pſalmiſta. *Tunc non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.*

II. De Profectu virtutũ

1. ASCENDENS *in vnam nauim quæ erat Simonis rogauit eũ à terra reducere puſillum.* Prius dicit vt a terra puſillum reducat, poſtea vt ducat in altum, vt doceret eos qui doctrinam ipſius ſequi volunt, abſtrahere ſe debere à terrenis affectibus, à voluptatib. & diuitiis: *Puſillum* autem dicit, quia rebus caducis in integrum renunciare perfectorum eſt, nec enim ſtatim qui terram deſerit in altum venit. Nemo repente ſummus, *inquit Hieron.* ſed ſunt varii virtutis gradus. Dicit
Paul. 3. enim Paulus *Non quod iam perfectus ſim, curro autem ſi quo modo comprehendam:* Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus: In quibus verbis oſtendit, *inquit,*
Aug. li. 2. con. 2. epiſt. Pelag *Aug.* ſecundum iuſtum vitæ modum eſſe quandam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, ſi ſe quiſque nouerit nondum eſſe perfectum. Hic dictum eſt, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam:* in cœlo autem, *Quoniam ipſi ſaturabuntur.* Quis igitur ita non ſolum à diuino, ſed à ſenſu quoque abhorret humano, qui dicat in homine tantam eſſe poſſe iuſtitiam, cum ab illo eſuritur & ſititur, quanta erit cum ex illa ſaturabitur? Ideo apoſtolus & imperfectum & perfectum ſe dicit. *Imperfectum* ſcilicet cogitando quantum illi ad iuſtitiam deſit, cuius plenitudinem adhuc eſurit & ſitit: *Perfectum* autem quod & ſuam imperfectionem confiteri non erubeſcat, & vt perueniat bene procedit. Sicut poſſumus dicere perfectum eſſe viatorem, cuius bene promouetur progreſſio, quamuis non perficiatur intentio, niſi facta fuerit peruentio. Nimis inſipienter dicitur tantum amari Deum antequam videatur, quantum amabitur cum videbitur. Porro ſi in hac vita, pio nemine dubitante, quanto amplius diligimus Deum, tanto vtique iuſtiores ſumus, quis dubitet piam veramque iuſtitiam, cum fuerit dilectio Dei perfecta, tunc perfici? Hæc omnia nondum plena & perfecta in Apoſtolo erant, ſed tanquam in via poſitus ad eorum plenitudinem perfectionemque currebat. Licet ergo non immerito in aliquibus iuſtis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur iuſtitia, parua tamen eſt ad illam magnam quam capit æqualitas Angelorum cum illis æquales erimus. Quam qui nondum habebat, & propter illam quæ iã inerat, perfectũ, & propter iſtã quæ adhuc deerat, imperfectum ſe eſſe dicebat.

2. CVRRAMVS igitur, quia adhuc in via ſumus, nec tam ſimus ſecuri ex eis quę
tranſiuimus, *inquit Auguſt.* quam ſollicıti August. in
pro eis ad quæ nondum peruenimus. Hoc Pſal. 38.
deſiderauit Dauid cum diceret, *Notum fac mihi finem meum vt ſciam quid deſit mihi.* Non tam gaudebat de his ad quę peruenerat, quã deſiderabat ea ad quæ nondũ peruenerat. Finem autem illũ dicit, quẽ currens intuebatur apoſtolus, & ſuam imperfectionem confitebatur, aliud in ſe intuens, aliud alibi quærens. In ſe intuebatur quod imperfectum erat, cum diceret, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Nam
quamdiu viuis, *inquit Aug.* peccatum neceſſum eſt eſſe in membris tuis, ſaltem illi Auguſt. tract. 41.
regnum auferatur, non fiat quod iubet. in Ioan.
Surgit ira nolite exhibere membra veſtra arma iniquitatis peccato, nolite dare iræ linguam ad maledicendũ aut manũ aut pedem ad feriendum. Non ſurgeret

iſta

iſta ira irrationabilis, niſi peccatum eſſet in membris, ſed tolle illi regnum, non habeat arma vnde contra te pugnet,] diſcet etiam non ſurgere cum arma non cœperit inuenire. Fræna iram, coerce concupiſcentiam, ineſt tamen quod frenetur, quod coerceatur. Ad hoc debet conari omnis qui tendit ad perfectionem, vt ipſa concupiſcentia minuatur: Perficere bonum non inueniebat Paulus, quia non poterat facere vt concupiſcentia in ipſo non eſſet, vt non concupiſceret, faciebat tamen vt concupiſcentiam refrenaret poſt concupiſcentiam non vadens. *Hactenus. Aug.*

Origen hom. 2. in ca. 23. & 14. Num. 3. Si vulnus corpori infligatur, *inquit Orige:* aut os confringatur, aut iunctura neruorum diſſoluatur, ſub vnius horæ ſpatio huiuſmodi vulnera ſolent corporibus accidere, & plurimis poſtmodum cruciatibus ac doloribus exactis multo vix tempore ſanari: quanti enim tumores in loco, quanta tormenta generantur? Iam vero ſi accidat vt in eodem vulnere, in eadem fractura, iterum & ſæpius quis vulneretur, frequentiuſque frangatur, quantis hoc pœnis curare, & quantis oportet cruciatibus medicari? Quanto autem tempore, ſi tamen potuerit, ad ſanitatem perducetur? & vix aliquando ita curabitur, vt vel debilitatem corporis, vel fœditatem cicatricis effugiat? Tranſi nunc ab exemplo corporis ad animæ vulnera. Anima quoties peccat, toties vulneratur, & ne dubites peccatis eam velut telis & gladiis vulnerari, audi Apoſtolum monentem vt ſumamus ſcutum fidei, in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi igne extinguere. Vides ergo peccata maligni eſſe iacula quæ in animam diriguntur. Patitur autem anima non ſolum vulnera iaculorum, ſed & fracturas pedum, cum laquei parantur pedibus eius, & ſupplantātur greſſus illius. O ſi poſſemus per vnumquodque peccatum videre quomodo homo noſter interior aſſidue vulneretur: vulneratur per linguam anima, vulneratur per cogitationes & concupiſcentias malas, frangitur autem & conteritur per opera peccati. Quæ ſi omnia videre poſſemus, & vulneratæ animæ ſentire cicatrices, certum eſt quod vſque ad mortem reſiſteremus aduerſus peccatum. Sed nunc ſicut hi qui vel dæmone repleti, vel mente alienati ſunt, non ſentiunt ſi vulnerentur, quia naturalibus ſenſibus carent, ita & nos vel cupiditatibus ſeculi amentes effecti, vel vitiis inebriati, ſentire non poſſumus, quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus. Et ideo conſequentiſſima ratio eſt, pœnæ, id eſt, curæ ac medicationis tempus extendi, & per vnumquodque vulnus pro qualitate plagæ, medendi quoque ſpatia propagari. *Hæc Origenes.*

4. Is vero proficit optime in hac profectione, ſiue in curatione vulnerum, ſiue in profectu virtutum, qui in verbo Domini laxat ſuum rete, quem miſericordia Domini præuenit & ſequitur omnib. diebus vitæ ſuæ. Nam Dei gratia non ſolum oſtendit quid faciendum ſit, ſed adiuuat etiam vt fieri poſſit quod oſtenderit, *inquit Aug.* Ignorantia autem & infirmitas, vitia ſunt quæ impediunt voluntatem ne moueatur ad opus bonum faciendum, vel ab opere malo abſtinendum, vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuaue fiat quod non delectabat, gratia Dei eſt quæ hominum adiuuat infirmitates, qua vt non adiuuentur in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo. Hoc enim ad correptionem hominis pertinet quod minus à Deo adiuuetur. Ideo quiſque noſtrum bonum opus agere nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectat, nunc non delectat, vt nouerit non ſuæ facultatis, ſed diuini muneris eſſe, quod ſcit vel delectatur. Nam ſicut claudicans ideo curatur, vt ſanato malo præterito futurus dirigatur inceſſus: ſic mala noſtra non ad hoc ſolum supernus medicus ſanat vt illa iam nō ſint, ſed vt de cętero rectà ambulare poſſimus. Quod quidem etiam ſani niſi illo adiuuante non poterimus, *inquit Auguſt.* Sicut enim oculus corporis etiam

Aug. lib. 2. de pec. mer. & remiſ.

Aug. lib. de nat. & grati.

tiam plenime ſanus, niſi cãdore lucis adiutus non poteſt cernere: ſic homo etiã perfectiſſime iuſtificatus, niſi æterna luce iuſtitiæ diuinitus adiuuetur, recte non poteſt viuere. Sic gratia eius præuenit nos vt ſanemur, ſed & ſubſequitur vt ſacti vegetemur. Et multa facit Deus in homine bona quæ non facit homo, *inquit Aug.* [Aug. l. 2. cont. 2. Epiſt. Pelag.] nulla vero facit homo quæ non facit Deus vt faciat homo. Auertat Deus hanc amentiam vt in domis eius nos priores faciamus, poſteriorem ipſum: quoniam miſericordia eius præueniet me? Quæ niſi nos præueniat, non ſolum non perficitur, ſed nec inchoatur à nobis; quia ſine ipſo nihil poſſumus facere, ergo nec incipere nec perficere. [Rom. 9. 1. Cor. 3.] Et hoc eſt quod Paulus ait. *Non eſt volentis neq; currentis ſed miſerentis Dei.* Et alibi. *Neque qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Non quod nihil agat, *inquit Orige.* ſed quod ad comparationem Dei, [Orig. in epi. 9. Rõ.] qui incrementum dat operi & effectum, ille nihil eſſe ducatur. Et, *vt Greg.* ait [Greg. 16. Mor. cap. 10.] Superna pietas prius agit in nobis aliquid ſine nobis vt ſubſequente quoque noſtro libero arbitrio bonum quod iam appetimus agat nobiſcum, quod tamen per impenſam gratiam in extremo iudicio ita remunerat Deus in nobis, ac ſi ex nobis ſolis proceſſiſſet. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit; Paulus ait, *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Et quia eandẽ gratiam noſtrum liberum arbitrium ſequitur adiungit, [1. Cor. 15.] *Et gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui.* Qui dum ſe de ſe nihil eſſe conſpiceret, ait *Non autem ego*. Et tamen quia ſe eſſe aliquid cum gratia inuenit, adiunxit, *Sed gratia Dei mecum.* hæc Gregorius.

5. SED ET SPONSA trahi cupit *Can. 1.* vbi ſic ait, *Trahe me poſt te & curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Non rogaret *inquit Bernar.* [Bern. ſerm. 21. in Cant.] ſi ſe qui per ſeipſum dilectũ prout vellet, poſſet ac valeret. Si ex adoleſcentulis aliqua quæ infirma eſt, peteret trahi, nequaquam miraremur. At vero de ſpõſa, quæ trahere & alios, vtpote fortis & perfecta, poſſe ſufficere videbatur, cui nõ durum ſonet quod & ipſa trahi tanquam infirma neceſſe habeat? De quanam anima iã confidimus quod valida ſit & ſana, ſi illam infirmam dici cõſenſerimus, quæ pro ſui ſingulari perfectione & excellentiori virtute ſponſa Domini nominetur? Quantæuis perfectionis anima, quamdiu gemit ſub corporis neceſſitatibus, ſegnius aſſurgat neceſſe eſt ad ſequendum dilectum, ideo ingemiſcens exclamat, *Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius:* hæc ille.

1. ASSEVERABANT olim Donatiſtæ, III. *vt Aug. refert in colla. con. Donatiſt.* Etiam mali *to. 7.* malos in Eccleſia non eſſe toleran- ſunt in dos: Et hac de cauſa apud Carthaginem Eccleſia. conuenerant iuſſu Imperatoris pluſquam ducenti ſeptuaginta nouem epiſcopi Donatiſtæ contra catholicos de hoc articulo diſputaturi Quibus reſpondet *Aug.* loco prædicto, ea ſcripturarum teſtimonia in quibus commendatur Eccleſia malis commixta tempus eius ſignificare qualis eſt in præſenti vita: illa autem teſtimonia quibus commendatur non habere commixtos malos, illud eius tempus ſignificare, qualis venturo ſeculo in ęternum eſt futura. Hæc autẽ duo tẽpora Eccleſiæ quę nũc eſt & qualis tunc erit, ſignificata eſſe duabus iſtis piſcationibus, vna ante reſurrectionẽ Chriſti, vtpote hoc loco quando mitti iuſſit retia nec ſiniſtram nec dexteram nominans partem, vt nec ſolos malos nec ſolos bonos, ſed commixtos malis bonos intra retia ſuorum ſacramẽtorum futuros doceret. Poſt reſurrectionem autem quando iuſſit retia mitti in dexteram partem, vt poſt reſurrectionem noſtram bonos ſolos in Eccleſia futuros intelligeremus, vbi mali non erunt, quibus modo retia dirumpuntur. Et ideo notanter dicitur de iſtis piſcibus quod cum tãti eſſent, non eſt ruptum rete. De tali Eccleſia dictum eſt *Iſai 51.* quod per illam *non tranſibit incircumciſus & immundus.*

ET VT

c. ET VT idem ait loco prædicto, proterea retibus bonos & malos congregantibus Eccleſiam cõparauit Dominus, quia malos in Eccleſia non manifeſtos ſed latentes intelligi voluit, quos ita ſacerdotes neſciunt, quemadmodum ſub fluctibus quid acceperunt retia, neſciunt piſcatores. Propterea etiam & areæ comparata eſt, vt etiam manifeſti mali cum bonis in ea prænunciarentur futuri. Neque enim palea, quæ in area eſt permixta frumẽtis, etiam ipſa ſub fluctibus latet, quæ ſic omnium oculis eſt conſpicua, vt potius occulta ſint in ea frumenta, cũ ſit ipſa palea manifeſta. Et vt per hyemem vix diſcernere potes inter arborem mortuã & viuam ſimiles enim ſunt ambę in hyeme, & tamẽ vna viuit & altera mortua eſt, ſed illius vita & huius mors in abſcõdito eſt: aduenit æſtas, vita illius clarificatur, & mortua altera manifeſtatur Sic & Apoſtolus ait *Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, ſed cum apparuerit Chriſtus vita veſtra, tũc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*, hęc Aug. Iam vero quia in vnoquoq; genere vitæ quod habet aliquam profeſſionem non omnes inueniuntur probi, non omnes etiã inueniuntur reprobi, ex hoc apparet, inquit idẽ, quia de quibuſdam hominum generibus dicitur, vnus aſſumetur & vnus relinquetur: aſſumetur bonus, qui ea quæ ſurſum ſunt ſapit, qui cœleſtia meditatur, qui cũ ſollicitudine in ſeculo viuit ne Deum offendat: relinquetur malus qui terrena ſapit, eaque Deo præfert. Videntur duo in agro, eadẽ eſt profeſſio ſed non idem cor (quodlibet ager ſignificet) vnus aſſumetur & alter relinquetur, nõ quaſi dimidia pars aſſumatur & dimidia relinquatur, ſed duo hominũ genera dicit, etſi aliud eorũ ſit in paucis, aliud in multis. Ad quamcũque profeſſionem te conuerteris inuenies bonos, inuenies & malos: Si fictos bonos inuenias para te vt toleres, ſi te non paraueris, inuenies quod non ſperabas, & perturbaberis. *hæc Auguſt.*

Coloſſ. 3.

Auguſt. conci. 1. in Pſ. 36.

Leyaerts Conc.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

NISI abundauerit iuſtitia veſtra plusquam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. &c. Matth. 5.

Summa Partis Primæ.

I. *In quo Phariſæorum iuſtitia & noſtra ſita ſit.*
II. *Phariſæis ſimiles ſunt hæretici in iuſtitia deſcribenda.*
III. *De ira quando licita, quando iniqua.*
IV. *De remediis contra iram.*

PARS I.

1. HÆc Phariſæorũ iuſtitia erat quod externa opera mala euitabãt, eaq; prohibita cenſebant, ſed internam voluntatem malam & noxia eius deſideria prauaſque cogitationes non ſatis cauebant, nec ea prohibita putabãt: Hinc Dominus eos ſepulchris comparat dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia: *ſic & vos*, inquit Dominus, *à foris quidem paretis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia, hypocriſi & iniquitate.* Ruſus Phariſæi externis quidẽ iuſtitiæ operibus, vtpote eleemoſynis, ieiuniis, orationibus ſedulo incumbebant Deoq; ſeruiebant, ſicut ille dicebat, *Ieiuno bis in ſabbatho*: ſed interno pietatis ſpiritu & caritatis, deſtituti erant, ſpeciem pietatis præ ſe ferebant, ſed virtutem eius abnegabant. Vnde non male quis eos pomis Sodomiticis quæ circa mare mortuum naſcuntur, vbi olim Sodoma erat, comparauerit, quæ vt ſcribunt auctores, colore, figura, & magnitudine pulchra & matura videntur, ſed vbi ea tetigeris, protinus in vaporem fœtidum & ſulphureum reſoluuntur, tam naribus tunc ingrata, quam erant oculis prius iucunda: ſic hypocrita in primo occurſu ſanctus & ſyncerus

Art I. In quo iuſtitia Phariſęorũ, in quo noſtra ſita ſit.

Matt. 23.

Luc. 18.

putatur, ſed diuturna conuerſatione qualis ſit intus, manifeſtatur: quod enim ſimulatum eſt diu celari non poteſt, vnde

Luc. 12. Dominus apud Lucam, *Cauete à fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis, nihil enim opertum eſt quod non reueletur, neque abſconditum quod non ſciatur.*

2. IN EO ITAQVE abundare debet iuſtitia noſtra pluſquam ſcribarũ & Phariſæorum, quod non ſolũ externa opera mala deuitemus, verũetiam internã malitiam, inuidiam, ſuperbiam, immũdiciem, malas cogitationes & noxia deſideria caueamus, & tollamus: Et non ſolum externa virtutũ opera faciamus proximo ſubueniendo, Deum orando, corpus ieiuniis caſtigando, quod & Phariſæi faciebãt, & etiamnum Iudæi, Turcæ, & hęretici faciunt, & interdum abundantius, quam nõnulli Chriſtiani faciant: verumetiam interna pietate, benignitate, caſtitate, caritate, humilitate & ſimilibus gratiarũ donis prædiiti ſimus. Cum n. Deus cordium ſit inſpector, maiorem internæ pietatis ac puritatis, quam externorum operũ habet rationem: imo externa opera nullius apud Deum ſunt meriti aut pretii, ſi deſit caritas & pietas interna, vnde cum Cain & A-

Gen. 4. bel ſacrificium Deo offerrẽt, *reſpexit Deus ad munera Abel*, eaque illi accepta fuerunt eo quod Abel propter internam pietatem ei acceptus eſſet: *ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit*, quia Cain nequam erat, diſplicebant munera oblata quia ipſe offerens Deo inuiſus erat.

II. De hæreticorum iuſtitia.

1. ISTIS Phariſæis non abſimiles dixeris hæreticos noſtri temporis qui iuſtitiam qua iuſti efficimur ponunt nõ internam mentis renouationem, neq; qualitatem ſeu caritatem intrinſecus nobis inhærentem, ſed externã duntaxat & imputatitiam iuſtitiam Chriſti, qui à Paulo

1. Cor. 1. *factus* dicitur *nobis iuſtitia, ſanctificatio & redemptio*, quia propter merita Chriſti, hoc eſt, propter obedientiam & paſſionem Chriſti, Deus non imputat nobis noſtra peccata, modo fide apprehendamus & credamus ea propter nos eſſe facta, virtute cuius fidei qua merita & paſſio Chriſti nobis applicantur, Deus reputat nos iuſtos, non intrinſecus iuſtos efficiendo ſeu caritatem infundendo, ſed pœnam peccatis debitam remittendo: ſicut iudex cum reum abſoluit, eum iuſtificare dicitur, non quod faciat eum iuſtum, ſed quia pronunciat eum iuſtum, eumque à pœna abſoluit: Ita ſecundum *Caluinum*, Deus dicitur iuſtificare quia iuſtum declarat, & abſoluit quando pœnam peccatis debitam non exigit, ſed remittit atque condonat iis quos Chriſti filii ſui iuſtitia tectos videt, hoc eſt, quos fide ſibi merita Chriſti applicare conſpicit: Tanquam ſi quis æthiopem candida veſte induat, eumque propterea album reputet: & ſicut Patriarcha Iacob indutus veſtibus primogeniti Eſau, pro primogenito fuit reputatus & benedictionem & hæreditatem à patre Iſaac obtinuit, & ſic intelligunt iſtum pſalmum, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*: Hic, inquit *Caluinus*, nulla fit mentio infuſionis virtutum & donorum, ſed ſolius remiſſionis ſeu à pœna abſolutionis, ita vt iuſtificatio nihil ſit aliud quam pœnæ condonatio. Et vlterius dicunt & docẽt hominem certo credere debere certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſibi peccata eſſe remiſſa, ita vt de eo nullo modo dubitare poſſit, alioquin nec fideles, nec iuſtos eſſe futuros, quia non crederet Deo dicenti, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Gen. 27.

2. HÆC HÆRETICORVM doctrina triplicem continet errorem fidei catholicæ ac ſcripturis ſacris contrarium: Quorum *primus* eſt quod iuſtificationem dicant conſiſtere in ſola pœnæ remiſſione, ſecluſa vera mentis renouatione: *Secundus* eſt quod hanc iuſtificationẽ fidei ſpeciali tribuãt qua quis certo credit propter Chriſti merita ſibi peccata eſſe remiſſa, quæ non eſt fides vera neque catholica,

ſed

ſed mera perſuaſio humana: *Tertius* eſt quod de ſua iuſtificatione nemo dubitare debeat, alioquin neque iuſtificatus, neq; fidelis eſſet quia verbo Dei dicentis *Fides tua te ſaluum fecit*, non crederet. Contra primum errorem docet Eccleſia catholica hominem iuſtificari non ſolum per pœnæ remiſſionem, ſed etiam per internam mentis renouationem, ac gratiæ & caritatis infuſionem, iuxta illud Pauli,
1. Cor. 6. *Hæc quidē fuiſtis ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis.* Quando natura à ſui conditore iuſtificatur, *inquit August.* à deformi forma in formam formoſam transfertur. *& Chryſoſto. ad illa verba Deus nos gratificauit in dilecto filio ſuo.* Gratioſos *inquit* nos reddidit, quia non ſolum peccatis liberauit, ſed & dilectos amicos fecit: quemadmodum ſi quis ſcabioſum quendam peſte, ſenio, paupertate confectum, mox efficiat ſanū, robuſtum, iuuenem formoſum, & præterea auro & purpura bene ornatum, non aliter Deus *inquit* animam noſtram elaboratam, pulchram & deſiderabilem efficit. *Hæc ille.*

Aug. lib. 15. ca. 8. de trin.

Chryſ. in 1. c. ad Epheſ.

Quod ſi Deus iuſtificando hominem animam à ſuis maculis quas peccando cōtraxit non emundaret infundendo gratiā quæ illam pulchram efficit, ſicut ſol ſuo lumine aerē clarum & pulchrum reddit, dum ex eo tenebras fugat, ſed ſolum reputatiue homini ſua peccata remitteret, quo modo homo homini ſuam remittit offenſam atque iniuriam, non animam ipſius immutando, ſed pœnam duntaxat condonando, tunc etiam remiſſa culpa anima adhuc maneret immunda, praua, & vulneribus ſaucia, ſicut prius nec idonea fieret quæ glorificari poſſet, quia ſapientia Dei quæ diſponit omnia ſuauiter, animam ſic peccatis deturpatam ad gloriam nunquam admittit: id quod & in forenſi ſeu humano iudicio fieri videmus, dum quis enim qui reus erat, à iudice abſoluitur, à pœna quidem eripitur, ſed noua præmia non conſequitur.

Luc. 15. 3. QVAPROPTER cum filius prodigus ad patrē rediret, dixit pater ad ſeruos ſuos *Cito proferte ſtolam primam & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamēta in pedes eius.* Qua parabola ſignificatur quod Deus hominem peccatorem reuertentem & pœnitentiam agentē non relinquat in priſtinis ſuis ſordibus, neque egentem & nudum vt prius erat, ſed primam caritatem per ſtolam ſignificatam, & reliqua virtutum ornamenta ei adiiciat, & reſtituat, quo ſic dignus fiat qui mēſæ patris aſſideat. Et Paulus ait, *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouū hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Porro quia hæc iuſtitia & pulchritudo non à natura nobis ineſt, neque cum capillis naſcitur, ſicut indumentum beſtiis adnaſcitur, ſed extrinſecus accedit ex infuſione ſpiritus ſancti, hinc Paulus ait, *Induite nouum hominem*: vt quo modo homo ornatur ſuo indumento, quod tamen deponere poteſt, ita homo ornatur gratia & virtute quam tamen amittere poteſt. Et hanc vitæ nouitatem quam homo conſequitur per iuſtificationem, inſinuat nobis Paulus, cum ait, *Qui traditus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Potuiſſet Paulus vtramque partem iuſtificationis, id eſt, remiſſionem pœnæ, & donū renouationis tribuere morti Chriſti, ſed maluit diſtinguere: & morti quidē tribuere remiſſionem peccati: reſurrectioni aūt renouationē, propter ſimilitudinem quā habet extinctio peccati cum morte carnis, & renouatio ſpiritus cū reſurrectione corporali Chriſti: Quemadmodum enim in morte vita deletur, ſic dum peccatum remittitur, illud vere extinguitur, *teſte Aug.* Et quemadmodum in reſurrectione quis redit ad vitam nouam, ita in iuſtificatione homo redit ad vitam ſpiritualem, vnde & à Ioanne dicitur *reſurrectio prima.* Et ab hac iuſtitia habituali interna homo potius dicitur iuſtus quam ab actuali iuſtitia externa, quia fieri poteſt vt iuſtitia habitualis hominem efficiat perfecte iuſtum, vt patet in

ad Epheſ. 4.

Rom. 4.

Aug. in Enchrid. cap. 52.

Apoc. 20.

paruulis recenter baptizatis: Et ab ea potius nominamur iuſti, eo quod formaliter nos iuſtos efficiat, quam ab opere iuſtitiæ externo quod non eſt ita perfectum quin ipſi frequenter immiſceantur leuia peccata, propter quæ dicere oporteat quotidie, *Dimitte nobis debita noſtra*, quæ oratio etiam iuſtis eſt neceſſaria, vt propterea dicat *Auguſt.* noſtram iuſtitiam in hac vita potius conſtare remiſſione peccatorum quam perfectione virtutum, quia iuſti tametſi bona multa & iuſta opera faciant, tamen non ita perfecta ſunt ea quin iis multa peccata leuia immixta ſint. Sed per iuſtitiam habitualem internam quæ eſt opus Dei, ſic homo purgatur & peccata teguntur vt re vera amplius non ſint: iuxta illud Pauli *nihil damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu*, & quia non ſunt ideo Deus non imputat, quod ſi eſſent re vera imputaret & nos iuſtos non haberet, quia iuſtitia Dei ſecundum veritatem ſunt, vt quales nos inuenit tales nos iudicet.

Aug. lib. 19. de ciuit. c. 27.

Rom. 8.

4. CONTRA ſecundum errorem dicitur & docetur à catholicis non eſſe veram fidem diuinam ſed perſuaſionem humanam qua quis certo credit propter Chriſtũ ſibi peccata eſſe remiſſa: quia illa eſt fides diuina & catholica cui nõ poteſt ſubeſſe falſum, quę innititur verbo Dei & reuelatione diuina, Deo n. credere oportet & ille neminem fallere poteſt: Ideo paralyticus cui Dominus dicebat, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, hoc tenebatur credere: Rurſum cũ Magdalenæ diceretur, *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, fides tua te ſaluam fecit:* certo ſibi perſuadere & credere poterat, imo debebat peccata ſibi eſſe remiſſa. Cæteri vero qui talẽ reuelationem à Deo ipſis factam non habent quãuis certa fiducia poſſint ac debeant confidere poſt actã legitime pœnitentiam & ſacramentũ baptiſmi vel abſolutionis rite perceptum, remiſſa eſſe peccata, certo tamen & infallibiliter hoc credere nõ debent imo nec poſſunt. Multum enim intereſt inter certitudinem fidei & fiduciæ, quia certitudo fidei cum nitatur ſola Dei authoritate ac veracitate, omni ex parte dubitationem excludit: Sed certitudo fiduciæ partim diuina nititur promiſſione, partim propria diſpoſitione: & quantum attinet ad diuinam promiſſionẽ, ſimiliter omnem formidinem excludit; quia ſimpliciter & abſolute certũ eſt quod Deus promittit: Quod autem attinet ad propriam diſpoſitionem, nõ penitus excludit formidinem, neque ſimpliciter certitudo eſt, quamuis bene ſit tanta vt ſatis eſſe poſſit ad conſcientiæ ſecuritatẽ gignendam. Itaq; quamuis dicatur, *Credẽti in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei:* rurſum cum ab eodem dicitur, *iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum*: item cum alibi dicitur, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit:* Ex iſtis & ſimilibus ſcripturis non poteſt quis certo credere certitudine fidei cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe fore ſaluum, ſe eſſe iuſtum, aut ſibi peccata eſſe remiſſa, quia neſcit an credat ſicut oportet, vnde bene ait *Concilium Trid.* Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deq; ſacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, ſic quilibet dum ſeipſum, ſuamq; propriam infirmitatem & indiſpoſitionẽ reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum. *& canone 13. ſic ait*, Si quis dixerit omni homini ad remiſſionẽ peccatorũ aſſequendã, neceſſariũ eſſe vt credat certo & abſq; vlla hæſitatione ꝓpriæ infirmitatis & diſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, anathema ſit.

Matth. 9.

Luc. 7.

Rom. 4.

Rom. 3.

Matth. 16.

Seſſ. 6. c. 9.

5. PORRO cum ſæpius in ſcriptura ſacra iuſtificatio fidei tribuatur, hoc ideo fit, quia à fide inchoatur iuſtitia, & in caritate impletur: fides morbum aperit, hominiq; ſuam infirmitatẽ manifeſtam façit, medicum oſtendit, opem implorat, gratiã impetrat & exorat, gratia vero ſanat, ſic omnis qui inuoçat nomẽ Domini

ſaluus

ſaluus erit. Cum autem effectus aliquis ex
pluribus conſtat cauſis, iam vni , iam al-
teri tribuitur, ſic iuſtitia modo tribuitur
fidei , modo caritati , modo contritioni,
modo timori: Sicut enim dicitur , *Fides*
Luc.7. *tua te ſaluam fecit*, Ita dicitur , *Caritas ope-*
1. Tit.4. *rit multitudinem peccatorum , remittuntur*
Luc.7. *ei peccata multa quoniam dilexit multum,*
Dan.4. *peccata tua eleemoſynis redime. Qui ſine ti-*
Eccleſ.1. *more eſt non poteſt iuſtificari*. Sæpius autem
Paulus iuſtificationem tribuit fidei, quia
illa eſt radix & initium eius , ſicut fructus
tribuuntur ſemini: Et id tum maxime cū
contra eos agit qui fidem Chriſti contē-
nebant, innitentes propriis operibus ex
viribus naturæ , aut legis cognitione fa-
ctis, quibus ſine gratia Chriſti ſe iuſtifi-
cari & ſaluari poſſe arbitrabantur : tales
erant Iudæi & Philoſophi qui videbantur
ſapientes & iuſti. Contra hos agens Pau-
lus dicit, quod in cauſa iuſtificationis, *ne-*
que circumciſio eſt aliquid, neque præputium
Galat.5. hoc eſt, neque opera legis , neque opera
naturę, *ſed fides quæ per dilectionem operatur*
& illa fides credit in Chriſtū *qui iuſtificat*
Hebr.5. *impium, qui eſt factus cauſa ſalutis omnibus*
obtemperantibus ſibi.

6. CONTRA tertium errorem docet
Eccleſia catholica non poſſe homines in
hac vita habere certitudinem fidei de ſua
iuſtitia, his exceptis quibus Deus ſpecia-
li reuelatione hoc indicare dignatur, ſic-
ut indicauit paralytico & Magdalenæ, &
ideo hi credere poterant , reliqui non ita.
Matt.9. & quia dicit Eccleſiaſticus, *De propiato pec-*
Luc.7. *cato noli eſſe ſine metu*: & Iob: *etiāſi ſimplex*
Eccleſ.5. *fuero hoc ipſum ignorabit anima mea*. Et
Iob.c.9. Paulus *Nihil mihi conſcius ſum ſed non in*
1.Cor. 4. *hoc iuſtificatus ſum*, Homo in hac vita ſei-
pſum perfecte non nouit, quia multa pec-
Baſil.c.2. cantes, plurima non intelligimus, *inquit*
conſti.mo *Baſilius*: & *Auguſt*. Quantalibet , *inquit*,
na. iuſtitia ſit præditus homo, cogitare debet
Auguſt. ne aliquid in illo, quod ipſe non videt, in
li. de perf ueniatur eſſe culpandum. *Grego.* quoque
iuſtit. ſcribens ad Greg. Auguſtæ cubiculariam
lib.6.e- quod vero inquit, dulcedo tua in ſuis epi-
piſt.22. ſtolis ſubiūxit importunam ſe mihi fore
quoaduſque ſcribam, mihi reuelatum eſſe
quod peccata ſunt dimiſſa, rem & diffici-
lem & inutilem poſtulaſti: difficilem qui-
dem quia ego indignus ſum cui reuelatio
fieri debeat: inutilem autem quia ſecura
de peccatis tuis fieri non debes, niſi in die
vltimo , cum iam eadem peccata plange-
re minime valebis : quæ dies quoaduſque
veniat ſemper metuere & culpas quoti-
dianis fletibus lauare debes. Ratio autem
cur nemo certus eſſe poſſit certitudine fi-
dei peccata ſibi eſſe dimiſſa, eſt , quia ne-
mo certo ſcire poteſt an condignam pœ-
nitentiam egerit. Et ea de cauſa dicitur in
ſcripturis frequenter *conuertimini , quis* Ioel.2.
ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Dominus: Et
alibi, *pœnitentiam age ab hac nequitia tua,*
& roga Deum ſi forte remittatur tibi. Hæ & Acto.8.
ſimiles ſcripturæ quæ ſignificant incerti-
tudinem promiſſionis, non faciūt dubias
promiſſiones Dei , quibus promiſit verè
pœnitentibus indulgentiam , illæ enim
certiſſimę ſunt, ſed reſpiciunt incertitudi-
nem noſtrę diſpoſitionis, nemo enim cer-
tus eſſe poteſt certitudine fidei ſe toto
corde ad Deum conuerſum.

7. EST alia certitudo moralis, ſeu hu-
mana, quę oritur ex teſtimonio bonæ cō-
ſcientiæ, ex viſitatione Spiritus ſancti , ex
dulcedine caritatis , ex deteſtatione pec-
cati, & ſimilibus indicijs: De quib. Paulus
Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ 2.Cor.1.
noſtræ: & alibi. *Ipſe ſpiritus reddit teſtimoniū*
ſpiritui noſtro quod ſimus filii Dei. Hoc te-
ſtimonium non eſt per reuelationem di- Rom.8.
uinam , cui fides innititur , ſed per expe-
rimentum, pacis internæ & ſuauitatem
caritatis diuinæ : *vt enim Dionyſius ait*.
Nouit penitus is qui veritati coniunctus Dionyſ.
eſt quam bene ſe habeat. & *Bernard*. ex eo De diuin.
quod quis ſe diligere & vehementer dili- c.7.
gere ſentit, etiam vehementer ſe diligi nō Bernard.
ambigit , nec dubitat ſe amari quæ amat, ſer. 69. in
quia ex propris ſuis deijs quę ſunt pe- Cant.
nes Deum iudicat. Hæc certitudo ſufficit
vt animæ tranquillitatem pariat, & vt o-
mnem dubitationem excludat , qua fit vt
neutri parti quis aſſentiri audeat: ſed non

excludit omnem metum, quo fit vt quamuis alteri parti assentiatur, metuat tamen de opposito quia scriptum est, *De propitiato peccato noli esse sine metu* nec inducit certitudinē fidei, sed moralem: duntaxat & humana, quia quāuis sentiat actū dilectionis, tamen non potest certo cognoscere sitne actus caritatis an naturalis dilectionis.

Eccles. 5.

1. EGo *autē dico vobis omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio.* Motus iræ *inquit Chrys.* ab opifice Deo, a quo nihil mali emanare potest, naturæ est inditus ad mali propulsionem & vitæ tuitionem. Quod tamen sic est intelligendum, vt ira etiam tum cum delinquentiū culpas persequitur, mentem tanquam domina non præeat sed post rationis tergum tanquam ancilla rationi famuletur: alias ira sicut & concupiscentia, non ad salutem vtemur, sed ad perniciem nostram abutemur: dum eam non pro imperio voluntatis & dictamine rationis tranquilli assumimus, sed ab ea quodam impetu ferimur & abripimur: Dum irascimur & in quos non oportet, neque quando aut quantum oportet, sicut qui literis quas legere nescit, offenditur, aut qui calceum, quem induere non potest, præ ira è manibus proijcit: aut qui in bestias, quia aberrant, insanit & pecori exclamat. Quid hæc aliud quam infœlicis animi & ægræ valetudinis signa sunt? quod quis ita virtute sit imminutus ac viribus debilitatus, vt instar hominis morbidi se continere, suisque affectibus imperare nequeat. Consistit autem animæ sanitas ac robur in eo quod sicut membris exterioribus, ita & viribus interioribus, quæ natæ sunt rationi obtemperare suos actus imperare possimus, & cohibere, sicut operis qualitas ac rationis æquitas id postulat, vt velut arma bellica assumi deponique possint deponentis & induentis arbitrio. sicut Christus cum eijceret vendentes & ementes è templo, tantam iram assumebat, quantam ea causa exigebat. Ad hoc nos hortatur scriptura quæ ait, *Irascimini & nolite peccare.*

III. Ira quādo iusta, quādo iniqua sit.

2. SVNT gradus in ira, sicut & in quouis animo morbo seu peccato: quorum primus est inuitabilis, qui ex concepta seu illata iniuria exurgit in animo: patitur enim anima suos ictus etiam nolens, verum tales defectus nobis in peccatum non imputātur, quia non tam facimus quam patimur etiam inuiti huiusmodi miserias. Porro cum huiusmodi motus in anima relinquat aculeum suum infixum, nisi quis aduigilet eique toto conatu obsistat, paulatim animæ morbus ingrauescet, vt iam etiam in peccatum imputetur pœna ac punitione dignum quia aliqualis voluntatis consensus accedit dum non satis obsistit: & hic est secundus gradus, quāuis motus iræ intus in corde sit adhuc retentus. Quod si vlterius iracundiæ flamma augeatur ac sæuis cogitationibus animam absumat ac deuoret, vt iræ vulnus quod intrinsecus computruit, foras iam erumpat, secumq; hominem rapiat vt qualis est intus talem se foris prodat, iam tertius gradus accedit. Denique si bilis quæ parua est quantitate sed virtute magna sanguinem sic inflammet, totamque animam ea amaritudine repleat, vt similem morsum quē accepit, etiam in alterum retorqueat, siue per contumeliam id faciat, siue per imprecationem, Animus enim noster talis est vt quicquid acceperit siue bonum id fuerit, sice malum, id ipsum refundere cupiat vnde accepit: hinc nascitur erga beneuolum beneuolentia, & in maleuolum maleuolentia: aut etiam quando ira, tanquam fere bestia sic excandescit vt nocere parata sit non tam quod iniuriam acceperit, quam quod eam aliis inferre iucundum sit: tunc quartus exoritur gradus. Et sic sicut gradatio est in culpa, ita & in pœna. Ea tamen non sic intellexeris quasi primus gradus semper sit secūdo minor, nisi quando cætera fuerint paria: alias n. fieri potest vt ira animo duntaxat cōcepta grauior sit, quam quæ voce exprimitur.

3. QVI animo est male sano etiam minimis offenditur, sicut hulcerosus ad leuē contactū oler, pulsatque quis fortassis importunis ostium, mox in pulsatorem ira mo-

netur: minus honorato poſitus eſt loco in menſa, protinus & cõuiuæ qui præfertur & hoſpiti qui prætulit, indignatur. Et ideo qui ſic infirmus eſt quamdiu ei ira dominatur miſerã ducat vitam neceſſe eſt, qui a quamdiu infirmi inter infirmos aut mali inter malos viuunt, vbiq; cauſæ ſuperueniunt offenſæ, hic te offendet ſi inciuilius ſalutet, ille ſi tacitus te prætereat & cui ira pro fortitudine eſt, vt dum clamores ſuſcitat aut minas ſpirat vulgo fortis haberi velit, ſępe ſibi ipſe eſt exitio, quia teſte Iob. 5. Iob, *virum ſtultum interficit iracundia*, & Eccleſ. 1. vt eccleſiaſticus ait, *Iracundia animoſitatis illius ſubuerſio eius eſt.* Poteſt quidem ira hominem efficere audacem & temerariũ, ſicut & ebrietas: ſed fortem non poteſt, quia licet violentis vtatur principijs, cito tamen huiuſmodi affectus inſtar turbinis cadit, & ſicut nauta in tempeſtate maris omnia eijcit metu naufragij, vbi autem ceſſarit tempeſtas tunc demum damnum recogitat & deplorat, ſic qui ira æſtuat quicquid in buccam venit euomit ſed poſtea ſentit quantum mali ſibi intulerit.

4. MAGNVS eſt autem & fortis is animo qui in mediis iniuriam ictibus permanet illæſus, & in mediis fluctibus ac tumultibus tranquillus & immotus deſpicit tẽ- Prou. 16. peſtuoſos impetus: de quo ſic Sapiẽs, *Melior eſt patiens viro forti & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium*, quia iſte externum hoſtem ſubigit, ille internum, qui quo homini magis eſt intimus, eo magis eſt noxius. Patientia porro hominem mitem & manſuetum efficit, non ſic tamen vt malo reſiſtere, aut crimen punire non poſſit, ſed cum quadam ſeueritate ac maturitate iuncta ſibi animi ſui motus & laxare & continere poteſt, vt foris quidem diſciplinam & ſeueritatem exerceat dum increpat peccantem qui diuinam offendit maieſtatem, intus vero caritatis dulcedinem ſeruat, nec mentis pacem perturbat. Beatus, inquit *Ambr.* qui ſeueritatẽ ſimul & mãſuetudinem tenet, vt altero diſciplina ſeruetur contra iniquitatẽ quę impunita manere non poteſt, altero mentis tranquillitas & innocentia non opprimatur. Qui comodo, nimirum ſeuera manſuetudine & manſueta ſeueritate maliciã alterius vincit, melius facit quam ſi malum malo propulſet, quia hoc non tã ſanat quã ſauciat, alterum vero crudum proximi tui animum mitigat & ſanat dum hũc tuum animum ita manſuetum & ſeuerum conſiderat, ideo hortatur nos Sapiens, *Si inimi-* Prou. 25. *cus tuus eſurierit, ciba illum, hoc enim faciens congeres carbones ignis ſuper caput eius*, hoc eſt, ex tua caritate, dilectione accendetur & ipſe erga te: hoc autem eſt vere fratrem diligere, iram eius quæ eſt malum animę, æque ac propriam fugare & mitigare: Potius iniuria perferatur quam caritas aut pax cordis lædatur, quia hic maius malum quam ibi: Si malitia & ira eius tibi eſt moleſta & noxia, imo & ſibi & magis ſibi, cur per iram & vindictam vis fieri ſimilis illi, malus cum malo? te vicit inimicus ſi te ſibi ſimilem & ſimiliter malum effecerit. *Nei-taq; dixeris*, inquit Sapiens: *quomodo fecit* Prou. 24. *mihi, ſic faciam illi.*

IV. De remedijs contra iram.

SI *offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris &c.* Non aliud molitur Chriſtus quam hac ſua doctrina tanquam bonus medicus animarum noſtrarũ morbis remediũ adferre, quia Chriſtiana philoſophia non eſt aliud quam medicorum officina, in qua medicamina præparantur magnis & prauis animi morbis ſanandis idonea, & ideo ante omnia hoc nobiſcum eſſe debet, vt huiuſmodi non ſolũ in mente, velut medicina in pixide, ſeruentur, ſed vulneribus curandis adhibeantur: Maxime autem id agant, vt qui aliorum vitia corrigenda ſuſceperunt, à ſe incipiant. Cum enim plerumq; qui præſunt, niſi ſe contineant, ad iram & impatientiam proruant, eo quod durum ſit hominum genus & indocile in quo multa occurrũt indies corrigenda, quamuis omnibus turpe ſit iræ ſuccumbere, tanquam morbo caduco ſubiectus ſis, maxime tamen in honeſtum eſt, id in iis qui ſe animarum medicos ac vitiorum correctores profitentur. Sinã-

que

que medicinam quam per ciuitates venalem circumferunt, ægro ſuo animo nunquam adhibeant, apparet non illos præclara illa didiciſſe, vt ſic viuerent, ſed quo nomen ſibi eruditionis compararent. Cũque ex magiſtris artes cenſeantur, fit vt & ars ipſa ſit inuiſa, & male apud pleroſque audiat propter profeſſores ipſos. De quo vitio notantur ipſi Scribę, quibus Dominus ait, *væ vobis legiſperitis qui tuliſtis clauẽ ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis.*

Luc. 11.

2. INTER varia autem remedia quæ aduerſus hunc morbum præparantur in Chriſtianorum philoſophia, *primum eſt* cauſas huius morbi obſeruare: cauſa autẽ iracundiæ opinio eſt iniuriæ, cui non facile credendum: cum enim falſa multa veri ſpeciem præ ſe ferant dandum eſt tempus vt veritatem dies aperiat, nihilq; credendum facile niſi quod manifeſtum. Cũ enim nec ſuſpicioni ſua deſint argumenta, ſæpe etiam innocentibus indignamur ex leui ſigno peiora interpretati, ac per hoc non ſolum illis, ſed & nobis iniurij, iuxta illud, *Multos ſupplantauit ſuſpicio eorum, & in vanitatem detinuit ſenſus illorũ.* Itaque contra ſe eſt agenda cauſa abſentis quoniam in quibuſdam ſatius eſt decipi & damnum ſubire temporale, quam interiori cogitationum conflictu diſcruciari. Quid enim miſerius ciuitate quæ licet præſidijs & muris ſit bene munita, intus tamen fouet ciues ſeditioſos: ſic qui varijs turbatur & diſtrahitur ſuſpicionibus & prauis paſſionibus. Hinc Dominus conſulens hominum infirmitati tale dat eis conſilium, *Qui tecum vult contendere in iudicio & tunicam tuam tollere dimitte ei & pallium,* vt nimirum minore damno euites maius, eſt autem minus malum bona perdere temporalia quam animi pacem & quietem. *Secundo* ſi iuſta ſit ira, & ex illata tibi iniuria exorta, ſummo ſtudio curaq; id age ne primum eius impetum ſequaris, vulgi more quod tum maxime agit cum ira ſtimulatur: Sapiens contra tum maxime ſe cohibet cum iraſcitur, vt enim per nebulam corpora, ita per iram maiora videntur commiſſa quã ſunt: Danda igitur mora temporis quo primus eius feruor langueſcat, vnde Athenodorus philoſophus à Cæſare receſſurus vt ei monumentum philoſopho dignum relinqueret, Cæſar, inquit, cum fueris iratus, ne quid feceris, aut dixeris niſi prius alphabetum græcum recitaueris.

Eccleſ. cap. 3.

Matt. 5.

3. TERTIO expugnanda ira & ſanandus huiuſmodi animæ morbus non euitando eos qui te iniuria afficiunt, qui enim aut in ſolitudine, aut in aliena virtute ſuam reponit quietem, idem ſemper ac æque infirmus remanebit: Sed ſimul vt irã ſenſeris accẽſam, eam reprime ac ſupprime, nec prodire ſinas quæ tela mortis infigit. Eam quondam ſuffocandam docebant philoſophi aut frigido potu, aut largo ſomno, aut iucundo conuiuio, aut amæno loco aut ſimili aliquo remedio externo, quę ad id valere dicebant, vnde flegmaticos & ebrioſos qui crebro indulgẽt genio, minus videmus offendi & citius placari, verũ hæc medicamenta non tam ſanant iræ morbũ, quam quod ad tempus nonnihil eius impetum mitigent, qui poſtea æque aut etiam vehementius exurgit denuo. Itaq; adhibitis naturalibus medijs adiungẽda ſunt & alia remedia vtiliora & magis efficacia, nimirũ crebra ſuſpiria ac gemitus, aſſiduæ preces quibus à Deo humiliter obtinere nitamur ſpiritum manſuetudinis & benignitatis. Et quo tutiores eſſe poſſimus à grauioribus iracundiæ ſtimulis etiam leuiora peccata docet hic Chriſtus eſſe vitanda, cum ait, *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio:* & certe leuiter iraſci poteſt fieri abſq; graui fratris iniuria, pręſertim ſi non prorumpat in vocem iræ indicem. Vt igitur qui vitã diligit non ſolum mo tem ſed morbos etiã fugit, qui viam ad mortem parant, Ita qui lethiferi peccati mortem odit, leuiora quoque peccata, quæ veluti ægritudines animæ ſunt, diligẽter vitare ſtudet, neq; enim ad

maiora

maiora progredietur facile, qui etiam minora reformidat. Luc. 16. *Qui fidelis eſt in minimo,* Eccl. 19. inquit Dominus, *& in maiori fidelis erit:* ſed qui *minima contemnit paulatim decidit,* teſte eccleſiaſtico.

Matth. 5. 4. DICIT Dominus apud *Matthæum* Non *veni ſoluere legem, ſed adimplere,* quia perfectius vult eam ſanari à ſuis cultorib. quam ſeruauerint antiqui: in veteri lege grauiora quidē crimina vitabantur, vt homicidia, adulteria & ſimilia; In noua autem lege etiam minora vitanda docet Dominus: quo enim quis ab odio vel homicidio ſit magis elongatus, etiam iram cohibendam & declinandam ait: perfectiora enim à viris quam à paruulis exiguntur. Habet Eccleſia ſuas ætates, pueritiam virilem ætatem & ſimiles, quas diſcernimus non annorum numero, neq; temporum diuturnitate ſed gratiæ menſura & plenitudine: perfecta & plena gratia viros efficit & filios noui teſtamenti proprie conſtituit, etiamſi ſub veteri teſtamento vixerint, vt Moyſes, Elias, Baptiſta, Ioannes & ſimiles. Qui autem ſapientia & caritate deſtituti ſunt, & potius timore agūtur quam ſpiritu caritatis ducantur, etiamſi tempore noui teſtamenti viuant, tamen paruuli ſunt & ad vetus teſtamentum pertinent: Quibus etiam tanquam paruulis minima imponuntur, & grauiora crimina prohibentur vt ea quæ decalogo continentur, *Non occides, Non furaberis,* & ſimilia: quæ minima dicuntur, quia minimis præſcribuntur, ita vt non ſit magni meriti hæc obſeruare, licet magni demeriti ea tranſgredi.

5. VSQVE adeo vero vult nos Deus irā diſſidium, odiū & ſimiles affectiones prauas euitare, vt ei gratius ſit, ſi ab iis declinemus & mutuam concordiam ſeruemus, quam ſi ſacrificia ei offeramus. Sic enim Matth. 5. ait, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade prius reconciliare fratri tuo*: quia diſſidium quod eſt inter te & fratrem tuum eneruat virtutem ſacrificii

tui, eo quod qui proximum odit aut iniuria afficit, Dei odium incurrat, quia ſcriptum eſt: *Quod vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis.* Qui vero Deū ſibi habet aduerſum quomodo accepta poterunt eſſe munera eius? *Homo homini reſeruat,* ait, Eccleſiaſticus, *& à Deo medelam quærit,* Eccl. 28. Has ſcripturas dum animo mecum reuoluo, & mores hominum, prout nunc ſunt iis confero, audire mihi videor iſtud quod à Sapiente ſapienter eſt dictum, *vult & non vult piger,* ſic multi volunt & non Prou. 13. volunt ſeruire & placere Deo: volunt & non volunt intrare regnum cœlorum, volunt finem & non volunt media, volunt mercedem & fugiunt laborem: volunt victoriam & non volunt inire certamē: volunt placere Deo, & non volunt reconciliari proximo: volunt regnum cœlorum, & nō volūt obſeruare mandata. Quomodo ille propinquus Ruth cupiebat hæreditatem & redimere eius agrum, ſed audiēs cap. 4. quod iure propinquitatis etiam Ruth in vxorem ſumere deberet, hæreditati renunciauit & iure ſuo ceſſit: Sic ſunt nonnulli qui omnibus votis expetunt vt eis regnum cœlorum obtingere poſſit, ſed dum audiunt legem diuinam tanquam vxorem eis iungendā, vt illius onera portent, eius amori omnia poſthabeant, quo eius præſcriptioni ſatisfaciant, hoc onus ſimul cum hæreditate repudiant, & ideo vota illa quibus multi optant eſſe beati, quamdiu non amplectuntur media ad vitam æternam conſequendam neceſſaria, non ſunt plena nec vera quæ ſufficiant vt quis iis ſalutem conſequatur, ſed tunc ſunt plena & vera quando media ad finē conſequendum neceſſaria, amplectitur.

PARS II.

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.

∗ Matth. 5.

Summa Articulorum qui hic explicantur.

I. *Cur iam ſeuere peccatorum initia interdicat Dominus.*

ſ . *Quænam*

II. Quænam fuerit pharisæorum iustitia.
III. De ira propria cohibenda, & proximi toleranda, seu potius mitiganda & vincenda.
IV. Concordia fratrum magis necessaria quã sacrificia.

I. Cur tam seuere peccatorũ initia interdicat Dominus.

1. OMNIS *qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, h. . dignus est qui in iudicium trahatur & coram iudice accusetur. *Qui vero dixerit racha, reus erit concilio*, hoc est agitata iam causa & culpa quam negare non potest, sententia supplicii est expectanda, quæ certo sequetur ex consensu concilii. Racha iudicium cõtemptus importat, sicut enim vocamus aliquem mendicum. *Qui autem dixerit fatue* (nisi cauta correctionis tale quid dicat, sicut Paulus Galatas insensatos vocat) *reus erit gehennæ ignis*, id est, dignus est qui per irreuocabilem & definitiuam sententiam æternis incendiis tradatur. Hinc patet quam sit id verum quod *Augustinus in quodam loco ait*, Quam sint peccata grauia aut enormia nõ humano sed diuino pensandum est iudicio: quædam enim putarentur leuia nisi in scriptura diuina definirentur opinione humana grauiora. Quis in tactu arcæ di- 2.Reg.6. uinæ imitatus Oziam, hominum sententia damnaretur? excluditur certe hoc loco vulgaris illa præsumptio, qua suo iudicio religiosi, & q sibimet sapientes videntur, dicere solent, *inquit Hieronym.* sufficit nobis vt non criminalia peccata & maiora faciamus, facilis est enim commissio minorum delictorum. Hi consuetudinem diuinæ legis ignorant, quæ sæpe peccatũ ostendit, quod nobis non videtur peccatum: Saul & Iosaphat Reges fuerũt populo Israel, & dum misericordiam his quos Deus oderat, præstiterunt, Dei offensam in opere pietatis incurrunt. Quin & sanctos homines etiam de leuib. culpis grauiter legamus punitos: Quanquam leue nunquã sit Deum etiam in exiguo cõtemnere, quia homini non tam intendendum est quale sit quod iubetur, sed quantus sit ille qui iubet. *Hæc Hieronymus.*

Hiero. in epist.

2. CUM itaque Dominus ait, *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio*, hoc dixit, *inquit Chrys.* vt intelligas quod nec leue quidem peccatum nec minimum conuitium in fratrem, culpa vacet, proinde nec pœna. Quare non illud existimãdum est, vt eum diceitur, *Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio*, & Omnis qui occiderit, reus erit iudicio, quasi æquale sit peccatum, irasci fratri, & occidere fratrem: sed cum Dominus hic tradat euangelicæ doctrinæ perfectionem, id vult vt fidelis quisq; etiam iræ conceptæ initiis resistat, eamque nullo modo aut foueat aut faueat, alioquin euenturum vt nec à culpa nec à pœna futurus sit immunis. Quod autem & peccatorum initia tam seuere interdicat Dominus, ideo facit, ne contingat in grauiora ruere, quia iuxta Sapientem, *Qui minima contemnit paulatim decidit*, etenim si corpus parum ab ente læsum corrumpitur, & vestis quæ lacerari cœperit neglecta tota discinditur & tectum paucarum tegularum casu contempto totam domum diruit, non minus certe nocumenti obueniet animæ si minima contempserimus, quia paulatim in maiora labemur, *inquit Chrysostomus.* Chrys. lib. de comp. cordis. Eccl. 19.

3. VETERATOR malorũ diabolus à minimis plerumq; incipit, *inquit idem*, & paulatim viterius serpit, quousque ipsum hominem ad ipsum perditionis barathrũ perduxerit. Sic de Cain factum esse videmus: non enim confestim cædem fratris suggessit ei, ne magnitudine sceleris commotus animus tam scelestum facinus abominaretur. Nemo repente ad extremam improbitatem insilit: habet enim anima insitum quendam & innatum pudorẽ, quẽ subito proiicere non potest, sed sensim & paulatim ex negligentia aperit. Sic persuasit Cain prius deteriora offerre, nullum esse dicens id peccatum. Deinde iræ venenum in animum infudit, quæ paulatim in inuidiam & in odium accreuit, & sic tandem ad cædem fratris impulit. Hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit, cum vltra quam oportet viuiatq; defuncti non-

Chry. ho. 8. in 1. epi. ad Corin. Chry. ho. 37. in Mat.

nonnulli honorarentur, eorumq; statuæ & simulachra adorarentur. Hoc modo & cætera vitia increscunt: importune [illegible] tassis & nimium quis risit, dicens? Quid mali ex risu? cui iniuriam facio? certe ex immoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta. Sic à minimis ad maxima gradatim diabolus ducit, & inde ad desperationem inducit. *Hæc Chrysostomus.* Cum igitur quempiam grauiter collapsum audieris, non tunc demum eum cecidisse arbitreris cum lapsum audieris, antea labi cœperat & deficere, & tandem totus corruit, non secus quam si domus firma paulatim dissoluatur, & tādem tota collabatur.

II. Quænam fuerit pharisæorū iustitia. 1. HIc notandum quod cum Dominus ait, *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*, non comparetur iustitia nostra cum hypocrisi scribarum & pharisæorum, sed cum eorum iustitia, tanquā diceret Dominus: Nisi impleueritis eorū iustitiam, & insuper aliquid addideritis, non intrabitis regnum cœlorum. Pharisæi imprimis iustitiam solum sectabantur operum exteriorum, ieiunantes, eleemosynam dantes, decimas soluētes, ceremonias legis obseruantes, sed pietatem internā, misericordiā Dei, timorem, pacem & mansuetudinem nec habebant nec habere curabant. Hinc Dominus ad eos, *væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus vero sunt plena ossibus mortuorum & omni spurcitia sic & vos à foris quidem paretis hominib. iusti intus a. pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Ea igitur erat pharisæorum iustitia, mundare quod foris erat calicis & paropsidis, intus autem pleni erant rapina & dolo. Hic sermo nos instruit, *inquit Orige.* vt studeamus esse iusti non apparere. Qui studet vt appareat esse iustus, quæ foris sunt, mundat, & quæ videntur curat vt speciosa appareant: cor autem suum & conscientiam negligit, quia intus & auaritia, & lasciuia, & odio, & iniquitate plenus est.

Matth. 23. (margin)

Orig. 25. hom. in Matth. (margin)

2. VT igitur iustitia nostra abūdet plusquam pharisæorum & scribarum, necessum est vt prius emundetur quod intus est, vt nimirum mens sit pura & conscientia munda. In quo autem animæ decor? *inquit Bernar.* An forte in eo quod honestū dicitur? Ita, quia de honesto exterior interrogetur conuersatio, non quod ex ea honestum prodeat, sed per eam: alias enim in conscientia habitatio eius & origo, cū veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt pudicam, verecundam pauidā, circumspectā, nihil penitus admittētem, quod euacuet gloriam conscientiæ attestantis in nullo sibi conscium quod erubescat præsentiam veritatis, quo cogatur auertere faciem quasi cōfusam. Hoc illud decorum est quod diuinos oblectat aspectus, de quo & scriptū est, *Concupiscet rex decorem tuum* Cum enim teste Psalmis. *Dominus decorem indutus sit*, quidni & imaginī suæ pariter & sponsæ simile cupiat indumentū? tanto profecto sibi carior illa, quanto similior sibi. Cum autem decoris huius claritas abūdantius intima cordis repleuerit, prodeat foras necesse est tanquā lucerna in tenebris lucēs latere nescia: porro effulgentem, & veluti quibusdā suis radiis erumpentem, mentis simulachrum corpus excipit & diffundit per membra & sensus, quatenus omnis inde reluceat actio, sermo, aspectus, incessus, risus grauitate plenus. Horum & aliorum profecto actuum, sensuumq; motus cum apparuerint puri & modesti, pulchritudo animæ palam e it, si tamen non sit *in spiritu eius dolus*: potest enim fieri vt simulentur omnia hæc, & non ex abundantia cordis ea proueniant. *hac Bernardus.* De Sanctorum autem iustitia dicitur *Prouerb.* 31. sub figura fortis mulieris, *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus*, iustitia nimirum, interna & externa.

Bern. ser. 85. in cant. (margin)

3. RVRSVM pharisæorum iustitia sita erat in dictis non in factis: *dicunt enim & non faciunt*, inquit Dominus. In iis locum habet

Matth. 23. (margin)

f 2

Aba. 3. habet quod Habacuc ait *Ficus non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ*, &c. aliud scilicet promittentis & aliud efficientis, *inquit Hieronym.* promittebant Exod. 34. *Omnia quæcumque dixerit Dominus faciemus*, & nihil minus faciebant, vnde ad eos Dominus: *quid mihi dicitis Domine, Domine, & non facitis ea quæ præcipio vobis?* Christianorum iustitia in dictis consistit & factis. Quomodo n. nihil prodest aperire oculos si sit quis in tenebris, Ita nihil prodest esse in luce si clausi sint oculi. Paganus velut bene viuens

Aug. enar. 2. in ps. 25. patentibus oculis est in tenebris, *ait Aug.* quia non agnoscit lucem suam Christum: Christianus autem male viuens, in luce quidem est, quia fidem habet & Deũ nouit, sed dũ male viuit clausis oculis videre non vult eum, in cuius nomine tanquam cæcus est in lumine constitutus, nulla visione veri luminis animatus, quia fides sine operibus mortua est. *Sic Augustinus.*

4. ERAT & hæc iustitia pharisæorum ꝙ circa res minimas religionem exacte obseruarent, grauiora autem negligerent: mentham & anethum decimabant, misericordiam autem, fidem & iudiciũ prætermittebant, culicem colantes, *vt ait Dominus Matth.* 23. & camelum deglutientes, externas ceremonias custodientes, & internam pietatem non curantes. *Oportet hoc facere*, inquit Dominus, nimirum misericordiam & iudicium *& illa non omittere*, quia & minuta obseruare profuerit, qualia sunt sunt genua flectere, pectus tũdere, oculos ac manus sursum leuare & similia, sed grauiora oportet magis curare. Omnia ergo liquat qui in omnibus quæcumq; agit, vel dicit, vel cogitat, segregat quod est sordidum & terrenum ab his quę natura lucida sunt & syncera & iusta. Hic

Orig. in c. 23. Matth. notandum, *inquit Orig.* quod sicut mentha, & anethum, & cyminum, ciborũ sunt condimenta non ipsi principales cibi: Sic in conuersationibus nostris *quædam* sunt præcipua & maxime necessaria ad iustificationem animarũ nostrarum, vt pietas, misericordia, caritas, iudicium, fides & similia dona interna cum actibus suis: *Alia* sunt quasi condientia actus nostros, eosq; [illegible]iores facietia, vt ceremoniæ ecclesię, solemnis cantus, ornatus templorum, cereatum incensarum frequentia, genuflexiones, manuum eleuationes, & similia, in quibus non quidem sita est nostra iustitia, condiunt tamen eam, iuuant & muniunt: facilius enim excitatur & promouetur pietas, vbi diuinum officium fit cũ solennitate, q̃ si fiat simplici & rudi modo.

5. QVOD si regnum cœlorum non intret quis nisi eius iustitia abũdauerit plusquam scribarum & pharisæorum, quomodo saluabuntur ii qui nec illam iustitiam operantur, quam scribæ & pharisęi? qui certe externis operibus virtutem colebant, ieiuniis, eleemosynis, orationibus instabant: cũ sint christiani, nõ pauci, qui præterquam quod aut nunquam aut raro ieiunent, orent, eleemosynas dent, insuper comessationibus, ebrietatibus; impudicitiis vacãt, per quos blasphematur nomen Dei inter gentes, insuper & per hoc quod ita perditæ sunt vitæ etiam infideles à fide abstercẽt. Quod si philosophos dicat Paulus inexcusabiles, *quia cum cognouissent Deum* ex rebus creatis, *non sicut Deum glorificauerunt, neq; gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis*, quanto magis inexcusabiles sunt, *inquit Aug.* qui ex lege eius instructi confidunt se duces esse cœcorum, & alios docentes seipsos non docent qui in iniustitia detinẽt cognitionem veritatis. Aug. epist. 105.

6. DENIQVE erat & ea Pharisæorum iustitia diligere amicos & odisse inimicos Christus autẽ volẽs nos erigere supra naturã, præcipit vt & inimicos diligamus, & benefaciamus iis qui oderũt nos. Talis fuit Ioseph, *inquit Hiero.* qui sub naturæ lege adhuc cõstitutus antequam audisset Prophetam dicentem, vnusquisq; malitiam proximi sui obliuiscatur in corde suo, pro odio fratrib. reddidit dilectionis affectũ. & Christi præceptum impleuit priusquã audierit: Talis & Dauid erga Saulẽ ipsum persequentem, & Stephanus erga Iudæos Hieron. epist. ad Demet. tom. 9.

ipsum

Origen. hom. 11. in Mar.

Mat. 11.

ipſum lapidantes. *vnde Orig.* exponens hiſtoriam de ficulnea habente folia quidem ſed nullos fructus, eo quod non eſſet tempus ficuum, *vt Marcus habet*, ſic ait; Vult Dominus nos omni tempore reddere fructum, ſiue occaſio ſe offerat ad bene operandum, ſiue iſta deſit. Fructus autem ſpiritus ſunt, caritas, benignitas, gaudium, pax caſtitas, patientia, & his ſimilia: qui aliquando redduntur tempore ſuo: ſed melius eſt & Deo acceptum magis, quando circumſtantib. aduerſariis & ad non fructificandum prouocantibus, protulerit quis ſpiritus fructum, eſt autem tempus horum fructuũ, quando non eſt difficile illos reddere, vt ſi quis diligat diligentem ſe. Si autem quis excitetur ad odium, & iniuriam patiatur, nihilominus iniuriantem diligat, hic non in tempore ficuum, fructum dans caritatis, beatus eſt. *Alter* fructus ſpiritus eſt gaudium: ſi quis hunc exhibet tempore perſecutionum iniuriis irritatus, & mille modis prouocatus ad puſillanimitatem vt ſuccumbat triſtitia plenus, & tunc nihilominus gaudet & omne gaudium exiſtimat cum in varias tentationes inciderit, fructum dat non in tempore ficuũ. *hæc Origen.* & hos fructus quærit in nobis Chriſtus cum ait, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.*

III. Quomodo propria ira cohibẽda, & proximi tolerãda. Baſil. hom. 10. de ira.

1. QVANDO verborũ cõtumelia tentaris, illud exiſtima, *inquit Baſil.* periculum de te fieri an Deo patientia adhæreas, an per iram in aduerſarii partes inclines. Da tempus cognitionibus ad optimã eligendi partem oportunum: Nam è duobus alterum proculdubio cõſequeris, aut inimicum tuæ manſuetudinis exemplo mitiorẽ reddes, præſertim ſi ad tantã animi conſtantiam & patientiam perueneris, vt iniuriis laceſſitus non turberis nec triſteris, aſſimilatus in hoc Deo qui blaſphemiis aut contumeliis non mouetur, ſed tranquillus & immotus in ſe permanet: aut certe ſi deſpexeris, acrius illum vindicabis. Quid enim aduerſario durius eſſe poteſt, quam te animum gerere contumeliis omnibus altiorẽ? Si malum eſt ira, ſi malum contumelia, cur malum iſtud non euitas? Cur quod in alio reprehendis ipſe patras? Nõ enim incepiſſe aliũ ad excuſationẽ ſufficiet, quinimo hinc iuſtior aduerſum te querela exoritur, quod ne quidem exemplo eius, qui turpiter & probroſe ſe geſſit, factus tu ſis ſapientior, ſed clamando, iraſcendo, contumelias regerendo eius veſtigia imitari quæris, ſimilis illi qui tempeſtatis tempore pretioſa quęque & vilia, tam propria quam aliena è naui eiicit, cuius mox cum ſedata tempeſtate pœnitebit. Gymnaſium tibi quoddã & exercitatio ad philoſophiam & virtutẽ, verba alterius tibi ſint: Si enim ex eius cõtumelia nihil moueris, integer es animo: Si vero aliquid animo pateris, ſaltem in te conde turbationem & iram: dic cum Propheta, *Cum conſiſteret peccator aduerſum me, obmutui & humiliatus ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt*: tãquam diceret, quãuis in me turbatum eſſet cor meum, animi tamen mei perturbationem extra non oſtendi, ſed intra me continui, & iram tanquam feram beſtiam intus in animo cõpeſcui, nec quicquam dixi, ne iracundiam aut in me aut in fratre meo amplius incẽderem. Nam dum contumelia infirmo infertur, veluti vulnus cordi infligitur, & dolet, nihilominus tacet, vt per ſilentium iræ flammam comprimat & reſtinguat.

2. ANTIQVVM inter Philoſophos erat ænigma, *Ignem gladio ne fodias*: ſignificans iratum & tumidum animum verbis maledicis non laceſſendum, quia ſicut ignis igne extingui non poteſt, ita nec furor furore demulceri poterit vnquam. Sed quod igni eſt aqua, hoc iræ eſt manſuetudo, *inquit Chryſoſt.* Animi igitur manſuetudine, & humilitate verborum reprimamus eorum inimicitias, qui nobis male afficiuntur, & afflictas eorum curemus animas. Nam duplex inde nobis lucrũ accreſcit, tum

Chryſo. hom. 58. in Gen.

tum quod fratris indignationem cessare facimus, & mentem eius à turbatione liberemus, tum quia nosipsos à magno malo præseruemus, & gloriam coram Deo reportemus. Id quod exemplo ipsius Dauidis euadit manifestum, qui dum in exilium eiicitur, dum vsque ad vitæ discrimē insidiis appetitur, non semel sed multoties, ipso suo hoste Saule factus est illustrior & honorabilior nō tantum corā hominibus, sed & coram Deo, *teste Chrysost.* Nā in spelunca sacrificium obtulit Dauid, idque admirabile & dictu incredibile, haud quidem mactato vitulo aut occiso agno, sed quod his erat multo honorificentius, mansuetudinem & humanitatem offerēs Deo, & irrationabili animi motu mactato, qui est iracundia, egressus est ex speluca tanta cum gloria, cum quanta ingressus est Hierusalem cum Goliath deiecisset, ac barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa magnificētior erat victoria, quia rediit non Barbari caput gestans, sed animi commotionem & iram mortificatam habens: & in choris obuiam veniebant non fœminæ excipientes illum laudibus, sed angelicus chorus è sublimi applaudēs admirabatur eius humanitatem. Ascendit enim hoste vulneribus innumeris sauciato, vt qui tametsi seruasset Saulem, tamen illum hostem infernalem diabolum multis plagis confixit. Nam cum Saulem in spelunca configere posset, & ad id variis modis extimularetur, ab inimici conspectu, ab exhortatione militum dicentium, ecce dies de quo dixit Dominus, tradam inimicum tuum in manus tuas: à facilitate perficiendi cædem, à præterita iniuriæ memoria: a futurorum periculorum metu: tot modis irritatus Dauid non ira exarsit sed purus exiuit, & molli sua responsione confregit inhumanum Regis animum, & ex hoste fecit amicum, & ex crudeli tyranno mansuetum patrem. Dixit enim, *Estne vox ista tua fili mi Dauid?* Est quidem laude summaq; admiratione dignum quod ensem non tinxerit sanguine, sed longe maiori corona dignum erat, quod à tanto furore in animum mitem ac hominem mansuetum eum immutauerit. Nihil certe ipsa humanitate potentius, dicente Sapiente *Responsio mollis frangit iram*, hæc Chrys.

Chryso. hom. 1. & 3. de Dauide & Saule

Prouerb. 25.

3. QVANTA autem sit iracundiæ culpa pensemus, *inquit Greg.* per quam dum mā suetudo amittitur, supernę imaginis similitudo viciatur: rursum per iram sapientia perditur, vt quid, quoue ordine agendum sit, omnino nesciatur: sicut scriptum est, ira viri iustitiam Dei non operatur: quia dum per iram iudicium rationis perturbatum fuerit, omne quod furor suggerit, rectum putat. Nam iræ suæ stimulis corde agitato lingua quidē clamorē excitat, sed sensus quid loquatur ignorat, quin & interdum vsque ad manus ira prosilit, seq; ipsum animus, quippe qui iam potestatis alienæ factus, retinere non valet. In quo putas iste ab abreptitiis longe est qui actionis suæ conscius non est? Quod si prorumpere non audeat, ira per silentium conclusa intra mentem vehementius æstuat, sicque fit vt hominem grauis flamma iræ clausulæ consumat. Nam quantū putas tormētum esse animæ afflictæ quotidie cogitare vt vlciscatur inimicum: Quædam insaniæ species est iram tanquam quendam lictorem se torquentem alere, & veneno pessimarum cogitationum sic infici: certe melius viperam in sinu, quam iram in corde foueris, quia dum alteri cogitas inferre malum, quantum damnum tibi ipsi inferas non cernis. Nam si malum pro malo reddideris, hocque modo teipsum vltus fueris in inimicum tuum, prima quidem facie illum vicisse videberis, reuera autem à diabolo victus es, qui te ideo instigat vt te vindices, sicut alterum instigauit vt tibi prius iniuriam inferret, quo sic vno ictu ambos vulneret, gaudens non de vulnere corporis, sed magis de vulnere animæ. Si autem tacueris & teipsum vltus non fueris, ab homine quidem victus videberis, & te tanquam ignauum & timidum contemnet & irridebit,

Grego. lib. 5. c. 31.

Digitized by Google

debit, re autẽ ipsa fortis es, qui & teipsum & diabolũ viceris, & in hoc Deo similis qui semper mitis & mansuetus, ab ipso glorificaberis.

Chryso. hom.3.in Ioan.& 47

6. DIC quæso vtrũ tibi laudabilius duxeris, cũ ab ira victus es, & furore percitus in perniciẽ alterius præceps irrueris, an cũ eã viceris: Nonne victi nosipsos reprehẽdimus: & multa nos operum & verborum nostrorum subit pœnitentia? vis manifeste videre quantũ mali adferat iracundia? Adsis. Cũ aliquando quispiã rixatur (neq; enim in temetipso facile hanc possis deprehendere turpitudinem, tenebris & ira velut ebrietate ratione obuoluta) videbis iratos nõ secus ac insanos turpiter in mediũ præcipites ferri, & more mularũ calcibus morsibusque inuicem petere, & cũ maxime ab ira vincuntur, tunc se vicisse existimant, & irã fortitudinẽ suã arbitrãtur: cũque humi prostrati misere iaceant, innumeris à diabolo plagis vulneribusq; acceptis, calamitatẽ suã victoriã sibi ducunt. Cũ itaque ira percitus in profundũ perditionis deferatur, & etiam ante futurã gehennã pœnas hic luat, & tumultu quodã intolerabili die noctuq; variis cogitationibus tanquã sæui maris fluctib. iactetur, ita vt nec quiescere possit, nec alios quiescere sinat, nec vllũ sanũ consiliũ in eo inueniri queat (si enim qui foris est tumultus impedit quo minus philosophari possimus; & quando voluerimus de aliquibus necessariis loqui loca à turbatione quieta quærimus, multo magis turbatio interna oberit:) merito nos monet & instruit Paulus, *Sol non occidat super iracũdiam vestram*: non quasi ad solis occasum iram in sinu cordis fouere liceat, cũ possit quis a solis ortu vsque ad occasum in tanta scelera debacchari, quanta tota vita sua non posset lachrymis expiare, *teste Hieron.*

Hieron in 4.ad Ephes.

Sed quia si nox ira percitos comprehendat, omnia animum prouocantia per otium atrociora reputabuntur, & grauiora subsequentur. Priusquam igitur tam exitiali vacemus otio & vehementiorem flammã accendamus, præueniendum præcepit, & quicquid pectus nostrum exagitat, excutiendum. *Hæc Chrysost.*

5. CONSVLTISSIMVM itaque fuerit vt si quis iniuria lacessitus sit, quamprimũ eam obliuioni prorsus mandet: cũ Dominus id à nobis exigat *Non eris memor iniuria ciuium tuorum*. Quotiescũq; te dolore aliquo amicus vel familiaris affecerit & ad iram concitauerit, veniat in mentem quæ tu contra Deũ commiseris: quodque si a proximo offensam & contumelias æquo animo toleraueris, leuius in te Dei iudiciũ prouocabis. Sed inter hæc sciendũ est, *inquit Greg.* quod alia sit ira quam impatientia sulcitat, alia quam zelus iustitiæ assumit & format. illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute exoriretur, non diceret Psalmista, *Irascimini & nolite peccare*: non diceret Ecclesia *Melior est ira risu*: quia per tristitiam vultus corripitur animus delinquentis. Quod si sic proximos vt nos amare præcepimur, restat vt sic eorum erratis, sicut nostris vitiis irascamur. Sed cũ per zelum iustitiæ animus mouetur curandum summopere est ne ea quæ vt instrumentũ virtutis assumitur, menti nostræ dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequiũ parata à rationis tergo nũquam recedat: tũc enim robustius contra vitia erigitur, cũ subdita rationi famulatur. Neq; enim si contra iniquitatem desit indignatio & ira, satis eam odio quo decet, persequi poteris, *inquit Basilius.* Est igitur ira nobis ad multa virtutis opera necessaria, quando velut miles armatus duci assistit vt eius iussu auxiliũ præbeat, sic iracundia rationi obtemperans ei adiutrix. contra peccatũ esse debet fortitudinem & cõstantiam ad res bene gerẽdas præbens, si enim anima remissa fuerit, ira redditur ipsa fortior. Quid Phinees animum addidit, & iustum ac fortem reddidit? Nonne iusta contra fornicantes ira?

Leuit.19.

Grego.1. lib.5.morali.cap.31.

Eccles.7.

Basil. hom. 10. quæ est de ira.

IV. Concordia fratrũ magis necessaria quam sacrificia.

1. SI scissa sit concordia per iniuriam seu contumeliam illatam, ante omnia

mnia resarciatur & fratri reconcilieris oportet, quia alias nostris sacrificiis non poterimus reconciliari Deo nisi prius reconciliati fuerimus proximo nostro: Mauult enim Deus concordiam fratrum quam sacrificium, iuxta quod dicitur Matth. 9. *Eütes dicite quid sit misericordiam volo & non sacrificium.* Misericordiam accipit eam qua homo homini beneficit, *teste August.* non quod sacrificia reiiciat sed quia illis misericordiam beneficentiamque præponit: sacrificia enim illa veteris legis non fuerunt Deo grata per seipsa, tanquam eis indigeret Deus, aut nidore delectaretur occisorum & crematorum animalium, aut tanquam ipsi inde aliquid accederet, vt putabant carnales Iudæi, quos redarguens Dominus sic ait: *Nunquid manducabo carnes taurorum, si esuriero non dicam tibi.* Fuerunt tamen Deo grata hæc sacrificia quatenus ad diuinum cultum à Deo instituta præcepta, *teste Thoma.* vt mens offerentis in Deum eleuaretur: deinde ad significandum sacrificium crucis Christi, deniquead instruendum mores. Recusabat tamen Dominus sæpe numero sacrificia populi Iudaici, non vt erant ab ipso instituta, sed quatenus a carnali populo oblata, qui putabat Deum sacrificiis delectari & placari magis quam pœnitentia aut pietate: & cum sic impii essent Iudæi & crudeles in fratres, nihilominus ad sacrificia confugiebant, quasi per ea cuncta statim crimina forent expianda, etiam neglecta fratris reconciliatione & neglecta pœnitentia. Hos corrigit hic Dominus & sæpe per suos prophetas corripuit: vt cum dicit *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Incensum abominatio est mihi cum multiplicaueritis orationem non exaudiam, quia manus vestræ sanguine sunt plena.* Hic Propheta manifeste causam adfert, cur noluerit eorum sacrificia, quia non pœnitebat eos violatæ legis Dei, sed etiam num in peccatis suis obiectabantur: & ideo de talium sacrificiis dicitur. *Qui immolat bouem, quasi qui interfi iat virum.*

Aug li. 10. de ciuit. c. 5.

Psal. 49.

Tho. 1. 2. q. 102. art. 2.

Isa. 1.

Isa. 66.

2. CVM dicitur: *Si frater tuus habet aliquid aduersum te, vade & re conciliare prius fratri tuo.* hoc dupliciter potest intelligi, aut vt conuenit offendenti, aut vt offenso: *Aug.* de offendente intelligit, vt sit sensus, Si is quem læsisti, habet iustam querelam contra te, ante oblationem tuam reconciliare prius ei, hoc age vt iniuriam condonet & offensam remittat: & sic est præceptum vt offendens id agat quantum in se est vt fratrem offensum pacatum reddat, culpam agnoscendo, veniam rogando. *Chrysost.* vero intelligit de offenso seu iniuriam passo, cui non bene conuenit cum eo qui iniuriam intulit, sed inimicitias cum eo gerit siue iustas, siue iniustas, & quia Christus hic tradit quod pertinet ad Euangelicam perfectionem, & magnæ sit perfectionis si is qui læsus est fratrē inducat ad reconciliationē secum ineundam, quia sicut in musica, nisi fuerit conuenientia vocum, non delectat audientem, ita nisi ipsis orantibus & sacrificantibus inter se conueniat, non potest esse grata Deo ipsorum oratio aut oblatio, ideo & suadet ac consulit Dominus ipsi læso vt inimicum inducat qui læsit, ad pacem & concordiam ineundam: vt non dicas, *inquit Hieron.* Ecce ego nihil habeo aduersus eum, si ille habet aduersum me, quid ad me? Nihil habes aduersus fratrem tuum? quare ergo saluari non vis eum? si amas eum, roga ipsum ne ille contra te habeat, vt saluari possit. *has Hieronym.* Hieron. in psal. 119

DOMI-

Digitized

DOMINICA VI.
POST PENTECOSTEN.

IN *diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam, &c.* Mar. 8.

Summa Articulorum Primæ Partis.

I. *Quod Deus omnibus rebus à se creatis prouideat, & quo modo.*

II. *Ægre se potest homo attollere ad ea quæ captum superant humanum.*

III. *Sobrie suos hospites excepit Dominus, & cur.*

PARS I.

Art. I. Deus rebus omnibus à se creatis prouidet.

MISEREOR *super turbam, quia non habent quod manducet.* Quod in nauclerus, quod in curru auriga, phonascus in musica, dux in exercitu, rex in suo regno, id in orbe terrarum est Deus qui prouidet, regit & disponit vniuersa est autem gemina operatio prouidentiæ diuinæ, quæ hanc mundi machinam regit & gubernat, *inquit August.* naturalis vna, voluntaria altera. (lib. 2. ca. 2. de lib. arbitr.) Interdum enim Deus homini subuenit eique de suis necessariis prouidet absque opere humano; & illa prouidentia voluntaria dicitur, sicut cum filios Israel per quadraginta annos pauit in deserto manna è cœlo demisso, cum nec sererent nec meterent: quomodo & hæc quatuor millia pauit septem panibus, & Eliæ per coruum de necessariis prouidit: per Ionatham & armigerum eius castra Philistinorum turbauit & dissipauit. (1. Reg. ca. 14.) Sed iste modus rarus est & non nisi, dum fit, propter euidentem necessitatem aut magnam vtilitatem, diuinæ potentiæ atque misericordiæ per miraculum supra communem naturæ legem asscribendus. Est alius prouidendi modus qui dicitur naturalis, quando homini de vitæ necessariis prouidet, sed manum aratro admouenti, sicut Paulus ait *Si quis non vult operari nec manducet.* (2. Thess. cap. 3.) Hic rogandus Deus vt operibus manuum nostrarum benedicere dignetur, quo quisque in suo opificio sibi necessaria procurare valeat: vt enim semen quod seminatur non nisi benedictione Dei multiplicatur, ita & industria & labor humanus vt fructificet à Dei benedictione id habet. Hinc psalmista, *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illis in tempore oportuno.* Psal. 144.

2. SUNT QUI consequuntur & habent bona, & ea nō Deo sed propriæ industriæ & labori, non diuinæ sed humanæ potius munificentiæ asscribunt, & tribuunt, qui nō fide sed sensu & ratione naturali suam moderantur vitam: cum enim non videant quod Deus inuisibili sua potentia & prouidentia nobis vitæ necessaria & alia quæ possidemus bona procuret, sed quid alii ipsis donent aut quæ proprio labore lucrantur facile aduertant, hinc diuinam prouidentiam nihil eis subsidii præstare, sed omnia ex sua industria [illegible] hominum prouidentia prouenire existimant: vnde magis de sese, & de homine quam de Deo confidunt. Talis erat ea quæ apud Ozeam sic ait, *vadam post amatores meos qui dant mihi panes, & lanam meam & oleum meum & potum meum: & nesciuit quia ego dedi frumentum & vinum & oleum.* Nā vt *Aug.* ait, etiam cum ab hominibus expectantur, tamen nō nisi à Deo dantur huiusmodi bona, qui iuxta Psalmistam *aperit manū suam & implet omne animal benedictione, qui dat iumētu escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Nam quanquam homo & vineam plantet & agrum seminet, nisi tamen Deus incrementum dederit & messem ad maturitatem perduxerit, & pluuiam in tempore suo è cœlo emiserit, frustra laborem insumit homo. (Oze. 2; Psal. 144.)

3. SED PAULO altius inquirendū quomodo Deus prouideat omnibus, & vt Ecclesiast. ait, *quomodo ab eo sint paupertas & honestas bona & mala, mors & vita:* vt supra dictum est, Est gemina operatio prouidentiæ diuinę quæ hanc mundi machinam regit & gubernat, naturalis vna, voluntaria altera. *Naturalis* per occultam Eccles. 11.

Hæc Aug. ſupra. Dei adminiſtrationem intrinſecus in rebus omnibus operatur motus rerum naturis conuenientes, qua dat herbis incrementum, animalia concipi, creſcere & ſeneſcere: Eſt alterum prouidentiæ genus quod vocatur *voluntarium*: & fit aut per Dei, aut per angelorum, aut per hominum opera, ſicut cum agri coluntur, vineæ putantur, ſcientiæ docentur, corpori ad victum & tegumentum conſulitur, ea quæ aguntur extrinſecus per voluntariam prouidentiam, iuuant ad hoc vt proficiat quod geritur naturaliter intrinſecus, ſicut agricultura in agro id agit vt proficiat ſementis, & in corpore humano ſeruit extrinſecus adhibita medicina vt melius valeat quod operatur intrinſecus natura: & in vinea iuuat putatio pampinorum vt melius creſcat & matureſcat vua. Ita Deus quædam operatur in rebus creatis intrinſecus ſecundum rationem ſeminalem ipſis rebus inditam, vt cum me[illegible] ex ſemente prouenire facit: quædam vero extrinſecus ſeu voluntarie operatur, quorum rationes ſunt non in rebus ipſis, ſed in Dei beneplacito, ſicut cum Sara quæ ſterilis erat, pareret, & cum aquas ex ſilice & petra educeret.

4. QVANTVM ad primum prouidendi modum attinet, neque vis naturæ operatur ſine concurſu diuinæ potentiæ, neque potentia diuina operatur ſine cauſali virtute ipſius naturæ, ſed vtraque vis cõcurrit in operatione. Non enim tale aliquid facta eſt creatura vt per ſe ſine Deo operãte poſſit aliquid efficere: Sicut enim oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adiutus non poteſt videre, ſic homo etiam perfecte iuſtus qualis à Deo primitus fuit conditus, niſi à Deo adiutus non poteſt operari nec recte viuere: & homo perfecte ſanus nõ poteſt ſubſiſtere niſi Deo ipſum ipſiuſq; ſanitatẽ conſeruante. Neque enim Deus ſic fecit ſuam creaturam, quo modo artifex fabricat ſuam domum, quæ permanet etiamſi artifex non ſubſiſtat; aut quo modo medicus curat & ſanat ægrotum, qui ſanus perdurat etiãſi medicus in morbum incidat: Sed ſicut planta licet virtutẽ fructus producendi habeat, infrugifera remanet niſi ipſius virtus calore ſolis foueatur & adiuuetur, Ita Deus res cõditas conſeruat aſſiduè iiſq; in ſuis operationibus cooperatur, iuxta illud Pauli, in ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Quæ cooperatio Dei ſi deſuerit nihil ipſa creatura efficere poterit, adeo vt ne quidem ignis ſtipulá adurere poſſit, id quod patet in igne iſto Babylonico in quem iniecti tres pueri nihil detrimenti ab eo ſunt paſſi.

5. DEVS cum hunc mundum fabricaret, ab initio rebus ipſis ratione carẽtibus vim quandam impreſſit, qua veluti quodã impetu inſtar ſagittæ à ſagittante emiſſæ, non tam ſemetipſas agunt, quam naturæ vi aguntur, donec ad propoſitum à Deo finem deueniant, vt trochus prima ferientis plaga concitatus celerrimis conuerſionibus in orbem voluitur, *ait Nazian.* & vt globus ex monte deuolutus non ante quieſcit ſed continuo decurrit, donec ad locum in quo quieſcat deuenerit, ita etiam mundus vniuerſus, *inquit Baſilius*, immutabilibus Dei decretis iam inde à creationis ſuæ primordiis impulſus & agitatus, atque ad præſcriptum huius ſeculi finem circumactus, omnia ea quæ in diuinitatis arcano conſtituta, atque in eius ſapientiæ penetralibus recondita ſunt, ſuo quæque tempore producens cõficiet & abſoluet, *inquit Aug.* Sicut enim in ſemine omnia illa fuerũt primitus, non mole quidẽ corporeæ magnitudinis, ſed vi potentiaque cauſalitatis, quæcumque ex ipſo exorta ſunt, radix, caudex, rami, cortex, frondes, flores & fructus, quæ non repente tanta ac talia prodeunt, ſed ordine quodam proueniunt ex ipſa radice quam terræ primum ſemen infixit, ex eo quod mirabilis illa vis quæ in exiguo ſemine latet, adiacentem humorem terræ commixtum tanquam materiem vertere valuit in ligni illius qualitatẽ, in foliorum viriditatem, in florum pulchritudinem ac ramo- lib. 5. c. 20 21. de gen ad lit.

ramorum diffuſionem: quod enim ex arbore illa pēdet quod non ex occulto theſauro ſeminis illius extractū eſt? Sicut autem in ipſo ſemine inuiſibiliter erāt omnia ſimul quæ per temporum viciſſitudinem inde ſunt exorta, Ita *teſte Auguſtino* & ipſe mundus eſt cogitandus, in quo & cum quo Deus ſimul omnia condidit eiq; inſeruit quæ poſtea potentialiter atque cauſaliter, priuſquam per tempora ita exorirentur, produxit.

6. NON itaque fortunæ temeritate, quæ nulla eſt, neque fati neceſſitate quod figmentum eſt, negotia geruntur humana, ſed æquiſſimo ſummi rectoris arbitrio cuncta diſponuntur, quoniam ſcriptū eſt, *Laudate Dominum de terra, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum quæ faciunt verbum eius. &* quare addit, *Quæ faciunt* In Pſ. 148. *verbum eius*, inquit *Aug.* vt noueris etiam ea quæ turbata videntur omnia, & quaſi caſibus agitari, tamen non facere niſi verbum eius Non ergo caſu mouentur quæ verbo Dei ipſiuſque imperio ſeruiunt in omni motu ſuo: Quo vult Deus illuc fertur nubes ſiue grādinem, ſiue niuem, ſiue pluuiam portet, idque vt vel terram ſitiētem inebriet ac fœcundam reddat, vel vt mare compluat, & quæ eſt iſta prouidentia, inquies, dum mare, quod aquis abundat, cōpluitur, & terra fructifera ſiti exareſcit? Quicquid hic accidit contra volūtatem noſtram, *inquit Aug.* profecto non accidit niſi de voluntate ac lege Dei, Omnia enim faciunt verbum & præceptum eius etiamſi non intelligamus quid, quare fiat: Tanquam ſi officinam fabrilē quis introeat, multaque inſtrumenta ibidem videat, quorū vſum ignoret: quæ & propterea inutilia & ſuperflua reputat, quorum vſum ſi ſciret, cum ipſo fabro neceſſaria & vtilia diceret. In officina non audemus reprehendere fabrū, & audet quis in hoc mundo reprehendere Deum? cum cœperimus diſputare de operibus Dei, quare hoc & quare illud, male hoc fit, non ſic fieri debuit, nemo certe tam impudens qui dicere audeat, Male id Deus fecit: ſed audacter nedē impudenter & imprudenter multi dicūt, Id male fit, Hoc malū eſt, & quare? quia non ſecundū ſed contra voluntatem eorum fiunt, tanquam ipſorum voluntas veritatis foret regula quā quiſq; etiam Deus ſequi teneatur, id ni fiat, maleque id fit, fiat.

7. DEMVS hoc Dei ſapientiæ diuinæq; prouidentiæ, quod nihil temere, nihil imprudenter, nihil ſine ratione faciat. Nunquid dicet figmentum ei qui id fecit, Cur me feciſti ſic? Si quid ſit ſapientiæ, ſi quid prudentiæ in homine, illud certe in Deo perfecti⁹ erit, à quo habet homo quod ſit ſapiens & prudens. Cōpluit Deus ipſum mare quod aquis redundat? quid ni id faciat? quaſi nō ſint in mari piſces qui alantur pluuia? videte quomodo piſces currāt ad dulces aquas. Et quare, inquis piſcibus pluit & agro ſitienti nō pluit? & quare tu legē Dei tranſgrederis, quā piſcis qui facit verbū eius non tranſgreditur? Quod ſi & tu verbū eius facias, & nihilominus penuriā pateris, quā fera quæ currit in ſylua nō patitur, cogitate eſſe in regione deſerti & amareſcat tibi vita præſens vt futuram inquiras. Interdū Deus etiā amicos ſuos inopia premi ſinit, ſicut Paulus de ſe ait, *Vſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus.* 1. Cor. 4. Cur autem id faciat varias habet rationes partim ne propter hæc bona temporalia quis Deo ſeruiendum exiſtimet, eaq; tanquam virtutis mercedem à Deo expectet: vnde ea & bonis & malis communicat: ſuntq; ea talia qualis eſt animus eius qui ea poſſidet, bonis bona & vtilia, malis mala & noxia: interdum ea bonis ſubtrahit vt eorum patientiam exerceat, pro eaque certam mercedē & remunerationem retribuat, quæcumque enim iuſtis in hac vita obueniunt, non niſi futuræ vitæ ſeruiunt.

8. OCCVLTE admodum & diuerſimode ſuis creaturis ꝓuidet & gubernat Deus, & ex altiſſimo hoc diuinæ prouidētiæ conſilio & imperio proueniūt nobis omnia quæcūque accidunt, huic diuitiæ, illi miſeriæ, huic honores & imperia, illi dolores

Eccleſ. 11. lores & improperia: Nam vt Eccleſiaſticus ait, *paupertas & honeſtas à Deo ſunt*. Ne itaque temerario caſu aut cœco impetu euenire putes, cur hic ſit pauper, ille diues, cur hic ſeruiat, alter imperet; cur tu hoc tempore natus ſis potius quam ante mille annos, & ab his parentibus in hoc loço magis quam à Turcis aut Iudæis aut in alio loco: Id enim quod caſu euenit, neque cauſam habet effectricem definitam, neque certum quo referatur aſſequitur finem. Sed neque induſtriæ tuæ neque diligentiæ tanquam cauſæ principali iſtiuſmodi euenta aſſeribas, quia nil velle iuuat, ſi Deus repugnat: *vidi ſub ſole*, inquit Eccleſiaſtes, *nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec Doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus caſumque in omnibus*. Quæ hactenus caſu euenire dicuntur quia ordinem huius cauſæ particularis egrediuntur & præter intentionem huius agentis obueniniunt, eadem licet à prouidentia diuina & intenta ſint, & vt ſic euenirent præordinata: *Sapientia enim attingit à fine vſque ad finem fortiter*, inquit Sapiens, *& diſponit omnia ſuauiter*. Quam multos eſt videre qui ad ſumma contendunt, & quo id magis attentant & conantur eo amplius ad ima relabuntur: *Eſt homo laborans & feſtinans*, inquit Eccleſiaſticus *& tanto magis non abundabit*. Econtra vero illi quibus Deus fauet, ſæpe abſque vllo labore nec ſperata quidam ſed ſponte oblata commoda & honores & dignitates aſſequuntur: Eſt homo marcidus inquit idem, egens recuperatione, plus deficiens virtute & abundans paupertate & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate illius & exaltauit caput eius, & mirati ſunt multi in eo & honorauerunt Deum.

Cap. 9.

Sap. 8.

Cap. 11.

9 EX HIS patet quam Deus non ſolum diuerſimode ſed etiam quod admodum occulte ſuis prouideat creaturis. Nam vt lib. 1. c. 13. offici. *Ambroſius* ait, quemadmodum radius ſolis lumen ſuum & calorem fundit in viſcera terræ. Nec vectibus ferreis quo minus penetret impediri poteſt: ſentiunt enim arborum radices vim caloris æque & frigoris, dum & frigore ſtringuntur & calore ſolis reuireſcunt, & alia quidem generantur, alia corrumpuntur, alia candeſcunt, alia nigreſcunt eodem calore, prout cuiuſq; natura fuerit diſpoſita, ſole interim immutato permanente: ſic abſq; vlla ſui mutatione, & abſque vllo negotio & difficultate, abſque ſollicitudine & fatigatione Deus permanens immotus omnibus prouidet & gubernat vniuerſa: Neque hanc ſuam prouidẽtiam vlli creaturæ ſuæ ſubtrahit vnquam, quippe cum certum ſit abſq; ea nihil in rerum natura ſubſiſtere poſſe. Nam quemadmodum nihil eſt quod ſeipſum fecit, ita nihil eſt quod ſuum eſſe ſuamque naturam conſeruare poſſit, niſi ab eo cõſeruetur à quo factum eſt, vt cuiuſque rei conſeruatio non ſit aliud quam aſſidua quædam creatio, iuxta illud Pauli *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*. Et quid tam ſtultum, *inquit Ambro.* quam putare quod Deus opus ſuum neſciat, & curam illius nullam habeat, cum etiam ſtupidiſſimæ beſtiæ fœtus ſuos quos enixæ ſunt, curent & ament, ipſiſque quos genuerunt prouideant? Neque etiam ea quæ condidit aut ſua prouidentia indigna reputat, aut vt vilia aſpernatur; alioquin ſi viliora ſint quæ curentur, cur omnino condebantur? verum cum Deus ſapientiſſimus ſit & maximus etiam in rebus minimis, ipſiuſque potentia ſapientia ac prouidentia non minus reluceat in diſpoſitione membrorum vnius culicis, quam in maxima mole elephantis, quomodo in creatione harum rerum eum merito prædicamus & admiramur, ita & eum ipſum in earum adminiſtratione iure ſuſpicimus & veneramur. Culicem vides beſtiolam contemptibilem & minutiſſimam, quomodo pro ſe agat vt vitam tueatur & cõſeruet: Quis ei dedit aculeum quo pungit & ſanguinem ſugit? quam tenuis fiſtula eſt qua ſorbet? Qui fecit in cœlo angelũ, ipſe in terra fecit & vermiculum, & quod fecit,

Hebr. 1.

fecit, curat, prouidet, & conseruat, quia sine eius prouidentia & conseruatione nec subsistere, nec se in vita conseruare posset. Omnis enim creatura indigentiæ est obnoxia, & suæ infirmitatis conscia opem superioris ad sui sustentationem dum implorat, *in tempore oportuno* impetrat: sicut *dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.*

10. VT enim Deus creaturam suam implendo faciat meliorem, *inquit Aug.* prius eam facit desiderando auidiorem: & cum creatura præuio desiderio, aut labore satis exercitata Dei muneribus capiendis effecta est apta & idonea, tunc adest ei Deus & adiuuat. Et ob id facit oculos omnium creaturarum, & præcipue hominis, prius de se sperare & desiderare, & desiderando inuocare. Nam & pulli coruorum naturali desiderio cibũ appetentes inuocat eum & inuocando escam accipiunt in tempore opportuno. Adhibet autem Deus ministerium creaturarum in operando & in suæ prouidentiæ executione, non tanquam ipse earum subsidio egeat (sicut Rex indiget ministerio famulorum, eo quod ipse infirmus sit qui per se non potest omnia) sed quia ordinate disponit omnia, & suis creaturis causalitatis ac potentiæ portionem communicatam cupit. Lib. 12. ca. 9. ciuit.

11. NEQVE diuinæ prouidentiæ obstat quod multos nedum impios & reprobos, verumetiam pios & Dei electos fame & inedia excruciari videamus, quia hoc ipsum non nisi de occulto diuinæ prouidentiæ thesauro prouenit, licet eius rei causam ignorent multi. Si soli mali misera premerentur, & soli iusti fœlicitate fruerentur, diceret quisque *inquit August.* quod pro meritis sua cuique responderent præmia: aut etiam, si soli pij aduersitatem paterentur & famem, impij vero omnes in prosperitate agerent, huius causam diceret quis esse, quod pios & iustos Deus velut fortes athletas huiusmodi miserijs exerceat, quo modo Iob & Tobiam exercuisse legitur, quo emineant magis, maioremq; sibi gloriam ac coronam per animi sui fortitudinem ac patientiam pariant: Impijs vero hic suam mercedem, pro iis quæ bene gesserunt, retribuat. Nemo enim tam malus qui non aliquid boni faciat. Sic Patriarcha Abraham diuiti epuloni respondisse legitur. *Fili recordare quia recepisti bona in vita, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Sed cum sæpe accidat vt & plurimi iusti hic in requie vitam cum honore & summa prosperitate transigant, & multi impij in ignominia summisque aduersitatibus assidue versentur, horum rationem inuenire est admodum difficile, & hic cum Paulo exclamare oportet, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia ius, & inuestigabiles viæ eius*, adeoque hæc quæstio obscura est & difficilis quæ de diuinæ prouidentiæ abstrusissimo thesauro mouetur, Cur impiis bene sit, bonis male, vt etiam magnos animos concusserit sanctissimorum Dei: Hac enim de causa propheta Dauid vsque ad periculum lapsus se turbatum dicit cum ait: *Mei pedes pene moti sunt, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns:* Psal. 72. Inquirebat & Ieremias cur impij prosperentur in vijs suis, cum ait: *Iustus es Domine si disputem tecum, veruntamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur bene est omnib. qui preuaricãtur & impie agũt plantasti eos & radicẽ miserunt, proficiunt & faciunt fructum.* Hinc nonnulli malefaciunt, *inquit August.* & volunt esse mali ne sint miseri. Si quis præsentem dũtaxat vitam intueri velit, permouebitur facile vt nullam prouidentiam esse dicat, sed cũ huius vitæ exitu non terminentur quæ fiũt, sed de futuro pendeãt omnia, à futura quoque vita metiendum est diuinæ prouidentiæ opus. Hinc Psalmista ait, *Existimabam vt cognoscerem hoc*, id est, hanc diuinæ prouidentiæ rationem, qua fit vt impijs sit bene, *sed labor est ante me donec intrem in sanctuarium Dei & intelligam in nouissimis eorum:* quasi dicat difficile est in hac Ierem. 12. Serm. 10. de verb. domi. Psal. 72.

hac vita intelligere huius rei rationem, ſed in fine huius ſeculi & in futura vita plene intelligentur omnia, tunc nihil abſconditum quod non reuelетur.

II. Quam ægre ſe poſſit homo attollere ad ea quæ captum ſeparant humanum

1. HAc reſponſione aperte cernimus quam difficile mens humana ad ea quæ ſupra rationis captum poſita ſunt, ſeſe attollat. Diſcipuli enim, qui tot miracula viderant, non ſum ita in fide profecerat vt crederent eum qui cunctis prouidet, poſſe etiam turbam hanc alere. Idem & Moyſi contigit, qui cum ſtupenda Dei miracula in Ægypto vidiſſet, imo & ediдiſſet, vacillare tamen cœpit quomodo tantam hominum multitudinem in deſerto aleret Dominus: Sic enim ait, *Sexcenta millia hominum ſunt populi huius, & tu dicis Dabo eis edere carnes menſe integro? Nunquid boum multitudo cadetur vt poſſint ſufficere ad cibum?* (Num. 11.) Etenim quo ad reliquas virtutes vix vlla virtus eſt ad quam aſſequendam non nobis naturæ conditor Deus igniculos quoſdam & veluti ſemina indiderit: quia enim virtus eſt animi habitus rationi conſonus, nihil mirum ſi rationalis creatura quandam licet obſcuram & imperfectam propenſionem ad illum habeat. Hinc *Cicero*, Sunt ingenijs noſtris, inquit, ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret, quanta nimirum in hac vita haberi poſſet. At cum fides & ſpes dignitatis ſuæ altitudine ſupra ipſam ſeſe rationem efferant, dictu mirum eſt, quam ægre ſeſe etiam pij homines attollant: Quanquam enim non ſit à ratione alienum Deo fidere & credere, pugnant tamen aliquando inter ſe humana ratio diuina gratia deſtituta, cum fide nobis cœlitus indita: v.g. obiato paupere trepida eſt humana ratio neq; audet ſuis neceſſitatibus adimere quod alienis largiatur: At fides diuinæ veritati innixa quæ ait, *Qui dat pauperi non indigebit*, (Prou. 28.) rationis hæſitantiam comprimit, diuinæque promiſſionis ſpe, ſecura, audacter ſibi adimit, quod alterius indigentiæ tribuat, *unde Baſil.* Si dimidius duntaxat ſit tibi panis, egenus autem accedat qui partem petat, da petenti, *inquit*, & panem hunc ad Deum in altum tolle, vt ad eius mandatum & voluntatem tribuens reſpicias, erit hic tibi panis, *inquit*, ſemen quod cum fœnore recipies & multiplicabitur tibi fructus in benedictione. *ſic ille.* Homines autem in fide infirmi hac præcipue de cauſa a benignitatis & miſericordiæ officiis retardantur, quod inopiæ ſuæ ſuorumque timeant, ideoque manus à largiendo contrahunt, ne forte liberalitas in alios in propriam recurrat inopiam, ne forte, inquam, ipſis deſit quod alijs largiuntur. Sed qui fide ſuam vitã moderantur aliud adſpiciunt, videlicet Dei promiſſionem & munificentiam, quæ eis non ſolum in futura vita ſed etiam præſenti abunde poteſt remunerare, vnde Serapion ille cum nihil præter tunicam & pallium & codicem Euangelij haberet, duobus pauperculis obuiam factus, vni pallium, alteri tunicam dedit: Et cum nudus ſederet, interrogatus quis eum ſpoliaſſet, codice quem manu tenebat, oſtenſo, Hic *inquit*, me ſpoliauit: Et poſt multa talia caritatis officia in Abbatem electus decem milium monachorum pater fieri meruit.

III. Sobrie ſuos hoſpites excepit dominus, & quare.

1. ACCIPIENS *ſeptem panes, & piſciculos paucos benedixit & iuſſit apponi.*) Sobrie hic ſuos hoſpites excipit Chriſtus quia naturæ neceſſitati non autem hominum gulæ aut cupiditati ſubuentũ iri cupit. De quo *ſic Baſilius*. In eo, *inquit*, continentis laus ſita eſt, parce & tenuiter res etiam ipſas neceſſarias attingere, ægreque naturæ miniſterium perinde ac tributum moleſtiæ atque angoris plenum pendere, temporiſque quod in hoc ipſo conſumitur moram animo iniquo ferre, celerrimeque à menſa ad obeunda munera ſua reſilire: Atque hoc eſt ni fallor, *inquit*, ad gloriam Dei manducare, vt in menſa etiam luceant opera noſtra bona quib. glorificetur pater qui in cœlis eſt: Abſtinentia quippe apprime eſt neceſſaria omnibus ijs qui in pietatis curriculo de- (Baſil. in reg. fuſ. diſp. Inter. 17. 18. 19.)

certan;

certant, vt videlicet de iis quę viliora sunt & ad necessitatem solam parata eatenus sumamus quo ad necessitati factum sit satis, atque in his ipsis saturitatis malum declinemus, vt ab his quæ voluptaria sunt penitus abstineamus: siquidem voluptas nihil est aliud, quam esca illa maligni, per quam nos homines ad peccatum valde procliues sumus: ideo ab ea omnis anima non secus atque ab hamo quodam ad exitium pertrahitur: & immoderatis epulis se onerare ac ventrem distendere, præterquam quod detestabile sit, cum Dominus dicat, *Væ qui saturati estis*, corpus etiam ipsum ineptum prorsus reddit ad labores & procliue in somnos. Neq; Luc.6. vero suauitate metiendus est cibus aut finis cibi sumendi, sed necessarium tantum ad vitæ conseruationem expeti debet, reiecta voluptatis libidine, quandoquidem voluptatibus seruire nihil est aliud quam ventrem suum Deum facere. Hoc autem ita fieri debere facto suo declarat hic Dominus, qui ingentem illam multitudinem adeo simpliciter adeoque frugaliter excepit, vt ad panem frustum dumtaxat piscis adiectum sit. *hæc Basil.*

2. QVI se ad id quod natura exigit, cõposuit, non tantum extra sensum est paupertatis, sed etiam extra metum. Natura paucis contenta nullo nomine melius de nobis meruit, quam, quia quicquid ex necessitate sumitur, paruo comparatur. Inter causas nostrorum malorum est quod viuimus ad cupiditatem, nec ratione componimur, sed luxu abducimur: infelix autem luxuria quærit quemadmodum post saturitatem quoque esuriat, quemadmodum sitim in prima potione sedatam reuocet, *hæc Basil.* Rursum dum ad cupiditatem viuimus, pro bonis temporalibus acquirendis & augendis nimis soliciti sumus, tum quia luxus multa absumit, tũ etiam quia cupiditatis & auaritiæ nullus reperitur finis, quod enim naturæ necessitati satis est, hoc cupiditati parum est. Dominus autem vult nos esse sollicitos non pro bonis perituris, sed ęternis colligendis, nõ pro temporalibus sed pro spiritualibus, *Primo*, inquit, *quærite regnum Dei & iustitiam eius & hæc omnia adiicientur vobis.* At sunt non pauci qui cum sedulo omnia sua negotia peragant hoc vnicum ad quod vocati sunt, negligunt: cum enim eis sola pietas & religio indicta sit cętera vero vel omittenda, vel non nisi quatenus necessitas postulat sint peragenda ipsi pietatis prorsus obliti, in his adeo anxie versãtur, quasi ad hæc secularia negotia creati a Deo forent. Cui comparabo aut cui similem æstimabo generationẽ istam? similis est pueris qui à parentibus ad scholas destinati & missi, vt in viros doctos euadant, ipsi in plateis vagantur, & cum sibi coæqualibus, nugantur & ludũt, & id cuius causa missi sunt negligunt, & quid hoc aliud quam in vano accepisse animam suam? Nam vanum est, *inquit Ambro.* quicquid ad æternitatem non prodest Ambr. c. 1. de fug. se. & hæc finis nostri obliuio, omnium quæ in mundo fiunt origo est & causa malorũ hinc enim creaturarũ abusus & immoderatus earum amor, hinc rationis reddendæ obliuio, hinc æternę vitæ neglectus. De his sic Moyses, *Gens absque consilio est & sine prudentia, vtinam saperent & intelligerẽt & nouissima prouiderent.* Deut.32.

3. BENEFICIA quæ huic multitudini exhibuit Christus, non solum in eum finem exhibuit, vt esurientem pascerent ventrẽ verũ etiam vt eorum consideratione per amorem & gratiarum actionem suam inanem pascerent mentem: Sicut enim homini in calamitate posito cæteræ calamitates quas in vita pertulit animo facile occurrunt & præsentem dolorem augent, ita è diuerso in diuinis beneficijs quæ quis iam percipit & animo grato reuoluit, cætera quoque præterita beneficia animo grato facile occurrunt, quæ dilectionẽ & grati animi affectum in benefactorem excitant & augent, hoc enim cuiuis etiam bestijs à natura inditum vt benefactorem diligat: vnde Dauid seipsum in gratiarum actionem excitans sic ait. Psal.102. *Benedic. anima mea Domino, & noli obliuisci omnia*

nes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & qui sanat omnes infirmitates tuas, qui replet in bonis desiderium tuum, & hæc causa quod cum Dominus tanquam rerum omnium conditor varia in cœlo & in terra signa edere potuisset, quibus immensam diuinitatis suæ potentiam in mundo declararet, ea tamen præcipue edere voluit, quæ simul & signa essent & beneficia. Quorum altero diuinitatis suæ fidem faceret: altero homines arctissimo suæ caritatis vinculo sibi copularet: & vt signa fidem, ita beneficia conciliant amorem, signa subseruiunt cognitioni quam ex ijs quisque de Deo facile concipere potest: beneficia dilectioni, & quanto ipsa cognitio, quæ viam sternit ad dilectionem, fuerit plenior atque perfectior, tanto subsequitur dilectio maior: quisquis enim perfecte diuinam cognouerit bonitatem, misericordiam, pulchritudinem, potentiam, maiestatem, cæterasque proprietates Dei proprias, tanto magis eum diliget colet, honorabit, timebit, adorabit & de ipso confidet. Quod autem multi eum nec timeant, nec colant nec diligant, nec reuereantur, fit ex eo quia ipsum non cognoscunt, & ideo eum non cognoscunt, quia eius beneficia & opera non perpendunt, nec serio reuoluunt.

PARS II.

Accipiens septem panes & pisciculos paucos benedixit & iussit apponi. Mar. 8.

Summa articulorum Partis II.

I. *Temperantia & continentia quibus in rebus sita sint.*

II. *Medium seruandum inter excessum & defectum.*

III. *Sobrietas homini pietatem colenti maxime necessaria.*

IV. *De temperantia in cibo potuq; seruanda.*

Art. I. Quibus in rebus temperantia sita sit.

1. IN nulla aliarum virtutū magis elucet honestū atq; decorum quam in ea quę temperantia dicitur, quę per totam hominis vitam diffunditur, vt vbicumq; quod decet, quod moderate fit & sedate; ad hanc virtutem pertinere dignoscatur: reliquæ virtutes certa tempora exigere videntur, hæc semper & in qualibet vitæ parte eluceat necesse est: *modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, inquit Paulus. Philip. 4. De S. Martino legimus quod vno eodemque semper vultu visus fuerit, vt eximiam illā animi temperiem atque modestiam nec aduersitas vlla per tristitiam, nec prospera fortuna per lætitiam vitiare potuerit: quod eo maiore sit admiratione dignum quod episcopatus dignitatem euectus, maiorem habuit insolentiæ occasionem quam priuatus quisq; sciens omnem intēperantiam & maxime luxuriem, non modo ad pietatis & virtutis profectum non esse vtilem, sed vehementer etiam perniciosam. Quantæ fuerint temperantiæ & abstinentiæ Prophetæ Domini declarat tenui suo victu Elias qui petit à vidua Sareptana *paululum aquæ & buccellā panis*, & 3. Reg. 17. Daniel *per tres hebdomadas panem desiderabilem non comedit, & caro & vinum non introierunt in os eius*: Dan 10. & tres illi Hebræorum pueri leguminibus vesci quam regiis epulis saginari maluerunt, non tam vt patriū morem tuerentur, quam quod persuasum habuerint ciborū intemperiem vehementer spiritus officere puritati: & Danieli in lacu leonum posito misit Dominus non carnes aut exquisitas epulas, sed panem & pulmentum, per suum Prophetam Abacuc. Dan. 14. Homo enim refectus diuina consolatione solet corporales delicias respuere, non solum quia transitoriæ, & vanæ, quæ titillant quidem sed non satiant, verumetiam quia per abstinentiam magis est idoneus qui diuinas percipiat reuelationes: vnde Daniel cum per tres hebdomadas panem desiderabilem non comedisset, tunc mirabilē ostendit ei Dominus visionē de incarnatiōe & passione Christi. Dan. 10.

1. SED & inter prophanos auctores docet *Plutarchus* maxime fugiendam crapulam delicatarumque vsum cum præ manibus

bus est festiuitas aliqua (tunc enim gentes solent largius in honorem Deorum suorū genio indulgere) aut amicorum cōuiuiū, vbi ad æquales haustus inuicem se conuiuæ excipere solent, ita vt tibi detrectare non liceat: tum n. velut aduerso vento nauigare oportet, ita vt difficile sit in huiusmodi conuiuiis & epulis mediocritatem cōsuetamq; edendi & bibendi rationem ita tueri vt non omnib. aliis molestus importunusq; videare. Ne igit crapula crapulæ, vino vinum tanquam ignis igni superaddatur, serio cogitandum est illud *Creontis* dictum: Præstat inimicum fieri, hospes, tibi me modo, quam gemere postea. Maxime autem cauendum ab illis cibis qui non esurientes ad edendum inuitant, & potu qui non sitientes ad bibendū pellicit: nō minus quoq; quam studium voluptatis & ingluuies circa res istas vitanda est ambitio, qua quis iam impellit ad edendum rara & pretiosa, ea opinione vt aliis narrare possit quod vesci ipsi obtigerit rebus raris, eoque scilicet nomine in admiratione sit, cum si quærenda sit gloria, optime quæratur abstinentia & continentia, quam magis ingluuie aut harum rerū fruitione: vt enim vulgares cibi appetitum intra naturæ modum continent, ita apediæ variis coquorum aromatibus conditæ, semper fines voluptatum profe: unt & sobrietatis metam excedunt, quas si prosequutus fueris vulnere in animam infl: cto te deserent sublata mensa & saucium relinquent.

3. OBFIRMANDVS igitur animos cōtra concupiscentias & voluptates istas, vbi interfruendum sese efferunt, ne nobis id accidat quod de *Lysimacho* narratur: H c cum apud Getas siti eo redactus esset vt se cum toto exercitu in potestatem hostiū dederet, postea cum frigidā bibisset aquā, Dii boni, *inquit*, quam ob breuem voluptatem, summam amisi fœlicitatem. Pueriliis autem ille qui veretur ne ob repletionem aut crapulam male affectum corpus sentiat saucia sanitate: & nō veretur si corpore integro anima in suis cupiditatib. veluti sordibus putrescat: quasi si animus sit conturbatus, minus incommodi patiatur homo, quam si cerebrum sit turbatum, & sobrii quidem ratio constat, valde autem inebriati etiam sensus est obtutus, semiebrii vero animus conturbatus conturbataque ratio, quamuis corpus eius imperio adhuc seruire possit.

4. INTER temperantiam & continentiam hæc ponitur differentia, vt *temperantia* dicatur, vbi concupiscentem partem veluti placidum & obsequens pecus, ratio gubernat, atque tractat sibi in appetendo parentem. *Continentia* autem ea est, vbi obtinet quidem & imperat ratio concupiscentiæ, non tamen sine molestia aut vltro obtemperanti, sed obluctantem & obliq; incedentem freno compescit animo certaminum ac turbarum pleno. Itaque continentiam non dignantur perfectę virtutis nomine, sed minus aliquid virtute statuunt esse, non enim paret cōsentitve rationi appetitus, neq; amputatū est quod erat minimū affection:s sed molestiam adferens, vicissimq; molestiā percipiens ac necessitate cohibitus, veluti in seditione infensu s hostis habitat intus. Eandem ob rationem incontinentiā quoq; minus aliquid vitio esse constat: Perfectū autem vitium intemperantiam, in qua & affectus animi prauu est & vitiata ratio: quo: um ille appetitū ad turpia ducit, hæc male iudicando turpibus cupiditatibus adsentitur sensumque peccati perdit. At vero in continentia rectùm rationis iudiciū seruat, sed perturbationib. cōtra iudicium mouetur, maiori vi præditis quam sit ratio, in eoq; differt ab intemperantia, quod incontinentis vincitur ratio à perturbatione, intemperantis ne pugnat quidem: ille cupiditates sequitur interim iis contradicens: hic eas ducit consentiens: hic gaudet suis peccatis, ille ægre fert: hic volens ad turpia fertur, ille inuitus honestatem prodit: vt & in verbis & in factis manifesta eorum appareant discrimina, intēperantium enim hæ sunt voces, *Gratia quænam sit sine Cypride quæue voluptas?*

Hæc mihi cum cura non erit, emoriar: Qui & ait, veſci cibis, potareq;, & venere frui, ſit vita mihi, Cætera additamenta ſint omnia: verba ſunt hominis toto animo ad voluptates vergentis: Neque minus ille etiam qui dicit, Sine me petire, namque id eſt in rem meam. Alia ſunt incontinentium dicta, qui dicunt: At enim mihi natura ſẽtienti recte, vim facit, Eheu bonum video proboque malum tamen ſequor, à perturbatione enim & voluptate tanquam nauis à valido vento impellitur. Intemperans igitur plenis cupiditatum velis ad voluptates incitatur & ruit. Incontinens oblique, dum enititur aduerſus motum vitioſum in turpitudinem decidit.

Leo ſer. 4. de ieiun. Pentec.

5. CVM per illecebram cibi irrepſerit prima cauſa peccati, àbſtinere præcipitur a conceſſis, *inquit Leo*, qui frenare ſe neſciuit à vetitis. Omnis quidem creatura Dei bona eſt, & nihil eſt abiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, ſed nõ ad hoc creati ſumus, vt fœda auiditate omnes mundi copias expetamus. laudetur Deus qui hominum vſui tam multa donauit, ſed agnoſcat rationalis animus maiores delicias menti datas eſſe quam carni. Et cum audit per ſpiritum ſanctum ſibi dici *Poſt concupiſcentias tuas non eas*, intelligat ſibi contra omnia quæ ſenſibus corporeis blandiuntur temperantiæ ſectandam eſſe virtutem, per quam dũ exterioris hominis concupiſcentia minuitur, ſapientia interioris augetur: Non enim idem vigor eſt cordis ſub onere cibi, qui ſub leuitate ieiunii, nec eundem ſenſum poteſt ſatietas generare quã parcitas, quia de abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, & per voluntarias afflictiones caro concupiſcẽtiis moritur, & virtutibus ſpiritus impletur, quando impendimus pauperum neceſſitati ꝙ ſubtrahimus voluptati.

Hæc Leo ſer. 8. de ieiunio.

Quotidiano autem experimento probatur potus ſatietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, vt delectatio edendi etiam corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri ſubtrahatur voluptati. Sed parũ eſt ſi carnis ſubſtantia attenuatur ieiunio, ſi & animæ fortitudo non alitur: ſubtracta vero ſaturitate corporea, ſpiritualibus mens deliciis roboretur, habet enim populus Dei ſpiritales epulas, caſtaſq; delicias, quas ſalubriter expetit & laudabiliter concupiſcit, dicente propheta, *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Sed quia hæc fortitudo paucorum eſt, & in hac vita difficile eſt continuare, poteſt tamen frequenter adſumi vt ſæpius & diutius ſpiritualibus occupemur quam carnalibus deliciis. *Hæc Leo.*

6. BASILIVS quoq; quærẽs, Nunquid pietatem in vita colere volenti neceſſaria ſit continentia? ſic habet. Quod neceſſaria quidem ſit continentia perſpicuum eſt, quia continẽtia veluti quodam freno cõhibetur feruor ille, qui vigere in iuuenibus ſolet difficilis ad coercendum ad libidinis impetus. Continentiam autem appellamus, *ait*, non ſi quis ſe à cibo penitus abſtineat, quando hoc violenta quædam vitæ diſſolutio eſt, ſed eam quam tollendæ contumaciæ corporis cauſa, pietatis ergo de induſtria ſequimur rerum voluptatem titillantium abſtinentiam. Nam quarum rerum voluptates ab iis qui ex libidine vitam degunt, experiri ſolent, ab his, nobis qui, ad veram pietatis culturam contendimus, eſt temperãdum. Proinde nequaquã in vna tantum eſcarum fugienda voluptate continentiæ culturam conſiſtere exiſtimandum eſt, ſed eam ad omnem etiam rem, quæcumque propoſito nobis ſui aduerſaria ſit & impedimento, pertinere, ex quo intelligitur qui hanc perfecte virtutem tenuerit, eum nullo modo, cum ventrẽ in poteſtatem redegerit ſuam, humanam ſibi paſſurum gloriam dominari: aut cum obſcænam voluptatem deuiceris, opum cupiditatem, aut aliam quamuis degenerem animi affectionem, veluti iram, aut quæcumq; imperitis animis dominari conſueuerunt, non ſuperaturum Ferme

Baſil. in ter. 16. in Reg. fuſ. diſp.

enim

enim quod in omnib. præceptis animaduertimus, ea videlicet inter se connexa esse, neq; fieri posse vt vllo modo vni separatim ab altero satisfiat, hoc præcipue in continentia cernitur. Nam & demisse de se sentit vere humilis, qui in gloria continentiam adhibet, & euangelicæ inopiæ mensuram explet qui in congerendis opibus continentiam seruat: & ab ira tranquillus est, qui animi elationem atq; iracundiam in officio continet.

7. EA deniq; absolutæ continentiæ ratio est, vt linguæ, vt oculis, vt auribus limites præscribat, vt auribus minime curiosam indulgeat auscultationem, & singulis his cancellos ipsorum officii quosdã circumscribat, atq; circundet, extra quos qui egressus sit, is continens ac petulans est. Atque illud etiam, quod à plerisque negligitur, non mediocriter caueri, ab iis debet, qui colendæ pietati student, ne in risum videlicet præter modũ effusi sint, quandoquidem non abesse à se intemperãtiam significatis, qui profuso nimi petulantiq; teneatur, seseque animi sui motus nequaquam sedatos, eiusq; mollitiem ac veluti laxitatem nequaquam ratione seuera habere compressam declarat, & Eccl. 21. hoc ita esse Sapiens confirmat his verbis, *Fatuus in risu exaltat vocem suam*, verum modice rictum diducere, eoque modo animi sui diffusionem leuiter signare, nõ est contra decorum, quatenus illud tantũ Prouer. 15 indicetur quod scriptum est. *Cor gaudens exhilarat faciem*, & quod alibi dicitur obseruetur, *vir sapiens vix tacite ridebit*. Igitur qui omnibus animi sui affectionibus moderatur, neque voluptatis titillatione vlla mouetur, contraque fortiter constanterque aduersus quamcumque prauam libidinem animatus est, hic perfecte continens est: Siquidem voluptas nihil est aliud, quam esca illa maligni, per quã homines ad peccatum valde procliues sumus: ab ea omnis anima non secus atque ab hamo quodam ad exitium pertrahitur. Quod si quis adhibita continẽtia ab ea se neq; effæminari passus sit, neque inflecti, hic sine controuersia quouis penitus peccatum effugerit. Si vero cum a pluribus euaserit, tamen sub vnius adhuc dominatu sit, nequaquam is haberi in continentibus debet, quemadmodum neque sanus qui vnico aliquo corporis vitio laborat, neq; cui tantum vnus dominatur, liber. Ac reliquæ quidem virtutes, cum in occulto exerceantur, minus sæpe illustres apud homines existunt. Continentia autem in quo inest, eũ vel primo ipso aspectu tantum notum facit, vt enim optimus corporis habitus & coloris bonitas, pugilem à cæteris distinguit: sic Christianum, *inquit Basilius*, à cæteris macilentia corporis, pallorque deflorescens, qui continentiæ veluti adiunctus est comes, indicio est eum Christi mandatorum vere pugilem esse, qui in infirmitate corporis aduersarium suum in lucta prosternat, & quã potens sit in pietatis certaminibus declaret, conuenienter verbis illis, *Cum infirmor tunc potens sum*. hactenus Basilius. 2. Cor. 12

8. IN eo continẽtiæ vis sita est, parce tenuiterq; res etiam necessarias attingere, ægreq; naturæ ministeriũ perinde ac tributum molestiæ & angoris plenum pendere, temporisq; quod in hoc ipso consumitur morã animo iniquo ferre, celerrimeq; à mensa ad obeunda munera sua resilire. Hæc Bas. interro. 17.18. Hoc enim necessario statuendum est, ad hoc vt maceretur corpus & in officio cõtineatur, iis qui in pietatis curriculo decertãt cõtinentiã apprime necessariã esse. Omnis enim qui in agone contendit, in omnibus abstinens est, vt etiam de iis quę viliora sunt & ad necessitatem solam parata, *inquit Basil.* eatenus sumamus quo ad necessitati factum sit satis, atque in his ipsis saturitatis etiam malum declinemus, & ab his quæ voluptaria sunt penitus nos abstineamus. Quanquam enim prouidendum sit naturæ ne quid ei desit quod necessitas postulat, tamen immodice ventrem distendere, & immoderatis se epulis onerare præterquam quod detestabile quid sit, cum Dominus dicat, *Væ qui saturati estis*: corpus etiam ipsum Luc. 6.

 ineptum

ineptum protſus reddit ad labores & procliue in ſomnos & morbis magis expoſitũ facit. Neque vero ſuauitate metiendus eſt finis cibi ſumendi, ſed neceſſario tãtum vſu ad vitæ conſeruationẽ experi debet reiecta voluptatis libidine, quandoquidem voluptatib. ſeruire nihil eſt aliud quam ventrem ſuum Deum facere, quiq; voluptates ſuas Deum ſibi ſuum conſtituunt, per haſce ad ſibi paratum ignem emigrant: & viuentes in delitiis mortui ſunt, quod diues ille epulo, nos ſuo docet exemplo, qui propter delicias quas in hac vita fuerat ſectatus, deliciis paradiſi priuatus eſt. Et ideo quando diuites aliquos animaduertimus qui ſummum bonum in voluptatib. ponunt, vehementer admodũ *ait Baſil.* illorum vicem dolemus, deploramuſq; quod totum vitæ tempus in futilibus ac nullius pretii rebus conſumant.

Luc.16. Baſil. in ter.19.

II. Medium tenendum inter exceſſum & defectum Baſil de vera virg.

1. NON declines ad dexteram ſiue ad ſiniſtram: Sicut enim in gulæ intẽperãtiã declinare periculoſum eſt, ita per nimiam abſtinẽtiam corpus atterere ac per infirmitatem inutile reddere, omni profecto ratione caret, *inquit Baſili.* Neque enim abſtinere à voluptatibus gulæ per ſe expetendũ eſt, ſed quia ad virtutis acquiſitionem confert: Fracto autem contritoque corpore tanquam animæ inſtrumento ad parandam virtutem neceſſario, neq; Deo inhærere per lectionis & meditationis ſtudium poſſumus, neq; ad fratrum beneficentiam humanitatis officiũ obire. Igitur & corporis cura neceſſario eſt habẽda non ipſius gratia, ſed vt ſeruitio illius ad philoſophiæ ſtudia vti poſſimus. Neceſſe eſt n. corpore tam inualido ad ſeruiendũ, illi ſeruire dum ſemper circa infirmitatis eius curam animus verſatur attonitus, ſicq; in ſerui obſequio vitæ tempus omne conſumit. Itaque ciborum abſtinẽtia cum ratione eſt ſuſcipienda, nã ſi ipſã per ſe ciborum abſtinentiã diſcutias, neq; qui non comedit, ob id duntaxat plus aliquid comedentibus de virtute habet: neque qui comedũt ex eo minus aliquid nõ comedentibus habere putãdi ſunt, ſi modo illorũ virtus interior æqualis ſit. Quoniam vero abſtinentia per ſe nõ eſt virtus, ſicut temperantia, ſed duntaxat exercitiũ virtutis, ſi quando ab exercitiis melioribus ſeu magis neceſſariis hominem impediat, minus Deo eſt grata: Sed dignitas temperantiæ in hoc eſt, quod ſicut in naturis forma eſt decentior materia, ſic in morib. plus cõmẽdatur modus quem obſeruat temperantia, q̃ ipſa actio. Abſtinẽtia n. eſt exercitiũ quo virtus acquiritur, & inſtrumentum quo nos aduerſus vires diabolicas defendere poſſumus: In hoc n. genere pugnæ non eſt nobis viribus corporeis opus ad vincendum, ſed magis imbecillitas ne in illo diabolus fomitem inueniat quem concupiſcentiæ igne ſuccẽdat: Hic eſt enim *faber ſufflans in igne prunas & proferens vas in opus ſuum*, diabolus enim inſtar fabri dum prauas inſpirat cogitationes hominẽ ſuccendit inſtar prunarum igne concupiſcentiæ, eoq; modo, inſtar vaſis, ſeu tãquam quoddam inſtrumentum eum adaptat ad opus malum q̃ per ipſum facere intendit. Iſa.54.

2. ESt igitur in abſtinentia hęc diſcretio ſeruãda vt ea neq; nimis rigida ſit, ne dum vitia perſequeris, naturam enerues nec etiam minor ſit, quam petulantia carnis requirit: vt n. chorda extenuata & exiccata in cythara, ſi minus ſit tenſa nullum edit ſonum, ſin autem nimis extenditur aut frangitur aut raucum ſonat. Ita caro noſtra niſi certo moderamine attenuetur, vt ei & aliquid ſubtrahas, quo gulam & concupiſcentiæ incentiua reſtinguas, & aliquid ei impendas vt eius neceſſitati ſubuenias, aut petulans ſit & rebellis, aut inepta q̃ animæ ſubſeruiat & inutilis. Hinc doctor egregius dicit: *Scio mãducare & penuriam pati*: manducare nouit & eſurire, *inquit Greg.* qui & corpus moderate reficit, & ad immoderatam ciborũ perceptionẽ, ſuggerenti gulæ non conſẽtit: Sic & electi viri ſciũt per diſcretionẽ & neceſſaria ꝓuidere corpori, & gulæ impetum Philip.

petum

petũ ſériẽtes eius deſideri virtus mẽtis obſiſt. re. Nullus n. palmā ſpiritualis certaminis comprehendere poterit, qui non in ſemetipſo prius per carnis abſtinentiā concupiſcentiæ impetū refrenauerit atq; deuicerit: Neque enim ad conflictum ſpiritualis agonis aſſurgitur, *inquit Grego.* ſi non prius intra noſmet ipſos hoſtis poſitus gulæ videlicet appetitus edometur: & incaſſum contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, ſi intra ipſa vrbis mœnia ciuis tumultuetur: & qui ſe paruis proſterni conſpicit, confligere cũ maioribus & acrioribus quomodo poterit? *Si cũ peditibus currens laboraſti,* inquit Iere. *quomodo contendere poteris cum equis?* (Ierem. 12.)

3. Chrysostomus vero ieiunium & abſtinentiam medicinæ comparat, ſic enim ait Medicina eſt ieiunium, medicina eſt & abſtinentia: ſed medicina licet millies vtilis ſit per vtentis imperitiā inutilis fiet: etenim noſſe oportet & tẽpus quo ipſam adhibere opus ſit, & ipſius medicamenti quãtitatem, & corporis temperiem ſuſcipientis, & congruum victum & multa alia, quorum ſi quodlibet prætermiſſum fuerit, reliquis omnibus nocebit. Si autem vbi corporis mederi oportet, tãta nobis opus eſt diligentia: multo magis cum animam curamus & cogitationibus medeamur, omnia ſcrutari cum omni ſedulitate neceſſe eſt. Abſtinentia ſi concupiſcẽtias minuat, fluctus naturæ ſedet, claram faciat mentem, fuget fædas intemperantias nocturnas, magno cum fructu aſſumitur. Sed qui propter peccatum aut in peccato ieiunat, quid amplius facit quã ſi in luto lotus voluteturr? abſtine & ieiuna quia peccaſti, abſtine & ieiuna vt non pecces, ieiuna vt accipias, ieiuna vt permaneant quæ accepiſti.

4. Noli igitur putare ieiunium ſufficere & animam ſuam affligere atq; fraudare: vt enim qui eleemoſynam dat, non vt reficiat viſcera indigentis, ſed vt careat tædio interpellantis, & panem perdit & meritum, *inquit Auguſt.* quia hilarem datorem qui ex animo dat, diligit Deus, Ita dum quempiam audis ieiunantem bis in ſabbatho cum Phariſæo, noli cito laudare ſi non vis errare. Quære cauſam, negotium ventris ſæpe agitur, non religionis, quare abſtinet? quare ieiunat? forte ne ventrem præoccupent vilia & nõ poſſit admittere pretioſa, ſicut cum inuitatur ad cœnam opimam, vbi multa, & pretioſa ponenda ſunt, non prandet, ſed ad veſperam vſque abſtinet, gula eſt huiuſmodi abſtinentia, nõ virtus laudanda. Magna eſt abſtinentia & laude digna abſtinere ab illicitis voluptatibus ſeculi quibus miſere paſcitur & reficitur infœlix anima, neque abſque mercede erit talis abſtinentia, ei enim retribuetur vita æterna, tranſacta hac vita. *hac Auguſtin.* Sed quis operarius in labore perdurat donec mercedem percipiat, niſi qui paſcitur cum laborat & operatur? Nonne & tu operario tuo non ſolum mercedem daturus es, ſed etiam illi adfers vnde vires reparet in labore? paſcis enim cui mercedem daturus es, alioquin in labore deficit & ad mercedem peruenire non poterit Sic & Dominus ſuos laborantes paſcit & reficit diuinæ legis dulcedine, ne in labore deficiant. *ſic Auguſtinus.* (Hæc Auguſt. ſer. 55 & 56. de tem.)

5. Quid permanet in homine niſi quod quiſque aut legendo, aut orando, aut, bona opera faciendo pro animæ ſalute in theſauro conſcientiæ ſuæ recondiderit? Infœlix enim voluptas, infœlicior cupiditas atque luxuria per tranſitoriam dulcedinem præparant ſempiternam amaritudinem. Abſtinentia vero, vigiliæ, orationes atque ieiunia, per breuiſſimas anguſtias perducunt ad paradiſi delicias: quia non mentitur veritas quæ dicit, *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam.* (Matth. 7.) Nam ſicut tempore meſſium vel vendemiarum, vnde caro poſſit ſuſtentari colligitur, Ita tempore orationis & abſtinentiæ quaſi in ſpirituali vindemiarũ vel meſſium tempore, vnde anima noſtra in æternum poſſit viuere, congregatur: quia ſicut negligens quiſque ſi oportuno tempore nihil colligerit, per totum anni ſpatium fame to-

quebitur, ita qui hoc tẽpore ſpiritale triticum & cæleſte muſtũ ieiunando, legẽdo, orãdo in horreis animæ ſuę prouidere & congregare neglexerit, in æternũ durisſimã ſitim & crudelem inopiã ſuſtinebit. Certo enim ſcire oportet, quia qualis eſt caro quæ poſt multos dies percipit cibũ, talis eſt anima quę aſſidue nõ paſcitur verbo Dei. Et quomodo caro per famẽ & inopiã tenuis & ſicca velut quoddam ſimulachrũ efficitur, ita & anima ſi verbi Dei cibo non paſcitur, arida & inutilis & ad nullum opus bonum congrua inuenitur. Quod ſi horrea & cellaria noſtra annis ſingulis replemus, vnde vno anno cibum habeat caro noſtra, putas quantum debemus recõdere, vnde in æternũ ſuſtentetur anima noſtra? plus ergo de cibo cordis quam corporis cogitemus.

III. Sobrietas pietatem colenti neceſſaria.

1. TEMPERANTIÆ quinq; ſunt ſpecies, *Abſtinentia* quæ circa cibum verſatur, dũ iuxta præſcriptum rectæ rationis eum ſumit, quantum, quando & vbi oportet. *Sobrietas* quæ in potu menſurã ſeruat *Pudicitia* quæ eſt circa oſcula, amplexus, mollia verba, laſciua carmina, impudicos aſpectus, & ſimilia: ea enim niſi ſtatim reprimantur animum ſuis blanditiis pertrahunt ad ſcelus. *Caſtitas* quæ in veneris vſu propagandæ prolis gratia per legitimum matrimonium debito tempore & loco moderatur tactus naturalẽ delectationem ipſam venerem conſequentem. Quinta ſpecies eſt *virginitas*, quæ ad animi & corporis integritatem conſtanti propoſito ſeruandam, hominem dirigit, quo cœleſtium mundiciem puritatemq; imitetur, & illis animi ſynceritate carnaliumque voluptatum abdicatione pro viribus aſſimiletur. Eſt enim hæc virtus Temperantia tota nitida & purum reddens animum omnibus virtutum officiis peragendis haud aliter aptum, atque aer caligine & nebulis vacuus ad lucidiſſimũ ſolis fulgorem recipiendum eſt idoneus. Porro cũ hi duo ſenſus Tactus & Guſtus abiectiſſimi ſint, & nobis cũ brutis omnibus communes, intemperantia quæ circa horum ſenſuum voluptates exuperat, hominem reddit pecoribus perſimilem, cũque ita immundum efficit, ac mentis aciẽ offuſcat, vt ad ſua officia agenda nihilo magis ſit accommodus, quam ſordidus & turbulentus amnis ad puram vultus effigiem referendam, aut aer caliginoſus ad ſolis claritatem recipiendam. Intemperãtiæ quatuor ſunt ſpecies. *Gaſtrimargia* ſiue voracitas, quæ circa cibum verſatur, & omnia cibaria quaſi vorare velle videtur: *Ebrietas* circa potum ſeu Ebrioſitas: *Impudicitia* & *libido*. Præcipue autem verſatur temperantia circa voluptates tactus & guſtus quas temperat: quanquam & ad alias transferri poſſit.

2. SIC comedas, inquit *Hiero.* vt ſtatim poſt cibum legere & pſallere poſſis. Caue autem ne ſi ieiunare aut abſtinere cœperis, putes iam eſſe ſanctum: hæc enim virtus adiumentum eſt non perfectio ſanctitatis. Tunc præclara eſt abſtinentia cum eſt animus ieiunus à vitiis: Idcirco enim à variis ciborum deſideriis mentem retraxerunt Sancti, vt totam eius vim occuparent in cupiditate virtutum. Non enim caſtitati tantummodo ſed omnibus omnino virtutibus abſtinentia opitulatur, quantoque animus nihil ex voluptatibus cũcupiſcit, tanto poteſt cogitare de virtutibus potius. Quod ſi quis exiſtimet & abundantia ciborum potionumque ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ, hoc eſt, & verſari in deliciis & deliciarum vitiis non teneri, ſe ipſum decipit, inquit Hierony Cum enim procul ab his remoti ſæpe capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea cupere quorum copiam non habemus, quanto magis ſi circundati retibus voluptatum, eſſe nos liberos arbitremur? Senſus noſter illud cogitat quod videt, audit, & guſtat, & ad eius rei trahitur appetitum cuius capitur voluptate. Difficile eſt imo impoſsibile deliciis & voluptatibus affluentes non ea cogitare quæ gerimus: fruſtraque quidam ſimulant ſalua pudicitia & integritate mentis ſe abluti vo-

ti voluptatibus, cum contra naturam sit copiis voluptatum sine voluptate perfrui: cum apostolus dicat *Quæ autem in deliciis est vidua, viuens mortua est.* Si igitur vis bene sanus esse, melius est saginare animam spiritualibus epulis, quam corpus corporeis cibis, teste Paulo qui ait, *Optimum est gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Nam & ipsam naturam si consulamus, ea enunciabit nos multo pollentioris mentis, & viuacioris esse cordis, ante cibum & potum, quam cum ventrem iis senseris distentum.

1 Tim. 5.

Hebr. 13.

3. ABSTINEO à carnibus, inquit *Bernar.* ne dum nimis nutrio carnem, simul & carnis nutriam vitia: Panem quoque ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat, & ne improperet etiã mihi propheta, quia panem meum comederim in saturitate. Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distentio sane ventris vsque ad titillationẽ pertingat libidinis. Et quia multa commisimus illicita, etiam à licitis abstineamus, quo illa nobis condonentur. Quod si sola gula peccauit, sola quoque ieiunet & abstineat, & sufficit: Si vero peccauerũt & membra cætera, cur non ieiunent & ipsa? abstineat oculus ab omni petulantia & curiosis aspectibus, quibus deprædatus est animam dum male liber vagabatur in culpa: Abstineat auris nequiter pruriens, à fabulis & rumoribus, & quæcumque otiosa sunt & ad salutem minime pertinentia: & multo magis abstineat ipsa anima à vitiis & voluntate sua. Et sane nouerimus, *inquit Bernardus,* quadragesimam nostram non solum quadraginta dies habere, errant qui paucissimos istos dies ad pœnitentiam sufficere credũt, cum certum sit totum vitæ huius tempus non nisi ad pœnitentiam institutum, veruntamen præsenti quadragesima maiore nobis est feruore assumendum pœnitentiæ tempus, vt si forte diebus cæteris studia aliquatenus intepuerant, diguum est nunc in feruore recalescant.

Bernar. ser. 66. in cant.

Bernar. ser. 3. de ieiunio quadra.

Bonum ergo & salutare ieiunium quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata: Et non solum obtinet remissionẽ eorũ quæ cõmisimus, sed etiã gratiã impetrat pro futuris cauendis, quę committere quia posset, vnusquisque quod à suo magistro didicit hoc in medium adfert. Galenus corporis bonam valetudinem prædicat, Epicurus voluptatem, Christus magister meus monet & docet *inquit Bernar.* Qui amat animam suam perdet eam: perdet inquam, siue ponendo vt martyr, siue affligendo vt pœnitens dum spiritu facta carnis mortificat.

4. NON sola qualitas, sed & quantitas escarum obscurat & hebetat aciem mentis, quæ cibo potuque grauata non valet moderate tenere gubernationem atque iudicium discretionis, succẽditq; orexim vitiorum fomitem quia venter quibuscũque cibis repletus seminaria parit luxuriæ, *inquit Cassianus:* Eam ob causam Dominus reprehẽdit Ierusalem per Ezechielem cum ait, *Quid peccauit soror tua Sodoma, nisi quia panem suum in saturitate & abundantia comedebat:* & quia per saturitatem panis accensi fuerunt ardore carnis, iusto Dei iudicio concremati sunt igne inextinguibili. Itaque quamuis vniformis abstinentiæ modus non possit obseruari in omnibus, vnus enim quantitate duarũ librarum non saturatur, alius vero grauatur manducatione vnius libræ, Tamen omnibus debet esse vnus abstinentiæ & sobrietatis finis, videlicet ne quis oneretur ingluuie saturitatis. Et facilius ii inueniuntur qui penitus ab opulentioribus cibis abstinẽt, quorũ vsus pro naturæ necessitate cõceditur moderatus, quam qui eos sumendo suo occasione infirmitatis, mensuram iustam tenuerunt sobrietatis & temperantiæ. Nã quamuis perfectio temperãtiæ, & mensura eius non sit colligẽda aut accipiẽda ex sola tẽporis diuturnitate, neq; escarũ qualitate duntaxat, sed ex discretorationis iudicio vt tãtũ sumat quãtũ naturæ necessitas postulat, & se vlterius tem-

Lib. 5. E. G. 1.

rius temperet, ne carnis curam faciat in desideriis, tamen ægriusquisque sese dum adhuc cibum appetit ab eo se cohibet gustato quam non gustato. Quinimo dum etiam canonica ieiuniorum institutio velut multum vtilis obseruatur, nisi eam téperantia ciborum fuerit subsequuta non poterit quis vnquam ad sobrietatis apicē peruenire, longorum quippe ieiuniorum afflictio, quam sequitur ventris saturitas, corpus quidem fatigat, sed mentem non purificat, quia non potest peruenire ad téperantiæ puritatem qui tenere non satagit iugem æqualitatē. Imo & ipsa ieiunia quantumuis districte obseruata suo fructu euacuantur quādo tempore refectionis in gulæ vitium dilabuntur. Inprimis igitur imponat quisque sibi obseruantiam istam, vt nequāquam de cibo aut potu aliquid accipiat vlla delectatione deuictus, præsertim extra tempus & locū refectionis. qui enim in minimis cupiditatibus & manifestis superatur, vehementiores & occultas quomodo superabit? quamobrē non solum abstinēdum à lautioribus epulis, sed etiam saturitas panis & aquæ vitanda, *inquit Cassia.* nec ante edēdum quā fames imperet quæ etiam siligineum panem delicatum efficiet.

3. IMPORTVNVS creditor venter est, poscit, appellat: non est tamen si naturam spectes vsque adeo molestus, quia natura paucis minimisque contenta est, si modo des illi quantum bonæ valetudini satis est, vt cibus famem sedet, potio sitim extinguat. Qui se ad id quod natura exigit, composuit, non tantum extra sensum est paupertatis, sed etiam extra metum, quia natura paucis minimisque contenta est, eaq; nullo nomine melius de nobis meruit. quam quia quicquid ex necessitate desiderat, & paruo comparetur & sine fastidio sumatur. Paulus Eremita, *vt testatur Hiero.* describens eius vitam, à 16. ætatis suæ anno vsque ad sexagesimum palmæ fructibus vixit, deinde vsq; ad 113. quo terris relictis ad cælum migrauit, dimidiati panis fragmentum quotidie corvo deferente acceptauit. Multa quam superuacua sint non intelligimus, nisi cum deesse cœperunt: vtebamur illis non quia debebamus, sed quia habebamus. Inter causas nostrorū malorum est quod viuimus, nō ad naturę necessitatē, sed ad luxū. nec ratione componimur, sed cupiditate abducimur. Neque modus vtriusq; idem est, quod enim naturæ satis est, hoc cupiditati & luxuriæ parū est, quæ quærit quēadmodum post saturitatem quoque esuriat, quemadmodū sitim in prima potione sedatam reuocet, & cum multa absumat, plura desiderat, quod est argumentū nondū satis illā habere: quisquis habet côtentus est, quod intéperantibus nûquā cōtingit. Quanto satius est sobrietatis sequi regulam, vt ea tantum desideremus quæ naturæ exigit necessitas: quod assequi poterimus si voluptati frænum iniecerimus: Moderatur autem voluptati, non qui penitus abstinet, sed qui hoc modo vtitur vt non abripiatur cum ipsa, vt naui & equo moderatur, non qui non vtitur, sed qui quo libuerit ducit: Sic hic non eminus decertandum, sed vigore animi & moderato vsu, dum sic voluptatibus imperat in edendo & bibendo, & ad sanum modum reuocat, vt nūquam ad illas propter ipsas veniat, sed omnib. modis quēadmodum languor à corpore, imperitia ab animo, à ciuitate seditio, discordia à domo fuganda, ita à ventre fugat illicitam voluptatem, honestam admittens, eaque sobrie vtens.

1. NON est *regnum Dei esca & potus* inquit Paul. *sed iustitia, & pax & gaudium*: & quia solent homines multum gaudere de carnalibus epulis, addidit, *in spiritu sancto* Iustitia vero nec in abstinēdo est nec in manducando, *inquit Aug.* sed in æquanimitate tolerādi inopiam, & in temperantia sumendi ea, quorum non vsus, sed concupiscentia est reprehendenda. Non enim interest omnino quid alimentorum sumas, neque quātum sumas, vt succurras necessitati corporis, cum videamus

IV. De intemperātia cibi potusque cohibenda. Rom. 14. Aug. lib. 2. ca. 11. quæstio. Euange.

deamus aliorum ſtomachum citius ſatiari, & eos tamen illi ipſi paruo quo ſatiantur, ardenter & omnino turpiter inhiare: Alios autem pluſculo ſatiari, ſed vel ante ora poſitas epulas cum tranquillitate ſumere. Itaque cibus & potus eſt moderandus ſecundũ quod conducit corporis valetudini, & ſubſeruit naturæ neceſſitati: Quo fit vt non ſit idem modus omnibus præſcribēdus, qui enim moderatus eſt ſano, ſuperfluus eſt infirmo. Et in eo, quod quis appetat ea quæ naturę neceſſitas exigit, non peccat niſi fortaſſis modum excedat: ſed circa ea quę adiuuenit aut cupiditas aut curioſitas hominum, peccatur plurimum *inquit Tho.* vt facile contingit iis qui aut curioſius ſe ornant, quod vitiũ mulieribus familiare, aut delicate magis quam conuenit cibos præparari curant: quæ cuncta, non niſi cupiditatis ſunt irritamenta: Et in eo proprie conſiſtit vitium gulæ quod quis propter voluptatē cibum ſumat & modum non ſeruet: ſi vero menſuram in edendo excedat, non propter cibi delectationem, ſed quia putat id ſibi neceſſarium ad vitæ ſeu naturæ ſuſtentationem, potius inſcitia quam gula dicenda eſt.

S. Tho. 2. 2. q. 142. a. 2.

2. ESTQVE admodum difficile diſcernere quid neceſſitas petat, & quid voluptatis concupiſcētia ſuppetat. De quo *ſic Aug.* Hoc me docuiſti Deus meus vt quēadmodum medicamenta ſic alimenta ſumpturus accedam, quibus quotidianas ruinas edendo & bibendo corporis reficiam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ: ipſe enim tranſitus voluptas eſt & nō eſt alius qua tranſeatur quam quo tranſire cogit neceſſitas, & cum ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adiungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico vel volo: nec idem modus vtriuſque eſt, nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. & ſæpe incertum fit, vtrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infœlix anima, & in eo præparat excuſationis patrocinium, gaudens non apparere quid ſatis ſit moderationi valetudinis, vt obtentu ſalutis obumbret negotiũ voluptatis. His tentationibus quotidie conor reſiſtere in ieiuniis quibus in ſeruitutem corpus redigo, quia audio vocem iubentis Dei mei, *poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluptate tua auertere.* Hæc Aug. Quotidiano enim experimēto probatur, *teſte Leone* potus ſatietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorē cordis hebetari, vt delectatio edēdi etiā corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri ſubtrahatur voluptati. Sin autem à corporeis cupiditatibus mens nō fuerit libera, diuinæ non poterit vacare ſapientiæ, vt in meditationibus ſanctis & in deliciis lętetur æternis. Quod quanquā in hac vita difficile ſit continuari, poteſt tamen frequēter adſumi, vt ſępius ac diutius ſpiritualibus potius quā carnalibus occupemur & reficiamur oblectamentis.

Aug. 10. confeſ. c. 31.

Eccl. 18.

S. Leo ſer. 8. de Ieiun.

3. QVIS in ſplendidis epulis perpetuiſque deliciis particeps factus eſt vllius doni ſpiritualis? *inquit Baſilius* An ignoras quod perinde atque in acie hinc atq; hinc inſtructa ad conflictum, qui alteri parti fert ſuppetias, facit vt altera vincatur? Ita qui carni ſeſe adiungit, expugnat ſpiritũ, & qui ſtat à ſpiritu, carnem in ſeruitutem redigit. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: proinde ſi mentem cupis reddere validam, fac carnem domes ieiunio. Hoc enim eſt quod *ait Apoſt.* quod quantum externus homo corrumpitur, tantum internus renouatur. An ignoras quod immoderata expletione tibi ipſi dum pinguem paras ventrem, conſcientiæ præpares carnificē ac diſcruciatorem vermem? Siquidem è copioſiore paſtu ceu fumoſi quidam vapores exhalantur, qui lucem ſancti Spiritus in hominis mentem irradiantem, quaſi denſa nubes interueniens, interci-

Baſil. Hom. 1. de laud. Ieiunii.

intercipiunt: & fumus quidem abigit apes, dona vero spiritalia fugat luxus. *Hæc ille.* Idem ad illa verba, *væ qui consurgitis mane ad sectandam ebrietatem*: Qui omnem animi curam impendunt, *inquit*, ad compotationes & conuiuia, tales lugubri comploratione prosequitur propheta, quandoquidem per præsentem hilaritatem sibi comparant supplicium æternum, & quasi vinum natiuo suo calore non sufficiat ad excitandum in infœlici anima bibuli immensum agmen concupiscentiarum, insuper omnes sensus præstigiis voluptatum detinentur: & aures quidem cytharis, tibiis, & musico cōcentu demulcentur: olfactus odoramentis, vnguentis, floribus, thymiamatis cōpletur, visus tapetiis versicoloribus oblectando se pascit: phialas, crateres, cornuta vitra, & figuras varias, adde & obscenas, suscitandæ ebrietati excogitant, & subalterna mutatione sibi inuicem propinantes ad subeundem certamen bibendi se componunt, & non solum totos hoc modo insumunt dies, sed maxime etiam noctu non se finunt auelli a compotationibus, quasi nox priuato quodam iure ad noctem pertineat: qua fit interim vt inexplebili prouocentur bibendi libidine, & sic tempus floridæ ætatis per flagitia traducunt, vt opera Domini non considerēt, sed in profundam Dei obliuionem paulatim incidant: est enim ebrietas origo totius impietatis & desertionis Dei, cū sit intellectiuæ partis obtenebratio, per quā maxime solet Deus agnosci.

Basil. in c. 5. Isa.

4. CVM VERO *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur*, qui opera Dei externa non suspicit nec inuestigat, quomodo ad cognitionem inuisibilium oculum mentis eleuare poterit? Eræs quidem visibiles intuitu oculorum assequimur, contemplationem autem inuisibiliū quæ fit nuda mente, non nisi ea pura fuerit consequemur vnquam. Quo fit vt qui explendæ ebrietatis studio altius demerserunt suæ mentis aciem, nec hæc opera Dei externa possunt considerare; nec qui se maneant cruciatus præuidere: quæ flamma siccitate torrida in linguam istam meribibulam grassabitur, non sinens per aeris respirationem vllo refrigerio recreari æstum illum in viscera desæuiētem, sed misere torrebitur & torquebitur in furno camini infernalis, vt diues ille epulo, suo declarat exemplo, Torqueor, *inquit*, in hac flamma. Ideo non abs re scriptura hos lamentis prosequitur, quasi hisce malis iam opprimerētur, væ, *inquit*, qui cum cytharis, & tibiis bibunt. Timore igitur impendentium malorum flagitiosam hāc vitæ consuetudinem permutet in melius qui scripturis fidem adhibet, hactenus Basilius. Luc. 16.

5. IDEM in admonitione ad filium spiritualem: sicut miles, *inquit* plurimo onere prægrauatus præpeditur, ita monachus ad vigilias cum escarum largitate torpescit. Non enim possumus vigilare cū fuerit dapibus venter noster onustus, sed oppressi somno vigiliarum fructus amittimus, & maximum detrimentum cum animæ tum corporis acquirimus. Et corporis quidem nam cum stomachus nimium & varium cibū difficilius concoquat, paucum autem cibum facile in sui naturam conuertat, fit vt ex hac difficili concoctione & vires ventriculi debilitentur, atque abundans sanguis eliquetur, & coleræ ac aliorum morborum ægritudines gignantur. Ne igitur nos quod ad medelam corporis tributum est, ad perniciem deputemus, nō quantum gula exigit, sed quantum naturæ necessitas postulat, sumere assuescamus, quia perquirere ea nō quæ ad necessariū vsum spectant sed quæ ad perniciosam voluptatem excogitantur, vt facere solent ii qui cocos exquirūt, & delicata quæque terra mariq; perscrutantur, vt ventri suo tanquam cuidam tyranno tributum suum exoluant, non solum turpe & molestum est, verum ingens etiam secum detrimentum adfert. Nam cū corporis voluptatibus beatitudinem nostram metimur, animum à caritate & meditatione Dei abducimus, quem per ipsorum

ſorum eduliorum naturæ conſiderationem paſcere debemus, in ipſius enim mẽtis actionibus omnes conſumendæ ſunt horæ, à quibus ne quidem cum edimus vacare decet *inquit Baſili.* Nam id eſt ad quod Paulus nos adhortatur cum ait, *Siue manducatis, ſiue bibitis ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Baſil. orat. 16. de ingluuie, & ebriet.

6. ANIMA quoque ingens detrimentum ſuſtinet qui per ciborũm auiditatem nimia eſca ſe replet, quia ex nimio alimẽto euaporationes quædam fuliginoſæ, denſæ nubis inſtar, efferuntur, quæ eas illuminationes, quæ à ſpiritu ſancto in mẽtem manant, dirimunt ac intercipiunt. Et inſuper, *qui delicate ſuum enutrit ſeruum, ſentit eum contumacem* inquit Sapiens. Nam quemadmodum auriga ſi equorum frena laxauerit, rapidiſſimo curſu cum eo in præcipitia deferuntur, ita & anima ſi corpori ſuo non impoſuerit frenum ſobrietatis & continentiæ, non ſolum bellum aduerſus ſpiritum caro exercebit, verum etiam vterque ad inferni præcipitia deuoluetur. Nam vt Eccle. ait *Propter crapulam multi perierunt.*

Prou. 29.

Eccleſ. 38.

7. MERITO igitur lex Dei, vſu vini & ſiceræ interdicit ſacerdotibus mox ingreſſuris Sancta: pariter & Nazaræis, Si quando enim plus vini homo biberit, quaſi tyrannus quiſpiam feſtino curſu contendit ad arcem mentis, & excitat tumultus irrequieros, riſus ciet plane indecoros, effrenes concupiſcentias exſuſcitat linguam tumultuantem & garrulam efficit, menti omnem prudentiam eripit. His igitur de cauſis nedum ſacerdotes, quorum fidei concredita eſt hominum cura, ſed etiam magnates quibus Reip. moderatio eſt commiſſa, à vino ſibi temperent, *inquit Baſil.* quod tantam noxam præcipuæ eorum facultati, rationi nimirũ ipſi adfert, vt ſapiẽtiam omnium rectricẽ imbecillem reddat & imminuat. Illorum eſt cibis & potibus indulgere qui nihil poſt mortem ſperant, *inquit Ambroſi.* qui dicunt vrgentes ſolent, Manducemus & bibamus cras enim moriemur: ne ſaltem amittamus fructum præſentium, ſi futurorum bonorum ſpem nullam habeamus. Sic loquuntur Epicurei: quo demonſtrẽt corpore ſe tantum, non mente viuere, qui cum corporis interitu, etiam animę vigorẽ ac virtutum merita perire exiſtimant. Sed ne talibus labamur opinionibus nos monet Pau. cum ait, *Nolite ſeduci, corrumpunt mores bonos colloquia praua.* Non immoderatę epulæ *inquit Ambro.* non ciborum abundantia, non potationes, aliaque huiuſmodi, ſuauem faciunt vitam, ſed ſobria & religioſa collocutio vt diuinę ſcripturæ humeſcamus alloquio, & quaſi ros ſic in nos verba Dei deſcendant Deum in conſortia incidimus intemperantium, in ſcopulos impingimus, quia ſub ſpecie iucunditatis venenum infundunt cupiditatis. Hi ſi aſſidui ſunt & maxime in conuiuio, ludo & ioco, eneruant grauitatem illam virilem. Caueamus ne dum animum relaxare volumus, ſoluamus omnem harmoniam quaſi concentum quendam bonorum operum, vſus enim cito inflectit naturam *Hæc Ambro.*

Leuit. 10.

Num. 6.

Baſil. in 5. c. Iſa.

Ambr. Epiſt. 82.

Amb. 1. offic. c. 20.

8. DISCE gaudere; qui ſcit quo gaudere debeat, gaudium & fœlicitatem ſuam non in conuiuiis, non in vino, non in ſocietate, non in honoribus, non in diuitiis reponit, quia hæc oblectamenta & breuia ſunt & fallacia, ſicut ebrietas quæ vnius horæ hilarem inſaniam longi temporis tœdio compenſat. Gaudium verum non naſcitur niſi ex virtutum conſcientia, ex honeſtis actionibus, ex placido vitæ curſu, ex viuificante Dei ſpiritu. Mihi crede res ſeuera eſt verum gaudium. Quid ergo ſtulti & mali non gaudent? Dicunt enim, Magnum percepimus gaudium, magnam voluptatem ex iſta ſocietate, ex iſto quod optimum fuit vino omnes exhilarati fuimus. Hęc quibus delectatur vulgus tenuem habent & perfunctoriam voluptatem, quæ nec pectus replet, nec animum ſatiat, ac niſi magna moderatione temperetur in pœnitendum abitura eſt dolorem. Neque exiſtimes illum gaudere qui ridet: animus debet eſſe fidẽs & ſuper

omnia erectus vt solido fruaris gaudio, hoc tibi nunquam deesse volo, ideo te à vanis voluptatibus & inepta lætitia iuxta scripturam abstractum cupio. Memento scriptum esse à sapiente, *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis?* Nam illi qui ex rebus gaudent externis, quomodo quicquam certum mansurumue habere possunt suspensi & vagi, cũ eorum more qui fluminibus innatãt non eant sed ferantur? ex quibus alios leuior vnda detinuit ac mollius vexit, alios vehementior rapuit, alios rapidus ac torrens impetus in mare deiecit. Ecclef. 8.

9. VBI SVNT gaudia vestra quibus in epulis ac potationib. exultastis? Nõ dico, *inquit Aug.* vbi erũt in die mortis vestræ, sed vbi iam sunt? euanuerunt & animum tuum inanem reliquerunt, imo non inanem reliquerunt neque vacuum, sed variis cupiditatibus & peccatis oppletum. Si gaudio vero, veraque voluptate frui velis, fac simul vt anima pascatur cum corpore, & illa quidem voluptatem suam capiat ex cibo spirituali, eamque maiorem quã corpus ex esca corporali. Quod fiet eo modo si frenum quoddam gulæ inter edendum inicias, ne super cibum instar canis irruas, sed cibum velut medicamentum sub certa mensura sumere discas, & maxime sub prandii initium edẽdi appetitum refrænes, quippe qui tunc maxime ferueat, facileque excedat aut nimium aut festinãtius edendo: quo corporis ita tuearis valetudinem, ne tamen spiritui sit impedimento: Cum vero cibo aut potu nimium se quis prægrauauerit, sæpe numero totum diei reliquum tempus misere perit, maxime in iis studiis & operibus quæ ad spiritum pertinent, dum & gratiam hoc modo etiam quam habebat perdat, & quam adipisci poterat ægrius recuperet: quo fit vt spiritus hinc langueat, & cibus spiritalis ei minus quam oportet sapiat. Ideo inter edendum cor sæpius ad Deum leuandum, ab eoque petenda ea cognitio & virtus qua & sciat & possit in edendo & bibendo quandam seruare mediocritatem. Quod si subinde faceremus multo nos hac in parte infusione sui spiritus melius edoceret ac institueret creator Deus, quam possint vel codices vel doctores omnes. Adde ad hæc gratiarum actionem vt cibum tanquam cœlitus à Deo tibi missum sumas, qui ista tibi subministrat, quorum causa perplures in mundo grauissimos tolerant labores, quo miserum corporis obtineant victum, quem tamen vix obtinent.

10. PASCITVR animus, pascitur & corpus, habet enim & anima sua alimenta, cuius esca est scientia, quia nulla re alia viuit aut alitur anima, *inquit Aug.* quã rerum sciẽtia, verbigratia tempore prandii vix aduertis quo cibo pascaris aut quo vasculo vtaris; & hoc quod alia nescio quæ cogites, vbi igitur eo tempore est animus tuus, inde mihi crede & talibus epulis, hoc est, cogitationibus, pascitur animus, vnde hominum doctissimorũ animi multo sunt quam imperitorũ pleniores atque maiores: quorum enim animi nullis disciplinis eruditi sunt, nihilq; bonarum artium hauserunt, ieiuni & quasi famelici sunt, pleni quidem sunt sed vitiis atque nequitiis: Et ista ipsa est sterilitas & animorũ fames magna. Nã quẽadmodum corpus detracto cibo plerumque morbis atque scabie repletur, quæ in eo vitia famem indicant, ita & illorum animi pleni sunt morbis, quibus sua ieiunia confitentur. Si animi imperitorum etiam ipsi pleni sunt, vt corporum, ita animorum duo inueniuntur alimentorum genera, vnum salubre atq; vtile, alterũ morbidum atque pestiferum: Et non solum cibo, sed etiã cibi sapore indiget infirmitas nostra, non propter exaturandam libidinem aut voluptatem, quæ escis immiscetur, sed propter tuendam salutem, edi quia si suauia non sunt quæ sumuntur, edi non possunt. Sed discernere & nosse debemus quid necessitas refectionis, quid libido edacitatis exposcat, si natura supplementa quæ desunt, poscat, fames est aut sitis: Aug. to. 1. lib. de vita beata.

cum

cum vero ſuppleta neceſſitate amor edendi animum ſollicitat, tam libido eſt, quæ non edendo ſed continendo frenanda eſt ne ſuis libidinoſis delectationibus obnubilet ſerenitatem mentis, inficiatque ſuauitatem ſpiritus.

Aug. li. 10. ca. 31. confeſſ.

11. IN HIS tentationibus poſitus certo quotidie aduerſus concupiſcentiam mãducandi, & bibendi, *inquit Aug.* non enim eſt quod ſemel præcidere & vlterius non attingere decernam, ſicut de concubitu potui, ſed freni gutturis temperatã relaxatione & conſtrictione tenendi ſunt. Et quis eſt Domine qui non rapiatur aliquãtulum extra metas neceſſitatis? Quiſquis eſt, magnus eſt, ſed ego non ſum, quia peccator ſum, *hæc Aug.* Et ſæpe contingit teſte *Gregorio.* dum incaute neceſſitatem ſupplemus quod voluptati ſeruiamus, & dum carni quaſi noſtræ coadiutrici ſubuenimus hoſtem, hoc eſt, cupiditatem nutriamus: Et è diuerſo dũ hoſtem perſequimur & voluptatem extinguere nitimur, carnem debilitemus, vt in ſuo miniſterio nobis minus ſit vſui. Ita fluctuat homo inter periculum voluptatis & experimentum ſalubritatis, & in his peccat, dum aut ipſam voluptatem immoderatius, cauens errat nimia ſeueritate, aut ſibi indulgens voluptati ſeruit, non neceſſitati, peccat inquam etiam non ſentiens ſed poſtea ſentit, minimum hoc quidem, ſed qui minima ſpernit paulatim decidit. Quanto eſſet fœlicius *inquit Aug.* ſi ſine vlla ſaporis illecebroſa ſuauitate cibũ perciperemus & potum, quo tantam moleſtiam pugnãdi cõtra cõcupiſcentiã pelleremus, ſicut ſumimus hæc aeria quæ de circumfuſis auris reſpirando ſorbemus, Quod aeris alimentum cum ore ac naribus ſine ceſſatione ſumamus, nec ſapit nec olet quicquam nec tamen ſine illo vel minimo temporis ſpatio viuere poſſumus: Sic enim ea ſola voluptas integra & illibata facilius ſeruaretur, qua delectantur & aluntur corda ſapientum in meditatione ſapientię Dei, ſi ſine conflictatione carnis contra ſpiritum & ſpiritus contra carnem, pacem ſeruaret internam. Nam & in primo ſtatu primorum parentum noſtrorum, quanquam voluptas fuerit immixta in edendo & bibendo, eiuſmodi tamen fuit, vt omnimode rationali ſubdita voluntati, non alias adeſſet niſi cum per illam aut ſaluti eſſet corporis vel ſtirpis propagini conſulendũ, & tanta adeſſet vt nulla ex parte mentem de ſupernarum cogitationum delectatione deponeret aut deturbaret, nihilque fieret propter illam.

12. Hoc itaque noſtrum eſt primum certamen quo contra carnem ſpiritu pugnamus, ieiunando & alimenta, etiam neceſſaria parcius ſumendo, concupiſcẽtiam gulæ extinguere, vt nõ ſolum ſuperfluus cibus non appetatur, ſed etiam neceſſarius non niſi pia diſcretione ſumatur: Quanquam hæc veſcendi atque bibendi tolerabilis ſit voluptas, per quam non niſi quod ſaluti conducibile eſt agimus: tolerabilis eſt, inquam, quia vis eius tanta non eſt, vt nos à cogitationibus ad ſapiẽtiam pertinentibus, ſi in eis ſumus mentis delectatione ſuſpenſi, abrumpat & deijciat: nam ſępe de magnis rebus inter epulas non ſolum cogitamus, verumetiam diſputamus, atque inter ipſos ciborum morſus nihil remiſſius audiendo dicendoque colloquimur. Illa vero concupiſcentia nuptiarum etiam quando bona intentione, id eſt, cauſa propagandæ prolis, acceditur, tamen in ipſo opere ſuo, quẽ permittit aliquid non dico ſapientiæ ſed cuiuslibet rei aliud cogitare? Nonne illi totus animus & corpus impenditur & ipſius mentis quadam ſubmerſione illud extremum eius impletus? Cum vero vincit etiam coniugatus, vt non propagationis, ſed delectationis carnalis cupiditate miſceantur, quod *Apoſtolus* 1. *Cor.* 7. ſecundum veniam indulget, ita hinc emergitur & quaſi in auram cogitationis poſt illum gurgitem reſpiratur, vt fiat conſequens, quod verum ait quidam, & pœnitendi quæ eſt cum voluptate vicinitas, hæc Auguſtinus lib. 4. con. Iulia. cap. 14.

13. Ne gulæ laxes habenas, ſic ſemper comedas, *inquit Hieron.* vt ſemper eſurias quo modo narratur de Rege quodam ſapientiſſimo, quod nunquam ſine appetitu accubuerit, nec vnquam à menſe ſatur ſurrexerit: Ampliſſimas autem & exquiſitas quærere epulas eorum eſt qui animas ad virtutes formare non conſueuerunt, comeſſari vero poſt refectionem neceſſitati congruam, non hominum eſt vt viuãt ſed porcorum vt ſaginentur. Sic cibum ſumas vt poſt refectionem idoneus ſis qui legere pſallere & orare poſſis. Diuerſa & lautiora fercula ne quæſieris, quæ id habent vt licet prioribus ſatiatus fueris, poſt quam ſecunda attigeris nouus edendi cõcitetur appetitus, vt licet varietas faſtidiũ tollat, ventrem tamen onerat & mentem obnubilat. Perfectum ſobrietatis exemplum nobis reliquit Chriſtus, qui ſuos hoſpites excepit aliquoties non lautis ferculis, ſed paucis piſciculis & hordeaceis panibus.

PARS III.

Miſertor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod mãducent. Mar. 8.

Summa Articulorum qui hic explicantur.

I. *Magna miſericordia Dei & multæ miſerationes eius.*

II. *Cur tam ſobrie ſuos hoſpites exceperit Dominus.*

Art. I. De ſumma Dei miſericordia & bonitate. Mar. 8. Bernar, ſerm. 2. De ſeptem miſeri.

MISEREOR *ſuper turbam, quia ecce iã triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducet.* Quis in nobis eſt qui nõ cõfiteri debeat, quoniã miſericordia Dei magna eſt ſuper me. Et de tanta multitudine miſerationem Domini ſeptem ego in me video *inquit Bern.* Prima eſt quod à multis peccatis me adhuc in ſeculo poſitũ cuſtodiuit. Quis enim non videat quod ſicut in multis cecidi, ſic & in alia poteram cecidiſſe peccata, niſi miſerantis Dei pietas me præſeruaſſet? Fateor & fatebor niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minus cecidiſſet in omne peccatum anima mea. Et hæc quanta dignatio pietatis, quod ingratum & paruipendentem ſic gratia cõſeruabat, quod in multis contrarium & contemnentem, nihilominus ab alijs benigniſſime protegebat? Tribus autẽ modis à peccato memini me præſeruatum, *inquit idem,* aut occaſionis ſubtractione, aut reſiſtendi data virtute, aut affectionis ſanitate: à quibuſdam enim tam longe me fecit miſeratio tua Domine, vt penitus abominarer ea, & ne vlla quidem eorum me tentatio moleſtaret. Bernar. ſerm. de fragm.

2. SECVNDA miſeratio fuit pœnæ dilatio, ego peccabã, nec à ſceleribus continebam, *inquit,* & tu à verberibus abſtinebas & indulgentiam cogitabas. Propter hoc enim auertebat oculos ſuos à peccatis meis quaſi nolens aduertere quantum delinquerem, vt commendaret patientiam ſuam, & confirmaret caritatem ſuam, interim concutiens cor meum, & ad pœnitentiam conuertens & excitans, vt aduerteret ſuorum vulnera peccatorum, & vulnerum ſentiret dolorem, & deducens ad portas inferi, ac præparata iniquis ſupplicia monſtrans terrebat. Quid enim prodeſſet expectatio, niſi ſequeretur pœnitudo? Cumulus eſſet damnationis, dicente Domino, *Hæc feciſti & tacui.* Pſal. 49.

3. TERTIA proinde miſeratio fuit quod viſitauit cor meum & immutauit vt amara fierent quæ male dulcia prius erant & inciperem recogitare annos meos in amaritudine animæ meæ, & nunc Domine commouiſti terram cordis mei, ſana contritiones eius, quia commota eſt. QVARTA itaque ſubſequuta eſt miſericordia quod pœnitentem miſericorditer ſuſcepiſti, vt in eorum inuenirer numero de quibus Pſal. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates:* Sic enim ex toto indulſit vt iam non damnet vlciſcendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Sunt aliqui ſic donantes iniuriam vt non vlciſcantur quidẽ, ſæpius tamẽ improperẽt; Sunt & alij qui ſileãt licet maneãt,

tamen

tamen alta mente repostum, & rancorem tenent in animo quorum vtique neutro plena est indulgentia. longe ab his omnibus benignissima est diuinitatis natura quæ plene ignoscit, ita vt vbi abundauit delictum, soleat abundare & gratia.

4. SEQVITVR quinta misericordia, per quã mihi continẽti & emẽdatius deinceps viuenti præstitisti virtutem, ne recidiuũ paterer, & esset nouissimus error peior priore. Omnino enim manifeste tuæ, Domine Deus non humanæ virtutis, susceptum semel peccati iugum à ceruicibus excutere, nec est liberari nisi in manu forti, verum quia non sufficit declinare à malo, sed oportet & facere bonum, sequitur *Sexta* misericordia, gratia promerendi bona cœlestia, quę gratia in tribus consistere videtur, in odio præteritorum malorum, in contemtu præsentium bonorum & in desiderio futurorum. *Septima* misericordia est spes obtinendi promissa bona quæ robur obtinet à caritate adoptionis à varitate promissionis, & potestate redditionis, *hactenus Bernard.*

5. CÆTERVM sicut sunt peccata minima mediocria & magna, sic est misericordia parua, mediocris, & magna. Paruam misericordiam dico, *inquit Bernar.* expectationem, qua non statim punit peccantem sed expectat ad pœnitentiam: Paruam autem non in se sed in comparatione aliarum, alioquin magna plane. Nam peccantem angelum omnino non expectauit, sed præcipitauit: hominem quoque peccantem non distulit sed protinus ex paradiso expulit. Nunc differt 10 20. annis, imo frequenter vsq; ad senium & hæc est gratia crucis Christi. Hinc autem misericordiam Domini qua tardat ferire, aliarum comparatione paruam nominaui, inquit idem quia hæc si sola fuerit nullatenus ad salutem sufficit, imo iudicium damnationis accumulat in ijs qui diuitias bonitatis eius contemnunt, & thesaurizãt sibi iram in die iræ iusti iudicij. Maior est misericordia quæ dat cor pœnitens, & facit ne prima sit infructuosa, danda scilicet pœnitentiam, sine qua expectatio non modo prodest, sed obest multum.

Bernard. de tripli. miseri.

6. ET HÆC quidem in leuibus peccatis potest sufficere, quoniam in his à quibus abstinere non possumus, dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest pœnitentia quotidiana. At in grauioribus & quæ ad mortem sunt, opus est etiam abstinentia & continentia: difficilis prorsus res & soli virtuti diuinæ possibilis, susceptum semel peccati iugum è ceruicibus excutere. Hęc est magna misericordia magnis necessaria peccatoribus: de qua dicitur, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Hæc misericordia immittit amaritudinem, quę dũ mentem occupat hominis, expellit perniciosã peccati delectationem, quæ & subtrahit occasionem nec tentari sinit infirmitatem, quinimo & virtutem quandoq; donat resistendi, quod maius est, vt videlicet tentationem sentiens viriliter agat & non consentiat: quandoq; vero & affectionem sanat, & peccato non solum nõ consentit, sed nec sentit quidem, quia omnis tentatio tollitur, & hoc perfectissimum, *hæc Bernardus.*

7. QVOD grandis sit Dei misericordia scio, *inquit Chrysost.* sed quanta sit nescio, nec comprehendere valeo: nisi in immensum extenderetur, admodum pauci saluarentur. Nisi enim primo per misericordiam parceret Deus, non inueniret quos per iudicium coronaret. Hinc Psalmista, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*: nemo in melius commutatus exhorreat iudicium Dei, *inquit Aug.* in hunc locum, quia præcedit misericordia Dei. Nemo etiam sibi ad impunitatem blandiatur de misericordia Dei, quia est & iudicium. Non igitur blandiamur nobis, neq; dicamus, Semper parcit Deus, Ecce feci heri & pepercit Deus, facio hodie & parcit Deus, faciam & cras quia parcit Deus. Attendis ad misericordiam & non times iudicium. Si vis cantare misericordiam & iudiciũ, intellige quia ideo parcit, vt corrigaris, nõ vt in malignitate permaneas

Chrys. ho. 2. in psal. 50.

August. in ps. 100.

Auguſt. tract. 38. in Ioan.

maneas, ex vtroque homines periclitantur & ſperando & deſperando, inquit idẽ Sperando decipitur qui dicit, Bonus eſt Dominus, faciam quod lubet laxabo habenas cupiditatibus meis, & implebo deſideria animæ meæ. Deſperatione autem periclitantur, qui cum inciderint in grauia peccata, putantes ſibi non poſſe iam ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio iam deſtinatos dicũt apud ſemetipſos, Iam damnandi ſumus, quare non facimus quod volumus? Illis quis ſpe periclitantur ait Dominus, *ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem. ſubito enim venit ira illius, & in tẽpore vindictæ diſperdet te*: illis qui deſperatione periclitantur dicit Ezechiel *In quacunque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor*, vnde rectè *Aug.* Non auderem conuerti niſi ſecurus de remiſſione: non auderem perſeuerare niſi ſecurus de promiſſione. Ideo Pſalmiſta ait, *Miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.* Miſericordia dicitur quia nõ merita noſtra attendit Deus ſed bonitatem ſuam vt peccata nobis omnia dimittat, & vitam æternam promittat, veritas autem, quia non fallit reddere quæ promiſit. *hactenus Auguſt.*

Ezech. 18.

Aug. in pſal. 39.

Chryſ. hom. 2. in epiſt. ad Philemo.

8. HVIC CONFORME eſt quod *Chryſoſt.* ait Audio quoſdam dicere, *inquit*, quia benignus eſt Dominus, omnino ſaluabit omnes. Ne fruſtra nos fallamus, ſed diluuio in medium adducto, maliſque prioribus, videbimus poſſibile non eſſe, vt qui illa intulit, peccantes modo impunitos eſſe permittat: Si enim eos qui ante legem peccabant, tanta ſeueritate puniuit, eos qui poſt gratiam deteriora peccarunt, qua ratione impunitos dimiſſurus eſt? Sed ait Marcioniſta, Hoc bonitatis illius indiciũ videri poſſet, ſi peccatorum rationẽ minime exigeret? Imo inquam ego, hoc bonitatis indicium eſt quod rationem exigat: Niſi enim rationem exigeret etiam ipſis feris immaniores euaderent homines Si enim metũ pœnarum quoque imminente, piſces tranſgreſſi ſumus inuicem deuorantes, leones ac lupos quoque trãſcendimus, dũ ſinguli quæ ſunt aliena diripimus, niſi rationẽ pro indubitato reddendam teneremus, quanta confuſio res humanas inuolueret, quã plena iniquitatis eſſent omnia: quis vllũ voluptatis aut vitii genus omiſiſſet? Nam & ebrioſi, & impudici, & petulantes, & iniurioſi euadent omnes. Et filios ſi quis permittat impune agere quæcumque voluerint, neque caſtiget errantes. ad quæ non euaſuri ſunt vitiorum præcupta? itaque bonitatis ſpecies quædam eſt metu pœnarum malos coercere: ne peiores euadant, & bonos impedire ne mali fiant: Sic enim iuſtus lauat manus ſuas in ſanguine peccatoris, quia metuens ne patiatur eadem, emendare ſtudet vitam ſuam. *hactenus Chryſoſtomus.*

9. SED iſtud hic aduertendum quod ſummus ille vitis agricola aliter paret falcem ſarmẽtis fructuoſis, aliter infructuoſis, *inquit Aug.* attamen non parcit, nec probis nec reprobis, illis purgandis, iſtis amputandis. Nullus enim hominum eſt tanta iuſtitia præditus, cui non ſit neceſſaria tentatio tribulationis vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem, niſi forte nec Paulum apoſtolum inter iuſtos quis numeret. An vero illi parcebat qui dicebat, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis, angelus ſathanæ qui me colaphizet Propter quod ter Dominũ rogaui vt auferretur à me & dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea. nam virtus in infirmitate perficitur.* Ecce nec iuſto parcebat, vt eius virtutẽ in infirmitate perficeret, qui ei dederat colaphizantẽ angelũ. Hinc intelligitur quo modo non parcatur impiis, tanquam ſarmentis præciſis ad combuſtionẽ quando iuſtis non parcitur propter perficiendam purgationem. *hæc Auguſt.*

Aug. li. … con. Fau. c. 26.

10. VERVM inuitus compellitur Deus & cum magno dolore peccatores dãnare. Nec ſic dolet, inquit *auctor operis imperf. in Matt.*

Matth. quia ipse ab ejs offéditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem qui omnes cupit saluare. Nam quemadmodum in nobis alienum est bene facere, sic & Deo contra naturam est perdere. Sed dicet aliquis, Cum in potestate habeat Deus perdere & saluare, quis eum inuitum compellit condemnare si non vult? Tu qui non desideras misericordiam Dei. Sed dicis. Quis est homo qui non desiderat misericordiam Dei? Tu qui permanes in peccato: desiderare enim misericordiam Dei est conuerti ad Deum: Incessabilibus autem iniquitatibus tuis misericordia Dei quasi iam lassata à proposito suo defecit. Quomodo autē curabit insi mitatem tuam, quiomnem medicinam re spuis? Hinc miserabili lamētatione plangebat Iudæos Dominus dicens, *Hierusalem, Hierusalemque occidis prophetas & lapidas eos, quia ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?*

Matth. 23. Sanctis meis non peperci vt tibi parcerem peccatrici ô Hierusalem: illorum vitam neglexi, ne tuam mortem viderem. Nam misi ad te Isaiam, & serrasti eum: misi ad te Ieremiam & lapidasti eum: misi Ezechielem, & tractūm super lapides excerebrasti eum. Si de morte tua gauisus fuissem, nunquam ad te prophetas misissem: si te perdere voluissem, nunquam ad te ego ipse venissem. Ego tibi quid faciam si tu ipse viuere non vis: non deplangit Dominus eos qui peccare cœperint, statimq; desierint, *inquit Hieronym.* non enim est iustus super terram qui non peccet aliquando, sed qui longo funiculo peccata protraxerint: de quibus sic Isaias *væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis: Qui dicunt: Festinet & veniat opus eius vt videamus.* Hoc per ironiam dicebāt irridentes Domini prophetas qui prædicebant diē iudicii & calamitatem eis superuenturam, quod ipsi non credebant. Hi plangendi sunt quia ita consumptionis absumet eos Dominus in die iudicii quādo dicet, *Ite maledicti in ignem æternum.*

Hier. in 3. c. Isa.

Isaias. 5.

Loyaerts Conc.

11. AD quem *autem respiciam*, inquit Dominus, *nisi ad pauperculum & contritū spiritu, & trementem sermones meos?* Quoniam teste psalmista, *secundum altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se:* quasi dicat, *inquit*, *August.* Si aliquando potest cœlum abscedere à terræ protectione, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende cœlum vbique & vndique protegit terrā, & nulla pars terræ est quæ non cœlo protegatur, inde lux ad oculos, inde pluuia ad terram, inde vbertas fructuū, inde omnis misericordia: tolle auxiliū cœli à terra, statim deficiet, statim squalor, & sterilitas. Si times Deum, super te est protectio Dei, etiam tum cum flagellaris à Deo, & putas quia deseruit te Deus, cum enim affligit & flagellat, vt pater id facit. Sic enim Dauid ait cum de clementia Dei loquitur. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Quod non comparans dicit, *inquit Chrysost.* Quæ enim humana clementia diuinæ bonitati conferri potest? Sed quia exemplum summæ affectionis nullum nos maius nouimus, quam patris ad filios. Nisi forte Isaias. maius aliquid docuit, qui matris potius exemplo vsus est, quę erga natos suos longe misericordius afficitur quā pater. Dicit enim. *Nunquid obliuiscetur mater infantuli sui, vt non misereatur filio vteri sui? Sed etsi illa eius oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar, dicit Dominus:* ostendens Dei misericordiam aff. ctus omnes naturales longissime excedere. *Hæc Chrysostomus.*

Isa. 66. Ps. 102.

Aug. in hūc locū.

Ps. 103.

Isa. 45.

12. Hoc satis confirmatur exemplo Dauidis, cui dicenti, *peccaui Domino*, statim Nathan respondit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te.* vnde vidēre licet, *inquit Chrysost.* Deum tardum ad pœnam, velocem ad veniam: nam in vno temporis momento, fuit pœnitentia & remissio, *sic ille.* Quapropter si adulter es, cogita Dauidē: si immundus, cogita meretricem: si blasphemus & persecutor, cogita Paulum: si homicida, cogita latronem

Chrys. ho. 5. de pœn.

Chrys. ho. 2. in ps. 50.

Y Quid

rius temperet, ne carnis curam faciat in desideriis, tamen ægriusquisque sese dum adhuc cibum appetit ab eo se cohibet gustato quam non gustato. Quinimo dum etiam canonica ieiuniorum institutio velut multum vtilis obseruatur, nisi eam tẽperantia ciborum fuerit subsequuta non poterit quis vnquam ad sobrietatis apicẽ peruenire, longorum quippe ieiuniorum afflictio, quam sequitur ventris saturitas, corpus quidem fatigat, sed mentem non purificat, quia non potest peruenire ad tẽperantiæ puritatem qui tenere non satagit iugem æqualitatẽ. Imo & ipsa ieiunia quantumuis districte obseruata suo fructu euacuantur quãdo tempore refectionis in gulæ vitium dilabuntur. Inprimis igitur imponat quisque sibi obseruantiam istam, vt nequaquam de cibo aut potu aliquid accipiat vlla delectatione deuictus, præsertim extra tempus & locũ refectionis. qui enim in minimis cupiditatibus & manifestis superatur, vehementiores & occultas quomodo superabit? quamobrẽ non solum abstinẽdum à lautioribus epulis, sed etiam saturitas panis & aquæ vitanda, *inquit Cassia.* nec ante edẽdum quã fames imperet, quæ etiam siligineum panem delicatum efficiet.

3. IMPORTVNVS creditor venter est, poscit, appellat: non est tamen si naturam spectes vsque adeo molestus, quia natura paucis minimisque contenta est, si modo des illi quantum bonæ valetudini satis est, vt cibus famem sedet, potio sitim extinguat: Qui se ad id quod natura exigit, composuit, non tantum extra sensum est paupertatis, sed etiam extra metum, quia natura paucis minimisque contenta est, eaq; nullo nomine melius de nobis meruit, quam quia quicquid ex necessitate desiderat, & paruo comparetur & sine fastidio sumatur. Paulus Eremita, *vt testatur Hiero.* describens eius vitam, à 16. ætatis suæ anno vsque ad sexagesimum palmæ fructibus vixit, deinde vsque ad 113. quo terris relictis ad cælum migrauit, dimidiati panis fragmentum quotidie coruo deferente acceptauit. Multa quam superuacua sint non intelligimus, nisi cum deesse cœperunt: vtebamur illis non quia debebamus, sed quia habebamus. Inter causas nostrorũ malorum est quod viuimus, nõ ad naturę necessitatẽ, sed ad luxũ, nec ratione componimur, sed cupiditate abducimur. Neque modus vtriusq; idem est, quod enim naturæ satis est, hoc cupiditati & luxuriæ parũ est, quæ quærit quẽadmodum post saturitatem quoque esuriat, quemadmodũ sitim in prima potione sedatam reuocet, & cum multa absumat, plura desiderat, quod est argumentũ nondũ satis illã habere: qui satis habet cõtentus est, quod intẽperantibus nũquã cõtingit. Quanto satius est sobrietatis sequi regulam, vt ea tantum desideremus quæ naturæ exigit necessitas: quod assequi poterimus si voluptati frænum iniecerimus: Moderatur autem voluptati, non qui penitus abstinet, sed qui hoc modo vtitur vt non abripiatur cum ipsa, vt naui & equo moderatur, non qui non vtitur, sed qui quo libuerit ducit: Sic hic non eminus decertandum, sed vigore animi & moderato vsu, dum sic voluptatibus imperat in edendo & bibendo, & ad sanum modum reuocat, vt nũquam ad illas propter ipsas veniat, sed omnib. modis quẽadmodum languor à corpore, imperitia ab animo, à ciuitate seditio, discordia à domo fuganda, ita à ventre fugat illicitam voluptatem, honestam admittens, eaque sobrie vtens.

1. NON est *regnum Dei esca & potus* inquit Paul. *sed iustitia, & pax & gaudium*: & quia solent homines multum gaudere de carnalibus epulis, addidit, *in spiritu sancto* Iustitia vero nec in abstinẽdo est nec in manducando, *inquit Aug.* sed in æquanimitate tolerãdi inopiam, & in temperantia sumendi ea, quorum non vsus, sed concupiscentia est reprehendenda. Non enim interest omnino quid alimentorum sumas, neque quãtum sumas, vt succurras necessitati corporis, cum videamus

IV. De intemperãtia cibi potusque cohibenda.

Rom. 14.

Aug. lib. 2. ca. 11. quæstio. Euange.

deamus aliorum ſtomachum citius ſatiari, & eos tamen illi ipſi paruo quo ſatiantur, ardenter & omnino turpiter inhiare: Alios autem pluſculo ſatiari, ſed vel ante ora poſitas epulas cum tranquillitate ſumere. Itaque cibus & potus eſt moderandus ſecundũ quod conducit corporis valetudini, & ſubſeruit naturæ neceſſitati: Quo fit vt non ſit idem modus omnibus præſcribēdus, qui enim moderatus eſt ſano, ſuperfluus eſt infirmo. Et in eo, quod quis appetat ea quæ naturę neceſſitas exigit, non peccat niſi fortaſſis modum exceſſerit: ſed circa ea quę adiuuenit aut cupiditas aut curioſitas hominum, peccatur
S. Tho. 2. 2. q. 142. a. 2. plurimum *inquit Tho.* vt facile contingit iis qui aut curioſius ſe ornant, quod vitiũ mulieribus familiare, aut delicate magis quam conuenit cibos præparari curant: quæ cuncta, non niſi cupiditatis ſunt irritamenta: Et in eo proprie conſiſtit vitium gulæ quod quis propter voluptatē cibum ſumat & modum non ſeruet: ſi vero menſuram in edendo excedat, non propter cibi delectationem, ſed quia putat id ſibi neceſſarium ad vitæ ſeu naturæ ſuſtentationem, potius inſcitia quam gula dicenda eſt.

2. Est qve admodum difficile diſcernere quid neceſſitas petat, & quid voluptatis concupiſcētia ſuppetat. De quo *ſic*
Aug. 10. confeſ. c. 31. *Aug.* Hoc me docuiſti Deus meus vt quēadmodum medicamenta ſic alimenta ſumpturus accedam, quibus quotidianas ruinas edendo & bibendo corporis reficiam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ: ipſe enim tranſitus voluptas eſt & nō eſt alius qua tranſeatur quam quo tranſire cogit neceſſitas, & cum ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adiungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico vel volo: nec idem modus vtriuſque eſt, nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt: & ſæpe incertum fit, vtrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infœlix anima, & in eo præparat excuſationis patrocinium, gaudens non apparere quid ſatis ſit moderationi valetudinis, vt obtentu ſalutis obumbret negotiũ voluptatis. His tentationibus quotidie conor reſiſtere in ieiuniis quibus in ſeruitutem corpus redigo, quia audio vocem iubentis Dei mei, *poſt concupiſcentias tuas non* Eccl. 18. *eas, & à voluptate tua auertere.* Hæc Aug. Quotidiano enim experimēto probatur, *teſte Leone* potus ſatietate aciem mentis S. Leo ſer. obtundi, ciborum nimietate vigorē cor- 8. de Ieiun. dis hebetari, vt delectatio edēdi etiã corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri ſubtrahatur voluptati. Sin autem à corporeis cupiditatibus mens nō fuerit libera, diuinæ non poterit vacare ſapientiæ, vt in meditationibus ſanctis & in deliciis lętetur æternis. Quod quanquã in hac vita difficile ſit continuari, poteſt tamen frequēter adſumi, vt ſępius ac diutius ſpiritualibus potius quã carnalibus occupemur & reficiamur oblectamentis.

3. Qvis in ſplendidis epulis perpetuiſque deliciis particeps factus eſt vllius doni ſpiritualis? *inquit Baſilius* An ignoras Baſil. Hom. 1. de laud. Ieiunii. quod perinde atque in acie hinc atq; hinc inſtructa ad conflictum, qui alteri parti fert ſuppetias, facit vt altera vincatur? Ita qui carni ſeſe adiungit, expugnat ſpiritũ, & qui ſtat à ſpiritu, carnem in ſeruitutem redigit. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: proinde ſi mentem cupis reddere validam, fac carnem domes ieiunio. Hoc enim eſt quod *ait Apoſt.* quod quantum externus homo corrumpitur, tantum internus renouatur. An ignoras quod immoderata expletione tibi ipſi dum pinguem paras ventrem, conſcientiæ præpares carnificē ac diſcrutiatorem vermem? Siquidem è copioſiore paſtu ceu fumoſi quidam vapores exhalantur, qui lucem ſancti Spiritus in hominis mentem irradiantem, quaſi denſa nubes interueniens, interci-

intercipiunt: & fumus quidem abigit apes, dona vero ſpiritalia fugat luxus. *Hæc ille.* Idem ad illa verba, *væ qui conſurgitis mane ad ſectandam ebrietatem*: Qui omnem animi curam impendunt, *inquit*, ad compotationes & conuiuia, tales lugubri comploratione proſequitur propheta, quandoquidem per præſentem hilaritatem ſibi comparant ſupplicium æternum, & quaſi vinum natiuo ſuo calore non ſufficiat ad excitandum in infœlici anima bibuli immenſum agmen concupiſcentiarum, inſuper omnes ſenſus præſtigiis voluptatum detinentur & aures quidem cytharis, tibiis, & muſico cõcentu demulcentur: olfactus odoramentis, vnguentis, floribus, thymiamatis cõpletur, viſus tapetiis verſicoloribus oblectando ſe paſcit: phialas, crateres, cornuta vitra, & figuras varias, adde & obſcenas, ſuſcitandæ ebrietati excogitant, & ſubalterna mutatione ſibi inuicem propinantes ad ſubeundum certamen bibendi ſe componunt, & non ſolum totos hoc modo inſumunt dies, ſed maxime etiam noctu non ſe ſinunt auelli à compotationibus, quaſi nox priuato quodam iure ad noctem pertineat: qua fit interim vt inexplebili prouocentur bibendi libidine, & ſic tempus floridæ ætatis per flagitia traducunt, vt opera Domini non conſiderẽt, ſed in profundam Dei obliuionem paulatim incidant: eſt enim ebrietas origo totius impietatis & deſertionis Dei, cũ ſit intellectiuæ partis obtenebratio, per quã maxime ſolet Deus agnoſci.

Baſil. in c. 5. Iſa.

4. CVM VERO *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur*, qui opera Dei externa non ſuſpicit nec inueſtigat, quomodo ad cognitionem inuiſibilium oculum mentis eleuare poterit? Et res quidem viſibiles intuitu oculorum aſſequimur, contemplationem autem inuiſibiliũ quæ fit nuda mente, non niſi ea pura fuerit conſequemur vnquam. Quo fit vt qui explendæ ebrietatis ſtudio alrius demerſerunt ſuæ mentis aciem, nec hæc opera Dei externa poſſunt conſiderare; nec qui ſe maneant cruciatus præuidere: quæ flamma ſiccitate torrida in linguam iſtam meribibulam graſſabitur, non ſinens per aeris reſpirationem vllo refrigerio recreari æſtum illum in viſcera deſæuiẽtem, ſed miſere torrebitur & torquebitur in frixorio camini infernalis, vt diues ille epulo, ſuo declarat exemplo, Torqueor, *inquit*, in hac flamma. Ideo non abs re ſcriptura hos lamentis proſequitur, quaſi hiſce malis iam opprimerẽtur, væ, *inquit*, qui cum cytharis, & tibiis bibunt. Timore igitur impendentium malorum flagitioſam hãc vitæ conſuetudinem permutet in melius qui ſcripturis fidem adhibet, hactenus Baſilius.

Luc. 16.

5. IDEM in admonitione ad filium ſpiritualem: ſicut miles, *inquit* plurimo onere prægrauatus præpeditur, ita monachus ad vigilias cum eſcarum largitate torpeſcit. Non enim poſſumus vigilare cũ fuerit dapibus venter noſter onuſtus, ſed oppreſſi ſomno vigiliarum fructus amittimus, & maximum detrimentum tum animæ tum corporis acquirimus. Et corporis quidem nam cum ſtomachus nimium & varium cibũ difficilius concoquat, paucum autem cibum facile in ſui naturam conuertat, ſit vt ex hac difficili concoctione & vires ventriculi debilitentur, atque abundans ſanguis eliquetur, & coleræ ac aliorum morborum ægritudines gignantur. Ne igitur nos quod ad medelam corporis tributum eſt, ad perniciem deputemus, nõ quantum gula exigit, ſed quantum naturæ neceſſitas poſtulat, ſumere aſſueſcamus, quia perquirere ea nõ quæ ad neceſſariũ vſum ſpectant ſed quæ ad pernicioſam voluptatem excogitantur, vt facere ſolent ii qui cocos exquirũt, & delicata quæque terra mariq; perſcrutantur, vt ventri ſuo tanquam cuidam tyranno tributum ſuum exoluant, non ſolum turpe & moleſtum eſt, verum ingens etiam ſecum detrimentum adfert. Nam cũ corporis voluptatibus beatitudinem noſtram metimur, animum à caritate & meditatione Dei abducimus, quem per ipſorum

psorum eduliorum naturæ considerationenem pascere debemus, in ipsius enim mẽtis actiones omnes consumendæ sunt horæ, à quibus ne quidem cum edimus vacare decet: *inquit Basil.* Nam id est ad quod Paulus nos adhortatur cum ait, *Siue manducatis, siue bibitis siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Basil. orat. 16. de ingluuie, & ebriet.

6. ANIMÆ quoque ingens detrimentum sustinet qui per ciborum auiditatem nimia esca se replet, quia ex nimio alimẽto euaporationes quædam fuliginosæ, densæ nubis instar, efferuntur, quæ eas illuminationes, quæ à spiritu sancto in mẽtem manant, dirimunt ac intercipiunt. Et insuper, *qui delicate suum enutrit seruum, sentit eum contumacem* inquit Sapiens. Nam quemadmodum auriga si equorum frena laxauerit, rapidissimo cursu cum eo in præcipitia deferuntur, ita & anima si corpori suo non imposuerit frenum sobrietatis & continentiæ, non solum bellum aduersus spiritum caro exercebit, verum etiam vterque ad inferni præcipitia deuoluetur. Nam vt Eccle. ait *Propter crapulam multi perierunt.*

Prou. 29.

Eccles. 38.

7. MERITO igitur lex Dei, vsu vini & ficeræ interdicit sacerdotibus mox ingressuris Sancta: pariter & Nazaræis, Si quando enim plus vini homo biberit, quasi tyrannus quispiam festino cursu contendit ad arcem mentis, & excitat tumultus irrequietos, risus ciet plane indecoros, effrenes concupiscentias exsuscitat linguam tumultuantem & garrulam efficit, menti omnem prudentiam eripit. His igitur de causis nedum sacerdotes, quorum fidei concredita est hominum cura, sed etiam magnates quibus Reip. moderatio est commissa, à vino sibi temperent, *inquit Basil.* quod tantam noxam præcipuæ eorum facultati, rationi nimirũ ipsi adfert, vt sapiẽtiam omnium rectricẽ imbecillem reddat & imminuat. Illorum est cibis & potibus indulgere qui nihil post mortem spectant, *inquit Ambrosi.* qui dicunt vt gentes solent, Manducemus & bibamus cras enim moriemur: ne saltem

Leuit. 10.

Num. 6.

Basil. in 5. c. Isa.

Ambr. Epist. 82.

amittamus fructum præsentium, si futurorum bonorum spem nullam habeamus. Sic loquuntur Epicurei: quo demonstrãt corpore se tantum, non mente viuere, qui cum corporis interitu, etiam animę vigorẽ ac virtutum merita perire existimant. Sed ne talibus labamur opinionibus nos monet Pau. cum ait, *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia praua.* Non immoderatę epulæ *inquit Ambro.* non ciborum abundantia, non potationes, aliaque huiusmodi, futurum faciunt vitam, sed sobria & religiosa collocutio vt diuinę scripturæ humescamus alloquio, & quasi ros sic in nos verba Dei descendant: Deum in consortia incidimus intemperantium, in scopulos impingimus, quia sub specie iucunditatis venenum infundunt cupiditatis. Hi si assidui sunt & maxime in conuiuio, ludo & ioco, euacuant grauitatem illam virilem. Caueamus ne dum animum relaxare volumus, soluamus omnem harmoniam quasi concentum quendam bonorum operum, vsus enim cito inflectit naturam *Hac Ambro.*

Amb. 1. offic. c. 20.

8. DISCE gaudere: qui scit quo gaudere debeat, gaudium & fœlicitatem suam non in conuiuiis, non in vino, non in societate, non in honoribus, non in diuitiis reponit, quia hæc oblectamenta & breuia sunt & fallacia, sicut ebrietas quæ vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tœdio compensat. Gaudium verum non nascitur nisi ex virtutum conscientia, ex honestis actionibus, ex placido vitæ cursu, ex viuificante Dei spiritu. Mihi crede res seuera est verum gaudium. Quid ergo stulti & mali non gaudent? Dicunt enim, Magnum percepimus gaudium, magnam voluptatem ex ista societate, ex isto quod optimum fuit vino omnes exhilarati fuimus. Hęc quibus delectatur vulgus tenuem habent & perfunctoriam voluptatem, quæ nec pectus replet, nec animum satiat, ac nisi magna moderatione temperetur in pœnitendum abitura est dolorem. Neque existimes illum gaudere qui ridet: animus debet esse fidẽs & super

omnia erectus vt solido fruaris gaudio, hoc tibi nunquam deesse volo, ideo te à vanis voluptatibus & inepta lætitia iuxta scripturam abstractum cupio. Memento scriptum esse à sapiente, *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis?* Nam illi qui ex rebus gaudent externis, quomodo quicquam certum mansurumue habere possunt suspensi & vagi, cũ eorum more qui fluminibus innatãt non eant sed ferantur? ex quibus alios leuior vnda detinuit ac mollius vexit, alios vehementior rapuit, alios rapidus ac torrens impetus in mare deiecit. Eccles. 8.

9. VBI SVNT gaudia vestra quibus in epulis ac potationib. exultastis? Nõ dico, *inquit Aug.* vbi erũt in die mortis vestræ, sed vbi iam sunt? euanuerunt & animum tuum inanem reliquerunt, imo non inanem reliquerunt neque vacuum, sed variis cupiditatibus & peccatis oppletum. Si gaudio vero, veraque voluptate frui velis, fac simul vt anima pascatur cum corpore, & illa quidem voluptatem suam capiat ex cibo spirituali, eamque maiorem quã corpus ex esca corporali. Quod fiet eo modo si frenum quoddam gulæ inter edendum inicias, ne super cibum instar canis irruas, sed cibum velut medicamentum sub certa mensura sumere discas, & maxime sub prandii initium edẽdi appetitum refrænes, quippe qui tunc maxime ferueat, facileque excedat aut nimium aut festinãtius edendo: quo corporis ita tuearis valetudinem, ne tamen spiritui sit impedimento: Cum vero cibo aut potu nimium se quis prægrauauerit, sæpe numero totum diei reliquum tempus misere perit, maxime in iis studiis & operibus quæ ad spiritum pertinent, dum & gratiam hoc modo etiam quam habebat perdat, & quam adipisci poterat ægrius recuperet: quo fit vt spiritus hinc langueat, & cibus spiritalis ei minus quam oportet sapiat. Ideo inter edendum cor sæpius ad Deum leuandum, ab eoque petenda ea cognitio & virtus qua & sciat & possit in edendo & bibendo quandam seruare mediocritatem. Quod si subinde faceremus multo nos hac in parte infusione sui spiritus melius edoceret ac institueret creator Deus, quam possint vel codices vel doctores omnes. Adde ad hæc gratiarum actionem vt cibum tanquam cœlitus à Deo tibi missum sumas, qui ista tibi subministrat, quorum causa perplures in mundo grauissimos tolerant labores, quo miserum corporis obtineant victum, quem tamen vix obtinent.

10. PASCITVR animus, pascitur & corpus, habet enim & anima sua alimenta, cuius esca est scientia, quia nulla re alia viuit aut alitur anima, *inquit Aug.* quã rerum sciẽtia, verbi gratia tempore prandii vix aduertis quo cibo pascaris aut quo vasculo vtaris; & hoc quod alia nescio quæ cogites, vbi igitur eo tempore est animus tuus, inde mihi crede & talibus epulis, hoc est, cogitationibus, pascitur animus, vnde hominum doctissimorũ animi multo sunt quam imperitorũ pleniores atque maiores: quorum enim animi nullis disciplinis eruditi sunt, nihilq; bonarum artium hauserunt, ieiuni & quasi famelici sunt, pleni quidem sunt sed vitiis atque nequitiis: Et ista ipsa est sterilitas & animorũ fames magna. Nã quẽadmodum corpus detracto cibo plerumque morbis atque scabie repletur, quæ in eo vitia famem indicant, ita & illorum animi pleni sunt morbis, quibus suã ieiunia confitentur. Si animi imperitorum etiam ipsi pleni sunt, vt corporum, ita animorum duo inueniuntur alimentorum genera, vnum salubre atq; vtile, alterũ morbidum atque pestiferum: Et non solum cibo, sed etiã cibi sapore indiget infirmitas nostra, non propter exaturandam libidinem aut voluptatem, quæ escis immiscetur, sed propter tuendam salutem, quia si suauia non sunt quæ sumuntur, edi non possunt. Sed discernere & nosse debemus quid necessitas refectionis, quid libido edacitatis exposcat, si natura supplementa quæ desunt, poscat, fames est aut sitis: Aug. to. 1. lib. de vita beata.

cum

cum vero suppleri necessitate amor edendi animum sollicitat, tam libido est, quæ non edendo sed continendo frenanda est ne suis libidinosis delectationibus obnubilet serenitatem mentis, inficiatque suauitatem spiritus.

11. IN HIS tentationibus positus certo quotidie aduersus concupiscentiam mãducandi, & bibendi, *inquit Aug.* non enim est quod semel præcidere & vlterius non attingere decernam, sicut de concubitu potui, sed freni gutturis temperatã relaxatione & constrictione tenendi sunt. Et quis est Domine qui non rapiatur aliquãtulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, sed ego non sum, quia peccator sum, *hæc Aug.* Et sæpe contingit teste *Gregorio.* dum incaute necessitatem supplemus quod voluptati seruiamus, & dum carni quasi nostræ coadiutrici subuenimus hostem, hoc est, cupiditatem nutriamus. Et è diuerso dũ hostem persequimur & voluptatem extinguere nitimur, carnem debilitemus, vt in suo ministerio nobis minus sit vsui. Ita fluctuat homo inter periculum voluptatis & experimentum salubritatis, & in his peccat, dum aut ipsam voluptatem immoderatius, cauens errat nimia seueritate, aut sibi indulgens voluptati seruit, non necessitati, peccat inquam etiam non sentiens sed postea sentit, minimum hoc quidem, sed qui minima spernit paulatim decidit. Quanto esset fœlicius *inquit Aug.* si sine vlla saporis illecebrosa suauitate cibũ perciperemus & potum, quo tantam molestiam pugnãdi cõtra cõcupiscentiã pelleremus, sicut sumimus hæc aeria quæ de circumfusis auris respirando sorbemus, Quod aeris alimentum cum ore ac naribus sine cessatione sumamus, nec sapit nec olet quicquam nec tamen sine illo vel minimo temporis spatio viuere possumus: Sic enim ea sola voluptas integra & illibata facilius seruaretur, qua delectantur & aluntur corda sapientum in meditatione sapientię Dei, si sine conflictatione carnis contra spiritum & spiritus contra carnem, pacem seruaret internam. Nam & in primo statu primorum parentum nostrorum, quanquam voluptas fuerit immixta in edendo & bibendo, eiusmodi tamen fuit, vt omnimode rationali subdita voluntati, non alias adesset nisi cum per illam aut saluti esset corporis vel stirpis propagini consulendũ, & tanta adesset vt nulla ex parte mentem de supernarum cogitationum delectatione deponeret aut deturbaret, nihilque fieret propter illam.

Aug. li. 10. ca. 31. confess.

12. Hoc itaque nostrum est primum certamen quo contra carnem spiritu puguamus, ieiunando & alimenta, etiam necessaria parcius sumendo, concupiscẽtiam gulæ extinguere, vt nõ solum superfluus cibus non appetatur, sed etiam necessarius non nisi pia discretione sumatur: Quanquam hæc vescendi atque bibendi tolerabilis sit voluptas, per quam non nisi quod saluti conducibile est agimus: tolerabilis est, inquam, quia vis eius tanta non est, vt nos à cogitationibus ad sapiẽtiam pertinentibus, si in eis sumus mentis delectatione suspensi, abrumpat & deijciat: nam sępe de magnis rebus inter epulas non solum cogitamus, verumetiam disputamus, atque inter ipsos ciborum morsus nihil remissius audiendo dicendoque colloquimur. Illa vero concupiscentia nuptiarum etiam quando bona intentione, id est, causa propagandæ prolis, accedit, tamen in ipso opere suo, quẽ permittit aliquid non dico sapientiæ sed cuiuslibet rei aliud cogitare? Nonne illi totus animus & corpus impenditur & ipsius mentis quadam submersione illud extremum eius impletur? Cum vero vincit etiam coniugatus, vt non propagationis, sed delectationis carnalis cupiditate misceantur, quod *Apostolus* 1. *Cor.* 7. secundum veniam indulget, ita hinc emergitur & quasi in auram cogitationis post illum gurgitem respiratur, vt fiat consequens, quod verum ait quidam, & pœnitendi, quæ est cum voluptate vicinitas, hæc Augustinus lib. 4. con. Iulia. cap. 14.

13. NE gulæ laxes habenas, sic semper comedas, *inquit Hieron.* vt semper esurias quo modo narratur de Rege quodam sapientissimo, quod nunquam fine appetitu accubuerit, nec vnquam à mensa satur surrexerit: Amplissimas autem & exquisitas quærere epulas eorum est qui animas ad virtutes formare non consueuerunt, comessari vero post refectionem necessitati congruam, non hominum est vt viuat sed porcorum vt saginentur. Sic cibum sumas vt post refectionem idoneus sis qui legere psallere & orare possis. Diuersa & lautiora fercula ne quæsieris, quæ id habent vt licet prioribus satiatus fueris, postquam secunda attigeris nouus edendi concitetur appetitus, vt licet varietas fastidiũ tollat, ventrem tamen onerat & mentem obnubilat. Perfectum sobrietatis exemplum nobis reliquit Christus, qui suos hospites excepit aliquoties non lautis ferculis, sed paucis pisciculis & hordeaceis panibus.

PARS III.

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod mãducent. Mar. 8.

Summa Articulorum qui hic explicantur.

I. *Magna misericordia Dei & multæ miserationes eius.*

II. *Cur tam sobrie suos hospites exceperit Dominus.*

Art. I. De summa Dei misericordia & bonitate. Mar. 8. Bernar, serm. 2. De septem miseri.

MISEREOR *super turbam, quia ecce iã triduo sustinent me, nec habent quod manducẽt.* Quis in nobis est qui nõ cõfiteri debeat, quoniã misericordia Dei magna est super me. Et de tanta multitudine miserationem Domini septem ego in me video *inquit Bern.* Prima est quod à multis peccatis me adhuc in seculo positũ custodiuit. Quis enim non videat quod sicut in multis cecidi, sic & in alia poteram cecidisse peccata, nisi miserantis Dei pietas me præseruasset ? Fateor & fatebor nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Et hæc quanta dignatio pietatis, quod ingratum & paruipendentem sic gratia cõseruabat, quod in multis contrarium & contemnentem, nihilominus ab alijs benignissime protegebat? Tribus autẽ modis a peccato meminit me præseruatum, *inquit idem*, aut occasionis subtractione, aut resistendi data virtute, aut affectionis sanitate: à quibusdam enim tam longe me fecit miseratio tua Domine, vt penitus abominarer ea, & ne vlla quidem eorum me tentatio molestaret. Bernar. serm. de fragm.

2. SECVNDA miseratio fuit pœnæ dilatio, ego peccabã, nec à sceleribus continebam, *inquit*, & tu à verberibus abstinebas & indulgentiam cogitabas. Propter hoc enim auertebat oculos suos à peccatis meis quasi nolens aduertere quantum delinquerem, vt commendaret patientiam suam, & consummaret caritatem suam, interim concutiens cor meum, & ad pœnitentiam conuertens & excitans, vt aduerteret suorum vulnera peccatorum, & vulnerum sentiret dolorem, & deducens ad portas inferi, ac præparata iniquis supplicia monstrans terrebat. Quid enim pro desset expectatio, nisi sequeretur pœnitudo? Cumulus esset damnationis, dicente Domino, *Hæc fecisti & tacui.* Psal. 49.

3. TERTIA proinde miseratio fuit quod visitauit cor meum & immutauit vt amara fierent quæ male dulcia prius erant & inciperem recogitare annos meos in amaritudine animæ meæ, & nunc Domine commouisti terram cordis mei, sana contritiones eius, quia commota est, QVARTA itaque subsequuta est misericordia quod pœnitentem misericorditer suscepisti, vt in eorum inuenirer numero de quibus Psal. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*: Sic enim ex toto indulsit vt iam non damnet vlciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Sunt aliqui sic donantes iniuriam vt non vlciscantur quidẽ, sæpius tamẽ impro perẽt: Sunt & alij qui sileãt licet manẽt, tamen

tamen alta mente repostum, & rancorem tenent in animo quorum vtique neutro plena est indulgentia. longe ab his omnibus benignissima est diuinitatis natura quæ plene ignoscit, ita vt vbi abundauit delictum, soleat abundare & gratia.

4. SEQVITVR quinta misericordia, per quã mihi continẽti & emẽdatius deinceps viuenti præstitisti virtutem, ne recidiuũ paterer, & esset nouissimus error peior priore. Omnino enim manifeste tuæ, Domine Deus non humanæ virtutis, susceptum semel peccati iugum à ceruicibus excutere, nec est liberari nisi in manu forti, verum quia non sufficit declinare à malo, sed oportet & facere bonum, sequitur *Sexta* misericordia, gratia promerendi bona cœlestia, quę gratia in tribus consistere videtur, in odio præteritorum malorum, in contemtu præsentium bonorum & in desiderio futurorum. *Septima* misericordia est spes obtinendi promissa bona quæ robur obtinet à caritate adoptionis à varitate promissionis, & potestate redditionis, *hactenus Bernard.*

5. CÆTERVM sicut sunt peccata minima mediocria & magna, sic est misericordia parua, mediocris, & magna. Paruam misericordiam dico, *inquit Bernar.* expectationem, qua non statim punit peccantem sed expectat ad pœnitentiam: Paruam autem non in se sed in comparatione aliarum, alioquin magna plane. Nam peccantem angelum omnino non expectauit, sed præcipitauit: hominem quoque peccantem non distulit sed protinus ex paradiso expulit. Nunc differt 10 20. annis, imo frequenter vsq; ad senium & hæc est gratia crucis Christi. Hinc autem misericordiam Domini qua tardat ferire, aliarum comparatione paruam nominaui, inquit idem quia hæc si sola fuerit nullatenus ad salutem sufficit, imo iudicium damnationis accumulat in ijs qui diuitias bonitatis eius contemnunt, & thesaurizãt sibi iram in die iræ iusti iudicij. Maior est misericordia quæ dat cor pœnitens, & facit ne prima sit infructuosa, danda

Bernard. de tripli. miseri.

scilicet pœnitentiam, sine qua expectatio non modo prodest, sed obest multum.

6. ET HAC quidem in leuibus peccatis potest sufficere, quoniam in his à quibus abstinere non possumus, dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest pœnitentia quotidiana. At in grauioribus & quæ ad mortem sunt, opus est etiam abstinentia & continentia: difficilis prorsus res & soli virtuti diuinæ possibilis, susceptum semel peccati iugum è ceruicibus excutere. Hęc est magna misericordia magnis necessaria peccatoribus: de qua dicitur, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Hæc misericordia immittit amaritudinem, quę dũ mentem occupat hominis, expellit perniciosã peccati delectationem, quæ & subtrahit occasionem nec tentari sinit infirmitatem, quinimo & virtutem quandoq; donat resistendi, quod maius est, vt videlicet tentationem sentiens viriliter agat & non consentiat: quandoq; vero & affectionem sanat, & peccato non solum nõ consentit, sed nec sentit quidem, quia omnis tentatio tollitur, & hoc perfectissimum, *hac Bernardus.*

7. QVOD grandis sit Dei misericordia scio, *inquit Chrysost.* sed quanta sit nescio, nec comprehendere valeo: nisi in immensum extenderetur, admodum pauci saluarentur. Nisi enim primo per misericordiam parceret Deus, non inueniret quos per iudicium coronaret. Hinc Psalmista, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*: nemo in melius commutatus exhorreat iudicium Dei, *inquit Aug.* in hunc locum, quia præcedit misericordia Dei. Nemo etiam sibi ad impunitatem blandiatur de misericordia Dei, quia est & iudicium. Non igitur blandiamur nobis, neq; dicamus, Semper parcit Deus, Ecce feci heri & pepercit Deus, facio hodie & parcit Deus, faciam & cras quia parcit Deus. Attendis ad misericordiam & non times iudicium. Si vis cantare misericordiam & iudiciũ, intellige quia ideo parcit, vt corrigaris, nõ vt in malignitate permaneas

Chrys. ho. 2. in psal. 50.

August. in ps. 100.

Auguſt. tract. 38. in Ioan.

maneas, ex vtroque homines periclitantur & ſperando & deſperando, inquit idē Sperando decipitur qui dicit, Bonus eſt Dominus, faciam quod lubet laxabo habenas cupiditatibus meis, & implebo deſideria animæ meæ. Deſperatione autem periclitantur, qui cum inciderint in grauia peccata, putantes ſibi non poſſe iam ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio iam deſtinatos dicūt apud ſemetipſos, iam damnandi ſumus, quare non facimus quod volumus? Illis quis ſpe periclitantur ait Dominus, *ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem, ſubito enim venit ira illius, & in tēpore vindictæ diſperdet te*: illis qui deſperatione periclitantur dicit Ezechiel

Ezch. 18.

In quacunque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor, vnde rectè *Aug.* Non auderem conuerti niſi ſecurus de remiſſione: non auderem perſeuerare niſi ſecurus de promiſſione. Ideo Pſalmiſta ait, *Miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.* Miſericordia dicitur quia nō merita noſtra attendit Deus ſed bonitatem ſuam vt peccata nobis omnia dimittat, & vitam æternam promittat, veritas autem, quia non fallit reddere quæ promiſit. *hactenus Auguſt.*

Aug. in pſal. 39.

8. HVIC CONFORME eſt quod *Chryſoſt.* ait Audio quoſdam dicere, *inquit*, quia benignus eſt Dominus, omnino ſaluabit omnes. Ne fruſtra nos fallamus, ſed diluuio in medium adducto, maliſque prioribus, videbimus poſſibile non eſſe, vt qui illa intulit, peccantes modo impunitos eſſe permittat: Si enim eos qui ante legem peccabant, tanta ſeueritate puniuit, eos qui poſt gratiam deteriora peccarunt, qua ratione impunitos dimiſſurus eſt? Sed ait Marcionita, Hoc bonitatis illius indiciū videri poſſet, ſi peccatorum rationē minime exigeret? Imo inquam ego, hoc bonitatis indicium eſt quod rationem exigat: Niſi enim rationem exigeret etiam ipſis feris immaniores euaderent homines Si enim metū pœnarum quoque imminente, piſces tranſgreſſi ſumus inuicem deuorantes, leones ac lupos quæque trāſcendimus, dū ſinguli quæſuut aliena diripimus, niſi rationē pro indubitato reddendam teneremus, quanta confuſio res humanas inuolueret, quā plena iniquitatis eſſent omnia: quis vllū voluptatis aut vitii genus omiſiſſet? Nam & ebrioſi, & impudici, & petulantes, & iniurioſi euadent omnes. Et filios ſi quis permittat impune agere quæcumque voluerint, neque caſtiget errantes, ad quæ non euaſuri ſunt vitiorum præcipitia? itaque bonitatis ſpecies quædam eſt metu pœnarum malos coercere: ne peiores euadant, & bonos impedire ne mali fiant: Sic enim iuſtus lauat manus ſuas in ſanguine peccatoris, quia metuens ne patiatur eadem, emendare ſtudet vitam ſuam. *hactenus Chryſoſtomus.*

Chryſ. hom. 2. in epiſt. ad Philemo.

9. SED iſtud hic aduertendum quod ſummus ille vitis agricola aliter parat falcem ſarmētis fructuoſis, aliter infructuoſis, *inquit Aug.* attamen non parcit, nec probis nec reprobis, illis purgandis, iſtis amputandis. Nullus enim hominum eſt tanta iuſtitia præditus, cui non ſit neceſſaria tentatio tribulationis vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem, niſi forte nec Paulum apoſtolum inter iuſtos quis numeret. An vero illi parcebat qui dicebat, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis, angelus ſathanæ qui me colaphizet Propter quod ter Dominū rogaui vt auferretur à me & dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Ecce nec iuſto parcebat, vt eius virtutē in infirmitate perficeret, qui ei dederat colaphizantē angelū. Hinc intelligitur quo modo non parcatur impiis, tanquam ſarmentis præciſis ad combuſtionē quando iuſtis non parcitur propter perficiendam purgationem. *hæc Auguſt.*

Aug. li. 22. con. Fauſt. c. 16.

10. VERVM inuitus compellitur Deus & cum magno dolore peccatores dānare. Nec ſic dolet, inquit *auctor operis imperf. in Matt.*

Auctor oper. imperfe. in Matt. ho. 46. *Math.* quia ipse ab ejs offēditur, sed quia quasi violenter cogitur pe dere aliquem qui omnes cupit saluare. Nam quemadmodum in nobis alienum est benefacere, sic & Deo contra naturam est perdere. Sed dicet aliquis, Cum in potestate habeat Deus perdere & saluare, quis eum inuitum compellit condemnare si non vult? Tu qui non desideras misericordiam Dei. Sed dicis. Quis est homo qui non desiderat misericordiam Dei? Tu qui permanes in peccato: desiderare enim misericordiam Dei est conuerti ad Deum: Incessabilibus autem iniquitatibus tuis misericordia Dei quasi iam lassata à proposito suo defecit. Quomodo autē curabit insi mitatem tuam, qui omnem medicinam re spuis? Hinc miserabili lamētatione plangebat Iudæos Dominus dicens, *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis prophetas & lapidas eos, quiadte missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?* Matth. 23. Sanctis meis non peperci vt tibi parcerem peccatrici ô Hierusalem: illorum vitam neglexi, ne tuam mortem viderem. Nam misi ad te Isaiam, & serrasti eum: misi ad te Ieremiam & lapidasti eum: misi Ezechielem, & tractum super lapides excerebrasti eum. Si de morte tua gauisus fuissem, nunquam ad te prophetas misissem: si te perdere voluissem, nunquam ad te ego ipse venissem. Ego tibi quid faciam si tu ipse viuere non vis: non deplangit Dominus eos qui peccare cœperint, statimq; desierint, *inquit Hieronym.* non enim est iustus super terram qui non peccet aliquando, sed qui longo funiculo peccata protraxerint: de quibus sic Isaias *væ qui trahitis iniquitatem in [illegible]iculis vanitatis: Qui dicunt: Festinet & [illegible]niat opus eius vt videamus.* Hoc per ironiam dicebat irridentes Domini prophetas qui prædicebant diē iudicii & calamitatem eis superuenturam, quod ipsi non credebant. Hi plangendi sunt quia ita consumptionis absumet eos Dominus in die iudicii quādo dicet, *Ite maledicti in ignem æternum.*

Hier. in 3 c. Isa. Isaias. 5.

11. AD quem *autem respiciam*, inquit Dominus, *nisi ad pauperculum & contritū spiritu, & trementem sermones meos?* Quoniam teste psalmista, *secundum altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se*: quasi dicat, *inquit, August.* Si aliquando potest cœlum abscedere à terræ protectione, aliquando poterit Deus non protegere time..tes se. Attende cœlum vbique & vndique protegit terrā, & nulla pars terræ est quæ nō cœlo protegatur, inde lux ad oculos, inde pluuia ad terram, inde vbertas fructuū, inde omnis misericordia: tolle auxiliū cœli à terra, statim deficiet, statim squalor, & sterilitas. Si times Deum, super te est protectio Dei, etiam tum cum flagellaris à Deo, & putas quia deseruit te Deus, cum enim affligit & flagellat, vt patet id facit Sic enim Dauid ait cum de clementia Dei loquitur. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Quod non comparans dicit, *inquit Chrysost.* Quæ enim humana clementia diuinæ bonitati conferri potest? Sed quia exemplum summæ affectionis nullum nos maius nouimus, quam patris ad filios. Nisi fortassis *Isaias.* maius aliquid docuit, qui matris potius exemplo vsus est, quę erga natos suos longe misericordius afficitur quā pater. Dicit enim. *Nunquid obliuiscetur mater infantuli sui, vt non misereatur filio vteri sui? Sed etsi illa eius oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar*, dicit Dominus: ostendens Dei misericordiam affectus omnes naturales longissime excedere. *Hac Chrysostomus.*

Isa. 66. Ps. 102. Aug. in hūc locū. Ps. 103. Isa. 45.

12. HOc satis confirmatur exemplo Dauidis, cui dicenti, *peccaui Domino*, statim Nathan respondit, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te.* vnde vidēre licet, *inquit Chrysost.* Deum tardum ad pœnam, velocem ad veniam: nam in vno temporis momento, fuit pœnitentia & remissio, *sic ille.* Quapropter si adulter es, cogita Dauidē: si immundus, cogita meretricem: si blasphemus & persecutor, cogita Paulum: si homicida, cogita latronem:

Chrys. ho. 5. de pœn. Chrys. ho. 2. in ps. 50.

Quid est peccatum ad Domini misericordia stela araneæ quę vento flante nusquā compareat. Nam quanquam psalmista misericordiam cantat Domino & iudicium, attamen ad nos veniens: solum misericordiam attulit, & non iudicium *inquit*
Bern. ser. 2. aduent. *Bernar.* Sic enim ait Ioan. 3. *non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundū sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ita vt suadentibus discipulis, vt ciuitatem quæ
Luc. 9. eum suscipere noluit, præciperet igni consumi, responderit, filium hominis non venisse vt iudicaret, sed vt saluaret mundum.

II. Hospites Christi cur tam frugaliter tractati.

1. ACCIPIENS *septem panes & paucos pisciculos, benedixit & iussit apponi.* Innumerabiles sunt de scripturis diuinæ sponsa quæ gulam damnent, & simplices cibos probent, *inquit Hiero.* Elias cum Iesabel fugeret, & sub quercu lassus iaceret, veniente ad se angelo suscitatur & dicitur ei, *Surge & manduca: Respexit & ecce ad caput eius subcinericius panis & vas aquæ.* Poterat ei Deus electos mittere cibos, & conditum merum, & carnes confusione mutatas. Helizeus filios prophetarum inuitat ad prandium, & herbis agrestibus eos alens consonum prandentium audit clamorem, mors in olla, Homo Dei: non iratus est cocis, luxurioris enim mensæ consuetudinem non habebat, sed farina desuper iacta amaritudinem dulcorauit: Nec non & illos qui ad eum comprehendendum venerant, oculis pariter & mente cœcatos, cum in Samariam nescios induxisset, qualibus eos epulis refici imperauerit, ausculta, *Pone eis panem & aquam mā ducent & bibant, & remittātur ad Dominū suum.* Potuit Danieli de regiis ferentis opulentior mēsa transferri, sed Abacuc ei messorum prandium portat, arbitror rusticanum. Et Pau. nos instruens sic ait, *Bonum est vinum non bibere carnē nō manducare: vt animæ vigor carnis infirmitate fit fortior.* De luxuriosis autem quid dicit, *quorum Deus venter est: Esca ventri & venter escis, Deus autem & hunc & illas destruet.* Non quod Deus intestinorum nostrorū rugitu & inanitate ventris delectetur, sed quod aliter pudicitia tuta esse nō possit. Quod si volueris respondere te nobili stirpe natum non posse à vino & esculentioribus cibis abstinere, nec his legibus viuere, respondebo districtius, viue ergo lege tua, qui Dei non potes. *hæc Hieronymus ad Eustochium.*

Hiero. epist. 22. ad Eust.
3. Reg. 19.
4. Reg. c. 4.
Dan. 14.
Rom. 14.

2. HVic conforme quod *Bernar.* ait Abstineo a vino, *inquit*, quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum, modico vtor, iux a consilium Pauli. Abstineo à carnibus, ne eum nimis nutriunt carnem, simul, & carnis vitia nutriant. Panem ipsum cum mēsura sumere studebo, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat, & ne improperet etiam mihi propheta, quia panem meum comederim in saturitate. Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distensio sane ventris vsque ad titillationem pertingat libidinis, vnusquisque quod à suo magistro didicit, hoc in medium adferat. Galenus bonam corporis valetudinem prędicat: Epicurus voluptatem sectandam docet: Christus Magister meus monet & docet, *Qui amat animam suam perdet eam:* perdet inquam, siue ponendo vt martyr, siue affligendo vt pœnitens, dum spiritu facta carnis mortificat, illo nimirum quo membra cęduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Quid hic vos dicitis morum neglectores, ciborum obseruatores? Quorum vultus sequi mag istru: Manifestum te facit qui sic disputat, legumina ventosa sunt, caseus stomachū grauat, lac capiti nocet, caules nutriant melancholiam, porri choleram accendunt. Quid hoc est, vt in totis fluuiis, agris hortis, reperiri vix possit quod comedas? *hæc Bernardus*

Bern. ser. 66. in cāt.
Bern. ho. 30. in cāt.

3. SI quis existimet, inquit *Hier.* & abundantia ciborum potionūque perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, versari in deliciis & delitiarum vitiis non teneri, se ipsum decipit: cum n. procul ab eis remoti sæpe capiamur naturæ illecebris, & cogamur

Hiero. lib. 2. in cont. Iouin.

gamur

Digitized by Google

gamur ea cupere quorum copiam nō habemus, quanto magis, si circundati terib. voluptatum, esse nos liberos arbitremur? Sensus noster ad eius rei trahitur appetitum, cuius capitur voluptate, vetus quoque sententia est. Difficile est imo impossibile deliciis & voluptatibus affluentes non ea cogitare quæ gerimus, frustraque quidam simulant, salua fide & pudicitia & integritate mentis, se abuti voluptatibus, cum contra naturam sit copiis voluptatū sine voluptate perfrui, & apostolus hoc ipsum cauens dixerit, *Quæ autem in deliciis est vidua, viuens mortua est.* Sensus corporū quasi equi sunt sine ratione currentes, anima v. in aurigę modum retinet frena currentium, & quomodo equi absq; rectore præcipites ruūt, ita corpus sine ratione & imperio animæ, in suum fertur interitum: vires n. in fornicatione deficiunt, inquit idem, & fornicandi desiderium nō quiescit, iuxta illud Oze. *Comedent & non saturabuntur, & fornicati sunt & non cessauerunt:* voluptas enim insatiabilis est, & quanto magis capitur, tanto plus vtentibus se, famem creat, & vana comedentes fraude deludit, quia vteros deuorantium vacuos derelinquit. *Hæc Hieronym.* Id quod non solum in fornicatione, sed & in comessatione & ebrietate locum habet: naturæ necessitati facile fit satis, cupiditati nunquam.

2.Tim.5.

Hiero.in ca.4. Oze.

Oze. 4.

4. QVOD mirandum sit, etiam Epicurus ipse, inquit *Hiero.* voluptatis assertor vilibus cibis dicit esse viuendum, quia carnes & exquisitæ epulæ ingenti cura ac miseria præparentur, maioremq; pœnam habeant in acquirendo quam voluptatem in abutendo: cito expletur naturę necessitas vbi aqua sit & panis, *ait Hiero.* & his similia, ibi naturæ satisfactū, quicquid supra fuerit non ad vitæ necessitatem spectare, sed ad vitium voluptatis. Adam in paradiso primum accepit præceptum vt cætera poma comedēs ab vna arbore abstineret: & eiectus ex paradiso nō protinus accepit licentiam carnium vescendarum, sed tantū poma arborū & fruges segetū & herbarum olera ei tribuuntur ac traduntur in cibum, vt exul quoq; paradisi non carnibus, quæ in paradyso non erant, sed similitudine frugum paradysi vesceretur: postea videns Deus quia erant caro, operã carnis diluuio condemnauit: *hæc Hier.*

Hier.2. con.Iou.

5. NOTANDVM tamē quod *Aug.* ait gulam non consistere in qualitate cibi, sed in deordinato appetitu. Nō ego inquit, immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noe omne genus carnis, quod cibo esset vsui, manducare permissum: Scio & Esau lenticulæ cōcupiscentia decep tum: & Dauidē propter aquę desiderium a seipso reprehensum, vnde & Paul. ait, *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Non de vetitis hoc dicit, *inquit Chrysost.* quia illa nullo pacto licent, sed de his quæ indifferentia videntur. Et ait, ego sub nullius redigar potestate, id est, *inquit*, non efficiar seruus huius affectus intemperantiæ: qui n. ad necessitatē vtitur eo, ille eius Dominus est, qui vero in incontinentiā labitur, seruus eius efficitur, cū edacitas ei dominetur. Propterea & Apostoli fere semper ieiunabant, *teste Chrys.* Quod si ieiunare non potes abstine a deliciis: Hoc enim non minimum est nec a ieiuniis multum distans, sed ipsum quoq; diaboli furorem prosternere idoneum. Nihil tam gratum dæmonio quam deliciæ & ebrietas quoniam malorum mater & fons est, *hactenus Chrysost.* Aug.li.10 confes.ca. 31. Chry. ho. 17. in 1. Cor. Chrys.ho. 71.ad pop.

6. NON de nihilo est, quod Iob. cum filii eius conuiuia celebrarent peractis diebus, conuiuii, purgationem per singulos adhibuerit holocausti: Nouerat n. vir sanctus, *ait Grego.* quia celebrari conuiuia sine culpa vix possunt, nonnulla quique fūt vitia quæ a conuiuiis vix separari queūt: pene enim semper epulas comitatur voluptas: Nam cū corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur, vnde scriptum est: *Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere.* Solet autem gulę vitium variis modis hominem coinquinare, *inquit Grego.* Greg.1. mora. c.5.

Greg. lib. 30. mor. cap. 12. aliquando enim indigentiæ tempora præuenit: aliquando cibos lautiores quærit sicut filii Heli carnes nō coctas sed crudas
1. Reg. 2. de sacrificiis sumebant, vt eas accuratius coquerent; Aliquando in edendo modum excedit: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ saturi-*
Ezech. 16. *tas panis*, quia videlicet mensuram moderatæ refectionis non tenuit: Aliquando ingenti appetitu & gula in cibum etiam vile irruit: sicut Esau propter edulū lenticulæ primogeni:a vendidit: & Dauid magno desiderio aquam Bethleemiticam appetiit. *hactenus Gregori* Et hanc puto causā cur Iob non solum suos filios sacrificiis sanctificauit, sed etiam cur in propria persona sua dixerit: *Antequam comedā suspiro. Iob. cap. 3.*

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

ATTENDITE *à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. &c.* Matth. 7.

Summa Primæ partis.

I. *De hæreticis per falsos prophetas significatis, eorumque proprietatibus:*

II. *Qui sunt illi fructus à quibus cognoscuntur boni & mali.*

III. *Quomodo sit intelligendum quod arbor bona non possit malos fructus facere.*

PARS I.

I.

De Hæreticis per falsos prophetas significatis eorumque proprietatibus.

1. ATTENDITE *à falsis Prophetis*, Qui olim falsi prophetæ dicebantur, iam nunc hoc tempore hæretici appellantur: falsi prophetæ dicebantur quia quæ dicebant velut Dei verbum annunciabant cū non ex Deo sed ex seipsis ea loquerentur: idque eo fine vt sibi gloriam & sanctitatis nomen conciliarent; De quib. Ieremias, *Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis & decipiunt vos, visionem cordis* cap. 23.
sui loquuntur non de ore Dei, dicunt his qui ambulant in prauitate cordis sui. Non veniet super vos malum. Sic hæretici sub specie eloquii diuini proprium spiritum sequentes hæreses obtrudunt & errores, verbum enim Dei falsa interpretatione corrumpunt, & vt Paulus loquitur, adulterant: 2. Co. 2.
sicut enim adulter dum vxorem violat alienam, non fructum quærit coniugii, sed propriam suam voluptatem, sic hæreticus dum allegat scripturarum, nō genuinum sensum a Deo intentum sequitur, sed nouum confingit & alium: sicut falsam monetam cudentes per imaginem regis regiam monetam adulterant. Hoc autem hæreticis proprium, *inquit Gregorius*, vt libr. 5. mo. c. 11.
veris falsa permisceant, sicq; veritatem inficiant, sub cuius imagine suos errores obtrudunt, quia si sola falsa nude & aperte docerent nullus eis crederet: si etiam sola vera dicerent, hæretici non essent. Propterea vero falsos comminiscuntur sensus, vt quæstum faciant, dum ea loquuntur quæ populo placere sciunt: aut vt eruditionis & sanctitatis nomen sibi concilient, est enim omnis hæreticus animo elatus & superbus, plus tribuens proprio suo, quam totius ecclesiæ iudicio.

2. INTER eos autem qui fidei christianę auersantur quidam sunt qui eam manifeste impugnant, eique contraria docent: sunt qui id faciunt tecte & astute. Antichristus, Mahumetus & Iudæi manifeste Christi fidem impugnant, eamq; tanquam falsam reiiciunt: sed hæretici nostri temporis sub prætextu euangelicæ doctrinæ, docent quæ euangelio contraria sunt, eo quod falsum sensum quem non intendit spiritus sanctus inde eliciant, verbi gratia, cum psalmista ait, *Beati quorum remissa sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata, beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Hæc est scriptura sancta de cuius veritate dubitare non licet, quia non hominis sed Dei verbum est: atqui quia in varios sensus torqueri potest hæc scri- Psal. 31.

ptura, aliter n. eā Catholici, aliter hæretici interpretātur, ideo de gēuino eius sensu, quē intēdit Deus loquēs peros prophetę, possit exoriri dubitatio: *Hæretici* namque sic eam intelligunt, quod remittat peccata Deus quando pœnam duntaxat relaxat, sed intrinsecus hominem non renouat, sicut homo homini offensam remittit. & iudex eum à pœna absoluit: sic inquiunt, Deus homini peccatū non imputat quia pœnam peccatis debitam propter Christum qui pro nobis satisfecit, nō exigit. *Catholici* vero vltra pœnæ relaxationem etiam mentis & interioris hominis ponunt renouationem, gratiæ & caritatis infusionem. Sic & in cæteris scripturis quæ controuertuntur & subuertūtur ab hæreticis, sequuntur catholici sensum non ab ipsis excogitatum, sed ab apostolis traditum & in ecclesia perpetuo obseruatum.

3. IN REBVS omnibus quæ vel natura, vel arte, vel etiam moribus hominum constant, aliæ veræ sunt, aliæ verarū speciem mētiuntur, idque interdum tanta agnatione ac similitudine vt vix vnam ab altera discernere valeas, imo vt philophus ait, sunt quædam falsa quibusdam veris probabiliora. Si sit verum aurū est & adulterinum: si sit verus amicus, est & fictus: si sit vera fides, est & simulata sed falsa, & nunquam falsitas aut malitia sub propria prodit persona, aut talis apparet qualis est: sed dum prodit, virtutis habitum assumit, alias à nemine susciperetur aut approbaretur, & hæc omnium errorum & miseriarum, quæ in hac vita obueniunt homini, causa, fons, & origo est, quod bonum à malo, falsum à vero non discernatur liquido: Cum enim voluntas nostra sic sit à Deo creata vt nullo modo in aliquid ferri possit, nisi quod bonum sit, vel boni speciem referat, non enim in malum sub ratione mali tendere potest, Nemo intendens in malum operatur, inquit philophus: fit vt sæpe homines in rerum delectu fallantur, dum adulterina bona pro veris sectantur, & falsa pro veris amplectuntur. In quanto autem periculo hi versentur declarat Dominus per Isaiam cum ait, *væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Isa. 5. Hac enim fallaci specie inferi decipiuntur quo modo pisces & aues quæ reti aut hamo capiuntur, escam ante oculos positam vident, hamum latentem non vident, & dum escam deuorant, simul & hamum inglutiunt & capiuntur, hoc modo & auarus dum lucro inhiat & proximum defraudat, decipitur & in laqueum dæmonis incidit, dum enim inique pecuniam acquirit iustitiam amittit. sic multi dum veritatem quærunt & à falsis prophetis sibi non cauent, in errores & hæreses incidunt. Hunc scopulum igitur, in quo nonnunquam innocentiæ nauis alliditur, nobis demonstrat cælestis magister, & signa quibus illum deprehendere & ab eo declinare valeamus detegit cum ait, *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

4. SVNT nonnulli, inter quos Georgius Cassander *libro de officio pii viri*, qui docent vnicuique suam fidem esse permittendam, modo scripturam & symbolum apostolicum recipiat. sic enim omnes vera esse ecclesiæ membra licet in particularibus dogmatibus dissentiant & errent.

Hoc enim modo & patres inter se dissensisse & errasse: scripsit namque Augustinus vir vndequaque doctissimus duos libros retractationum, in quibus suos agnoscit & reuocat errores: sic Origenes & Tertullianus cum multa scripserint, in multis etiam lapsi sunt, quorum tamen scripta non reiiciuntur, ergo possunt & hæreticorum libri legi, & eorum colloquia admitti. Dicit enim Paulus, *Omnia probate quod bonum est tenete.* 1. Thess. 5 Sed & hoc tempore plurimum inter se digladiantur scholastici doctores, Thomistæ præsertim & Scotistæ. Verum cum manifeste hic dicat Dominus falsos prophetas esse vitandos, *quorum sermo vt cancer serpit* teste 2. Tim. 2. Paulo, & Ioānes nos moneat, *Si quis venit* Epist.

 ad

ad vos & non adfert hanc doctrinam, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. S. Cyprianus de talibus dicat, Nulla commercia cum iis copulentur, nulla colloquia misceantur, nulla conuiuia extruantur, simulque ab eis tam separati, quam sunt illi de ecclesia profugi. B. quoque *Athanasius* in vita S. Antonii de Antonio dicat, sic eum hæreticos fuisse detestatum vt nec eis appropinquandum diceret, nec ad montem in quo degebat, eos accedere volebat: Apostolus quoque Ioannes, vt refert Irenæus, cum balneum ingressus esset, mox vt Cerinthum hæreticum intus esse cognouit, de balneo exiliuit: nimirum hoc suo exemplo docens totis viribus hæreticum cauendum: Sed & Iosaphat iram Dei merebatur, quia iis amicitia iungebatur qui Deum oderant, vt patet 2. *Paral. cap.* 19.

Lib. 1. epist. 3.

Irænæus. Lib. 3. ca. 3.

5. IDEO nequaquam audiendi sunt qui docent vnicuique suam libertatem esse relinquendam, cum vt Paulus ait, *sine fide impossibile sit placere Deo.* Et cum veritas fidei non in verbis scripturæ, sed in sensu sit posita, non suscipiunt scripturam qui in sensu discrepant. Et si sufficeret verbotenus scripturam suscipere, nulli hæretici essent iure damnati, nam omnes hæretici scripturas pro se allegant, & ex iis suos errores & hæreses stabilire conantur, & cũ ratione omnia sua dicere & agere videtur. Hinc sub specie locustarum Ioannes *in sua Apocalypsi* hæreticos describens dicit, quod facies earum erant sicut facies hominum, quia si prima fronte hæreticos inspicias, omnẽ præ se ferunt humanitatem, simplicem veritatem & purum Dei verbum annuntiare se dicunt, verum licet sub vestimentis ouium appareant, intus tamen sunt lupi rapaces, & dentes eorum dentes leonum, *inquit Ioannes*, dum enim mordent insanabilem plagam infigunt. Ideo sicut Christus & apostoli prohibuerunt dæmonibus ne dicerent qui essent, licet vera dicerent, ne scilicet per ea fidem sibi conciliarent, & eo facilius postmodum falsa hominibus persuaderent, ita hæreticis etiam vera prædicantibus minus est credendum, ne si id fiat, etiam hæreses & errores suos occulte inferant.

Apocal. cap. 9.

Luc. 4. Acto. 16.

6. SOLENT maiores nostri dũ aliqua exoriretur hæresis noua, huic vt resisterẽt omnes ecclesiæ vires colligere, & tanquam communi classico euocati concilia cogere, & omnes vna ad resistendum occurrere: nouerant enim quod quemadmodum procellæ ventorum & tempestates mare commouent atque perturbant, sic hæresis quam inuaserit regionem, mox in ea tumultus, prælia, seditiones excitat. Alia scelera vt propulsarent nemo de sua ciuitate discedebat: hæresim vt restinguerent, prouincias ac ciuitates suas deserere & ignotas regiones petere non dubitabant: Nouerant enim hæresim tanto esse nocentiorem, quanto communibus morbis magis est metuenda & formidanda pestis. Duo sunt autem quæ pestem præ cæteris morbis merito horrendam metuendamque efficiunt, *vnum* quod summa velocitate venenum suum ad cor vsque diffundat, & hominem paulo ante sanum pene in momento temporis extinguat. *Alterum* quod cum vnum inficit, centum alios inficiat, & longe lateque tam celeriter serpat vt si hodie domũ vnam inuaserit, breui totam ciuitatem peruadat. Idipsum est omnino hæresis in hominum animis, quod pestis in corporibus. Testis est nostra hæc ætas. Quis enim ignorat pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam, mox Germaniam pene totam occupasse, inde ad Aquilonem & Orientem profectam, Daniam, Nortwegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumsisse: tum ad Occidentem & Meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam florentissima quondam regna breui tempore depopulatã. Quæ cum ita sint, vt ii qui peste laborant, ne cæteros inficiant, ab aliorũ cõsortio merito excluduntur, & neque domos illorũ ingredi, neq; aliquid q ipsorum fuerit, cõtingere audemus: sic etiam

tiam hæreticorum colloquia & familiaritatem & scripta esse euitanda, quisquis sano iudicio fuerit, iudicat.

7. HÆRESIS ipsum salutis fundamentum euertit & radicem penitus euellit. Primum enim gratię munus quod à patre cœlesti in conuersione ac iustificatione recipimus, primus cordis reuiuiscentis motus, primus vitæ spiritualis sensus, primus lucis diuinæ radius quo nos spiritus diuinus illustrat, absque vlla dubitatione fides est: inde enim quasi ab aurora incipiens lumen iustorum procedit & crescit vsque ad perfectum diem. Cum igitur hęresis initium vitæ spiritualis supprimat & extinguat, & vltima fundamenta euertat, vt totum simul vno impetu funditus corruat, quid hæresi funestius aut exitiosius excogitari potest? Si catholicus quispiam labitur in peccatum, si furtum, si adulteriũ forte committat, misere certe cum illo agitur, at nihilominus quoniã adhuc aliquis vitæ sensus, & ædificij fundamentum, & boni operis radix, hoc est, fides in ipso remanet, multa & magna præsidia adhuc habet ad salutem: potest ex fide quã habet ad Deum clamare, eius sacramenta tanquam pharmaca ac vitæ remedia suscipere, precibus matris Ecclesiæ iuuari. At homo hæreticus nihil horũ habet, sed extincto in corde ipsius lumine fidei, vmbras & phãtasmata inania sectatur, & quo diutius viuit, eo longius à Deo recedit, & tenebris densioribus inuoluitur, donec à tenebris interioribus quas in animo patitur, ad exteriores illas quæ sunt in gehẽna, pertrahatur. An non tenebris densissimis offusi fuerant, qui cum sapientissimi omnium hominum videri vellent, tamen ea docuerunt & pro Euangelio obtruserunt, quæ diliramenta esse etiam pueri intellexerunt? Nam quid magis impiũ fingi potest, quam Deum qui fons est bonitatis & iustitiæ, auctorẽ omnium scelerũ facere? At Caluinus hoc facit, lib. 1. Instit. Cap. 18. §. 4. Quid magis ineptum quam dicere Deum in lapide vere esse lapidem, in trunco trũcum, in bestia bestiã, in omnibus omnia: At docet id Seruetus in epist. 6. ad *Caluinum*. Deinde quis non obstupescat potuisse homines reperiri qui sibi persuaderẽt nihil aliud ad iustificationem requiri impiorum, quam vt certo statuant se esse iustos, sibiq; esse remissa peccata, vt iam nõ opinio à veritate rei sed è contrario rei veritas ab opinione dependeat? Et tamen hoc ipsum incredibile paradoxũ pro Euãgelico tenet maxima pars hæreticorũ huius tẽporis. Quam tetra putas caligine tenetur animus ille qui tantam insaniã excogitare potuit, *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est mandato sancto*, inquit Petrus. 2. Pet. 2. Contigit enim illis quod dicitur in prouerbiis, Prou. 26 *Canis reuersus ad suum vomitum*.

8. MIRABERIS forte, vnde hęresiarchę tot asseclas habeant si tam tetri, tamq; exitiosi sint eorum quos docent errores & hæreses, si aduerteris quinã sint illi qui ad hęreses plærumque deficiant, nõ miraberis. Homines ita comparati sunt à natura vt id facile credant & libenter suscipiant quod gratum est quodq; prius cupiebant: qui corruptis est moribus & secũdũ carnis concupiscentiã viuit, ita pronus est & dispositus ad hæresim suscipiendã, sicut ligna arida ad flammã concipiendam, solũ requiritur qui ignẽ supponat. Cũ itaque euangelium Lutheri libertatem homini permittat, vt quisq; credat & faciat quod sibi videtur bonũ, leges omnes abroget, ieiunia & opera bona nullius meriti esse dicat, cõtinentiam impossibilem asserat, pœnitentiam non necessariam doceat, facili cogitatione & sola fide remissionem peccatorum & gloriam cœlestem hominẽ assequi posse deprædicet, legẽ Dei obseruatu esse impossibilem impudenter tradat, frena libidinibus & ebrietatibus laxet, quid mirum si hęretica lues tam facili negotio tot regiones inuaserit & corruperit? Non est difficile homini carnis voluptatibus immerso persuadere continẽtiã esse rẽ supra vires, ieiunia esse superuacua, homini otioso opera bona non esse

esse necessaria, sed solam fidem ad salutem sufficere.

9. HINC Ioannes in sua *Apoc.* describens figurate naturam & côditiones hæresiarcharum & hæreticorum, dicit stellæ illi, quæ de cœlo cecidit in terram, datam esse clauem putei abyssi, *& aperuit*, inquit, *puteum abyssi, & ascendit fumus putei, & de fumo exierunt locustæ in terram, facies earum sicut facies hominum, & dentes earum sicut dentes leonum, & habebant capillos sicut capillos mulierum, & habebant loricas sicut loricas ferreas: & præceptum est eis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Porro stella ista quæ de cœlo in terram cecidit is est, qui in Ecclesia Dei splendore doctrinæ cæteris prælucebat, factus terrenus & carnalis non nisi diuitias & delicias sectatur, qualis fuit Lutherus qui victum sobrium in opipara commutauit conuiuia, & horribili, casu ex monacho apostata factus, monachus moniali contra professionem & vota emissa copulatur. Huic data est clauis putei abyssi, vt sicut Christus apostolo Petro claues regni cœlorum tradidit, quibus diuina oracula reseraret, ac populo sibi concredito doctrinam salutarem de cœlo adferret, ita Sathan Luthero primario suo apostolo clauem abyssi cômunicauit, qua puteum infernalem aperiret, ac teteros inde errores & dogmata perniciosa educeret, quibus corda carnalium hominum aperuit, tanquam alterâ abyssû quia profunda sunt admodum, vt liberè iam eloquerentur & agerent, quod prius in corde gerebant & occultabant. Et ascendit fumus putei, maligna consilia & falsa dogmata quæ oculos mentis turbant & obscurant, exortaque est tanta caligo vt vix viderent quid credere aut reijcere deberent. Et de fumo putei exierunt locustæ, quod est ventrosum animal, ita ventris onere prægrauatum, vt dum volat mox decidat: Talis est multitudo hæreticorum ventri deditorum.

1. A FRVCTIBVS *eorum cognoscetis eos.* Sunt tria operum genera quæ ab hominibus fieri solent, Bona, Mala, & indifferentia bonis malisque communia: Bona sunt propria bonorum, è quibus dinoscuntur: Mala solis malis conueniunt, itavt & n ex iis minimo negotio cognosci queant, fructus itaque quibus inuentis cognoscamus arborem malam, enumerat Paulus cum ait, *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, veneficia, inimicitiæ, hæreses ebrietates, comessationes, iræ, rixæ, homicidia, & his similia.* Hos fructus non potest facere arbor bona simul atque enim hos malos fructus facit desinit esse bona, sicut nix non potest esse calida, quia simul vt fit calida, resoluitur in aquam & perdit niuis proprietatem. Fructus autem per quos cognoscimus arborem bonam, sunt vt idem ait, charitas, gaudium pax, patientia, bonitas, mansuetudo fides, castitas, modestia. Hos fructus quamuis hypocrita & falsus propheta simulare possit, vt patet ex *Apocalypsi Ioannis*, vbi facies locustarum dicuntur esse sicut facies hominum, quia simulant omnem humanitatem, mansuetudinem, benignitatem, patientiam & caritatem: Tamen re ipsa huiusmodi fructus bonos facere non possunt, quia si facerent tunc mali esse desinerent: qui enim caritatem habet & re vera patiens & benignus est, ille bonus est. Dum vero simulant se bonos, benignos, humanos, diu se continere non possunt, sed temporis successu tales se produnt, quales sunt, quia ægre potest quis suam exuere naturam, qui proximum odit, etiamsi amicitiam simulet, tamen vbi occasionem nactus fuerit, carpit, lacerat, detrahit, maledicit, & illi sunt fructus ex quibus scitur quod sit arbor mala. Ita qui hæresi infectus est, alios à fidei vnitate ad varias sectas & errores diuertit, à sanctis ieiuniis ad ingluuiem carnis reuocat, à veneratione Sanctorum ad exustionem reliquiarum, à timore & tremore, in quibus nos iubet *Paulus* operari nostram salutem,

II. Quinam sunt illi fructus ex quibus cognoscũtur boni & mali.

Gal. 5.

Cap. 9.

Digitized by

lutem, ad præſumptionem & firmam cõfidentiam de certitudine ſalutis: à ſacramentorum communione ad eorum contemptum: ab obedientia mandatorum ad impoſſibilitatem eorum: à corde contrito & humiliato ad cor induratum & ſuperbum.

2. HAC enim de cauſa dicit Ioannes in *ſua Apocalypſi*, locuſtas habere loricas ſicut loricas ferreas, quia hæretici per locuſtas ſignificati animum habent & pectus obduratum, etiamſi ratione vincantur cedere nolunt, & mori malunt quam ab errore recedere: quotquot adferas rationes aut argumenta nullum eſt quod penetrat, quod moueat, totum excutitur ſicut ſagitta in ferrum immiſſa. Et vox alarum earum ſicut vox curruum multorum currentium in prælium, quia prædicatio eorum quæ nil eſt aliud quam ſonus inanis, plena eſt ſeditione, tumultu & rebellione. Solet dicere *Eraſmus* quod auditores Lutheri egredi conſueuerant ex ipſius concione ſicut milites ad bellum parati, animoſi, turbati, ſeditionibus & tumultibus pleni. Si quis Lutherum audiat putabit omnino ſe Goliath Philiſtæum, aut Thraſonem quempiam audidire: Sic enim exclamat *in aſſertione* 25. Adeſte, adeſte huc omnes Papiſtæ in vnum, conflate omnia ſtudia veſtra in vnum, ſi forte poſſitis hoc vinculum ſoluere: Et in *libro ad Ducem Georgium* ſcripto ſic habet, A tempore apoſtolorum nullus doctor aut ſcriptor, nullus Theologus aut iureconſultus tam inſigniter & clare conſcientias ſecularium ſtatuum confirmauit, inſtruxit & conſolatus eſt, ſicut ego feci: per ſingularem Dei gratiam hoc certo ſcio quod nec Auguſtinus, nec Ambroſius, qui tamen in hac re optimi ſunt, mihi in hoc æquales ſunt: *hac ibi*: Imo tam Lutherus quam Caluinus nihili faciunt mille Cyprianos, mille Auguſtinos. Adde quod in *lib. contra bullam Leonis decimi ſummi Pontificis*, audet apoſtata monachus Lutherus Pontificem maximũ cum vniuerſa quæ illi paret eccleſia excommunicare. Quis vnquam audiuit talia, aut vidit huic ſimile? Bene itaque ait de iſtis locuſtis Ioannes in ſua *Apocalypſi*, quod dentes earum ſicut dentes leonum erant, & caudas habuerunt ſimiles ſcorpionum, & aculei in caudis earum, mordent enim crudeliter & famam ſacerdotum & cleri dilacerant cum quadam delectatione, ita vt ſi ex hæreticorum libris detractiones, maledicta & blaſphemiæ ſubtraherentur, certe ingẽtia eorum volumina in pauca folia contraherentur: Et dum ſuis auditoribus adblandiuntur, animis eorum aculeos errorum infigunt, & lethiferum virus infundunt. Ad extremum, dicuntur locuſtæ ſuper ſe habere Regem angelum abyſſi, qui latine dicitur exterminans, quia vbi hæreſis graſſatur, omnes fructus bonorum operum inſtar ſæuæ grandinis ſegetem deuaſtantis, fidẽ caſtitatem, religionem & omnem pietatem exterminat, vaſtat & perdit. Cap. 8. 9

3. ECCE hi ſunt fructus falſorum prophetarum ex quib. dignoſci poſſunt, dum enim talia operantur, ex proprio operantur, dum falſa docent, hæreſes ſeminant, diſſenſiones faciunt, ex proprio ea faciũt, ex abundantia cordis os loquitur: ſicut Dominus de diabolo dicit, quod ſtatui mendacium loquitur, *ex proprio loquatur, quia mendax eſt*, ita vt mentiri ſit ei naturale quodammodo factum. Sed vna in tot malis eſt conſolatio, quod locuſtæ iſtæ vt *Ioannes ait*, herbas virentes non lædant, ſed ligna duntaxat arida atque ad incendium præparata, quia hæreſis non facile viros bonos, in quorũ animis viget pietas & religio, corripit: ſed ſteriles, improbos & diſſolutos: eſt n. improba vita proximus ad hæreſim gradus, & raro aut vix vnquam contingit, vt circa fidem naufragetur qui prius bonorum morum naufragium paſſus non fuerit: Id quod Paulus nobis innuit cum ait, *Quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, quia male viuendo à fide defecerunt*: vt enim anchora firmat nauem, qua ſublata huc illucque fluctuat, ſic bona conſcientia & ſan- 1. Tim. 1.

Digitized by Google

& sancta conuersatio roborat fidem.

4. TERTIVM genus operum censetur illud quod dicitur indifferens bonis malisque commune, possunt enim huiusmodi opera & bene & male fieri, secundum q̃ est intentio facientis: Huiusmodi opera sunt orare & ieiunare, eleemosynas dare, ignorantes docere, & similia: si orant boni, orant & mali, si ieiunant boni, id faciunt & mali, si eleemosynam dent boni, dant & mali, si doceant, prædicent, celebrent, sacramenta administrent aut sumant boni, faciunt id & mali: si tormenta & tribulationes perfert iustus perfert & iniustus. Et hæc sunt vestimenta ouium, Ieiunium, Orationes, vel eleemosynæ, in quibus veniunt falsi prophetæ, & hoc modo à lupis decipiuntur simplices, dum in fructibus deputant, *inquit August.* quæ ad vestimentum ouium pertinent. Hi ergo non sunt fructus à quibus arborem cognosci monet Dominus, quia ista dum fiũt bono animo, sunt vestes ouium quibus lupi se tegunt, dũ eadem sed mala intentione faciunt: si à radice bona oriũtur possunt cẽseri fructus boni: si à mala sunt fructus mali: verbi gratia perfert iustus tormenta ne deserat iustitiã, ea perfert & impius ne prodat suam iniquitatem, in vno est laudanda patientia, in altero detestanda duritia. Et quia de internis & absconditis homo iudicare non potest, ideo ex huiusmodi operibus, quæ bonitatem suã ab interno animo mutuantur, tanquã ex suis fructibus arbor bona cognosci nõ potest: Nam etiã si quempiam videã orate, etiamsi addas integros dies aut noctes, nõ inde possum cognoscere an sit arbor bona, an sit vir bonus, quia idẽ potest facere & vir malus, sub hoc vestimẽto ouis potest latere lupus: Simili modo dũ quẽpiam video frequenter ieiunare, multas eleemosynas facere, nõ possum inde arborẽ bonã cognoscere. Quid ergo? hoc dũtaxat q̃ oret, quod ieiunet, quod eleemosynas det: sed qua intentione id faciat scire non possum: & ideo noli iudicare si non velis errare. Fructus igitur ex quibus cognoscitur arbor, sunt ii de quibus supra Paulus *ad Gal. 5.* Hæreticus enim & falsus propheta cognoscitur ex fructib. suæ doctrinæ, qui cum mali sint, vt supra commonstratum est, etiã ipsa doctrina mala sit necesse est. Si quis male viuat & bene doceat aut prædicet (quales ii erant de quibus dicitur, Quæ dicunt facite, sed secundum opera eorum facere nolite) inter falsos prophetas censeri non debet, quia mala ipsius vita non est fructus bonæ doctrinæ, vt propter vitam malam improbari debeat doctrina bona.

Aug. lib. 2. de ser. Dom. in mon.

III. Quomodo arbor bona non possit malos fructus facere.

1. NON *potest arbor mala bonos fructus facere*, non hoc vult Dominus, hominẽ malũ nihil boni facere posse, quasi omnia ipsius opera sint peccata, cum expresse Pau. dicat, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt:* Neque hoc vult, quod homo bonus nihil mali possit facere aut quod nõ possit peccare, vt volunt hæretici Manichæi statuentes duas naturas ex duobus principiis ortas, vnam bonam quæ nihil mali posset operari, alteram malam quæ nihil boni possit facere. Quibus respondet *Aug.* hominem dici bonum vel malũ non per naturam sed per voluntatem. Quæ natura constant immobilia sunt, nec studio aut diligentia hominũ acquirũtur: homo natura mortalis est & passibilis, ideo nemo potest esse impassibilis: homo natura dormire debet & comedere, & quis vnquam hoc suo studio effecit vt dormire aut edere non debeat? nemo sane & hoc non ob aliud quam quia somnus naturalis est & necessarius: Si igitur quis natura bonus esset aut malus, mutari non posset ex vno in alium: At vero à probis morib. ad improbos, & contra à malis ad bonos cõuerti, & illos negligentia delinquere, & hos diligentia proficere quotidie videmus. Rursum si virtus natura nobis esset insita, sicut visus vel auditus, sicut nulla quis indiget opera aut labore ad videndũ vel audiendũ, sic nullo labore opus esset, inquit *Chrys.* ad colẽdum virtutẽ, constat & hoc per

Rom. 2.

Lib. 1. con. Iulia c. 3. & lib. 1. c. 22. con. aduer. leg. & pro.

Digitized by Google

per experientiam eſſe falſum. Denique ſi natura eſſemus boni vel mali, neque laude neq; reprehẽſione, neq; præmio neq; ſupplicio eſſemus digni, ſi enim legẽ obſeruet aut tranſgrediatur non ipſe ſed natura id facit quam mutare non poteſt, ſicut ſol & aſtra dum ſuum curſum obſeruant, nihil præmii à Deo ideò conſequuntur, quia non tam agunt quam aguntur, & agant licet ſicut ignis dum urit, non tamen liberè agunt.

2. HOMO itaque non per naturam ſed per voluntatem bonus eſt & malus: quæ cum mutabilis ſit, poteſt is qui bonus eſt fieri malus & econtra. Quæſtio igitur eſt. *Quomodo hic dicatur, non poteſt arbor bona malos fructus facere,* cum & qui boni ſint, peccent: & qui mali ſunt, etiam nonnulla opera bona faciant. Huius quæſtionis ſolutionem ſupra ex *Augu.* dedimus: præter eam vero alia hic ſubiungitur ex aliis auctoribus deſumpta: non ſignificat Dominus omnino nõ poſſe arborem malam facere fructus bonos, ſed tãtum ſignificat contra naturam fieri, & fieri non ſolere, vt arbor bona faciat fructus malos, aut vt arbor mala faciat fructus bonos, cum fructus huius communiter & præcipue non ſint niſi mali: illius vero fructus communiter & præcipue non ſint niſi boni, ita vt facile ex eorum fructibus colligere poſſimus quiſnam ſit bonus vel malus. Matt.12. Communiter enim & natura ſua bonus homo *de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala quia ex abundantia cordis os loquitur.* Si autem contrarium interdum fieri contingat, id raro admodum fit & valde difficulter. Sic legimus de fratribus Ioſeph quod *oderant eum & non poterant ei quicquam pacifice loqui*: non quia ſimpliciter non poterant, tanquam eis hoc impoſſibile fuerit, ſed quia non niſi ægre & admodum difficulter poterant. Ergo ſecundum iſtos qui prædictam quæſtionem hoc modo ſoluunt, non voluit hic Chriſtus certum tradere ſignum quo ex fructibus arborem dinoſcere liceat, ſed tantum probabile: voluit enim docere non poſſe falſos Prophetas, qui ſimulatione ſanctitatis falſam doctrinam probant, diu ſe ita ouina pelle tegere, quin aliquando, qui ſub ea latet lupus, appareat: non enim diu ſimulatio veritatem poteſt imitari, ſed quod latet paulatim quod & quale eſt apparet.

3. Ex hac ſcriptura non poteſt arbor mala fructus bonos facere, hauſerũt Caluiniani abſurdum errorem, videlicet non poſſe operibus hominem iuſtificari, ſed iuſtum declarari atque cognoſci, quia non fit arbor bona quia facit fructus bonos ſed quia bona eſt bonos fructus facit: nam vt arborem ſuis fructibus, ita bonam arborem bonis fructibus priorem eſſe neceſſe eſt: nec arbor bona ex fructu bono bona fit, ſed bona eſſe cognoſcitur. Quibus *reſpondendum.* Si iuſtis operibus non efficimur iuſti, ſed declaramur iuſti, quia arbor bona non fit ex fructu bono bona, ſed bona eſſe cognoſcitur, ergo iniuſtis operibus nõ efficimur iniuſti, quia arbor mala nõ fit ex fructu malo mala, ſed mala eſſe cognoſcitur. Ita efficitur iſtorũ argumẽtatione Adamũ qui bona à Deo arbor factus erat, peccare non potuiſſe, quia nõ potuit arbor bona malos fruct⁹ facere: & ſi peccauit, nõ fuiſſe tamen iniuſte agẽdo factum iniuſtum, quia arbor ex malo fructu mala eſſe cognoſci poteſt, mala fieri nõ poteſt. Hæc difficultas quo melius enodetur, *ſciẽdum*, quod multũ intereſt inter morales & naturales cauſas. *Naturales* n. non ex bono vel malo affectu malæ vel bonæ fiunt, ſed quia bonæ vel malæ ſunt, bonum vel malũ effectũ habent. *Morales* vero non ſolum quia bonæ vel malæ ſunt bene vel male agunt, ſed etiam quia bene vel male agunt, bonæ vel malæ fiunt. Nec enim tantum quia temperantes ſumus viuimus temperanter, ſed etiã temperanter viuendo, temperantes efficimur. Arbor cauſa naturalis eſt, propterea nec ex bono fructu bona, nec ex malo mala fit: ſed quia bona vel mala eſt, bonum vel malum gignit fructũ: Homo moralis, propterea nõ ſolum

Digitized by Google

solum quia bonus vel malus est, bene vel male agit, sed etiam quia bene vel male agit, bonus vel malus fit. Neque requirendum est vt omnibus in rebus arboris similitudo homini conueniat, sed in ea tantum, qua de agebatur, nimirum & arborem ex fructu, & hominem ex moribus iudicari.

PARS II.

Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7.

Summa articulorum Partis II.

I. Quomodo quisque sibi à falsis prophetis cauere debeat & quinam sint illi.

II. Homo arbori comparatur & fructus bonos proferre debet.

Art. I. Quomodo sibi quisque à falsis Prophetis cauere debeat.

Amb. in c. 3. ad Titū. ad illa verba, Hæreticum hominem.

Greg. lib. 32. ca. 17. morali.

1. HÆRETICI per verba legis legem impugnant, inquit *Ambro.* proprium enim sensum verbis astruunt legis, vt prauitatem mentis suæ, legis auctoritate commendent. Sciens enim impietas auctoritatem multum valere, fallaciam sub nomine eius componit, vt quia res mala per semetipsam acceptabilis esse non potest, bono nomine commendetur. Et vt facilius valeant hæretici peruersa suadere, dictis suis quædam vera permiscent, vt animos audientium ex recto sensu trahant & peruerso feriant, *inquit Grego.* Et dum error veritas, & virtus vitium creditur, non solum facilius suscipitur, sed & difficilius emendatur atq; corrigitur. Cumque hoc omnibus hæreticis innatum sit de singularitate scientiæ gloriam captare, dum per elationem veritati contradicitur, loquendi procacitas veritatis defensio putatur.

2. VENIVNT itaque rapaces isti lupi in vestimentis ouium quādo hæretici diuinam scripturam allegāt, & exterius quod Dei esse videtur, ostendunt: sed intrinsecus sunt lupi rapaces, quia verbum Dei allegantes peruerso sensu & interpretatione illud falsificant & adulterant, suosque errores & seductiones in mentes auditorum instillant, verbi gratia dicit Dominus *Non quod intrat in os coinquinat hominem:* Audit hoc hæreticus, audit & catholicus, sed audiens hoc hæreticus gulam parat voracitati, vt ne quidem in die ieiunii à carnibus abstineat: audit hoc iustus & catholicus, & à ciborum discernendorum superstitione rite munitus & instructus se continet. Rursus dicit Paulus *Iustus ex fide viuit*: Audit hoc hæreticus, audit & Catholicus, sed alio sensu istud suscipit hæreticus, alio autem Catholicus. Ille enim ex hac scriptura fidem ad salutem sufficere docet, nullamque bonorum operum habendam esse rationem, quippe quæ nullius apud Deum sint meriti, eo quod scriptum sit, *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus:* hactenus tamen opera bona fieri posse & debere quatenus proximo conducunt & necessaria sunt, vt eleemosyna, annunciatio verbi Dei, consilium prudens & sanum, & his similia, non autem quatenus salutem promereantur, quippe quam soli fidei tribuunt. Catholicus autem dum hanc scripturam legit, *Iustus ex fide viuit*, iustitiam & vitam fidei asscribit, quia illa radix est & origo omnis iustitiæ & spiritualis vitæ: fides enim hominem illustrat vt sese suumque morbum agnoscat, medicum ostendit à quo subsidium postulet, gratiam & gloriam impetrat: nam *teste Augustino*, ad hoc fides datur vt per eam cætera dona impetrentur: fides insuper docet quid vitandum, quid faciendum vt quis vitam æternam possideat: scriptum enim per fidem nouimus, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Iustus itaque ex fide viuit, tum quia per fidem caritatem, quæ est animæ vita, ac cætera dona spiritualia impetrat: tū etiam quia secundū præscriptū fidei vitam suā instituit, euitans ea quæ fides docet euitanda, & faciens quæ sunt facieda:

Matt. 15.

Rom. 1.

3. ITEM scriptum est. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in*

Digitized by Google

est in cælo desuper. & quæ intra ra deorsum: Nō *adorabis ea neque coles.* legit hoc catholicus legit & hæreticus sed diuerso sensu & diuersa mente Catholicus enim nouit Dei naturam aliqua figura & similitudine exprimi non posse, & ideo Deo nullam statuam quæ adoretur aut colatur esse erigendam, prout Dijs suis statuas erigebāt gentiles & colebant. Hæretici autem non solum Dei quatenus Deus est, sed & Christi quatenus homo est, & omnium Sanctorum imagines sublatas volunt, & callide id per eos agit dęmon vt è mentibus hominum penitus tollatur memoria eorum, nedum à nobis in suis imaginibus coluntur & adorantur, ab eis vlla beneficia consequamur: neque enim eos tanquā Deos colimus, aut eorum imagines adoramus, quod *Exod.* 20. prohibetur sed eos tanquam Dei amicos in suis imaginibus honoramus, cum imagines eorum sint veluti scripturæ nube pro suo cuiusque merito & peccatori pluuia laqueorum & iusto pluuia vbertatis infunditur. Omnes namq; verbo Dei animas irrigantes siue Apostoli ij sint, siue prophetę, nubes dici possunt: qui cum male intelliguntur, pluit Deus super peccatores laqueos: cum autem bene intelliguntur, fœcundant pectora piorum, *hæc Aug.*

vide Aug. lib. 2. de ser. do. 4. RVRSVM rapaces isti lupi, hoc est, hęretici (hos enim per lupos intelligit *Aug.*) in vestimentis ouium veniunt, dum sanctimoniam & pietatem præ se ferunt, dum mansuetudinem & modestiam, dum omnem humanitatem exhibent & morum grauitatem tenent, vestimenta enim vocat quicquid extrinsecus apparet, verba & opera, eleemosynas, omniaque caritatis officia, vt ait *auctor imperf.* Et dicit eos Hom. 19. habitu ouiū venire, quia fingunt se veras oues esse, quo minus timeantur, nihil enim in eorum ore, nisi Dominus, nisi Pater noster cœlestis, nisi Christus nisi fides nisi verbum euangelii. Sed intrinsecus sunt lupi rapaces, quia malitiam qua magnam in grege Domini faciunt stragem in corde occultant, & simulata pietate ac bonitate homines à vera religione & via virtutis, cuius se & doctores & ductores profitentur, abducunt & à fide aberrare faciunt, multo enim nocentior est hęreticus qui apparet bonæ vitæ, & fa cilius audientium decipit simplicitatem & ad falsum dogma pertrahit per vmbram sanctitatis, quam qui improbus fuerit: quia cōuersatio mala etiam doctrinam maculat eique suam auctoritatem detrahit. vide Orig. hom. 7. in Ezechi.

5. QVANQVAM tarus sit hæreticus qui aut castitatem seruet, *inquit Hiero.* quæ enim secrete agunt turpe est & dicere aut pietatem colat, aut proximū diligat. Humectus videtur scirpus antequam veniat sol, inquit Iob. Quem locum explicans *Greg.* sic ait: Sol Christus dicitur *Mala. ca.* 4. qui sic habet, *vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ.* Ante solem igitur scirpus humidus & viridis cernitur, quia priusquam diuina illustratio, in iudicio clareat, omnis hypocrita perfusum se sanctitatis gratia ostentat, & quasi virens cernitur quia iustus æstimatur, & dum gloria sanctitatis pollet, à cunctis honor & veneratio ei defertur. Itaque scirpus iste in nocte humidus est & viret, sole autum veniente siccatur, quia nimirum hypocrita in tenebris præsentis vitæ sanctus ab omnibus creditur, sed cum sol iustitiæ qui illuminabit abscondita tenebrarum Christus iudex aduenerit, quam sit iniquus hypocrita hęreticus apparebit. Et si ascenderit superbia eius vsque ad cęlum & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, vt dicitur Iob. 20. Superbia hypocritæ vsque ad cœlum ascendere dicitur, *inquit Greg.* quando eius elatio cœlestem vitam agere videtur: cuius etiam caput quasi nubes tangit, quando mente & animo Sanctorum meritis coæquare nititur. Sed quasi sterquilinium, in fine perdetur, quia in morte sua cum ad tormentum rapietur, stercoribus vitiorum plenus à malignis spiritibus conculcatur: Et velut somnium auolans non inuenietur, & transit sicut visio nocturna. Quid enim est visio hypocritę *in-* Hier. in c. 6. Ose. Iob. 8. Greg. lib. 8. mora. ca. 11. Greg. libr. 15. cap. 3.

Digitized by Google

Greg. c. 4. *quit Greg. ibidē* nisi quædam visio phantasmatis, quæ hoc ostendit in imagine, quod non habet in veritate. Sæpe namque in nocturna visione nōnulli pauperes factos se diuites admirantur, deferri sibi honores aspiciunt, obsequentium multitudinem, pulchritudinem vestium, ciborum copiam adesse sibi congratulantur, sed repente cum euigilant, inueniunt quam falsum fuerit ob quod gaudebant, eosque euigilasse pœnitet, quia vigilantes vera inopia premit, quos dormientes & somniantes abundantia extollebat. Sic hypocritæ cum ab hominibus immoderate laudantur, tales & apud Deum se esse quoque imaginantur: sed inter hæc dum oculi carnis clauduntur & mentis aperiūtur, mox vident quia virtutis æstimatione diuites in somnis fuerunt.

6. PROPRIE pseudoprophetæ hic dicūtur nō qui aperte fidem Christianam impugnant & Christum negant, vt Mahumetes, Antichristus, eorumque sequaces quanquam & hi aliquo modo comprehēdantur, sed qui Christi nomen professi, sub Christianæ & Euangelicæ doctrinæ prætextu docent quæ sunt Euangelio Christique doctrinæ contraria: quales sunt hi quos communiter hæreticos vocamus: Ab his, vt summa cura nobis caueamus, monet hic Dominus, quia cum hæresis vt cancer serpat, nisi in pestifero hoc morbo fugiendo summam adhibuerimus diligētiam, facile ab hac peste corripiemur.

August. lib. Breuic. coll. con. Dona. 7. QVÆRIT autem *Aug.* qualis separatio bonorum a malis hoc tempore & in hac vita vbi boni malis vbique permixti sunt, fieri debeat, ne peccatis quis communicet alienis? Corde, *inquit*, & vitæ morumque dissimilitudine: nec aliter intelligi debet quod scriptum est Isa. 52. *exite de medio eorum, recedite inde & immundū ne tetigeritis*, hoc est discernamini aliter viuendo, & immunditiæ ne consenseritis, sed nec eorum familiaritatem ambiatis, reuera enim noxiæ sunt amicitiæ quæ cū malis, maxime cum hæreticis contrahūtur. Hinc Dominus ad Israelitas *cum in-*

Deut. 7. *troduxerit te Dominus in terram quam pos- sessurus ingredieris, percuties gentes illas vsque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum quæ sint tibi in ruinā.*

Basilius. hom. 9. ex variis. tom. 1. QVEMADMODUM enim in pestilentialibus locis sensim attractus aër latenter corporis morbum inducit *inquit Basil.* sic itidem in praua consuetudine & conuersatione, maxima nobis mala ingeruntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur, dum earum rerum quas oculis haurimus & auribus, animis nostris veluti notæ quædam & pestilentes formæ impressæ insident & inhærent. Nam dum inter reprobos magnum diuinas leges violantium numerū intuemur, animus peccata sua agnoscēdi & se per pœnitentiam affligendi, commoditatem non habet, quin potius facta sui cum deterioribus comparatione, de virtute sua sibi nescio quo modo blanditur. Tum deinde variis tumultibus, occupationibusq; quæ vita solet communis maxime hæreticorū & impiorum afferre, a Dei memoria, cuius haberi ratio maior debet, abstractus animus non in eo solum detrimentum facit, quod non exultat in Deo delectaturq; neque verborum Domini dulcedine vlla perfunditur, ita vt vere dicere queat, *Memor fui Dei & delectatus sum*: sed in eo etiam assuescit vt iudicia ipsius penitus contemnat & obliuiscatur, quo neque maius ei, neque capitalius malum vllum potest accidere, *hac Basilius.*

Greg. ho. 9. in Ezec. 8. DICEBAT Dominus Ezech. ca. 2. *Increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas fili hominis.* In quem locum *sic Grego.* Increduli Deo quidem: Subuersores autem proximis infirmantibus: scorpiones vero fortibus & robustis. Mali sunt Dei increduli, quia quod Deus omnipotens de inferni suppliciis minatur id non credunt imo despiciunt & contemnunt. Sunt etiam subuersores infirmorum ipsi mali, quia cum teneriores quosdam bona incipere & mala iam deuitare cognouerint, modo irridendo, modo bona temporalia laudando, & delectationes præsentis seculi callida persuasione pollicendo deflectunt mentes innocentum,

eorum-

Digitized by Google

eorumque itinera peruertunt. At si fortasse iustum quempiam tantæ iam virtutis inuenerint, vt ei loqui contraria non præsumant, quia subuersores esse non possunt scorpiones fiunt. Scorpio enim palpando incedit, & à facie quasi blandiri videtur, sed cauda ferit, nec mordet à facie, sed à posterioribus nocet. Scorpiones ergo sunt qui blandi & innoxij in facie videntur, sed post dorsum portant vnde venenum fundant, vnde etiam per Psalmistam dicitur, *Circundederunt me sicut apes & exarserunt sicut ignis in spinis*: Apes in ore mel habent, in cauda aculeum quo pungunt: Sic omnes qui lingua blandiuntur: sed latenter malitia feriunt, rectè apes dicuntur & scorpionibus comparantur.

Psal. 117.

9. QVANQVAM omnes prauorum & hæreticorum societatem declinare debeant maxime tamen infirmi quique, ne mala quæ vident & audiunt & corrigere non valent, imitari delectentur, & sæpe quidem cum de vita proximorum querimur mutare locum conamur, & secretum vitæ remotioris eligere: ignorantes, *inquit Grego.* quia si deest spiritus non adiuuat locus. Loth in Sodomis sanctus extitit & in monte peccauit: Si locus mentem munire potuisset, Sathan de cœlo non cecidisset, nec Adam ex paradiso expulsus fuisset vnde Palmist. vbique in hoc mundo tribulationes esse conspiciens, quæsiuit locum ad quem velut ad asylum confugeret, sed quia non nisi in Deo eam inuenire potuit, dixit *Esto mihi in Deũ protectorem & in locum munitũ vt saluum me facias.* Et quia viri perfecti plenius atque perfectius Deo sunt inserti, hinc facilius per eos conuertuntur mali, quam per malos subuertantur ipsi, iuxta illud Ieremiæ. *Ipsi conuertentur ad te & tu non conuerteris ad eos*, vnde & Petro dicitur *Occide & manduca.* Quem locum sic interpretatur *Aug.* Occide in eis quod sunt, & manduca, fac eos quod tu es, in tuam fidem & in tuos mores gentes conuerte: hoc enim manducas quod in tuum corpus traijcis & in tuam substantiam conuertis. Si impij tibi persuaserint impietatem & morum suorum peruersitatem, absorberis ab eis, hoc enim absorbes quod in corpus tuum traijcis, absorberis inquam ab eis, nõ quando persequuntur te, *inquit Aug.* sed quando tibi persuadent quod sunt. Dicunt sancti Martyres, *Nisi quia Dominus erat in nobis cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos.* Quid est deglutissent nos *inquit idem*, In corpus suum traiecissent similes sibi fecissent nos. Non magnę laudis fuerit inter bonos esse bonum, sed non mediocris titulus virtutis inter prauos viuere bene & permanere bonum, teste Bernard. & inter malignantes inocentiæ retinere candorem & morum lenitatem, magis autem si his qui oderunt pacem, pacificum & amicum ipsum te exhibeas, vide quomodo caute ambulas inter spinas: *Sicut lilium inter spinas, sic amica inter filias.* Plenus est mundus spinis: spina falsus frater, spina vicinus malus: versari in his & minime lædi, diuinæ potentiæ est, non virtutis humanæ. *hæc Bernard.* Ad quamcumque professionem te conuerteris, siue secularium coniugatorum, siue monachorum aut eremitarum, inuenies bonos inuenies & & malos. Si fictos bonos inuenias para te, vt toleres si te nõ parauerris, inuenies quod non sperabas & perturberis: Intrare enim cõgregationẽ vbi nullus sit malus, nullus infirmus, nõ est huius vitæ, sed futuræ inter sanctos & beatos.

Psal. 90.

Act. 10.

Aug. in Ps.

August. in ps. 13. & 34.

Bernar. ser. 48. in cant.

II. Homo tãquam arbor fructifera bonos fructus proferre debet.

1. DICIT Dominus in hoc eodem euangelio, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.* Neque enim tibi sufficere debet, *inquit Hiero.* scribens ad Demetriadem, à malis otiosam esse, si otiosa fueris à bonis cum lex Dei duplici mandatorum genere distincta sit, & mala prohibens bona imperet, atque ab vtraque parte contemptum sui vetet. Non enim solum ille seruus contempsit Dominum qui prohibita fecerit, sed & qui iussa non fecerit. Dicta à Domino sententia est, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excindetur & in ignem mittetur.* Et blandimur nobis sima-

Hier. epistol. 1. tom. 1.

ſi malis fructibus non grauemur, qui damnandi ſumus ſi a bonis ſteriles manſerimus. Nam qui acceptum talentum in ſudario abſcondit, quaſi inutilis ſeruus & nequam damnatur à Domino, nec minuiſſe ſolum ſed & non auxiſſe culpabile eſt. Hæc igitur tibi in Chriſtiano agone ſubeunda prima cura ſit, aduerſum diaboli caſtra, in omnia Dei præcepta iurare, nec tantummodo declinare vetita, ſed & iuſſa complere: *hac Hiero.*

2. Omnia vult Dominus ſuum munus exequi & ea operari propter quæ condita ſunt: terram vt germinet herbam virentem: luminaria vt ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos. Et mandatis Dei obediunt cuncta creata, vno homine excepto cum apoſtata diabolo. Sic enim Pſal. ait, *ſtatuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit & non præteribit: Ignis grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Imperauit mari & tempeſtati, & mox acquieuerunt, *& facta eſt tranquillitas magna*, vnum genus hominum, *inquit Orige.* quod ſecundum ſimilitudinem Dei creatum & honoratum eſt, cui ſenſus & intellectus datus eſt, ſolum non obtemperat. Ideoque & homines in iudicio, veluti beſtiis inſipientibus deteriores, damnabantur. Certe non mediocris pudor eſt *inquit Amb.* imperio Dei inſenſibilia parere elementa, & homines quibus ſenſus tributus eſt ab ipſo auctore ſuo acto, non obedire. Terra indebitos fructus nobis miniſtrat, dum obſecundat auctori, nos debitum munus negamus dũ non veneramur auctorem: Diuino præcepto piſcis obſequitur dum euomit Ionam, & homo piſce ſtupidior diuinæ legi obtemperare aut neſcit, aut ſi ſciat non vult. An contemptibilis tibi videtur piſcis quia mutus eſt & rationis expers? Sed vide ne tu ibi magis incipias eſſe cõtẽptui ſi piſce irrationabilior deprehendaris. Si arborem in horto tuo ſterilem indignam reputas quę terram occupat, certe ſi & tu ſterilis fueris inuentus, reputaberis & tu indignus qui diutius ſuſtinearis & in ignẽ mitteris, vnde cum *Ieremias c.22.* diuinam retuliſſet indignationem contra Regem Ieconiam, ſterilitatem viri dixit eſſe cauſam tanti mali.

Pſal.141.

Origen. hom. 6. in Matth.

3. Sed & propheta Dauid homines ſteriles ſalicibus comparat infructuoſis, dum ait, *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus dum recordaremur tui Sion, in ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.* Salices in medio Babylonis eſſe dicuntur quia infructuoſi quique atq; ab amore cœleſtis patriæ alieni, totis viſceribus cordis in hac ſeculi confuſione radicantur: & dum magna huius mundi cupiditate detinentur, eiuſque delectationibus opplentur, non ſuper flumina Babylonis ſedere dicuntur, ſed ijs obruuntur dum ſeculi voluptatibus paſcuntur & oblectantur, quæ recte flumina dicuntur quia quæcumq; hic amantur inſtar fluminis præterlabuntur, quorũ curſum nemo ſiſtere poteſt, in his ſuſpendũtur organa quia infructuoſi homines non poſſunt cantare canticum Domini: cum enim carnalis homo non ſapiat ea quę Dei ſunt, ſtultitia eſt enim illi, non ſapit ei caritas Dei, non ſapit ei ſapientia aut pietas aut alia Dei dona, hinc nec appetit ea quia non delectatur ijs, nec canticum laudis in gratiarũ actionẽ canere poteſt. Sũt huiuſmodi homines veluti arbores autũnales infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ: Vt enim arbores, quæ in autumno plantantur facile emoriuntur quia radices agere non poſſunt, ſic hi homines cũ mortui ſint tam in radice caritatis ſeu bonæ voluntatis, quam in ramis bonorum operum, vix vllam præ ſe ferunt ſpem fructus ferendi. His acclamat Ioannes *Facite fructus dignos pœnitentiæ, iã enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.* Non dicit poſitam ad ramos aut ad truncum, *inquit Chryſ.* ſed ad radicem, docens tales immedicabiliter feriendos eſſe, & nec ſpem curationis eſſe habituros.

Pſal.136.

Matt.3.

Chryſ. hom. 11. in Matth.

4. Monet nos Paulus vt dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. Nam *vt Hier. ait in eum locum: præſens vitæ* Gal. 6.

tempus

tempus sementis est, in hac licet nobis quod volumus seminare, cum ista transierit, operandi tẽpus aufertur, vnde & Saluator dicit. *Operamini dum dies est, veniet nox quando iam nullus poterit operari*: Breue est vitæ istius curriculum: hoc ipsum quod loquor, quod scribo, quod emendo, quod relego de tempore meo mihi aut crescit aut deperit, Titus filius Vespasiani, qui in vltionem dominici sanguinis subuersis Hierosolymis, victor Romam ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, vt cum quadam nocte sero recordaretur in cœna quod nihil boni illa die fecisset, dixerit amicis, Hodie diẽ perdidi, & nos non putamus non perire nobis horam, diem, tempus, ætates cum otiosũ sermonem loquimur, pro quo reddituri sumus rationẽ in die iudicii: Quod si hoc ille sine lege, sine euangelio, sine Saluatoris & Apostolorum doctrina naturaliter & dixit & fecit, quid nos oportet facere in quorum condemnationem habet & Iunonem vultures, & vesta virgines, & alia idola continentes? *hactenus Hieron.*

5. Qvi non habet vt in corde suo exquirat Deum, *inquit Ambr.* & facit quidem opus Dei, sed negligenter facit, maledicto subiectus est. Sic enim legimus Iere. 48. *Maledictus omnis qui facit opus Dei negligenter.* Merito repellitur remissus aliquis quia polluit magis & impedit opus quod negligenter putauerit exequendũ. Propter quod & angelo Laodiceæ dicitur Apoca. 3. *Scio opera tua quia neque frigidus es neq; calidus, sed quia tepidus es incipiam te euomere ex ore meo.* Aperte grauiori damnat iudicio negligẽtiam quàm imprudẽtiam. *inquit Ambro.* frigidus est enim qui fidem nescit, teste eodem: calidus vero qui spiritus sancti feruore succensus est. Qui calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat fidem non accepisse, quam neglexisse: *quia seru⁹ sciẽs voluntatẽ domini sui & nõ faciens, vapulabit multis*: Tolerabiliorẽ causam gentilis habet qui potest dicere, Non cognoui legem, non audiui prophetas, ideo non credidi, quam ille qui

Ambr. ser. 2 in psal. 118. ad illa verba, in toto corde meo exquisiui te

legit omnia & non credidit. aut si credit secundum fidem non viuit.

6. Sed ægre discerni hic potest, quinam sint frigidi, qui tepidi, qui calidi: nisi fortassis ex quibusdam indiciis externis, iisq; incertis, quia fieri non potest, *inquit Bern.* vt exigua sint signa externa, eximia tamẽ sint dona interna; & vt Aug. ait quodam in loco, quicquid agit caritas, agit & cupiditas: Orat, ieiunat, eleemosynas facit caritas, idipsum facit & cupiditas: vt difficile sit admodum externis operibus exactam ferre sententiam de virtutibus internis, vt ea de causa dictum putem ab apostolo. *Mortui estis & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo: cum autẽ Christus apparuerit vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Per hyemem, *inquit August.* arbores viuæ, & arbores mortuæ similes sunt, interim tamen vna viuit, & altera mortua est, sed illius vita & huius mors abscondita est: procedit æstas, vita illius clarificatur, & mors huius manifestatur: procedit ornatus foliorum, fœcunditas fructuum, vestitur vitis in facie ex eo quod habet in radice. Ergo modo tales sumus quales sunt & alii hominum, quomodo enim illi manducant, bibunt, viuunt, vestiuntur, & vitem istam transigunt, sic & sancti, Et hinc decepti homines dicunt, Quid quia Christianus est hic, plus habet à me? O vitis arida, *ait Aug*, attendis iuxta te vitam nudam in hyberno, sed non aridam per æstatis vim atq; virtutem. Modo fructus per hyemem in radice non apparent, sed veniet Dominus & exorietur sol iustitię, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & tunc vnicuiq; laus erit à Deo. *hæc Aug.* Cui conforme est quod *Greg.* habet, Quia nunc, *ait*, ecclesia ex bonorum malorumque numero congregatur visibiliter, sed Deo inuisibiliter iudicante discernatur, homines autem in ea iustiores paucos videant, ini[...]s autem numerosiores, sicut & in tritura frugum maior est multitudo palearum quam granorum, si hoc solũ in area esse creditur quod superficie tenus

Coloss. 3.

Aug. in ps. 48. ad illa verba, Exaltauit cornu populi sui.

videtur, nullus ex ea fructus expectabitur quia etiam iustorum vita ex iniquorum æstimatione iudicatur. Sed cum iam trituræ tempus sit, & adhuc grana sub paleis lateant, non debet plurimorum malum vergere in vilipensionem iustorum, aut in æstimationem cunctorum, quia etsi plurimi sint iniqui quos sciunt, sunt tamen sancti quos ignorant.

DOMINICA VIII.

POST PENTECOSTEN.

Dicebat autem & ad Discipulos suos: Homo quidam erat diues qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum quasi dißipasset bona illius, &c. Luc. 16.

Summa Articulorum I. partis.

I. *Vita propria non aliena hic necessarie examinanda & iudicanda.*

II. *Eleemosynis cũ spiritualibus, tum corporalibus redimenda peccata.*

III. *Quibus eleemosyna prosint, & ad quid valeant.*

PARS I.

Art. 1. Vita propria non aliena examinanda. REDDE *rationem villicationis tuæ* Summa huius Parabolæ in duobus consistit: *primo* nos omnium bonorum nostrorum, siue ea fortunæ fuerint, siue naturæ, siue gratiæ rationem reddere oportere, eo quod eorum non Domini, sed dispensatores simus, ideoque ea non ad libitum nostrum sed ad Domini voluntatem expendere debere. *Secundo* quid ei faciendum sit qui bona Domini sui dissipauerit, vt saluus & incolumis euadere possit quando rationem reddere debebit.

2. QVOD ad primum: vo[illegible] & nos sæpius Dominus & internis inspirationibus nos monet & ad memoriam reuocat, nos rationem omnium eorum quæ agimus & possidemus reddere debere: Sic enim scriptum est, *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum siue malum sit.* Eccle. 12. Si male te gesseris quid facies cum ad iudicandum surrexerit Deus? Ita enim Iob loquitur, *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit quid respondebo illi?* Iob. 31. quasi dicat, si aliter me gessi cum illis quam oportet, si quempiam sua mercede defraudaui, aut violenter oppressi, ita vt i[illegible]m aduersum me habeat querelam, quid respondebo supremo iudici? coram quo nec factum negare, nec me excusare, neque causam quæ iniqua fuerit, defendere potero: Est enim, vt Iob ait, *sapiens corde, & fortis robore*, quem nemo sua astutia possit fallere, nemo manus eius queat effugere: *sapiens est corde*, vt rem quamlibet talem qualis est iudicet, nihilque eum latere queat: *fortis robore*, vt nemine metuat aut alicuius personã accipiat, quo minus sententiam iustam ferat aut executioni mandet.

3. QVAPROPTER cum septies in die cadat iustus, *& in multis*, sicut Iacobus loquitur, *offendimus omnes*, Iaco. 3. & vt Ioannes ait, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus & veritas in nobis non est*: 1. Ioan. 1. & ideo, teste Iob, *si quis contendere velit cum eo in iudicio, non poterit respondere vnum pro mille*, Iob. 3. est enim Deus maior corde nostro, *inquit Ioannes*, 1. Ioan. 3. vt etiamsi non reprehendat nos cor nostrum, ipse tamẽ multa videat reprehendenda quæ nos latẽt, aut quæ non putamus mala: Neque tunc, *inquit Bernardus*, putemus nos multum profecisse si non inueniamus quod reprehendamus in nobis, sed potius si singulis horis multa videamus in quibus nos accusemus. Hinc serio ac sedulo, frequenter & quotidie suam quisque examinet & diiudicet conscientiam, quid cogitauerit, quid dixerit, quid egerit, quam intentionem in eo quod egit habuerit, quas

[illegible] fouerit , quos affectus secutus sit, quam iners & otiosus fuerit, quam multa omiserit, quam negligenter in iis quæ agit se gesserit : Qui enim segnis est non solum multa quæ forent agenda omittit, sed etiam plurima quæ agit imperfecta relinquit. Et si quid in iis reperiret quod iure reprehendi possit, reperiet autem plurima, licet, *vt Basilius ait*, cum multa peccemus plurima ignoremus, istud quod male actum est lachrymis, suspiriis & precibus exoret, aut etiam pœnis, si grauius delictum fuerit, puniat atque castiget : iuxta illud Ecclesiastici,

Eccl. 21. *Fili peccasti, non adiicias iterum, sed & de pristinis deprecare vt tibi remittantur.* Sed quia quædam sunt scelera quæ nudis verbis exorari nequeunt, vt enim *Ambrosius ait*, Impudens est qui cum grauiter deliquerit, leuiter se Deum placare posse putat, hunc peccator & in flagella paratus esse debet, quibus seipsum puniat atque castiget, quia teste Paulo,

1. Cor. 11. *Si nosmetipsos iudicaremus , non vtique iudicaremur à Domino :* In iudicio autem non solum de culpa inquiritur , sed etiam de pœna statuitur, vt quantum quis se exaltauit & in deliciis fuit, tantum detur ei & de tormentis, vt loquitur Ioannes in *sua Apocal.* & pœna correspondeat culpæ.

4. QVI vitæ suæ rationem non exigũt, sed quod delinquunt, aut defendunt aut excusant, aut studiose negligunt, non vitam christiano homine dignam , sed barbaram , prophanam & multis malis ac periculis plenam degunt : Quæ enim hic ex negligentia prætermittunt , & mala quæ perpetrant nec exorant nec vindicant post hanc vitam septempliciter luere debebunt, *inquit Bern.* quia debita exoluere ibi oportet vsque ad nouissimum quadrantem, quæ hic neglecta fuerint. Ideo Dominus audiens sua bona dissipari à suo villico curat eum vocari , & dicit ei, *Quid hoc audio de te* ? Non excandescit, non exclamat rerum suarum iactura exacerbatus, vt homo solet. Tu furcifer quid fecisti, in carcerem te dedam, in crucem te agam , nisi reddas quæ abstulisti , sed maturo iudicio & tranquillo animo ait, *Quid hoc audio de te* ? vt hac sua clementia peccantem non ad pœnam sed ad pœnitentiam prouocare se velle significet: Quanquam enim peccator qua ratione Dei legem violat, iram & pœnam promereatur, quatenus tamen in extremam miseriam præcipitandus est, non irascentis indignationem, sed miserentis compassionem prouocat. Hinc Dominus per Ozeã. Oze. 11.

Quomodo dabo te Ephraim , quomodo dabo te? sicut Adama, ponam te sicut Seboim , conuersum est in me cor meum , pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ, non conuertar vt disperdam Ephraim, quasi dicat , dum cogito quod extremum supplicium tibi inferre deberem, sicut intuli ciuitatib Adama & Seboim; & Gomorræ, quas igne & sulphure disperdidi, hoc inquam dũ cogito, prorsus horreo & obstupesco.

5. QVARE non satis prouide nec satis prudenter se gerunt , qui cum multis & magnis sceleribus sint inuoluti, etiamsi fortassis id ipsum ignorent, ita securi sunt tanquam nihil punitione dignum commisissent , ita se Deo diuinæque gratiæ commendant, ac si mox in beatitudinem recipiendi forent: tanquam si mulier quæ fornicata est cum amatoribus multis, rediens ad maritum etiam amice & honorifice ab eo excipi velit : viderint qui tales sunt, *Bernard:* ne quem benignum patrem expectant, seuerum iudicem inueniant, & pro honore ignominiam reportent , pro beneuolentia quam expectant, indignationem incurrant, & pro osculo pacis plagas furoris recipiant, Ecquid igitur faciã Isa. 38.

inquies: Tibi Rex Ezechias dicit, quid te facere oporteat præsertim eo tempore quo totius vitæ tuæ rationem reddere debes, *Recogitabo* , inquit, *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, dic cum Propheta Psal. 141.

Dauid, *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens;* audi quid Iob dicat , *Di-*

Iob.19. *cum Deo noli me condemnare, indica mihi cur me ita iudices. Nunquid bonum tibi videtur si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum & consilium impiorum adiuues? Dimitte me vt plagam paululum dolorem meum antequam vadam ad terram tenebrosam & mortis caligine operiam.* Tibi Ieremias respondet quid te facere oporteat cum ait, *State super vias vestras & videte, interrogate de semitis antiquis quasit via bona & ambulate in ea,* quasi dicat, dum vitam tuam perpendis & tuum viuendi modum examinas, attende an scripturæ sanctæ & vitis sanctorum conformis sit, ex iis enim rectum viuendi modum addiscere poteris, quomodo D. Ignatium Iesuitarum primarium antistitem conuersum legimus ex lectione vitæ S. Francisci. Nã vt præclare docet *Chrysost.* hanc vitam cõcessit Deus vt artem recte viuendi addisceres, gerenda prospiceres vt in iis tebene geras; quæ gesseris, respiceres, vt si quæ male gesseris, in amaritudine animæ tuæ recogites: Diligenter considera vias tuas, an animi tui morbos & prauas eius cupiditates sanaueris, an aliquid præclari, ob q̃ æterna gloria dignus sis feceris. Hic enim & tempore huius vitæ labore quies paranda, lachrymis gaudium & lætitia, patientia, pax æterna, humilitate gloria sempiterna.

Iere.6.

Matth.5.

6. ET istud serio tecum perpende vt vitæ propriæ non alienæ rationem reddere addiscas, quia Paulus vt ait, *Quisq; de factis propriis rationem reddet in die iudicii,* & non de alienis. Ne igitur curiose inquiras de vita proximi tui, neue facta aliorum diiudices: per hoc enim non solum animi pacem perturbabis, sed & aliorum odium tibi conflabis. & id accidit vt plurimum, vt qui in vitam inquirit alienam, negligat propriam, quia animus hominis talis est vt pluribus simul intentus esse nõ possit: hoc bonorum proprium est se intra se continere, vt propria sua disponat & fœliciter peragat: otiosorum est hominum foris diuagari, aliorum vitam mores & facta obseruare, *pes fatui facilis in domũ proximi,* inquit Ecclesiasticus. Si proximum obserues, vt si quid in boni in eo videris imitari studeas, id bene: quia adhoc nos hortatur Paulus cum ait, *Considerantes inuicem in prouocationem caritatis & bonorum operum:* aut etiam si quos defectus aduertas, eos deuites & defleas, etiam & hoc prudenter feceris. Ita in Ecclesiastica Historia legimus q̃ cũ quidã ex sanctis illis eremi patribus meretricem speciose ornatam vidisset, amare flere cœperit: rogatus cur id faceret: Duo, inquit, me in hunc fletum impulerunt: alterum, miseranda animæ huius perditio: alterũ q̃ ego nõ tanto studio omniũ rerũ Domino, quã ista perditis hominib. placere nititur.

2.Cor.5.

Eccl. 21.

Heb.10.

7. MAIORI studio enim fugitiuos honores, perituras diuitias, & breues voluptates quærunt homines huius seculi quã plerique iustorum solidam & æternã beatitudinem. Eiid est quod Dominus dicit, *Filii huius seculi prudentiores sunt in generatione sua filiis lucis.* Mittit nos Dominus ad homines huius seculi vt ab eis discamus prudentiam & prouidentiam qua in futurum nobis prospiciamus, vt quem laborẽ, quam industriam & curam ipsi impendũt, vt de victu & vestitu in futurum sibi prouideant, ea cura & industria aduigilent vt æternam fœlicitatem sibi comparent. At plærique Christianorum in causa pietatis & religionis multum ignaui sunt, in agone positi molliter agunt, fodere & opera pœnitentiæ agere non valent, profutura vita nihil laboris subire volunt, quasi eo absque labore & bonis meritis peruenire possint, eo quod Deus misericors sit. Cum tamen tale quid ab eo sperare non audeant vt absque labore huius vitæ necessaria, quæ minoris sunt momenti, obtineant. Non tamen semper prudentia filiorum huius seculi, vincit prudentiam & industriam filiorum Dei: sunt enim nõnulli, qui magis satagunt vt fiant pii & beati, quam seculares; vt fiant diuites & honorati: Talis erat qui dicebat: *omnia arbitror vt stercora vt Christum lucri faciam.* Phil. 3.

8. Non

8 NON sine causa est quod hic dicitur, *Quid audio de te?* Audire enim dicitur Dominus in cœlo residens, quia per denunciationem angelorum, aut etiã per accusationem ipsorum dæmonum res nostras intelligit: quinimo omnia quæ hic in terris aguntur, nuda & aperta sunt oculis eius: quamuis improbi homines vsque adeo se in omnia scelera effundant, vt non quidem verbis sed reipsa testari videatur quod est in Ecclesiastico, *Quis me videt? tenebra circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me. delictorum meorum non memorabitur altissimus: & non intellexit quoniam omnia videt oculus eius.* Porro quamuis omnia nostra cognoscat, nihil tamen hoc loco neque ex sola infamia, neque ex sola sua cognitione discernere voluit Dominus, nisi prius reum ipsũ conueneriti, cuiusque cõfessionem seu defensionem audiret: Quo modo Sodomã & Gomorram non ex clamore seu publ ca fama damnauit, quamuis eos damnatione & punitione dignos sciret: *Sed descendam* inquit, *& videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint*, an non, vt sciam. Non hæc eo dicit Dominus quasi aliquid possit eum latere, sed vt nos suo exemplo admoneat, ne cuiusquam delatione sententiam aduersus inauditam partem proferamus, & temere quenquam condemnemus: sæpe enim delatores lõge aliter quam res sese habet, deferunt, facile aliquid de suo addunt, vel detrahunt. Eccl. 23

2. Reg. 16. 9. CVM Rex Dauid vir alioquin sanctissimus & prudentissimus, Sibæ delatori aduersus Miphibosech nimium credulas præberet aures, cæcam protulit contra Miphibosech sententiam dicens, *Sint omnia bona Miphibosech tua*: quam sententiam nequaquam protulisset, si adscito ad se Miphibosech, eum audiuisset. Non igitur temere ex delatione aut detractione quisquam condemnandus, sed locus & tempus reo danda: sicut Nicodemus aiebat, *Nunquid lex nostra iudicat hominem nisi prius audierit ab illo & cognouerit quid faciat?* Festus quoque in Actis sic ait, *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem priusquam is qui accusatur locum defendendi accipiat.* Non potest nos Diabolus falso accusare apud Deum, vt fit in iudicio humano, vbi iudex quia corda intueri nequit ex falsa allegatione & probatione innocentem interdum damnat & nocentẽ absoluit. Deus autem omnia nouit, ideo qui falso aliquem grauat aut accusat, à Deo eius accusatio reiicitur. Hinc Diabolus primo & ante omnia ad hoc laborat vt hominem in peccatum pertrahat, vt iustam calumniandi & accusandi causam habeat: quanquam & gentis intentionem culpet, si opus accusationi non sit obnoxium: vt cum Iob detraheret quod propter bona temporalia Deo seruiret, & hac de causa dicitur Diabolus accusator fratrum, qui eos ante conspectum Dei accusat die ac nocte. Ioan. 7. Acto. 25. Apoc. 12.

II. De eleemosynis tam spiritualibus quam corporalibus.

1. FACITE *vobis amicos de mammona iniquitatis &c.* Efficacissima est hæc Domini sententia ad eleemosynæ commendationem, ad quam homines alioqui tardissimi sunt & maxime inuoluntarii, quia natura cupidus est omnis homo. Significat autem hic Dominus ipsis diuitibus eleemosynas dantibus plus vtilitatis accedere, quam ipsis pauperibus eleemosynas accipientibus: Si enim eorum precibus & meritis æterna tabernacula, hoc est æternam beatitudinem acquirimus, dantes pensare debemus, *inquit Greg.* quia patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur: & qui nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, quasi ad frugem terram excolit, quæ quod accepit vberius reddit. Docet insuper nos hic Christus vt potissimum eleemosynas faciamus sanctis pauperibus atq; iis præcipue qui sunt voluntarie pauperes, qui relictis omnibus sequuti sunt Christum, quorum est regnum cœlorum, iuxta illud Matth. *Beati pauperes spiritu quoniã ipsorũ est re-* Greg. 82. 21. cap. Cap. 5.

et regnum cœlorum. Non tamen prohibemur peccatoribus quoque eleemosynam dare, quamuis moneamur vt iustis & sanctis pauperibus præcipue benefaciamus quia vt Apostolus docet, *operari debemus bonum ad omnes maxime autem ad domesticos fidei*. Et licet pauperes peccatores non habeant in cœlo æterna tabernacula, neq; nos possint apud Deum sua intercessione iuuare, quia qui *aspicit iniquitatem in corde suo*, cum, teste psalmista, *non exaudit Dominus*: Tamen eleemosyna ipsa propter Deū facta non poterit esse inanis, dicente Ecclesiastico, *Conclude eleemosynam in sinu pauperis & hæc pro te exorabit ab omni malo*. Hinc *Chrysost*. monet non oportere nimis accurate pauperes interrogare, sed simpliciter propter Christum esse illis eleemosynam faciendam, quamuis enim ipsi in cælo retribuere nō possint, quia fortassis exigui apud Deum sunt meriti, tamen tibi Deus retribuet pro illis, quia vt Sapiēs ait, *Qui dat pauperi, fœneratur Deo*.

Gal. 6.

Psalm. 65.

Eccl. 29.

Chrys. in orat. de Paup. non cur. scrut.

Prou. 19.

2. EST duplicis generis, eleemosyna: vna quæ est *spiritualis*: altera quæ *corporalis*: quia omnis humana miseria, quam per eleemosynam aut tollere aut subleuare nitimur, aut corporis est aut animæ: Ad animā pertinet culpa & pœna, si culpa sit non potest ea simpliciter à nobis tolli, potest tamen iuuari qui in eam incidit dum oramus pro peccatoribus, aut dum cōdonamus iniurias, aut dū corripimus delinquentes. Si pœna est, aut in intellectum ea cadit, vt ignorantia tam theorica quam practica: illam tollimus dū imperitos docemus, hanc vero dum consilium imprudentibus damus: Aut in affectum, vt si tristitia voluntatem afficiat, quam tollimus mœstos consolando; Aut in quamlibet aliam potentiam, vt si quis morosus sit, & moribus difficilis: cui morbo mederi possumus patienter alienam infirmitatem perferendo: Est enim patientia sicut & iniuriæ condonatio quoddam genus eleemosynę spiritualis. Eleemosynę corporales sunt, si quis famelicum pascat, nudum vestiat. Et hic est vel primus diuitiarum fructus & vsus, vt qui diues est dispergat & pro modo facultatum pauperibus erogget, iuxta illud Tobiæ, *quomodo potueris ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, etiam exiguum libenter impertire, quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*, teste Eccles. & vt idem Tobias ibidem ait, *eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat & non patitur animam ire in tenebras*: Hinc ad Daniel Nabuchodonosor regem, *peccata tua eleemosynis redime*, quia vt Sapiens ait, *Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ*, & *Chrysost*. non est peccatum, *inquit*, quod non possit purgare eleemosyna, quodue non possit extinguere. Hic itaque præcipuus diuitiarum vsus, vt qui diues est peccata sua eleemosynis redimat. Neque ex eo quis laude dignus, aut multum commendandus, si multas diuitias habeat, sed si eas bene dispenset si de eo dici possit quod Psalm. ait, *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi*. Refertur de Euagrio philosopho, quod cum à Synisio Episcopo Cyrenensi ad fidem Christi conuersus esset, eius suasu in vsus pauperum trecentos aureos expenderit, sub ea conditione quod cautionem seu syngrapham ab Episcopo reciperet qua Episcopus promitteret in nomine Christi, quod cū fœnore post mortem à Christo recepturus esset: quod & Episcopus fecit, quam cautionem Euagrius manu tenuit moriens & cum ea sepeliri voluit: tertio vero die, apparuit Episcopo dicens, vade ad sepulchrum meum, & recipe chirographum tuum, recepi enim debitum & vbertim mihi satisfactum est: Iuit Episcopus cum clero & cum magistratu ad sepulchrum, apertoque sepulchro, inuenit Episcopus vt dixerat Euagrius, etatq; in cautione subscriptum, Abunde mihi satisfactum est. Fuitq; syngrapha illa seruata in Ecclesia Cyrenensi multis annis postea.

Cap. 4.

Cap. 3.

Dan. 4.

Prou. 13.

Chrysost. hom. 25. in Acta.

Psalm. 111.

5. PRE-

3. [illegible] seu dignitas eleemosynæ [illegible] ex tribus: aut ex magnitudine rei [illegible] erogatur: eo enim eleemosyna [illegible] Deo esse gratior, quo plura vel pretiosiora donantur. Sciendum tamen eleemosynæ largitatem magis in eo constituendam vt multis aliquid, quam [illegible] paucis multum detur: Tunc enim conciliat eleemosyna beneuolentiam multorum qui pro benefactoribus Deum precantur, eisque aliquam gratiam accipientes a Deo impetrant. Et vt *Hieronym. ait* Qui multis elargitur, multos habet comprecatores qui paucis paucos, vnde Paulam ab eo commendabat, quod cum plæræque matronarum in paucos largitate pro fusa, soleant manum à cæteris retrahere, ipsa eo omnino carens vitio, ita singulis suam pecuniam diuidebat vt iis necessarium erat non ad luxuriam, sed ad
Ambr. li. 1. c. 30. offi. necessitatẽ, & *Ambrosius* ait in officiis, opes non esse profundendas sed dispensandas. Erad id nos nos hortatur scriptura quæ ait apud Psalmistam. *Dispersit dedit pauperibus.* Psal. 111.

Secundo desumitur dignitas seu pretium eleemosynæ ex dignitate personæ eleemosynam dantis: ea enim eleemosyna cæteris paribus pluris fit à Deo quæ proficiscitur ab eo qui sanctior aut Deo gratior est. Respexit Deus ad Abel primo *inquit Ambrosius* deinde ad munera eius. Tertio ex promptitudine voluntatis &
2. Cor. 9. hilaritate dantis: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, inquit Paulus. Id autem tunc fit facilius quando qui dat eleemosynam, cogitat non tam se dare quam accipere beneficium. Nam vt *Gregorius* ait si eorũ amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio pensare debemus quia patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur.

Porro si hæc tria inter se conferantur, primum locum obtinet feruor & promptitudo voluntatis: secundum bonitas personæ seu magnitudo habitualis gratię postremum rerum quæ donantur pretium seu magnitudo, verum his tribus conditionibus quarta accedat necesse est, vt nimirum eleemosyna fiat intentione placendi Deo, non autem ad captandum aurem popularem, iuxta illud Matth. *Nesciat sinistra quid faciat dextra*, vbi per sinistram *August.* intelligit intentionem operandi propter honorem temporalem: per dexteram verò, intentionem operandi propter vitam æternam. cap. 6. August. [illegible] epist. Ioan.

4. Præceptum de eleemosyna facienda continetur in hoc præcepto, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Diligere enim debemus eum nõ verbo aut lingua, sed opere & veritate, *teste Ioanne.* Opere autem & veritate diligere, est proximo indigenti suc currere. 1. ep. ca. 3.

Solent autem tres poni casus in quibus quis obligatus est eleemosynas facere: aut quia superflua habet: aut quia pauper in extrema necessitate, aut quasi, est constitutus: aut ratione satisfactionis pro peccatis.

Quo ad primum *sciendum* duobus modis posse dici opes superfluas, aut quia superfluæ sunt naturæ, etiam si necessarię sint personæ: aut quia superfluæ sunt tam personæ quam naturæ. *Natura* superfluum dicitur id, sine quo viuere posset, tum is qui superfluum habere dicitur, tum etiam familia quam ipse alere tenetur. Superfluum *personæ* dicitur id sine quo non solum viuere, & familiam alere, sed etiam statum ac dignitatem propriam conseruare posset.

5. Quæstio igitur de superfluo absolute, id est, quod tam naturæ quã personæ superfluum est, intelligi debet. Porro necessitas hæc siue personæ sit, siue naturæ, non est accipienda mathematice, sed moraliter ac secundum iudicium prudentis viri. Neque enim id solum necessarium dici debet, sine quo nullo modo naturæ aut personæ conseruari potest, sed etiam id sine quo non potest bene conseruari. Contra quoque non ideo debent opes necessariæ iudicari, aut non superfluæ, quoniam non seruantur ociosæ, sed in vestib.

conui-

conuiuiis, hortis aut ædificiis insumūtur. Nam hæc ipsa sunt superuacua, quando non sunt necessaria naturæ vel personæ: & ideo nihil potest hac hominum stupiditate stultius fingi aut excogitari, qui in hortis, ædificiis, conuiuiis, vestibus & his similibus, etiam vltra facultates sæpe sua profundunt, è quibus non solum nihil lucri, sed etiam plurimum damni percepturi sūt, & loco gloriæ ignominiā reportabunt. Id quod patet exemplo ipsius Sobnæ præpositi templi: de quo sic Isa. *vade & ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo* (erat enim tabernaculi cura sacerdotū propria) *ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum, Quid tu hic, aut quasi quis hic,* (quasi dicat, sic te præbes quasi aliquid esses cum nihil sis, & præter titulum præpositi seu Pontificis nihil habeas:) *Quia excidisti tibi hic sepulchrum* (mira arte elaboratum) *excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi* (quasi dicat, ambitio tua etiam vsque ad mortem te sequitur in extruendo sepulchro quo tui memoriam relinquas posteris.) *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus* (quasi dicat, putas te hic gloriose moriturum, sed hoc tibi non cōtinget, auferetis enim ex hac ciuitate non aliter quam gallus aufertur qui nescit quo transferatur:) *Coronans coronabit te tribulatione* (qui nunc gloriosus es, & superbe incedis) *quasi pilam mittet te in terram* (quæ è loco in locum facillime excutitur) *ibi morieris & ibi erit currus gloria, tua, & expellam te de statione tua & de ministerio tuo deponam te,* quasi dicat, frustra iussisti extrui tam magnificum sepulchrū in Hierusalem, quia in terra hostibili cum ignominia morieris. Isa. 22.

6. EST & hoc notandum, quod non solum dicatur necessarium quo in præsenti opus habemus, sed etiam id quod paulo post opus habebimus. Si quis enim filias habeat paruulas, non dicetur retinere superfluum, si pecunias conseruet quæ pro earum dotibus necessariæ erunt, quamuis in præsenti videantur non necessariæ. Porro quamuis non censeatur esse superfluum id, quod paulo post necessarium erit, tamen nō sunt opes conseruandæ propter omnes casus qui aliquando accidere possent, sed propter eos tantum qui probabiliter ita imminent, vt nisi nunc iis prospiciamus, postea prouideri non poterit: alioquin peccatur contra præceptum Domini prohibentis sollicitum esse de crastino: Is enim dicitur sollicitus esse de crastino, qui hodie pro ea re sollicitus est, de qua satis tempestiue cras cogitare inciperet, vt si quis in messe sollicitus esse velit, quomodo in autumno seminabit: sufficit diei malitia sua. Matth. 6

7. QVI diuitias habent, quamuis re vera Domini sint opum suarum iuste acquisitarum, si comparentur ad alios homines tamen si conferantur ad Deū, non tam Domini quam dispensatores dici debent: *vt patet ex hac Parabola de villico iniquitatis:* Nam Dei prouidentia fiunt homines aut diuites aut pauperes, *Paupertas & honestas à Deo,* inquit Ecclesiasticus: cui sine dubio rationem de diuitiis nostris reddituri sumus. Igitur secundum voluntatem Dei diuitias nostras erogare debemus, vbi tempus & ratio postulat, & non auare recondere, ne nobis accidat, quod diuiti illi accidisse legimus, qui cum haberet plurima bona in annos multos reposita, audit miserabilem vocem, *Stulte hac nocte repetent à te animā tuā, & ea quæ præparasti cuius erunt,* Hic Basili. oratione in illud, *Destruam horrea mea,* mirum in modum inuehitur in diuites auaros cum ait. An tu spoliator non es qui quæ dispēsanda accepisti propria reputas? est panis famelici quem tu retines: nudi tunica quam in conclaui conseruas: indigentis argentum quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare poteras: Similia habent *Ambro. Hiero. Bernard.* & apud Gratianum sic dicitur, Aliena rapere conuincitur qui vltra sibi necessaria retinere probatur. Cap. 15. serm. 81. dist. 42. can. Hospitale.

8. Vo-

8. VOLVIT autem Deus quosdam esse diuites, quosdam pauperes, *inquit Chryso.* vt illi per misericordiam & liberalitatem, hi per patientiam & humilitatem regnum Dei obtinerent. Sunt autem diuitiæ & paupertas talia, qualis est animus eius qui ea possidet, bonis bona, non vnde quis bonus fiat, sed vnde multa bona faciat, *inquit Augustinus*: malis vero mala sunt, non sua natura, sed vitio possidentis ea, aut quia auare retinet, aut quia prodige absumit, edat vermis, inquit diues auarus, & non pauper, consumat rubigo & tinea & non homo: hoc licet verbis non dicat, factis tamen, quod peius est, commonstrat, *inquit Chrysost.* vnde merito exclamat in hos Iacobus cum ait, *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris quæ aduenient vobis, diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt: aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras vt ignis.*

Chrys. hom. 21. 1. Cor. Iac. 5.

III.

Quibus, & ad quid Eleemosyna prosint.

1. CIRCA opera misericordiæ sunt duo errores contrarii: vnus eorum qui nimis multum eleemosynæ tribuunt: alter eorum qui nimis eleemosynis detrahunt. De prioribus scribit *Aug.* in hunc modum. Comperi quosdam putare eos tantummodo arsuros æternis suppliciis qui pro peccatis suis dignas facere eleemosynas negligunt, iuxta illud Iacobi. *Iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam:* Qui vero fecerit, inquiunt, quantumuis mores in melius non mutauerit, sed inter ipsas suas eleemosynas nefarie vixerit, iudicium illi cum misericordia futurum est, vt aut nulla damnatione plectatur, aut post aliquod tēpus siue paruum siue prolixum, ab illa damnatione liberetur. *Hæc Aug.* Quod aperte falsum est, quia si eleemosyna sine pœnitētia aut innocentia salutem adferre posset, falsum foret quod Paulus dicit, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero nihil mihi prodest.*

Lib. 21. c. 22. de ciu.

Iaco. 2.

Et cum Dominus ait ad Pharisæos, *Date eleemosynam & omnia munda sunt vobis:* non hoc vult Dominus quasi sola eleemosyna sufficiat, sed ibi præcipue commendauit eleemosynam, quia alloquebatur pharisæos qui erant auari. Quemadmodum enim medicus aliquis peritus si videat originem variorum morborum in aliquo ægroto esse repletionem, suadet & consulit si velit conualescere vt ieiunet & sobrius sit, quia radice principalis morbi sublata, cæteri morbi facile tolli poterunt, Ita dixit Dominus Pharisæis, Date eleemosynam & omnia munda sunt vobis: quoniam cum radix omnium malorum præcipue in Pharisæis auaritia esset, si ea per virtutem cōtrariam auulsa fuisset, facile illi ad fidem & pœnitentiam ac per hoc ad plenam animi salutem peruenissent. Luc. 11.

2. ITAQVE hæ & similes scripturæ, *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur:* Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater cœlestis peccata vestra; sic intelligendæ sunt non quasi homines misericordes, etiamsi alioquin perdite viuant, de sua salute propter Domini promissionem, securi esse possint, sed quia singulæ virtutes per se ducunt ad regnum, nisi aliunde sit impedimentum, hoc est, nisi desint aliæ virtutes. Illud vero, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum*, id est, non tam docet quid sufficiat quam quid necessario requiratur ad peccati expiationem. Ideo enim dicitur, Deus nobis remissurus peccata nostra, si nos fratribus nostris dimiserimus peccata eorum, quoniam nisi nos dimiserimus, nec nobis remittetur, *inquit Aug.* Lib. 21. ca. vlt. ciuit.
Itaque quamuis sufficiat vnum crimen ad damnationem, non tamen sufficit vnum bonum opus ad salutem.

3. ALTER error est modernorū hæreticorū, qui tametsi eleemosynas vtiles esse non negent, prosunt enim ipsis accipientibus ad vitæ sustentationem: Tamē negant, eas ad vitam æternam promerendam valere, aut ad satisfaciendum pro pec-

1. Cor. 13.

peccatis aliquã vim habere: Omnia enim fidei tribuunt, opera autem non eſſe niſi iuſtitiæ indicia, & viuæ fidei ſigna, nó autem vllius gloriæ merita, quia inquiunt, Cũ omnia fecerimus quæ præcepta ſunt nobis, dicere debemus, ſerui inutiles ſumus. Sed hanc eſſe hæreſim ſcripturis ſanctis contrariã, patet ex variis locis. Nam quod eleemoſyna valeat ad extinguendum peccatum, ſupra ſatis declaratum eſt. & ex quidem eleemoſynæ quæ præmittuntur iuſtificationi vt diſpoſitiones ad eam peccatum quoad culpam ſuo modo delent, dum gratiam iuſtificationis impetrant: partim poſt acceptam iuſtificationem ſeu remiſſionem culpæ, ſatisfaciunt pro pœna temporali: Hinc Daniel,
Cap. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime*, & eleemoſynas ex caritate factas vitæ æternæ eſſe meritorias, diſertis verbis aſſerit Dominus
Matt. 25. cum ait: *Percipite regnum, eſuriui enim & dediſtis mihi manducare.* Et *Auguſt.* non itis in regnum, quia non peccaſtis, ſed quia veſtra peccata eleemoſynis redemiſtis, & difficile foret, ſi Dominus nos examinare vellet, & diligenter omnia noſtra ſcrutari, non inueniret vnde nos damnaret. *Hæc Auguſt.* Non quod iſtis verbis ſignificet in die iudicii inueniẽda eſſe peccata in hominibus iuſtis ob quæ damnari poſſent, ſed ob quæ damnari potuiſſent, niſi ea per dignos pœnitentiæ fructus, inter quos ſunt eleemoſynæ, delere ſtuduiſſent.

Aug. ſer. hom. de cem.

PARS II.

Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Luc. 16.

Summa Articulorum Partis II.

I. *A quo quis diffametur apud Deum.*
II. *Exacta vnicuique reddenda eſt ratio villicationis ſuæ.*
III. *Eleemoſyna magis prodeſt danti quam accipienti.*
IV. *Qui fiat quod homo tam ægre eleemoſynam dare poſſit.*

Art. I. A quo quis diffametur apud Deum.

1. APOCA. 12. dicitur, Diabolus accuſator fratrum, qui accuſat eos ante cõſpectum Dei die ac nocte, vt enim *Gre.* ait explicans illa verba Iob 1. *Circuiui terram*, Sathan terram circuit, quia carnalia corda perſcrutatur & vnde occaſionẽ accuſationis inuenire poſſit, exquirit, & quia coram Deo hominem falſo accuſare non poteſt eum circuit & vndequaq; explorat, vt quã parte eum maxime infirmũ perſpexerit, inde eũ adoriatur, & ſi quem deuicerit, malumque perſuaſerit, illud ipſum ei exprobret, dicens, *inquit Orig.* Ecce hic Chriſtianus dicebatur, & ſigno Chriſti ſignabatur in fronte, inſignia autem meæ voluntatis gerit in corde, ecce iſte qui mihi & operibus meis renunciauit in baptiſmo, meis rurſum operibus ſe inſeruit, meiſque legibus paruit. Liberati ergo ab omnibus iniquitatibus ſtudeamus, ne in die iudicii huiuſcemodi opprobriis inſidiatis diaboli ſuccombamus. Niſi enim in omnibus noſmetipſos exhibuerimus acceptos Deo, habebimus accuſatorem diabolũ: & ſi cauſa noſtra mala fuerit, ſi nos crimen aſtrinxerit, quid nobis proderit aduocatus Chriſtus, cum enim veritas ſit, ipſe pro nobis falſum dicere non poteſt. *Hæc Orige.*

Greg. lib. 1. c. 14. mor.

Orige. ho. 2. in Pſal. 38.

2. HABET homo & conſcientiam propriam, quæ eum accuſat verum ſui iudicẽ, & ſceleris vltricem ac criminis vindicem quæ culpa cõmiſſa eũ aſſidue flagellat, & cor eius carnificis inſtar lancinat, & indeſinenter pœnam delictorum exigit. Scortator enim vel adulter etiamſi omnium obliuiſci queat, & etiamſi ſe credat non poſſe conuinci, & exterius nullum accuſatorem timeat, eo quod ſine teſte ſcelus ſit perpetratum in tenebris, habet tamen acrem illum accuſatorem, & incorruptũ iudicem, conſcientiam dico, qui ſic eum exagitat vt neque ſomnus ei ſuauis ſit, neque cibus voluptatem præbeat, neque amicorum colloquia talem ab vrgente

Hæc Baſil. hom. 5. ad Tim.

anxietate liberare poſſint, *inquit Baſili.* Si enim animam iſtiuſcemodi hominis nudã & corpore exutam cernere liceret, videres eam profectò pallidam, trementem rubore & confuſione plenam, anxiam, ſemetipſam condemnantem. Nam, *vt idem ait*, quantumlibet quis ad ipſa vitiorum profunda corruerit, animi tamen iudicium nunquam corrumpitur: Nam etſi verbis crimen fortaſſis diluat, conſcientiam tamẽ ipſe ſuam effugere nequaquam poterit. Ita enim ſe habet peccatum vt priuſquam fiat & ad opus perueniat, obtenebret & mentem decipiat, hominemq; veluti amore ebrium & deliciis ſopitũ, veluti ſtupidum efficiat vt quid patiatur nõ ſentiat: ſed ſcelere iam perpetrato mox conſcientia inſurgit, & peccati turpitudinem & magnitudinem oſtendit, & erubeſcentiam ac tempeſtatem animique inquietudinem ſuſcitat. Sic primos parentes mox vt præuaricati ſunt legem Dei, inuaſit timor, pudor, & tumultuatio, *inquit Chryſoſt.* & audientes vocem Domini, abſconderunt ſe. Quare dic obſecro? Quoniam videbant ſibi trucem adſtare accuſatorem, conſcientiam dico: neque enim alium obiurgatorem & teſtem peccatorum habebant, niſi vnicum illum quem intrinſecus circumferebant, cuius accuſationẽ & vltionẽ effugere nõ poterant, eam n. ob cauſam miſericors Deus principio cũ formaret hominem, conſcientiam illi indidit accuſatricẽ perpetuam quæ decipi & deceptionem ferre poſſet nunquã, vt iugiter ſcelerum cõmiſſorum memoriam ingerat & vel hac ratione nos cohibeat ne in eadẽ peccata prolabamur. Porro ſi cum hinc tantũ nobis eſt ſubſidii, dũ aſſidet nobis tã importuna accuſatrix quæ quouis carnifice crudelius ac grauiùs mentẽ noſtram flagellat & affligit, & plæriq; neque ſic peccata vincimus, nec abſtinemus, ſi hoc deſtitueremur ſubſidio quorſum tunc non ſtatim excederemus? præſertim cum in multis non aliam peccati cognitionem mens percipiat, quam ex conſcientiæ teſtimonio, ita vt ſi iſtud deſit, homo ne quidem ſe peccaſſe exiſtimet. *Hæc Chryſoſt.*

Hæc Chryſo. hom. 17. in Gen.

3. VT QVIS libidine victus vel flagitiis indulgens, conuerſus huc atq; illuc ſi neminem videat flagitii ſui teſtem, in facinus ruit: idem tamen quamuis inueniat paratam occaſionem potiendi, explorat diligenter omnia, ſollicitus famæ, erubeſcens teſtimonium erroris qui non erubeſcit errorem, *inquit Ambroſius*, ac ſi quem forte ſpectatorem cognouerit facinoris ſui, verecundia ſequeſtrat intemperantiam & fugat culpam. quanto magis ſi quis alleuet mentis oculos & conſiderat plena eſſe angelorum omnia, concepto poteſt renunciare peccato? Nonne reueritus angelorum præſentiam, ſi præſentes eſſe crederet, à flagitio abſtineret? non metueres, non dico facere, ſed & loqui & cogitare quod prauum eſt, ſi tibi diuina ſcriptura ſuaſiſſet, quod Deus cogitationum ſit arbiter, ſecretorum teſtis & iudex? Hominem vereris præſentem, Dei patris & filii non vereris præſentiam? Noli ſicut cæcus oculis aut ſicut ſurdus, qui, eo quod non poteſt videre neque audire præſentes, ſolum ſe eſſe credit, & in plurimorum cœtu dum putat nullum eſſe præſentem, perpetrare adoritur quod arbitratur eſſe ſecretum. Similiter & tu mẽtis cœcatus oculis, noli æſtimare quod ſine teſte delinquas, quia hominis præſentiam declinare potuiſti. Plures ſunt qui redarguant quam quos cauiſti, ipſum te fugere tui accuſatorem non potes: angeli aſſiſtunt quos minime latet quicquid perpetras: hos quia videbat Eliſeus agmina hoſtiũ non timebat, timebat vero puer eius, qui angelos non videbat. Sed eſto non videãt te angeli, nolit te videre Chriſtus, ſed videt te Diabolus, vident te miniſtri eius, qui te faſcinauerunt ne videres angelos Dei. Noli putare quod colludium tibi præſtet ſilentii, qui volet tecum habere ſupplicii conſortium. Studet plurimos ſimiles ſui videre, & in eo habere gloriam, quod plures perditos fecerit, *hæc Ambroſius.*

Hæc Amb. Pſal. 1.

II. De villicationis ratione reddenda.

1. DIVES hic homo Chriſtus eſt: villicus autem quilibet homo, qui totius vitæ ſuæ, & omnium bonorum à Deo acceptorum, rationem reddere debebit & in die mortis ſuæ, & in die iudicii, iuxta illud Sophoniæ *& erit in tempore illo ſcrutabor Ieruſalem in lucernis.* quaſi dicat *inquit Bernard.* nihil inſcrutatum relinquet, renes ſcrutabitur & corda, ipſaque cogitatio hominis confitebitur illi, dum negare non poterit minima mala quæ cogitauit. Quid tutum in Babylone, ſi Ieruſalem manet ſcrutinium? *Dicit* quidem *impius in corde ſuo, Non requiret Deus*, ſcilicet vitæ humanæ rationem. Certe requiret, *inquit Bernard.* idque ad nouiſſimum quadrantem: Scriptum eſt enim *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii: ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Caue ne de te dicatur quod ſcriptum eſt, *Non eſt Deus in conſpectu eius, auferuntur iudicia tua à facie illius.* Nam irremediabile periculum eſt, *inquit Auguſt.* ſic aliquem vitiis & cupiditatibus frena laxare, vt ſe rationem Deo non meminerit redditurum. Puto quia magna ſit iam peccati pœna, metum ac memoriam futuri perdidiſſe iudicii. Nihil eſt enim quod hominem prouocet, ita ad ſui cuſtodiam, ad omnem iniquitatem euitandam, & ad ſanctitatem in timore Dei perficiendam, atque futuri iudicii conſideratio, ſuæ mortalitatis recordatio, & tremendæ mortis intuitio: Hæc & horũ meditatio, mẽtis eſt ditatio.

Soph. 1. Bernar. ſerm. 55. in cant.

Pſal. 9.

Matt. 18.

Auguſt. ſer. 120. de tem.

2. HINC conuerſus quiſque ſuum vitæ terminum quotidie proſpicit, *inquit Grego.* & ante ſeueritatem tanti iudicis, quas rationes vitæ ſuæ ſit poſiturus, attendit. Et licet cuncta praua opera quæ intelligere potuit, deuitarit, venturus tamen coram diſtricto iudice, illa magis quæ in ſemetipſo non intelligit, pertimeſcit. Quis enim conſiderare valeat quanta mala per momenta temporum ipſis incõſtantibus cogitationum motibus perpetremus? Facile quidem opera peruerſa vitare, ſed nimis difficile eſt ab illicita cogitatione cor ſuum præſeruare, & tamen ſcriptum eſt, *Væ vobis qui cogitatis inutile*, Inutilis eſt omnis cogitatio quæ tendit in peccatum, quia inde nulla prouenit vtilitas. & pſalm. 57. *Etenim in corde iniquitates operamini in terra.* Humana quippe anima poſtquam ſemel æternitatis ſtatum deſeruit, ad fluxum temporalitatis delapſa, hanc mutabilitatem alternantium motionum, quam dum caderet volens appetiit, dum conatur ſurgere, cogitur inuita tolerare. Sæpe ergo electis etiam nolentibus in cogitatione ſurrexit id quod malum eſt quod in ſe quidem ſolerter inſpiciunt, & ante Dei oculos quanti ſit reatus attendunt, & cum de his omnibus ſemper iudicia diſtricta pertimeſcant tunc tamen vehementius ea metuũt, cum ad ſoluendum humanæ conditionis debitum venientes diſtricto iudici appropinquare ſe cernunt, & ſit tanto timor acrior, quanto & retributio æterna vicinior, & quanquam ea quæ ſciunt nunquam ſe prætermiſiſſe meminerunt, formidant tamen illa quæ neſciunt, quia videlicet ſemetipſos diiudicare & comprehendere omnino non poſſunt, hinc vrgente exitu maiori metu terrentur. Non enim immerito tunc cuiuslibet anima terretur, quando poſt puſillum hoc inuenit quod in æternum mutare non poſſit. Dum autem conſideramus quod viam vitæ præſentis nequaquam ſine culpa tranſire potuimus, conſideramus inſuper quia nec hoc quidem ſine aliquo reatu noſtro eſt, quod laudabiliter geſſimus, ſi remota miſericordia iudicetur, merito qui adiicit ſcientiam, adiicit timorem & dolorem. Quod ſi Dauid dicat, *non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*: Paul. quoque fateatur, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*: Iacobus etiam ſcribat, *In multis offendimus omnes*: quomodo virgulta immobilia ſtabunt, ſi huius pauoris turbine etiam cedri quatiuntur, *hactenus Greg.*

Grego. li. 24. morali. ca. 7.

Miche. 2.

3. QVA-

Bernard. Ser. 27. in Cant. 2.

3. QVAPROPTER ſponſa poſtulans ſpōſi aduentum ſecundum, *inquit Bernar.* cupit eum venire etſi cum poteſtate non tamen in forma Dei, ſed in forma qua ſimilis factus eſt nobis. Sic enim ait, *Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum.* Si n. cū hoc quoque temperamento tanta erit in iudicio æquitas, in iudice veritas, in maieſtate ſublimitas, vt ſecundum prophetam Malachiam non poſſit cogitari dies aduĕtus eius quid putas foret ſi ignis ille conſumens Deus omnipotens in illa ſuæ diuinitatis magnitudine, & fortitudine veniſſet contra folium quod vento rapitur? Et homo eſt, ait tamen propheta, *Et quis ſtabit ad videndum eum?* Quanto magis Deum nobis abſque homine ſe exhibentē, nemo hominum ferret, vtpote claritate inacceſſibilem, celſitudine inattingibilem, maieſtate incomprehenſibilem? Nunc vero cū exarſerit in breui ira ei⁹, quā grata propter filios gratiæ apparebit blāda quædā viſio hominis inſtar hinnuli. Et ideo dedit ipſe pater Deus filio iudicij poteſtatē, non quia ſuus filius, ſed quia filius hominis eſt vult homines per hominem iudicari, quo in tanta trepidatione & perturbatione malorum, electis fiduciam prçſtet naturæ ſimilitudo. *hæc Bernar.*

Mal. 3.

4. AD HOC vocat Dominus hunc villicum ſuum vt reddat rationem villicationis ſuæ, vt prçparet ſeſe in illum iudicij diem quo exactam totius vitæ ſuæ reddat rationem, vocat autem Dominus aut per internam inſpirationem, dum ſine ſtrepitu vocis terrorem futuri iudicij incutit, hominemque intrinſecus docet cuncta quæ agit diſtricta æterni iudicis animaduerſione punienda quæ perperam fuerint peracta. Et nulla eſt anima quantumuis peruerſa, ſi modo vllo rationis iudicio vtatur, in cuius conſcientia non loquatur interdum Deus, *inquit Aug.* idque variis modis, aut quia terrore hominem concutit, aut quia præſentia quam vana ſint oſtendit, aut quia ad æterna diligenda hominem accendit, aut quia noſtra nobis mala ob oculos ponit, verumque cordis dolorem excitat: verbum enim Dei eſt opus Dei, & ipſius dicere eſt facere, iuxta illud, *Dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt.* verum vt quis audiat quis intus in eo loquatur Deus, quandoquidem occulti ſunt diuinæ inſpirationis modi & non niſi tenuiter & latenter cognoſcuntur, contra tumultuantem mundi inquietudinem aures cordis obturare debet, vnde qui Deo vitę ſanctitate appropinquant magis ipſique familiarius iunguntur, vt prophetæ & apoſtoli, ſæpius hanc internam Dei inſpirationem perſentiſcunt, verum quia genus humanum procliuius in malitiam declinauit, & à conditore ſuo quaſi longa quadam peregrinatione diſceſſit, hinc ad eos, tanquam longe à ſe diſſitos ad ſcripturā ſanctā tanquam quandam epiſtolam, qua ſuam declarat volūtatem, tranſmiſit, quam dum exponunt doctores & concionatores etiam ipſi tremēdum Dei iudicium ob oculos ponunt.

Auguſt. li. 1. de ſer. do. in mon. tom. 4 & Greg. li. 5 moral. cap. 20.

III. De eleemoſynæ vtilitate & neceſſitate.

1. FACITE *vobis amicos de mammona iniquitatis.* Hæc eſt immenſa Dei bonitas, quod hominibus conferat temporales diuitias, non ſolum ad vitæ vſum, verumetiam vt ijs cœleſtes theſauros nobis cōparemus, & animas noſtras redimamus. Sic enim Sapiens ait, *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei,* quia vt aliquando ſcriptum eſt, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, qua enim menſura quiſque menſus fuerit, remetietur ei.* Et alibi, *Redemptio animæ viri diuitiæ ſuæ.* Hinc ait *Orig.* quod ob hoc tantam multitudinem pecorum nutriuerit Iob, & maximā agriculturam exercuerit, vt plurimis impertiret, plurimis benefaceret, eſurientes paſceret, & nudos veſtiret. Sic enim de ſe teſtatur Iob ipſe: *Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: ſi deſpexi prætereuntem eo quod non habuerit indumentum: ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus*

Prou. 1

Prou. 1

Iob. 31.

bus ouium mearum calefactus eſt. Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit, hæc ibi. Ad hoc & Paul. nos adhortatur cum ait, *Hoſpitalitatem ſectantes*: Dicens enim ſectandam eſſe hoſpitalitatem non illud ſolum oſtendit, *inquit Orige. in hunc locum*, vt venientem ad nos hoſpitem ſuſcipiamus, ſed & requiramus ne forte quis in plateis ſub dio manere cogatur. Tale quid & Abrahamum & Loth feciſſe legimus, qui ipſos hoſpites rogabant vt ad ſe diuertere dignarentur. Ita enim de Loth legimus, *venerunt duo angeli Sodomam veſpere ſedente Loth in foribus ciuitatis: Qui cum vidiſſet eos, ſurrexit & iuit obuiam eis & dixit Obſecro Domini declinate in domum pueri veſtri. Qui dixerunt, minime, ſed in platea manebimus. Compulit illos oppido vt diuerterent ad eum, ingreſſiſque domum illius, fecit conuiuium & comederũt.* Simile quid & Abrahamũ feciſſe legimus. qui cum vidiſſet tres viros *cucurrit in occurſum eorum, & dixit, Si inueni gratiam in oculis tuis ne tranſeas ſeruum tuum ſed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri, ponamque buccellam panis & confortetur cor veſtrum.* Si eos angelos præſciuiſſet, *inquit Chryſ.* nihil magni aut miri feciſſet, ſed præ foribus ſedens angelos credens homines viatores cum alacritate vocauit intro. *Hæc ille.*

Rom. 12. — Gen. 19. — Gen. 18. — Chryſ. ho. 7. in Luca.

2. IGITVR tu quicumque es qui diuitiarum diſpenſationem in hoc mundo ſortitus es, te in illo terribili Dei iudicis tribunali aſtantem intuere, *inquit Ambro.* cumque intrrrogari cœperis. Commiſſas tibi opes cum quibus egentibus diuiſiſti? quibus neceſſitatem patientibus ſubueniſti? quos de carceribus profuſa pecunia liberaſti? quibus pupillis pater exſtitiſti? Pecunia mea, fructus mei quid apud te operis, quid virtutis habuere? Tu ad hæc ſine dubio reſpondebis, Omnia ſimul cõpoſita ac recondita clauſtris validiſſimis & ſignaculis tutiſſimis communiui, nulli quicquam tribui, quinimo ad ea cuſtodienda totum animum intendi, *hæc Ambr.*

Ambro. in c. 12. Luc. ad illa verba. Hominiſ cuiuſdã diuitis.

Certe huic dici poteſt quod *Baſil.* quodam loco dicit, Quouſque opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati cauſa? Quouſque diuitiæ erunt belli materia, diſcordiarum fomes? Propter opes enim fratres inter ſe digladiantur: loca deſerta graſſatoribus plena ſunt, mare piratis, ciuitates, calumniatoribus complentur, *hæc Baſil.* An non formidamus terribilem illam ſententiam, *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare Nudus fui & non veſtiſtis me. Ite maledicti in ignem æternum. & ſi in ignem æternũ ibit cui dicturus* eſt Chriſtus. *Nudus fui & non veſtiſti me*: quem locum in igne æterno habebit, *inquit Aug.* cui dicturus erit: veſtitus fui & ſpoliaſti me? Ille diues ante cuius ianuam iacebat pauperrimus vlceroſus, nõ eſt dictus rerum alienarum poſſeſſor, nec pauperum oppreſſor, aut pupillorum ſpoliator, nihil horum, ſed erat diues & de ſuo diues erat. Quod ergo eius crimen ob quod in inferno ſepultus? Propter hanc ſolam inhumanitatem qua contemnebat pauperem, nec paſcebat fame morientem, vnde deſiderauit guttam qui non dedit micam. Si ergo pœna eſt auarorum, quæ erit raptorum? *hæc Aug*

Baſil. ho[m.] 7. con. c[...] ui. auar. — Aug. ſer. 21. de ver[b.] apoſtol.

3. CVI conforme eſt quod Baſili. ait Communis *inquit*, non meminerat naturæ nec quæ ſupererant putauit egentibus diſtribui oportere, nec vllam inibat rationem illius præcepti, *Frange eſurienti panem tuum*: ſed horrea multitudine fructuũ grauata dirumpebantur, cor autem eius parcum & tenax minime eſt exaturatum. Quid faciam, inquit? agnoſce ó homo eum qui dedit, qua gratia iam multis ſis prælatus. Dei miniſter es, tuorum diſpenſator conſeruorum, Ne puta omnia ventri tuo præparari, quæ in manibus habes vt aliena exiſtima: ſic enim Dominus ait, *Si in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt quis dabit vobis?* Alienas appellat terrenas facultates, *inquit Auguſt.* quia nemo eas ſecum moriens aufert, iuxta illud Iob. 27. *Diues cum dormierit, nihil ſecum auferet.*

Baſil. ho. 6. ex var. con. diui. auar. — Luc. 16. — Aúg. lib. [...] quæſt. eu[...] ang. to. 4.

Res

Res ſuas cum moritur ſecum tolleret *inquit Grego.* ſi ad mendicantis vocem cum viueret, contuliſſet. Nam terrena omnia quæ ſeruando amittimus, largiendo pauperibus ſeruamus patrimoniumq; noſtrũ retentum perditur, quod manet erogatũ. Diu enim cum rebus noſtris durare non poſſumus, quia aut nos illas moriẽdo perdimus, aut illæ nos viuentes pereundo deſerunt. Paruo te exhilarabunt tempore quę poſſides, deinde diffluentiæ præteribunt, quarum ratio acriter abs te exigetur *inquit Baſilius.* — G[illegible] l. 18 [illegible]

4. AGENDVM ergo nobis eſt, vt res abſolute perituras in non pereuntem cogamus tranſire mercedem. Plane imprudenti vtebatur conſiliario diues ille Lucæ 12. dicens, *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? & dixit, Hoc faciam deſtruam horrea mea & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi.*

Baſili. ho. 6. ex varijs tom. 1. cõ. diui. auar. — Parata tibi reſponſio fuerat, *inquit Baſil.* eaque melior, Eſurientium animas explebo, dediſti eſurienti, tibi conſuluiſti, quia quod dediſti, ad te cum augmento redibit.

Quemadmodum enim frumentum in terram cadens lucrum proijcienti parit, ſic & panis in eſurientem proiectus, multam in poſterum tibi reddet vtilitatem. Pecuniam hic vel nolens relinques, honorem vero ex benefactis ad Dominum referes, quando populus omnis communem iudicem circũſtans, te & nutritorem & in inopes beneficum appellabunt. De te illud dicetur, *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*. Dixeris tum in pauperes diſpertiar, cum horrea ſecunda compleuero: vitam tibi longam polliceris, non vt poſt hac ſis liberalior ac tribuas, ſed vt inſtantem mendicum à te propulſes. Iam quando ſuppetit, quid prohibet quo minus liberaliter impertiaris? Nonne inops adeſt? Nonne media adſunt Nonne mandatum manifeſtum? Nonne merces à Domino parata? Neſcis quid Sapiens dicat? *Ne dicas reuertere & cras* — Prou. 2.

dabo tibi, cum ſtatim dare poſſis. Hactenus Baſil.

5. Meminiſſe oportet quod Paulus ait. *Qui parce ſeminat parce & metet*, ex quo infert *Augu.* Ergo qui multum ſeminat multum & metet, & qui nihil ſeminat, nihil metet, Sed parum habeo, inquies, vnde eleemoſynam faciam, Saltem ſit tibi dandi bona voluntas: Quomodo enim nihil eſſet quod habes ſi non adeſſet bona voluntas, ſic & quia non habes, noli eſſe triſtis, ſi eſt tibi dandi bona voluntas. In Zachæo magna voluntas multum dedit multum ſeminauit quando dixit, *Dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Et vidua illa duo minuta miſit, tantum ſeminauit quantum Zachæus: Minores quidẽ facultates ferebat, ſed parem voluntatem habebat: miſit duo minuta de tanta voluntate de quanta Zachæus dimidium patrimonii ſui, *hæc Auguſt.* Et ita per prophetam Dominus hortatur eleemoſynam fieri, vt prope nullus pauper ſit quiſe valeat excuſare, *inquit Auguſt.* Sic enim ait, Iſa *Frange eſurienti panem tuum.* Non dixit vt integrum daret, cum forte pauper ille aliũ non haberet, ſed frange *inquit*, hoc eſt dicere, etiamſi tanta paupertas tibi ſit vt non habeas niſi vnum panem, in ipſo tamen frange & pauperi tribue. Quid nos ad hæc dicturi ſumus, quam excuſationem habebimus, qui amplas & ſpacioſas domos habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum, ignorantes imo non credentes quod in omnibus peregrinis Chriſtus excipitur, ſicut ipſe ait, *Hoſpes eram & collegiſtis me, quia quod feciſtis vni ex minimis, mihi feciſtis.* Si faſtidimus pauperes timendum ne & Chriſtus faſtidiat nos. *hactenus Auguſtinus.* — 2. Co. / Aug. Pſal. / Aug. 62. de Iſa. 58

6. HORTATVR nos ſcriptura ad miſericordiam faciendam, vt omnino crebreſcamus in erogando, quod amplius habemus, *inquit Aug.* Et e rogari ſibi vult Deus ex illo dedit, q vt occaſionẽ habeat nobis remunerãdi ſi qd in eius gratiã & bonorum — Aug. in pſal. 14

Digitized by Google

Prou.3. bonorum expenderimus. *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, inquit Sapiens, *& implebunt horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt*. Qui enim terrena ſubſidia largitur inopib. *inquit Hier.* quã-quam temporalis ſubſtantia minuatur, ditior tamen dando cœleſti remuneratione redditur, vnde *idẽ Hier.* referens laudes Fabiolæ *in epiſt. ad Oceanum*, ſic ait, Omnem cenſum quem habere poterat, erat autem ampliſſimus, & reſpondens generi eius, vendidit, & inde pecuniam congregatam vſibus pauperum præparauit, & prima omnium xenodochium conſtruxit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & conſumpta languoribus atque inedia miſerorum membra foueret. Quoties morbo regio & pedore confectos humeris ſuis ipſa portauit? Quoties lauit purulentam vulnerum ſaniem, quam alius aſpicere nõ volebat? Præbebat cibos propria manu, & ſpirans cadauer ſorbitiunculis irrigabat. Quanquam illa ſimili liberalitate erga clericos, monachos, ac virgines fuerit. Quod monaſterium non illius opibus ſuſtentatum eſt? Quem nudum non Fabiolę veſtimentum texit? In quorum ſe indigentiam non effudit præceps, & feſtina largitio? *hæc ibi*.

7. EFFVNDAMVS igitur facultates noſtras in indigos mentẽ liberali ex his quæ nobis dedit Dominus *inquit Chryſ.* & quę ab eo donata ſunt, ipſi iterum donemus, vt ſic iterum noſtra cum lucro fiant. Tanta enim eſt eius liberalitas quod liceat accipiat de hi quæ ipſe dedit, non tamen putet proprie ſe accipere, ſed magna munificentia non ea redditurum ſe pollicetur. Quod ſi agricolæ penu ſuum euacuant & ſemina terræ concredunt, quod & cum voluptate faciunt, ſpe maiora recipiendi ſe ſolantes, & quamuis ſciant quod aëris intemperies & ſterilitas terrę & alia multa accidentia ſpe excidere faciant, attamen bona ſpe ſe ſolantes ea quæ ſunt in promptuariis collecta terræ concredunt: multo magis nos quæ abſque vſu recondita ſunt, diſpergere in vſus pauperum conuenit. Hinc nunquam ſpes clauditur, teſte Pſalmiſta, qui ait, *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*. Vide quantam vim habet eleemoſyna, breui tempore diſtribuitur, & perpetuo ſeculo iuſtitia eius permanet. Quapropter, inquit idem, eccleſiam tibi conſtitue domum tuam, arculam vero gazophylacium, tuo ipſius ſuffragio miſeris œconomus deſignatus. Profecto nõ minus eſt iuxta lectum eleemoſynam reponere, quam ſi iſtic euangelium ſuſpendas. In hac enim arcula aduerſus diabolũ armaturam habes repoſitam, hac orationem tuam cœlos penetrantem efficies, domum ſanctam reddes: eaque eo in loco reponatur vbi quiſque orare ſolitus eſt, ita vt eleemoſynam primum, quoties acceſſeris oraturus, imponas & deinde orationem proferas. Adiectum deponatur illa, & ſic abſque phantaſiis tranquille noctem tranſiges. Si aliquid vendiderit artifex, ſartor vel coriarius, vel faber ærarius, ſui artificii primitias eius pretii offerat Deo, eique partem diuidat huc paululum coniiciendo. Nam Deus non ad hoc ſolũ eleemoſynam inſtituit vt paſcantur indigi, ſed etiam vt dantibus accreſcerent beneficia, atque adeo magis propter dantes, quam propter accipiẽtes, *teſte eodem Chryſoſt.* & propterea vera eſt eleemoſyna ſic dare vt gaudeas te dare, puteſque te accipere magis quam dare, non ex triſtitia aut neceſſitate, *hilarem* enim *datorem diligit Deus*.

Chryſ.ho. 35. in Gen. — Pſal. 112. — Chryſ. ho. 43. in 1. epi. Cor. — Chryſ. ſer. de elect. & colla. in ſanctos.

III.

1. ALIQVIBVS hominibus cũ dixeris vt pauperib. aliquid elargiantur, ſtatim tibi obiiciunt, *inquit Ambro.* Neceſſitates infinitæ ſũt, tributa fiſcalia grauia, vndiq; premimur, & tãta tibi ingerũt, vt quaſi reũ te ſtatuant cur hoc ipſum volueris cõmonere: nõ intelligẽtes quod omnibus neceſſitatibus pręferẽda ſit ſalutis neceſſitas. Sunt nõnulli qui cætera quidẽ mãdata obſeruant, ad bonorũ vero ſuorũ erogationẽ claudicant, vidi ego, *inquit Baſil.* multos ieiunãtes, orãtes, pręteritorũ pœni-

Plerique hominum tardi ſunt ad erogãdum eleemoſynam. — Ambr. ſer. 39. de ieiu. & elee. tom. 2. — Baſilius.

pœnitentia suspirantes, omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes, egentibus vero ne obolum quidem præbentes. Quid his cætera virtutum diligentia prodest, inquit. Num propterea regnum Dei consequentur? Metuenda est illa Domini sententia, *Difficilius est diuitem intrare in regnum cœlorum quam camelum per foramen acus.* Hoc testimonium verum ac validum quia verax qui testatur, pertinax vero pauci. Quid quæso grauaris dum eleemosynã rogaris? Difficilis rogatu es, occultas pauperum vitas, ne forte aliquis vel modicum è manibus coacte extorqueat, vnã tantum nosti vocem, Non habeo, Nam & ego pauper sum. Pauper es profecto & omnium egens bonorum: caritate & benignitate in indigos pauper, pauper fide in Deum, pauper pietate & spe æternorũ. *hæc Basilius.*

Matth. 19

2. DIXERIS, cui facio iniuriam si mea retineo conseruoque? Quæ illa hic mihi tua? vnde accepta hæc ad traducendam præsentem vitam inuexisti? Nonne nudus ex vtero matris existi & nudus in terram conuerteris? cur tu diues, ille pauper? profecto non aliam ob causam, *inquit Basilius*, nisi vt tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille vero patientiæ maximis præmiis honoretur. Tu vero auarus cum sis, ea quæ ad distribuendum recepisti, tibi propria vsurpas: Et perinde facis ac si quis communem locum spectandi in theatro præoccupans, cæteros abarceat ingressu, suo vnius vsui adiudicans quod ad communem omnium vsum proponitur. Tales & diuites existunt, communia namque cum priores obtinuerint, propria faciunt occupando. Esurientis est panis quem tu retines, nudi est vestis, quam in arca custodis, egentis argentum quod tu terræ infossum possides. *hæc Basilius.*

Chrys. ser. e clect. & olla. in sanctos.

3. QVOD si in futurum seculum sequerentur bona terrena, profecto præ illis pretiosioribus, quæ ibi reperies, & hæc nihili penderes. Sed quando necesse est ea hic remanere, cur ex eorum vsu non beneficis, maiora longe reperturus? Nam si alacri animo das aurum vt equos possideas, cur id regno Dei potius commutari non sinis? petenti denegas, mille sumptuum occasiones commemorãdo. Quid misericordi iudici respondebis? Parietem vestis & ornas aulæis, hominem non vestis: Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? Sed inquis, Ego quidem bonis dum vixero frui volo: post mortem vero in testamento hæredes, facultatum mearum pauperes faciam. Miser, tunc benignus ac liberalis hominibus eris cum amplius inter homines non eris? *inquit Basilius.* Cum te cadauer aspiciam tunc fratris amantem appellabo? Dic, cuius temporis mercedem potissimũ exposces vitæne an mortis? Quod si tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus absumpto, pauperes nequaquam respexisti, mortuus cuiusnam operis mercedem petiturus es? Ostende opera & tunc primum mercedem repete: Nullus enim post certamina accedẽs coronatur, nec post bellum fortia gerit, nec item post vitam pietatis laudem præmiumve capiet. Atramento & tabulis pulchra opera gerere studes? Quis de mortis genere spondet? Quot videmus repentina morte abripi? Quid igitur tẽpus expectas in quo forte rationis tuæ compos non eris? Imo compos mentis sis futurus paratus aderit fortassis qui hæreditati insidiabitur, omnia tantumque ad eius faciant vsum adhortans, ac tua irritare consilia quærens. Quod si nihilominus contigerit vt & verbo & scripto res tuæ palam mandentur, vna tantum transposita litera, vnum non probe appositum signum, totam sententiam irritam facere valebit. *hæc Basilius.* Et *Hiero.* explicans illud. *Multi cibi in noualibus patrum, & aliis congregabitur absque iudicio*, sic ait, Absque iudicio recto facit, qui diuitiis congregandis sedulus insistit, & has aggregatas non ipse pro redemptione animæ suæ pauperibus dispensat, sed aliis post se dispensandas relinquit & reseruat. *sic Hieron.* Prou. 13

III. Plerique hominum tardi sunt ad erogandum eleemosynam. Ambr. ser. 59. de tem. & eleemos. Basilius.

Ambr. ser. 39. de ieiu. & elee. to. 2.

4. BONA est eleemosyna, *inquit Ambro.* quæ & accipientem reficit, & erogantem dum meritis ditat, lætificat. Considera quanta tibi tunc erit gloria, cum te omnis ille populus, qui ex promptuariis tuis pastus est & refectus, pro tribunali magni illius & iusti, iudicis, circundabit pastorẽ se suum & misericordiæ patrẽ omni gratiarum voce testabitur, vbi corona tibi non auri sed iustitiæ dabitur, quę tibi permanebit in seculum seculi. Hinc multo maius est esurientem pascere Christum, *inquit Chrys.* quã in nomine Christi mortuos suscitare: nam ibi tu de Christo bene mereris, hic autẽ ipse de te: hic in signis & miraculis ipse Deo debes, in eleemosyna vero Deum habes debitorem. Nescis scriptũ, *Qui miseretur pauperis fœneratur Deo?* Si fœneramur Deo, is ergo nobis debitor erit, licet pauper per inopiam retribuere non possit. Deus se sponsorem dedit, qui dixit, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, & propterea pauperes ante fores templi positi sũt, *inquit Chrys.* ne quis vacuus ingrediatur, vt introeat cum eleemosyna, si vt misericordiam consequaris, intras, prius miserere, hæc ille. Certe magnæ inhumanitatis fuerit, inquit idem, post tot spiritales admonitiones, arculis & muris includere superflua, & non illis subleuare proximorum inopiam, sed sinere à rubigine & tinea potius corrumpi, & propter illa suppliciis potius plecti, quam dignam pro eis erogatis remunerationem accipere. *hac ille.*

Chrys. ho. 36. ad pop.

Eccl. 19.

Chrys. ho. 67. ad po. & ho. 35. in Gene.

5. Sed dixeris, Pauperes isti nebulones sunt qui paupertatem, & infirmitatem simulant, dum alii quidem sine calceis, alii per ipsum gelu nudo corpore mendicantes incedunt, alii fugitiui qui operari nolunt, alii peregrini sunt, qui relicta patria sua in nostram confluunt. Ne curiose scruteris pauperum vitam, *inquit Chrysostom.* nam extremæ illud insolentiæ est, pro vno pane totam hominis miseri vitam curiose perscrutari. Quod si Deus ita diligenter nos scrutaretur, vti nos causam pauperum, nullam vnquam misericordiam vel veniam assequeremur. Quãtam tu Deo beneficentissimo gratiam habere, quam hilarẽ esse te simul & in inopes liberalem oportet, quod non ipse pro foribus alienis cogeris querulus esse & paupertatem simulare. Eum qui præstat humanitatem non oportet exposcere vitæ rationem, sed inopiæ subuenire, etiamsi fuerit improbissimus vel homicida, vel latro si necessario victu eguerit, sedemus eius famem: Hoc enim mandat Dominus cum ait, *Estote similes patris vestri qui solem suum facit oriri super bonos & malos.* & Paulus: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes maxime autem ad domesticos fidei.* vnde patet quod & infidelibus doceat esse benefaciendum, etenim si simulat, ex inopia & necessitate simulat, *inquit Chrysost.* propter inhumanitatem nostram quæ nulla commouetur misericordia, si enim facile moueremur huiusmodi artes miser non quæreret: Itaq; simulatio illius nostræ inhumanitatis est accusatio. & non tam ipsi quam nobis cedit in ignominiam & culpam. *hæc ille.*

Chrys. ho. 2. ad Ro.

Matth. 5.

Galat. 6.

Chrys. ho. 2. in 1. ad Corinth.

DOMINICA IX.

POST PENTECOSTEN.

CVM *appropinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses & tu, &c.* Luc. 16.

Summa Articulorum I. partis.

I. *Qui fiat quod Dei iudicii impii aliter non timeant, & pii tantopere: & contra falsam multorum securitatem.*

II *Cur quos præuidit malos futuros & damnandos creauit Deus.*

III. *De pœnis peccato debitis, & quomodo iuste puniantur pœna æterna qui temporaliter peccauerunt.*

Pauca

Pauca subiunguntur de excidio Ierosolymitano.

PARS I

1. Cur impii tam parũ Dei iudicia metuant.

1. VENIENT dies in te & *circumdabunt te inimici tui vallo.* Diuini iudicii exemplum hic nobis ob oculos ponitur, qui tanta seueritate in impios animaduertit vt horrendum sit incidere in manus Dei viuentis. Confert autem maxime præsentis Euangelii tractatio ad falsam & inanem multorum hominum spem atque fiduciam reprimendam, qui totam vitam in sceleribus degentes, salutem sibi & securitatem ex sola diuinæ misericordiæ largitate pollicentur: Nec animaduertunt illud quod Ecclesiasticus ait, *ne dicas magna est miseratio Domini, multitudinis peccatorum meorum non recordabitur: Misericordia enim & ira cito proximant ab illo, & in peccatores respicit ira illius.* Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, *vt Petrus docet,* sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari, & originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens: & ciuitates Sodomorum & Gomorhæorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens: quanto minus parcet impie agentibus, qui virtute & fortitudine ipsis angelis longe reperiuntur inferiores & vt Paulus ait, *Si Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. vide ergo bonitatem & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* hæc ille.

cap. 5.

2. Pet. c. 2.

Rom. 11.

2. HIC cernere licet, quantum diuina conditio distet humano ingenio: homines namque qui natura ad misericordiam propensi sunt, in sceleribus vindicandis blandius ac remissius se gerere solent: contra vero qui natura immites sunt, & propius ad seueritatẽ accedunt, ab omni misericordiæ & lenitatis affectu magis alieni sunt. Contrarii namque affectus quodammodo sese impediunt atque alter alteri sic obsistit, vt quo vnus fuerit intẽsior, alter sit remissior. Quæ res a diuina natura maxime est aliena: quæ quamuis ad misericordiam quam ad iustitiam sit propensior, adeo tamen plene vtramque hanc virtutem amplectitur, vt vnius plenitudo atque perfectio, alteri non sit impedimẽto. Quod clare conspicere licet in præsenti exemplo: nam quantam videre licet seueritatem & iustitiam in vastatione Ierusalem, tantam pietatem, clementiam, & misericordiam ostendit Dominus dum hanc funestissimam cladem longe ante præuisam amarissimis lachrymis prosecutus est.

3. QUALIS quisque fuerit talem sibi Deum experietur, qui tãquam agnus est ipsis mansuetis & mitibus velut Leo terribilis apparebit iniquis & rebellibus: qui super humiles & trementes sermones suos respicit oculis misericordiæ suæ, super præuaricatores ac superbos respicit vultu indignationis suæ: sicut enim Psalmista ait, *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum: Et obliti sunt mei, & ergo ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum, occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo.* Ita egit cum Iudæis, sic acturus cum omnibus impiis, Eos vallo ita circumdedit, vt nulla ne quidem imaginaria spes euasionis esset, cum alioquin etiam vna spes aliquid saltem solatii adferre soleat: Sic dæmones capitales animæ nostræ hostes, animam cuiusque improbi circumuallabunt & circũdabunt in die mortis, & vndique coangustabunt vt ignoret quo se vertere velit infœlix homo: Nã scelera anteactæ vitæ ob oculos statuẽt non sub specie blanda vt iã modo, sed in specie ꝓpria informi & horrenda, tormẽtaq; q̃ suis scelerib. promeruit sibi præparata videbit in æternũ luẽda, sic n. dicit in Deut. *Si nolueris audire vocẽ Dei tui, venient super te vniuer-*

Psal. 33.

Oze. 13.

Deut. 28.

vniuersa mala hæc, maledictus eris ingrediẽs & egrediens, timebis die ac nocte, & erit vita tua quasi pendens ante te, repleberis stupore & ignominia.

4. INCREDIBILE dictu est quantum timoris, etiam sanctissimis viris incusserit hæc diuinæ iustitiæ consideratio, quantumque perterrefecerit ipsorum pectora.
Iob.31. Hinc innocentissimus ille Iob, *Semper quasi tumẽtes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui: Et Bernardus.* Paueo gehennam, paueo iudicis vultum, contremisco ab ira potentis, horreo i-
Ieremi. cap.10. gnem torrentem. Et Ieremias, *Quis non timebit te, ô Rex gentium*? Hoc salutari ti-
Psal.110. more petebat Dauid configi carnes suas vt non peccaret Deo: ita vt si mala aut immunda cogitatio se animo eius obiiceret, protinus diuini iudicij timore sine vlla cunctatione eam à se abigeret. Ne itaque falsam improborum securitatem de sola Dei misericordia conceptam sectemur, sed salutarem Dei timorem concipiamus, quia *qui sine timore est non poterit iustificari.*
Eccl.11. inquit Ecclesiasticus: Et istud mirum alicui videri posset quod quo quis in Deum magis fuerit impius & irreligiosus, eo minus timeat, quod non aliunde prouenit quam quia nec se nec Deum nouit, existimat enim quod quia prospere agit, Deus sit ei similis, eaque quæ ipsi placent placeant & Deo: De quo sic Psalmista, *existi-* Psalm.49.
masti inique quod ero tui similis, arguam te & statuam cõtra faciem tuam, quia iniquum est hominem & præsertim peccatorem, Deum Deique iudicium velle ex se æstimare: quo tamen hominibus in quibus non est timor Dei, nihil æque familiare: & tantum abest vt sim futurus tibi similis, vt etiam te iudicaturus sim & pœnam tibi inflicturus, & statuam tibi iniquitatem tuam contra faciem, vt eam perpetuo habeas tibi obseruantem, hoc facit Dominus, *inquit Ambr.* non inquisitione factorum sed illuminatione cordium. E contra vero quo quis in Deum fuerit pius magis, eo amplius eum timet, quia eius iustitiã, peccatiq; iniquitatem plenius perfectiusque cognoscit.

5. ET HOC est quod insinuat nobis Dominus cum ait, *Quia si cognouisses, scilicet* tuam iniquitatem & calamitatem atque ruinam tuam quæ superueniet in te: & tu scilicet fleres, etiam in hac die tua qua non Deo sed tibi viuis, & id quod lubet facis. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia alta rerum futurarum obliuio propter pacem præsentem, & terrenorum bonorum affluentiam, facile incidit in hominem deliciis diffluẽtem. Nam *vt Grego. ait*, propterea homo peccator nõ vult prauidere aut præscire mala futura, ne præsentem pacem & voluptatem qua fruitur, perturbet: Dumq; in præsentis vitæ delectationibus hæret sui suorumque malorum oblitus, quid aliud quam quod clausis oculis ad mortem & ad gehennam vadit? *Gens absque consilio est*, inquit Moy- Deut.32.
ses, *& sine prudentia, vtinam saperent, & intelligerent & nouissima prouiderent.* Qui sensu viuit, qui præsentia duntaxat intuetur, & non fide quæ & abscondita rimatur & futura, dum ea ei quæ fides docet prædicuntur, tantum abest vt credat, vt potius irrideat & ioco suscipiat: Id quod patet Gen.19.
exemplo ipsius Loth, qui cum ad generos suos qui accepturi erant filias eius, loqueretur & diceret, *Surgite & egredimini de loco isto quia delebit Dominus ciuitatem hãc, visus est eis quasi ludens loqui*: Id & iis contigisse videtur, *qui erant ante diluuium in diebus Noe edentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes vsque ad eum diem quo venit diluuium & tulit omnes*: Sed & Paulus sic ait, *Cum dixerit peccator pax & securitas,* 1.Thess.5.
tunc repentinus ei superueniet interitus: & 2.Pet.1.
Petrus, venient in nouissimis diebus, inquit, in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes, vbi est promissio aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio Isa.56.
creaturæ, venite ergo sumamus vinum & impleamur ebrietate, erit sicut hodie sic & cras, & multo amplius, sic de iis Isaias.

6. MVLTA

Digitized by Google

6 MVLTA sunt etiam nunc quæ olim in diluuio, quamuis amplius non pereat diluuio mundus, *inquit Chrysost.* multi peccant, qualia hic qui in Sodomis, quorũ iniquitas saturitas panis teste Ezechiele, quamuis ignis de cœlo non descendat qui eos deuoret: Multi audent quę quondam Israelitæ murmurantes audebant, licet iam à serpentibus percussi non intereant: Quomodo igitur eadem non patiuntur si eadem peccent? non quia cõdonatum est, illis, *inquit Chrysosto.* sed dat eis Deus præscriptum pœnitentiæ tempus quo resipiscant, quod si id neglexerint totam pœnam inducet: & hoc ipsum munus patientiæ Dei eis ad cumulum pœnæ accrescet, si conuersi non fuerint: Sic enim Paulus ait *An ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiem cordis tui thesaurizas tibi iram in die vindictæ.* Quod si omnes peccantes ex tempore quo peccant puniret Deus, perquam pauci saluarẽtur, quia exceptis infantibus recenter baptizatis, pauci sunt qui per innocentiam salutem consequuntur. Patienter etiam expectat Deus, non solum donec peccantem pœniteat, sed etiam vt nasciturisseu gignendis ex eo salutis viam non occludat. Si Deus prophanum Esau præcidisset & radicem amputasset, patientem Iob ex eo natum ecclesia non habuisset: Parcit igitur radici malæ & homini impœnitenti propter fructum bonum quem videt inde exoriturum: Cum & ciuiles leges id habeant, prægnantem si quando contigerit mortis peccato damnari, non prius quam pepeiit damnari & necari, sic Deus si ad pœnam velox esset, mundus iamdiu periisset.

Rom. 2.

II. Cur Deus creet damnandos.

DICVNT multi eos non debuisse aut nasci aut creari quos præscius erat Deus damnandos iri. Si ita putent fieri debuisse, magis ipsis reis quam sanctis consultum volent, quia dum dicunt prouideri debuisse malis ne ad interitum veniant pro merito suo malo, hoc iudicio adiment etiam sanctis vitam temporalem quibus debebatur æterna: qua sententia ante videbuntur puniti quam nati. Quiq; sic arguunt, potius non sint martyres quã vt pereat crudelis Nero, aut impius tyrannus Domitianus, idem faciunt ac si quis diceret. Potius non sit homo quam vt occidatur bos aut ouis è quibus debet viuere homo. Nullum permitteret exoriri malum Deus, nisi tam sapiens esset & tam potens vt etiam malo bene vti sciret, & præuideret quid boni ex illo malo subsequuturum esset, cũ certum sit quod *Deus & natura nihil faciant frustra*, & quæ vtilitas, inquies, si descendero in corruptionem? tibi quidem inutilis eris, sed nõ aliis, facit enim etiam damnatus homo ad decorem vniuersi & subseruit electis Dei, tum quia apposita iuxta se posita magis elucescunt: sicut nigredo in pictura, quãuis non placeat specie, quia deformis est, placet tamen ordine & positione quia ibi est vbi talem esse decet vt per eam reliqui colores qui ad decorem faciunt, emineant magis, sic ex pœnis damnatorum magis relucet gloria sanctorum. & ex iusta damnatione eorum magis gratia & misericordia Dei ipsis electis facta, eminet & grandior apparet: Tum etiam quantumuis natura bona à Deo creata peccatis sit corrupta, nunquam tamen desinit esse creatura, in qua etiamnum reluceat sapientia & potentia & bonitas Dei qui fecit eam, vt ex reliquiis relictis intelligas quantæ dignitatis fuerit hæc creatura in sua integritate inuenta, sicut cum Ierusalem solo esset adæquata, & sic destructa vt qui ad eam accessissent, habitatam aliquando vix crederent, relictæ sunt quædam turres quæ præter alias eminebant, Phaselus, Hipiprius & Mariamne, vt posteris indicio essent qualem ciuitatem & quam munitam Romanorum virtus obtinuisset: Ita hominis peccantis anima, quantumuis sit peccatis fœda, corrupta, immo mortua, tam est tamen nobilis creatura vt etiam ani-

ma mortua possit viuificare & ornare corpus mortuũ, non in quantum peccatrix, quia vt sic nihil in ea reperitur boni aut pulchri, sed quia adhuc anima quæ viget sensu & intellectu.

2. SED NEC illud te moueat in quo temere & peritum vulgus offendi solet, vt putes hominem non ideo factum seu creatum bonum quia sic conditus est, qui facere posset & malum, tamquam creari debuisset qui naturæ necessitate ad immutabilis boni legem astringeretur. Nam si ad subtiliorem intellectum cogas animum, *inquit Hiero.* hinc tibi melior status hominis ac superior apparebit, vnde putatur inferior. In hac enim vtriusque partis libertate decus positum est animæ rationalis, hinc inquam totus naturæ nostræ honor consistit, hinc optimi quique laudem merentur & præmium, necesset omnino virtus vlla in bono perseuerantis si is ad malum transire non potuisset, volens namque Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munere, & liberi arbitrii potestate donare; vtriusque partis possibilitatem homini inserendo, proprium eius fecit esse quod velit, vt boni ac mali capax naturaliter vtrumque posset & ad alterutrum voluntatem deflecteret, neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum nisi æque etiam malum habere potuisset, vtrumque nos posse voluit optimus creator, sed vnum facere, bonum scilicet quod imperrauit, malique facultatem ad hoc tantum dedit, vt voluntatem eius ex nostra voluntate faceremus. Quod cum ita sit, hoc quoque ipsum quod etiam mala facere possumus, bonum est, bonum inquam quia boni partem facit meliorem, facit enim ipsam voluntariam, ipsamque voluntatem sui iuris non necessitate deuictam sed iudicio liberam, licet quippe nobis eligere aut reiicere, approbare vel respuere: Nec est quo magis rationalis creatura cæteris præferatur, nisi quod cum omnia alia conditionis tantum ac necessitatis bonum habeant, hæc sola etiam voluntatis habeat. Improbi autem homines dum nolunt aut negligunt idipsum bene administrare quod facti sunt, aliter se factos fuisse mallent vt omnino malum facere non possent, vt qui vitam suam emendare nolunt, videantur velle emendare naturam, idque non minus impie quam imperite, tanquam si figmentum dicat ei qui se finxit, Cur me fecisti sic? *hactenus Hieron.*

3. AVGVSTINVS vero sic dicit, proculdubio omnipotenti Deo non erat difficile vt omnia quæcumque fecit, sic faceret, vt nulla creatura ad miseriam perueniret: Si homo factus esset qui omnino peccare non posset, Deum quidem in suo opere laudare oporteret, sed & hoc bene fecit quod hominem liberum creauerit, qui ad vtrumque se flectere possit, vt si non peccatet suo merito ad gloriam perueniret: si vero peccaret & ad miseriam deueniret, etiam sic rerum perfectionem non imminueret neque tolleret.

Deus enim cum summe sapiens sit, etiam ex contrariis rerum speciem & decorem efformare nouit: & quia iustus est sua cuique loca, suumque ordinem distribuit, vt etiam mala licet non specie tamen ordine placeant, & quamuis Deus mala non diligat, ad ordinem tamen quem diligit & facit, pertinere censenda sunt, non quod peccata ipsa vel miseria perfectioni vniuersitatis quam condidit Deus necessaria sint, sed animæ in quantum animæ siue peccatrices fiant, siue iustæ & sanctæ permaneant:

Nam cum non peccantibus adest beatitudo, perfecta est vniuersitas, cum vero peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est vniuersitas, quia creaturæ inferiores à quibus punitur peccans natura superior, tam sunt infimæ vt or-

...re ornari etiam à turpibus animabus possint, atque ita decori vniuersitatis congruere, & anima etiam peccatrix tantæ dignitatis est, non quidem merito, sed natura, tantæque virtutis vt licet ipsa peccatis sit mortua & deformis corpus tamen suum & formare & viuificare queat.

III. De pœnis peccatorũ. 1. QVOD si peccata præcederent & miseria seu pœna non sequeretur etiam eodem momento quo peccatur, ordinem vniuersitatis dehonestaret iniquitas: aut etiam si miseria esset & peccatum non præcessisset, nihilominus deformaretur ordo, *inquit August.* sed cum peccantibus adest miseria, non peccantibus vero honor & beatitudo, in vtroque perfecta est vniuersitas. Sed *notandum* duplicis generis miserias seu pœnas esse quas per peccatum incurrimus: *Quadam* quas Deus velut iustus iudex directe ipsis peccantibus infligit, quasque secundum culpas ipsas taxat vt æquales sint in iis qui æqualiter peccauerunt, & tales sunt omnes pœnæ futuri seculi vbi quisque digna factis recipiet, iuxta illud Apocal. *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Talis pœna est etiam in hac vita, dum primo homini peccanti Deus originalem iustitiam subtraxit, & nobis etiam peccantibus suam gratiam subtrahit: ex eo subsequitur *pœna secundi generis* quæ quasi per accidens & præter intentionem iudicis ipsi reo accedit, ex natura videlicet ipsius rei: sicut quod aliquis pro culpa sua excæcetur, & excæcatus in via cadat, & se lædat: & talis pœna seu miseria culpæ non proportionatur, nec ab homine iudice qui nõ potest omnes fortuitos casus & euentus præcognoscere, intenditur. Pœna autem taxata pro primo peccato proportionaliter ei respondens fuit subtractio originalis iustitiç, qua rectitudo & integritas & immortalitas humanæ naturæ conseruabatur. Defectus autem consequentes subtractionem originalis doni, sunt mors, morbus, fames, frigus & aliæ pœnalitates præsentis vitæ: & illæ non sunt æquales in omnibus æquale peccatũ habẽtibus, quia etiã inter infantes, vnus subiectus est multis miseriis, alter vix vllis, vnus durã patitur mortẽ, alius mitem. Natura namque humana auxilio originalis iustitiæ destituta, dum sibi relinquitur ex conditione sui corporis quod cõtrariis & pugnantibus constat elementis, variis obnoxia est miseriis & defectibus, sicut æs obnoxium est rubigini ex materia prouenienti. Hinc videmus quosdam perpetuo mala & aduersa valetudine laborare, alios autem fortes & robustos esse, secundum quod natiua corporis complexio aut male aut bene est temperata: perinde ac si quis columnas quibus domus innititur submoueat, tanto maiori cum impetu lapis quilibet deorsum ruit, quanto grauioris ponderis fuerit.

2. HINC Sapiens dicit, *Deus mortem nõ fecit, impii autem manibus & verbis accersierunt illã.* Nam si primæuam hominis cõditionem consideres non mortis sed vitæ author fuit Deus, qui naturã sic condidit & per iustitiam originalẽ sic beauit vt ab omni defectu immunis esset. Sed postquã Deũ deseruit & gratia naturã conseruante spoliatus fuit, naturaliter & infirmitates & mors & similes pœnalitates sequutæ sunt corporis dispositionẽ: Deus enim ab homine primitus instituto necessitatem moriẽdi ex corporis dispositione, ꝙ contrariis & pugnãtib. cõstabat qualitatibus, prouenientẽ, beneficio originalis iustitiæ ademerat: quod beneficiũ vbi per peccatũ fuit amissũ, mors & cæterę miseriæ naturaliter sunt sequutæ ex corporis dispositione & conditione materiæ, à quibus præseruabatur prius beneficio originalis iustitiæ, & hæc est causa cur mors & alii naturales defectus naturã ipsam cõsequẽtes, quæ similiter reperiũtur in homine sicut & in bestiis, sint pœna peccati in hominib⁹, nõ tamẽ in brutis animalib. in quib. sũt cõditiones naturæ tantũ, verum quia Sapi. 1.

Deus præscius est omnium futurorum euentuum ex dispositione diuinæ prouidētiæ diuersimode in diuersos immittuntur & inueniuntur huiusmodi pœnæ: Interdū enim in penam peccati siue proprii siue
Tho.2.2.q.102.ar.4.ad 1. alieni: Sic dicit *Thomas* quod infantes interdum misere affligantur propter peccata parentum, quia filius secundum corpus est quædam pars patris, vt in pœna filii puniatur pater, sicut & in suis bestiis quæ occiduntur aut furto abripiuntur: Interdum infligitur huiusmodi pœna propter remedium salutis eius qui huiusmodi pœnis affligitur, vt per hoc à peccatis arceatur & præseruetur: aut etiam vt per patientiam amplius coronetur: Qui enim per patientiam plures infirmitates aut aduersitates fortiter pertulerit, plus meretur & maiori gloria coronabitur, quam qui aut nullas aut pauciores.

3. ET hæc Dei miseratio est quod etiā supplicium patienter toleratum conuertat in salutis remedium, vt non tam supplicii quam beneficii rationem habeat, sicut pœnæ ipsius Iob & Tobiæ. Hinc angelus ad Tobiam, *Quia acceptus eras Deo necesse fuit vt tentatio probaret te.* Nam vt
Tobi.12. Aug.lib.15 ciui.ca.6. *Augusti. ait*, Sicut impii male vtuntur non tantum malis, sed etiam bonis, ita iusti bene vtuntur non tātum bonis sed etiam malis. Interdum vero quia peccatum vnius deriuatur in alterum sicut per imitationem, ita & per aliqualem consensum seu dissimulationem: Sic boni interdum simul patiuntur temporaliter cum malis, quia eorum peccata non redarguerunt *teste Aug.* & hoc vt cōmendetur vnitas humanæ societatis ex qua vnus pro alio debet esse sollicitus ne peccet, & ad detestationem peccati dum pœna vnius redūdat in omnes, quasi omnes essent vnum corpus, *sic Aug.* Ita fit vt quamuis contingat in hac vita aliquem puniri sine culpa, nō tamen sine causa. At in futuro seculo vbi pœna non tam habet rationem medicinæ quam vindictæ, vbi pœna correspondet
Aug.lib.1.de ciuit.ca.9.
Aug lib. quæst.8. super. Ioan.

culpæ, nemo punitur pro peccatis alterius, sed anima quę peccauerit ipsa morietur: siue pœna temporali puniatur vt in purgatorio, siue pœna æterna, vbi *pro mēsura peccati erit & plagarum modus*, vt dicitur in Deut. vbi quamdiu remanebit macula & voluntas mala, tamdiu remanebit & pœna, voluissent autem reprobi sine fine peccare, si potuissent sine fine viuere, *teste Gregor.* vnde fit vt & sine fine debeant pœnam luere, quia respicit Deus non actum peccati qui præterijt, sed persuasam voluntatem quæ semper manet. Deu.25. Libr.4. cap.4. dialog.

4. SVNT enim non pauci qui in suis sceleribus sic permaneut obdurati, vt nec beneficiis emolliantur nec timore corrigantur, quia quantumuis & gladio & peste & fame conterantur, non tamen cōuertuntur. De quibus Isaias, *Quid percutiam vos vlta addentes præuaricationem? Cui similem æstimabo generationem istam? Similis est*, inquit Dominus apud Matth. *pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis dicunt, Cecinimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non planxistis:* quia neque beneficiis aut promissionibus commouentur, neque pœnis, neque minis terrentur. Si lugere & lamentari oportet, hos obduratos qui sic in peccatis viuunt, deflere oportet: Sic enim *Christus videns ciuitatem, fleuit* super eam etiam tum cum turba ei applauderet omnemque fauorem & honorem ei exhiberet, plus dolens de ipsorum miseria, quam gauderet de externa gloria sibi oblata. Nam quanquam peccator si eius malitiam consideres, qua Dei præceptum violat non commiserationem sed punitionem mereatur, tamen qua parte extrema mala passurus est, commiseratione eius commouetur Christus: Sicut & Paulus cum ait, *Tristitia mihi magna est & continuus dolor cordi meo, Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis: Item Ieremias, Quis dabit oculis meis fontem lachryma-* Cap.1. Matt.11. Rom.9. Ierem.9.

Digitized by Google

Ieremi. cap. 9. *chrymarum & plorabo die ac nocte interfe-*
ctos populi mei. & propheta Dauid operiēs
2. Reg. 18. caput suum clamabat voce magna, *Fili*
mi Absolon, Absolon fili mi, quis mihi tribu-
at vt moriar pro te fili mi Absolon, Abso-
Mich. 1. *lon fili mi,* Sed & Michæas sic ait, Super
hoc plangam & vlulabo, faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionū, quia desperata est plaga eius: Struthio licet induretur ad fœtus suos, & ouorum suorum immemor, *vt dicitur Iob* 39. ea relinquat in arena transeuntiū pedibus conculcanda, tamē postmodum plurimum dolens horribilem clamorem emittit & miserabilem luctum: Sic sunt homines duri quorū plaga est desperata, quæcumque faciunt opera ea non fouent, sed aliis conculcanda relinquunt. His ob-
Ezec. 14. duratis apud Ezechielem comminatur
Deus. *Etiamsi Noe, Daniel & Iob, steterint pro eis, nec filios nec filias liberaturi sunt:* Nam neq; Noe imminēs orbi terrarum diluuiū impedire potuit: neque Daniel imminētem captiuitatem populi Iudæorum multis fletibus auertit. Quod si aliquādo propter Abraham & Dauid posteros eorum liberauerit, non his pepercit, *inquit Chrys.* qui in sceleribus perseuerauerunt, sed qui pœnitudine ducti merita patrum suorum sua humili conuersione sibi adaptabant.

5. HIS obduratis parum profuerit denunciatio superuenturę iræ: nam cum diluuiū inducturus esset Dominus centum annis per seruum suum Noe prædixerat prius, & tantum temporis spatium ad pœnitētiam dedit: deinde vbi vidit eos quasi insensati essent, nihil temporis longitudine proficere, iam cum in foribus esset ipsum diluuium, iterum prænunciat ante septem dies diluuium mox inducendum vt vel angustia temporis coarctati a malis abstinerent, sed cum nec sic proficeret, o-
Sap. 12. mnes aquis diluuii inuoluit, quia vt Sa-
piens ait, *Qui increpationibus non sunt correcti dignum Dei iudicium sunt experti.* Sic & ante captiuitatem Babylonicam mittebat Dominus ad filios Israel de nocte
lib. 2. c. 36. cōsurgēs, vt dicitur 2. Paralip. *& quotidie*
monens eos per nuntios, eo quod parceret populo suo, at illi subsannauerunt nuncios Dei, illudebantque Prophetis donec ascenderet furor Domini in populum & nulla esset curatio: ea enim est hominis natura, vt si quādo peccans non refrenatur, sed secure agit, vlterius procedat, & in præceps feratur. Nam qui tot ac tantis minis territus & tot ac tantis malis oppressus malum perpetrare non cessat, quidnam facturum eum putas si omnibus afflictionibus & miseriis liber deliciis affluerer? Qui itaque præmonentis Domini negligit visitationem, ipse sibi infert interitum, iuxta illud Sapientis, *Despexistis omne consilium*
meum & increpationes meas neglexistis, ego prou. 1.
quoque in interitu vestro gaudebo & subsannabo, cum vobis, id quod timebatis euenerit.

6. VERVM quamuis iræ & futuri supplicii prænunciatio in malis nihil operetur, tamen à malis bonos auocat, quos dum minis & suppliciis terret, à ventura ira & supplicio sempiterno fugere monet, sic
enim Psalmista ait, *Dedisti metuentibus te* Psalm. 59.
significationem, vt fugiant à facie arcus. Deus enim quia clemens est qui nostræ salutis curam gerit, ideo futura minatur & prædicit ne cogatur inferre supplicia,
inquit Chrysost. quæ si inferre vellet non Chrys.
prædiceret, sed ideo prædicit vt si timo- hom. 25.
re emendatiores facti fuerimus, minas in Gen.
malaque remittat. Quemadmodum enim nec bona implet Dominus quæ promisit, si boni vertantur ad vitia, ita nec mala inferet quæ malis comminatur, si illi reuersi fuerint ad pœnitentiam, & malum
proprium castigauerint, quod *teste Ber-* Bernardus
nardo, impunitum esse non potest, & si ad hæc
non punitur hic propria voluntate, ali- verba, Ec-
bi punietur grauiori damnatione, & ideo ce nos re-
hoc facimus dum præsentem pœnam & liquim. o-
pœnitentiam declinamus, non vt eam mnia
effugiamus, sed vt in grauiorem commutemus: miseria sane & extremæ dementiæ plena commutatio, nam si hanc breuem & leuem sufferre nequis, duplo grauiorem & diuturniorem sustinere quomodo

poteris? aut speras etiamsi malum feceris, quod nec hic, nec postea lues? certe hac spe non Dei iustitiam eludes, sed teipsum decipies: *propter hoc enim irritauit impius Deum*, inquit Psalmista, *quia dixit in corde suo. Non requiret*, hoc in corde sibi persuasum habet, quod Deus eorum quæ hic fiunt rationem non exiget, nec requiret, requiret profecto etiam vsque ad nouissimum quadrantem, quia de omni verbo otioso reddet rationem homo. In eo seipsum fallit homo, quod qualis ipse fuerit, talem sibi Deum futurum existimet, dum seipsum palpat sibique blanditur, etiamsi inique agat, & grauiter delinquat, parui æstimat: talem & Deum futurum cogitat. Contra quem sic Psalmista, *Existimasti inique quod ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam.* Psalm. 9.

IV. De excidio Ierosolymitano.

1. HOc certe in durissima illa clade, quam hic deflet & prædicit Dominus, ipsis Iudæis à Romanis illata, euidentissime patet: quos, vt ipse Iosephus ait, Deus damnauerat & omnem viam salutis ad interitum verterat, idque eo tempore cum iam ad diem festum azymorum cōgregati essent vt agnum paschalem ederent Deoque sua sacrificia offerrent. Hāc autem Iudæorum cladem describit *Iosephus* in hunc modum, Muro septi Iudæi quo omnis ipsis intercludebatur exitus, adeo fame vexati sunt, vt innumera hominum multitudo sit morte consumpta, quorum corpora ab illis proiiciebantur extra mœnia: quæ circuiens Titus, vbi plena cadaueribus omnia vidit, altamq; saniem tabefactis corporibus defluentem ingemuit, & extentis manibus Deum testabatur factum illud suum non esse. His accessit noua calamitas: eorum namque qui vrbe egressi ad Romanos confugerāt, cum alii auido stomacho cibo gustato protinus interirent, alii vero accuratius, moniti aliorum exemplo, cibum lente capientes cuaderent, hos Syri atque Arabes milites noctu venati, putantes intus habere in visceribus auri depositum, occidebant, fœdeque eorum viscera scrutabantur an aurum deglutitum reperirent. Increbuerat enim rumor eos vrbe egressos, quod haberent aurum, ne ab hostibus caperetur, voratum in visceribus collocasse: quorum viscera sic sunt patefacta vna nocte tantum vt duo millia hominum fuerint reperta. Sed eiusmodi inhumane facinus Titus mox cohibuit, comminatus supplicium his qui ea deinceps tentarent. Hæc *Iosephus* ipse, qui tunc aderat eaque conscribens exclamabat, Puto si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ deuorandam fuisse ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulminum ac Sodomorum incendia passuram.

libr. 6. ca. 14. 15. de bello Iud.

lib. 7. c. 7. Ioseph. li. 6. c. 7. 8. & 9. & 12.

2. INTER hæc cum pugnando Titus, Iudæum hominem captum audiuit, in crucem agi pro muro iussit, vt eo spectaculo cæteri territi cederent. Cumque ex Iudæis complures quotidie caperentur, quingenti nimirum per singulos dies, interdum plures, eos omnes ante oculos ciuium, Titus crucibus suffigi iussit, adeoque multiplicatus est eorum numerus, vt iam spatium crucibus deesset, & corporibus cruces: erant hi qui ex ciuitate fame vrgente foras egredi coacti sunt: cum enim fames indies magis magisque cresceret, eo necessitatis ciues adigebat vt potius optarent se dedere Romanis crucis supplicium subituros, quam fame perire. Quis autem fuerit numerus eorum qui intus fame consumpti periere à 14. mensis Aprilis, qua cœpit obsidio, vsque ad Kalendas Iulii, custos vnius portæ Manæus trangressus ad Titum testatus est per eam portam sibi creditam elata fuisse cadauerum centum quindecim millia & octoginta, absque illis quæ propinqui sepelissent. Post hæc nobiliores profugi, mortuorum egenorum sexcenta millia portis eiecta nunciabant, aliorum vero numerum minime potuisse comprehendi. Porro cum populum tanta inuasisset fames, vt nec essent herbæ quibus vesci possent ex stabulo fimum quærebant in cibum, collectoque stercore vescebantur.

Lib. 7. ca. 8. tur: sed nec ab humanis carnibus eos temperasse testatur *Iosephus*: Iam enim calceamentis, cingulisque insumptis, eo immanitatis redacta est, fame compellente, nobilis ac prædiues mulier Maria nomine, vt filium lactentem occideret, quem comestura mox coxit, cuius nidoris odore illecti milites domum inuadunt, & vattē assati filii, quæ supererat, intuiti detestati facinus abiere: moxque repleta est eius sceleris fama tota ciuitas, & vnusquisque horrescebat. Cum hæc miserrima, qui intus erant Iudæi, cogerentur perpeti mala, à Tito ad honestam deditionem sæpius inuitantur, sed obstinato animo se libentius omnia perpeti mala belli, quam Romanis se dedere iactabant: aderantque

Lib. 7. c. 11. Pseudoprophetæ qui populo denunciabant vt expectarent auxilium Dei ne fugerent, aut deditionem facerent vt sic vana spe alitos intra mœnia continerent: & inter cæteros vnus erat qui declamabat salutem Deum polliceri omnibus qui in templum ascenderent: qui eidem præstātes fidem eo se contulerunt, & ad sex hominum milia omnes æque incendio sunt insumpti: post hæc sacerdotes omnes qui intus latebant in templi recessibus, cum vix tandem se dederent Tito, eiusdem iussu omnes sunt ad supplicium ducti. Incenso iam templo, inflammandæ etiam ciuitatis a Tito militibus licentia data est, iubetque eam funditus euerti, vt qui eam iam videret dirutam, habitatam aliquando vix crederet. Porro numerus interemptorum partim gladio, partim fame, toto tempore obsidionis fuit vndecies centena milia, captiuorum vero, nonaginta milia & septem.

Lib. 7. c. 17.

PARS II.

Cum appropinquaret Iesus Hierusalem videns ciuitatem fleuit super eam.

Summa Articulorum Partis II.

I. *Cur defleuerit ciuitatem Ierusalem Dominus.*

II. *Cur mala ipsis Iudæis euentura prædixerit Christus.*

III. *Quam seuere Deus puniat peccata etiam in hoc seculo.*

1. MIRVM videtur quomodo Dominus in tanta populi acclamatione & tanto triumpho ac honore quo excipiebatur, fleuerit videns ciuitatem, cum vt Pau. loquitur *gaudendum sit cum gaudentibus, & flendum cum flentibus.* Haud dubie est tempus ridendi, est & tempus flendi: Sic enim Sapiens loquitur *Est tempus ridendi, est & tempus flendi.* Et istud tempus optime nouerat Christus sapientia partis, qui scriptum sciebat, *In die bonorum non immemor sis malorum.* Ex his Domini lachrymis obseruare licet, quam nihili fecerit mundanam illam gloriam vtpote vmbratilem & facile transitoriam, & honorificas populi acclamationes, quibus non solum adgaudebat, sed potius inter eas flere libebat, cohortans etiam ipsos ciues vt secum flerent, subiungit, enim, quia si cognouisses, scilicet mala tibi imminentia vt ego illa cognosco, etiā & tu scilicet mecū fleres, videbat Dominus iam instantem ruinā Hierosolymorum, templū, quod nunquā foret restaurandū, exurendum, religionem inter Iudæos abolendam, miserandā stragem ciuium futuram, quam cum cerneret Titus ipse Imperator lachrymans dixit, Deum in testem voco, quod tantorum malorum causa non sim ego.

Art. I. Cur Dominus ciuitate Ierusalem defleuerit.

Ecclesi. 3

Eccles. 11

2. FLEBAT certe Dominus vt & ciues Ierosolymitanos iam gaudentes, ad fletū & pœnitentiā prouocaret, quo sic misericordiā inuenirent. Neque enim præsens hæc vita gaudio & lætitiæ, sed luctui & pœnitentiæ, propter innumera mala quæ quotidie committuntur, conuenit, *vnde Chrysosto.* Flentem quidem Christum frequenter in scripturis inuenias, nunquam vero ridentem, sed nec leuiter subridendo gaudentem. Et hæc dico, *inquit*, non vt risum prorsus abscindam, sed vt dissolutionem penitus extinguam, cuius enim

Chrys. hom. 6. in Mat.

enim rei gratia in cachinnum ſolueris & diffluis, qui tantorum tibi ſponte factus es cauſa malorum? Ante terribile iſtud Chriſti tribunal ſiſtendus, & ſumma cum examinatione rationem pro cunctis actibus redditurus, & pro tantis peccatis pœnas daturus ſecurus tui ſedes, lugēdiſque facetiis te ſimul alioſque diſſoluens de ſolo vano & inani gaudio cogitans temetipſum & æterna gaudia negligis? Si ergo, inquis, iſta nō fecero, ſed ad luctum fuero lacrymaſque conuerſus, quem tandem fructum capeſſam? Profecto maximum, quia ſi toto corde ingemueris ad Deum veniam meruiſti. In ſecularibus quidem iudiciis quantumlibet poſt ſententiam acceptam lamenteris & lugeas, non tamen effugies flendo ſupplicium: hic vero repente ſententiam ſoluiſti, & ideo Chriſtus beatificat lugentes, Mat. 5. miſerando ridentes.

3. ITAQVE mortuos lugere omittens, luge peccata vt ipſa diſſoluas: propter hoc enim triſtitia facta eſt, nō vt in morte, aut bonorum iactura, aut contumelia illata doleamus, ſed vt ipſa ad delenda peccata vtamur, & quod hoc verum ſit exemplo manifeſtum facio. Remedia medicinalia propter illos tantum morbos facta ſunt quos tollere poſſunt, non propter illos quos nihil adiuuare poſſunt: & medicamentum quod tantum oculos lippientes iuuare poteſt, nullum autem alium morbum, illud tantum oculis, non autem ſtomacho, aut aliis membris adhibere ſolemus: Sic & lachrymæ & triſtitia peccata quidem diſſoluere poſſunt atque delere,
2. Cor. 7. iuxta illud Pauli *Triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur:* Sed mortuus eſt amicus aut paſſus es iacturam bonorum, licet triſteris & lachrymas fundas, non propterea illa recuperabis. *hæc Chryſoſt.*

Aug. 20.
Ciuit. ca. 4. NOTANDVM hic quod *Aug.* ait, Quanto quiſque ſanctior fuerit & deſide-
17. rii ſancti plenior, tanto eſt eius in orando
Pſalm. 41. fletus vberior. Talis fuit is qui dicebat, *Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte,* & alibi, *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis ſtratum meum rigabo:* hac nimirum de cauſa, vt tātis lachrymis impetret efficaciſſimam de Dei miſericordia medicinam, vtrumque dicit, *Lauabo & rigabo*, Rigare amplius eſt aliquid quā lauare, quoniam poteſt aliquid in ſuperficie lauari, rigatio vero ad interiora permanat, quod ſignificat fletum vſq; ad cor-
dis intima *hæc Aug. in Pſal. 6.* Eſt & iſtud Chryſ.
obſeruandum *iuxta Chryſ.* quoniam de conc. 1.
die variæ ſollicitudines & curæ regium de Laza..
prophetam diſtrahebant & auocabant, quod otii cæteri conſumunt ſomno, ille in lachrymis impendebat, neque id ſolum vna & altera nocte faciebat, ſed per ſingulas noctes, cum omnes ſomno vacarēt, ille Deum interpellabat, idq; tam copioſis lachrymis quæ etiam gehennæ incendium extinguere poterant. Et merito eius defletur miſeria qui à ſummo honore ad maximam deuolutus eſt miſeriam, per quam iam omnium deſpectui patet atque irriſioni. Qui enim à Deo recedit, & Diis alienis in diuerſis ſceleribus ſeruit, defenſione cœleſtis auxilii priuatur, & flammæ libidinis & furori hoſtium adſuccendendum traditur, *inquit Hieron.* Et hoc non Hieron.
ſine grādi dolore ſancta ſuſtinet Eccleſia, in 2. ca.
cum filios ſuos quos baptiſmate genuit, lament.
& ſacramentis diuinis imbuit, ſub inimicorum manus per diuerſa ſcelera quotidie cadere cernit. Hinc illa vox, *Quis dabit ca-*
piti meo aquam & oculis meis fontem lachry- Ierem. 9.
marum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei. Si corpus mortuum plangimus, quod tamen lachrymis noſtris ad ſtatum priſtinum reuocare, non poſſumus, quomodo extinctam animam capitalibus criminibus non lugemus? præſertim cum hic lachrymæ proſint, non item illic.

5. PVTO licet Chriſtus venturam Iudæorum calamitatem atq; captiuitatem deflere videretur, magis tamen in ipſis eorum peccata & flagitia, quæ tantorum malorum cauſa fuerunt, deplorarit. Quo modo & Moyſes Iſraelitarum peccata ante

Num.25. ante fores tabernaculi defleuisse legitur,
2. Cor.12. Et Pau. super quosdam, qui peccauerant & pœnitentiam non egerant, plorauit. Et *Ezechi.c.9.* viri aliorum peccata deflentes signari iubentur à Domino, vt illis parcatur in die furoris Domini, vt enim qui consistunt in littore, eorum indolescunt vicem qui marinis fluctibus immerguntur,
Basilius hom. de grat. act. *inquit Basil.* neq; interim vllam adeũt iacturam propriæ securitatis, ob anxiam qua periclitantibus condolent cogitationem, sic & qui vltroneo mœrore se afficiunt ob peccata proximorum haud quaquam per id lætitiam exinaniunt suam, verius auctiorem eam & cumulatiorem reddunt, vt qui perfrui merentur Domini sui gaudio ob lachrymas in gratiam fratris effusas. Hinc apostolus vt cum flentibus ipsi fleamus nos admonet, eo quod huiusmodi lachrymæ sint seminarium quoddam, quibus æternum illud gaudium increscit: Deinde qui fratri lugenti ob ea quæ commisit colluget & cõdolet, fit vt ex alienis malis castiget proprium, *inquit Basili.* qui enim pro peccato proximi lachrymas stillat, hoc ipso quod lapsum defiet fratris, proprium a se profligat morbum.

6. CHRISTVS Dominus flens super vnam ciuitatem Ierusalem, innumeras alias deplorabat, & omnes homines peccantes deflebat, *inquit Orige.* Anima enim
Origen. hom.39.in Luc. hominis peccantes circundatur ab exercitu barbarorum dæmonum, qui in id incumbunt vt non relinquant lapidem super lapidem, vt hominem penitus vastent & nullam in eo virtutem relinquant, neq; ad ornatum neq; id muoimen. Sic enim
Luc.22. Dominus ad Petrum ait, *Simõ, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Triti. ũ tamdiu cribratur, donec aliquid pollinis excutitur & soli furfures remaneant: Ita satanas hominem cribrat vt nihil boni in eo remaneat, nulla fides, nullus pudor, nulla pietas, donec omnes animæ virtutes funditus pereant. Id quod in ijs potissimum efficit qui iam longa consuetudine in peccatis obdurauerunt, siue infideles ij fuerint qui nolunt intelligere vt bene agant siue fideles qui intellexerunt quidem, sed obedire noluerunt, qui tanto grauius delinquũt quam pagani aut Iudæi, quanto maiora beneficia à Deo perceperunt: Cui enim plus datum est, plus exigetur ab eo. De his conqueritur Ecclesia, cum ait, *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis.* Psal.30. Quem locum explicans *August.* sic dicit, Inimici ecclesiæ sunt, Iudæi & pagani, quibus omnibus peius viuunt mali Christiani: De talibus enim dicit Petrus, *Facta sunt illis posteriora peiora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam cognoscentes retrorsum reflecti à tradito sibi sancto mandato.* 1. Epist. 2. Cum dicit, Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ quam cognoscentes, retrorsum reflecti à tradito sibi sancto mandato, Nonne iudicauit meliores esse inimicos foris positos, quam intus male viuentes, quibus premitur & grauatur ecclesia? Illis itaque talibus cum sint plenæ ecclesiæ, nonne veraciter illis dicit ecclesia, *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis*, id est ijs qui mihi iam appropinquabant vt crederent, quales sunt catechumeni, quasi dicat vicini mei deterriti sunt mala vita malorum & falsorum Christianorum. Quam multos enim putaris fratres, velle esse Christianos, sed offendi malis moribus Christianorum, ipsi sunt vicini qui iam appropinquabant, & nimium opprobrium illis visi sumus, quia peiora committunt Christiani huiuscemodi quam Iudæi aut pagani. *hac Augustinus.*

II. Cur prædicat mala Iudæis euentura.

1. CIRCVMDABVNT *te inimici tui vallo: & vndique, coangustabunt te.* Prædicit & minatur Deus mala homini euentura, vt homo se corrigens & pœnitentiã agens euitet ea, ne Dominus cogatur inferre illa. Et quanquam plerisque Iudæorum ea non profuerint neque cum prædicerentur, neque cum infligerentur, ea tamen

men comminatus est, prædixit & inflixit Dominus, vt aliis & aliquibus prodessent, Psalm. 59. iuxta illud psal. *Ostendisti populo tuo dura vt liberentur dilecti tui.* Et hæc causa vna Amos. 3. cur Amos dicat, *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas.* Sic reuelauit Noe seruo quod esset inducturus diluuium: Reuelauit Abrahæ & Loth incendio perituram Sodomam & Gomorrham: Reuelauit Ioseph famem septem annorum Ægypto superuenturam. Et hoc est magnæ clementiæ Dei quod non inferat pœnas nisi ante prædixerit, cum enim natura benignus sit, futura supplicia prædicit & cōminatur ne inferre cogatur. *Si clangat tuba in ciuitate & populus non expauescet*, Amos 3. inquit Amos *leo rugiet quis non timebit? Dominus locutus est quis non prophetabit?* quasi dicat, Si ad leonis vocem omnia cōtremiscunt, & cuncta animantium natura terretur, quomodo si vox Domini instar tubæ personantis & grādi voce aures credentium penetrantis audiatur, nos iubēte Deo vt loquamur & annunciemus populo ventura supplicia, non prophetabimus, non loquemur? an hac in parte à brutis vinci nos patiemur?

2 QVOD itaque Deus tam frequenter antequam puniat minetur, id facit, quia quasi inuitus punit peccatis hominum prouocatus. Neque enim ideo produxit humanum genus vt puniat, *inquit Chry-* Chrysost. *sost.* sed plane è diuerso vt donaret nobis hom. 21. in innumera bona quibus frueremur, & pro- Gen. pterea ipsum vbique vides, moras nectentem in pœnis infligēdis. Noe longo tempore clamauerat futurum per vniuersum orbem diluuium ob nimias hominū malitias, & neq; sicà delitiis & malitiis abstinere voluerunt, donec venit diluuium & tulit omnes. Ita vt in illos, sicut & in plures Rom. 2. alios competeret quod Paulus ait, *An diuitias bonitatis eius contemnitis?* & contemnendo, Deum quasi cogunt vt pœnā eis inferat. Diuitias bonitatis Dei illeagnoscere potest, *inquit Orige.* qui consi- Orig. in c. 2. ad Rom.

derat quanta in terris mala quotidie homines perpetrent, & quomodo pene oēs declinantes latam perditionis inambulent viam. Si quis consideret quanti in Deum quotidie blasphemēt, & in cœlum extendunt linguas suas, dicentes, *Quis est altissimus vt seruiamus illi, circa cardines cœli perambulat & nostra non considerat.* Fert Deus patienter & vniuscuiusque pœnitentiam expectat: sed id nos non dissoluat, & tardos ad conuersionem faciat, quia rursus patientiæ eius & sustentationes, quam in peccantes ostendit, certa mensura est, sicut omnia in mensura, pondere & numero fecit Deus. Hanc mensuram credendum est fuisse impletam, & ab his qui diluuio perierunt, & ab illis qui in Sodomis igne vastati sunt, sicut & ab iis qui in destructione Ierusalem interierūt. De Amorrhæis vero scriptum est, *Iniquitates Amorrhæorum nondum sunt completæ* Gen. 15. *vsque in præsens tempus.* Tale quid & Propheta Amos nos docet, Deum tardum esse ad puniendum, cum ait, *Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eos*, Quem locum sic interpretatur Amos 1. *Hieron.* In tertia & quarta generatione peccata Patrum se Dominus comminatur filiis redditurum, nō inæqualitate iudicij vt alii peccent & alij puniantur, sed magnitudine clementiæ dum semper expectat pœnitentiam antequam puniat, & quod in prima generatione delinquitur non prius corripit, nisi tertia & quarta generatio venerit, quæ cum idem faciant quod prima & secunda, cogor in delinquentes plagas meas immittere.

3 HÆC & de nobis possumus intellige- Orige. re, *inquit Orig.* Si enim peccauerimus & hom. 1. pœnitentiam non egerimus, in captiuita- in 1. cap. tem trademur non vtique Babylonicam Ierem. sed diabolicam & infernalem per illam significatam. Nam vt *August.* ait explicans illa verba. *Aperiam in parabolis os meum.* Aug. in Flagella quæ Deus Iudæis inflixit non ni- psal. 77. si in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram. Nobis ergo

ergo potius ista deseruiunt, vnde in hoc psalmo, inter cętera dictum est, vt cognoscat generatio altera, quæ sanctorum sit scil. Porro si ille interitus à serpentibus, & illa perditio ab exterminatore, & gladiis trucidatio, figuræ fuerunt, sicut euidenter dicit apostolus, 2. *Cor.* 10. quanto maiore diligentia cauendæ sunt pœnæ quarum figuræ illæ fuerunt? Proculdubio sicut in bonis rebus multo amplius bonum est in eo quod per figuram significatur, quam in ipsa figura: Ita & in malis lõge vtiq; peiora sunt quæ significantur figuris, cum tanta mala sint etiam significantes figuræ. Nam sicut terra illa promissionis quo populus ille ducebatur, in comparatione regni cœlorũ quo populus christianus ducitur, nihil est: Ita & pœnæ illæ quæ figuræ fuerunt, cum sint tam atroces, in comparatione pœnarum quas significant, nihil sunt. *Hac Augu.* Si igitur propter temporalem Iudæorum afflictionem quam passi sunt in captiuitate Babylonica, dicat Ierem. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam, quia longe factus est à me consolator: torcular calcauit Dominus virgini filia Iuda*, quod fit *inquit Hieron.* in eum locum, quando viti infructuosæ Iudæorum, & diu sterili permanenti captiuitatis oppressionem præparauit: Quanto magis si animæ virtutibus infœcundæ & bonis operibus vacuæ, nec fidei fructum gignenti (cui Dominus torcular calcat quamdiu eam pro sterilitate sua pœnas condignæ vindictæ luere facit) fletus ingens animæ dolentis exoritur, dum post vanam lætitiam huius mũdi omnis consolatio præsentis vitæ illi aufertur, & solus inimicus in tormenta varia illius dominatur.

Thren. 1.

4 Hoc familiare erat prophetis vt cum ingentia prophetarent mala quæ populo erant superuentura, in copiosissimas prorumperent lachrymas. Si enim Ieremias. *Quis dabit capiti meo aquam & oculus meus fontem lachrymarum & plorabo die ac nocte interfectos filia populi mei?* quasi dicat etiamsi totus vertar in fletum & nequaquam guttæ sint lachrymarum sed abundantia fluminis, tamen interfectos filiæ populi mei digne deflere non potero, quia tanta sunt eorum mala, siue flagitia expectes, siue tormẽta, vt omnem dolorem sua vincant magnitudine. Isa. quoque, sic ait, *Recedite à me, amare flebo, nolite incumbere vt consolemini me super vastitate filia populi mei.* Quid vero Ezechiel? quid Michæas? quid Habacuc? quorum prophetias vix quispiam sine lachrymis legere possit. Duplici autem tristitia augebantur prophetæ omnes, sicut *Chrys.* annotauit de Moyse, tum quod illos perire, tũ quod & reliquos corrigi nolle aduerterent. Sic enim Isa. ait *Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem?* Et rursum. *Effudit super eum indignationem furoris sui & forte bellum, & non cognouit & succendit eum & non intellexit.* Cum Israelem non sermonibus solum aut minis, sed & pœnis & tormentis corriperet Dominus mittens contra eum forte bellum, quod nequaquam euadere poterant, ferociam designans Romanorum, *inquit Hieron.* vt qui clementem & misericentem contemnunt, offensum & punientẽ timeant, dum omni parte sic affligerentur, vt nihil in se sanitatis haberent, quia foris vastabat eos gladius, intus, fames & pestis, sicut Ezechiel. eis testatur, qui assumpta nouacula pilos rasos per tres partes diuisit, quarum vnam combussit igni, aliam scidit, tertiam per aerem sparsit, per primam, docuit populum fame & peste periturum, per secũdam, gladio cædendum, per tertiam captiuum fore dispergendum: Dum igitur ex omni parte sic affligerentur, causam tamen suæ pœnæ non intellexerunt, quod idcirco puniti sunt, quia à Deo recesserunt: & qui peccata non agnoscit, quomodo ea corrigere poterit?

Ierem. 8.

Isa 22.

Chrysost. lib. 3. de prouid. tom. 5.

Isa. 1.

Cap. 42.

Ezech. 5.

5. Hic notandum duplex esse genus peccatorum: *Quidam* enim infirmitate magis quam proposito delinquunt: & hi flagellis quæ meruunt, emendantur *Alij* sunt, qui pertinaci mente velut exultãt in sceleribus: hi flagellis nõ corrigũtur sæpe

sed

ſed magis ſubuertuntur: ſed etſi ex bonitate ſua ijs parcat Dominus, nihilo ſecius non emendantur, ſed potius diuitias bonitatis eius contemnunt. Sic enim de ijs loquitur Pſalmiſ. *In laboribus hominũ non ſunt & cũ hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos ſuperbia & transierunt in affectum cordis, prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Propter eos qui ex flagello nihil proficiunt ſcriptum eſt apud Ierem. *Plaga inimici percuſſit te caſtigatione crudeli*, & rurſum *Percuſſiſti eos & non doluerunt, attriuiſti & renuerũt accipere diſciplinam*, In his flagella ab hac vita inchoantur, & in æterna percuſſione perdurant, *inquit Gregor.* vnde & per Moyſen dicit Dominus, *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Nam omnis diuina percuſſio, aut purgatio eſt in nobis vitæ præſentis, *teſte Gregorio*, ſic infirmi communiter purgantur, aut initium pœnæ ſequentis, ſicut in Pharaone, Antiocho & ſimilibus obduratis peccatoribus. Si id ita ſit: Quid ergo alibi ſcriptum eſt, *Non iudicabit Deus bis in id ipſum?* Quibus verbis ſignificari videtur quamlibet culpam bis feriri non poſſe. Certe qui hic ob peccata percutiuntur, & nihilominus in peccato ſuo moriuntur, eorum percuſſio hic cœpta, illic perficitur, vt incorrectis vnum flagellum ſit quod temporaliter incipit, & in æternis ſupplicijs perficitur. Contra quos ſic Dominus, Ierem. 51. *Interfeci eos, & perdidi populum iſtum & tamen à viis ſuis non ſunt reuerſi:* & Ezech. 22. *verſa eſt mihi domus Iſrael in plumbum & in ſcoriam in medio fornacis*, quaſi dicat, purgare eos per ignem tribulationis volui, & argentum vel aurum eos fieri quæſiui, ſed in ſcoriam ſunt verſi, quia in tribulatione non ad virtutem, ſed ad vitia proruperunt: & Ierem. 6. *Fruſtra conflauit conflator, malitia eorum non ſunt conſumpta.*

Cap. 30. | cap. 5. | Greg. 18. moral. cap. 13. | Deut. 32.

III. Deus peccata ſeuere punit.

1. ET *non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Sunt qui putant non futura ſupplicia quæ Propheticus ſermo prædicit. De quibus ſic Iſa. *Væ qui dicitis, feſtinet & cito veniat opus eius, vt videamus, & appropiet & veniat conſilium ſancti Iſrael, & ſciemus illud*, quaſi dicat, *inquit Hier. explicans hunc locum*, Quouſque nobis Dei iram minatis? volumus eam ſcire, iam veniat. Hoc autem per ironiam loquuntur quoniam eam non putant venturam eſſe, ſed ſimulari à Propheta. Sic & cum Ezechiel cap. 24. prædiceret miſerandam ſuperuenturam calamitatem ipſis Iudæis, non credebant, nec metuebant, ideo nec ſe emendabant, Sic autem ait ibidem Propheta, *Hæc dicit Dominus Deus, Pone ollam & mitte in eam aquam: Congere fruſta eius in eam, omnem partem bonam & femur & armum, pinguiſſimum pecus aſſume, compone quoque ſtrues oſſium ſub ea efferbuit coctio eius & diſcocta ſunt oſſa illius in medio eius.* Iſa. 5.

Quem locũ explicans *Hier.* ſic ait, Carnes diligenter ab oſſibus ſepara, & carnibus miſſis in lebetem, oſſa compone ſub lebete: vis autem ſcire quis ſit iſte lebes, vel quæ carnes & oſſa? Hæc dicit Dominus, væ ciuitati ſanguinum, id eſt, Hieruſalem, lebeti, cuius rubigo hoc eſt malitia magna eſt: & licet ignis ſuppoſitus ſit tamen rubigo eius non exiuit de ea: perſeuerauerunt enim etiam captiui in ea, hoc eſt, in ſcelere ſuo. Per partes & per partes eijce eam, hoc eſt, ſigillatim conſumatur, nemo remaneat in ſalutem: non cecidit ſuper eam ſors, vt alij perirent, ſcilicet & alij ſaluarentur, ſed cunctis cõmunis venit interitus. Ego Dominus locutus ſum, & ſententia mea non poteſt præterire, faciam quod minatus ſum, nec tranſibo ſicut ſæpe feci, ſed adinuentiones tuas reddam tibi, & quo modo carnes & oſſa congeſta in lebetem incendio concremãtur, ſic cuncta ciuitas interitura eſt cũ ſuis ciuibus, vt nullus eorũ ſaluus remaneat qui obſeſſi fuerint, ſed vnus gladio alter fame & peſte intereat, tertius in captiuitatẽ abducendus ſit, & in diſperſionẽ. Hæc prophetia, *inquit Hier.* etiam in obſidione à Romanis facta locum habuit.

2. CVM

Basil. in prooem. li. ethi. to. 2. 2. CVM diuinam scripturam tam veteris quam noui testamenti reuoluo, *inquit Basilius*, reperio in omnes promiscue, qui dicto ipsius audientes non fuerint, supplicium constitutum. Atqui in veteri quidē lego historiam illius qui sabbatho ligna collegerat, & inexpiabiles pœnas luit, dū Dei iussu confestim à toto populo lapidibus obruitur, de quo tamen ꝙ aliter in Deum peccauerit, aut hominem quempiam vlla in re læserit, nusquam legitur, *inquit Basilius*. In noua quoque lege cum Ananias prædium vendidisset, & pretium ad pedes apostolorum attulisset, attamen quod partem de eodem clam malitiose compilasset, vna cū vxore sceleris conscia, morte afficitur. Hæc dum mecum reputo vere illud dictum esse comperio, Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi manebunt: *hæc Basil.* Mirum certe quam acriter Deus peccata puniat, non solum in futuro, sed & in hoc seculo. Quin & p paucos interdum mala ærumnæq; ad vniuersum populum permanant, *inquit Chrysost.* Achan sacrilegium admisit, & vnam ex anathemate stolā sustulit, & vnius ob noxā totus fuit afflictus exercitus. Dauid populū numerauit, & ira Dei in totum Israelem deseuiit, & percussit Dominus septuaginta millia virorum. Cæterum quicquid in mundo vel bonorum accidit vel malorum, *inquit Hieronym.* non absque prouidentia & fortuito casu accidit, sed iudicio Dei.

Num. 15.

Acto. 5.

Iosu. 6.

1. Paral. 21.

Hier. in c. 1. Prou.

3. NON omnes semper qui einsdem supplicii rei sunt, vna etiam punire consueuit Dominus, *inquit Chrysost.* sed aliquos rapiens ex eis, quos nunquā corrigendos nouit in eis potentiam atq; irā ostendit, vt reliqui eorum casibus meliores fiant. Et hoc est quod scriptura ait de Pharaone ad Roman. 9. *Quia in hoc ipsum excitaui te vt ostēdam in te virtutem meam, vt annuncietur nomē meum in vniuersa terra.* Hic Pharao, *inquit Ambro.* scribens in hunc locum, cum tantorum malorum reus esset vt viuere merito non deberet, nūquā quippe futurus bonus, ne se aut merito viuere, aut Deum quem fallendum sæpe censuerat, ad vindictam infligendā impotentem putaret, audit à Deo, Ad hoc te seruaui, vt ostēdam in te virtutem meam, vt per hoc cæteræ gentes addiscant non esse alium Deum præter me: & dum multa signa & plagæ ostenderentur in Pharaonē per hæc varia tormentorum genera, omnes qui sine Deo erāt, metu territi hūc solum Deum esse faterētur, à quo hæ vindictæ illatæ erant, vt sic pœna morientis proficeret ad salutem viuentis. Sic *lætatur iustus cum videt vindictam impii, & lauat manus suas in sanguine peccatoris*, vt Psalmista ait: quia quando videt pœnam peccatoris, lætatur, ait, *Ambro.* quod illam euaserit, & mors vnius proficit ad vitā alterius, adhoc enim ei valet, *inquit Aug.* vt mundus deinceps viuat. *Stultus enim sapientior erit pestilente flagellato*, vt dicitur *Prou.* 19. Ipse quidem pestilēs dum flagellatur non emendatur, sed potius velut desperatus obduratur, sed per eius flagellum & per eius damnationem aliis prouidetur.

Chrys. ho. 37. in Io. 4. QVANDOQVIDEM vero homine peccante & anima grauiter ægrotante, nullo fere dolore afficiamur, teste *Chryso.* fit nōnunquam vt peccatum vi & exuperantia sua corpora quoq; inficiat, vt paruo corporis morbo excitati summa diligentia exquiramus medicinam animæ sanandæ aptum. Ideo enim Deus ob animi peccata etiam corpus flagellat, vt deterioris partis supplicio, melior ad quærendum remediū conuertatur. Ita Maria soror Moysi, postquam detraxisset ei, candens lepra quasi nix apparuit, Id videns Aaron ait ad Moysen, *Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod stulte commisimus.* Ita & Corinthium fornicatorem Paulus Sathanæ tradidit in interitū carnis, vt spiritus eius saluus fieret in die Domini. Dicebat & Christus paralytico, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quod si homine peccante, talis fieret deprauatio & mutatio in corpore visibiliter, qualis fit in anima inuisibiliter, vt qui superbus est, sic intumesceret corpus eius

Num. 12.

1. Cor. 5.

Ioan. 5.

eius sicut inflatum est pectus, ipsius: & qui libidine ardet, sic calida febre aut peste corriperetur, sicut incēsa est noxio ardore ipsius anima, tunc demū appareret malitia peccati & non minus solicitus tū esset homo vt liberari posset à spiritu fornicationis, quam solicitus est, qui peste laborat, vt liberetur à peste.

5. NON solum eorum corpora affligit Deus ob peccata commissa, qui flagellis emendantur castigati, sicut supra dictus Corinthius & Maria soror Moysi: sed & eorum qui disciplinam non recipiunt & tormentis magis indurantur Ita enim le-
..iach.9. gimus de Antiocho, quod eum dolor dirus viscerum apprehenderit, & amara internorum tormenta, licet ille nullo modo à sua malitia cessaret: ita vt de corpore impii vermes scaturirent ac viuētes in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur, sed nec ipse fœtorem suum iam ferre poterat. hæc ibi. Sed magna est varietas inter filiorum & seruorum afflictiones: affligitur pius, affligitur & impius, sed plagæ illæ nō faciunt æqualem honorem. Neque enim ideo si patiatur pius, quæ patitur impius, eiusdem conditionis erit cum illo, sed cedit correptio iusto in probationē, impio
Chrys. ho. de spir. sancto to. 5. autem in flagella & pœnas, *inquit Chrys.*
Psal. 33. Propterea de iustis psalmista dicit, *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.* De aduersariis autem,
Psal. 3 dicit idem, *Multa flagella peccatoris*, sed nō abdit, *& de omnibus his liberabit eos Dominus. hæc Chrysost.* Qui lethale aliquod crimen committit, meretur, non solum vt anima moriatur, sed etiam vt corpus patiatur & morti obnoxium reddatur. Ita enim legimus Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo morte morieris*, quia nimirū præceptum Dei violando mortem meruit & animæ & corporis, & semen mortis ibidē concepit, vnde & postea mori debuit. Quemadmodū è diuerso de corpore Christi dicitur Ioann. 6. *Qui manducauerit hūc panem viuet in æternum.* eo quod manducatio corporis Christi si digne fiat, tantæ sit virtutis vt apta sit & valeat hominem perducere ad vitam æternam, si aliunde non impediatur.

PARS III.

Ingressus in templum cœpit eiicere vendentes & ementes.

Summa Articulorum qui hac parte explicantur.

I. *Qualiter quisque se in templo Dei gerere debeat.*

II. *Cur è templo eiecerit ementes & vendentes.*

III. *Deus interdum misericordiam, interdū iudicia exercet, fere tamen hæc iūguntur.*

IV. *In corripiendo & affectus compassionis & iustitiæ zelus adsit.*

1. DOMINVS bis Hierosolymitanū templum ingressus, & inde vendentes & ementes eiecisse legitur: *Primo* in exordio suæ prædicationis, adhuc mundo incognitus, de quo *Ioan.* 2. Idq; vt sibi auctoritatem conciliaret: quod *Chryso.* dicit, maius fuisse miraculum, quam cū leprosos mundaret, aut mortuos suscitaret. *Secundo, Lu.* 19. cum iam tempus suæ passionis instaret vt ex hoc mūdo exiret, de quo hoc loco. Mirū videri posset alicui quomodo Dominus hic tam acriter puniat ementes & vendentes, eos flagello eiiciendo è templo, cum tamen oues & boues, & columbæ, & similia animaliū genera, quę ad sacrificia erant necessaria, adduci non potuerint ab iis, qui de longe ad diem festum conueniebāt. Certe hinc patet alia esse iudicia Dei, alia ipsorū hominū: homines videant ea quæ patent: Deus autem cor intuetur: Cor autem multorū, siue ipsorum vendentium, siue etiam ipsorum sacerdotum, tale erat, vt quæstum putarent pietatem, & ad hoc vendebant, non vt inde Deo sacrificarent, sed vt quæstum facerent.

Amos. 8 1 QUI istiusce modi sunt sic loquuntur apud Amos. *Quando transibit mensis & venundabimus merces, & sabbathum & aperiemus frumentum vt imminuamus mensuram.* Notat hic propheta auaritiam ipsorum Iudæorum, qui vix vnum diem festū patiebantur, sed anheli optabant illum diem transire (in quo mercari nō poterāt, siue esset Neomenia, quæ erat festus dies prima die cuiusque mensis, quo suas merces vendere non licebat: siue sabbathum, siue quæ alia solennitas) & alium succedere in quo vendere & emere liceret. Et nominat magis sabbathum & Neomeniā q̄ reliqua festa, quia illa sæpius recurrebāt, magisque illorum auaritiæ obstabant, & qui auaritiæ student, facile in contractibus alias fraudes committūt, vt maiori mensura emant, & minori diuendant, vt *Amos prædicto capite* satis declarat cum ait, *vt imminuamus mensuram & siclum adaugeamus. Pondus autem & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum*, inquit Sapiens *Prouerb.* 20. Deinde cum domus Dei, domus sit orationis, oratio autem & mentem quietam & locum tranquillum postulet, huic fini plurimum obstabat & balatus ouium, & mugitus boum, & tumultus nummulariorum, & cōtractus emptorum & venditorum.

Chrys. ho. 3. in Gen. 3. NE quis aestimet peccatores à Deo flagellatos, & è templo eiectos, ab eo vlterius non curari, *dicit Chrys.* etiā ipsū flagellum à Dei misericordia procedere, & sic flagellat vt simul & parcat, non solum amicis, sed & inimicis, qui alieni sunt alioquin ab eo propter propriam clementiam. Siautem vis agnoscere vera esse quę

Orig. ho. 5. in Ezec. dicimus, *inquit Orig.* vide quicquid acciderit Ægyptiis dum fame premerentur. Si voluisset tantum interficere eos fame septennali, neq; Ioseph in Ægyptum descendisset, neque Pharao somnium vidisset de his quæ Ægypto erant superuentura, nec istud somnium in salutem Ægyptiorum Ioseph interpretatus fuisset. Ita & hoc loco, sic eos è templo eiecit, vt simul tamen moneat & doceat quo fine templū adire deberent: Domus mea, inquit, domus orationis est. Sic vnusquisque hominum occulto Dei iudicio per pœnam exercetur in hac vita, aut ad purgationem, aut admonetur ad conuersionem, aut si contempserit correctionem Dei & disciplinam, excęcatur ad damnationē, *inquit August.* Qui non corriguntur occulto isto iudicio quod nunc agitur, dignum Dei iudicium experturi sunt in nouissimo die. *hec August.* Aug. ... 9.

4. IN templo *eius omnes dicent gloriam*, inquit Psalmista non quod gloria Deus indigeat, *inquit Basil.* explicans hunc locum, sed vult te dignum reddi vt laudem & gloriam promerearis: quod enim seminat homo, hoc & metet. Semina diuinæ laudis sementem, vt coronas & honores metas in regno cœlorum, lingua psallat, mens sensum eorum quæ dicta sunt scrutetur, vt psallas spiritu, psallas & mente. Assistunt angeli psallentibus, adest & Dominus affectus intrantium considerans: alius ex affectu tantum orat, alius scire quærit quid oret: Quidam perfunctorie summis labris verba loquuntur, cor autem eorum longe est à Deo: quidam se totos effundunt in futiles & aniles nugas, ac proinde nullo suo fructu, quinimo magno suo damno templum ingrediuntur: & videant ne cum hinc emigrarint, loco mercedis recipiendæ pro diuinis laudibus vna cum iis qui nomen Dei blasphemant, condemnentur. *hæc Basilius.* Psal. ...

Et vt *Chrysosto. inquit.* Multi ad formas mulierum aspiciendas in Ecclesiam veniunt. Mirum quomodo cuncta fulmine cœlesti funditus non euertantur: hæc enim non fulminibus solum sed etiam gehennæ supplicio sunt dignissima, verum Deus cum longanimis sit, & misericors, vt in pœnitentiam te adducat, iram suam interea retinet. Quid facis homo? mulierum speciem curiosius in ecclesia perscrutaris, nec horrescis tāta templum Dei afficiēs contumelia? Prostibulum ne tibi videtur ecclesia? Sane multo meli' esset cœcos Chrys. ho. 74. in Mat.

 esse

eſſe, quam ita oculis turpiter abuti, vt eo ipſo tempore maxime fornicatione & adulterio vtaris, quo tibi magna voce intonatur vt ab his fugias: ô infelicitatem noſtram, domus Dei facta eſt ſpelunca latronum. *hæc Chryſ.*

Chryſ. ho. 13. in Mar. 5. Et vtinam de præterito populo eſſet tantum dictum, *inquit idem*, vtinam de Iudæis ſolum legeretur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum, non autem de Chriſtianis. Nunc vero multis in locis domus Dei fit domus negotiationis, & ſæpius hic de his rebus, quam in officinis ipſis loquuntur. Quid facis ô homo? Nonne reſpondiſti ſacerdoti, qui dixit, *Surſum corda*, & dixiſti, *Habemus ad Dominũ?* Nõ reuereris & erubeſcis? & illa ipſa hora mẽdax inueniris cum hæc dicis. Agnus Dei pro te immolatur, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt, angeli aſſiſtunt & incorporeæ virtutes pro te cũ ſacerdote intercedunt, & non confunderis dum hic ſecularia negotia & ridicula tractas? An non vides qui terreno Regi aſſiſtunt, quam ſint immobiles, non loquentes, nõ oculos huc & illuc mittentes, ſed morigeri, compoſiti ac reuerentes? Ex his documentum accipite vos homines, & ſic aſſiſtite Deo, quaſi ad terrenum Regem acceſſuri: Multo magis cœleſti Regi adſtare oportet cũ omni reuerẽtia ac tremore. *hactenus Chry.*

Ambr. ſer. 19. in quadrag. 6. Svnt nonnulli inter vos, *ait Ambro.* quorum licet vultus in eccleſia videamus, cor tamen in agris eſſe cognoſcimus, & præſentiam quidem eorum conſideramus in plebe, ſed conuerſationem eorum inuenimus in rure, de terra enim ſemper cogitant, de terra loquuntur, quæ terrena ſunt ſapiunt. His conuenit diuina illa ſentẽtia, *Terra es, & in terram ibis*: Qui ideo aliquãdo ad eccleſiam veniunt, non quia ex fide Chriſtiani ſunt, ſed ne Chriſtiani ab hominibus non putentur. *hæc Ambroſ.* Cui conforme eſt quod *Chryſoſt. ait.* Nonnulli introeuntes eccleſiam, corpore quidem intus ſunt, ſed ſenſu foris, os quidem loquitur ſed mens vſuras & lucrum cogitat, poſſeſſionum redditus ſupputant, deſcriptiones domorum rident, negligẽtias intuentur famulorum, paraſitorum vrbanitates rident, amicæ verba reuoluunt. Diabolus enim cum ſit aſtutus, ſcit quoniam in tẽpore orationis grandia poſtulemus, & ſæpius impetremus, impedire feſtinat improuidas mentes. Nam aliquando cum reſupini iacemus in lectulo, nihil tale cogitamus, ſed cum venimus ad orationem, cogitationum nos opprimunt nubes, vt nos auocent, & ſine fructu efficiant. *Hæc ille.*

Chryſ. ho. 16. int. var.

7. Et quamquam omnes tẽpore diuini officii in eccleſia vacui eſſe debeant terrenis cogitationibus, potiſſimum tamen id debent ſacerdotes & miniſtri Dei: qui & propterea caput radunt, quia terrenas cogitationes & ſuperfluas à mente reſecare debent: ne in eos competat quod Ieremias queritur. Thren. 4. *Quomodo obſcuratum eſt aurum mutatus eſt color optimus diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omniũ platearum.* Quem locum explicans *Hier.* ſic ait: Quid auro, quod metallis cæteris præeminet, niſi excellentia ſanctitatis: quid colore optimo niſi cunctis amabilis reuerentia religionis exprimitur? Quid per ſanctuarii lapides, niſi ſacrorum ordinũ perſonæ ſignantur? Quid plateatũ nomine niſi præſentis vitæ latitudo deſignatur? Aurũ igit obſcuratur cum terrenis actib. ſanctitatis vita polluitur. Nam cum quilibet poſt ſãctitatis habitum terrenis ſe actibus inſerit, quaſi colore permutato ante humanos oculos eius reuerẽtia deſpecta minuitur. Sanctuarii lapides diſperſi per plateas iacent, cũ perſonæ ſacrorũ ordinũ voluptatũ ſuarũ latitudini deditæ terrenis negotiis inhærent. Et notandũ quod nõ in plateis ſed in capite plateatũ diſperſos dicat, qa cũ terrenã agũt ſummi videri volũt, vt & lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum ſint capite ex honore ſanctitatis. Secularia quidem negotia, aliquãdo ex neceſſitate toleranda ſunt, nunquam vero ex amore requirenda, ne cum mente diligentium ag-

gra-

grauent, hanc suo pōdere de cœlestib. ad ima mergāt, vt enim fieri nō potest quod quis simul sursum respiciat & deorsum, ita fieri nequit vt quis simul terrena sapiat & cœlestia.

II. Cur è templo eiecit ementes & vendentes.

1. CAVSAM subiungit Dominus, *vos autem fecistis domum orationis speluncam latronum*: inhiabant enim prædæ & quæstui, sicut latrones qui in speluncis delitescunt vt ex insidiis prędam diripiant. Et rectè latrones dicuntur, quia dum auaritiæ student & fraudibus incumbunt, hoc agendi modo proprias animas occidunt, dum terrena & temporalia bona cœlestibus & æternis anteponunt, & pluris faciunt pecuniam quam Dei amicitiam. Similes in eo prophano Esau, qui propter edulium lentis, vendidit primogenita sua, paruipendens tunc quidem quod primogenita vendidisset, sed qui postmodum magno clamore irrugiit & magno eiulatu fleuit, cum audiret sibi benedictionem à Iacob præreptam. (Gen 25.) Tales sunt prophani homines huius seculi, qui pro re nihili vendunt primogenita suæ hæreditatis æternæ, & iam nihili illud faciunt, quia quid perdunt non intelligunt, sed postmodum cum videbunt sibi prææreptam cœlestem benedictionem, & se excludi à regno cœlorum, alios autem intromitti, tunc magno clamore irrugient. (Gen: 27.) Consecutus est nihilominus etiam ipse Esau benedictionem à patre suo Isaac, non quidem æternam, sed temporalem: Sic enim dicitur *In pinguedine terræ & in rore cœli erit benedictio tua.* (Gen. 27.) Sed cum Isaac Iacob benediceret, dixit inuerso ordine, inquit Bernar. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini & olei.* (Bernar. serm. 13.) Reprobus enim Esau, præponebat temporalia bona æternis, & ideo priori loco hæc ei obtulit pater: sancto vero Iacob, hæc vt accessoria precatus est secundo loco, sed primo quęrebat regnum Dei.

Hæc Aug. in Psal. 142. 2. ERGO non est fœlicitas habere abundantiam frumenti, vini & olei, habere plena cellaria eructantia ex hoc in illud, habere filios incolumes, habere filias ornatas? Aut debent iusti ista defugere? aut non inuenis domum iusti abūdantē rebus his omnibus, *inquit August.* plenam ista fœlicitate? Nonne erat domus Abrahæ abundans auro & argēto, pecoribus? Quid dicimus, Non est ista fœlicitas? Sit licet, sed sinistra, sed temporalis & caduca. Nolo illam diffugias, sed neque dexterā putes. Non enim isti ideo maligni, ideo vani, quia his abundant, sed quia id quod sinistrum esse debuit, in dextera ponebant. Ideo & dextera eorum dextera iniquitatis. Quid enim in dextera ponere debuerunt? Deum, bona æterna: Ibi dextera: ibi esse debet desiderium nostrum. Sinistra vtamur ad tempus, dexteram desideremus in æternum. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere,* inquit Psalmista. Si enim diuitiis affluentibus cor apposueritis, quod sinistrum est, dexterum facietis. Non ergo vaniloquos arguo, *inquit Augusti.* quia filiæ eorum ornatæ vt similitudo templi, nec quia cætera abundantia adest eis. Sed quare arguo, quia beatum dixerūt populum cui hæc sunt: Bona quidem sunt hæc, non tamen quę te bonum aut beatum faciant, sed vnde aliis tu benefacias. Quid tu Dauid, *Beatus populus cuius Dominus Deus ipsius.*

ad illa verba, Quorū filii sicut nouellę plantationes.

3. OMNIS homo qui fœlicitatem non putat esse hominis, nisi solum in istis tēporalibus facultatibus, & deliciis & affluentia mundi huius, iste stultus est, *inquit August.* & peruersus, quia sinistram sibi fecit dexteram. (Aug. in Psal. 120.) Tales illi erant, de quibus Psalmista, *Os eorum locutum est vanitatem, dextera eorum dextera iniquitatis*: Non quia à Deo non acceperant etiam quæ tēporaliter possidebant, sed quia ipsam solam putabant esse beatam vitam, & nihil aliud requirebant. Sinistra nostra dicitur, quicquid temporaliter habemus: Dextera nostra, quicquid nobis æternum & incommutabile Dominus pollicetur. Sic enim Sapiens ait *Longitudo dierum,* id est æternitas *inquit* Prou. 3.

August.

Auguſt. nam quicquid finem habet, breue eſt, *& anni vita in dextera illius : in ſiniſtra autem, gloria & diuitiæ*, id eſt ſufficientia huius vitæ. *hactenus Auguſt.*

4. CVM Dominus ait, Matth 6. *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera*, ſenſus eſt, *teſte Aug* quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac, & ſecurus facies. Nam ſi opus bonum in terra feceris propterea vt terrena tibi abundent, ſcit ſiniſtra tua quid facit dextera. Si propter ſolas res humanas facis, quod facis, ſiniſtra ſola operatur: ſi autem propter vitam æternam operatus fueris, dextera ſola operatur. Si autem habes intentionem ad vitam æternam, ſed ſurrepit tibi cupiditas vitæ temporalis vt attendas etiam ipſam quando facis opus bonum, vt hic tibi aliquid retribuatur, miſcet ſe ſiniſtra operibus dexteræ, & hoc vetat Deus. *hæc Auguſt.* Cum itaque Dominus ejecerit è templo vendentes & ementes, ipſo facto ſatis declarauit eos ab eccleſia Dei eiiciendos, qui pietatem in quæſtum conuertũt, & Deo potiſſimum propter bona terrena deſeruiunt, vendunt oues & columbas in ſacrificium, non ea mente vt inde ſacrificetur Deo, non vt cultus pietatis promoueatur ſed vt quæſtum faciant. Quo modo *Aug* de ſemetipſo dicit, quod priuſquã ad veram fidem eſſet conuerſus, legerit, docuerit, & ſcripſerit multa, ſed inde, *inquit*, non ſacrificabam Deo: vt quippiam ſit opus iuſtitiæ & virtutis, non ſufficit ipſum in ſe bonũ eſſe, ſed oportet vt & bene & recta intentione fiat.

III. Non ſolũ miſericordiam ſed & iudicium exercet Dominus in hac vita. Baſili. ho. 3 in Pſ. 32.

1. HÆc inter ſe cõiuncta ſunt, miſericordia & iudicium, *inquit Baſili.* quo neque miſericordia ſola ſecuritatem inducat, nec iudicium ſolum deſperationem operetur. Si per ſe exiſteret iudicium Dei, ita vt nobis præciſe pro dignitate noſtra retribueret Deus ad ea quæ fecimus, qualis erit ſpes? quis ex omnibus ſaluus fieret? vult tui miſereri iudex, verum ſi reperit te poſt peccatum humilem & cor de contritum. Si vero cor impœnitens inuenerit, ſpiritumque ſuperbum tunc iudicium ſuperte dirigit: diligit igitur miſericordiam in pœnitẽtibus, dirigit iudiciũ in duris & obſtinatis. Moris eſt ſcripturarum vt poſtquam deſperationem mentis humanæ læto nuncio ſubleuauit, rurſum negligentes & nolentes agere pœnitentiam, comminatione deterreat, ne bonitas Dei induret cor noſtrum, verbi gratia, cum Pſal 120. dicitur, *Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe:* ne te negligentem faciat auditorem, ſtatim intulit, *omnes peccatores diſperdet.*

2. IDIPSVM & per Iſaiam nobis inſinuat, cũ ait cap. 28 *Nunquid tota die arabit arans vt ſerat? Nonne cum adæquauerit faciem eius ſeret gyth & cyminum ſparget*, quaſi dicat, *inquit Hieron.* ſicut agricola prius proſcindit terram vomere; & cum dura arua mollierit, tunc ſeminat ſiue gyth, ſiue cyminum: Ita Deus varie diſpẽſat genus humanum, nunc corripit, nunc miſeretur, non in perpetuum triturans triturabit illum, neque in ſempiternum iraſcetur homini, ſed poſt tormenta oſtẽdet peccatoribus futura refigeria oſtẽdet peccatoribus futura refrigeria. Item Oze. 6. *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda?* Parentis in filios perditos monſtrat affectum, *inquit Hieron. Miſericordia veſtra* (qua vobis ſemper miſertus ſum) *quaſi nubes matutina pertranſiit, & quaſi ros mane conſurgens, qui orto ſole ſiccatur:* parum vobis profuit miſericordia mea, iã enim captiuitas veſtra vobis imminet, qua abducemini Babylonem captiui: Dolaui vos in prophetis meis, & verbis terribilibus comminatus ſum, ignes & cauteria protuli vt qui clementem contemnebatis, timeatis ſaltem offenſum. Et hæc vniuerſa feci, vt iudicii, quo te iudicaturus ſum, veritas appareat, nulluſque dubitaret vos iuſte quę patimini fuiſſe perpeſſos. *Hæc Hieron.* Simile quid & Grego. habet. Greg. in 1. Reg. cap. 3.
Deus *inquit*, aliquando in igne apparuit gradientibus per deſertum aliquando in nube: In igne terror iudicii eſt: vnde & de ſe-

de secundo Redemptoris aduentu dicitur Psal. 96. *Ignis ante ipsum praecedet & in circuitu eius tempestas valida.* In nube autē blandimētum miserationis & protectionis, vnde in consolationem suorum electorum ait Dominus, *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus coeli.* In igne igitur & nube per deserta gradientibus in huius vitae peregrinatione apparet Dominus, quia aliquando terret delinquentes pauore iudicii, aliquando erigit blandimento protectionis diuinae. Sed cauendum est maxime ne indiscreta visio ignis & nubis, & non solum nobis profectionem non ostendat coelestis itineris, sed ad subuersionem erroris nos impellat. Sic igitur conspecta veritas iudicii terreat, vt etiam ostensa benignitas mentem territam in desperationem cadere non permittat, & sic de benignitate praesumat vt ad praeuaricationis ausum non proruat.

3. CONTINGIT aliquos misericordia conuerti & emendari, alios iudicio territos viam iniquitatis deserere: nonnullos vero neque misericordia emolliri

Isa. 26. neque terrore iudicii flecti. De his sic Isaias *Indulsisti genti Domine, indulsisti genti nunquid glorificatus es?* quasi dicat, saepe misertus es humano generi, & ostēdisti illi incredibilem clementiam, nunquid te cognouerunt, Nonne è cōtrario longius à te recesserunt, Misericordia enim securitatē, securitas negligentiam, negligentia contemptum parit. *Misereamur impio &*

Isa. 26. *non discet iustitiam*, inquit quasi dicat *inquit Hieron.* Quamdiu non exerces iudicia tua super terram, vt bonis bona & malis retribuas mala, iustitia tua Domine ignoratur in terra.

Quomodo enim poterit nosse iustitiā tuam peccator, si tantam clemētiam fuerit expertus? & magis pronus est Deus vt misereatur & parcat quam vt puniat, iuxta quod orat ecclesia, *Deus cui propriū est misereri semper & parcere* Nam quanquam nō minus iustus sit quam misericors, iuxta quod Psalmista ait, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*: tamen quod miseretur proprium est illi, ex se enim sumit materiam miserendi, sed cum iudicat, punit & damnat, cum ad hoc quodammodo cogimus, vt longe aliter de corde ipsius miseratio quam animaduersio procedat Quemadmodum & ipse Dominus testatur Eze. 18 *Nunquid volūtatis mea est mortis impii, dicit Dominus, & non magis vt conuertatur & viuat.* Recte igitur non pater iudiciorū vel vltionū dicitur, *inquit Bernar.* sed pater misericordiarū, quia miserendi causā sumit ex proprio, iudicādi & vlciscēdi magis ex alieno. Sic enim Iere. ait, *Via tua & cogitationes tuae fecerunt haec tibi: Ista malitia tua quia amara tetigit cor tuum.* In quem locum sic *Hieron.* Malitia quae per se amara est, dicitur tetigisse cor illius, quia animae interna penetrauit. Quicquid ergo aduersi nobis accidit, nostro accidit vitio qui dulcem Dominum in amaritudinem vertimus, & quodammodo cogimus saeuire nolentem. *hac Hieron.* & vt *auctor ait imperfec. homi.* 46. *in Matth.* Deus inuitus compellitur & cum magno dolore, peccatores damnare: non enim sic dolet quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem qui omnes cupit saluare.

Bernar. serm. 5. nata. Dom.

Ierem. 4

4. Sed dicet aliquis; Cum in potestate habeat Deus & perdere & saluare, quis eum inuitum compellit condemnare si non vult? Tu, *inquit auctor praedictus*, qui non desideras misericordiam Dei. Sed dicis, Quis est homo qui non desiderat misericordiam D.? Tu qui permanes in peccato: Ille enim desiderat misericordiam Dei, qui timet iram eius: qui non timet iram eius, non desiderat misericordiam, sed contemnit. Hierusalem quae vsque nunc luctata es contra misericordiam meam peccatis tuis: Incessabilibus enim peccatis tuis misericordia mea, quasi tā lassata à proposito defecit. Quomodo curabo infirmitatem tuam quae respuis omnem medicinam, Misi ad te Isaiam, & serrasti eum, misi ad te Ieremiam, & lapidasti eum, misi Ezechielem & tra-

ctum

ctum ſuper lapidem excerebraſti eum: miſi ad te Filium meum, & crucifixiſti eum. Sāctis meis nō peperci vt tibi parcerem peccatrici. Si de morte tua gauiſus fuiſſem nunquā ad te prophetas miſiſſem: ſi te perdere voluiſſem, nunquam ad te ego veniſſem ipſe. Ego tibi quid faciam ſi tu ipſa viuere non vis? *hactenus auctor imperfect.*

Chryſ. ho. 3. in Gen. 5. QVINIMO dicit *Chryſoſt.* etiam ipſum flagellum à Dei miſericordia procedere. Sic enim habet loco prædicto: Poſt peccatum beſtiæ quæ antea ſubditæ erant primis parentibus, Deo ita diſponēte ab eorum dominio rebellarunt, quod diuinæ miſericordiæ maximum eſt argumentum. Nam ſi poſtquam homo mādatum præuaricatus eſt, integer illius manſiſſet honor, haud facile à lapſu deſtitiſſet: Quandoquidem cum obedientes & inobedientes pari dignitate fruuntur, malitię aſſueſiunt magis, quam quod ſtatim ab ea deſiſtant. Et quanquam Adam totam legē ſubuerterit, Deus tamen non omnem honorem abſtulit, neque toto principatu deiecit, ſed duntaxat animalia à noſtra poteſtate alienauit, quæ non multum ad vitæ huius vtilitatem nobis conducūt: quæ vero vitæ noſtræ ſeruiunt multum, & vtilia ac neceſſaria ſunt, ea in ſubiectione & ſeruitute ſua reliquit, nam puniens hominem ob ſuam inobedientiam dicebat, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, vt vero ne ſudor & labor hic noſter intolerabilis foret, ſudoris moleſtias ac laboris onus alleuiauit iumentorum ſubſidio, quæ vna nobiſcum laborant & moleſtias ferunt. Atque ita ſi quis diligenter & cordate cōſideret omnia, vbique inueniet quod ſeueritati clementiam immiſcat Deus.

Ierem. 5. Quod & Ieremias confirmat cum ait, *Aſcendite muros eius & diſſipate, conſummationem autem nolite facere.* Id quod ideo facit Dominus, quoniam *iudicans dat locum in peccatis pœnitentiæ*, vt dicitur Sap. 12. *Si enim inimicos ſeruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione & liberaſti, dans tempus & locum per quæ poſſent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos.* Hæc ibi.

II. Vul: S... hunc c... piendi dum i... ri Don... nus. 1. DVM fratrem peccantem corripimus & humanitatis affectus & iuſtitiæ zelus inſint nobis, neceſſe eſt, *inquit Bernar.* zelus quidem iuſtitiæ propter contemptum Dei quia peccante ei infertur, quod æquanimiter ferre non poteſt, quiſquis Deum amat: Compaſſionis vero affectus, dum quis conſiderat ſeipſum ne & ipſe tentetur, veruntamen oportet vt priorem ſibi vendicet: locum compaſſionis affectus, alioquin in ſpiritu vehementi, & zelo iuſtitiæ, quo aduerſus delinquentes accendimur conteremus & cōſtringemus calamnum quaſſatum. Sed cum vterque aderit, videlicet & compaſſionis affectus & iuſtitiæ zelus, neceſſe eſt vt adſit & ſpiritus diſcretionis, ne forte indiſcretio cōfundat vniuerſa, vnde propheta regius ſic orat. *Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me.* Bonitatem poſtulat vt compati norit Diſciplinam vt corrigat: & ſcientiam vt cum diſcretione vtrumque faciat, videas multos, ſyncera licet intentione, & benigno accedant animo, leuiter dicere quod grauiter audiatur, & quod ſanare debuerat verbum, exaſperat & exulcerat magis. *hæc Bernardus.* Berna ſerm. reſu. D mi. Pſal. 1...

2. ADMONET nos Paulus, vt gaudeam⁹ cum gaudentibus & fleamus cum flentibus. Hoc dicit *inquit Hieron.* in eum ſcribens locum; vt ſi quid patitur vnum mēbrum compatiantur omnia membra, Id Paulum ſedulo & ſerio feciſſe ex eo patet quod *ad Corin.* dicat, *Quis infirmatur & ego non infirmor, Quis ſcandalizatur & ego non vror*, Et propheta Dauid *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Dolebat Dauid non quia contemnebatur, *inquit Ambro.* ſcribens in eum locum, ſed quia lex Dei contemnebatur, & eorū qui faciebant, damnum dolebat quod Deo perirēt. Sicut bonus pater in phreneſi conſtituti filii, cum ab eo maledicatur, verberetur, iniuriis afficiatur, non ſuam ſed ægroti filii deflet Com. 1 2. Cor Pſal. 11

ærumnam. Ita vir bonus cum videt peccatorem aliquid indignum facere, nec timere aut reuereri Deum, quaſi moriturum & à medicis deſperatum dolet & ingemiſcit, & vt bonus medicus quicquid poteſt medicinæ adhibere non denegat, monendo, rogando, terrendo, orãdo, exercens non ſolum artis peritiam, ſed etiam mentis benignitatem adhibens, etiãſi contemnatur à peccatore, non auertitur, nec tanquam deſperatum aut contumacẽ deſerit, ſed tanquam bene de ſe meritum omni ſtudio ſanare contendit, & cum læditur ab eo & iniuriam patitur, furoris putat illud eſſe non improbitatis, & dolet non propter ſe ſed propter illum, quia cum vnum membrum patitur & cætera membra compatiuntur. Verum hæc dilectio non omnium eſt, ſed paucorum, *Hæc Ambroſ.* Vnde *Auguſt.* dicit Quicumque perfecti ſunt ex Euangelio & gratia Dei, non hic viuunt niſi propter alios, quia diſpenſatio eorum aliis eſt neceſſaria. Fit in eis quod ait Apoſtolus *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto multo magis optimum, manere autem in carne neceſſarium propter vos.* Quando autem videt ex diſpenſatione ſua, ex laboribus ſuis, ex prædicatione ſua non proficere homines, exclamat, defecit in dolore vita mea & anni mei in gemitibus. Quando videt Sanctus multos in peruerſum ire: conturbatur, non perſecutionibus alienorum, ſed iniquitatibus fratrum. *Hæc Auguſtinus.*

Aug. in Pſalm. 30. con. 2.

Philip. 1.

DOMINICA X.
POST PENTECOSTEN.

DIXIT *Ieſus ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam iuſti & aſpernabantur cæteros parabolam iſtam dicens: Duo homines aſcendebant in templum. &c.* Luc. 18

Summa Articulorum I. Partis.

I. Quid requiratur ad iuſtitiam, & quomodo opera bona valeant ad eam, & quomodo non.

II. Præcepta Dei ſeruari poſſunt & grauia non ſunt, nec peccat iuſtus in quolibet opere bono.

III. Phariſæus ex ſuis operibus, quia hypocrita & ſuperbus erat, iuſtificari non poterat.

IV. Quomodo ſerui inutiles ſumus facientes omnia quæ præcepta ſunt nobis.

PARS I.

ART. I. Quid requiratur ad iuſtitiam, & quomodo bona opera ad eam valeant.

IN phariſæo velut in quodam typo depinguntur nobis ii qui falſa iuſtitia tument, quique ſe meliores quam ſint reputant, excæcati nimirum amore ſui qui mentis iudicium occœcare & ſubuertere ſolet, quo fit vt pluris faciant ſeipſos, ſuaque quæ faciunt opera, quam oportet. Neque enim propterea quis iuſtus eſt quamuis raptor non ſit aut adulter, ſibique non ſit alicuius grauis criminis conſcius, teſte Paulo qui ait, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*: Eſt enim Deus maior corde noſtro, *teſte Ioanne*, ita vt multa in corde noſtro videat & bona & mala, quæ nos latent, nobiſque incognita manent. Quis Regem Aza ita grauiter deliquiſſe exiſtimaſſet, cum ſubſidium à Rege Syriæ aduerſus Baſan Regem Iſrael peteret, niſi Deus prophetam ad illum mittens tam grauiter eum corripuiſſet? ſic enim ad eum propheta *Stulte egiſti quod cum antea in maiori periculo conſtitutus diuinæ protectionis auxilium expertus fueris, iam in minori periculo ad Regem Syriæ neglecto* Deo *confugeris: Propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent: iratuſque Aza aduerſus videntem iuſſit eum mitti in neruum.* Rurſum quis cogitaſſet Dauidem populum numerantem tam grauiter peccaſſe, vt hoc ſuum peccatum pœnitentia ductus humilibus precibus exorare non potuerit, ſed ex tribus plagis quibus caſtigandus foret, vnam eligere debuerit, aut ſeptem annis pati famem in terra ſua, aut tribus menſibus aduerſarios ſuos fugere: aut tribus diebus peſtem ſufferre: cumque nimis coarctatus peſtem eligiſſet, mortui ſunt ex populo

1. Cor. 4.

1. Ioan. cap. 3.

2. Paralip. cap. 16.

1. Reg. 24.

iſto triduo ſeptuaginta milia virorum.
Item quis tam grande crimen ſuſpicare-
tur domum domui coniungere & agrum
Iſai. ca. 3. agro copulare, niſi Iſaias diceret, *væ qui*
coniungitis domum ad domum & agrum a-
gro copulatis vſque ad terminum loci, nun-
quid habitabitis vos ſoli in medio terræ? In
auribus meis ſunt hæc dicit Dominus exerci-
tuum. Plurima ſunt huiuſmodi ſcriptura-
rum loca in quibus exponuntur peccata
varia opinione humana grauiora: vt me-
Pſalm. 18. rito exclamauerit Dauid, *Delicta quis in-*
telligit? Ab occultis meis munda me, & ab a-
lienis parce ſeruo tuo.

2. SED nec id ad iuſtitiam ſufficit, ſi quis
ieiunet in ſabbatho etiamſi addas in ſin-
gulos dies, decimas ſoluat, largas det e-
leemoſynas, crebras p̃ces fundat, ac cęte-
ris bonis operibus diligentem operam
nauet: quia huiuſmodi opera externa ta-
lia ſunt, qualis eſt animus eius vnde ea
proficiſcuntur, ſi orat, ieiunat, eleemoſy-
nas dat caritas, eadem facit & cupiditas;
vnde ſi quis externa virtutum opera faci-
at, & interna virtutẽ ſeu caritate careat,
non eum ſanctum & iuſtum, ſed arrogã-
tem ſibique placentem huiuſmodi opera
efficient, id quod patet in hoc noſtro pha-
1. Cor. 13. riſæo. Hinc Paulus ad Corinthios, *Si di-*
ſtribuero in cibos pauperum omnes facultates
meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ar-
deam, caritatem autem non habuero, nihil
mihi prodeſt. Abſit tamen vt quis exiſti-
met huiuſmodi opera bona nullius eſſe
apud Deum meriti, nihilque ad iuſtitiam
aut ad ſalutem conducere, vt hæretici vo-
lũt, aut quod peius eſt, ſingula noſtra bo-
na opera eſſe peccata, quod prorſus im-
Acto. 10. pium eſt & hæreticum dicere, cum mani-
feſte commendet ſcriptura ſancta Corne-
lium centurionem ab eo quod multas e-
leemoſynas faceret plebi, deprecareturq;
Deum ſemper: ad quem angelus, *Oratio-*
nes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in me-
Iacob. 2. *moriam in cõſpectu Dei:* & Iacobus expreſ-
ſe dicat, *Abraham nonne ex operibus iuſtifi-*
catus eſt, & ex operibus fides conſummata eſt?
quaſi dicat, iuſtitia per fidem inchoata,
incrementum accepit & perfectionem
per opera. Nam ſicut malus qui male ope-
ratur peior euadit, ita qui iuſtus eſt dum
bene operatur magis iuſtificatur, vt pro-
pterea dixerit Ioannes in ſua Apocalypſi, Apocal. vlt.
Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & qui ſor-
didus eſt, ſordeſcat adhuc.

3. CVM vero Paulus ait ad Romanos, Rom. 3.
Arbitramur hominem iuſtificari ex fide ſine Iaco. 2.
operibus: & Iacobus dicit, *videtis quoniam*
ex operibus iuſtificatur homo & non ex fide
tantum. Non inuicem ſibi contrariantur
hi duo Apoſtoli, quia *Paulus* loquitur de
prima iuſtificatione, qua homo ex iniuſto
fit iuſtus & ex impio pius: *Iacobus* autem
de ſecunda, qua iuſtus fit iuſtior: Sic con-
ciliat hæc loca *Auguſti. de fide & operibus.*
Nam quemadmodum nemo poteſt ope- Auguſt.
re ſuo ſe procreare aut à morte ſuſcitare ca. 14.
procreatus autem, aut reſuſcitatus poteſt fid. & o-
vitam edendo confortare & augere: Sic peri.
etiam homo per peccatum mortuus non
poteſt merito operum ſuorum ſe iuſtifi-
care, ſed poſtquam à Deo factus eſt iuſtus
poteſt recte viuendo iuſtitiam augere. V-
titur autem tam Paulus quam Iacobus
exemplo Abrahæ prius iuſtificari, vt o-
ſtenderet impium non iuſtificari ex o-
peribus ſine fide, viribus naturæ aut legis
cognitione factis, qualia virtutum mo-
ralium opera faciebant & gentiles phi-
loſophi & Iudæi, vt Plato, Socrates, Scri-
bæ & ſimiles, quibus tamen non iuſtifi-
cabantur: Nam ſi Abraham iuſtus non eſt
factus iuſtior ex operibus ſine fide, multo
minus impius poterit fieri iuſtus ex ope-
ribus ſine fide. Eſt argumentum à maio-
ri. Ideo Paulus loquens de prima iuſtifi-
catione attulit exemplum Abrahæ, quod
erat ſecundæ iuſtificationis: Et Iacobus
loquens de ſecunda iuſtificatione, attu-
lit exemplum Raab, quod eſt primæ iu-
ſtificationis, vt probaret à minori ad ma-
ius, iuſtum fieri iuſtiorem ex operibus &
non ex fide tantum, quia & Raab nuncios
ſuſcipiendo & eos abſcondendo & in
Deum credendo conſecuta eſt iuſtitiam,
quam licet non de condigno, tamen de
congruo

congruo merebatur accipere? quanto magis meretur iuſtior fieri, qui iam iuſtus exiſtens iuſtitiam operatus fuerit: Si Cornelius centurio merebatur iuſtitiam accipere quia pia intentione dabat eleemoſynas, humili fide Deum orabat, quanto magis qui iam iuſtus eſt & filius Dei eſt, ſi eadem faciat ex viua fide merebitur iuſtior euadere?

4. ITAQVE quamuis ex externis virtutum officiis præciſe ſumptis non poſſit quis aut de ſua aut proximi ſui iuſtitia certi quid conſtituere, quia ea & bonis & malis, ſanctis & hypocritis cõmunia ſunt: ſi patitur tormenta martyr, ne malum committat, patitur ea & latro, ne ſua ſcelera prodat, ſed in vno eſt laudanda fortitudo, in altero improbanda durities: *ſi tacet prudens quia expectat tempus loquendi, tacet & inſipiens quia non habet ſenſum loquelæ, inquit Eccleſiaſticus*, ſed in vno eſt commendanda ſapientia, in altero damnanda inſipientia: ſi orat vir ſanctus, orat & ſimia eius hypocrita; eadem quidem opera externa, ſed mens & virtus interna ſunt longe diuerſa. Ideo vir prudens vbi hæc externa virtutũ officia in ſe animaduerterit, mentis quoq; ſuæ penetralia rimetur oportet, videatq; an aliqua intra ſe ſpiritualium virtutum, caritatis nimirum pietatis, fidei & ſimilium ſemina reperiat: in quibus ſi ſe diuitem & abundantem inueniat, tuto coram Deo ſtare poterit: Sic enim Elias aiebat, *Deus in cuius conſpectu ſto*: Erigit enim animum hominis vera iuſtitia, non per faſtum aut ſuperbiam, ſicut hic phariſæus ſtabat, ſed per veram fiduciam & virtutem. Quamuis enim hęc perfectio non poſſit haberi in hac vita vt nunquam peccetur, quia teſte Iacobo, *in multis offendimus omnes*, tamen cum peccatum veniale & huiuſmodi leuiora delicta caritati non contrarientur, neque iuſtitiam euertant, cum ſcriptura eos etiam iuſtos & perfectos vocet qui eiuſmodi defectibus obnoxii ſint, ſic enim legimus de Noe quod fuerit *vir iuſtus & perfectus in generationibus ſuis*, Et Paulus ad Philip. *Quicumque perfecti ſumus hoc ſentiamus*: poteſt enim perfectus eſſe viator, licet non ſit perfectus comprehenſor, ſicut poteſt quis eſſe perfectus diſcipulus, etiamſi non ſit perfectus doctor. Ideo huiuſmodi delicta leuiora fiduciam non labefactant, præſertim ſi vt committuntur exorentur. Nam vt *Aug.* ait, Omnia mandata facta deputantur quando quicquid non fit ignoſcitur. Et precibus innitẽdum eſt, *inquit Gregorius* etiam cum recta facimus & operamur, quia fieri non poteſt vt non aliquando aliquid ſubrepat, quod opera noſtra licet nõ omnia, tamen aliqua non vitiet, quia, vt *Cyprianus* loquitur, mens hominis obſeſſa & vndique diaboli infeſtatione vallata vix occurrit ſingulis. Et ideo ſancti veritatis lumine pleni illuſtrati quo ſubtilius, quicquid vitiorum in eis latet, deprehendũt, eo minus alte de ſe ſentiunt, & non minus humilitatis virtute & timore, quam ſapientia & ſanctitate ſe Deo ſiſtunt, vſurpantes ſibi illud quod ait, verebar omnia opera mea ſciẽs quod non parceres delinquenti. Nõ quod neceſſe ſit vt in ſingulis bonis operibus admiſceatur peccatum veniale, ſed quia piarum mentium eſt, *teſte Gregorio*, culpam timere, etiam vbi non eſt culpa.

Eccl. 22. — Philip. 3. — Aug. lib. 1. ca. 19. retract. — Greg. 9. morali. cap. 24. — Cypria. ſerm. 4. de mortali.

II.

Præcepta Dei gratia non ſunt.

1. HINC quia nemo vitare poteſt omnia peccata, colligunt hæretici legẽ Dei obſeruatu eſſe impoſſibilẽ, ſi enim quis legem Dei impleret, nullum omnino peccatum haberet, aut cõmitteret. Quibus reſpondet *Auguſtinus* Deum non impoſſibilia præcipere, ſed iubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod nõ poſſis, quia, *vt idem ait*, dat gratia Dei homini ſtudium præcepta ſeruandi, & eadẽ gratia ignoſcit ſi quid minus fiat, quia quod non impletur, oranti indulgetur, & cum id quod nõ fit ignoſcitur totum impletũ cẽſetur, & de natura & gratia ſic ait *idem Aug.* Eo ipſo quo firmiſſime creditur Deum iuſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus

Aug. c. 43. lib. de nat. & grat. — Aug. ca. 7. libr. 3. cõ. 2. epiſtol. Pelag. — Aug. c. 69. de nat. & grat. — Gen. 6.

bus quid petamus. Hic docet *Aug.* mandata omnia eſſe poſſibilia, ſed alia immediate, alia mediante oratione: Omnia quippe facilia ſunt caritati, cui vnî Chriſti ſarcina leuis eſt: propter quod & Do-
Matt. 11. minus ait, *Iugum meum ſuaue eſt & onus*
1. Ioa. 5. *meum leue*: & teſte Ioanne, *mandata eius grauia non ſunt*. Quod ſi cui grauia videntur quæ præcipiuntur, ſciatis, *inquit Auguſt.* ſe nondum vires accepiſſe, quibus impleantur & leuia ſentiuntur: quod enim graue eſt infirmo aut difficile nolenti, hoc ſuaue & leue eſt volenti & diligenti: nam perfecta caritas facit præcepti ſar-
Aug. lib. cinam leuem, *inquit Auguſt.* non ſolum
de perfect. non prementem onere ponderum, ve-
iuſt. ratio. rumetiam ſubleuantem vice pennarum:
16. ſicut enim pennæ auium non tam premunt quam ſubleuant, ita gratia & caritas per Chriſtum data. Propter quod Dominus ait, *Non veni ſoluere legem ſed adimplere*: ad hoc enim venit vt gratiam daret per quam quiſque legem impleret. Nam illa quoque quæ videntur in Euangelio eſſe grauiſſima de dilectione inimicorum & concupiſcentia cohibenda, leuia fiunt accedente caritate, quod antiquis impor-
Hieron. tabile erat. Bene itaque *Hieron.* Multi præ-
in ca. 5. cepta Dei ſua imbecillitate metientes pu-
Matt. tant eſſe impoſſibilia quæ ſunt præcepta ſed ſciendum, *inquit* Chriſtum non impoſſibilia præcipere ſed perfecta.

2. SED inquis, Si homo per gratiam legem poteſt implere, & Deum ex toto corde diligere, ergo poteſt abſque omni peccato viuere: ſed hoc non poteſt, quia, teſte Iacobo, *in multis offendimus omnes.*
Aug. de *Auguſtinus* reſpondet in hunc modum;
ſpir. & lit. Dei poteſt quædam iuſtitia minor huic
ca. vlt. vitæ competens qua iuſtus ex fide viuit, nec abſurde dicitur etiam ad iſtam pertinere ne peccet. Neque enim, ſi nondum eſſe poteſt tanta dilectio Dei quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, iam culpæ deputandum: Aliud eſt enim totam nondum aſſequi caritatem, aliud nullam ſequi cupiditatem. Quamobrem debet homo quamuis longe minus amet Deum, quam eum poteſt amare conſpectum, nihil tamẽ appetere illicitum, quia licet concupiſcentia ſemper homini inſit, poteſt tamen ineſſe & nulla tentatione moueri, *inquit idem* Hoc itaque dicimus, Aug. li
inquit Hieron. poſſe hominem non pec- ca. 8. c
care ſi velit, pro tempore, pro loco, pro Iulian.
imbecillitate corporea quamdiu inten- Hier. li
tus eſt animus, quamdiu corda nullo vi- aduer. I
tio laxatur in cythara: nam qui prouidus lagi.
eſt poteſt ad tempus vitare peccata, quãuis ad longum tempus non poſſit cauere omnia: & quamuis homo non poſſit viuere abſque omni peccato, tamen non eſt neceſſe vt peccet in omni opere bono, ſed poſſunt opera bona fieri ex caritate aliquando ſine vlla cupiditate admixtione. Defectus autem caritatis, quod ſcilicet non faciamus opera noſtra tanto feruore dilectionis, quanto faciemus in patria, defectus quidem eſt, ſed peccatum &
culpa non eſt, *vt docet Auguſt.* vnde etiam Aug. de
caritas noſtra quamuis comparata ad ca- ſpir. &
ritatem beatorum ſit imperfecta, quippe vlt.
quæ indies augeri & creſcere poteſt donec perueniat ad plenitudinem, tamen abſolute perfecta dici poteſt ſecundum
ſtatum viæ: Sic enim Ioannes ait, *Qui ſer-* Ioan. 1.
uat verbum eius vere in hoc caritas Dei per- piſt. c. 1
fecta eſt. Et poteſt in hac vita tam eſſe perfecta vt præcepto adimplendo ſufficiat,
quia expreſſe dicit ſcriptura de Dauide, 3. Reg.
quod cuſtodierit mandata Dei, & ſequu- 4. Reg.
tus ſit eum in toto corde ſuo: idem dicitur de Ioſua, quod in omni corde ſuo & in omni anima ſua, & in tota virtute ſua reuerſus ſit ad Deum.

3. QVOD ſi verum eſſet id quod hæretici docent, hominem peccare in quolibet opere bono, imo omnia iuſtorum opera natura ſua eſſe peccata mortalia, id enim aperte docet Lutherus *in aſſertione articuli* 31. 32. *&* 36. & Caluinus *lib. 3. inſt. ca. 12. §. 4.* Certe iugum Chriſti graue & importabile eſſet: quemadmodum ſi boues ad ſingulos paſſus caderent ſub iugo, etiamſi aratoris induſtria, continuo reſurgerent, non tamen propterea diceretur co-

…tur eorum iugum ſuaue aut onus leue. Sic etiam licet Chriſtus peccata non imputaret, ſed fide omnia aſſidua condonaret, vt vult Lutherus, tamen iugum eius ſuaue nõ eſſet, ſi ſub eo homo ad quælibet opera & ad quoſuis paſſus ſuccumberet. Quod autem homo non in quouis opere peccet ex eo patet quod de Iob dicitur, Iob 41. *In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis*, cum tamẽ conſtitutus eſſet in tãta afflictione vt impatientiæ notam non videretur poſſibile euadere. Item cum Dauid ait, Pſal. 7. *Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam & ſecundum innocentiam ſuper me.* Hic Dauid opera ſua non ſolum iuſta dicit, ſed etiam cõfidit ea in iudicio Dei poſſe conſiſtere, alioquin petens iudicari ſecundum iuſtitiã ſuam damnationem pro abſolutione quæſiuiſſet, ſi opera eius non fuiſſent abſolute iuſta. 1. Cor. 3. Rurſum cum Paulus ait, *Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, & lapides pretioſos, vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit: ſi cuius opus mãſerit quod ſuperædificauit mercedem accipiet.* Quo loco indicantur eſſe quædam opera ſupra fundamentum veræ fidei ædificata, adeo bona vt nihil omnino habeant vitij, quia peccata aurum dici poſſunt, nec in igne diuini iudicij ſubſiſterent, nec mercedem, ſed pœnam reciperent.

4 INSVPER iuſtorum opera bona non ſolum non eſſe peccata ſed etiam maioris gratiæ & vitæ æternæ meritoria, patet ex diuerſis ſcripturæ locis. Et inprimis dicit Mat. 19. apud Mat. Dominus, *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*: Et apud Ioannem, Ioan. 13. & 15. *Si hæc ſcitis beati eritis ſi feceritis ea*: & alibi, *vos amici mei eritis ſi feceritis ea quæ præcipio vobis*: Et Iacobus, Iacob. 2. *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt*: & Petrus, 2. Pet. 1. *Satagite per bona opera certam facere vocationem veſtram, ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri*: Et Matthæus, Matth. 7. *Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea, ſimilis eſt viro ſapienti qui ædificat domum ſuam ſuper petram: qui vero audit & non facit ſimilis eſt ſtulto qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam.* Chryſoſt. in Ioannem ſic ait, tractans illud, Chryſo. hom. 30. in Ioan. *Qui credit in filium habet vitam æternam.* Nunquid ergo ſatis eſt, inquit, ad vitam æternam, credere in filium? minime, inquam, *Non enim omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt:* ſi in Patrem, Filium & Spiritum ſanctum credideris, non autem recte vixeris, nulla tibi ad ſalutem vtilitas. *hæc ille.* *Auguſtinus* vero explicans Aug. in præfat. pſal. 31. præcipitium quo ruunt qui ſola fide nituntur, ſic ait, Miſericordia Dei omnibus peccatoribus in quibuslibet peccatis perſeuerantibus, tantum credentibus quia Deus liberat & ignoſcit, ita parata eſt in finem vt nemo pereat fidelium iniquorũ: Qui ergo dicit neminem perire talium, inuenit eum Deus male de ſe præſumentem, & interitum ſuum miſericordia Dei abeuntem, & neceſſe eſt vt damnetur. *hæc Aug.* vbi Lutheranum hominem aperte deſcribit, qui infirmitatem ſuam reſpiciens, & exiſtimans impoſſibile eſſe vt legem Dei obſeruare poſſit, totum ſe transfert ad præſumptionem diuinæ miſericordiæ, & hoc ipſo quod credit ſe à Deo liberandum, & peccata ſua propter fidem non imputanda, exiſtimat ſibi iam omnia eſſe ſalua. Cæterum huiuſmodi hominẽ dicit *Aug.* ad interitum ſuum abuti miſericordia Dei, & neceſſario eſſe damnandum.

5 ITEM Proſper explicans illud Pſalmi, Pſalm. 111. *Potens in terra erit ſemen eius.* Semen futuræ meſſis, *inquit*, opera miſericordiæ eſſe apoſtolus teſtis eſt dicens, *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus.* Quid autem potentius hoc ſemine cuius impendio comparatur regnũ æternum? Idipſum Paulus ad Corinthios 2. Cor. 4. etiam patientiæ attribuit, cum ait, *Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quinimo dicit *Auguſt.* integras epiſtolas Augu. cap. 14. de fid. & oper. Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ, ea de cauſa potiſſi-

potiſſimum ſcriptas, vt probent opera bona iuſtificatis hominibus ad ſalutem eſſe neceſſaria, neq; fidem ſolam ſine operibus ſufficere, vt quidam eo tempore ex epiſtolis Pauli nõ bene intellectis prædicare & docere cœperant. Certe in die iudicij iuxta apoſtolum *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum Ibi reddet Deus vnicuiq;* non ſecundum fidem ſuam ſed *ſecundum opera ſua*, cum dicet eis qui à dextris ſtabunt, *venite benedicti, poſſidete regnum, eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: &* iis qui à ſiniſtris ſtabunt, *Ite maledicti in ignem æternum, eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare.* In quo loco vt notat *Auguſt.* nulla mentio fidei facta eſt vt intelligeremus Chriſtianis qui damnantur non fidem, ſed opera defuiſſe.

2. Cor. 5.

Aug. de fide & ope. Cap. 15.

III. Cur Phariſæus ex ſuis operibus nõ ſit iuſtificatus.

1. IAm videndum quomodo huius Phariſæi opera bona non valuerint ei neq; ad ſalutem neq; ad iuſtificationem: non enim arbitrandum falſo commemoraſſe phariſæum hæc opera ſua bona, neq; etiã hæc opera quæ enumerat ſibi ſuiſq; viribus, ſed diuinæ gratiæ aſſcribit, quandoquidem pro illis gratias agit. Quid igitur hic iure reprehendi poteſt? cur non deſcẽdit iuſtificatus cum tam multa fecerit opera bona? Hic notãdum quod phariſæus iſte aſcẽderat vt oraret, quid autem rogauerit Deum, *inquit Aug.* quære in verbis eius, & nihil inuenies: aſcendit orare, & noluit rogare Deum, ſed ſe laudare, inſuper & roganti inſultare. Cumq; oratio ſit indigentiæ teſtificatio, hic non ſuam indigentiam, aut ſuos defectus in medium adducit, ſed ſua merita ſuaſq; virtutes allegat: tanquam ſi mendicus eleemoſynam petiturus ſe cultioribus veſtibus ornaret, ſuaſq; diuitias iactaret: vtilius ei foret ſi ſuam paupertatem, morbum ac cæteros defectus exponeret, ſic enim aliorum animos facilius commoueret qui eius indigentiæ ſubuenirent. Ita Phariſæus iſte oraturus à laude ſua incipit, cum *iuſtus*, vt Sapi. ait, *in principio ſit accuſator ſui*; nõ veritus ibi Deum offendere, vbi ſui ſceleris debuiſſet veniam rogare: dum enim oculos ſuos in aliorũ defectus ac propria merita conijceret, nec quid mali intus in animo ſuo lateret, aduerteret, maiorẽ exiſtimationem de ſe concepit quam erat, ſeſeque meliorem reputabat quàm erat: in eũque dici poterat quod ait Ioannes in Apocalypſi, *Dicis quia diues ſum & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cœcus, & nudus.*

Auguſt. ſer. 36. de verb. Domi.

Prou.18.

Apocal. cap. 3.

2 Hic ſciendum quod duplex ſit hypocritarum genus: aut cum fallax homo improbitatis ſuę conſcius ſimulata ſanctitatis imagine alios decipit, ſanctuſq; haberi velit cum non ſit: aut dum homo ſibiipſi imponit, ſeſe meliorem quam ſit reputans, ſicut hic Phariſæus: Quod genus hypocriſis multo eſt ſubtilius & periculoſiꝰ. Quis enim ſub his animi grati verbis ſuperbiæ virus latere intelligeret, niſi hoc nos cœleſtis magiſter doceret & indicaret?

Certe hoc Phariſæi exemplo diſcimus quam vere à Pſalmiſta dictum ſit, *Narrauerunt vt abſconderent laqueos, dixerunt quis videbit eos?* Adeo enim ſubtiles laqueos nobis ſtruunt noſtri inſidiatores, vt pene viſum etiam bene oculatæ mentis effugiant: nõ ſolum enim hic Phariſæus ſuperbiæ laqueum ſibi iniectum non conſiderauit, ſed neq; propheta Dauid cum populum numerari iuſſit, quo ſpiritu ageretur ſatis aduertit. Pſalm. 63.

3 Sed etiamſi Phariſæus hic talis fuiſſet, qualem ſe habebat, Deumque bonorum ſuorum auctorem agnouiſſet, ſicut & agnouiſſe videtur, nequaquam tamen ex eo aut ſibi placere aut gloriam aucupari, aut cæteros præ ſe contemnere ei licitum erat, quia non in eum finem Deus homini ſua largitur dona, vt ex iis, cum pueris in ſpectaculo veſte regia ornatis, ſibi placeat, & gloriam captet, ſeſeq; aliis anteponat, ſed vt ſibi ac aliis inde proſit, ac neceſſitati ſubueniat, & pro bono eorum vſu ſuo tempore mercedem à Deo percipiat.

Manet

Manet quidem iuſtum ſua gloria ipſi propter bonum donorum Dei vſum debita,
1.Reg.2. ſic enim ait ſcriptura, *Qui honorificauerit me glorificabo eum, & qui contemnunt me, erunt ignobiles*, verum ea merces & ea gloria non in hac vita eſt expectanda, neq; ab hominibus eſt quærenda, ſed in futura vita & à Deo eſt exhibenda. Gloria quæ eſt huius vitæ, cum ſit velut vmbra duntaxat futuræ, leuior eſt quam vt propter hanc quis virtutibus incumbat, & vmbram ſequens veram gloriam quæ à Deo eſt, amittat: Quanquam interim non male faciant qui gloriam, quæ eſt celebris cum laude fama, & honorem homini virtute prædito deferant, tanquam qui eo dignus ſit, ipſique quod ei offerant melius nihil habeant. Quod ſi flos gloriæ huius ſæculi, quæ velut vmbra præterit, hominẽ laudis auidum ſic afficit, vt multi propter eam & viuere velint & mori non dubitent, quanto magis hominem Chriſtianum afficere
1.Cor.9. debet ſplendor æternæ gloriæ. Hinc Paul. ad Corinthios, *Omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & ille quidem vt corruptibilem coronam accipiat, nos autem incorruptam.* Et niſi plerique aut ſpe lucri conſequẽdi, aut cupiditate gloriæ excitẽtur, inertes manent, & nihil ardui aut egregij aggrediuntur vnquam.

4 QVOD ſi merito damnandi ſunt ij, qui ex bonis ſuis operibus gloriam aucupantur humanam, ſicut hic phariſæus, quam certe mereri & in quibus laude digni videntur, quia ea ipſi faciunt & partem ſibi vendicare poſſunt, cooperantur enim Dei auxilio & gratiæ ſibi collatæ: quanto magis condemnationem merentur ij qui ex nudis Dei donis gloriam expetunt, vtpote aut ex ingenij ſubtilitate, aut ex corporis pulchritudine vel robore & ſimilib. in quibus homo nullam partem ſibi arroga-
1.Cor.4. re poteſt, quia nõ ſunt eius opera, ſed mera Dei dona homini vtenda cõceſſa. *Quid habes*, inquit Paul. *quod non accepiſti, ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* Agnoſcebat quidem hic phariſæus Dei dona, ſed ita vt per ea non Deum glorificaret, ſed ſe glorioſum prædicaret. Quod ſi Dei honorem quæſiuiſſet, alios ſecum iuſtos & ſanctos optaſſet, quo Dei honor magis augeri potuiſſet: Qui aũt propriam gloriam quærit, ſolus vult haberi ſanctus, & iuſtus & doctus, vt ſolus honoretur. Hinc Phariſæus iſte aliorum vitia duntaxat commemorat, vt eorum reſpectu ipſe iuſtior appareat, quaſi ideo quiſpiam melior reputatur quia alij mali ſunt: *opus* Galat.6.
ſuum probet vnuſquiſq;, inquit Paulus, *& ſic in ſe tantum, & non in altero gloriam habebit.*

5 PHARISÆVS quidem hoc ſibi perſuaſum habebat ſe eſſe iuſtum, & publicanũ peccatorem, ſed qui ſpirituum ponderator eſt Deus, hunc illi præferebat eumq; iuſtum, alterum vero peccatorem denunciabat: vt enim humilitas peccato iuncta præ ſumma ſua excellentia peccati pondus ſuperat, & in cœlum hominem euehit, ſic ſuperbia virtuti iuncta præ nimio onere ſuæ molis, *inquit Chryſoſt.* cœleſtem virtutem vincit & hominem è cœlo in terram deorſum verſus deiicit. Hac de cauſa Dominus apud Matthæum ad phari- Matth.21.
ſæos ait, *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei*: quia ſicut medicum non quærit qui ſe ægrotare neſcit, ſed ſe ſanum putat: ita miſericordiam nõ implorat qui falſa iuſtitia tumet. verba publicani vicerũt opera phariſæi, quia Deus non tam attendit quid fiat aut quid dicatur, quam quo animo id dicatur aut fiat. Cum igitur in publicano veram humilitatem cerneret, quippe qui à Deo longe receſſerat, etiam à longe ſtabat, & qui vilis & abiectus per peccatum factus erat, ſe vilem etiam reputabat, nec melior quam erat haberi volebat, ſed quod vilis factus eſſet nimis inde dolebat, & miſericordiam implorabat, quam & conſequutus eſt, quia *cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit*: In phariſæo autem tumidum animũ videret, ideo hunc ſpreuit, alterum ſuſcepit, quoniam *excelſus Dominus humilia reſpicit & alta à longe cognoſcit*, vt Pſalmiſta ait. Id Pſal.137.
quod propterea facit Deus, quia qui alto & ſuper-

ſuperbo eſt animo ſe ſibi ſufficere putat, Deique adiutorium minus efflagitat quãdoquidem ſe illius egere non exiſtimat, hinc inter eum & Deum non eſt notitia niſi à longe petita, ſicut dicimur non nouiſſe niſi à longe quorũ cura aut amicitia nos non tangit. Humiles autem cum propriam indigentiam agnoſcant, ſiue ijs humilitas inſit ex conſideratione ſuorum peccatorum, qui eſt infimus humilitatis gradus neque magna laude dignus, ſiue ex conſideratione diuinæ maieſtatis & ſuæ nullitatis, quia ſe ex ſeſe nihil eſſe, nihilq; habere ſciunt: quomodo & B. virgo & angeli humiles ſunt: dum ſe tales agnoſcunt, à Deo toti dependent, ideo eos oculis ſuæ miſericordiæ & benignitatis reſpicit, ſubleuat & beat.

IV. Quomodo ſerui inutiles dicamur.

IS QVI vere humilis eſt, non quæ virtutum dona habeat, aut quæ opera bona fecerit, attendit, ſed quid ſibi deſit ſollicite conſiderat, & cum apoſtolo dicit, (Philip. 3.) *Quæ retro ſunt obliuiſcẽs ad ea quæ ſunt priora me extendo deſtinatum perſequens brauium ſupernæ vocationis.* Nam vt *Chryſ.* ait, quando bona aliqua fecerimus, habemus Deum debitorem, quando vero nihil nos arbitramur operatos, amplius de tali meremur affectu quam propter opera ipſa quæ operati ſumus: Nam & nos quoque famulos eos magis amplectimur qui cum omnia peregerint, nihil tamen ſe feciſſe arbitrantur. Et ita virtutũ omnium merita, bonum humilitatis exuperat, vt Chriſtus apud Luc. dicat, (Luc. 17.) *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus.* Quę ſcriptura cum ſit intellectu difficilis, paulo latius eſt explicanda. Et inprimis cauendi hic hæreticorum errores quos ex peruerſa huius ſcripturæ interpretatione hauſerunt *Caluinus, Lutherus* & ſimiles, *nimirũ*, nos nihil à Deo mereri poſſe, etiamſi ſeruauerimus omnia mandata Dei: *ſecundo.* non poſſe nos plus facere quam præceptũ eſt, quia quidquid facimus multis nominibus Deo debemus quem ex totis viribus diligere tenemur & iubemur, proinde nullum opus ſupererogationis præſtate valemus, ſic illi. *Tertio* dicunt nos ne id quidem quod præceptum nobis eſt, poſſe perficere, nec enim nos poſſe ex totis viribus Deum diligere, quod nobis vtiq; præceptum eſt.

2. Hæc vt falſa eſſe intelligantur, notandum ſecundum *Euthymium*, quod alia debeamus Deo, quia ab eo nobis data, alia quia præcepta. Nec enim tam rigide nobiſcum agere voluit Deus, vt quicquid illi iure naturę debebam⁹. exigeret: Si enim ſpectes quid ab eo accepimus, omnia illi debemus: quia quicquid habemus, ab eo accepimus: Si ſpectemus quid nobis præceperit, non debemus omnia ſed multa libertati noſtræ reliquit & infirmitati conceſſit, potuiſſet iure ſuo à nobis exigere vt omnes virginitatem ſeruaremus: vt omnia quæ habemus in pauperes erogaremus, ſed hæc præcipere noluit, ſed duntaxat conſuluit, quod conſilium ſi non amplectamur, non peccamus, ſi vero amplectimur plus facimus quam nobis præcipitur, quia id ſequimur quod duntaxat conſulitur.

3. At vrgent hæretici Deum à nobis quicquid iure ſuo exigere potuit, reipſa exegiſſe, cum ex toto corde & totis viribus à nobis ſe diligi iubet: qui autem minus quam poteſt facit, is non totis viribus diligit. Quibus reſpondendum dilectionem eſſe affectus actum qui eſſe poteſt etiamſi non relucceat aut ſe prodat in operibus externis, in quib. dum ſe profert quando neceſſitas poſtulat, ſufficit vt Deum ex toto corde diligere cenſeatur: Quod ſi extra neceſſitatem omnia ſua bona pauperibus eroget, plus facit quam ex præcepto tenetur, quia illud medium amplectitur quod ei cõſulitur, quod quidem vtile eſt & ad hoc ſeruit vt quis Deum plenius & perfectius ex toto corde diligat, ſed non eſt neceſſariũ mediũ, quia etiamſi bona propria poſſideat, poteſt nihilomin⁹ Deum diligere ex toto corde, ſed non ita commode: ſicut qui poteſt ire Bruxellam eques, vel pedes, vel curru, nõ tenetur ire

eques

eques, nec hoc ei præcipitur, ſed duntaxat conſulitur, quia commodius eſt: præceptum autem id quod neceſſarium eſt cōplectitur.

4. Sed præcipua difficultas in eo eſſe videtur, quod operib. noſtris nulla merces debeatur, quia dicere debemus, nos eſſe ſeruos inutiles, etiamſi fecerimus omnia quæ præcepta ſunt nobis: At ſi noſtris operibus mereremur vitam æternam, certe vtiles eſſemus, etſi non Deo, qui propter ſuam perfectionem bonorum noſtrorum non eget, tamen nobis ipſis; Quinimo & hanc vtilitatem ſuam reputat Deus, dum noſipſos aut alios lucrifacimus, & ex donis ipſius fructum bonorum operum facimus, quia ſcriptum eſt, *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Hac ſententia igitur nos noſtræ humilitatis admonet Dominus vt non efferamur animo, cum omnia quæ præcepta nobis ſunt, ſeruauerimus, ſed humiliter de nobis & ſentiamus & loquamur, idque non ficte ſed vere: tum quia ſi nos, noſtramque naturam reſpiciamus quales ex nobis ipſis ſumus, vere ſerui inutiles ſumus qui nihil meriti adferre poſſemus, nos conſiderantes non quales ex gratia Dei ſumus, ſed quales ex nobis ipſis ſumus, ſicut Paulus dicebat, *Non ſum dignus vocari apoſtolus, quia perſequutus ſum eccleſiam Dei*: conſiderabat ſe non qualis iam erat per gratiam Dei, ſed qualis ante ſuam vocationem fuerat; & id ad humilitatem ſeruādam plurimum cōducit, vt quales natura ſumus conſideremus, & memores priſtinę noſtræ conditionis quod de ſtercore erecti ſumus, ex gratia quam iam habemus, animo non efferamur: Tum etiam quia qui facit ſolum id quod debet, quodque ei præcipitur, licet mercedē mereatur, ſicut operarii ſerui mercedem lucrari ſolent, tamen Dominus eius non agit ei gratias: quia non plus facit quam ex conuentione debet. Qui autem ſupra pactum conuentum aliquid facit, plus nimirum quam debet ei debetur gratia & aliquod honorarium vltra mercedem debitam, ſicut Paulus cum Euangelium abſque ſumptu poneret & annunciaret, & nihil à ſubditis caperet quod tamen facere potuiſſet, vltra mercedem debitā etiā gratiam & honorē inde promerebatur, vt gratia hic ſignificet non mercedem promiſſam, debitamq; ex pacto pro exhibito miniſterio, ſed mercedis cumulum ſeu corollarium, quo ſerui qui plus quam debebant laborauerunt donari ſolent. Vult igitur Chriſtus non gloriari nos cum præcepta ſeruamus, quia etſi mercedem noſtram meriti ſumus, tamen nihil ſingulare, nihil egregium fecimus, nec tā eſt laudabile quod id fecerimus, quam vituperabile eſſet ſi non feciſſemus. Non ſolent laude gloriaq; videri digna, niſi quæ egregia & ſingularia ſunt.

Pars II.

Dico vobis: deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo.

Luc. 18.

Summa Articulorum Partis II.

I. *Cur bona opera Phariſæum non iuſtificauerint?*

II. *An bona opera ſint iuſtitiæ & ſalutis æternæ meritoria.*

III. *Cur humilis Publicanus potius fuerit iuſtificatus quam Phariſæus.*

1. Qvo ad primum, propterea ex ſuis operibus iuſtificatus non eſt Phariſæus, quia opera externa talia ſunt, qualis eſt animus facientis ea. Vt enim in rebus naturalibus ex ſemine naturam ſuam trahunt fructus, vt ſi illud vitioſum ſit, vitientur & fructus, ex leproſo n. naſcitur leproſus, qa ſemen vitiatum eſt: ſi v. bonum ſit ſemen & viuum, etiam fructus qui inde proueniunt, boni erunt: quo fit vt agricola ſeminaturus ſuum agrum optimum ſēper quærat triticum, ſi n. emortuum aut ſterile ſeminet, etiam ſterilem meſſem habe-

I. Cur Phariſęus non ſit per bona ſua opera iuſtificatus.

bebit. Quomodo igitur fit in reb. naturalibus, ita fit & in operibus moralibus, est n. idem auctor naturæ & gratiæ, qui eundẽ sæpe numero in vtrisque seruat modum. Opera nostra ex voluntate tanquam quodam semine seu radice proueniunt, si illa bona fuerit, bona erunt & opera externa, si mala, inde prodibunt & opera mala. Fit autem voluntas, & est bona, id est, iusta nõ natura, alias nunquam posset fieri mala, quæ enim natura constant, semper eodem modo se habent, sicut homo natura comedere, bibere & dormire debet, & illa non possunt mutari. Solus Deus natura bonus est iuxta illud, *Quid me dicis bonum, nemo bonus solus Deus*, scilicet natura, qui est bonitas ipsa, & ideo sicut albedo non potest esse nigra, sic Deus non potest esse malus. Quod si voluntas hominis natura sua esset bona, homo nunquam posset fieri malus. Sed est bona participatione caritatis & spiritus diuini, vt quantum participat de caritate & gratia Dei, tantum etiam bonitatis habeat, si nihil habet de caritate, nil etiam participat de bonitate. Sicut aer dicitur lucidus, non natura sicut sol, alias aer nunquam posset esse tenebrosus, sed participatione luminis solis.

2. QVÆCVMQVE opera igitur proueniunt ex volũtate caritate informata & spiritu Christi imbuta, illa opera bona ac meritoria sunt & hominẽ meliorem efficiunt. Fit autem voluntas mala dum spiritu Dei & gratia Christi, hoc est caritate, destituitur, mox enim vt gratia destruitur, à superueniẽte iniquitate corripitur, sicut aer mox vt lumine priuatur, tenebris obducitur: quæ enim prius ex spiritu Christi erat mitis & suauis, mox fit dura & rebellis, quæ erat obtemperans, fit inobediens, quæ humilis erat facile fit arrogãs & superba & opera quæ ex tali voluntate proueniunt, licet secundum substantiam cum operibus bonis eadem sint, mala tamen sunt: quia dum orat, eleemosynas dat, aut ieiunat talis, id facit non quia iustus est aut vt iustus & sanctus fiat, sed vt suam iustitiam, etiam quam non habet, ostentet, nec tam iustus esse cupit quam haberi: plus enim eum afficit & delectat gloria humana, etiamsi ea falsa sit & inanis, quam iustitia & bonitas interna & vera, id quod fit propterea quia suauitatẽ iustitiæ eiusque virtutem non est expertus gloriæ autẽ inanis delectatione fruitus est sæpius, ideo plus afficitur laudibus humanis quam diuinis, sicut homo fornicarius plus delectatur voluntate carnis, quam suauitate diuini spiritus, teste Paulo, qui de talibus dicit, quod voluptatum amatores sint magis quam Dei & auarus diuitiarum cupiditate magis oblectatur quam Dei caritate, nõ quia cupiditas melior sed quia ei notior: hinc caritas Dei minus eum afficit, imo eum non afficit, quia eam non habet, sicut lumen solis nihil afficit hominem cæcum. Dum itaque bono quis fruitur, licet id minimum fuerit modo tamen intense ametur, etiamsi careat meliori bono minus amato, istud detrimentum nihili æstimat, quia quantum perdat non cõsiderat: similis isti prophano Esau, qui propter edulium lentis vendidit sua primogenita, *paruipendens quod primogenita vendidisset*: sic homo fornicarius propter voluptatulam vendit partem hæreditatis æternæ, idque parui facit. 2. Tim. 2. Gen. 25.

3. NON igitur mirum si Pharisæus hic ex suis ieiuniis non descenderit iustificatus in domum suam, quia cum sese meliorem quam erat reputaret, nec suã iniquitatem agnosceret, medicinam qua sanaretur nõ efflagitabat, Quid rogauerit Deũ quære in verbis eius, & nihil inuenies, *inquit Aug.* Ascendit orare, & noluit rogare Deum, sed se laudare, insuper & roganti insultare. Propter quod & alibi dicit Dominus de pharisæis, quod eos in regno cœlorum præcessuri sint publicani & meretrices: hi enim facilius suã agnoscũt iniquitatẽ eamq; deplorant, sicut hic publicanus, quam pharisæi hypocritæ. Præterquam quod hic pharisæus suã iniquitatem non agnosceret, insuper stimulo honoris & gloriæ agitatus opera sua bona arro-

arroganter iactabat: *Non sum*, inquit, *sicut cæteri hominũ, adulteria, raptores, ieiuno bis in sabbatho, &c.*

4. EST enim homo sicut voluptatis secundum carnem, ita & honoris ac laudis secundũ animam auidissimus: indidit nãque Deus humanæ naturæ vtriusque tam voluptatis quam honoris appetitum: illius quidem propter generationem, ne homo in re tam necessaria sibi deesset, vt si non amore prolis, saltem appetitu voluptatis generationi operam daret. Nã Deus cum rem quampiam ad finem aliquẽ destinat, eidem & virtutẽ & appetitũ seu inclinationem consequendi finẽ indit, alias frustra eo destinaretur. Cum igitur secundum animam conditus sit homo ad Dei gloriam participandam, indidit homini acrem gloriæ appetitum, quo fertur in eã, eamq; consequi nititur. Cumq; per generationem secundũ Dei statutum multiplicandum esset genus humanũ, inserui, & actui generationis voluptatem, eam tamẽ admodum breuem & transitoriam ne homo suæ dignitatis oblitus extremo bono inhæreret, cui summo frui concessum est: Itaq; voluptas non propter se appetenda, sed propter aliud, nimirum propter prolẽ generandam, & ideo à principio humanæ naturę sic fuit inserta huiusmodi voluptas, eoq; moderamine indita, quæ neque rationem præueniret, neque mentis tranquillitatẽ turbaret, neq; animi serenitatẽ offuscaret: Si iam tale quid fiat, vti fit, ex peccato id accidit.

5. GLORIÆ vero appetitum indidit homini Deus, eamque bene operanti quasi virtutis præmium proposuit, vt homo attento huiusmodi præmio, cuius amore pelliceretur, virtutem quæ ardua petit & non nisi sudore paranda est, exercere non pertimesceret. Cum enim natura hominis talis sit, quæ omnem laborem & pericula fugiat, & non nisi propriam commoditatẽ quærat, si non incitetur amore laudis segnis & iners remanebit. Quemadmodum igitur in peccatis ignominiam posuit Deus, quam homo naturaliter fugit & auersatur, propter eam etiam ipsum peccatum, quod hominem efficit ignominia dignum, fugere & auersari disceret: Ita in virtute posuit gloriam & honorem vt quia quisq; honorabilis esse cupit, nemo n. libenter contemnitur, aut vilis reputari cupit, medium per quod ad honorẽ peruenire posset, amplecteretur. Vnde apud Romanos cum duo templa essent extructa, vnum quod dicebatur honoris, alterum quod erat virtutis, illa ita inuicẽ sibi erant iuncta, vt ex vno in alterum introitus esset, in signum, quod qui ad honorẽ peruenire cuperet, per virtutem transire oporteret. Quisquis a. ad honorem properat virtute neglecta ordinẽ subuertit: similis illi q metere vult priusq̃ seminauit, aut qui mercedem poscit & nullam operam præstitit.

6. HAC q̃ a de causa dicit̃ gloria inanis, eo q̃ ei desit ver⁹ virtutis titulus, sicut vas dicit̃ inane quod vacuũ est, & nihil intus habet. Dicitur & alia de causa gloria inanis, qui nimirum hominis appetitum non satiat, sed magis irritat: Talis est honor seu gloria quam homo ab homine aucupatur etiamsi propter virtutẽ suam honoretur. Cor n. humanum quod est laudis auidissimum, taliter est à Deo conditũ atq; creatũ, vt illud à nullo nisi à solo Deo satiari queat iuxta illud *Aug.* Creasti nos ad te Domine & inquietum est cor nostrũ donec veniat ad te: sic & psalmista ait, *satiabor cum apparuerit gloria tua.* Quid igitur honor quem homo homini impẽdit, aut gloria humana? Est quidẽ honor testimonium virtutis, & gloria humana nil est aliud quam celebris cũ laude fama: attamen hæc ipsa gloria humana vmbra est duntaxat futuræ glorię diuinę, qua quisquis afficitur, hoc agat ne vmbrã ꝓ veritate amplectatur & amet, & ne dũ vmbrã sectatur verã gloriã amittat, sicut Æsopicus canis q dũ fluuiũ tranaret & vmbram ossis quod rictu vehebat in vndis conspiceret, dum vmbram apprehendere niteretur, os quod ore tenebat amittebat. Non est mala quidẽ ipsa vmbra, quia est alterius rei significatiua

catiua, sicut homo pictus quamuis non sit tam bonus quam homo viuus, tamen non ideo malus est, quia hominis viui figura est, sed inanima quæ nec vitam, nec sensũ nec loquelam habeat, & ideo minus afficit quam homo viuus, & si quo modo afficiat fit propter rem figuratã, ideo enim oblectat imago amici mei, quia amicum meum diligo: si imaginem propter se diligerẽ stultus esset & insanus huiusmodi amor. Sicut de quodam stulto iuuene legitur, qui fortunæ imaginem Romæ in foro stantem pulchre depictam, & artificiose sculptam, ita adamabat, vt de nocte absentibus omnibus aliis, eam amplecteretur & oscularetur, nihilq; in ea desideraret quam vt sensum & loquelam haberet.

7. QVAMQVAM igitur vmbra non sit ea tamen oblectari malum est, eo quod vmbra sit res inanis nihil vitalis spiritus in se continens, & siquid oblectationis inde proueniat, hoc non tam ex ipsa vmbra, q̃ ex hominis ambitiosi imaginatione prouenit, similis in eo homini somniãti: *sicut* Isa. 29. enim *somniat esuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, & vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibit postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit & anima eius vacua est, sic erit multitudo omnium qui humana oblectantur gloria.* Qui hac vmbra vtitur tanquam alterius rei significatiua, & per gloriam humanam tãquam magis notam assurgit in gloriã diuinam, quam amat & ambit, eamq; per ea media assequi nititur quę huic fini subseruiunt, & per quæ ad Dei gloriam peruenire possit, laudabiliter facit, quia in finem ad quem conditus est per legitima media tendit, est enim homo ad hoc creatus vt particeps fiat diuinę gloriæ, iuxta illud psalmistæ, *Gloria & honore coronasti eum.* Quod igitur quæris, quære, *inquit August.* sed ibi quærere noli, vbi quæris: quæris honorẽ, quæris gloriam, quæris gaudium & lætitiam, quæris diuitias & delicias, nõ id tibi prohibetur, sed quod ea in mundo, in carne, ab hominibus quæras, hoc tibi prohibetur, quia ibi non nisi vmbram inuenies, verum honorem & gloriam, verũ gaudium & lætitiam, veras diuitias & delicias, non nisi in Deo inuenies. Hinc Paulus, *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi:* & alibi, *Gaudete in Domino semper, iterũ dico gaudete:* & propheta Dauid, *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordi tui.* In Domino gaudet, *inquit Anselmus*, qui omne bonum vnde gaudendum est in Domino statuit, non extra, qui gaudet non in flore vanitatis, sed in spe ęternitatis, qui gaudet in caritate, sapientia, pietate, castitate, ac cæteris Dei donis, quibus dotatus est. In seculo gaudent, qui luxuriantur, fornicantur, ingurgitantur, tumore superbiæ inflantur, & ista mala non impediat nulla aduersitas nullius mali timor, sed in pace ac cordis securitate his bonis fruantur, ita vt seculi lætitia non sit aliud quam impunita nequitia.

II. Quid mereantur bona opera.

1. IAM ad id quod secundo loco proposuimus, deueniamus. Dicimus opera bona & maioris iustitiæ & vitæ æternæ esse meritoria, iuxta illud *Augustini.* Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, vt enim qui malus est, peior fit dum scelera committit aut mala opera perpetrat, eo quod huiusmodi opera mala dum fiunt in animo facientis malum semen velut quoddam venenum relinquant, quo fit vt homo fiat infirmior & ad similia perpetranda procliuior, & si id sæpius cõtingat, & diu hic prauus agendi modus duret, tandem ipsa praua consuetudo velut in naturam versa videtur, vt tam ægre homo possit deprauatos suos mores relinquere quam suam naturam exuere: Ita qui bonis operib assueuit, quo plura huiusmodi opera bona facit eo paulatim firmiorem acquirit habitum & fit melior. Hinc enim opera bona semini comparantur in scriptura sancta, vt cum Palmista ait, *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos:* & cum Paulus dicit, *Qui parce seminat, parce & metet.* Vt enim

Digitized by Google

nim auctor naturæ Deus semini indidit naturalem virtutem producēdi ea omnia quæ ex semine nascuntur, vt ex glande radix, truncus, rami, folia, flores, fructus: Ita auctor gratiæ Christus indidit bonis operibus ex spiritu Dei & gratia Christi factis virtutem supernaturalem consequēdi vitam æternam, iustitiæ augmentum, & reliqua quæ ex bonis operibus prouenire solent.

2. MEDIA itaq; promerendi Dei gloriam & ad eam perueniendi, sunt, nō quidem Dei dona nude in se considerata, sed bonus eorum vsus. Dei dona in se cōsiderata secluso eorū vsu, bona quidem sunt, siue ea naturalia fuerint, vt ingenii subtilitas, eloquentia, corporis pulchritudo & robur, diuitiæ, & his similia: siue supernaturalia, vt donū linguarū, prophetia, sciētia, sapiētia. Verū nō hominis, sed Dei dūtaxat laus, cuius hæc sunt dona, in his cōsistit. Neque enim ex eo quis laudandus est quod aut ingenio polleat, aut multas diuitias possideat, aut donum linguarum habeat, aut scientia siue sapientia magna præditus sit, sed si huiusmodi Dei donis cooperetur, & bene vtatur, & ad vsuram posuerit & huiusmodi dona multiplicauerit, vnde cum seruus ille euangelicus dixisset, *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum*, non ex eo laudem meruit, quod quinque talenta acceperat, sed quod eadem ad vsuram posuisset, & iis bene vtendo ea multiplicasset, ideo hanc laudem meruit & à Domino audiuit: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, Qui vero vnicum talentum acceperat, non ex eo laudatur, sed quia illud ad vsuram non posuerat, neque bene vsus erat, etiam reprobatur.

3. CAETERVM vt huiusmodi opera bona & augmenti iustitiæ & vitę æternæ sint meritoria, ex fide Christi fiant necesse est, quia illa est radix omnium bonorum: illa enim homini ostēdit suam infirmitatem, ostendit & medicum qui curet eam, implorat eius auxilium, gratiam postulat & spiritū, quo & homo bonus fiat, & bona opera facere queat. Hinc Paulus totus in hoc erat cum ad Romanos & ad Galatas scriberet, vt fidem Christi commendaret & eis inculcaret, sine qua opera iustitię nihil prodesse dicebat: Sic enim ait ad Rom. 9. *Israel sectādo legem iustitia in legem iustitiæ non peruenit, quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Et hac de causa neque huius Pharisæi opera ei valuerunt ad iustitiam: *Si enim ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est*, teste Paulo, hoc est, si homo sola legis cognitione adiutus, possit sine fide Christi & gratia ipsius peruenire ad iustitiam & per consequens ad salutem, non opus erat Christum mori. Nūc autem sine fide Christi & gratia Dei opera facta non valent neque ad iustitiam neque ad salutem: iuxta illud Pauli ad Rom. ca. 4. *Si Abraham ex operibus iustificatus est* (scilicet sine fide factis, quo modo pharisæi & philosophi naturaliter bene operari videbantur, cum naturaliter ea quæ legis sunt facerent) *habet gloriam sed non apud Deum*, quasi dicat, homo huiusmodi opera mirari & magnifacere solet; sapientiam Græcorum, fortitudinē Romanorum, eloquentiā Ciceronis, subtiles argutias Aristotelis, iustitias Pharisæorum, & his similia: sed Deus qui nō solū de externis iudicat vt homo, sed & interna considerat, quod homo nō potest, huiusmodi opera nō cōmendat multum, tum quia sæpe ab animo superbo proficiscuntur, simul & inficiuntur, tum etiam quia licet fortassis moraliter bona sint & nulla peccati labe infecta, tamen ad iustitiam consequendam & ad vitam æternam promerendam, penitus nihil aut parum valent: quæcumque enim opera sine fide & sine spiritu Christi fiunt, mortua sunt, tāquam si mater abortiuum aut prolem mortuā pariat, hæc causa cur Deus non respexerit ad munera Cain, *vt dicitur Gen. 4.* Gala. 2.

4. NEQVAQVAM tamen hinc recte quis intulerit opera bona nec ad iustitiam consequendam, nec ad vitam æternā promeren-

merendam quicquam valere, vt hæretici volunt, sicut nec ipsi Pharisæo quicquam profuit quod ieiunauerit bis in sabbatho, & decimas dederit omnium eorum quæ possidebat. Hanc persuasionem quisquis admiserit, vt se quis bonis operibus nihil mereri, nihil boni consequi posse existimet, cũ homo natura ignauus sit omnéq; laborem subterfugiat ægre se bonorum operum exercitiis dabit. Nolite seduci: *corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Nos aliter instituti sumus: scimus enim scriptũ esse, *Quæcumque seminauerit homo, hæc & metet:* scimus vitam æternam iis retribuendam qui esurientibus dederunt manducare, *vt dicitur Matth.* 25. agnoscimus veram esse scripturam quæ dicit, *Reddet Deus vnicuique secundum opera sua.* vnde cum Ioannes & Iacobus peterent à Domino vt vnus sederet ad dexteram alter ad sinistram, respondit Dominus, Nescitis quid petatis: quia fauore non merito suo ad hunc gradum conscendere volebant: Quod perinde est atque si quis metere vellet qui non seminasset, & præmium ante victoriam & mercedem ante laborẽ exigeret. Deus sic statuit, quod statutum nemini infringere licet, vt per humilitatẽ ad gloriam, & per laborem peruenire quis debeat ad regnum & quietem. Hinc Dominus ad eosdem, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* quasi dicat, prius cogitare oportet de tolerantia passionum & patientia laborum, quam de præmio & & mercede eorum.

Rom. 2. — Matth. 20.

5. SED & *Iacobus* sic habet. *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est offerens Isaac filium suum super altare, vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & operibus illius fides consummata est?* Similiter & Raab meritrix nonne ex operibus iustificata est suscipiens nuncios & alia eiiciens via? Si quæ nondũ iusta erat iusta sit effecta bonis suis operibus, quanto magis qui iam iustus est & bene operatur iustior euadet: Quod autem pharisæus ex suis ieiuniis, orationibus, & eleemosynis non descenderit iustificatus, quid id mirũ, cum omnia ipsius opera eleuauerit & infecerit superbia? Sed qui ex fide viuit & ex spiritu Dei bene operatur, licet ex se sit seruus inutilis, sicut aqua ex sua natura est frigida, ex gratia Dei tamen & spiritu Christi fiet vas vtile in sanctificationem & honorem, *vt Paulus loquitur.*

Iaco. 3. — 2. Tim. c. 2.

III. Cur Publicanus iustificatus.

1. IDEO Pharisæus nõ fuit iustificatus, iustificatus autem descendit in domum suam Publicanus, quia accepta magis est à Deo humilitas peccatoris peccata sua agnoscentis & detestantis, quam superbus animus bene operantis, hic vero cum suam iniquitatem non agnoscat, seseque meliorem quam sit reputet, medicinam qua sanetur nõ efflagitat: Hinc de Pharisæis dicit Dominus, quod eos in regno cœlorum præcessuri sint Publicani & meretrices, eo quod hi facilius & ad suorũ peccatorũ agnitionẽ & pœnitentiam deueniant quã illi, vt patet hic de Publicano qui peccata sua agnoscẽs, percutiebat pectus suum in signum doloris & pœnitẽtiæ, & præ confusione & humilitate stabat à longe nec oculos suos ad cœlum attollere audebat: Pharisæus autem non solum culpam suam non agnouit, ideo nec veniã rogauit, sed insuper iactauit se operibus suis, & alios omnes præ se contempsit: & quamdiu homo propriam non agnoscit culpã, nõ potest esse spes veniæ, quia cum se peccasse non putet, cuius veniã postulabit? vult Deus vt propriam agnoscamus culpam, si non plene, quæ cognitio vix est huius vitæ sed futuræ reseruatur, vbi clare patebit quantũ malitiæ ipsi peccato insit, & quantũ pœnã peccans meruerit: saltẽ talem habeamus peccati à nobis cõmissi agnitionẽ, qualem viri timentes Deũ habere solent: Quæ cognitio haberi & hauriri solet, aut ex lectione scripturæ sanctæ ex qua constat quam grauiter Deus peccata punire soleat: aut etiam ex remorsu conscientiæ, quasi multi non vrgerentur, se peccasse & malefecisse nunquam agnoscerent.

HVNC

2. HVNC agendi modum seruare solet Deus, *inquit Chrysost.* vt si propriam agnoscamus culpam, eamque confiteamur, Deus sit eam remissurus & celaturus: quod si culpam commissam agnoscere & fateri nolimus, ipsa sit eam euulgaturus: Ne dixeris, *inquit Ber.* Non requiret ista Deus: certe requiret etiam vsque ad nouissimum quadrantē, & rationem exiget etiam de omni verbo otioso. Si igitur à Deo iudicari nolimus, nosmetipsos iudicemus, quia teste Paulo, *Si nosmetipsos iudicemus, non vtique iudicabimur à Domino.* 1.Cor.11. In hoc igitur homo sedulo incumbat, vt peccata & coram Deo quotidie, imo in singulas horas confiteatur, & coram sacerdote sese accuset, quando occasio se offert. Neque tunc putes te multum profecisse si nil inuenias in quo te accuses, sed si in singulas horas inuenias, *inquit Ber,* in quo te culpes: *In multis enim offendimus omnes.*

3. MAGIS tamen sollicitus esse debet peccator vt contritionē peccatis suis correspondentem habeat, quam vt ea omnia exacte in confessione enumeret: quia fieri potest vt contritio si vehemens fuerit, sine confessione etsi nō sine eius voto peccata deleat, vt patet in hoc publicano, Magdalena & Petro: vt autem confessio sine contritione peccata deleat, fieri non potest. Sunt autem diuersi gradus ipsius contritionis, quorum primus & infimus est, dolere de peccatis, & affectum peccādi deponere propter metum gehennæ. Et hoc metu cōmuniter primo cōcutiuntur grandes peccatores dum conuertuntur: sicut illi concutiebantur qui in Actis dicebāt, *Viri fratres quid faciemus,* Et hoc est officium legis hominem in peccati sui cognitionem inducere & metum incutere: ideo cum daretur lex, fulgura & tonitrua audiebantur, quibus metus ipsis Iudæis incutiebatur. Quod si metus incutiatur & voluntas non immutetur, sed occulte affectus peccati in homine remaneat, vt
2.Mach. 9. Antiocho, Iudæ & multis aliis accidit, tunc talis pœnitentia nil prodest ad salutem: Ideo de Antiocho dicitur, *Orabat scelestus Deum à quo non erat exauditurus, eo quod à malitia sua nullo modo re...* Quod si affectus peccandi deponatur & pœnitentiæ sacramentum suscipiatur, virtute absolutionis peccatum dimittitur, & caritas infunditur: quæ quia tenera & exigua in initio facile destruetur, nisi diligenti cura custodiatur & foueatur: quod quia plerique non faciunt, hinc tam multi recidiui lapsus.

4. EST alius gradus contritionis dum quis de peccatis dolet, non quod gehennam metuat, sed quia tam pium patrem offendit, eiusque gratiam & amicitiam perdiderit: hæc ortum ex caritate ducit, quæ si eximia fuerit, qualis in Petro & Magdalena, forte & in hoc Publicano fuit, tantæ est virtutis vt etiā inter amarissimas huius vitę molestias homo maiori cordis pace fruatur, quā prius in peccatis degens inter omnes delicias fruebatur: pax Christi enim exuperat omnem sensum, quam Magdalena in se experiebatur cum ei diceretur, *vade in pace, fides tua te saluā fecit.* verū hanc tantā contritionē assequi difficile est adeo vt propterea *Amb.* dicat se facilius inuenisse qui innocētiā seruauerint, quā qui cōdignā pœnitentiā peregerint. Sed quāquā homo nō possit, mox vt vult, tantā in sese cōcitare pœnitentiā seu cordis cōtritionē, quantā ipsa peccata requirūt, nō tamē ideo à pœnitētia abstinēdū: quia si non possum quod debeo, saltē agā quod potero, Deus qui misericors est linū fumigans nō extinguet. Hinc humanæ infirmitati subuentum cupiēs Dominus tertiam adiunxit pœnitentiæ partem, videlicet Satisfactionem, vt illa suppleat quod Contritioni deerat.

Et quanquam natura omnem pœnam tanquam sibi noxiam subterfugiat, tamen hoc ipsum est magnæ miserationis diuinæ, vt homo minori pœna, quam aut sibi ipse peccatis infert, aut aliunde illatam patienter substinet, maiorem futuri seculi euadat. Quod enim hic fuerit neglectum, in futuro seculo septem-

septemplicitet lucre oportebit, *inquit Bernardus*.

PARS II.

Duo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus pharisæus, & alter publicanus, Luc. 18.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Potest homo in quolibet statu & saluari & damnari.*
II. *Non fidendum in se aut in iustitia sua.*
III. *Insipientia est sese exaltare in operibus bonis.*
IV. *Conditiones Publicani & vere pœnitentis.*

Art. 1. In quolibet statu homo potest saluari & damnari. Grego. part. 3. cur. pastor admo. 29.

1. NON raro contingit in humano genere, *inquit Gregorius*, quod quidam meliori ordine deteriores sint, vt Pharisæus hic & quidam in deteriori meliores, vt hic Publicanus: quia & isti fortem extremi habitus bene viuendo transcendunt: & illi superioris loci meritum moribus non exæquando, diminuunt, vnde Isai. 23. ait Dominus, *Erubesce Sidon aut mare*: Quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quãdo per comparationem vitæ secularium atq; in hoc mundo fluctuantium eius qui munitus & quasi stabilis cernitur, vita reprobatur. Sæpe enim nonnulli ad Dominum post peccata redeuntes, *inquit Greg.* tanto ardentius se in bonis operibus exhibent, quando damnabiliores se de malis vident. Et sæpe quidem in carnis integritate perdurantes, cum minus respiciunt se habere quod defleant, plene sibi sufficere vitæ suæ innocentiam putant, atque ad feruorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflammant: Et fit plerumque Deo gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia post gratiam. *hæc Gregorius.* Huic consonat *Bernardus* dicens, Quod si forte aliquorum negligentia ad perfectionem non assurgit, quid excusationis adferre possint non video, quoniam apostolicam vitam in commune omnia habentem professi sumus, quia ad collegium perfectorum per misericordiam Dei vocati sumus: non sine causa sane, cum sint nobis eadem cum patribus conuersationis initia: Sed dispar valde conuersationis profectus inuenitur, adeo vt cum eos profecisse de die in diem, & cursum consummasse legamus apud nos magnus æstimetur, si quis vel ipsa conuersationis primordia conseruet, vt non minus humilis aut timoratus, non minus sollicitus & circumspectus, non minus feruens spiritu, non minus patiens ac mansuetus in medio quam in initio videatur. Quantos enim videmus quasi oblitos sui & peccatorum suorũ, Dei quoq; & beneficiorum eius immemores, sic non redimere sed amittere tempus, vt de moribus & affectionibus suis vix vltima apud nos mentio fiat. *hæc Bernardus.*

2. VBI ergo securitas, si non in portu? flat ventus etiam in portu & collidunturnaues. Et tamen fœliciores in portu quam in pelago fatendũ est, vbi multi sibi promiserunt, quod impleturi essent illam vitam sanctam in commune habentem omnia, vbi nemo dicit aliquid suum, vbi est cor vnum & anima vna in Deum: sed aduenit tentatio & exurgit murmuratio vbi ergo securitas? Hic nusquam, in ista vita nusquam, *inquit Aug.* nisi in sola spe promissorum Dei. Hinc autem falluntur homines vt vel non suscipiant meliorem vitam vel temere aggrediantur, quia & cum laudare volunt, sic laudant vt non ibi dicant mala quæ mixta sunt, & qui vituperare volunt tam inuido animo & peruerso vituperant, vt claudant oculos aduersus bona, & sola mala quæ ibi vel sunt vel putantur, exaggerẽt. Inde fit vt vnaquæque professio male laudata, id est, non caute laudata, cum inuitauerit homines laude sua, inueni aut illi qui illuc veniunt, aliquos quales ibi esse nõ credebãt, sed offẽsi à malis, resiliant à bonis. Tu qui laudas dic

Aug. in Psal. 91.

dio mixtos malos, quia, *sicut lilium, inter spinas, sic amica inter filias.* Tu quæ vituperas, vide ibi & bonos: scitote omnem professionem in ecclesia habere fictos, non dico omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas. In vita fratrũ quæ est in monasterio, magni viri sancti, quotidiani in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, cũ lectione illis res est, nemo sibi vsurpat aliquid quod alter non habeat, omnes se diligunt omnes se inuicem sustinent. Laudat qui nescit quid interius agatur, intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus: inuenit ibi fratres malos, & necesse est vt primo tolerentur, nec excludi facile possunt, & fit ipse intolerandæ patientiæ: & ait, Ego putabã quod hic caritas esset: quis me huc induxit? Et paucorum molestia irritatus, dum non perseuerat implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi. Iam vero cum exierit fit & ipse vituperator & maledicus, & dicit ea sola quæ quasi se pati non potuisse asseuerat, & quod est amplius ructat indignationes malorum odorum, vnde absterreat intraturos, quia ipse cum intrasset, perdurare non potuit. Quales illi, inuidi, litigatores ille hoc fecit ibi, iste illud ibi, O male quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti iactas, qui te malum tolerauerunt, taces. *Hactenus Aug.* in Psalm. 91.

3. QVOD autem in omni statu & boni sint & mali, & damnari possint & saluari, probat *Chrysost.* variis exemplis. Helias inops claruit, *inquit,* Abraham vero diues opum, inclytus fide & operibus fuit: Helias virginitatem seruans, Abraham coniugatus, vterque Deo gratus. Dauid splẽduit in regia dignitate, & nihil eum relaxauit vel purpura vel diadema: Diues epulo cum indueretur purpura & bysso, sepultus legitur in inferno: Hic in diuitiis periit, Iob & Dauid seruati sunt. In virginitate quinque prudentes introierunt cũ sponso ad nuptias: quinque fatuæ exclusæ sunt, vis & in ordine militari saluatos videre? habes Cornelium Centurionem: & in gubernatione domestica? habes Eunuchum Æthiopissæ. In vnoquoque igitur vitæ genere non omnes inueniuntur probi, *inquit August.* non omnes inueniuntur reprobi: videntur duo in agro, vnus assumitur & alter relinquitur, assumitur bonus, relinquitur malus: est eadem professio, sed non idem cor. vnus assumitur & alter relinquitur, non quasi dimidia pars assumatur, & dimidia relinquatur, sed duo hominum genera dicit, etsi aliud eorum sit in paucis, aliud in multis, vnus, hoc est, vnum genus bonorum, scilicet, assumetur: & alter, id est, alterum genus malorum relinquetur. Duo in lecto: lectum positum arbitror, inquit, pro quiete quam amant, qui conscii infirmitatis suæ non se committunt magnis actionibus. Habet & hæc professio bonos fictos proinde etiam ex his vnus assumitur, & alter relinquitur. Ad quamcumque professionem te conuerteris, para te passurũ fictos alioquin si te nõ parraueris, inuenies quod non sperabas, & perturbaberis aut deficies. *Hæc Aug.* & in præsenti hoc euangelio nonne singulariter diuino cultui videbatur addictus hic Pharisæus, vtpote instar religiosorum, quorum status saluti adipiscendæ multo est accommodatior, vbi homo viuit & purius, & incedit tutius, & cadit rarius, & iuuatur certius, tamen eo reprobato, descendit publicanus in domum iustificatus, quia hic in peccatis suis humiliatur, alter in suæ iustitiæ operibus exaltatur.

Chrysost. serm. 22. ad Phil.

Aug. conci. 10. in Psalm. 36.

II. Non fidẽdum in se ipsis iustitia sua.

1. QVAMDIV habemus thesaurum istum in vasis fictilibus & caro cõcupiscit aduersus spiritum, nulla est certa victoria. Considera, *inquit Hieron.* scribẽs ad Eustochi. de custodia virgini, quod nemo inter serpentes securus ingreditur. Timere oportet insuper, quia multa hominum iudicio probantur quæ Deus improbat: id quod patet in hoc nostro Pharisæo qui iudicio proprio multa pollebat virtute, vt nihil à Deo postulandum putaret, sed duntaxat de sua iustitia, quam se ha-

Hier. Epist. 22.

se habere putabat, gratias ageret. Hinc cõfidebat in se tãquã si iustus fuisset. Multis modis delinquebat hic Pharisæ*; *Primo* quod propter externa quædam opera bona consideret se iustum esse, cũ iustus non esset: *secundo* quod in se suaq; virtute confideret, quam etiamsi habuisset, non in ea sed in Deo confidere oportebat: iuxta illud Prou. 28. *Qui cõfidit in virtute sua stultus est, qui autem graditur sapienter laudatur*: eo nimirum quod caute pericula, quæ metuit, vitare studeat. Nam *teste Basilio*, homo omnis ob sibi adiacentem & insolitam suapte natura debilitatem, tot adeo rebus in se irruentibus, mœroris, periculi & laboris perquam plenus, non medioct i eget auxilio, sed tot cunctis se circumstãtibus calamitatum procellis, tutum requirit asylum Deum nimirum ipsum, & cum Psalmista dicat: Deus refugium nostrum & virtus. Multorum quidem est dicere Deus refugium nostrum & virtus, sed eodem quo propheta testatur, affectu præditum esse, nimis paucorũ est. Pauci enim sunt qui ex ipso Deo toti pendeant spem omnem suam atque fiduciam in ipso collocantes. Nam cum tribulatione aliqua affligamur, ad humana præsidia protinus confugimus potius quã ad ipsum Deum: *hæc Basilius*.

Basilius hom. 11. in Psal. 45.

2. DE HIS sic August. Sunt quædam refugia vbi non est virtus, quo quisque cum fugerit magis infirmatur quam confirmetur, vnde Psalmista, *Nolite confidere in principibus in filiis hominum in quibus non est salus.* Non est refugium nostrum tale, sed refugium nostrum virtus est, cum illuc confugerimus firmi erimus. Non enim ipsi in nobis fortes sumus, sed ille nobis fortitudo est qui refugium factus est nobis. Hinc Paulus, *Omnia possum in eo qui me confortat.* Itaque *non glorietur iustus in iustitia sua, neque sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua*, inquit Ierem. *sed in hoc glorietur qui gloriatur scire & nosse me, quia ego sum Dominus.* Quis enim recte gloriabitur de castitate sua, cum scriptum sit Prouerb. 20. *Quomodo gloriabitur quis se castum habere cor?* Aut quis gloriabitur super sapientia, cum Paulus dicat, *Quia mundus per sapientiam non cognouit Deum, ideo placuit Deo per stultitiam prædicationis crucis Christi saluos facere credentes.* Quis autem vel super iustitia sua gloriabitur, cum audiat Deum per Prophetam dicentem, *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.*

August. Psal. 45.

Ierem. 9. Orig. in 3. cap. ad Rom.

1. Cor. 1.

Psalm. 74.

3. VNDE Bernardus. *Qui confidit in virtute sua, non ponit Deum adiutorem suum*, inquit *nec habitat in adiutorio altissimi, sed in meritis suis*: Hæc habitatio periculosa: quid enim stultius quam habitare in domo vix adhuc inchoata? Consummasse te putas? & cum consummauerit homo, tũc demum incipiet. Deinde ruinosa est omnis hæc habitatio, & quę sustentari magis opus habet & fulciri quam inhabitari. Nonne vita præsens fragilis est & incerta? Simile esse necesse est quicquid fundatur in ea. Quis enim super fragili fundamento stabile credat ædificium? Periculosa igitur habitatio eorum qui in meritis suis confidunt periculosa quia ruinosa. Quod si in veris bonis confidere aut gloriari insipientia est, *inquit Chryso.* multo magis in vanis, vtpote in diuitiis, in nobilitate, in progenitoribus: quia in his omnibus qui sperat, vanitates obseruat; aut enim tu expiras & ea hic dimittis, aut cum viuis omnia pereũt, & in spe tua deficis speret qui vult in incerto diuitiarũ, tu es Domine spes mea, *inquit Bernar.* ita vt ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria sperẽ, nimirum verbo tuo confidens in quo abieci omnia, nempe, *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo: si in insurgant aduersum me prælia, si sæuiat mundus, si fremat malignus, si caro aduersus spiritum concupiscat, in te ego sperabo, sicut scriptum est, *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Quicquid agendum sit, quicquid declinandum quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es Domine spes mea, inquit *Bernardus*.

Bern. ser. 1. in Psal. 90.

Bern. ser. 9. in Psal. 90.

4. VT

4. VT QVID, si hæc sapimus; cunctamur abiicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias? & huic vni tam solidæ, tam beatæ spei tota deuotione animi inhærere? Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud in quo speres. Sed verbo omnia potest. An vero de facilitate non dubitas iam, sed ipsa tibi suspecta est voluntas? Quando in se speranti desit illa maiestas quæ tã studiose monet in se sperari? Plane non derelinquit sperãtes in se. *Liberabo eum*, inquit, Quare & quibus meritis? *quoniam in me sperauit.* Quis sperauit in eo & confusus est? Sed quod dicit *Tu es Domine spes mea*: forte amplius aliquid sonat, quod videlicet nõ modo in eo speret, sed eũ. Conuenientius siquidem spes nostra dicitur, quod speramus, quam in quo speramus. Sunt n. nonnulli forte qui à Domino obtinere tẽporalia aut etiã spiritualia concupiscunt sed perfecta caritas solũ sitit quod summum est & tota desiderii vehementia clamat, *Quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terram?* singularis gratia & perfectionis est, non modo nil sperare nisi ab eo, sed nil quærere nisi eum. *Hæc Bernardus.*

5. ILLI autem qui in homine spem ponit, aut in sublimitate aliqua potestatis humanæ, aut in potente amico aut pecunia, magnopere metuendum est, *ait Basilius* ne in execrationem illam incidat, maledictus homo qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, & defecit à Domino anima eius: Debet n. homo de Deo præsumere & inde sperare auxilium, non de se nec de carne, *ait Aug.* Non enim terra pluit sibi, aut lucet sibi. Quomodo autem terra de cœlo expectat pluuiam & lucẽ, sic homo de Deo debet expectare misericordiam & salutem. Vnde dicit *Chrys.* quod Ioseph propterea diutius in carcere immorari permissus est, quoniã dixit, *Memento mei apud Regem* vt disceret in hominibus non esse confidendum, sed spem omnem in Deum dirigendam Hoc ipsum confirmat & *Aug.* sic inquiẽs: Cum sicut dicit scriptura Dominus esset cum Ioseph, & gratiam ei apud Principem carceris dedisset, præuentus tunc est vt ab homine auxiliũ postularet dicens magistro pincernarum, *Memento mei cum bene tibi fuerit, & supplica Pharaoni vt educat me de isto carcere.* Et quia nõdum scriptũ erat, *Bonum est sperare in Domino quam sperare in homine*: cũ in omnib. Dei gratiã meruisset, surreptum est illi vt ab homine auxiliũ peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quib. adhuc teneretur in carcere, tãquã diceret ei Deus, Ego tibi ostendo vt magis à me quã ab homine debeas auxiliũ postulare. Sine vlla n. dubitatione credendum est quod pro castigatione sancti Ioseph nõ permisit Deus magistrum pincernarũ vt in mente haberet, quod ei sanctus Ioseph. quando de carcere dimissus est, supplicauerat. *hæc August.* Neglecta Dei inuocatione auxiliũ hominis postulare, est spem ponere in homine.

Basi. Resp. 42. de Reg. fus. disp. To. 1.

August. in Psalm. 48.

Chrys. ho. 6. ad Tit.

Aug. ser. 82. de Temp.

III. Insipientiæ est exaltare se in operibus bonis. Chryso. hom. 25.

1. IEIVNO *bis in sabbato.* Cum Paulus ait, 2. Cor. 11. *in quo quis audet, in insipientia dico audeo & ego:* insipientiã esse dicit, *inquit Chrys.* audere de seipso magna loqui, etiam vbi necessitas postulat. Nam si postquam omnia fecerimus debemus dicere, Serui inutiles sumus; vbi autem nulla causa impulerit, qua venia dignus erit, qui gloriatur & seipsum extollit? Propter hæc & pharisæo acciderunt ea quæ euenerunt, nempe quod in portu naufragium fecit eo quod impegerit in hunc scopulũ, quod cum gloriaretur nõ in Domino, sed in seipso suisq; operibus gloriaretur. Nouerit quisque, *inquit Bernar.* gloriam propriã esse creatoris non creaturæ, secundũ illud Ps. 113. *Non nobis Domine nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam*, verum quia considerauit apostolus rationalem creaturam adeo affectare gloriam, vt aliter vix aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, propterea secundum datam sibi à Domino sapientiam saluberrimũ adinuenit consiliũ dicẽs, Quandoquidẽ persuaderi nobis nõ potest, nõ gloriari, *qui gloriatur in Domino glorietur.* Illa perfecta omnino erit

Digitized by Google

no erit & secura gloriatio, cum erit vnicuiq; laus à Deo. Quid mihi cum eorum laudibus quibus ignotus sum? quorũ nec vituperio reprobus, nec laude probatus inueniar? Nunc quoq; licet non plenarie, licet nõ sine timore & sollicitudine multa, aliquatenus tamen in Domino gloriamur, testimonium perhibẽti Spiritu sancto spiritui nostro quod sumus filii Dei. Hinc enim vere possumus gloriari quod tantum habemus patrem, quod maiestati ineffabili cura est de nobis. *Hactenus Ber. ser. de ver Apo.*

Greg. 2. 2. mora. c. 5.

2. SVNT nonnulli, *inquit Greg.* quos operatio propria non extollit, sed cũ laudari ab hominib. pro hac bona operatione cœperint, ipsis hominũ fauoribus deuicti quasi magnos se quosdam in sua cogitatione conspiciunt, atque à cordis custodia dissoluuntur: Hi profecto semetipsos nescire incipiunt, quia dum mentis oculos in transitorium fauorẽ figunt, humilitatis gratiam se amittere nõ cernunt. Hoc enim obseruandum quod cũ ab hominibus laudamur, occulte tẽtamur quid de nobis ipsis sentiamus, vtrum in eo humiles permaneamus. Superba etenim mẽs etiam cum de se falsa bona prædicari audit, exultat, quia non apud Deum qualiter viuat, sed apud homines qualiter innotescat, excogitat, & nõ iudicium Dei expectat, sed hominum solum delectat, dũ inter auditas laudes se exaltat. Ecõtra si cor veraciter humile fuerit, bona quæ de se audit, ne nõ sint metuit, aut certe si adesse ea sibi veraciter sciat, eo ipso formidat ne ab æterna retributione decidat, quo hæc hominibus diuulgata considerat, timetq; vehemẽter ne spes futuri muneris in mercedẽ permutetur trãsitorii fauoris. Quapropter electorũ animus magno timore his laudibus concutitur, ne aut de his in quibus laudatur, & non sunt, maius iudicium Dei inueniat: aut de his in quib. laudatur & sunt, competens præmiũ perdat.

3. VNDE bene Prouer. 27. dicitur, *Sicut probatur in fornace aurum, ita probatur homo ex ore laudantium.* Aurum si reprobum est, igne consumitur, si vero probum fuerit, purgatur. Sic qui suis laudibus extollitur, quid est aliud quã aurum reprobum, *inquit Greg.* quẽ scilicet fornax linguæ consumpsit? Si autem fauores suos audiens ad superni iudicii considerationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrum grauetur, metuit, quasi expurgationis igne ad maiorẽ claritatem euadit. Et fit plerumq; vt inconsiderata mens dũ transitorio fauori nõ renititur, ad hoc vsque pertrahatur vt & ipsa laudet quod facit. Quod quã procul à cordibus Sanctorum abesse debeat, nobis significat Iob cũ ait, *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & lætatum est in abscondito cor meum: si osculatus sum manum meam ore meo,* quasi dicat, si inani gloria exultauit cor meum, quia sol iustitiæ illuxit mihi, & in virtutibus clarui: aut etiam si in prospero successu bonorum temporaliũ, quæ instar lunæ variis mutationibus subiecta sunt, inaniter lætatus sum: vel etiam si ore meo osculatus sum manum meam, hoc est, *inquit Greg.* si laudaui quod feci, & testimonio proprii oris mihi virtutem tribui operis (quales erant qui dicebant, *Manus nostra & non Dominus fecit hæc omnia*) *merito decidam ab inimicis meis inanis.* Qua in re is despicitur qui ipsa operandi munera largitur, quia auctoris sui gratiam negare conuincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur. *Quid enim habes quod non accepisti,* inquit Paulus, *si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* vnde *Sancti adorantes viuentem in secula seculorum, mittunt coronas suas ante thronum Dei.* Apoca. 4. quia certaminum suorum victorias non sibi tribuunt, sed auctori gratiæ, vt ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires accepisse certaminis. *Hactenus Gregorius.*

Iob. 31.

1. Cor. 4.

4. MIRABILEM te apparere & contemptibilẽ te reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico, *inquit Bern.* Fidelis reuera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhæ-

Bern. ser. 13. in Can.

adhærere contingat, & prædices non teipſum, ſed Ieſum Dominũ, qui dicit apud

Iſai. 42.

Iſa. *Gloriam meam alteri non dabo.* Quid ergo dabis nobis Domine? *pacem*, inquit, *meam do vobis.* gratanter ſuſcipio & gloriã prorſus abiuro, ne forte ſi vſurpauero non conceſſum, perdam merito & oblatum. Si qua ſane in ſanctis digna laude intueor, clara luce veritatis diſcutiẽs, profecto reperio laudabilem alium apparere, atq; alium eſſe, & laudo Deum in Sanctis eius: Deus enim in Sanctis manens ipſe facit opera: nec laus calami laudabilis eſt pictura, nec gloria linguæ ſermo bonus. *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat*

Iſai. 47.

in ea? inquit Iſai. Tibi porro vnde gloria? de vitæ ſanctitate? ſed *ſpiritus eſt qui viuificat*, nec nõ & ſanctificat, nõ tuus ſed Dei. An blanditur popularis fauor quod verbũ bonum bene depromſeris? ſed Chriſtus eſt qui dat os & ſapientiam: Nam lingua tua quid niſi calamus ſcribæ? Dicamus er-

Pſalm. 111.

go cũ pſalmiſta, *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Magna igitur nobis circumſpectione opus eſt ne mens noſtra vnquam de ſuis laudibus vel tacita lætetur, ne forte dicatur & de nobis, *dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriã*

Ioan. 5.

Dei: & alibi, *Quomodo vos poteſtis credere qui gloriam adinuicem quæritis, & gloriam quæ à ſola Deo eſt non vultis?* Ideoq; ne immoderatis laudibus erigamur, plerumq; miro rectoris noſtri moderamine etiã detractionibus lacerari permittimur, vt cum nos vox laudantis eleuat, lingua detrahẽtis humiliet, iuxta illud Pauli, per infamiã & bonam famam. *ſic Gregorius.*

IV. Conditiones Publicani, & veri pœnitentis.

1. In publicano tres obſeruandæ conditiones, quas & nos imitari oportet: *Prima* ſui peccati ac propriæ vilitatis agnitio, vnde ſe indignum reputabat qui aut propius accederet, aut oculos in cœlum attolleret. *Secunda*, vera cordis contritio & ſæuus de peccatis dolor, qui in eo notatur quod ſemetipſum puniens pectus percuteret vt duritiem illius emolliret: *ſic Hieron.* ab hoc publicano edoctus, iuuentutis peccata duro lapide pectus tũdendo puniebat. *Tertia* conditio erat bona fiducia de Dei miſericordia, quã ſi non habuiſſet eius oratio exaudita nõ fuiſſet, cum breuiter diceret, Deus propitius eſto mihi peccatori. Tales erant Sancti, *inquit Chryſoſt.* virtutes ſuas non propalabant, ſed peccatorum ſuorum memoriam reuocabant & quotidie ob oculos ponebant.

Chryſoſt. hom. 2. in pſal. 50. to. 1.

Sic enim Dauid ait pſal. 50. *Peccatum meũ contra me*, vel vt alij legunt *coram me eſt ſemper.* Sic & Paul. ſæpius ſuorum meminit peccatorum etiam iam dimiſſorum: Sic enim ait 1. Cor. 15. *Non ſum dignus vocari apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei:* Et 1. Tim. 2. *venit Ieſus peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum qui prius fui blaſphemus.*

2. Ex qvo intelligimus etiam cum per miſericordiam Dei receperimus priſtinam gratiam, poſtquam placatus fuerit nobis Dominus in omnib. quæ fecimus, memoriam præteriti nos habere debere peccati: Si enim memor fueris cumuli peccatorum tuorum, eris memor & magnitudinis beneficentiæ Dei & multitudinis miſerationum illius, ad hoc enim vult Deus vt peccati mei memor ſim, etiã ſi dimiſſum fuerit, vt gratior ſit miſericordia eius, & ſciam quid donatum ſit mihi, *inquit Chryſoſt.* ſi obliuiſcimur quod nobis donatum eſt, ingrati ſumus benefactori. Deinde qui memor fuerit peccati ſibi cõdonati, non iraſcetur peccanti, ſed cõdolebit, non conuiciabitur, ſed cõgemiſcet, non altum ſapiet, ſed timebit ne in eadem incidat.

Chryſoſt. homil. 31. ad Heb. & hom. 43. in Matth.

Quin & nos id perſuaſum habeamus, *inquit Chryſoſt.* non tantum nos peccatores eſſe, ſed etiam ipſa peccata ſpecialiter ſingula computemus, ſi quid in verbo, aut in facto, aut in cogitatione peccauerimus: & cum adduxeris omnia delicta tua in medium, dicas tecum, Quare hoc & hoc auſus es, quare illud & illud perpetraſti? Si cauſam ſuam dicere non poſſit conſcientia, quaſi ſuperbam ancillam cæde verberibus & flagellis caſtiga. Hoc iudicium ſi quotidie diligenter feceris, terribili

Digitized by Google

rrosli futuri iudicij tribunali lætus assistes: quia iuxta Paulum, [1. Cor. 11.] *si nosmetipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur à Domino.* Vult igitur Deus vt peccatum agnoscamus & fateamur, non quasi ignoret, non vt improperet, aut puniat, vt fit in iudicio seculari, sed vt ignoscat & remittat. Iuxta illud Psalmistæ, *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Si enim nos peccati nostri memores sumus, Deus obliuiscitur eius, *inquit Chrys.* Quod si nos obliuiscimur, Deus memor erit, & in conspectum omnium, tam amicorum quam inimicorum adducet in die illa. Peius est peccatum confiteri nolle, quam legem præuaricari, *inquit idem*, peius est admissi pœnitentiam contemnere, quam peccando Dei bonitatem offendere. *hac ille.*

3 Est tamen & istud necessarium quod [Bern. ser. 11. in Cant.] *Bernard.* ait; Suadeo vobis amicis meis reflectere interdum pedem à molesta recordatione viarum vestrarum, & euadere in itinera planiora memoriæ beneficiorum Dei: vt qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis, volo vos experiri illud quod sanctus Propheta ait psal. 36. *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Est quidem necessarius dolor pro peccatis, sed si non sit continuus: Sane interpoletur lætiori recordatione diuinæ benignitatis, ne forte præ tristitia induretur cor, & desperatione plus pereat. [Isai. 45.] Audi Deum per Prophetam dicentem, *Infrenabo os tuum laude mea ne intereas*, hoc est, inquit *Bernardus*, meis laudibus erigam te, respirabisq; in bonis meis qui de tuis confunderis malis, dum me sane benigniorem quam te culpabiliorem inuenies, maior est enim eius pietas quam quæuis iniquitas. Ideo Dauid dixit, [Psal. 110.] *Cogitaui vias meas & cõuerti pedes meos in testimonia tua*, vt videlicet qui infœlicitatem in propriis viis perpessus fuerit, in via testimoniorũ Dei delectaretur sicut in omnib. diuitiis. Hoc autem facile fiet si quis diuinæ munificentiæ frequentem imo cõtinuam recordationẽ in se suscitarit. Verum quoniam bona omnia quæ largitur nobis misericors Deus, recolere impossibile est homini (*quis enim loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius*) [Psalm. 105] id saltem quod præcipuum est & maximum, videlicet nostræ redemptionis opus à memoria non recedat: quod quamuis communiter pro omnibus sit exhibitum, illud tamen tanquam sibi soli præstitum sit, reputet. Hoc enim fecit Paulus, qui mortem Domini, quæ pro vniuerso impensa est mundo, soli sibi præstitam dicit: Sic enim ait: *Qui tradidit semetipsum pro me.* [Gal. 2.] Et reuera quid interest, si & aliis præstitit, cum quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, & ita perfecta, quasi nulli alij ex iis aliquid fuerit præstitum. *hac Bernard. fere.*

4 Poenitentia si magna fuerit, & de vero ac contrito animo processerit, protinus fructum remissionis obtinet, *inquit Ambros.* [Ambr. in cap. 2. epi. 2. ad Cor.] vt patet & hic in Publicano, qui ad illa verba, *Deus propitius esto mihi peccatori*, mox iustificatus descendit in domum suam: & in Dauide, qui correptus per prophetam dixit, *Peccaui*, continuoq; ad hoc vnum verbum audire meruit, quod acceperit veniam, *inquit Aug.* Cur autem Saul per Samuelem correptus, cum diceret etiam ipse, *Peccaui*, non meruit audire quod Dauid, quod ei Dominus ignouisset? Num personarum acceptio est apud Deũ? Absit: sed in simili voce quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod diuinus oculus discernebat. Multi sunt qui solo nomine se peccatores compellant, & labiis Deum honorant, cor autem eorum longe est ab eo, quia corde à peccatis non recedunt. Quam multas huiusmodi mutationes & olim factas, & nunc quotidie fieri videmus, vt vnus syncere de peccatis doleat, cui nimirum dat Deus spiritum contritum & cõpunctum: alter vero externa duntaxat specie pœnitentiam agat, qui ad id propriis duntaxat viribus nititur. Hinc recte monet *Ambr.* vt homo à peccatis se obseruet non solum post pœnitentiam, sed melius ante pœni- [Ambr. lib. de Pœnit. agenda.]

tentiam

Digitized by Google

ætiam dum sanus est; quia nescit si ipsam pœnitentiam accepturus sit.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

ITERVM *exiens de finibus Tyri, venit per Sydonem ad mare Galilea, inter medios fines Decapoleos, & adducũt ei surdum & mutum,* &c. Marc. 7.

Summa Articulorum primæ Partis.

I. *Per hunc surdum & mutum recte obdurati intelliguntur, & vnde huiusmodi obduratio.*

II. *De remediis quibus curari possunt huiusmodi excæcati & obdurati.*

III. *Cur externas illas ceremonias adhibuerit Christus in surdo isto sanando.*

Pars I.

Art. I. Per surdũ & mutum quinã intelligãtur.

1. BENE *omnia fecit & surdos fecit audire & mutos loqui.* Miracula Christi, *inquit August.* sicut litteræ in codice descriptæ, aliud significant intus quam demonstrant foris. Si quis litteras nesciat ex eo quod eas pulchre depictas videat, parum vtilitatis percipit, fructum autem capit qui quod legit intelligit. Itaq; per hunc surdum & mutum periculosissimus quidam animæ morbus & miserrimus eorum status denotatur, quibus omnis pene ad salutem aditus est interclusus. Cum enim homo corpore constet & anima, non minus anima quam corpus multis morborum generibus est obnoxia, quibus diiudicandis & sanandis tota incumbit Christi doctrina: Quisquis enim peccatorum, tanquam animæ morborum, grauitatem & pericula iustis ponderibus librare potuerit, & qua ratione iis mederi debeat intellexerit, hic plane christianæ philosophiæ summam complexus est. Itaq; secundum animam *mutus* is est, qui nec suam miseriam indicare, nec contra eam auxilium implorare valet. *Surdus* vero, si quid consilij aut auxilij detur, intelligere & audire nequit. Fortis enim ille armatus qui sollicite custodit atrium suum, omnes sensus per quos auxiliũ salutis homo percipere posset, obstruere contendit: os claudit, & hominem cuius animam possidet, velut mutum efficit, ne opem Domini imploret, sine qua nemo ab eius vinculis eximi potest: Aures cordis claudit vt nullis neq; internis Dei monitionibus, neq; externis concionatorum vocibus quicquam proficiat, cum enim externis huius seculi tumultibus plenus sit, & peccati delectationibus totus intentus, nunquam intus audit quid ei in corde loquatur Deus. Cum enim vox Dei suauiter influat & tranquilla sit, non potest audiri nisi ab eo qui corde & animo est trãquillo: loquitur autem Deus non tam sono verborum, quam inspiratione rerum: Sic multos est reperire qui cum tota fere vita concionib. audiendis interfuerint, ne vnum quidem verbũ aure cordis perceperint, cum iidem prorsus & iisdem deprauatis moribus maneant qui ante fuerunt. Horum obduratum animum exprimit Zacharias cum ait, *Noluerunt attendere, & auerterunt scapulas recedentes, & aures suas aggrauauerunt, & cor suum posuerunt vt adamantem ne audirẽt verba legis.* Nam siue vicinæ mortis periculum, vitæq; humanæ breuitatem, siue totius vitæ rationem iudici Deo reddendam, siue sempiterna gehennæ supplicia atque horrendas tenebras, siue cœlestis vitæ gaudia piis in cœlo proposita, illis ob oculos ponas, non magis istis mouentur, quam si surdi instar penitus nihil audirent, ita nullam aut pœnitudinis aut diuini timoris significationem edunt, nec vllam vitalem actionem fides eorũ, quippe, quæ mortua sit, prodit, nec vllum suæ

salu-

salutis indicium de sese præbent: Tales erant de quibus Dominus apud Ioannem, *Sermo meus non capit in vobis.*

Ioan.2. 2 HÆC cordis obduratio prouenit ex diuturna peccandi consuetudine, dum quis non semel aut iterum ex subreptione & infirmitate peccat cuius mox eum pœnitet, sed omni tempore & assidue peccatum animo voluit & reuoluit, atq; in illud studium suum collocat quo data occasione actu perficiat: Quales erãt ij de quibus in Genesi. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Tum enim paulatim increscit malitia velut cancer qui serpit, & velut malus humor per totum corpus defluens, aut ingens quoddam gelu quod vniuersa constringit membra vt hominem pene insensibilem reddat: Sic in morbis animorum quæ peccata dicimus, quo peius quis habet eo minus ictum peccati sentit, & quo peccandi consuetudine amplius obduratur, eo minus compungitur. Peccatum namq; quamdiu amatur & impunitum relinquitur, non grauat sed delectat, nõ dolore, sed voluptate ipsum peccantem afficit, & hoc hominem decipit quo minus noxium illud reputet: Nam quanquam summum bonum homo peccans amittat, Deum nimirum ipsum eiusq; amicitiam & caritatem, tamen nõ sentitur damnum supremi boni amissi, *inquit Aug.* minus amati, quando fruitur quis infimo bono magis amato.

Genes.6.

3 VERUM postquam ipsum peccatum fuerit perpetratum, & conscientia animũ hominis lancinare & excarnificare cœperit, quasi vindictam de eo sumens qui tam grauiter in ipsam deliquerit, tum demum peccati pondus velut intolerabile sentire incipit homo, prout de se testatur David cum ait, *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*, grauabant enim mirum in modum conscientiam eius. Haud secus atq; elementa dum sunt in loco suo natiuo quasi pondus suum amisisse videntur, quæ extra suum locũ posita, sunt prorsus importabilia: qui enim sub vndis natat nullum aquarum pondus sentit, qui tamen extra aquas positus vix situlam portare potest. Hos conscientiæ stimulos paulatim amittunt & obduratã & cauteriatam conscientiam acquirunt, qui in consuetudinem peccandi deueniunt, vt ictum peccati sensum sui auferẽtis non sentiant, nec enim qui peccant continue omnem gratiam omittunt, remanet adhuc pudor, fides, bonus affectus & multa alia quæ paulatim pereunt & imminuuntur, vnde *Lutherus* dicere solebat, quãdiu quis conscientiam non superasset eũ perfectum eius discipulum esse non posse, & hæc Dei misericordia non modica vt simul atque peccauerit homo, sui peccati per conscientiæ remorsum admoneatur quo citius resurgat atq; resipiscat: quem qui non sentit vix se peccasse sciet: & quæ tum potest esse spes veniæ vbi nulla est agnitio culpæ?

Psalm. 37.

4 DE istis excœcatis & obduratis (qui recte per surdum & mutum intelligi possunt) sic ait Ioannes in suo euangelio, *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ impleretur* Isai.53. *quem dixit, Domine quis credidit auditui* Ioan.12. *nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isai. Excæcauit oculos eorum, &* Isai.6. *indurauit cor eorum, vt non videant oculis & non intelligant corde, & conuertantur & sanem eos.* Qui locus obduratorum hominum naturam & conditionem optime describit, sed quoniam intellectu admodum est difficilis, ideo clariori expositione eget. Et inprimis hoc *notandum* quod Athanasius ait, *serm. de Pass. & cruce Domini*, quod diuina præscientia & prædictio non fuerit causa incredulitatis & obdurationis eorum, vt hæretici docent, tanquam ideo increduli fuerint quia Isai. prædixit, præscientia enim hæc & prædictio non facit res tales, sed quia res tales futuræ erant, ideo prophetæ prędixerũt: Alias necessum esset dicere quod

Deus

Deus mala præordinaret, ac sua ordinatione necessitatem illis faciendis imponeret, quod est hæreticum. Cum itaque hic dicitur: *Non credebant vt sermo Isaiæ impleretur* coniunctio (*vt*) secundum *Chrysost.* non denotat causam finalem, sed euentum & rei consecutionē: vt sit sensus, Non credebant: vnde factum est, vt sermo Isaiæ impleretur. Non enim ideo non credebant, quia Propheta prædixerat, tanquam prædictio causa esset incredulitatis eorum, sed ideo Propheta prædixerat quia futurum præuiderat.

5. IAM ad secundam difficultatem veniendum, quomodo nimirum hic dicatur, *Propterea non poterant credere quia iterum dixit Isaias, Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum vt non videant oculis.* Si non poterant credere, ergo nullum videtur eorum qui non crediderunt fuisse peccatum, quia nemo ad impossibile obligatur, & in eo nō peccat quis quod facere aut vitare non potest: Sicut igitur qui cœcus est corporali cœcitate, videre non potest, quia visu caret, nec id ei in peccatū imputatur: sic qui excœcatus est spiritali excœcatione credere videtur non posse, & per consequens nec in eo quod non credat videtur peccare. Hic *notandum* quod alio modo hanc sententiam interpretetur *Augustinus*, alio modo vero *Chrysost.* Augusti. enim in Ioannem dicit eos non potuisse credere, non quod Deus illos non posset conuertere & illuminare, sed quia non habebant auxilium à Deo quo se possent cōuertere: Et tunc certum est quod sublato Dei auxilio excœcatus non possit magis credere, quam cœcus videre. Quod autem tale auxilium non habuerint, ipsorum malitia factum est, quia in tantam cœcitatem deuenerūt, iuxta illud Sapientis, *Excœcauit eos malitia eorum* & ideo iusto Dei iudicio tali auxilio caruerunt, quo credere & cōuerti possent. Sed hæc *Aug.* sententia à multis non probatur, quia putant ꝙ nemo in hac vita ita destituatur Dei auxilio vt conuerti & credere nequeat; q̄uis propter peccata ali-

Aug. tr. 53. in Io.

Sap. 8.

qui multis auxiliis priuentur, & iis sine quibus difficillimum erit conuerti, at nō impossibile, & ideo sequuntur hi interpretationem *Chrys.* qui dicit eos non potuisse credere non quod omnino eis impossibile esset credere, sed quia admodū difficile, eo quod auersam à Christo quem odio prosequebātur gererent voluntatem: sicut de fratribus Ioseph loquitur scriptura, quod non *poterant ei pacifice quicquam loqui.* Quia tamen in voluntatis potestate cum adiutorio diuino situm erat vt huiusmodi difficultas tolleretur & superaretur, nec id volebant, *hinc Chrys.* illud, *Non poterant credere,* interpretatur, vt sit idem quod nolebant credere. Secundum quem loquendi modum de Iudæis dixit Dominus. *Quomodo vos potestis credere qui gloriā ab inuicem accipitis.*

Chrys. ho. 67. in Io.

6. TERTIO inquirēdum hic, quomodo dicat euangelista eos non potuisse credere quia dixit Isai. *Excæcauit oculos eorum* vbi causa impotentiæ qua non poterant credere, affertur non deprauata eorū voluntas, sed prædictio prophetæ, tanquam ideo nō potuerint credere, quia hoc prædixit *Isai.* Id si verum sit tunc mala eueniunt quia Deus præordinauit & prædixit quod est hæreticum: prædictio enim prophetæ non fecit eos incredulos, sed quia futuri erant increduli, ideo hoc prædixit propheta tanquam diceret, quia excæcati & obdurati erunt futuri, propterea non poterunt credere. Particula igitur illa (*quia*) causam indicat, non ipsā prędictionem prophetę, quia ipse dixit, sed id quod prædixit scilicet excæcationem, propterea n. non poterant credere, quia excæcati erāt. *Sunt qui* hanc difficultatē alio modo resoluunt nimirū ꝙ sicut coniunctio (*vt*) quæ proprie designat causam finalē, aliquando designat non finem intentum, sed tantum euentum & consequutionem, Ita hæc dictio (*quia*) non semper designat causam essendi, sed tantum consequutionis necessitatē & sequelæ ordinem: vt cū dicimus ignis est necessario in foco, quia fumus egreditur è camino: hic non signifi-

ficatur alicuius rei absoluta necessitas, neque n. ignis est necessario, neq; si sit, necessario est in foco, sed tantũ significatur necessaria sequela aut dependentia vnius sẽtentiæ ex alia, quia necessario sequitur ex eo quod fumus egreditur è camino ignem esse in foco. Sic dicimus, Nõ potest Ioannes scribere, quia non habet calamum. Vbi illud (non potest) non significat absolutam alicuius rei impossibilitatem, sed tantum necessariam consequentiam, & impossibilem separationem vnius veritatis ab alia. Ita & in proposito cum dicitur, *Propheta non poterant credere quia dixit Isaias*, idest, illud (*non poterant*) significat fidem Iudæorum non potuisse consistere cum prædictione prophetæ qua prædixit Deus illos non credituros, non quod in Iudæis fuerit aliqua ad credendum impotentia vel impossibilitas, cuius caussa fuerit prædictio prophetæ, sed quod ad prædictionem prophetæ necessario sequatur incredulitas Iudæorum, quæ quoniam futura erat, causa erat vt eã propheta prædiceret, non contra. Itaque sensus est: Fieri non poterat, vt cum *Isaias* prædixerit eos non credituros, ipsi tamen crederent quia non poterat aliter euenire, quã erat prophetarum propter prophetiæ certitudinem. Hunc sensum innuit *Chrysostomus* in hũc locum: Priorem vero dat *Aug.* manifeste intelligens hic significari ipsam excœcationẽ fuisse causã impotentię credendi, non ipsam prophetæ prædictionẽ.

7. POSTREMO quæritur, Quomodo Deus dicatur eos excœcasse & obdurasse vt nõ viderent oculis & corde intelligerent, & conuerterentur & sanaret eos: cum duritia cordis & cœcitas peccata sint, quorum Deus non potest esse causa, & Deus velit omnes saluos fieri. Esse autem Deũ qui nunc dicitur eos excœcasse & obdurasse, docet Paulus ad Romanos, vbi sic habet, *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant.* Spiritum compunctionis vocat hic Paulus, non quo de peccatis dolerent, sed vt in prædicatores veritatis insurgerent, & in odium ipsorum conuerterentur: hunc spiritum dedit, non malitiam immitendo sed gratiam non dando aut etiam subtrahendo & occasiones subministrando excœcationis. Id quomodo fiat sciendum, quod nemo proprie excœcari dicatur, nisi qui prius videbat: Excœcare enim est cœcum facere; cœcus autem non fit nisi videns. Iudæus igitur si excœcatus est, prius videbat, & sic est: Nam ante aduentum Domini veram fidem habebat scripturarum sensum assequebatur, Christum venturum aliaque mula diuinitus reuelata credebat, vt vere videns fuerit & inter fideles computatus. Adueniente autem Christo quem venturum Iudæus credebat, lumen hoc amisit & ex vidente factus est cœcus: dum enim in venientem & præsentem nõ credidit fides in eo mansit, & hoc modo excœcatus, est excœcatus inquã, non solum quia lumen amisit fidei, sed etiam quia plurimis erroribus contra veritatẽ conceptis, obnoxius & imbutus.

Rom. 18.

8. IAM videndum quomodo Deus eos excœcasse & obdurasse dicatur: & inprimis certum est Deũ eos non excœcasse errorem immittendo, aut falsa docendo, quia tũc esset auctor peccati: sed hoc modo excœcat falsus propheta & diabolus qui suis suggestionibus errores seminat in cordibus hominum. Sic Pau dicit ad Cor. *Deum huius seculi* (diabolum intelligens) *excæcasse mentes infidelium vt non fulgeat eis illuminatio euangelii.* Sic nec indurauit Deus, pertinaces & obduratos efficiendo qui nullis cedant aut moueantur rationibus, metaphora sumpta à corpore duro quod nullis cedit ictibus: vt sicut excœcatio ad intellectum pertinet, qua fit vt quis manifestam veritatẽ non cernat nec credat: ita obduratio affectus sit & cordis, qua fit vt nullis rationibus acquiescat. Cum itaq; Deus excœcare & obdurare dicitur, *dupliciter* id intelligi potest: *vnomodo* quia deserendo quosdam iusto suo iudicio, & non impertiendo eis suam gratiã qua à sua prauitate & infidelitate resipiscant, permittit eos excœcari & indurari à propria 2. Cor. 4.

sua

sos malitia, aut à dæmonibus, vel falsis prophetis eis errores persuadentibus, cũ posset eorum cœcitatem & duritiẽ vel impedire vel auferre. *Altero modo* excœcasse eos dicitur Deus, quia id fecit vnde occasio nata est, ex qua excœcatio euenit, quãuis ille non intenderit talem effectum seu excœcationem, nec quod fecit ad talem effectum esset ordinatum, vt si quis aliquẽ moneat & inde peior euadat. Sic Iudæi prædicante Christo, eosq; docente & ad se vocante corripiente & monente, miracula coram ipsis faciente, plurimaq; beneficia eis exhibente quæ omnia eo fiebant vt Iudæi conuerterentur & in Christum crederẽt, eumq; tanq̃ suã Messiã agnoscerent, & reciperent: & tm̃ abest vt p ea Iudæi in Christũ crediderint eiq; bene affecti fuerint, vt potius ab eo auersi peiores sint effecti & plurib. erroribus inuoluti, dum eius miracula Beelzebub asscriberẽt, eũq; dæmoniacũ & populi seductorẽ & potatorẽ vocarent, & aliis nominibus blasphemarent, ita vt excœcati dicantur non solum quia non crediderunt & lumen fidei amiserunt, sed etiam quia multis erroribus & falsis opinionibus contra Christum conceptis à veritate prorsus alienati & auersi fuerint, & obdurati facti sunt, quia cum essent ambitiosi, auari, immundi, & multis aliis peccatis inuoluti, de quib. eos Christus sæpe corripiebat & arguebat, eos sepulchris dealbatis comparans, inde non solum non sunt emendati sed multo peiores quã ante erant effecti: cœperunt enim quodam furore persequi Christũ, & odio habere & inuidere, quo fiebat vt magis obdurarentur, occasione sumpta non data ex Christi correptione & doctrina. Quemadmodum, *teste Hieron.* sol lumen suũ expandit, & ex diuersa corporum dispositione fit vt vnum obduretur, alterũ mollescat induratur n. lutum, & cera liquescit: sic Christus tradens veram doctrinã Iudæos excœcasse dicitur, non causaliter vt dictũ est, sed occasionaliter, occasione inquã nõ data quia eo fine non docebat Christus vt ipsi excœcarentur, sed accepta, q. ex doctrina Christi occasionẽ sumpserunt turpius labendi & errandi, dum pro eo quod eũ suum Messiã agnoscere deberent, seductorẽ & dæmoniacũ vocauerunt. Sic *Paulus* in Actis dicit q̃ seipsos excœcauerunt, *Oculos* ait, *clauserunt & grauiter audierunt.* h. e. secundum Chrys. cum credere in eum possent noluerunt, sed eius doctrinã repulerunt: Quo fiebat vt Deus eis suũ auxilium negaret quo & cœcitas & obduratio & cætera peccata impedirentur: quamuis nunquã deneget auxiliũ diuinũ, *ait Tolet.* quo possent resipiscere, ita vt liberum eis esset, si voluissẽt, in ea mala nõ pcipitari.

Hier. ep. ad. Hed. q. 10.

Acto. 28.

9. ALIQVI hunc locũ *Excœcauit oculos eorum & indurauit cor eorũ*, sic interpretãtur, vt nõ solũ significet Deũ permittere vt homines excœcẽt & obdurẽt nõ solũ etiã ipsis aut nõ dare gratiã aut nõ auferre, vt docet *Aug.* iusto iudicio sicut dicit, Aufere ab eo mnã. Sed ita homines excœcare & obdurare seipsos ita aduers' diuinã pugnare volũtatẽ, vt Deus eos excœcasse & obdurasse videat, nõ q̃ De' id faciat, sed q̃ tãta eorũ cœcitas, tãta durities sit vt à nemine alio q̃ à Deo fieri, videãt potuisse: q̃n. egregie ardua & difficilia sunt Deo tribuere solem'. Sicuti vulgo dicim', cũ videm' aliquẽ virũ alioquin prudẽtẽ absurdissime errantẽ Deus illi mentẽ eripuit. Nõ q̃ credamus eripuisse, sed q̃ non intelligamus qua ratione homo tã absurda posset facere nisi mentẽ illi Deus abstulisset. *sic Tolet. in ca. 12. Ioan.* Ideo a. hũc loquẽdi modũ seruat scriptura, vt dicat Deũ excœcare, indurare, in reprobũ sensũ tradere & id gen' alia, quo magis lectores terreat: & vt intelligentes hæc à Deo pẽdere, & ab irato Deo hominib. accidere magis studerem' illi nos cõmẽdare, & cũ metu ac timore nostrã salutẽ operari, metuẽtes ne nos pmitteret pcipitari in impietatis barathrum iusto suo iudicio, hoc scientes quod sine eius auxilio nihil possimus.

10. PORRO cũ sequitur in dicto testimonio *vt non videant oculis, & non intelligant corde & conuertantur & sanem eos*, coniũctio (*vt*) accipi debet nõ causaliter, sed cõ-

secutione. Non enim Deus eos eo fine excœcauit aut excœcari permisit, vt non viderent nec conuerterentur, cum istud ab intentione Dei, qui vult omnes homines saluos fieri, prorsus fuerit alienum: sed qd consecuturum esset significatum est, nimirum quod Deo ipsos excœcante seu ex cœcari permittente, euenturum erat vt nec viderent, nec conuerterentur, nec sanarentur, quasi dicat, excœcati non agnouerunt Christum nec in ipsum crediderunt, non agnoscentes autem nec credentes non sunt conuersi à suis prauis viis ad verum medicum nec à peccatis liberati aut sanati sunt. Retulit autẽ Ioan. hęc verba, vt incredulos in Christum terrore percutiat & ad ipsum eos conuertat, docens neminem saluari aut sanari posse, nisi deposita excœcatione in Christũ ex corde credat, & deposita obduratione ei adhæreat, bene afficiatur & diligat. Nã quod quis non sanetur, saluetur, conuertatur non Deus istius rei causa est, sed homo, qui non vult obtemperare Deo, quia nõ vult credere in Christum tanquam suum saluatorem.

11. CÆTERVM difficultas est & inter doctores opinionum varietas, an propter multitudinem aut etiam enormitatem peccatorum aliqui ita deserantur ac omni diuino auxilio sic destituantur vt ad verã pœnitentiam, qua salutem ac peccatorũ remissionem obtineant, peruenire non

Tost. q. 12. in 4. Exo. possint. Quidam, inter quos est *Tostatus* dicunt, & docent quosdã sic deseri: Et hoc

Eccl. 7. videtur *Ecclesiastes* innuere cum ait, *Considera opera Dei quod nemo potest illum corrigere, quem Deus despexit.* Et de quibusdã

Rom. 1. *Paulus* ait, *Propter quod Deus tradidit eos in reprobum sensum vt faciant ea quæ non conueniunt:* Et Psalmista, *dimisi eos secundum*

Psal. 80. *desideria cordis eorum ibunt in adinuentionibus suis.* Et id metuisse videtur Dauid cum ait. *Ne proiicias me à facie tua & spiritum sanctum tuum non auferas à me:* Item

Ioan. 12. Ioannes. *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias, excœcauit oculos eorum & indurauit cor eorum.* Certe manifeste dicit

August. quod non esset iniustus Deus etiamsi neminem liberaret de massa perditionis, etiamsi omnibus denegaret auxilium ad salutem sufficiens & necessarium: Aug. de bon. perseu. ca. 8. Cum enim per peccatum primi hominis nascamur omnes filii iræ, vt docet *Paulus* Eph. 2. nihil nobis iure debetur nisi pœna. Hinc Sapiens, *Quis stabit contra iudicium tuum? aut quis tibi imputabit si perierint nationes quas tu fecisti?* Sap. 12. & apostolus ad Roma. cum ait, *Cuius vult miseretur & quem vult indurat*, Rom. 9. demonstrat solam esse misericordiam, qua Deus ex massa perditionis aliqua vasa facit in honorem. Et ea causa est, *inquit August.* cur pauci sint qui saluantur, Aug. epist. 105. vt hinc intelligamus quid omnibus debeatur. Denique prima gratia datur inimicis, ac per hoc modis omnibus est indebita: quæ cum certum sit quod non detur infantibus in vtero morientibus, mirum videri non debet si & adultis quibusdam denegetur auxilium sufficiens, qui præter peccatum originale, multis obnoxii sunt aliis sceleribus & criminibus.

12. INTER quos vnus fuisse videtur Antioch᷑ ille, de quo in *libro Machab.* sic legitur. 2. Mac. c. 9. *Cum à Deo insanabili plaga percuteretur, & dirus dolor viscerum eum apprehenderet, ita vt de corpore impii vermes scaturirent, fœtore etiam illius exercitus grauaretur, & cum nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait, Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria sentire Deo. & ciuitatem ad quam festinans veniebat vt eam ad solum deduceret, nunc optat liberam reddere & templum sanctum quod prius expoliauerat, optimis donis se ornaturum: super hæc & Iudæum se futurum pollicetur, & omnem locum terræ perambulaturum & prædicaturum Dei potestatem.* Subiungit tamen scriptura, *Orabat hic scelestus Deum à quo non esset misericordiam consequuturus.* Et causam addit, *quia ille nullo modo à malitia sua cessabat.* Clamabat igitur ad Deum non detestatione culpæ, vt illam expiaret aut exoraret, sed vi tormentorum adactus, vt pænam euaderet:

Digitized by Google

ret: Quo modo pœnitentiam agunt, & intra se gemût qui in inferno torquentur cum tamen animum à culpa alienum non habeant. Quorum typum gessisse videtur Esau qui propter vnam escam vendiderat primogenita sua, de quo sic Pau. ad Heb.
Heb.12. *Scitote quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locũ quanquã cũ lachrymis inquisiuisset eam.* His gratia defuisse videtur qua saluari possent, & qua syncere conuerterentur; & id quidem iuste, quia præcedentibus suis sceleribus meruerunt vt sic à Deo desererentur, qui numquam deserit nisi prius desertus.

13. SVNT tamen alii, qui considerantes Dei misericordiam sustinent & docẽt auxilium ad salutem sufficiens omnibus dari, non quidem semper & omni momẽto, sed pro loco & tempore ita vt nullus sit, qui ratione vtitur, qui non aliquando saltem hoc auxilium habeat. Et hoc similiter videtur probari posse ex variis scripturarum locis: Dicit enim Sapiens,
Sapi.12. *Si inimicos seruorum tuorum & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione dans tempus & locum per quæ possent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicasti seruos tuos.* At frustra daret Deus tempus & locum peccatoribus per quæ possent mutari à malitia nisi auxilium etiam præberet sine quo mutari non possunt. Rursum ait Paulus
1.Tim.c.2. ad Timo. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Quomodo potest id verum esse si non datur aliquid omnibus vnde redemptionis possint fieri participes? Sine præuenienti autem dono non potest quis fieri particeps mortis Christi, frustra igitur Christus pro tali pretiũ soluit: perinde atque si quis accenderet candelam, sed peplum alterius oculis obuolutum reuoluere nollet vt videat. Rursum dicit
1.Tim.2. Paulus, *Deus vult omnes homines saluos fieri:* Et Ezechiel, *Viuo ego dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris sed magis vt conuertatur & viuat:* & Matthæ. *Venite ad me omnes qui*
Mat.11. *laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.* Certe irrisoriæ videbũtur huiusmodi inuitationes, nisi Deus dederit sufficiens auxilium quo vocati venire & conuerti possint. vnde *Hilar.* Neque fas est, inquit, nos ex præscripto legis dandæ veniæ numero cõcludi, cum per euangelii gratiam sine modo nobis à Deo fuerit indulta qui non solum vsque septies, sed septuagies septies peccata dicit dimittenda, & *Prosper. de voca. gen.* Adhibita semper est, inquit, vniuersis hominibus quędam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi ante parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen sicut Dominus iudicauit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium, dum suadet exhortationibus, monet exemplis, terret periculis, dat intellectum, inspirat cõsilium, & cor illuminat. Quæ opitulatio per innumeros modos siue occultos, siue manifestos, omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ, quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ, hæc ille. Hilar. can. 15. in Mat. Prosp. Lib. 2. ca. 14. 15. & 26

14. QVOD autem non semper adsit peccatoribus huiusmodi auxilium sufficiens, ex eo patet, quod psalmista dicat, Psal. 94.
Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra, quasi dicat, cum excitaris à Deo & moneris, ne resistas ei, sed instinctus diuinos obserua & iis obtempera, & Eccle.5.
ne tardes conuerti ad Dominum, tũc scilicet quando à Deo præueniris, sine qua gratia præueniente homo ex se nõ potest conuerti. Sic & Paulus Timotheum admonet peccatores mansuete corripiẽdos, 2.Tim.2.
& causam dat, *Ne quando det illis Deus pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis:* hic patet Deum dare pœnitentiam non semper, sed quando ei placet.

Cæterum siue detur auxilium sufficiens omnibus, siue tantum aliquibus, nos tamen de nullius salute quamdiu viuit, desperare debemus, neque ab vllo subtrahere orationem, vel alia caritatis officia tempore & loco exhibenda, quia etiamsi aliqui omni prorsus auxilio destituerentur, vt nulla ratione conuerti possent, qui tamen illi sint nos ignoramus, &

Digitized by Google

Aud. de Correp. & gra. cap. 13 ideo sic affici debemus caritatis affectu, *inquit August.* vt omnes saluos fieri velimus.

II. De remediis quib. curari possunt surdus & mutus.

1. ADDVCVNT *ei surdum & mutum*) Hæc est altera eaque præcipua pars nostræ religionis ægrum, vt sanetur, adducere ad medicum. Neque enim sufficit morbum ostendere, nisi simul & medicus ostēdatur, à quo morbus ipse curetur, alias agnitio morbi plus grauat quam alleuiat, iuxta illud Ecclesiastæ. Eccl. 1. *Qui addit scientiā addit & laborē.* Et hæc inter cętera, vel pręcipua debet esse nostra cura, vt & nosmetipsos Christo præsentemus, & ad eū proximos nostros adducamus, vt ab eo curari & saluari possemus: Id enim Deo acceptissimū, & lucrū animarū quæstus longe vberrimus. In quod opus S. Paulus & S. Dominicus & plures alii se totos impenderunt vt hominū animas Deo lucri facerēt. Sic enim de se Paulus ad Corint ait. 2. Cor. 12. *Ego libentissime impendam & super impendar pro animabus vestris.*

2. SED quoniā opus hoc vires exuperat humanas, ideo summis votis à Deo implorāda est hæc gratia, vt cordis obdurati adaperiat aures, quo verbum Dei salubriter audiat: Constat enim inter præcipua Dei medicamenta, quib. animæ sanantur esse Dei verbū, quod per aures corporis in aures transmittitur mentis, quam diuina luce illustrat & afficit. Hinc Sapiens; Sapi. 16. *Non enim herba aut malagma sanauit eos, sed sermo tuus Domine qui sanat omnia,* quasi dicat, Neq; virtute naturali, neque artificio humano sanabantur à serpētibus læsi, sed verbo & iussu tuo. Erat enim verbū & imperium tuum tantæ virtutis, vt quodcumque vellet faceret: *Dixit* enim *& facta sunt.* & sicut id locum habet in rebus creatis, ita & in vulneribus Israelitarum sanandis, & in morbis animorum curandis: Subest enim ei cum voluerit posse.

3. VERVM quanquam possit Dominus solo verbo curare & sanare omnia, tamē & causas secūdas & ceremonias externas in hoc opere solet vt plurimū adhibere: sicut hoc loco dū surdum & mutū sanaret: varias ceremonias adhibuit: Et hoc facit nō quod ipse subsidio cuiuspiā indigeat, sed vt & rebus à se creatis vim & efficaciam quippiam efficiendi indat, easq; hoc honore sublimet, sicut per apostolos & Ecclesiastes suos hunc mūdum variis morbis afflictum sanauit: *Dominus dabit verbum,* inquit Psalmista, *euangelizantibus virtute multa:* Psal. 67. qui verbum quod egreditur de ore suo, non patietur ad se redire vacuum, sed per illud faciet quæcumq; voluerit, & efficiet quod prosperabitur in his ad quæ miserit illud: sed & voces docētiū, *inquit Prosper.* & litteræ paginarū quæ ad eruditionē audientiū vel legentium Deo seruiunt, non carent virtute eius cui seruiunt: Et hunc seruare modū cōsueuit Deus quod peccatores conuertat & sanet per suos Euangelistas, sicut Cornelium centurionem ad fidē adduxit per Petrū. Quēadmodū enim herbis inuisibilem indidit Dominus virtutē sanandi morbos corporeos, Ita verbis Euangelistarū, quibus dat os & sapientiam, spiritum & vim addit cōuertēdi animas: iuxta illud Psalmistæ, *lex* Psal. 18. *Domini immaculata conuertens animas.*

4. PER legem veterem solūmodo præstabatur cognitio non abolitio peccati, nunc autē in noua lege est lex immaculata, quia facit immaculatos præstans purgationem peccatorum, & cōuertens animas ad sui obedientiam: & hoc tanto efficacius & facilius, quanto is qui verbū Dei annunciat maiori spiritu fuerit præditus: vnde fit quod quanquam eadem sint quæ concionatores dicunt & docent hoc tempore, & quæ olim Ioannes Baptista, apostoli, & euangelistæ, non eundem tamen fructum faciant, quia instrumenta diuersimode disposita sunt, non eodem dicendi spiritu vigent: *Dies diei eructat verbum,* teste Dauide, sed *nox nocti indicat scientiam.* Psal. 18. Qui instar diei lucent & clara rerum quas annunciant intelligentia præditi sunt, ac pia erga eas affectione imbuti, quæ affectio gustum indit atque saporem ipsis scientibus, hi eructant verbum,

bum; quia, *inquit Ambro.* non perfunctorio sermone neque insipido, sed de intimo & pleno corde suo verbum bonum & iucundum, verbũ suaue & vitale enunciát: Cum ex abundantia cordis os loquitur, spiritus quo cor ipsum redundat, siue bonus is fuerit siue malus, siue mãsuetus siue mordax, siue castus siue impurus, magnã vim habet alterandi animum auditoris, ita vt quodlibet verbũ tãquam scintilla quædam seu carbo quidam ignitus, facile inflammet auditorum animos simili spiritu repletos, sicut illi testantur qui apud Lucam aiunt, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Sed nox nocti indicat scientiam, qui frigidi sunt & tenebrosi, ita vt rerum quas annunciant nec claram habeant cognitionem nec amorem, non habẽt illam virtutem illustrandi & inflammandi tenebrosos & frigidos peccatores sibi similes, sed tenuiter duntaxat notitiam veritatis insinuant.

Luc. 24.

III. Cur externis istis ceremoniis adhibitis Christus mutum sanauerit.

EXPVENS *tetigit linguam eius.* Has ceremonias non frustra à Domino fuisse adhibitas credendum est, eo quod Deus & natura nihil faciunt frustra, quinimo & in rebus minimis etiam maximus est Deus. Externis igitur ceremoniis istis tãquã quibusdã notis & visibilibus signis significare voluit quid faceret inuisibiliter in anima intus. Quas ceremonias Ecclesia Christi ad eius imitationẽ adhibere solet circa baptizandos vt denotetur intus fieri spiritualiter, quod foris fieri videmus corporaliter. Per *saliuam* namque quæ ex capite defluit, & tam loquenti quã comedẽti necessaria est, efficit enim vt & cibus melius sapiat, & vt qui loquitur, perfectius sua verba eloquatur, rectè intelligitur diuina sapientia, quæ ex capite Deo descendit, & nil aliud est quam sapida scientia, qua dum hominis interioris tangitur lingua, efficiun[illegible] eloquia ipsius dulcia & sapida & nut[illegible]xta illud Psalmistæ, *Quam dulcia f[illegible] meis eloquia tua super melori meo,* vt enim cib. corporalis melius nutrit, qui plus afficit, ita & spiritualis. Atque huius diuinæ sapientiæ suauitas ad hoc præcipue conducit, vt ea inescati atque illecti, terrenas voluptates facilius fastidire possimus: vt enim *Bernardus* ait, Cui Christus incipit dulcescere ei necessum est mundum amarescere, quique supernas delicias gustauit, facile terrenas voluptates spernet: qui vero supernorum gustu destituitur, terrenis inescabitur. Delicata est autem consolatio diuina, nec datur admittentibus alienam: nam sicut homo plenus vilissimis cibis ad mensam opimis ferculis refertam accũbens, nullo eorum desiderio tangitur, sic cum carnalis hominis pectus sordidis carnis voluptatib. fuerit infectum diuina mysteria & Dei eloquia pertractans, nihil suauitatis, nihil vitæ spiritualis inde percipiet, vt enim Sapiens ait, *Anima saturata calcabit fauum.* Sic filii Israel terrenis voluptatib. assueti & impleti, pepones Ægypti prætulerunt manna cœlesti.

Psal. 118.

Prouer. 27

2. IGITVR expuens, linguã huius muti tetigit, vt hac ceremonia significaret nos ex diuina sapientia, eruditos & sapidos proferre debere sermones, qui & ipsum dicentem & audientẽ quinimo & ipsum Deum afficiant atque oblectent: vt enim prima parentum voluptas est dum audiũt quod infantes fari incipiunt, patremque ac matrem appellare norunt: & humanæ amicitiæ, non solum indicium sed & fomentum est mutuo os inter sese miscere sermones quibus mutuum amorem fouẽt & augẽt. Ita dũ de Deo rebusq; diuinis cũ affectus suauitate apte disserere & loqui nouimus, id & Deo longe est acceptissimum & nobis vtilissimum, vt huiusmodi colloquiis, *inquit Augu.* influat in mẽtẽ dicẽtis & audientis spiritus diuinus. Et dolendũ, *inquit Ambro.* quod cũ Deus tam copiosam nobis dederit de se rebusque diuinis & ad salutem nostram pertinentibus, loquendi materiam, nos de iis tam parum apte disserere possimus, sed nugis occupemur, & rebus friuolis ac ludicris animas nostras pascamus & oblectemus: & insuper ser-

mones

mones noxios citius quam quæ ad salutē promoueant, in medium adducamus: Quales ii erant de quibus Dominus apud Ieremiam, *Attendi & auscultaui*, inquit, *nemo quod bonum est, loquitur.* Hoc certe non aliunde prouenit, quam quia Christus expuens non tetigerit linguam nostram, dumque diuiuina sapientia destituimur & aridi sumus, nugas proferimus.

Iere.8.

3. APPREHENDENS *eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculam eius, & suspiciens in cœlum ingemuit.* Si Deus & natura nihil faciunt frustra, iuxta Philosophum, si nihil in hac mundi fabrica otiosum ab auctore naturæ factum est, quis hæc omnia quę hic fiunt à Christo Domino mysteriis vacare credat? A turba semouetur sanandus quia salutis suæ impedimentum peccator in turba hominū inuenit: Si enim forū videris multitudine hominū plenū, hoc scito, *inquit Seneca*, istic tantum esse vitiorum quantum hominū: & quod ab aliis fieri vides, tibi licitum esse putabis: Ideo seorsum è turba educitur, quia ab aliis seiunctus potest quisque facilius in sui notitiam deuenire, & peccandi occasiones deuitare, quam in tumultu huius seculi aut hominū multitudine, vbi multa videntur & audiuntur quæ cupiditati nostræ faces & incēdia subministrāt: cum enim cupiditas, quæ velut semen est & radix omnium malorum, perpetuo nobis inhæreat, licet nulla tentatione cōmoueatur, nec semper operetur, occasione data facile suscitatur quæ prius sopita latebat, satis & molestiæ cuiq; ingerit, etiāsi aliunde non inflammetur, vt autē qui tangit picem inquinatur ab ea, ita *qui communicat superbo induict superbiam*, inquit Ecclesiasticus: & maxime eorū societatē euitare oportet qui proximā peccādi occasionem nobis subministrare solent, vt si auarus auaro, impudicus impudico, superbus superbo iungatur & familiaris fiat.

Eccle.13.

4. BENEFICIO autem solitudinis has peccandi occasiones declinamus, in qua nec oculi conspiciāt quod illicite cor cōcupiscat, nec aures audiant quod conturbet, nec lingua lubrica effutiat quod post modū pœnitudinē inducat. Hinc Dominus per Ozeam, *Ducam te in solitudinem & ibi loquar ad cor tibi.* Quod si corpore solus esse non possis, animo tamen à tumultu huius seculi & turbis cogitationum te semoueas vt quietem inuenias, & qui id nō potest sicut qui plenus est prauis passionibus, ei solitudo minus conuenit, quia scriptum est, *Væ soli, si ceciderit non habet subleuantem se.*

5. SVSPICIENS *in cœlum ingemuit.* Ipso aspectu significans vnde & à quo nobis medela contra morbos nostros essēt petenda. *Leuaui oculos meos in montes*, inquit Psalmista, *vnde veniet auxilium mihi.* Psal.120.
Auxilium meum à Domino, quia cū mentē suā ad sublimes Dei sanctos leuaret vt per eorū intercessionē diuinū adiutorium acquireret, se non nisi à Domino qui fecit cœlū & terrā iuuādū sciebat: possūt sancti salutem impetrare sed nō dare. Dare caritatē, dare castitatē, dare salutē & humanā excedit humilitatē & angelicā sublimitatē & solū pertinet ad agricolā Trinitatē. *inquit August.* Sed & cū apostoli mortuos suscitarent, aut cæcis visum restituerent, non tam ipsi quam Deus per eos talia parabat: neq; quoties vellēt, sed quādo ad id à Deo mouebantur, aut precibus impetrabāt huiusmodi miracula faciebāt, solus Christus fuit, qui auctoritate propria solo iussu & imperio talia pattare poterat: reliqui potestate duntaxat diuinitus sibi cōcessa, quia non pro suo arbitrio vti poterāt prout volebāt, sed quādo Deo visū erat, vnde cū quodā tēpore dęmonē eiicere tentarent & nō succederet, quærebant à Domino, *quare nos non potuimus eiicere illum*: Sed & preces apostolorum quas sæpe præmitteb ant miracula facturi, satis id declarabant, se non ea facere posse quando vellent sed quād[illegible]d visum esset: Est enim oratio indi[illegible]æ testificatio.

Cū itaq; à solo Deo salus nostra dependeat, iuxta illud psalmistæ, *Domini est salus*, Psal.3.

ab eo

ab eo cum fiducia conſtanter & humiliter eſt imploranda. Et licet in hac cauſa comprecatores Sanctos adhibeamus, id eo facimus non quaſi ipſi ſint magis miſericordes quã Deus, aut ab ipſis ſalutẽ expectemus, ſed quia nos minus dignos agnoſcimus qui per noſipſos ad thronum gratiæ accedamus, agnoſcentes preces Sanctorũ, vtpote ſingularium Dei amicorũ, magis eſſe efficaces ad quippiam impetrandum, quam ſint noſtrę: Quanquam poſſit homo eo perfectionis peruenire vt & per ſe id poſſit, quod iam per alios petit, etſi
Ioan. 16. propter incertitudinẽ propriæ perfectionis id non facile præſumendum videatur.

6. INGEMVIT. Sunt variæ rationes quę mouerunt Dominum cur ingemiſceret: inprimis cum videret humanam naturam tot miſeriis ſubiectam & tam miſere, ob diuini præcepti trangreſſionem, afflictam quæ prius in ea dignitate & ſublimitate à Deo creata fuerat vt etiam angelis Dei æqualis eſſet, iam vero comparatus iumentis inſipientibus ſimilis factus ſit illis miſeriæ humanæ condoluit & ingemuit, ſicut & ſuper ciuitatem Ieruſalem fleuit. Quanquam enim ſi quis peccatorum malitiam conſideret, non commiſeratione, ſed indignatione, non amore, ſed odio, non honore ſed opprobrio, non gloria æternã, ſed pœna & gehẽna dignus ſit, Tamẽ dum quis deplorandum eorum ſtatũ & miſeram cõditionem attendit, lachrymis proſequendi ſunt, ipſorumque miſeriæ condolendum eſt.

7. Eſt alia ratio cur ingemuerit Dominus, quia hoc ſuo gemitu nos docet & exemplum præbet, vt cũ pro noſtra noſtrorumque ſalute ſupernæ pietatis ſubſidia inuocamus, gemendum ac flendum nobis eſſe agnoſcamus: hoc enim negotium *inquit Auguſt.* magis gemitibus quã importunis clamoribus peragitur. Cui con-
Rom. 2. forme eſt quod Paulus ait ad Romanos. *Quid oremus ſicut oportet neſcimus* (quia moleſtiæ tribulationeſque temporales plerumque proſunt vel ad ſanandum tumorem ſuperbiæ, & ad probandum exercendamque patientiam, cui probatæ & exercitatæ clarior merces ſuperiorq; ſeruatur, vel ad quæcumque flagellanda & abolenda peccata, & tamen nos ignorantes quid iſta proſint, ab omni optamus tribulatione liberari, quæ medicamẽta proſint medicus nouit, infirmus autẽ neſcit) *ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis*, (quia poſtulare nos facit,) *gemitibus inenarrabilibus*, quia quum nouerit noſtram infirmitatem, peccatorum multitudinem, tentationum laqueos, lapſus, pericula & ſimilia, merito nos ingemiſcere facit, & ad lachrymas concitat, & quo quiſq; ſeipſum melius nouit, eo facilius in lachrymas prorumpit, lachrymari & ingemiſcere oportet etiam pro aliis quorũ cauſam exorandam ſuſcepimus, ſicut Chriſtus hic fecit, vt quod deeſt ex parte ipſorum, nos noſtro gemitu ſuppleamus: Neque enim oratio vulgi tanti ſemper eſt meriti apud Deum vt veniam peccati commiſſi impetrare poſſit, niſi aut ſacramenta, aut aliorum preces ſimul adhibeantur, vt patet de
amicis Iob: & filiis Iſrael quos exorauit Iob. 41.
Moyſes.

PARS II.

Adducunt ei ſurdum & mutum & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Marc. 7.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Quidam peccatores, quia ægre curantur, fide indigent & oratione aliena vt ſanentur.*
II. *Cur eduxerit Dominus hunc ſurdum ſanandum è turba.*
III. *Quid hoc deſignet quod ſputo linguam eius tetigerit.*
IV. *Vt recte loquamur Deus os noſtrum aperire debet.*

I. PECCATA nonnulla, tanquam pernicioſa quædã animæ vulnera, non
niſi magna cum difficultate curantur, Orige.
inquit Orige. nonnulla vero leui negotio hom. 13.
emundantur: aliqua etiam penitus incurabi- in Iere.

rabilia permanent. De hoc poſtremo genere ſic Iere. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.* In quem locum ſic *Orige.* Antequam peccatum committam, nulla in corde meo peccati imago verſatur, cum autem conſcientia peccati imaginem ſumpſerit, eſt peccatum ſcriptum atque depictum in corde meo: quod ſi atramento conſcriptum fuerit, deleri poterit: ſin autem ſtilo ferreo & in vngue adamantino ſculptum ſit ſuper pectus cordis mei, fit quaſi indelebile, vt etiam cum homine perueniat ad tribunal Chriſti. Itaque ſciens Dominus differentias peccatorum, *inquit Orige.* dicit Iſai. 4. Sordes filiarum Sion abluam in ſpiritu iudicii, & ſanguinem Ieruſalem in ſpiritu ardoris. Quod leue eſt abluitur, *ait Hier.* in hunc locum, quod graue exuritur. Nitro verbi diuini poſſunt ablui peccata leuiora, quæ non ita tenaciter inhærent. Sic enim Dominus ad diſcipulos ait, *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* Alia vero talia ſunt vt non poſſint ſermonis virtute curari, ſed emundantur in ſpiritu combuſtionis & purgantur cruciatu incendii.

Ierem. 17. — Orig. ho. 12. in Iere. — Ioan. 16.

2. OPTANDVM igitur fuerit vt ne attingamus quidem malum, *inquit Baſil.* ſed ab eo tanquam à beſtia plagam peſtilentem intentante refugiamus: iuxta quod à Salomone de leui & improba muliere ſcriptum eſt, *longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.* Iā enim ipſe quoſdam noui, *inquit idem*, qui per ætatis teneræ florē ad obſcœnas carnis voluptates delapſi, per conſuetudinem quoque mali, iſtis immortui ſunt peccatis. Beatitudinis igitur eſt nihil cogitaſſe, aut propoſito deſtinaſſe exequi quod ſit malū, iuxta illud pſalmiſtæ, *Beatus vir qui nō abiit in conſilio impiorum*, quod ſi per inſidias inimici impietatis conſilia intueris, in peccato noli perſiſtere. Id demum ſi accidat caue ne malo inſideas & in cathedra peſtilentiæ ſedeas. diuturna enim exercitatio peccatorū, præſertim ſtudio ſi fit & certa deſtinatione, animabus ſolet habitum ingenerare vix vnquam deſiturū & ægerrime mobilem, cum in his vt in plæriſque aliis conſuetudo mutetur & abeat in naturam. Hic itaque progreſſus peccati: Primum tibi importabile videbitur, *inquit Bernar.* proceſſu temporis ſi aſſueſcas, iudicabis non adeo graue, paulo poſt & leue ſenties: poſtmodum nec ſenties quidem: Poſtremo etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiem itur: vulneri enim vetuſto & neglecto callus obducitur, & eo inſanabile quo fit inſenſibile, de aſſiduitate enim naſcitur ſtupor.

Baſi. ho. 1. in Pſal. 1. — Prou. 5. — Pſalm. 1. — Bernar. li. 1. ad Eug.

3. DE HIS dicitur Iob 38. *In ſimilitudinem lapidis durantur & ſuper faciem abyſſi conſtringuntur.* In abyſſo profundiſſimam obſcuritatem mentis puto intelligendam, *inquit Hieron.* quæ ita obtuſione nimia infidelitatis operiatur & conſtringatur quodam gelu impietatis, vt ſaxo ſimilis fiat. Qui ita obdurati ſunt habent conſcientiam nedum malam, ſed & ſecuram, quia duram & inſenſibilem, ideo ægrius curantur, quia ſe ægrotare neſciunt, & difficilius ad Deum conuertuntur, quia non ſe ab eo auerſos arbitrantur. Sicut enim in ægritudine corporali accidit, vt qui phreneſi laborant dum ſuam infirmitatem non conſiderant, de medico quærendo nullam curam habent, eo quod ſe non egere ipſius opera exiſtiment, ita in morbis animæ multis accidit vt animæ ſalutem minime à Domino requirant. Tria igitur ſunt infirmorum genera, ſiue de ægritudine animæ, ſiue corporis agatur, quorum alii, qui modice ægrotant, ad medicos ipſi accedunt: qui vero grauius laborant, medicos ad ſe vocant: ſed qui incurabili melancholia occupantur, neq; ad ſe venientes medicos admittunt. Impius enim cum in profundum venerit, contemnit, & fit miſerando modo quotidie tanto ſecurior quanto peior, *inquit Gregorius.* Cum enim homini in hac vita poſito tentatio peccati deeſſe non poſſit, iniquus quiſque, quia reſiſtere peccati ſuaſionibus neſcit, ſubiugari eius dominio

hæc Baſil. — Gregori. lib. 9. morali. ca. 34. & lib. 14. cap. 5.

non pertimeſcit: qui & cum occaſio perpetrandi peccati deeſt, deſiderium tamen malum cordi illius nullatenus deeſt, & animo perpetrat etiam quod opere non implet: Prius namque culpa eſt in cogitatione, poſtmodum vero in opere. Cumque vnde lapſus ſit non aduertat, & ſubſecutura ſupplicia non metuat, *calcat ſuper eum quaſi Rex interitus*, vt dicitur Iob. 18. quia & hic peccato, quod eſt cauſa interitus, premitur, & mortis ſuæ tempore per hoc quod ad ſupplicia rapitur, poteſtati dæmonis ſubiugatur. *hactenus Gregorius.*

4. HI QVANDOQVIDEM ſibi non ſufficiant & propriam ſalutem negligant, interceſſionibus Sanctorum ſunt iuuãdi, & exhortationibus aliorum ad Chriſtum ſunt adducendi. Conſuetudo namq; miſericordiæ Dei eſt honorem hunc dare ſeruis ſuis, vt propter eos ſaluentur & alii,
Chryſ. ho. 24. in Gen. *ait Chryſ.* Audi Deum ipſum ad amicos Iob dicentem, *Ite ad ſeruum meum Iob, & ipſe orabit pro vobis, & dimittetur vobis peccatum, vt non imputetur vobis ſtultitia.* Sic filii Noe ſalute potiti ſunt, volẽte id Deo, in honorem iuſti: ſic & *Actor.* 27. propter Paulum pepercit Deus omnibus iis qui cum ipſo in naui erant: Ita enim ait angelus ad eum, *Ne timeas Paule, dedit tibi Deus omnes qui tecum nauigant:* Sic & in præſenti hoc euangelio ſurdum & mutum ſanauit Dominus propter eos qui adducebãt eum deprecantes vt manus illi imponat, vt hac in re intelligas quid valeat aliena fides & oratio.

Chryſ. ho. 5. in Matt. 5. VERVM hic notandum quod *Chryſo.* ait orationes alienas tunc nobis prodeſſe, ſi & ipſi manum operi admoueamus, niſi enim propria virtute iuuemur, alienæ orationes non proderunt nobis. Id quod patet *Iere.* 11. vbi Dominus ait ad Ieremiã, *Noli orare pro populo iſto, quoniam non exaudiam te.* Etiamſi Abraham patriarcha pro his ſupplicet, qui in ſuis ſceleribus permanendo immedicabiliter ægrotant, abibit Dominus relinquens rogantem, ne vocẽ pro talibus interuenientis exaudiat, viſne noſſe quando & quantũ iuuent orationes Sanctorum? Deum ipſum audi dicentem 4. Reg. 19 *Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid ſeruũ meum.* Sed quãdo? tempore Ezechiæ Regis ſane quam iuſti. Sed nunquid propter Dauid ſeruum ſuum etiã ciuitati pepercit tempore Nabuchodonoſor Regis Babyloniorum? & non potius illam in manus illius tradidit? & cur id? niſi quia tunc maior vis ſcelerum, vt iuuari non mererentur. Rurſus ipſe Samuel pro Iſraelitis orauit & votum conſecutus eſt, Sed quando id conti- 1 Reg. 7.
git? cum etiam ipſi ad Deum ſupplices confugiebant. Sed hic iuſtus qui ſua oratione tunc potuit eos ſeruare, alias tamen nequaquam id valuit, dicente Domino, Etiamſi Moyſes adeſſet & Samuel, me tamen eorum pro talibus deprecantium nõ placabit oratio: Sic enim ait Iere. *Si Moyſes* Iere. 15.
& Samuel ſteterint coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: eiice eos à facie mea.

6. DICES, Quid mihi opus alienæ orationis ſuffragio, modo ſim ipſe ſtrenuus opere & vigilans in oratione? Ne ſic loquaris, *inquit Chryſ.* cum ſemper ſis in neceſſitate. Paulus non dixit, Quid mihi opus alienæ precis ſuffragio, etiamſi ii ipſo indigni erant quorum preces emendicabat. Et tu dicis, Quid mihi opus aliena precatione? vel ob hanc cauſam tibi opus eſt, quod ſic ſtulte nihil exiſtimes tibi eſſe opus, etiamſi Paulo æquandus venias, habes opus oratione. Audi Paulũ dicentem.
Scio quod hoc mihi proueniet in ſalutem per 2. Cor. 1.
veſtras orationes Recole primordia, attende media, memorare nouiſſima tua, & videbis quã ſit tibi oratio neceſſaria etiam aliena, tanquam qui ſis in neceſſitate & tribulatione aſſidua. Primordia pudorem adducunt, media dolorem ingerunt, nouiſſima metum incutiunt. Cogita vnde veneris & erubeſce: vbi ſis, & ingemiſce: quo vadas & contremiſce. Creatus quidẽ es, ô homo, ad imaginẽ Dei, ſed perdidiſti ſimilitudinem eius factus ſimilis iumẽtis inſipientibus, & peregrinam ei ſuperinduxiſti
hæc Bern. ſer. de primor.

duxisti similitudinem. Pudeat te tantæ deiectionis, *inquit Bernard.* memor nobilitatis tuæ qui es imago Dei. Ne ignores pulchritudinem tuam vt de fœditate amplius confundaris. Eras enim aliquando gloria & honore coronatus, constitutus super opera manuum Domini incola paradysi, angelorũ conciuis, & domesticus Dei. Hinc deiecisti teipsum in has interiores tenebras, vnde ad exteriores quoq; tenebras eiiciẽdus eris aliquãdo si nõ caues. Ecce vnde venisti, vis nosse quo deuenisti? in locũ vtiq; afflictionis: quid n. hic nisi labor & dolor & afflictio spiritus?

7. SED nunc ita contigit tibi, ac si puer in carcere natus sit & in carcere nutritus: & quia nunquam viderit lucem, miretur super anxietate & dolore matris suæ, quæ scit vnde doleat, & quia nouit bona, grauiora sunt ei mala, & recordatione pacis amaritudo eius amarissima. Tibi magna bona videntur minora mala, & pre maioribus compedibus quibus assuetus es minores annulos requiem putas. Comedere appetis quia fames te cruciat, vtrumq; labor est, sed quia fames grauior, comedere nescis esse laborem: Sed postquam fames depulsa fuerit, vide si non grauius ducis comedere quã esurire. Sic se habent vniuersa quæ sunt sub sole, vt nihil sit in eis vere iucundum, sed ab vno semper transire velit homo ad aliud, solaque vicissitudine releuetur vt cumque ac si prosiliat ab aqua in ignem, & inde rursus in aquã resiliat, vtpote qui neutrũ ferre possit, omnis siquidem laboris remedium, alterius laboris est initium. *Hactenus Bernardus.*

8. QVÆDAM sunt tribulationes omnibus notæ, *inquit August.* vt dum quis affe- August. Psalm. 49.
ctus damno, quia domus est incensa, aut vinea grandinata, plangit, alius orbitate percussus, quia filium perdidit, luget, tertius mœret quia in exilium missus. In his dum quis inuocat Deum, recte facit, quia potens est Deus nos inde eruere, iuxta illud psal. 49. Inuoca me in die tribulationis eruam te & honorificabis me: Melius tamen facit, qui cum psalmista dicit, *In* Psalm. 76.
die tribulationis meæ Deum exquisiui, quasi dicat, *inquit Orig.* explicans hunc locum filium perdidi, domus incensa est, ad paupertatem deueni, non quæro istud quod perdidi, sed Deum exquisiui, quod si eum inuenero, in eo inuenio omnia. Itaq; istæ tribulationes inueniunt nos, sicut dicitur psalm. 55. *Adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.* Est quædam tribulatio quam nos debemus inuenire, *inquit August.* Tribulatio quidem inuenit omnes, sed non omnes inueniunt tribulationem. Quæ est ista quam nos inuenire debemus? Ea ipsa in hoc mundo fœlicitas, affluentia rerum temporalium, non quidem ipsa tribulatio est, sed solatia sunt nostræ tribulationis: cuius tribulationis? nostræ peregrinationis. Hoc enim ipsum quod cum Deo nondũ sumus, hoc ipsum quo inter tentationes molestiasque versamur, quod sine timore esse non possumus, tribulatio est: de qua Psalmista, *Tribulationem & dolorem inueni.* : Non enim est illa securitas quæ nobis promissa est. Hanc tribulationem peregrinationis suæ qui non inuenerit, ad patriam redire non cogitat. Horis omnibus tentationes habere suspectas, occulti hostis metuere insidias etiam tentatione cessante, grauis tribulatio est. *sic Gregorius.* Aug. vbi sup. Greg. 20. mora. c. 5.

II. Cur eduxerit Dominus hunc surdum è turba.

1. ET *apprehendens eum de turba seorsum.* Docens hoc facto turbam declinandam & omnes peccandi occasiones fugiendas: cum enim maxima christianæ vitæ portio in peccatorum fuga sit constituta, plurimum quantũ ad hoc proficerit peccãdi occasiones fugere, quod fit solitudinis beneficio, in qua neque oculi vident quod cõcupiscant, neq; aures audiũt quod ruinæ præbeat ansam; neque lubrica lingua effutiat, quod non deceat. Hinc Zachari. ca. 2. *Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.* vix enim fieri potest, vt qui inter corruptos hominum mores cõuersatur, quin illis similis efficiatur, nisi fugiat, quod si non corpore at saltem animo, Nam vt Basili. ait, reuera noxiæ sunt amicitiæ Basi. ho. 9. & 21. ex variis.

citiæ quę cum malis contrahuntur: Ea est enim amicitiæ lex & vis, vt per similitudinem malitiam coniunctis indat: Quemadmodum enim in pestilentibus locis sensim attractus aer latentem corporib. morbum inicit, sic itidem in praua consuetudine & conuersatione, maxima nobis mala ingeruntur: *Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua*, etiamsi incommodum non sentiatur. O quam malum cum homine iracundo commorari, nisi eius conuersationem fugias, necessarium est eius te vias ediscere. Dixit forte acerbum aliquid, & animum tuum commouit, sicut enim canis latratus alterius canis tumultũ prouocat, sic & animum tuum quiescentẽ vox illius excitauit, & facti estis latrantes inter vos, simul enim vt dixit ille aliquid contumeliosum, tu insipientis imitatus stultitiam, maiori cum fœnore reddis. *Hæc ille.*

Basil. in regu. fusio. disspu. respon. 6. tom. 2. 2 INSUPER, vt *idem* ait, ad continendam in officio mentis agitationem, ne ad futiles ac minime necessarias cogitationes ab erret: illud adiuuet si quis seorsum à cæteris communẽ vitam sectantibus, viuat, ne oculis auribusve instigationes ad peccatum admittamus, eiq; imprudenter assuefcamus, neue earum rerum quas, vel viderimus, vel audierimus, impressæ pestilentes in animis nostris formæ ac veluti notæ quædam insideant. Vnde propheta

Isai. 6. *Isai* hoc in peccati ac miseriæ parte ducit quod habitaret in medio populi polluta labia habentis. Quem locum explicans *Hieron.* epist. ad Damasum. Prouidendum est sub hoc exemplo, inquit, nõ solum, vt ipsi simus iusti, sed ne cum peccatoribus moremur. An vero idoneum eum putabo qui mihi det consilium, quod non dat sibi? cuius animum voluptas occupet, auaritia subiuget, iracũdia perturbet, quatiat metus? quomodo hic consilij locus, vbi nullus quieti? Exeundum igitur nobis est è medio malorum, corde saltem si corpore non possimus: tum enim proclius curritur ad imitationem malorum, quam in virtutes bonorum animus excitetur, facilius bonus in medio malorum deprauabitur, quam malus in melius commutetur, *vnde Gregorius*, vnum est, inquit, ob quod vitari debet societas malorum, ne si fortassis corrigi non valent ad imitationem trahant, & cum ipsi à malitia sua non mutantur, eos qui sibi coniuncti fuerint, peruertant, sicut enim malus aer assiduo flatu attractus inficit corpus, ita colloquia mala assidue audita infirmantium inficiunt animum. Si qui tamen perfectiores sint, iis minus periculi est à consortio malorum. Greg. 30. 9. in Ezec.

3 DENIQVE præter cætera quæ multa sunt impedimenta salutis, quæ nobis obueniunt à vita communi, istud etiam vnum est quod magnum in ea diuinas leges violantium numerum intuens animus, peccata sua agnoscendi, & se per pœnitentiam affligendi, spatium non habet: Qui potius facta sui cum deteriorib. comparatione, de virtute sibi nescio quodammodo blanditur. Tum deinde variis tumultibus occupationibusq; quæ vita solet communes adferre, à Dei memoria, cuius maior haberi debet ratio, abstractus animus non in eo solum detrimentum facit, quod nõ exultet in Deo & delectetur, neq; verborum Domini dulcedine vlla perfundatur, ita vt vere dicere queat cum Psalmista. *Memor fui Dei & delectatus sum*, sed in eo etiam assuescit, vt iudicia ipsius penitus obliuiscatur & contemnat, quo neq; maius, neq; capitalius malum vllum potest accidere. *hæc Basil.*

4 POSTREMO vt quis audiat vocem Dei intus loquentis, aures cordis occludat necesse est contra strepitum mundi foris tumultuantis, *inquit Augusti.* nisi enim ab exteriorum desideriis, & contra tumultuãtem vitæ huius inquietudinem, autem cordis occludat, vocem Dei intus loquentis non audiet, quia vox Domini tenuiter & latẽter in aures cordis insusurrat, dum interdum nobis nostra mala manifestat, interdum amore cœlestium succendit, aliquando timore compungit, aliquando præsentia quam sint nulla osten- Aug. in psal. 49. Hæc Gregor. libr. 5. mor. c. 20.

dit, aliquando ad æterna diligenda mentem erigit. Nullum maius, nullum melius negotium est in tribulatione, *inquit Augustinus*. quam recedere ab eo strepitu, qui foris est & in interiora mentis, ibidemque Deum inuocare, vbi nemo videt gementem & subuenientem illius cubiculi ostium aduersus omnem extrinsecus illatam molestiam, claudere. *hæc Augustinus.*

August. in psalm. 34. conc. 2.

III. Cur linguã sputo tetigerit.

1 EXPVENS *tetigit linguam eius.* Saliua seruit sapori, quia sine ea nihil sapit palato aut ori. *Tetigit* ergo *sputo linguam eius*, vt ei dulcesceret & saperet Deus, quem prius oblectauerat mundus cum delectationibus suis, illeque qui aureo Babylonis calice antea potabatur, in quo & vitam suam & omnem delectationem credebat consistere, virtutem respuens tanquam palato non sano amarissimam, iam ope diuina liberatus amarum credat, quod ante delectabat. Id quod orabat *Aug.* cum diceret, Amarescant cuncta vt solus tu mihi sapias & dulcescas Deus. Dulcedo huius seculi ad tempus quidem fauces edulcat, *inquit*, sed in magnam amaritudinem postea conuertetur. Ecce lucrum fecisti per fraudem & iniquitatem, dum lucrum cogitas de eo gaudes, damnum non cogitas, vt illud plangas: in cista tua aucta est pecunia, sed in cordis arca imminuta est fides tua, plus perdidisti quam acquisiuisti, quia melior est fides auro. Sed qui inebriantur aureo calice Babylonis, excedunt amore & concupiscentia, exceduntira & auaritia, & his affectionibus repleti non sentiunt amaritudinem quam imbibunt, sicut ebrij dolere non solent. Est enim ebrietas non solum in vino, *inquit Chrysost.* sed & in ira & superbia, & in innumeris aliis affectibus: cum ebrietas nihil sit aliud quam sanæ mentis priuatio. Etenim qui mulieris alienæ tenetur amore, aut scortis vacat, ebrius est, quia dum mulieri stuprum inferre concupiscit, in eam animus semper est intentus & velut ebrius & mente captus non sentit malum quod facit & patitur.

August. in psalm. 123.

Chrysost. orat. 5. cõ. Iudæ. to. 5.

2 O QVAM multa desideria ardent in cordibus hominum, quibus inebriantur: hic desiderat & vehementer sitit aurum, argentum, & amplas possessiones, ille honores, iste fœminas. Iustus autem non tẽporalia sitit bona, sed cum Psalmista dicit. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* in quo eminenter est quicquid in rebus creatis valet delectare: si bona est vita creata quam bona est vita creatrix, quæ continet in se omnem bonitatem & iucũditatem omnium bonorum. O immensa bonitas quæ omnium intellectum excedis, influas in me, *inquit Aug.* vt viuam & bonus sim de te. O qui hoc bono fruetur quid illi erit? imo quid illi non erit? Certe quicquid voluerit erit illi, & quicquid noluerit non erit. Cur ergo per multa vagaris homuncio quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? ama vnum bonum in quo sunt omnia bona, & sufficit. *hæc Aug.* Deus qui dulcis est mitis & suauis, solus est ea iucunditas, quæ lætificat animam hominis. Hinc Dauid, *Lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.*

August. in psal. 6.

August. in medita. tomo 9.

Psalm. 95.

3 SED hic notandum quod *Bernard.* ait, quod Deus secundum variam dispositionem gustuum varios videatur habere sapores: Timenti enim sapit iustitiam & potentiam: amanti vero sapit bonitatem & misericordiam. At is penitus insipiẽs est cui nec timor Dei sapit, nec amor, cui nec iustitiam Deus sapit per timorem, nec bonitatem per amorem. Is plane dicit in corde suo, Non est Deus: Deum enim nõ putat, quem nec iustum nec pium reputat. *Et serm. 20. in Canti.* sic habet, Existimo sponsum varias habere species aromatum, & alias quidem esse in quibus singulariter oblectatur sponsa tanquam propinquior & familiarior: alias vero quæ ad adolescentulas vsque perueniunt alias denique quæ pertingunt etiam ad longe positos & peccatores. Sed licet suauis sit Domi-

Bern. ser. 36. in pant.

Digitized by Google

Dominus vniuersis, maxime tamē domesticis: quia quanto quis ei familiarius pro vitæ meritis & mētis puritate appropriat, tanto eum arbitror vnctionis suauioris sentire fragrantiam, quæ enim peccatoribus est in medelam qua sanantur eorum vulnera, ea est sponsæ in oblectationem, nouit sponsus quibus delitiis foueat dilectam, verum in his non capit intelligētia, nisi quantum capit experientia. *hæc Bernardus.*

4 HABET epulas suas etiam cor impium, sicut & cor pium, sed admodum diuersas, *inquit August.* Nisi enim ederet cor superbum sicut & cor humile, non diceret Psalmista, *Superbo oculo & insatiabili corde* Psal. 100. *cum hoc non edebam.* Cor superbum vnde pascitur? honoribus, sicut inuidus, malis alienis, vnde dicit Paulus ad Galat. *Si mordetis & comeditis inuicem, videte ne ab inuicem consumamini*, videtis ergo comedentes, nolite his conuesci, fugite tale conuiuium: neque enim se satiant gaudendo de malis alienis quia insatiabili corde sunt. Sed quid de eorum mensa dicit Psalmista, Psalm. 69. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem & in scandalum.* Pasti sunt, sed & capti sunt: quo modo enim aues ad muscipulam, & pisces ad hamum, non tam pascuntur quam capiantur, sic & ipsi: falsa enim dulcedo est quam plures atque maiores pœnarum amaritudines consequuntur, cum pro iniquitatibus suis & dulcedine voluptatis, amaros dolores conscientiæ torquente patietur. Sed & qui honoribus, lucro, coniugio inhiat, in ipsis cupiditatibus suis amarissimas difficultates patitur, tanto magis quanto magis inhiat: amat quis, verbi gratia pulchram mulierem, quo ardentius amat, eo minus quietis inuenit, *inquit Chrysost.* tanquam si quis biberet & bibendo amplius sitiret. Sic & qui prosperis seculi delectantur iis alligantur, *inquit August.* atq; ita tribulatio & dolor inueniunt eos, licet ipsi non inueniunt ea, sed lateant eos. Neq; hoc dicimus hominibus vt quærant miseriam quam non habent, sed vt inueniant eam quam nescientes habent: Neque enim hoc eis optamus vt terrena necessaria desint eis, quibus indigent dum mortaliter viuunt, sed vt hoc plangant quod amissa satietate cælesti, terrenis nondum ad fruendum stabilibus bonis, sed ad sustentandum necessariis, indigere meruerunt: Agnoscant & lugeant hanc miseriam. *hæc Augustinus.*

Chrysost. homil. 22. in 1 Cor. August. in psal. 114.

5 QVOCVMQVE ergo se cor conuertit, in terrenis rebus amaritudinem inuenit, quia quocumque me verto, scandala, tribulationes, dolores, timores, tentationes inuenio, *inquit August.* & vnde cor dulcescat non habet nisi se ad Deum leuet. August. in psal 85. Insistebam ideo vt fruerer te Deo meo, *inquit idem*, & rapiebar ad te decore tuo, moxq; diripiebar à te pondere meo, & ruebam in ista temporalia cum gemitu, & pondus hoc consuetudo carnalis. Aug. libro 7. cap. 16. confess. Sed mecum erat memoria tui, verum corpusquod corrumpitur aggrauabat animā. Tum vero inuisibilia tua per ea quæ facta sunt, intellecta conspexi, sed aciem figere nō valui, & repercussa infirmitate, redditus solitis non mecum ferebam nisi amantem memoriam & quasi olfacta desiderātem, quod comedere nondum possem. Iam deliberaueram vt sequirem Deo, sicut diu disposueram, & ego eram qui volebam, ego qui & nolebam, nec plene volebam, nec plene nolebam, ideo mecum contendebam. Sic ægrotabam & excruciabar accusans meipsum solito acerbius, ac voluens & versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo iam exiguo tenebar, tenebar tamen, & timebam ne exiguum quod me tenebat renalesceret iterū & me robustius alligaret. Dicebam enim apud me intus, Ecce modo fiat, modo fiat, & cum verbo ibam in placitum, iam pene faciebam & non faciebam, nec relabebar tamen in pristina, sed de proximo stabam & respirabam, hæsitabam mori morti & viuere vitæ, plusq; in me valebat deterius inolitum, quam melius insolitum. Retinebāt me nugæ nugarū antiquæ amicæ

amicæ meæ & murmurabant, dimittisne nos?& à momento isto non erimus tecum in æternum? Et quas sordes suggerebant? Deus meus eas auertas ab anima serui tui misericordia tua. *hæc Augustinus.*

IV. A Deo aperiri os nostrũ debet vt recte loquamur.

1. VT RECTE loquamur Deus os nostrum aperire debet, id quod docet Dauid dicens, *Domine labia mea aperies & os meum annunciabit laudem tuam*, quasi dicat *inquit Greg.* hactenus ego os meum aperui, & ideo ex vaniloquio multa peccata contraxi. Nunc vero vt tu os meum aperias te oro, quia nihil nisi quod tu suggeris loqui concupisco. Illius labia Deus aperit, cui & rem dicendam manifestat, & modum dicendi suggerit, vt sciat quomodo, quando & vbi loquendum sit, vt sit grauitas in sensu in sermone pondus, & in verbis modus, ne luxuriet nec lasciuiat, & multiloquio sibi peccata accumulet, sed expendat & examinet verba sua quid dicendũ & quo pondere & mensura loquẽdum. Et quia ad hoc idonei non sumus, nisi diuina adsit gratia, clamandum est cũ propheta, *Domine labia mea aperias.* Dixit propheta Dauid, *Custodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea*, & tu non custodies? Et quia fortassis aliquando aliquid locutus fuerat incautius, *inquit Ambr.* nec solus sibi sufficiebat, vt vias suas custodiret, ideo & à Deo ori suo custodiam poni postulat, sic inquiens, *Pone Domine ori meo custodiam, & ostium circumstantiæ labiis meis*: nimirum vt quo modo ostium clauditur & aperitur ita & ego os meum aperiam quando est necessitas loquẽdi, & claudam dum est tempus tacendi. Est enim teste Ecclesiaste, *tempus tacendi & tempus loquendi.* Neq; enim nos mutos esse oportet, quia si pro otioso verbo reddituri sumus rationem, reddemus & pro otioso silentio, *inquit Ambros.* Quod si sit otiosum silentium, est & negotiosum, dum quis tacendo apud homines, loquitur Deo, ab eoque discit quod postmodum dicere debeat, & certe tacere nesse quam loqui difficilius, *inquit idem.* Scio loqui plerosq; cum tacere nesciant, rarum est tacere quenquam, cum sibi loqui nihil prosit. Sapiens ergo qui loqui nouit & tacere. Et quid præ cæteris debemus discere? *inquit Ambros.* vt possimus loqui, & cum Isaia dicamus, *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam quando oporteat proferre sermonem. Homo sapiens*, inquit Salomon, *tacebit vsque ad tempus.*

Psal. 50. Psal. 38. Psal. 140. Eccl. 3. Ambr. lib. 1 offi. ca. 3. & cap. 2. Isai. 10. Prou. 20.

2 DISCRETE itaq; vicissitudinum pensando sunt tempora, quia & per disciplinam interdum lingua retineri debet, & ex necessitate laxari, quatenus os discretum & congruo tempore vox aperiat, & congruo tempore taciturnitas claudat, ne aut cum cohiberi lingua debet, per verba se inutiliter soluat, aut cum loqui vtiliter potest, semetipsam insipienter restringat & cohibeat. Pythagoras Socrate antiquior prophetam sequutus Dauid, legem silentij dedit discipulis suis, *inquit Ambrosius*, vt per quinquennium iis interdixerit vsum loquendi. Dauid autem non vt officij naturæ munus imminueret, sed vt custodiam proferendi sermonis doceret. & Pythagoras quidem vt non loquendo loqui doceret, Dauid vt loquendo magis disceremus loqui. Ita ergo qui volunt discere loqui, quod naturæ est non negent, quod custodiæ est exerceant, vt qui in specula sunt speculando intendant non dormiendo. Ergo Dauid tacebat non semper, sed pro tempore, neque omnibus sed irritanti aduersario, & prouocanti peccatori non respondebat, sed quasi mutus non aperiebat illis os suum, vt dicitur *psa.* 37. ne imprudenti ad suam imprudentiam responderet, & illi similis fieret, vt dicitur *Prouerb.* 27. dum contumeliam contumeliæ reddit: neue alicuius alterius passionis indicium proferat, & sermo qui commendare debet interiora, vitium aliquod in mente esse, aperiat & prodat, dum quis aut iracundia, aut iactantia, aut metu, aut adulatione vt hominibus placeat, aut tristitia, quæ singula solent vti-

Hæc Gregorius. Ambr. lib. 1. cap. 10. offici.

lent vbique hominibus non integrum seruare iudicium loquitur, sed omnia recto iudicio & cum deliberatione dicat.

Eccl. 28. 3. QVANDOQVIDEM vero multiformis est lapsus linguæ, Nam teste Ecclesiastico: *Multi ceciderũt ore gladii, sed non sic quasi qui intereunt per linguam suam.* Hinc serio nos monet idem, vt ori nostro faciamus ostia, & frenos recte non forte labamur in lingua, quia *in manu linguæ vita & mors, vt* dicitur *Prouer.* 18. & vt Dominus ait Matth. 12. *Ex verbis nostris iustificabimur aut condemnabimur.* Peccatum siquidem quod per linguam committitur, omnium fere propensissimum sed & idem

Bas. ho. 9. in ps. 33. multiforme, *inquit Basilius.* Ita forte moueris, mox lingua parata vt maledicat: libidine incenderis, habet, & hic linguam tanquam lenam cooperatricem quæ per simulationem proximis imponat: vt quid opus referre cætera quæ per linguam cõmittuntur vitia, quibus plena est vita nostra: ita vt Iacobus dicat cap. 3. *linguæ vniuersitas est iniquitatis, quæ maculat totũ corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ. Cumq; natura serpentium & bestiarum domita sit à natura humana linguam nullus hominum domare potest.* Quod non ideo di-

Aug. do. natu. & gratia. xit, *ait Aug.* vt huius mali dominationem per negligentiã permanere patiamur, sed vt ad domandũ linguã diuinæ gratiæ poscamus auxiliũ. Conetur ergo anima domare linguã & dum conatur poscat auxilium, vt vbi natura deficit gratia subueniat. De quibusdã dicit Paul. ad *Rom.* 3: *quod sepulchrum patens sit guttur eorum.* In quem locum sic *ait Origenes,* Omne sepulchrum, *inquit,* immundiciem defuncti cadaueris contegit: sed quidam sepulchris tectis & dealbatis comparantur, vt scribæ & pharisæi, *Matth.* 23. alii vero sepulchris patentibus & apertis, in quibus maius aliquid criminis ostenditur. Clausa sepulchra dicuntur ii, quos aliquantulum pudor cohibet palam delinquere & proferre crimina sua. *Patens sepulchrum* ii, quibus vsus peccandi verecundiam sustulit & impudica verba & maledicta publice proferunt.

DOMINICA XII.

POST PENTECOSTEN

DIXIT *Iesus discipulis suis, Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt, &c.* Luc. 10.

Summa Articulorum I. partis.

I. *Cur Deus ex toto corde diligi velit, & quod omnia ad eius amorem nos inuitent.*

II. *An præceptum dilectionis hic impleatur, & cur id quibusdam difficile videtur.*

III. *De dignitate hominis ante lapsum, & miseria post lapsum.*

IV. *De quatuor vulneribus animæ, & quis ea sanare possit.*

PARS I.

1. MAGISTER *quid faciendo vitã æternam possidebo? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Omnis homo natura desiderat esse beatus, nec vllus tam scelestus qui velit esse miser aut damnatus, vnde igitur, cum omnis homo velit esse beatus, multi ad beatitudinem non perueniunt? quia media quę eo ducunt nõ amplectũtur: ita vt de iis dici posset quod de pigro ait Sapiens, *vult & non vult piger,* vult finem, sed non vult media, vult præmia, sed non vult merita, vult gloriam, sed non vult per pugnam obtinere victoriam, vult quietem, sed non vult laborem per quem venitur ad quietem: vult sanitatem sed non vult medicinam, quæ conducit ad sanitatem, & ideo istius generis homines remissam habent voluntatem sed non efficacem, optarent quidem si res voto perfici posset, sed non impetrant sibiipsis vt faciãt, quærunt. *Quid faciendo vitam æter-* I. Cur Deus ex toto corde diligendus.

nam possidebo, sed quærunt tantū vt sciant, non vt faciant, cum non sufficiat scire quę sit via salutis, sed insuper necessum sit eā ingredi neque sufficit scire, quid sit dilectio Dei ex toto corde, oportet & sic diligere: & certe mallem experiri dilectionē quam scire eius definitionem, neque sufficit de caritate multa disserere & acute disputare, sed oportet eam habere & opere exercere, *Hoc fac*, inquit Dominus & *viues.* Non est scientia salutaris veri, nisi ad hoc sciatur, vt quod agendum est, opere impleatur: & *Aug.* inutiliter, *ait*, meditatur legem Dei qui laborat vt memoria teneat, quod actione non implet.

Psal. 10. Neque enim frustra dicit Psalmista, *Doce me facere voluntatum tuam*, sic inquit doce vt faciam, non tantummodo vt sciam: quanquam aliqua sint quæ ideo discimus vt tantummodo sciamus, verum vita ęterna cum tanquam præmium promittatur legitime certantibus, & tanquam merces detur operantibus, prudenter legisperitus rogat non quid sciendo, sed *quid faciendo vitam æternam possidebo*: quia vita æterna non fide sed charitate, nō sciendo, sed bene viuendo obtinetur: *Nō qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est.*

2. NIHIL est quod æque conducit ad salutem obtinēdam atque charitas, aut quod ita à nobis exigit Deus atque sui dilectionem vt ipsum amantem redamemus, nec vllam dignam compensationem putat se recipere, si dilectionem ei non exhibuerimus: Dū nos alit, regit, protegit, sanat & viuificat, quid pro his omnibus à nobis exigit Deus? nisi vt ipsū diligamus: Mauult Deus diligi quam timeri vel honorari, cum honor sine amore non sit nisi adulatio.

Quod autem tantopere velit Deus diligi ratio est, quia charitas est tantæ virtutis & meriti, vt si adfuerit sola ad salutem

1. Cor. 13. sufficiat, si desit, cætera nihil loco sint: Sic enim Paulus ait ad Corinthios, *Si linguis loquar hominum & angelorum & si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Charitas plus boni facit in otio, q̄ omnes aliæ virtutes in summo negotio: *caritas* enim teste Paulo *non agit perperam, non est ambitiosa, sed patiens est & benigna*, hoc est hominem patientem facit & benignum: Ex caritate tanquam ex quodam fonte promanant virtutes omnes, vt enim in radice latent non quidem substantialiter sed virtualiter, rami, flores, frondes & fructus, quę suo tempore ex ea prodeunt & depromuntur, Ita & in charitate latent benignitas, castitas, patientia, sapientia, spes, fides & similes virtutes.

Hinc Paulus ad Corinthios, *Charitas omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat*, quæ scilicet secundum Deum credenda sunt & speranda: non quod proprius actus charitatis sit sperare aut credere, sed quia informat actus cæterarum virtutum, vt sint meritorii ac præmio digni, eosque excitat & imperat: Quo fit vt quamuis diligere sit actus proprius ipsius voluntatis & charitatis, sicut videre est actus oculorum & visus, Deum præcipiamur diligere non solum ex toto corde, sed etiam ex omnibus virib. ex tota mente & ex tota anima, quia nimirum voluntas quæ est charitatis subiectum quod afficit atque informat, cæteris potentiis imperat, & ad operandum mouet & excitat: vt censeamur Deum diligere ex tota mente, quando ea reuoluimus atque recogitamus quæ dilectionem excitant, promouent, inflammant & perficiunt, iuxta illud Psalmistæ *In meditatione mea exardescit ignis.* Qui enim recogitat immensam Dei bonitatē qua in singulas horas innumeris nos afficit beneficiis, eaque secum sedulo & serio reuoluit atque expendit, ex tota mente Deum diligit. 1. Cor. 13.

3. NIHIL est in hoc mundo quod suo modo ad nos conditoris amorem non mui-

tonitet & excitet, eo quod quæcumque condita sunt atque creata diuinæ bonitatis sint indicia, homini in suum vsum suamq; vtilitatem concessa, siue ea propria sint cuiusque bona, siue communia: Clamant vniuersa, *inquit August.* Diligite nō nos, sed eum qui fecit nos, nosque vobis vtenda concessit, & dedit: hoc enim naturæ cuiusque insitum vt benefactorem suum diligat. Cum vero *nemo sit bonus nisi solus Deus*, vt Lucas testatur, nimirum natura & per se, cuius natura est benefacere,
Luc. 18.
sicut natura solis est illuminare, cęteri vero nō sint boni nisi participatione, ęquum profecto vt amor noster eius bonitati respondeat, vt si eum non diligamus in quātum est diligibilis, id quod nec angeli possunt, saltem eum diligere nitamur quantum possumus & vires nostræ ferunt.

Neque enim quouis modo vult diligi Deus, sed ex toto corde & ex omnibus viribus, quanta enim tua caritas fuerit, tanti apud Deum eris, si magna ea fuerit, magnus eris, & tu si parua, paruus, si nulla nullus eris. Ideo & præceptum dilectionis magnum dicitur, quia ipsa dilectio ex toto corde facit hominem magnum, Deoque dignum: & quicquid ex caritate fit magni id Deus facit, etiamsi per se minimum fuerit, iuxta illud Mat. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*
Matt. 10.

4. QVÆCVMQVE à Deo condita sunt atque creata, quandam habent bonitatem à Deo ipsis communicatam: vitem commendat fertilitas canem sagacitas, equum generositas, hominem vero sapientia & caritas. Nam sicut cætera vniuersa creauit Deus ob certum finem, certosque effectus faciendos, iisq; vim atq; virtutem indidit, vt talia producere possint: arboribus vim indidit vt fructificent, soli vt hunc mundum illustret, Ita in eum finē nos creauit Deus & vniuersas animæ potentias condidit, vt homo se totum & quicquid sui est in Dei dilectionem impenderet, ita vt mundi cupiditas nullam sibi in nobis vendicaret possit partem.

Quemadmodum enim Moyses cum filios Israel educeret de Ægypto non solum ipsos sed & quicquid ipsorum erat inde eduxit, cumque Pharao postularet vt saltem oues eorum ibidem remanerent, respondebat ei Moyses, *Non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri.* Ita & nos cū huic
Exo. 10
mundo renunciauerimus, nihil nostri in eo remanere, nullam ipse partem in nobis occupare potest; Est n. vt *Isaias loquitur*, stratum angustum, ita vt alter decidat,
Isa. 28
& pallium breue vtrumque simul cooperire non potest. In hoc incumbit dæmon, vt si totum hominem sibi vendicare non possit, saltem aliquam eius partem occupet, vt homo partim mundo, partim Deo seruiat.

5. INTER omnia quæ Dei amorem excitare possunt, constat immensam eius bonitatem principem locum tenere. Cum enim voluntas sic sit condita vt nihil nisi quod bonum est, aut boni speciem referat, amare queat, consequens est, vt quo aliquid maius bonum fuerit, eo maiori dilectione in illud ferri voluntatem debere.

Si igitur creaturæ propter bonitatis ac pulchritudinis scintillas quæ in ipsis relucent, ita sunt adamabiles atq; delectabiles in earumq; amorem homo sic rapitur interdum, vt quo iis fruatur & viuere velit, & mori aliquando non dubitet, cum alioquin pluribus defectibus obnoxiæ sint, hominisque cupiditatem, non tam extinguant aut satient, quam quod irritent & prouocent: Quanto magis inexhaustum illum diuinum bonitatis fontem, & immensū illud pelagus, à quo huiusmodi riuuli pulchritudinē creaturarum promanant, toto cordis desiderio & dilectione amplecti oportet? Quid enim in creaturis ꝙ non plenius & abundantius in Deo reperias? Si pulchritudine delectaris, ipse

speciosus præ filiis hominum: si voluptate, ipse plenus deliciis: si diuitiis & honoribus, si sapientia & virtute, ipse hæc est omnia: Sic enim de eo Sapiens ait, *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria, viæ eius, viæ pulchræ & omnes semitæ eius pacificæ.* Maxime vero hac Dei bonitate & suauitate fruuntur illi qui & ipsi boni & in Deum pii sunt, quos interdum tantis deliciis replet & afficit, vt pro cordis gaudio & voluptate vix seipsos continere valeāt: Sic n. de se loquitur Paulus, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio.*

Prou. 3.

2. Cor. 7.

II. Præceptū dilectionis an impleatur.

1. ISTVD præceptum, *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente & ex omnibus viribus tuis*, alio modo impletur à Sanctis in cœlo, alio modo à nobis viatoribus in terra. Is enim in hac vita censetur Deum diligere ex toto corde, qui totus in hoc est vt Deo placeat, qui cum Paulo dicit, *contendimus siue absentes siue præsentes placere illi, qui amori Dei nihil anteponit*, nec æque diligit, non diuitias, non honorem non amicum quantumuis charum, non patrem aut matrem, imo nec propriam vitam aut animā, sed si alterum istorum foret necessarium, aut Deum deserere aut propriam vitā amittere, potius eligeret vitam amittere, quam Deum lethali crimine offendere. Talis secundum vulgarē & etiam secundū scripturæ loquendi modum recte dicitur, *Deum ex toto corde diligere*, licet venialiter interim peccet, quia fit id quod præcipuum est, & in quo habitur illud assidue exorat: quando v. quod nō fit ignoscitur, totum factum censetur. Sic vulgari loquendi modo dicimus quempiam totum esse in studiis suis, totū alicui esse addictum etiamsi non semper de eo cogitet: Sic & in libris Regum legimus. *Toto corde vniuersus Israel sequitur* Absolon: & Dauid in psalmis, *In toto corde meo exquisiui te.* Hoc modo intellecto hoc præcepto, potest id impleri à viatoribus, quia non tam præcipitur actualis illa dilectio seu interna affectio qua quis actu semper fertur in Deum secundum omnem suum modum & vim animæ, quod futuræ vitæ reseruatur quā habitualis quæ est & manet in homine etiam de Deo nihil cogitāte. Quo fit vt præceptum caritatis secundum diuersas cōsiderationes, partim speciale fit, partim generale. Et quatenus quidem præcipitur actus dilectionis tam internus quam externus suo tempore excitandus hoc præceptum est speciale & ab omnibus distinctum. Quatenus vero eodem præcepto virtualiter ac cōsequenter præcipiuntur actus aliarum virtutū, quibus caritas imperare cōsueuit, est generale præceptum comprehendens omnia quę à Deo sunt præcepta seu prohibita, vt Deū diligere censeatur *ex toto corde suo*, qui mādata eius obseruat. Et sic dicit quod *in his duob. mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ*, h. e. quicquid lex pcipit ibi cōtinet.

2. Cor. 3.

2. Reg. 15.
Psal. 118.

2. ALTERO modo eoq; perfectissimo impletur hoc præceptum quando quis actuali dilectione semper fertur in Deū secundum omnem vim animæ suæ, ita vt homo præter Deum nihil diligat quod non propter ipsum amet, & tantum eum diligat quantum est ab eo diligibilis. Sic sancti illud implent in cœlo, viatores nequaquam: quia quamdiu aliquid cupiditatis eis inest, perfecta caritas nō est, sicut homo perfecte sanus non est, quamdiu aliqua infirmitate laborat: cupiditas autem in hac vita minui quidem potest sed penitus extingui non potest, *inquit Augustinus*, verū vt sic impleatur, quod homo actu dilectionis semper in Deum secundum omnes vires suas feratur, ei in hac vita non præcipitur, quia nihil quod homini impossibile sit, ei mandat Dominus qui bonus & iustus est: sed tanquam finis ei proponitur, vt sciat quo animo & votis & toto desiderio tendere debeat. Et quamdiu finem istum assecutus nō fuerit, se nedū perfectū intelligat: tanto autem perfectius mandatum hoc implet, quanto propius finem istum accesserit: & quamuis hic ad absolutam & perfectam caritatē pertingere non possimus, perfectior tamen quisque erit, quo pro-

propius ad finem accesserit. Et qui plenus est caritate sic fertur in Deum, sicut lapis suo pondere rapitur ad suum centrum: nec ad hoc vt Deum diligat, præcepto aliquo vrgeri debet, aut præmio allici, sed sponte propria id facit, sicut famelicus vt comedat, vrgeri non debet: vnde nec angelis nec hominibus in prima sua integritate constitutis tale quid expresse præceptum legimus, vt Deum diligerent ex omnibus viribus, quia quod per gratiam iam quasi in naturam versum erat, vt propria sponte facerent, ad hoc præcepto aut monitore non egebant. Neque enim homini expresse præcipitur vt seipsum diligat, nec matri vt prolem suam amet.

3. VERVM quamuis naturale sit benefactorem suum diligere, postquam tamen amissa caritate in eius locum successit cupiditas, qua homo in bona fertur terrena tanto vehementius quanto ipsa maior fuerit; iam ei factũ est difficile, imo quasi impossibile Deum ex toto corde diligere, quod prius erat ei leue & factu facile: quia caritas & cupiditas inuicem sibi aduersantur, caritas enim omnia in Deũ refert: cupiditas vero ad se omnia rapit, vt sicut qui Deum diligit, omnia facit vt ei placeat: sic qui cupidus est quicquid agit propter seipsum facit. Quapropter quamdiu difficultatem sentit homo in præcepto dilectionis obseruando, se vires nondum accepisse sciat, *inquit August.* quibus hoc præceptum facile fiat. Post lapsum enim homo spoliatus supernaturalibus donis, caritate, sapientia & similibus, totus remansit corruptus & infirmus, quo fit vt si amoris affectum aut peccati dolorem in se excitare velit, cum ad id efficiendũ diu multumq; laborauerit, eaque animo voluerit atq; reuoluerit, quæ ad huiusmodi affectum excitandum valere putauerit, in hac sua meditatione vix vllã intra se amoris scintillam deprehendat. Cõtra vero si impura aliqua cogitatio, aut iræ motus mentem attigerit, dictu mirũ est, quã breui temporis mora sic totum hominem commoueat vt non modo animũ afficiat, inflammat aut perturbet, sed interdum etiã corpus ipsum inflammet. Id quod sibi accidisse conqueritur psalmista cum ait, *Inflammatum est cor meum* (indignatione scilicet aut concupiscẽtia, modo hac, modo illa) *& renes mei commutati sunt* (cum accẽduntur libidine) & *ad nihilũ redactus sum* (quia amor tẽporalium sensim ad nihilũ in conspectu Dei redigit amantem) *& nesciui*, quia insensibiliter auferuntur homini peccanti bona spiritualia, vt patet de Sampsone qui rasus à Dallila perdiderat suã fortitudinem, & ipso nesciente recesserat ab eo Dominus) *vt iumentum factus sum apud te* (quærens quæ carnem oblectant, quæque nobis cum iumentis communia sunt) *& ego semper tecum*, scilicet me esse putabam, etiam cum longius à te recessissem.

psal. 72.

III. Hominis miseria post lapsum.

1. INCIDIT *in latrones qui spoliauerunt eum & plagis impositis &c.* Homo iste qui in latrones incidit Adamus est cũ toto humano genere: hic *descendit*, quia per peccatum a summo honore deiectus in magnam miseriam & ignominiã deuenit semper natura ad deteriora tendente. *Ab Hierusalem* quæ visio pacis dicitur, quia quicquid primus homo ante lapsum in paradyso videbat, non nisi pax, gaudiũ & lætitia erat: *In Iericho*, quæ luna interpretatur, significans hunc mundũ, vbi omnia orta occidunt, & instar lunæ mutãtur, nec vnquã in eodẽ statu permanent. *Incidit in latrones*, quia in crudelium dæmonum potestatem deuenit, qui instar latronum eũ supernaturalibus donis, immortalitate, veste innocentiæ, caritate, sapientia & similibus gratiis spoliauerunt, *& plagis impositis abierũt semiuiuo relicto*, quia per peccatum naturam ipsam corruperunt, per Adami enim præuaricationem totus homo secundum corpus & animum in deterius est mutatus, vt dicitur in *Conc. Arausi. can. primo.*

Gregor. lib. 20. c. 21 mora. Ambro. libr. 7. cap. 47. in Luc.

2. ID quo pacto verum sit inuestigãdũ hic erit: & inprimis, *sciendum*, quod quãdo Deus

doDeus dicitur creaſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, hic nobis ſignificetur quod homo & nobiliſſima & excellentiſſima præditus fuerit natura, quodque eadem natura miris ornamẽtis iuſtitiæ ſapientiæ, caritatis ac cæterarum virtutum decorata, & tanquam veſtitu deaurato pulchris gemmis atque carbunculis diſtincto, exornata fuerit. Nam imago *iuxta Ambroſium*, ſita eſt in tribus animæ facultatibus, memoria ſcilicet intellectu & voluntate: Similitudo vero vt idẽ docet, in caritate, ſapientia, & iuſtitia, quibus ornatur ipſa imago ſeu anima rationalis, ſicut aer illuſtratur ſplendore ſolis, aut ſicut imago pulchre exornatur viuo aliquo colore ſuperaddito. Ex quo intelligimus quod primus homo non ſolũ naturam in creatione acceperit integram, dum factus dicitur ad imaginem Dei, cum qua etiam nunc homines naſci videmus, ſed & ornamẽta naturæ, virtutes ſcilicet ipſas, quia creatus etiam legitur ad ſimilitudinem Dei, quibus nunc dum naſcimur, deſtituimur.

Ambro. c. 2. hor. de dignita. hum. nat. & ca. 8.

3. PRÆTER virtutes & gratiarum iſta dona naturæ ſic ſuperaddita, dotatus erat inſuper homo dono quodam ſupernaturali, quod dicebatur iuſtitia originalis, quo veluti aureo quodam freno ſeu filo pars inferior ſuperiori parti, & pars ſuperior Deo facile ſubiecta continebatur, ſicuti membra venis & arteriis iunguntur: quo fiebat vt homo nec ad peccandum per carnalem concupiſcentiam incitaretur, nec à bono opere retardaretur, ſed cum quadã facilitate & delectatione, id quod honeſtum erat, operaretur, & quod malũ & illicitum erat ſine vlla difficultate euitaretur. Neque egebat tunc Adam in ſua integritate conſtitutus ſpeciali auxilio ad bene operandum excitante, habitus enim gratiæ quo præditus erat id efficiebat, vt ſi vellet hoc abſque omni difficultate & labore faceret. At nos rupto iſto vinculo iuſtitiæ originalis propter carnales illecebras, quæ aſſidue vel ad peccandum incitant, vel à bono retardant, deſideſque ac torpentes efficiunt, egemus ſpeciali auxilio excitante, dirigẽte & protegente, quod facit nos operari, quia habitus gratiæ in nobis qui ſolũ dat poſſe bene operari, ſubiicit quidem mentem Deo, ſed non carnẽ ſpiritu! Quo fit vt ſi homo non excitetur deſes & iners permaneat, vt ei nihil boni operari lubeat: Hinc pſalmiſta, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, velociter exaudi me Domine.*

Pſal. 142.

4. DESCENDIT itaque primus homo & nos cum ipſo *à Ieruſalem in Iericho*, hoc eſt, à ſtatu iſto trãquillo & pacifico ad ſtatũ inſtabilem & corruptibilẽ, quando ſuperbiendo voluit eſſe vt Deus non per eſſentiam aut naturã, quia nemo poteſt appetere corruptionẽ ſui, ſed per imitationem & ſimilitudinem, vt ſicut Deus nulli ſubeſt, nec eget aliquo rectore, nec à quoquã dependet, ſed ſibi ſufficit, ita ipſe homo nullius imperio ſubiiceretur, nec Dei conſeruatione & prouidentia indigeret, ſed ſe ſibi ſufficere putabat, *teſte Augu.* Cũ enim audirent Adã & Eua, *Eritis ſicut Dij:* quæ verba mulier audierat à ſerpente vir à muliere: voluere atque recogitare cœperunt intra ſe pulchrum eſſe & nobile non pendere ab alio, ſed eſſe ſui iuris, & nullius egere, ſed ſe ſibi ſufficere, ſimulq; delectari cœperunt propria poteſtate & excellentia, ſibique in eo vehementer placere: & occupari huiuſmodi cogitatione & delectatione, non erexerunt animum ad Deũ vt eius fruerentur poteſtate ac imperio ſubeſſent, neque cogitauerunt id fieri non poſſe quod appetebant, neque ſibi expedire vt Deo cõtempto propria fruerentur dignitate: atque ita paulatim ad ſe magis ac magis conuerſi, & à Deo auerſi cœcutire cœperunt, & fidem habere verbis Sathanæ & Dei præceptum minaſque contemnere.

Aug. lib. 14. cap. 1 de ciuita.

5. FIERI autem nõ poteſt, *inquit Aug.* vt voluntas propria non grandi ruinæ pondere ſuper hominem cadat, ſi eam voluntati ſuperioris extollendo præponat. Itaq; ſimile videtur fuiſſe primum peccatum primorum parẽtum ei peccato, quod à theo-

Auguſt. 8. de genẽ. cap. 14.

à theologis dicitur delectatio morosa: Neque enim qui circa pecunias, aut dignitates, aut voluptates delectationē morosam habent, statuunt furtis, ambitioni, aut fornicationi operā dare, & opere implere id quod animo reuoluunt, neque cogitant fieri ne possit an non quod animo voluunt: sed solū ea cogitatione delectantur ac si res ipsa præsto esset, & peccatū nō imaginari one sed opere patraretur. Interea dū hęc fiunt incidit homo in manus latronum subiicitur potestati dæmonum, qui spoliauerunt eum indumento innocētiæ, immortalitate, originali iustitia & omni spirituali gratia, & plagis impositis semiuiuum reliquerunt, ita vt totus homo secundum corpus & animam in deterius sit mutatus. Et eius commotus miseria Deus exclamauit dicens, *Adam vbi es*, Libr. de para. c. 14. Quid est, Adā vbi es? *inquit Ambrosius*, nō quærit in quo loco: sed in quibus miseriis sit. Heu de quibus bonis, de qua beatitudine in quantam miseriam incidisti? Ex immortali factus mortalis, ex sapiente insipiens, ex angelo terrestri, & filio Dei, filius diaboli, ex incola cœli, mancipium peccati, *Homo cū in honore esset*, inquit psalmista, *non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.*

6. SVBLATIS supernaturalibus donis remansit natura qualis esset si in puris naturalibus condita fuisset: & quo ad mortalitatem corporis quia primus homo immortalis erat non conditione naturæ, sed Aug 13. de ciui. c. 20. beneficio ligni vitæ, *inquit Augustinus*, Si enim Deus Israelitarum vestimētis & calceamentis præstitit quod per tot annos non sunt attrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur vt animale & mortale hominis corpus haberet in eo quendam statum quo sine defectu esset annosus, tēpore quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus: *hæc Aug.* Remansit etiam natura sublatis donis supernaturalibus talis qualis in puris naturalibus Libr. 1. de pec. mer. fuisset, quo ad inordinatos motus animæ. Cum enim homo naturaliter constet ex carne & spiritu, & ideo partim cum bestiis partim cum angelis communicet natura, & ratione carnis propēsionem habeat ad bonū corporale, & sensibile, in quod fertur per sensum & appetitum: ratione spiritus vero propensionem habeat ad bonum spirituale, & intelligibile, in quod fertur per intelligentiam & voluntatem: Ex his diuersis & contrariis propensionibus existit in vno eodemque homine pugna quædam, & ex pugna magna difficultas bene agendi, dum vna propensio impedit alteram. Verum hanc pugnam tollebat iustitia originalis, & hunc languorem concupiscentiæ, qui in humana natura existere potuisset ex conditione materiæ, si homo in puris naturalibus conditus fuisset, sanabat & impediebat. Sed per peccatum remoto iustitiæ originalis dono languor ille se prodidit, & factum est vulnus peccati, quod languor naturæ esse potuisset: Ita vt concupiscentia carnis nunc quidem sit pœna peccati, quæ tamen homini cōdito in puris naturalibus fuisset sine dubio naturalis, non quidem vt bonum aliquod naturæ, sed vt defectus & quasi morbus quidam naturæ ex cōditione materiæ consequens, sicut rubigo sequitur naturā & materiam ferri.

7. QVARE rectissime dicitur à Ioan. *Concupiscentia non est ex patre sed ex mundo*, & Ioan. 1. epist. ca. 2 ideo nō amore sed odio est habenda: Ita enim Paulus ad Romanos ait, *Si quod odi malum facio*. Est autē concupiscentia mala & naturæ noxia, quia vt Dei charitas perficit naturā hominis, hoc enim homini bonū est charitate Deo adhærere, ita concupiscentia, qua quis neglecto Deo, mundo adhæret, hominis naturā corrūpit, nō secus atque aqua vino mixta illud minus bonū efficit, eo q cū summo suo bono, quē Deus est, spoliat: Ita vt hęc naturæ corruptio, nō ex alicuius doni naturalis carentia, neque ex alicuius malæ qualitatis inhærentia, sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione, profluxerit & facta sit. Nam sicut nocturnus aer dicitur tenebrosus, non quia vel rem bo-

uam ſubeat, vel ſuam naturā amittat, ſed quia deeſt ei lumen ſolis, quod rem per ſe tenebroſam efficit lucidam: ſic paruulus naſcitur malus, non propterea quod naturale quicquam perdiderit, vel poſitiuā qualitatem prauam ſuſceperit, ſed quia à ſupernaturali Dei munere in primo parente defecit.

8. ITAQVE poſt Adæ lapſum & vulnerata dicitur humana natura, nihilominus integra manſerunt dona naturalia, vt cōmuniter Doctores ex Dionyſio docent. Nam natura noſtra ſicut & dæmonum ſi referatur ad eum ſtatum in quo eſſe potuiſſet ſi in puris naturalibus creata fuiſſet, integra dici debet. Si vero ſtatum illū reſpiciamus, ad quem benignitate conditoris fuerat euecta, vulnerata & corrupta eſt dicenda. Exemplū huius rei habemus in Sampſone qui poſt crines reſectos cum inſignem illam fortitudinem diuinitus acceptā amiſiſſet, infirmus factus dicitur, non quod iam eſſet infirmior quam homines vt plurimum eſſe ſolent, ſed quod eſſet infirmior quam ipſe antea erat accepto illo dono fortitudinis. Sic homo accepto iuſtitiæ dono & ſecūdum Deum & ſecūdum rectam rationem viuere abſque vllo defectu poterat: amiſſo autē iſto dono id iam non poteſt, & ideo infirmus & læſus dicitur. Hactenus enim bonum naturæ poteſt dici per peccatum imminutū, non quod naturalem aliquam potentiam aut aliquod naturæ donum amiſerit, ſed quia aptitudinem & promptitudinem amiſit viuendi ſecundum rationem, viuere autem ſecūdum rationem eſt homini naturale: quæ promptitudo tanto magis perit: quanto amplius homo peccat.

IV. De vulneribus animæ.

SOLENT autem Theologi tradere *quatuor* eſſe vulnera naturæ, *Ignorantiam* in mente: *Malitiam* in voluntate: *Concupiſcentiam* in appetitu concupiſcibili: & *Infirmitatem* in iraſcibili. In mente denſiſſima eſt rerum multarum etiam ſcitu neceſſariarum ignorantia, dum homo ignorat non ſolū res creatas, ſed & ſeipſum & creatorem ſuum. Et inprimis ea ignorantia in infantibus tanta eſt, quanta ne quidem in beſtiis cernitur. Ita enim *Auguſt.* ait, Multorum pecorum pulli etiam minutiſſimi matres agnoſcunt nec ſugēdis vberibus cura & ope admouentur aliena, ſed ea ipſi in maternis corporibus loco abdito poſita mirabili facilitate inueniunt: contra, homini nato niſi opere nutrientis admotis labris papillæ vberis ingerantur, nec vbi ſint ſentiunt, & iuxta ſe iacentibus mammis poſſunt eſurientes flere magis quam ſugere.

Auguſt. lib. 1. c. de pec. mer.

Rurſum *vt idem ait,* Tā tardi nonnulli ſunt & obliuioſi, vt ne prima quidem diſcere elemēta poſſint, & tanta in multis diſcendi difficultas vt multi malint ſemper in tenebris ignorantiæ viuere, quam tantum laborem, quantum ad diſcendum vident neceſſarium, ſubire.

Aug. ep. 23.

Deinde cum hominis propriū munus eſſe videatur contēplari & intelligere res omnes creatas, & ex earū cognitione ad conditoris cognitionē aſcendere, hic inſitum videmus homini à natura incredibile ſciēdi deſiderium, vt enim philoſophus ait, *Omnis homo natura ſcire deſiderat.* Iam cunctæ res adeo ei factæ ſunt difficiles, vt eas ſermone explicare non poſſit, *teſte Eccleſiaſte*: & tanta eſt imbecillitas mentis humanæ, vt ne formicæ quidē naturam perfecte norit, *inquit Baſilius.*

Eccleſi.
epiſt. 18

Huic accedit & aliud malum quod homo non ſolum ſæpe dubitet atque hæſitet in deliberatione rerum agendarum, ſed & poſt deliberationem errorem pro veritate nōnunquam ſequatur vt diſcernere nō poſſit an vere peccauerit, aut quantum aberrauerit, quod eſt miſeria ſuper miſeriam.

2. SECVNDVM vulnus eſt ipſius volūtatis ꝙ ſimiliter varium eſt & multiplex: Amor ſui ſeu philautia, ex quo plurima mala oriuntur, adulationes, cōtentiones, mordaces curæ & ſollicitudines. Eſt & in voluntate pertinacia, malitia, incredibilis negligētia in iis addiſcendis quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, inconſtantia, & faſtidium proprii ſtatus: Infirmitas & difficultas in vitiis ſuperādis, & virtutibus excelen-

ſtendis, vt rarus omnino ſit qui ſi dimittatur viuere vt velit, & facere quicquid velit, non in magna flagitia peruenturus ſit. Et certiſſimum corruptæ voluntatis indicium atq; argumẽtum eſt, faſtidium proprii ſtatus, quia proprium ægrotantiũ eſt nunc in hanc, nunc in illam partem ſe vertere. *Tertium* vulnus, infirmitas eſt in appetitu iraſcibili: Cum enim hæc facultas homini data ſit vt imperanti rationi tanquam miles armatus aſſiſtat & obtemperet, fortitudinem conſtantiamque ac robur ad res bene gerendas præbens, Iam contra plerumque accidat vt imperium animæ ſponte inuadens hominẽ penitus in feram conuertat, eumque cogat impetu ferri & inſilire, rabie vt canes affici, pũgere vt ſcorpiones, mordere vt ſerpentes. Quartum vulnus eſt, concupiſcentia carnis in parte concupiſcibili, quæ inteſtinũ bellum cõtra ſpiritum aſſidue mouet homini: propter quod exclamat Paulus, *Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hæc concupiſcentia niſi freno rationis cohibeatur, hominem prorſus in beſtiam commutabit, qui abſurdiſſimam carnis voluptatem qua ſeſe oblectet, tanquam ſupremum bonum ſectatur, quod propriè brutorum eſt, quæ ad altius bonum non ſunt creata: Et ideo ſine dedecore & damno id faciunt, quod idem ſi faciat homo ſe non ſolum ignominia & damno afficiet, verumetiã pœnis & punitionibus dignum & obnoxiũ reddet. Nec propterea tamen beſtia homine fœlicior eſt, quia ſua voluptate abſque dedecore & punitione frui poteſt: quia tã eſt nobilis creatura homo vt natura pecudis, vitium ſit hominis, *inquit Aug.* eo quod ei datum ſit atque conceſſum ſummo poſſe frui bono, Deo nimirum ipſo, vt propterea ei turpe ſit & perniciosum ſummo bono relicto inhærere infimo, quod nec ſatiare poteſt hominis cupiditatem, quæ experta voluptatẽ maiori exurgit poſtea cum impetu: & poſſit id licet, perdurare non poteſt, quia tranſit mundus & concupiſcentia eius, vt prorſus inſipiens ſit qui in motu pertranſeunte quietem quærit. Bonum autem quod cor hominis exaturare ipſumq; beatum efficere poſſit, æternum ſit quod perpetuo duret neceſſum, eo quod homo ad iſtud à Deo deſtinatus, *Delectare in Domino*, inquit Pſalmiſta, *& dabit tibi petitiones cordis tui.*

3. HOMINEM ſic ſauciatum neq; lex naturæ ſanare potuit, neq; lex Moyſi, *quia ſi per legem iuſtitia*, inquit Paulus, *ergo gratis Chriſtus mortu⁹ eſt*, hoc eſt, ſi homo philoſophiæ ſtudio, quæ vitam bonis moribus inſtituendã docebat, aut legis Moſaicæ obſeruatione poſſet peruenire ad iuſtitiam quæ ſufficit ad ſalutem, tunc ſine cauſa & vtilitate Chriſtus mortuus eſt. Gala. 2. Sed neque philoſophia, neq; lex Moſaica ad id ſufficit, quia quamuis aliqua facerẽt opera bona tam legiſperiti quam gentiles philoſophi, legi naturæ & decalogo conformia, vt cum diligerent diligentes ſe, & proximo nullã iniuriã irrogarent, tamen ea apud Deũ non erant tanti meriti vt per ea ſua peccata redimere potuiſſent, cũ n. fierent abſq; caritate, quæ eſt radix omnis meriti, nihil apud Deũ iis mereri poterãt. Quinimo dicit Paulus ad Romanos & ad Corinthios legẽ ſubintraſſe, *vt abundaret delictum*, nã cũ veniſſet mandatũ reuixit peccatum. Rom. 5. & 7. 2. Cor. Mira res, mandatũ erat datũ vt prohiberet & compeſceret peccatũ, quod tamen vſque adeo non fecit, vt peccatum etiam adauxerit, non quidẽ cauſaliter, ſed occaſionaliter, quia nitimur in vetitũ, & inuentũ eſt mandatum quod erat ad vitã, mihi eſſe ad mortem. Hoc deploratæ ægritudinis ſolet eſſe proprium, vt adhibita remedia non modo nihil ægroto conferant, ſed etiam noceant: *vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum*, inquit Paulus, hoc eſt, vt appareat quanta ſit illa vis naturæ corruptionis, quæ medicamẽta vertit in venena, vt iã auctius ſit peccatum dũ fit à ſciente & præuaricante, quam erat prius cum ſimpliciter committeretur ab ignorante. Hunc morbum tam exitialem quia lex & legis ſacrificia

ficia sanare non potuerunt, ideo leuita & sacerdos transiuisse dicuntur. Sed descendit Samaritanus Christus homo factus & misericordia motus erga genus humanum hominem suscepit curandum, oleum & vinum infudit, misericordia & iudicio vsus, sacramenta instituit, gratiam contulit, stabulario & prælatis ecclesiæ curam huius vulnerati commisit, vt plene curetur atque sanetur.

PARS III.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & proximum sicut teipsum. Luc. 10.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Cur Deus à nobis magis diligi quam timeri velit.*

II. *Caute creatura diligenda ne te abstrahat à dilectione creatoris.*

III. *Est duplex dilectio, affectualis vna, & actualis altera.*

ART. I. Cur Deus potius à nobis diligi quam timeri velit.

1. QVEMADMODVM ad vitam naturalem non sola sufficit ratio, aut sensus sed affectus quoque necessarii sunt Ita ad spiritualem vitam degendam non sufficit lumen intellectus, nisi & rei cognitæ adsit dilectio, vt enim speculatiua & nuda malarum rerum cognitio non perinde nocet nisi quis iis afficiatur, Ita neque bonarum rerum consideratio multum proderit, quamuis interim sua vtilitate non careat, nisi affectum transmutet: neque enim bonarum vel malarum rerum cognitio hominem aut meliorem reddit aut deteriorem, sed id amor facit & affectio, transmutat enim cor amantis in naturam rei amatæ, vt qui Deum amat diuinus Deoque similis fiat, qui bona amat terrena terrenus fiat. amor enim imaginem rei amatæ imprimit animo, sicque eum illi similem efficit. Propterea ea in meditationibus nostris imprimis danda est opera vt per eas ignis inardescat amoris rei cognitæ seu bonitatis diuinæ: Id quod sibi accidisse gratulatur Psalmista cum ait, *In meditatione mea exardescit ignis:* Nam quod amici Dei vsque adeo caritate eius flagrauerint, id potissimum ex illius cognitione & meditatione qua se diligentissime exercebant, accidisse certum est, quo enim quisque Dei bonitatem agnoscit melius & considerat intentius, eo eam diliget impensius, quod autem minus eũ diligamus, fit quia qualis sit non satis nouimus: nam quanquam sciri possit aliquid quod non diligitur, nihil tamen potest diligi quod non scitur.

2. QVÆRITVR ergo. Quomodo Deus diligatur qui non videtur? an quia creditur? Sed cauendum, *inquit August.* ne credens animus id quod non videt, fingat sibi aliquid, quod non est & diligat quod falsum est: quod si fit, non erit caritas de corde puro & fide non ficta. Aug. li. 8. de Trinit. c. 4. 5. & 6. Et quidem dum Christum hominem factum audimus, certam corporis Christi figuram concipimus, quæ in diuersis diuersa concipitur, nec ibi occupatur fides nostra qua facie corporis fuerit Christus, quæ vna erat quæcumque erat, non varia prout varie à variis concipitur, sed illud fide creditur de Christo quod secundum speciem de homine cogitamus, habemus enim infixam nobis humanæ naturæ notitiam, secundum quam quicquid tale aspicimus statim hominem esse cognoscimus: Ibi salua fide licet dicere, forte talem habuit faciem Christus, forte talem non habuit qualem animo concipimus: hic vero salua fide non licet dicere, Forte factus est homo Christus: quia quod factus sit homo Christus Deus, fide credẽdum est, sed quod talem vel talem habuerit faciem, res est non fidei, sed opinionis. Sed quam cognitionem Dei concipiemus, quem nec vnquam vidimus, nec corporis figuram habere scimus? Certe quemadmodum diligimus iustam animam Petri aut Pauli, nõ propter humanã speciem quam notissi-

Digitized by Google

notissimam habemus, eo quod credimus eos fuisse homines, alioquin nunc non esset quem diligeremus, quia homines illi iam non sunt, animæ enim eorum à corporibus separatæ sunt: sed id quod in Paulo iam amamus, etiam nunc viuere credimus, amamus enim animam iustam quam generali quadam notitia nouimus, quia & nos animam habere quæ molem corporis nostri viuere & moueri facit, scimus & iustum eum definimus qui cuique quod suum est tribuit. Quomodo igitur animam nouimus & iustitiam cernimus, nō oculis corporis, sed mentis, Ita & Deus qui & spiritus est & iustus est, imo iustitia ipsa est, & nobis intimus est, nobis notus est, præsertim dum reuocati à strepitu, qui foris est, ad gaudia internæ quietæ dilectionis conuertimur, vt quanto flagrantius diligimus Deum, tanto certius sereniusque eum videamus & cognoscamus.

3. NIHIL est quod æque à nobis requirit Deus vt amorem sui, cum enim nos ipse amet non aliud amori suo quam amorem rependi cupit, sciens ipso amore fore beatos qui ipsum amauerint. Estque solus amor, *inquit Bernar.* ex omnibus animæ motibus atque affectibus in quo potest creatura respondere suo creatori, & si non æqualem saltem similem ei rependere vicē: Neq; enim si mihi irascatur Deus, ego vicissim ei reirasci potero, sed meum iudicem deprecabor: aut si saluet Deus nō quærit à me saluari: si dominatur mihi, ego ei seruire debeo, si imperat, me parere oportet, & non vicissim ab eo exigere seruitium aut obsequium: Sed cum amat non ad aliud amat nisi vt ametur: & quāquam honorari velit vt pater, & timeri vt Dominus, amari tamen plus amat tanquā sponsus, quia absque amore & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam: seruilis est timor quamdiu ab amore non manumittitur, & honor qui non proficiscitur ab amore non honor sed adulatio est: Quinimo quantalibet venustate sui emineant virtutes omnes, sine caritate tamen nec pretium habent nec meritum:

Ser.13. in Can.

absque caritate nullum bonum suscipitur cum ea nullum quamlibet exiguum respuitur etiam si calicem aquæ frigidæ quis solum dederit cum caritate mercedem habebit: tolle caritatem nec fides etiam si montes transferat placet. Amor vero & per se placet, & propter se gratus est, modo tamen purus fuerit & non mercenarius: sunt enim gradus in eo, in quorum summo atque supremo stat sponsa quæ amat, amant & filii sed de hæreditate cogitant, quam dum verentur quoquo modo amittere, ipsum à quo expectatur hæreditas plus reuerentur & minus amant: est enim suspectus admodum amor cui spes suffragatur aliud quid adipiscendi, qua spe subtracta, aut extinguitur aut minuitur amor qui infirmus erat. Purus amor de eiusmodi spe vires non sumit, seipso contentus est suauitate & dulcedine plenus.

hæc Bern.

4. ITAQVE qui à malo declinat metu pœnæ aut bonū facit intuitu mercedis æternæ, est quidē hoc vtile, quia sectatores suos ad charitatis exordia pducit, sed proprie illorū est qui nondū charitatis affectu imbuti sunt. Magnū n. discrimē est inter eū qui à malo abstinet metu gehennæ aut spe retributionis æternæ, & eū q malitiā abhorret affectu caritatis diuinę: Qui n. à blandimentis abstinet vitiorum metu pœnę, extorquet' id quasi à nolēte & sublato timore rursū ad malū φ latētur diligit redibit. Qui aūt infirmitate sanata & vitiorum impugnatione deuicta in affectum trāsiit virtutis & caritatis, bonum facit non respiciens remunerationem futuræ promissionis, sed delectatus conscientia boni præsentis, & summo horrore detestatur quicquid caritati contrariatur quin & sollicite cauet etiam minimā offensam non quia gehennam aut pœnam metuit, sed quia caritati, cuius detrimenta nihil perniciosius iudicat officere nequaquam cupit: Hoc peculiariter eorum est qui reformauerunt in se imaginem & similitudinem Dei; sicut enim Deus operatur ea quæ bona sunt largiens dignis

Digitized by Google

& indignis bonorum copiam, non metu pœnæ neque spe retributionis percipiendæ, sed solo bonitatis affectu motus, Ita quicumq; per syncerũ caritatis affectum imaginem Dei in sese reformauerit, illicitur, vt bene operetur non spe lucri, nec expectatione mercedis percipiendæ, sed virtutis amore. Cæterum qui multis iam annis caste sobrieque vixit, & lectioni institit, ac vitiis restitit, frequenter etiam orationi incumbit & annos præteritos in amaritudine animæ suæ recogitat, sine querela inter fratres conuersatur, qui aliena non cupit, sed propria potius elargitur, dum totum hoc de consuetudine constat, de dulcedine autem & spiritus suauitate nihil, quid in his omnibus is aliud est, *inquit Bernardus*, nisi iuxta Ozeam cap. 10. *vitula Ephraim docta diligere trituram?* in istis anima hominis est sicut terra sine aqua arida & insipida, quamdiu non repletur gratiæ pinguedine & spiritus suauitate, & amoris dulcedine.

Serm. 9. in Can.

5. DISCE ergo amare Deum suauiter, sapienter & fortiter, *inquit idem*, ita suauis sit & sic dulcescat tibi Deus quem diligis, ne illecebris voluptatis carnalis ab eo abstraharis, vincat dulcedo spiritus illecebras carnis Et hãc arbitror, *inquit*, præcipuam inuisibili Deo fuisse causam quod voluerit homo factus in carne videri, & homo inter homines conuersari, vt quos carnales effectos videbat, qui nisi carnaliter amare non poterant, eos ab amore carnali abstraheret & paulatim ad amorem spiritualem perduceret: hinc tantam eis exhibuit animi humanitatem, morũ suauitatem, & spiritus dulcedinem in carne homo factus, vt durissimi cordis fuisse eũ necesse sit, quisquis eum toto affectu non dilexit, volens itaque Deus hominẽ creaturam vtique nobilem recuperare, qui perierat & se perdiderat, primo quia nouerat eum timidum, comminatus est ei acerbiora, quam excogitari possint; tenebras exteriores, ignem inextinguibilem, stridorem dentium & fletum inexterminabilem. Cum autem sic parum proficeret & non nisi inuitum cogere videretur qui non lubens nec sponte veniret, aliam ingressus est viã: Et quia hominem non solum timidum sciebat, sed & cupidum nouerat, promisit ei quod maxime desiderabile videbatur, aurũ, argentum, copiam vini & olei, sic enim ait, *Israel si me audieris, bona terra comedes*, promisit insuper regnum æternum & vitam perpetuam. Sed nec sic profecit multum, quia maior pars ei non credidit, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem. Alia igitur ingrediendum erat via, & amore ipsum hominem pellicere voluit, quo nihil est efficacius ad quempiam pertrahendum, & in carne veniens tam amabilem se exhibuit vt illam nobis impenderet caritatem qua maior non potest cogitari, vt etiam animam suam daret pro nobis. Et vere in nullo sic Deus suam commendat caritatem sicut in mysterio suæ incarnationis & passionis, vt videre sit sanctos Dei sic affectos erga Christum infantem factum & passum, vt vix sine lachrymis ea vel audire vel recordari valeant, tanta in eis exoritur dulcedo cordis in meditatione passionis.

Bern. ser. 10. in Cã. & serm. de dili. Deo.

6. EXIGVA sunt hæc fateor, & non nisi crepundia christianæ infantiæ, cũ & Paulus sic loquatur, *Tanquam paruulis lac potum vobis dedi non solidum cibum, nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis.* Quin & apostoli sic Christum primo dilexisse videntur, à quo corporaliter separari nolebant: Estque hic amor cordis quodammodo carnalis qui versatur circa carnem Christi & circa ea quæ gessit in carne, circa natiuitatem, passionem & resurrectionem eius. Erat nihilominus carnalis iste eorum amor bonus, & donum & magnum donum spiritus, quia nequaquam sine spiritu sancto in carne diligitur Christus: bonus, inquam, erat quia illo abstrahebantur à mundo, à carnis illecebris & voluptatibus, *Ecce*, inquiunt, *nos reliquimus omnia & secuti sumus te*: Solo profecto corporalis præsentiæ amore reliquerant

rant omnia, quo fiebat vt cum ab eis discessurus esset magno cum mœrore discessum eius sustinerent, hoc enim est quod eis dicebat. *Quia hæc locutus sum vobis tristitia impleuit cor vestrum.* Primum itaq; amoris gradum conscendit qui carnali amore Christum diligit eiq; passo pie compatitur, dumq; ad memoriam eorum quæ pertulit Christus, facile compungitur & mouetur, istius deuotionis suauitate pascitur & ad honesta quæque & pia confortatur. Monstrabat autem eis postea altiorem amoris gradum, cum diceret, *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.* Puto hunc gradum ascenderat is, qui dicebat. *Si Christum nouimus secūdum carnem, sed iam nunc non nouimus.* Perfectior enim est caritas qua diligitur sapiētia patris Christus, quam carnalis amor quo diligitur homo Christus, illa instar solidi cibi confortat & virum atque amicum sponsi decet, iste instar lactis pueris conuenit, dulcis est quidem sed non ita prudens, neq; fortis: cum enim hoc amore carnali Christum diligerent apostoli, id eum pati nolebant per quod saluari debebant, neq; enim de passione quicquam audire volebant, & ideo dilectio eorum minus prudens erat: sed nec fortis erat quia tam leuiter eum tempore passionis deserebant & negabant. Fortior erat & perfectior caritas eius, qui dicebat. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? an gladius? Certus sum quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; instātia, neq; futura, neq; altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei qua est in Christo Iesu Domino nostro.*

Ioan.16.

2.Cor.5.

Hæc Bern.

Rom.8.

7. SIC fortiter & ardenter amat quæ dicit, *Dilectus meus mihi & ego illi*: Trunca est & deficiens oratio, & nescimus quid loquitur quia non sentimus quod sensit: mirabiliter enim delectata flagranti ipsius amore, nec exprimere potuit quod sensit, nec tamen omnino tacere quiuit. habent enim suas voces affectus præsertim si sint vehementes, per quas etiam cum non vult homo, se produnt, timor meticulosas, dolor gemebundas, amor iucundas: Neque enim ratio excitat seu format merentium singultus, dolentium planctus, percussorum efferatas clamitationes, sed nec saturorum ructus, animi prodeunt nutu, sed erumpunt motu: sic vehemens amor cum se intra se cohibere nequeat, non attendit quo ordine verba ebulliat, dummodo ex hoc nullum sui detrimentum sentiat: Interdum nec verba requirit solis contentus suspiriis. Quæ ergo in bonis repleuit desiderium suum, quid mirum si ructum potius quam verbum emittit, & odorem habet ructus ille non malum sed bonum, olet enim non crapulam indigestam, sed amorem bene digestum, sic enim ait, qui id expertus erat, *Eructauit cor meum verbum bonum*. ex abundantia cordis certe os loquitur. Et si quis horum quæ dicuntur cupit adipisci notitiam, amet, idque non tepide sed ardenter: alioquin frustra ad audiendum amoris carmen, qui non amat, accedit, quia omnino non potest capere ignitum eloquium pectus quod fuerit frigidum: Quomodo enim græce loquentem non intelligit qui græca non nouit, sic lingua amoris ei qui non amat, barbara est, sicut æs sonans aut cymbalum tinniens.

Hæc Bern.

8. SI CVR diligendus sit Deus causa quæratur? dico, *inquit Bernard* quia nihil iustius, nihil fructuosius diligitur quam Deus: merito enim suo diligitur qui prior nos dilexit, & ad hoc vt diligatur dilexit, cum non solum nos homines suæ dilectionis capaces fecit, sed & inimicos vt amicos eos faceret, redemit, à quibus tamen nihil sibi vtilitatis expectauit, quod est veræ & synceræ caritatis quæ non quærit quæ sua sunt. Quid potest autem iustius esse quam vt Deus & suum opus, eius enim sumus, quia ipse fecit nos & non ipsi nos, & sua bona vendicet sibi? Diligam igitur te Deus meus pro dono tuo & modo meo, minus quidē iusto, sed

De diligēdo Deo.

plane non minus posse meo, *inquit idem Bernar.* qui etsi quantum debeo non possum, non possum tamen vltra quam possum, potero vero plus cum plus donare dignaberis, nunquam tamē prout dignus haberis. *Altera causa* cur diligendus sit Deus est præmium & commodum nostrum, non enim absq; præmio diligitur, etsi absque præmij intuitu diligendus sit: vacua enim & inanis non potest esse vera caritas, quamuis mercenaria esse non debeat, quippe cū non quærat quæ sua sunt: verus amor seipso contentus est, habet præmium sed id quod amatur: Nam quicquid propter aliud amare videaris, id plane amas quo amoris finis pertendit non per quod tendit, si Deum amas quia bene fecit tibi non tam ipsumquam dona illius diligere conuinceris, quanquam carnalis homo, qui neminem præter se diligere didicit, beneficiis allici debeat vt Deum diligat, vt etiam cum Deum amare incipit non propter ipsum, sed propter se interim eum diligat, donec ex occasione frequentium necessitatum, in quas homo subinde incidit, crebris postulationibus Deum frequentat, frequentando gustare incipiat, quod suauis sit Dominus, ita vt ad diligendum pure Deum plus iam ipsius gustata illiciat suauitas, quam vrgeat hominis necessitas. Quod si ad altiorem caritatis pertingat gradum quatenus nec seipsum diligat homo, nisi propter Deum, ob solam videlicet illius voluntatem non nostram voluptatem, tanto erit purior huiusmodi amor, quanto in eode proprio nihil admixtum iam relinquitur, & tanto dulcior quanto totum est diuinum quod sentitur: Sic affici deificari est, sicut ferrum ignitum igni fit simillimum pristina propriaque forma exutum, & quomodo solis luce perfusus aer in eandem trāsformatur luminis claritatem, vt non tam illuminatus quam ipsum lumen esse videatur, sic qui hac pura & summa caritate Deum diligit, fit quidam ineffabili modo, & ipse diuinus. *hactenus ex Bernardo.*

9 QVID porro eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius inuenimus? hoc autem Deus est. cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, neque istud neque nosipsos diligere scimus: qui enim à præstantiore bono auersus ad seipsum vel ad inferiora bona conuertitur, fit peruersus & in bono malus, quia bono meliori priuatus: Tanto enim nobis melius est, quanto magis ad Deum qui est summum nostrum bonum, accedimus, non ambulando sed amando, non gressibus corporis, sed affectu mentis, vt solus seipsum vere diligere dicendus sit qui Deum diligit: siquidem ille satis se diligit qui sedulo agit vt summo & vero bono perfruatur, & qui aliter se diligit potius se odisse dicendus est, quia fit in eo quod scriptum est, *Qui amat iniquitatem, odit animam suam*: quid autem iniquius quam aliquid quod diligimus vel præponere vel æquare Deo, vt id aut magis aut æque vt Deum diligamus? cum *teste Augustino*, amor iste sit perfectus quo quis quippiam tantum amat quantum amandū est, si plus vel minus id ametur imperfectus huiusmodi amor futurus sit: Cum autem incomparabiliter melior sit Deus quam sit creatura omnis, incomparabiliter quoq; amplius est diligendus: vnde Lucifer cū seipsum magis diligere cœpit quam Deum, suaq; potētia & decore magis frui voluit quam potentia aut pulchritudine Dei, à Deo auersus & ad seipsum conuersus defecit, & minus quam erat esse cœpit, quia cum Deo frueretur & caritate delectabiliter illi adhæret, licet non summe esset, quod solius Dei est, tamen magis & maior erat quam cum se frueretur, eo quod Deus & melior & maior sit quam ipse erat, qui & dilectores suos magnos & potentes efficit. Hæc Aug. epist. 52.

II. Caute creatura diligenda.

1. PRVDENTER igitur diligendæ sunt & caute Dei creaturæ, ne si blandis suis illecebris noxiæ delectationis venenum transfundant in animum hominis, hominem non ad Deum ducant, sed miserum

falso

falso gaudio, falsaq; delectatione seducāt & à Deo auocent: sic enim vt Sapiens testatur, *creatura Dei in tentationem facta sunt animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*, non sua vtique natura, absit, cum ad hoc factæ sint vt nos veluti manu ducant ad Deum, *Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas*, sed hominum iis abutentium insipientia. Exhibent se quidem creaturæ Dei nobis, suique speciem atque pulchritudinem oculis intuentium offerunt, non vt iis cupide fruendo & delectabiliter inhærendo contemnamus creatorem, & in eius creaturis quæramus beatitudinem, sed ad hoc vt temperanter iis vtendo laudemus & amemus factorem, qui per diuersas creaturas diuersi mode se exhibet conspiciendum, cognoscendum, laudandum & amandum: Siquidem attendendo quod eæ ex nihilo sint factæ, omnipotentiam patris cernere & mirari licet: considerando vero, vt illæ optimæ factæ, *vidit Deus cuncta quæ fecit*, inquit Moyses, *& erant valde bona*, vtiq; conuenientissimo sunt ordine constitutæ atque dispositæ, sapientiam filij intelligere hinc quis possit: si denique creaturarum fructum & vtilitatem, cuius nulla earum ex integro expers est, attente intueri quis velit, bonitatem spiritus sancti facile animaduertet.

Sapi.13. 2 VANI *sunt autem omnes homines*, inquit Sapiens, *qui de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex: quorum si specie delectantur, sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit: Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui hæc fecit, fortior est illis, à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterat creator eorum videri*, & Augustinus *in epistolam Ioannis*, August. tract.3. Væ tibi si amaueris condita & deserueris conditorem: Pulchra tibi sunt: sed quanto est pulchrior qui ista formauit? Non vos seducat Satanas, dicens quod dicere solet, Bene sit vobis in creatura Dei? Quare illa fecit nisi vt bene sit vobis? Et inebriantur & pereunt & obliuiscuntur creatorem suum. Non te prohibet Deus amare ista, sed ne ad fruēdum ames, quod ad vtēdum habere debes, ne diligas ad beatitudinem, quod laudare debes vt ames creatorem. Quemadmodum si spōsus faceret sponsæ suæ annulum, & illa acceptum annulum plus diligeret quam sponsum qui illi fecit annulum: Nonne in ipso dono sponsi adultera anima deprehenderetur, quamuis hoc amaret quod dedit sponsus? Quis non detestaretur hanc amentiam, amare annulum pro sponso, aurum pro viro? Ad hoc vtique arram dat sponsus, vt in arra sua ipse ametur. Sic dedit tibi Deus omnia ista, vt in illis illum amares qui fecit ista: quod si illa amaueris, quamuis illa fecerit Deus, & creatorem neglexeris, nonne tuus amor adulterinus deputabitur? *Hæc Augustinus.*

3 EST ITAQVE quidam animæ amor peruersus & perniciosus, quando res bona diligitur amore non bono, neq; enim res quamuis male diligatur propterea mala est, quia quod male diligatur hoc fit non rei vitio sed hominis, qui in extremi boni dilectione atq; delectatione turpiter volutatur, cui primis inhærere fruique concessum est, verbi gratia cum anima quouis corpore superior sit & melior, quamuis in ordine suo natura corporis bona sit, peccat tamen anima & peccando fit mala in re bona, quia cum suam dilectionem quam Deo debet, corpori impendit, illudque ipsi Deo in dilectione anteponit, minus est quam esset, si id quod summe est dilexisset: defectus autem quo quis tendit ab eo quo minus est ad hoc vt non sit aut vt minus sit, malus est, sicut profectus quo quis ab eo quod minus est tēdit vt magis sit, bonus est. Magis autem est homo & est melior dum per caritatem delectatur in Domino, quam si per cōcupiscen-

piscentiam fruatur voluptate corporis, in eaq; turpiter delectetur: Et quemadmodum fructuosa & honesta delectatio sequitur amorem rectum qui caritas dicitur. Ita delectatio perniciosa sequitur amorem prauum qui cupiditas dicitur, dũ quis id quod male amat habet. Et huiusmodi praua delectatio alligat peccatores, vt inde abrumpere amorem & ad vtilia conferre non possint, quia amor amore impeditur, nec potest amor rectus intrare in cor hominis, nisi prius inde exclusus fuerit amor noxius, sicut mel nõ potest in poculum infundi nisi ex eo prius acetum effundatur. De hoc amore noxio dicit Dominus, *Qui amat animam suam perdet eam*, quia dum anima turpis amat pulchrũ corpus seu pulchram fœminam, tantum abest vt amando rem pulchram pulchra ipsa inde fiat, vt insuper siquid decoris adhuc retinebat, id amando perdat. Sed anima amando Deum efficitur pulchra, & quantum in ea crescit amor Dei, tantum crescit ipsius pulchritudo, quia ipsa caritas est animæ bonitas, decor & pulchritudo. *hæc Augustinus.*

August. in epi. Ioan. tract. 9.

4 EST ALIVS amor carnalis sed licitus qui & sanguinis dici potest, quo parentes amant filios, maritus vxorem: qui nobis cum pecoribus est communis, nam & passeres fouent pullos. Neque multum laudandus est qui aut filios aut vxorem amat, licet detestandus sit qui non amat. Quid enim pro magno volo laudare in homine, quod video in tigride? amant enim & serpentes filios suos: si non amaueris, etiam serpentibus deterior inueniris. *Rursum* est alius amor & is licitus, non sanguinis, sed consuetudinis, qui se vlterius extendit quam ad cognatos, quia & ad vicinos & ad eos qui nobiscum conuersantur aut habitant, Sed nec in isto amore bestias excedimus, habent enim illum & pecora: duo equi manducant simul viuunt, dum præcedit vnus festinat alter, nec vult deseri à socio suo, sed amore suo velut pondere fertur & festinat donec veniat ad alterum, & tum quiescit.

Hæc ex Aug. tom. 10. ho. 38.

Rursum est alia dilectio non consuetudinis nec sanguinis, sed rationis, qua amicus diligit amicum, non propter pecuniam aut munera, qui enim ideo amicum diligit, non ipsum sed ipsius dona amat, sed gratis propter mutuam beneuolentiam diligit. Quod si tantum crescat amor vt non solum propinquos & amicos complectatur, sed & ad extraneos, peregrinos, quinimo ad inimicos perueniat, iam multum dilatatus est. Et talem amorem à nobis exigit Deus, cum ait, *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?* & rursum, *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum, Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Facile est diligere amicum, sed inimicum diligere sæuientem, & verbis asperis te mordentem, & contumeliis & odiis te insectantem, hoc difficile videtur, quia omnis dilectio beneuolentiam quandam habet erga eos qui diliguntur, in inimico autem nihil apparet quod amore aut beneuolentia dignum sit. Matt. 5.

5 HIC obseruandum quod oporteat diligere proximum, sub quo comprehendimus & inimicũ, non vt diues sit, quia fieri potest quod suis diuitiis sit abusurus: non vt pulchrã habeat vxorem: quid si sit pulchra sed fatua & mala ex qua amaram vitã patietur? Spero quod non ais, quasi prudẽtis sit in re incerta magis sperare quã metuere: Incerta autem sunt ista quæ videris optare dilecto tuo, qualia sint ipsi futura. Opta ei potius vt tecũ habeat Dei timorẽ & amorem vt possit peruenire ad salutem: Sic oportet omnem hominem diligere etiam inimicum suum, est enim & inimicus: quia homo est, gratiæ Dei capax, licet illa hominis natura sit odio & inimicitia deprauata, & eatenus non diligendus sed odio habendus, iuxta illud, *Odio habebis inimicum tuum*, in quantum scilicet iniquus est, vt odio quidem habeas ipsius nequitiam & malam voluntatem, diligas tamen ipsam naturam, quam huiusmodi peccatis Deut. 23.

tis

tis cupis liberatam, & oras pro eo vt beneuolus & amicus fiat & odium deponat: Sicut faber dũ videt lignum nõ dolatum ex quo vult pulchram imaginem sculpere, amat istum truncum non ad hoc vt semper sic rudis maneat, sed in arte vidit quod futurũ est, & illud amat illã pulchram scilicet imaginem: sic & Deus amat peccatores non id quod sunt, sed quod futuri sunt, adhoc & tuum inimicum teneris diligere, non vt semper inimicus maneat, tunc enim odisses non amasses, sed vt ex inimico amicus fiat & Dei & tuus.

6. Hoc humanę infirmitati difficile quidem videtur, imo propemodum impossibile vt inimicũ diligat, quia vt caritas habeatur, etiã tanta quãta in corpore mortis huius haberi potest, parum est nostræ voluntatis arbitrium, *teste Aug.* nisi adiuuet gratia Dei per Christum Dominum nostrum: Diffunditur quippe in cordibus nostris non per nos ipsos sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. Nec aliam ob causam scriptura commemorat nõ esse grauia præcepta diuina, nisi vt anima quæ illa grauia fuerit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus præcepta Domini fiunt leuia atque suauia, quas vires præbet ipsa caritas, quæ ex Deo est & non ex nobis. Dices forte, Si caritas ex Deo est & non ex nobis, vt quid nobis præcipitur, *Diliges Deum ex toto corde & proximum*, sub quo etiã inimicus intelligitur, *sicut teipsũ?* Certe præcepto admonetur liberum arbitrium, *inquit Augustin.* vt quærat Dei donum orando, ingemiscendo, materias illas mente pertractando quę cor ad amorem incitent, vt iam quidem diuina commemorat beneficia quæ recepit multa & magna, iam vero diuina reuoluat promissa quæ sunt maiora: quod si id corde minus possit quia meditationib. non assueuit, verbo saltem & ore sibi ea commemoret.

Aug. de grat. & lib. arb. ca. 10.

7. EST duplex caritas actualis vna & affectualis altera: & de illa quidem quæ operis est puto datam esse legem hominibus, *inquit Ber.* quod vel inde apparet, quia

Bern. ser. 50. in Cã.

cum dixisset Dominus, *Diligite inimicos vestros*, mox de operibus infert, *Benefacite his qui oderunt vos*: Et de sui dilectione loquens Dominus, nos ad opera mittit per iniunctam obseruantiam mandatorum, *Si diligitis me*, inquit, *sermones meos seruate.* Et cum iuberis proximum diligere sicut teipsum, an non satis tibi esse iudices ad implendum istud de proximi dilectione mandatum, si id perfecte obserues, in quo omni homini recte de lege naturę præscribitur. *Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facitis illis.* Neq; hoc dico vt sine affectione simus & de corde ... solas manus & opera moueamus, cũ Paulus inter alia magna & grauia hominum mala hoc quoq; adnumeret, scilicet, sine affectione. Sed *notandum*, quod triplex sit affectio: *vna* quam caro gignit & carnalis dicitur, quæ licet dulcis sit, turpis tamẽ est & mala, quæ legi Dei non potest esse subiecta. *Secunda* est quam ratio regit & legi Dei consentit, quæ sicca quidem est, sed fortis & bona, per quã opera fiunt: & in ipsa caritas sedet, non illa affectualis quæ sale sapientię condita pinguescens magnã menti importat multitudinem dulcedinis Domini, sed quædam potius actualis, quę etsi nondum dulci amore reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit dum ad bene operandũ mouemur, magis quodam viuidæ veritatis impulsu, quam sapidæ illius caritatis affectu. *Tertia est* quam sapientia condit, quæ gustat & sapit quoniam suauis est Dominus, primam eliminans & secundam remunerans, quia cũ ista mandatur ad meritum, hæc datur ad prœmium: cuius initium profectumq; vitam quoq; præsentem experiri diuina posse gratia non negamus, *inquit* sed consummationẽ eius plane fœlicitati futuræ deputamus, Deus itaque in initio nõ tam operum nostrorum dignitatem & perfectionem, quã bonum ac piũ nostræ volũtatis studiũ attendit, nec illã suauem & sensibilem cordis affectionẽ in principio requirit, sed eam tanquam præmium nostri laboris, cũ labor noster tale quid meruerit, retribuit.

Matth. 7.

2. Tim. 3.

8. PORRO in has charitate actuali & affectuali est ordo pręposterus, quia actualis inferiora præfert dum infirmioribus fratribus diligentiori cura assistimus, quia actualis charitas non pretia rerum considerat, sed necessitates hominum attendit. Sed affectualis perfectiores præfert infirmioribus, est enim sapientia per quam quęque res sapit prout est: nō autem semper quod prius curandum id etiam diligendum est amplius, cum sæpe quod prius est ad curam, minus sit ad dignitatem & vtilitatem, ac per hoc minus diligendum.

PARS III.

Diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo.

Luc. 10.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Explicantur quadam partes præsentis Euangelii.*
II. *Quanto amore suos electos prosequatur Deus.*
III. *Quam ardenter Sancti vicissim diligant ipsum Deum.*
IV. *Non possunt simul consistere amor Dei & amor mundi.*

I. Explicantur quædā loca hodierni Euāgelii.

1. BEATI *oculi qui vident quæ vos videtis.* Dei maiestatem & diuini verbi substantiam humanitate Christi tanquam quadam nube tectam, corporis oculis discipuli in mortali corpore morantes, videre quidem non potuerunt, attamen similitudo gloriæ illius in sacra illa humanitate relucebat, & diuinitatis radii foras prodibant, dum ea operaretur quæ propria Dei sunt. Si enim Dionysio Deiparam virginem intuenti dicere licuit, Nisi Deū spiritum esse crederem, hanc quam vidi diuinam virginem, Deum esse dicerem: Quid de filio eius Saluatore nostro dicēdum putamus? cuius ex vultu radius quidam diuinus, qui venerationem simul & amorem pectoribus apostolorum inserebat, emicabat. Et si Regina Saba beatos dixit Salomonis seruos & amicos, quia audiebant sapientiam eius quotidie, *Ecce plusquam Salomon hic*, quanto beatiores igitur apostoli Domini audientes sapientiam eius? quod si sollicite curauerint Iacob, Ioseph & alii patriarchæ, vt in terra promissionis sepelirentur, & mandauerit Ioseph vt in terram illam ossa sua transportarentur, non quod eis tantæ curæ sepultura fuerit, sed vt in terra sepulti iacerent quam Christus corporis pedibus calcaturus erat: Si se beatam prædicabat Paula illustris illa fœmina, cum filia sua Eustochio, dum relictis palatiis Regiis quæ Romæ habebat, inuiseret antrum Bethleemiticum, ac cætera terræ sanctæ loca, quæ pes calcauerat Christi, & eadem loca deosculans, miris creberrime perfundebatur lachrymis & gaudiis. Quanto beatiores illi fuerunt qui Dominum ipsum & viderunt & audierunt: quanquā enim Christus secundum externam conuersationem vilis appareret intus tamen excelsus erat præ Regibus terræ, cui vtique tota se infudit plenitudo diuinitatis, adeo vt ex hac plenitudine omnes accepimus, qui vere sine illa non aliud quam terra arida sumus. Foris infirmitatis species & quasi absconditus vultus eius, & despectus formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo. Sed intus diuinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, & innocentiæ puritas: texit virtutem suam corpore infirmitatis suæ. (3. Reg. 10.)

2. MVLTI *Reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt.* Ab origine generis humani vsq; ad finem huius seculi desiderant Sancti videre Christum, *inquit Aug.* explicans illa verba Psal. 118. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Bonus iste defectus, *inquit*, indicat desiderium boni nondum quidem adepti, sed auidissime concupiti. Hęc autem desideriū de dilectione consurgit manifestationis eius: Prima e-

enim tempora Ecclesiæ ante virginis partũ sanctos habuerunt, qui desiderarent incarnationis eius aduentum: Ista vero tẽpora ex quo ascendit in cœlum Sanctos habent, qui desiderent eius manifestationem ad viuos & mortuos iudicandos. Defectus igitur iste non venit ex infirmitate animi, sed ex fortitudine desiderii in promissum Dei.

3. ALTERA causa cur desiderauerint videre diem Domini, est, quia tunc medicus a[...]ius desideratur cum grauis incubuerit ægritudo languenti. Id quod psalmista significat cum ait, *Tempus faciendi Domine quia dissipauerunt legem tuam.* Cum enim in spiritu videret propheta præuaricatores populi luxuriã, delicias, dolos, fraudes, auaritiam, temulentiam: quasi pro nobis interueniat, currit ad Christũ, quem solum tantis sciebat subuenire posse peccatis. Viget vt veniat, neq; patitur fieri moras, *Tempus* inquit, *faciendi Domine,* vt medicus ad ægrotos venias. Redemptor ad venditos, vita ad mortuos: tanquã si ingrauescente ægritudine alicuius, curratur ad medicum vt cito veniat ne postea subuenire non possit, *Tempus faciendi Domine,* quia nisi subuenias & peccata mundi tollas, totus in periculum vltimum mundus verget. Factum tuum subueniat quoniam nec tua præcepta prodesse potuerunt. *hac Augustinus.* Factum Christi subuenit, dum homo factus, exemplum vitæ præbuit dicens, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Item facto subuenit per sacramentum passionis, quoniam cũ adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum præmiserat Helizeus baculum suum ad mortuum suscitandum per seruum, sed non surrexit mortuus, nisi ipse propheta postea secutus mortuum viuificaret conformans se illi, figuram in hoc portans Domini qui seruum suum Moysen cum baculo, hoc est, cum terrore legis præmisit, sed seruus non viuificauit, quia ex lege non est iustitia.

4. QVID faciendo vitam æternam possidebo, non rogat, Quid credendo vitam æternam possidebo, sed quid faciendo, quia fides ad salutem non sufficit, nisi & opera sequantur. Est quidem fides primus salutis gradus, sed secundum locum tenet operũ consummatio, verum quia opera longe lateq; se extendunt, hæc fuit diuina bonitas verbi incarnati, vt verbum abbreuiatũ faceret super terram: quia ad fœlicitatem consequendam vnica hæc sententia sufficit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quanquam igitur res magna sit fides & salutaris, sine qua non est saluari aliquando, tamen non sufficit sola hæc. *inquit Chrysost.* sed opus est & conuersatione recta & multum studium debet adhiberi vt intremus in regna cœlorum. Si enim terram promissam intrare non meruerunt, qui tantas calamitates pertulerãt in eremo, quia murmurauerunt & fornicati sunt: Quomodo nos cœlum merebimur indifferenter viuentes & negligẽter? Opus igitur nobis est, & studio & fide. *hac Chrysostomus & Aug.* in psal. 25. explicans illa verba, *In ecclesiis, benedicam te Domine,* hoc est, benedicere Deum in ecclesiis, inquit, fratres sic viuere, vt per mores cuiusque benedicatur Deus. Quomodo autem nihil prodest aperire oculos si sit quisque in tenebris, ita nihil prodest esse in luce si clausi sint oculi: vt si paganus quispiam bene viuere dicatur, hic velut patentibus oculis est in tenebris quia nõ videt lucem suam Deum: Christianus autem male viuens in luce quidem est, quia Deum agnoscit, sed clausis oculis: male viuendo enim videre non vult eum in cuius nomine, tanquam cœcus est in lumine constitutus, nulla visione veri luminis animatus, *hac ille.* & lib. *de fide & oper.* sic habet. Iam illud videamus quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eandem obtinendam sufficere solam fidem putauerint, bene autem viuere neglexerint.

5. NAM etiam temporibus apostolorum,

Psal. 118.

4. Reg. c. 4.

Chrys. ho. 7. ad H. b.

non intellectis quibusdā subobscuris sententiis apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere, *Faciamus mala vt veniant bona*, quia dixerat lex subintrauit vt abundaret delictum: vbi autem superabundauit delictum, superabūdauit & gratia. Et cum rursum ait, *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Certe non hoc agit apostolus vt professa fide opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisque per fidem posse iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum. Quoniam ergo hęc opinio tunc fuerat exorta, aliæ apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi & Iudę, contra eam maxime dirigunt intentionem, vt vehementer astruant fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non qualemcumq; fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem planeque Euangelicam definiuit: cuius opera ex dilectione procedunt: *Et fides*, inquit, *quæ per dilectionem operatur* vnde istam fidem quæ ad salutem sufficere quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseuerat vt dicat, Si habeam omnem fidem ita vt mōtes transferam, caritatem autem non habeam nihil sum. *Iacobus* vehementer infestus est eis qui sentiunt fidem sine operibus valere ad salutem, vt illos etiam dæmonibus comparet dicens, *Tu credis vnus est Deus, bene facis, sed & dæmones credunt & contremiscunt. Quid proderit fratres si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? cum fides sine operibus mortua sit.*

6. QVOVSQVE igitur falluntur qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur? Non video cur Dominus dixerit, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* si etiam his non seruatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est. Illud deinde quomodo verum erit, quod Christus his qui ad sinistram erunt, dicet, *Ite in ignem æternum.* Nec increpat quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt: *hæc August.* Cum igitur Paulus ait, *Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus*, non id vult, inquit August. vt si quis crediderit non ad eum Aug. li. 83. pertineat bene operari, sed ad hoc potius qq. 44. vt nemo priorum bonorum operum arbitretur se peruenisse ad donum iustificationis quæ est in fide. In hoc enim se gentibus in Christum credentibus Iudæi pręferri cupiebāt, qui dicebant se meritis bonorum operum quæ in lege sunt, ad euangelicam gratiam peruenisse: Ideoque scandalizabantur multi qui eis crediderant, quod incircumcisis gentibus Christi gratia traderetur, vnde apostolus dicit hominem posse sine operibus præcedentibus iustificari per fidem, quamuis ad iustificationem nō peruenerit merito bonorum operum, sed gratia Dei. Non tamē ibi intelligendum est, vt accepta fide si vixerit, dicamus eum iustū, etiamsi male vixerit, vnde Paulus alibi dicit, *Nō auditores legis iusti sunt apud Deum sed factores legis iustificabuntur.* Sed ipse Dominus *Matth.* 7 sic ait: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est.* Quapropter non sunt contrariæ duorum apostolorum sententiæ, cum dicit vnus iustificari hominem per fidem sine operibus & alius dicit inanem esse fidem sine operibus, quia ille dicit de operibus quæ fidem præcedunt, iste de his quæ fidem sequuntur. Cæterum sicut corporis huis vitam ex motu suo dinoscimus, Ita *ait Bern.* Ber. ser. 1 & fidei vitam ex operibus bonis. Et sicut pasc. vita corporis est anima per quā mouetur & sentit, Ita vita fidei caritas est, quia per illam operatur: Sicut in apostolo legitur, *Fides per dilectionem operatur*, vnde refrigescente moritur & caritate fides, sicut corpus anima recedente: ea vero accrescente magis viuificatur fides.

7. CVRAM *illius habe.* Recte dicit *Bernardus*, Ber. li. 4 de Curam exigeris non curationem quia considera. vt quidam vere dixit, *Non est in medico semper releuetur vt æger.* Hinc Paulus sapienter ait. *Plus omnibus laboraui*, sed non dicit

dicit, Plus omnibus prof[illegible]i, aut plus omnibus fructificaui. Et recipiet vnusquisq; secundum suum laborem, non secundum suum prouentum aut fructum quem fecit. Non potest homo plusquam potest, plantare potest, rigare potest, sed incrementum dare non potest, hoc Dei est: monere potest homo & docere, obsecrare & increpare, sed vt inde fructus, aut emendatio morum proueniat, facere non potest, id potest Deus si voluerit: vbi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicẽte scriptura Sap. 10. *Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum.* Securus labor quẽ nullus valet euacuare defectus alicuius, *hac Bernardus*. Sed sicut qui seminat in spe seminare debet, ita & qui monet & docet, quia licet nullus iam proueniat fructus, forte post menses & annos proueniet.

8. QVIA vero vulnera illius qui incidit in latrones non in solo oleo, sed & in vino sanitatem receperunt, *inquit Bernardus*, necessarium habet spiritualis medicus etiam vinum feruidi zeli cum oleo mansuetudinis. Si enim viderit illum qui vulneratus est, qui peccauit, blandis aut lenibus hortamentis, quæ in eum prærogata sunt, minime emendatum, magis autem abutentem fortecius mansuetudine, negligentiorem fieri, frustrato oleo tam suauium monitorum, oportet sane mordacioribus vti medicamentis, & vinum compunctionis infundere, duris increpationibus agere. Et *sermo. 2. de resurr.* Quoties peccantem videris fratrem, continuo procedere debet compassionis affectus, quem concipies ex teipso, considerans teipsum ne & tu tenteris. Quo modo sanctus quidam senex cũ audisset peccasse vnum ex fratribus, amarissime flebat dicens, Ille hodie, ego cras.

Bernar. ser. 44. in Can.

9. SED quid agimus quod nonnulli dura ceruice & a[illegible]ra fronte, quo magis eis compatimur [illegible] magis nostra & compassione & pa[illegible] abutuntur? verum si qua in nobis est charitas, sicut fratri peccanti compati debemus, ita contemptum Dei æquanimiter ferre non possumus. Hic est zelus iustitiæ quo aduersus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti erga eam quam contemni videmus iustitiã Dei, verũtamen oportet vt priorẽ sibi vendicet locũ compassionis affectus, alioquin in spiritu vehementi confringimus calamum quassatum, & linum fumigans extinguimus, Sed cũ vterque adfuerit & compassionis affectus & iustitiæ zelus, necesse est vt adsit discretionis spiritus, ne forte indiscretio perturbet omnia. Ideo propheta orat, *Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me*, Bonitatem postulat vt compati norit: & disciplinam vt corrigat: & scientiam vt cum discretione vtrumque faciat. *hac Bernar.* In regimine ergo populi vtrumque miscere oportet, & oleum misericordiæ vino disciplinæ, & vinum disciplinæ oleo misericordiæ, intus pietas & misericordia condoleat, foris disciplina sæuiat. Psal. 118.

II. Quanto amore suos prosequatur Deus.

1. QVANTA sit vis amoris quo fertur Deus in humanum genus, potissimum vero in suos electos, variis in locis innuunt id nobis scripturæ diuinæ. Et in primis sic ait Isaias *Sicut aues, volantes; sic proteget Dominus exercituum Ierusalem.* In quem locum *Hieron.* Sicut aues naturali amore filiorum instigante, vt eos à rapacibus auibus tueantur, circumuolitant propriæque fragilitatis ac infirmitatis oblitæ, rostro & vnguibus alisque pugnant, totæque hispidæ signis variis ostendũt dilectionem quam habent in pullos mirabilem: sic Dominus proteget Ierusalem. Id quod *Matth. 23.* satis declarat cum ait, *Hierusalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cõgregat pullos suos sub alis, & noluisti:* Quanquam etiam te nolente electos meos interim congregauerim & saluauerim. Item Isa. 66. *Ad vbera portabimini & supra genua adblandientur vobis, quo modo si mater blandiatur, ita & ego consolabor vos.* Quo ex loco, *inquit Hiero.* amorem creatoris in suas creaturas exemplo matrum discimus,

Isa. 31.

mus, quæ liberos amore in sinu nutrientes omnem superant caritatem, ita vt delitæ videantur, verba proferentes, stulto amore extra se raptæ infantem suum omnium pulcherrimum arbitrentur. Cum itaque tanta sit vis amoris materni huic Deus confert suum erga nos amorem. *Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui:* Hic non solum adæquat amorem suum amori matrum, sed & longe præfert.

Is. 46.

2. RVRSVM Iere. 2. *Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, & caritatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto.* In quem locum sic *Hiero.* tradendo-tem Dominus ostendat affectum, vocat Hierusalem adolescentulam & sponsam, Quo enim nec dum potiti sumus, magis vt potiamur appetimus. Totumque hoc non ad meritum eius refert, sed ad suam misericordiam, per quam & caritatem cõsecuta est. Et ne quis hunc tantum amorem ad solos electos putet referendum, *Ier. 4.* ad totum genus humanum designat referendum cum ait: *ventrem meum doleo ventrem meum doleo, sensus cordis mei, turbati sunt in me, non tacebo quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælii, contritio super contritionem vocata est, & vastata est omnis terra,* vox est hæc prophetæ, & per prophetam Dei loquentis, *inquit Hier. in hunc locum,* quod doleat super cõtritionem populi sui, & instar hominis viscera eius interna lacerentur, omnisque clangor buccinæ illius turbet affectum, quasi tantum non possit dissimulare dolorem, & cap. 6. *Filia populi mei accingere cilicio, luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos.* licet enim *teste Hiero. in hunc locum,* 70. interpretes verterint, *vastator veniet super vos* multo tamen misericordius Deus dixit, *Super nos,* vt quicquid super suum verum et populum, super se quoque venire testetur. Quod manifeste declarat Dominus *Iere,* 8. vbi sic ait, *Super contritione filia populi mei contritus sum, stupor obtinuit me.* Respondet Deus quod in afflictione Ierusalem ipse sit afflictus, & in humanam similitudinem stupore sit oppletus. At dices, Posset Deus omnem hominem saluare si vellet, quis cogit eum damnare quẽpiam? Tu, *inquit Chrysostomus,* qui monitis eius acquiescere non vis, sed in tuis sceleribus perseueras.

3. ITEM Oze. cap. 11. miris modis commendat propheta amorem Dei erga homines, cum ait Dominus, *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & nescierunt quod curarem eos,* quasi dicat, in tantum dilexi eos vt instar pueruli eos in vlnis gestarem, sicut & ouem perditam humeris suis ad ouile reportauit: Et nescierunt quod eos hoc modo per suam passionem curaret, dum humeris suis crucem gestaret. Rursum cum eodem capite subiungit Dominus, *Quomodo dabo te Ephraim?* sicut Adama ponam te vt Seboim? quasi dicat, delebone te vsque ad fauillas, sicut illas duas ciuitates cum Sodoma & Gomorrha deleui? *de quo Gen. 19.* Sed cum hoc cogitaret, affectu paterno & sua misericordia rursum vincitur, & austeritatem iudicis pietate mitigat patris, dicens, *Conuersum est cor meum in me, pariter conturbata est pœnitudo mea,* quasi dicat, totus commoueor commiseratione dum de perditione tua cogito, & ideo non faciam secundum iracundiæ meæ furorem, nec de mea clementia recedã. Sunt enim multi etiam inter christianos qui talia peccãt qualia olim Sodoma & Gomorrha, *inquit Chrysost.* non tamen eos abiicit Dominus, sed patienter expectat donec cõuertantur quos videt conuertendos. Quia teste Ioanne *sic Deus dilexit mundum, vt daret filium suum vnigenitum, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternã.* Ioan. 3. Hic obseruo quod non dilexerit mãdum vt talis per majore... erat, auersus à Deo, odibilis & o... ns, sine affectu, sine pietate, sup... & elatus & variis criminibus oppressus: Si enim talem relinquere

quere voluisset, qualem eum inueniebat, nunc nõ dilexisset. Iam autem dilexisse dicitur, quia illi benefacere decreuit, eumq; ad fidem Christi conuertere & saluare, & regno cœlorum dignum efficere: nõ quia id meruerat, cum omnes essemus natura filii iræ, sed quia ipse misericors erat, quã misericordiam ei impendere statuerat.

Abac. 3. 4. HAC enim de causa dicitur *Deus ab austro venire*, siue à parte meridiana, quia, *inquit Aug.* in hoc significatur non solum

Aug. lib. 18. de ciuit. c. 32. splendor veritatis, sed etiam feruor charitatis Dei, qua sic Deus dilexit mundum vt pro eo & mortem subire vellet, & *libr. 30. cap 30. de ciuit.* explicans illud Zachariæ cap. 2. *Qui tangit vos tangit pupillam oculi mei*, ait, Seruos suos vocat Deus pupillam oculi sui, propter excellentissimum dilectionis affectum quo eos prosequitur. *Commendat autem Deus charitatem suam*

Rom. 5. *in nobis* inquit Paulus *quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et Ioannes, *vide*, inquit, *qualem charitatem ostendit nobis Deus vt filii Dei nominemur & simus. Neque enim accepimus iterum spiritum seruitutis in timore, sed accepimus spiritum amoris in quo clamamus Abba pater, Diffusa est enim charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, Rom. 4. Nõ dixit Data est, *inquit Chrysost.* in hunc locum, sed effusa est, largitatem ostendens. Quod maximum erat donum, hoc dedit: non cœlũ, non terram, sed quod his omnibus pretiosius erat, & angelos ex hominibus, & Dei filios & Christi fratres efficit. Quid autem hoc est, Spiritus sanctus & donum caritatis. Et hęc causa propter quam desperare non debes, respiciens potius diuinum erga te amorem, quã me-

Chrys. ho. 9. ad Rom. Hom. 48. ad pop. rita tua. *hac Chryso.* Quem amorem inde perpendere potes, *inquit idem* quam sit immensus, vocantem auersati sumus, nec tamẽ puniuit, ad diabolum resiliuimus nec ita recessit, sed sicut amatores ardentissimi qui contemnuntur, circumibat omnibus occurrens & succurrens, sicut sol circumgyrat omnia illustrans: venit in hunc mũdum factus homo & occisus est, & nec sic amorem extinxit, sed magis accendit & perseuerat vt omnibus modis nos ad se trahat. *hac Chry.* Et pro his omnibus nihil æque à nobis requirit Deus atq; amorem: non honorem, non timorẽ, quia honor sine amore adulatio est: & pœnam timor habet si timeretur qui non diligitur. Amor autem ex amante & amato efficit quid vnum. Hinc amor igni recte comparatur, vt enim ignis id quod corripit in sui naturã cõuertit, vt recte & carbo ignitus dicatur & ferrũ ignitũ. Ita amor Dei si vehemens fuerit efficit hominẽ diuinum, & istius naturæ cuius Deus est, imprimit enim imaginem rei amatæ in ipsum amãtem, eumque in ipsam transmutat.

1. NON frustra hæc tria tradita sunt, inquit Bernar. *Diliges Deum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*: quare oportet Deum & dulciter, & prudẽter, & fortiter diligere. Sit Dominus Iesus dulcis affectui tuo contra malas delectationes, & dulces illecebras carnis, vt vincat dulcedo spiritus dulcedinẽ carnis, sicut clauus clauum expellit, verũ non solum dulciter sed & prudẽter diligere oportet. Diligebat Petrus Christũ dulciter quidẽ, sed non prudenter satis, cũ eum mori & à se recedere nollet, dicens *Absit à te Domine non erit tibi hoc.* Cui mox Dominus, *vade post me Sathana, non sapis ea qua Dei sunt*, quasi dicat, non sapienter diligis humanũ sequens affectum contra diuinum consilium. Et vocauit eum Sathanam, eo quod saluti etsi nesciens aduersaretur, qui Saluatorẽ mori nollet, vnde correctus se postmodum commoriturum promisit dicens, *Paratus sum tecum in mortem ire*: nõ tamẽ impleuit, quia necdum ad tertium peruenerat gradum, in quo fortiter & virtute tota diligitur Deus, Erat enim adhuc infirmus, nõ ignarus mysterii, sed ad martyriũ nõdum aptus: non plane illa dilectio fortis fuit vt mors, quæ morti succubuit. Fuit tamen postea cum ex promissione Christi indutus fuit virtute ex alto: Tunc demum tota virtute dilexit, cũ nec vitæ suæ peper-

III. Quanto amore homo ferri in Deum debeat. Vide Ber. ser. 35 in par.

Bernar. ser. 20. in Can.

pepercit pro dilectione. Ergo non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec iniuriis frangi, hoc est, toto corde, in quo sunt dulces affectus, tota mente, in qua consistit prudentia, & tota virtute diligere, *hæc Bernardus.*

Orig. in 2. ca. can.

2. QVI ad diuinum hunc amorem promotus est, *inquit Origenes,* cætera omnia quæ prius diligebantur, reiectitia esse cōspiciūtur, & cum apostolo dicit, *Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Nam quemadmodum qui amore ardet fœminæ, omnia ei vilescunt, *inquit Basilius,* diuitiæ, honor, fama, imo & propria vita, si amore suo frui non possit, Ita qui ardenter Deum diligit, opes & honores adhuc autem & propriam vitam contemnit, vt Deo frui possit. Qui huiusmodi amore flagrat mortiferas delicias atque voluptates contemnens dicit, *Mihi adhærere Deo bonum est.* Neque enim amittit delicias, sed mutat, dum pro deliciis carnis quærit & percipit delicias spiritus. Quomodo & Isaias ait *Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem*: vt sicut prius fuerat durus in amore seculi, postmodum se fortem exerat in amore Dei, & conuersus tanta fortitudine & virtute fugiat præsens seculum, quanta hæc ante quærebat, *inquit Gregorius.*

Basi. lib. de vera virgi.

Isa. 40.

Grego. 21 mor. c. 17. hæc Bas. in reg. fus. dis. 5. resp. 2. interro.

3. CÆTERVM ad hunc tantum Dei amorem peruenire potest is, qui animam habens à peccatis purgatam, in se suscepit diuinæ & inexhaustæ pulchritudinis radios, qui intolerabilem in illius animo desiderii aculeum defixum relinquit, quo instigante clamat & dicit, *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus:* Et iterum, *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Vehementer enim vitam hanc velut terrum quendam carcerem abhorret.

Cum enim inexplebili intuendæ diuinæ pulchritudinis cupiditate flagret, exoptat maxime statum hunc in quo perpetuo diuinam hanc pulchritudinem contempletur ac pure diligat, sublatis illis imperfectionibus; quæ eius animum in hoc seculo nequam remorantur à tanto bono intuendo & pure diligendo. Neque enim Sancti in hac vita tantum possunt diligere Deum, quantum debent, *inquit Greg.* quia adhuc non valent videre quem diligunt: necessem est autem vt minor sit mensura dilectionis, vbi minor fuerit mensura cognitionis. De hoc amore qui hic inchoatur, vt ex visione Domini in æterna patria perficiatur, dicit Isaias, *vixit Dominus cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.* In camino vastior succenditur flamma, sed ignis est etiamsi exiguus fuerit. In Sion igitur ignis, quia hic in Ecclesia vbi de illo aliquid contemplamur, amoris eius igne aliquatenus ardemus, sicut illi testantur, qui *Luc. 24.* dicebant, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via.* Sed in Hierusalē quæ est visio pacis quæ est in patria, vbi illum plene videbimus, plene & amabimus. *hæc Gregorius.*

Gregor. hom. 28 in Ezec.

Isa. 31.

4. CRESCIT amor quando incentiua crescunt amoris: vnde sponsa, quia in cella vinaria plura solito fuerunt amoris incentiua ex longa familiaritate & colloquio cum sponso habito egressa ex eadem tanquam amore plena & ebria mox ait, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cū præsto est quod amatur, viget amor: languet cum abest, quia carentia eius qui amatur, vehementer cruciat animam amantem, quæ diurnis desideris nocturnisque suspirans aliud loqui non potest, audire aliud quid nō vult, cogitare aliud nescit, desiderare aliud præter ipsum vel sperare non libet: Quo enim gratiorem fuerat experta præsentiam, eo postmodum absentiam molestiorem sensit. Interim dū sic amore languet propter dilecti absentiam, qui languor inde prouenit, quia *anima non est tam vbi animat quam vbi amat.* hinc in se quasi deficit: petit fulciri floribus & stipari malis, hoc est, postulat sibi accumulari bonorū operum fructus, mala namq; sunt fructus amātiū, in quibus, absente dilecto, requiescat &

Hæc Ber. ser. 15. in Can.

quibus

quibus se sustineat: Clamans interea, *Reuertere dilecte mihi, similis esto capreæ hinnuloque ceruorum*, quasi dicat, ea velocitate reuertere qua fertur caprea in montibus. Moram non fert, quia omnis mora amanti longa est, *Si moram fecerit* inquit, Haba. *expecta eum quia veniens veniet & non tardabit.* Quomodo non tardabit si moram fecerit? *inquit Bernard.* Nisi quod ad meritum satis est, sed non satis ad votum. Sed amans sponsa clausos habens oculos ad merita sua, vigiles autem ad vota sua, & ob grandem amorem quem habet ad sponsum, eius suspirans præsentiam clamat, *Reuertere.* Non ratio sed affectus hic loquitur & amor. & si quis horum quæ dicuntur cupit adipisci notitiam, amet: alioquin frustra ad audiendum legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit, quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus: Quomodo enim græce loquentem non intelligit qui græcum non nouit sic lingua amoris ei qui non amat barbara est. *hæc Bernard. ser. 74. in Canti.*

Abac. 2.

IV. Non possunt simul consistere amor Dei & amor mundi. hæc Aug. in Ps. 121.

1. HABET omnis amor siue bonus is fuerit, siue malus, vim suã, nec potest vacare in anima amantis, præsertim si vehemens is fuerit, sed eã transfert in naturam & qualitatẽ rei amatæ, cuius imaginem cordi amantis imprimit, & sic ei similis fit: Qui Deũ amat fit diuinus Deoq; similis, anima enim amando Deum fit pulchra, sapiens, bona, benigna, eminens & digna, sicut & Deus pulcher, sapiẽs, bonus est & benignus. Qui terrena amat, siue aurũ id fuerit & diuitiæ, siue honor & huius mundi gloria siue voluptas carnis siue quid simile, fit & ipse terrenus, vanus & carnalis. vnde Oze. 9. *Facti sunt abominabiles sicut & ea quæ dilexerunt*: Cũ enim grandis amor imaginem rei amatæ cordi imprimat amantis, eam veluti quoddam idolum amat amans anima, eaque se oblectat, illam honorat, & spem omnem in ea collocat. Cumq; grandis ille amor omnes cogitationes ad se rapiat, & omnia cordis desideria, & omnes animę vires in rẽ amatam præcipitet, & ad terrena concupiscẽda inflammet; fieri nõ potest vt quis simul Deum & mundum amet sicut fieri nõ potest vt quis simul sursum caput eleuet & deorsum inclinet. Hinc Isa. 28. *Coangustatum est stratum ita vt alter decidat, & palleum breue, vtrumq; cooperire non potest*, maritum scilicet & adulterũ: Et Pau. 2. Cor. 10. *Non potest quis bibere calicem Domini & calicem dæmoniorum.* Calix dæmoniorum crapula est & ebrietas, *inquit Bern.* quæ cum impleuerint ventrem, vina Christi dulciora super mel & fauum, non implebunt mentem: pretiosa siquidem diuina consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Multi in religione sunt qui de vno pane comedũt nobiscum cantant, orant & laborant nobiscum miseri & miserabiles, vtpote socii tribulationis, sed consolationis non ita: amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, & si hæc interrumpunt aliquando, non tamen totaliter rumpunt, inde fit quod raro sentiant spiritus consolationem.

Bern. ser. 3. de Ascẽ.

hæc Bern.

2. OMNIS anima infirma in hac vita quærit sibi aliquid terrenum velut stratũ vbi requiescat, *inquit August.* velut sunt ista quæ diligunt etiam homines innocẽtes. Neque enim de cupiditatibus malorũ nunc loquendum est; vt si quis delectetur in alea, in dolo, in rapina, in carnis voluptate: Sed remoueamus hęc omnia, ad innocentem hominem veniamus, qui delectatur in domo sua, in coniuge, in filiis, in prædiolo, in horto suo. Deus non volens habere amorẽ nisi vitæ æternæ, istis delectationibus miscet amaritudines vt & in his patiamur tribulationes, vniuersum stratum nostrum vertit in infirmitate, *teste Dauide Ps. 40.* Docetur n. amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam stabulũ amet pro domo sua & in via tãquam in termino requiescere velit. Quod si ex amore licito rerum secularium damnũ quis patitur, *ait August.* quanta & qualia consurgent no-

August. in Psalm. 40.

cumenta ex amore malo? Si Apostoli adhuc carni dominicæ inhærentes, quæ sola sancta erat, spiritu sancto repleri nequiuerunt, *inquit Bern.* donec tolleretur ab eis, tu carni tuæ quæ sordissima est astrictus & tanquam visco conglutinatus, illum meracissimum spiritum te putas posse recipere, nisi carneis istis consolationibus funditus renunciate tentaueris? vnde sponsus alloquens sponsam in canticis sic ait, *Pone me vt signaculum super cor tuum & super brachium tuum*: vt scilicet me pure & caste diligas, & propter me omnia opera tua, per brachium hic significata, facias. Non est castum cor si Deũ ad mercedem colas, si extra eum aliquid aliud diligat quod non propter ipsum diligit. Sic ergo eum diligamus vt eum propter se diligamus, vt aliud in eius dilectione non quæramus, ipse tibi sufficit, *ait Bern.* Et si quid aliud diligis dilige vt arrham sponsi, vt munera amici, vt beneficia Dei, sic tamen vt memineris, non illa propter se, sed propter illũ esse diligenda, nec ista cum illo, sed per ista illum, & super ista illum diligas. Meretrix diceris, si munera dantis, plusquam affectũ amantis diligas.

Bern. ser. 3. de ascẽ.

Bern. ser. 20 in Cãt.

PARS IV.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Luc. 10.

Summa Articulorum IIII. Partis.

I. *Inimicum diligere, qui etiam nomine proximi censeri debet, an sit humana infirmitati possibile.*

II. *Varia exempla eorum qui inimicos dilexerunt.*

III. *Varijs modis inuitat nos Deus ad dilectionem proximi.*

IV. *Quomodo & cur proximus sit diligendus.*

ART. I. An dilectio inimici sit humanæ infirmitati possibilis.

Aug. lib. con. Adimon. manich. disc. tom. 7.

CALVMNIABANTVR olim Manichæi, *teste August.* ea quæ Christus doceret, esse contraria his quæ in veteri pagina erant tradita. Nam Exod. 21. dicitur, *Oculum pro oculo, dentem pro dente:* Christus autem Matt 5. quasi hoc damnãs dicit, *Ego autem dico vobis non resistere malo.* Rursum *Numer.* 25. dicitur, *Hostes vos sentiant Madianitæ & percutite eos, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos:* & *Matth.* 5. ait Dominus, *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* In quibus sententiis haud dubie duorum testamentorum differentia demonstratur, sed amborum tamen ab vno Deo constitutorum. Nam quoniam primo carnales homines ardebant multo amplius se vindicare quam erat illa iniuria de qua querebantur, constitutus est eis primus sanitatis gradus, vt nimium iniuriæ acceptæ mensuram nullo modo dolor vindicantis excederet: sic enim & donare posset aliquando iniuriam, qui eam primo non superare didicisset. At Dominus iã per Euangelium ad maiorem perfectionis gradum deducens populũ, huic gradui superaddit alterum, vt qui iam audierat non ampliorem vindictam, quam quisque læsus esset redderet, pacata mente totum se donare gauderet. Quod etiã in illis veteribus libris propheta prædicat dicens. *Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala.* Ex quo intelligitur & mensuram vindicandi recte carnalibus constitutam, & omnimodam iniuriæ remissionem non tantum in nouo testamento esse præceptam, sed longe ante in veteri prænunciatam & obseruatam: Sic enim psalmista ait, *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Quod non potest vere dicere, *inquit August. in hunc locum*, nisi perfectus: maioris quippe patientiæ est, nec ei rependere mala qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quam si nullo accepto beneficio ante nocere voluisset. Iram potius vincere nititur quam hominem, quia scriptum nouerat, *Melior est patiens*

Psalm. 7.

Prou. 16. *tiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium.*

2. QVI talis est audet dicere, *Iudica me Domine secundum iustitiam meam & secũdum innocentiam meam super me.* Infimus vero alium habet deprecandi modum, dum misericordiam Dei potius implorat, quam suam iustitiam commemoret, dicit
Psalm. 6. enim illud Psalm. *Saluum me fac Domine propter misericordiam tuam*, non propter meritum meum, aut iustitiam meam. Eius vox est, *Exaudi Deus deprecationem meam, & ne despexeris orationem meam: Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris: Conturbatum est cor meum intra me, & formido mortis cecidit super me.* Quem locum explicans *Aug.* sic ait, Omnes mali cum mali sunt exercent bonos: Hic inter malos positus eorum inimicitiis exercebatur, & cum extenderet dilectionem vt diligeret inimicos, affectus est tædio multorum inimicitiis, & quadam humana infirmitate succubuit: vidit se iam incipere penetrari mala persuasione diabolica vt odium inducat aduersum inimicos, reluctans odio vt perficeret ipsam dilectionem: In ipsa pugna & lucta turbatus est, & veluti in tempestate & fluctibus mergi cœperat, sicut Petrus
Matt. 14. cum videret ventum validum, Erge quomodo ille clamauit in fluctibus, Domine saluum me fac, talis & huius vox est, Exaudi Deus deprecationem meam. Quare? quid enim pateris? *Contristatus sum* inquit, *in exercitatione mea:* dum exerceor inter malos, nimis exsurrexerunt super vires meas. Tranquilla perturbatum, manum extende mergenti: Cum aliquid tale patitur Christianus, non debet facile velut odio ire in eum à quo patitur, sed conuertere se ad orationem, ne amittat dilectionem, qua etiam inimicos à quibus exercetur, diligere tenetur. *hac Augustinus.*

3. ET QVID quæso facturus est tibi inimicus? multa mala dicturus, & in cõuitiis sæuiturus. Si ille in terra geminat cõuitia, tu gemina in cœlo lucra, iuxta illud Matt. 5. *Gaudete quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Quid est ergo timendum quando pateris inimicum? ne cõturbetur dilectio in te qua diligis inimicũ. Etenim duos tibi inimicos cõstitue ante oculos, vnum apertũ, alterum occultum: apertũ, hominem, occultum diabolum: vnum vides, alterum intelligis: vnum dilige, alterum caue. Inimicus ille quẽ vides, forte pauperem vult te facere & deprædari visibilẽ thesaurum tuũ: sed occultus ille thesauros tuos interiores vastare molitur, & dilectionem inimici à te auferre nititur. Sæuiat homo q̃tũ potest, auferat quicquid potest, si diligitur aperte sæuiens victus est occulte insidians. At iste turbatus præ ira, orabat, & formido mortis cecidit super eum, vita nostra dilectio est: si vita dilectio mors odium est. Cum cœperit homo timere ne oderit quem diligebat, mortem timet qua occiditur anima non corpus, quia ira si fuerit inueterata iam odium est: Ira turbat oculum, odium extinguit *hactenus Aug.*

4. QVI DICIT *se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare,* Aug. tract. 1. in 1. c. Ioan.
Christi Domini via fuit ab exordio vitæ ad finem vsque inimicis benefacere, ipsos opere & veritate diligere, quousque iam moribundus clamauit, *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt.* Attende magistrum tuum non in cathedra sedentem, sed in ligno pendentem, & circumspectis vndique turbis inimicorum dicentem, *Pater ignosce illis.* Non deseruit medicus officium suum, quia ægrotus sæuiebat, phreneticusq; insaniebat. Dicturus es forte, *inquit Aug.* Quando ego hoc possum quod Dominus potuit? Quare hoc dicis? In cruce se omnib. imitandũ præbuit Sed si nõ potes imitari Dominũ tuum in cruce pendentem & pro inimicis orantem, Stephanum seruum eius attende, qui cum lapidaretur pro suis orauit inimicis, & *positis genibus clamauit voce magna dicens, Domine ne statuas illis hoc peccatum*, vide quomodo pro se stans orauit, & pro

inimicis orans genua flexit: pro se stans tanquam iustus facile exaudiebatur: sed pro iniquis genua flectenda erant, quia causa ad exorandum difficilior.

5. ITAQVE cui genus professionis excelsius, *inquit Ambro.* studium quoq; debet esse virtutis vberius. Commune est omnibus etiam peccatoribus redamare, & diligentes se diligere: à nobis autem plus requiritur, vt diligamus etiam non amantes, etiam inimicos. Quod si nulla merita diligendi vsum amoris excludant, nō tamen virtutis excluserint, *inquit*, hoc est, quamuis inimicus non mereatur qui diligatur, tamē eum dilige quia virtus id exigit: Sicut enim in eo qui te diligit, pudet gratiam non referre, & gratiæ amore referendæ amor eius tibi inolescit, quē antea non amabas, Ita etiam in eo qui non amat, debes amare virtutem, vt dum virtutem amas, incipias eum amare quē non amabas, cum rara & caduca sit remuneratio amātis, sempiterna virtutis. *hæc Ambr.* verum dilectio inimici rara auis in terris: in plurimis enim locum habet quod Iere. ait *vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Quod maxime tempore angustiæ fieri solet, *inquit Hierony.* quando aut nulla aut rara fides est. Et subiungit propheta, *Nūquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut in gente huiuscemodi non vlciscetur anima mea? quia in his omnibus non est aduersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta:* quanto enim vnus contra alterum magis proficit in culpa, tanto Deus manus suas amplius extendit in pœna.

Ambr. lib. 5. in Luc.

Ierem. 9.

6. RECTE monet *Basilius*, vt inimici tui insaniam propriæ philosophiæ occasionē facias. Obscurum te dixit & inglorium, indoctum forte & pauperē & nullius pretii hominem. At tu vermem cum Dauide te dicas, & terræ filium ex qua factus es & in quam resolueris. Nam si talibus rationibus animum præoccupaueris, omnem ignominiam veritate minorem comperies. Non es præstantior patre nostro Abraham qui se cinerem dixit. Cum in te conuitia coniecerit quis, puta teipsum probari vtrum per longanimitatem accedas ad Deum, eique similis fias, qui dum blasphemias sustinet, non commouetur: an per iram decurras ad aduersarium. Da tempus cogitationibus tuis ad bonam partem eligendam: aut enim profueris etiam illi per mansuetudinis exemplum, aut grauius deipso vindicaueris contemnens eius conuitia. Quid enim tristius inimico accedere potest, quam quod videat inimicum suum contumeliis superiorē? quemadmodum qui verberat non sentientem, seipsum excruciat, illum pœnitebit aliquando dictorum & conuitiorum suorum: te vero nūquam pœnitebit virtutis & mansuetudinis tuæ. Illi conuitium concludit regnum cœlorum, tibi vero animi patientia præparat regnum, neque enim contingunt coronæ citra aduersarios. Audi Dauid dicentem, *dum consisteret peccator aduersum me non* irritatus sum, nec vindicaui, sed *surdus factus sum & silui à bonis.*

Hæc Basil. hom. 10 & 29. variis tom. 1.

7. QVOD si proximus te vituperet, & tu animo conturbaris, molestiam ea intra teipsum cohibe exemplo illius qui dicebat, In me turbatum est cor meum, hoc est, animi perturbationem foras non eduxi nec ostēdi, sed velut fluctus quidam intra littora cōfractus, sedatus est animus meus. Sic enim oportet furiosum animi motum sanctorum exemplorū memoria comprimere. Si malum est conuitium cur imitaris rependēns malum pro malo? Si vero venia dignum, cur conuicianti succenses? Ecce facis quæ ipse reprehendis. Malum est contumelia, fuge imitationē: Nec iuste excuses teipsum dicens alterum auspicatū esse, imo iustius id auget reprehensionem propterea quod tu videns iratum turpiter se gerentem, non vitasti eius similitudinem. Condemnatur itaque iuste non solum qui mali est auctor, sed etiam qui malum ducem ad peccādum imitatur. Iniurias ferendas Christi exemplo edoce-

edocemur, qui omnes in se collatas generoso tulit animo. Si paruus puer te conuitiis impetit, risus occasionem conuitia facis, & cum aliquis præ phrenesi de mente motus verba ignominiæ plena loquitur, miserabilem potius ducas quam odio dignum. Talem crede eum qui verba in te protulit contumelia & iniuriis plena, cõdole illi propterea quod si in peccato permanserit, vna cum diabolo tradetur igni æterno. *hactenus Basili:* Cui consonum est quod *Bern. ait*, paranda est aduersus phrenesin animę non vindicta sed medicina, & curæ sit tibi infirmorum potius operā dare saluti, quam propriæ vltioni. Malis igitur inimicum fauorabili demulcere vocabulo, *quia lingua placabilis est verbum vitæ*; quam te de eo vlcisci. Non vides iacula quomodo ad firma solidaq; ac renitentia emissa, penetrare soleant, verum in mollibus ac cedētibus impetū remittere: Tale cõuitium esse puta, qui enim ad ipsum remittitur ac resistit, illud in seipsum suscipit: qui vero cedit per animi māsuetudinem, prauitatē quæ in ipsū ferebatur, exoluit.

Bern. ser. 35. in Cāt.
Prou. 15.

8. PARATVS itaque esse debet homo iustus, patienter inimicorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt numerus potius crescat bonorum, non vt pari malitia se quoq; addat numero malorum. Cauendum itaq; ne vindicādi cupiditate amittatur ipsa patientia, quæ pluris est habenda, *inquit Augu.* quam omne quod potest etiam inuito inimicus auferre. Dic igitur cum propheta, *Ego tanquam surdus non audiebam*, quas calumnias in me ingerebant; ne iniuriis irritatus malum redderem pro malo. Imo *cum consisteret peccator aduersum me* & improperiis ac calumniis me peteret etiam *à bonis silui*, & ne verbum quidem bonū protuli; ne amplius inimicum inflāmmarem, verum cum ita sileret, dolor eius intus renouabatur, & vulnus ex contumelia perceptum intus recrudescebat & perturbabatur, sed non eousq; vt sermonem proferret corde turbato, sed intus iracundiam comprimebat, neq; enim eo perfectionis peruenerat, vt non turbaretur iniuriis lacessitus, contingit interdū virum iustum ad tantam animi constantiam & patientiam deuenire vt iniuriis illatis nō moueatur, sed animo permaneat æque tranquillo assimilatus in hoc Deo, vt sicut is iniuriis lacessitus nec dolet, nec turbatur, nec tristatur, ita & suo modo ille. Huc peruenerat vt apparet, qui 1. *Cor.* 4. ait, *Maledicimur, & benedicimus, blasphemamur & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus vsq; adhuc.*

Aug. epi. 5.
Orige. ho. 2. in psal. 37.

1. VIRI sancti non propria sunt salute contenti, *inquit Hieron.* sed ad eam & proximum suum etiam inimicum perducere nituntur. Sic Moyses compassionis loquebatur affectu, *Si dimittis populo huic, dimitte, sin autem non, dele me de libro vitæ:* Sic & Samuel plāgebat Saulem, quia peccati vulnera non curabat: Et Paulus lugebat Corinthios, quia fornicationis labem lachrymis abluere negligerent: sic enim ait, *Ne cum rursus venero ad vos humiliet me Deus, & lugeam multos ex iis; qui ante peccauerunt & non egerunt pœnitentiam super immundicia & fornicatione quam gesserunt.* Quinimo eo maiora adhibebat Paul. fomenta pietatis erga eos à quibus amplius affligebatur: sic enim testatur ad Rom. 9. *Tristitia mihi magna est & continuus dolor, Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt Israelitæ*, vnde *Chrysost.* ait, quod nemo ita dilexerit inimicos, nemo erga insidiatores suos ita beneficus fuit, vti Paulus, vt enim aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phrenesi comprehensum, cuius quāto magis conuitiis ictibusq; pulsatur tanto eum magis miseratur & deflet, ita & Paulus; Quanto enim maior caritas fuerit in nobis tanto maiori cum dolore cõpatimur proximi malo. Hinc & impius Absolon patrem suum Dauid plus extinctus quam rebellis afflixit: viuum namq; eum comprehendi cupiebat vt qui malitia grassabatur pœnitentia sanaretur: & plus affligebat pium patrem in impietate moriendo, quam eum persequendo.

II. Exempla eorum qui inimicos dilexerūt.
Hieron. epist. 12. to. 1.
2. Cor. 12.
Chrysost. hom. 3. de laudibus Pauli.

2 HIERON. *in epist. ad Demetriad. virgi.* volens ei persuadere dilectionem inimici, exempla eorum adducit qui in lege naturæ dilexerunt inimicos, antequam audiuissent dominicum illud præceptum, *Diligite inimicos vestros.* Isaac miras passus iniurias ab Abimelech Rege Palestinorum & seruis eius, cum exularet & ad eum Rex cum suis amicis venisset, ait. *Quid venistis ad me hominem quem odistis & à vobis repulistis: fecitque eis conuiuium & mane dimisit eos pacifice in locum suum.* Ioseph patriarcha pro odio fratrum quo ipsum prosequebantur, dilectionis affectum eis exhibuit deosculans singulos & flens largiter. Et quia *teste Gregorio*, dilectionis vim veraciter probat profectus inimici aut casus eius, si namque de profectu non contristemur, nec de ruina illius lętemur, tunc eum veraciter diligere censemur, vt se talem fuisse testetur Iob, cap. 31. *Si lætatus sum ad ruinam eius qui me oderat & gauisus sum quod inuenisset eum malum, quasi dicat*, nequaquam in hoc exultaui. *Chrysost.* in homiliis quas scripsit de Dauid & Saul, totus in hoc est vt exemplo ipsius Dauidis persuadeat omnibus nobis dilectionem inimicorum. Sic autem ait hom. 3. Ne quis mihi dicat, Inimicum habeo scelestum & incorrigibilem: quicquid dixeris, non est tamen Saule deterior, qui semel & iterum & sæpius seruatus à Dauide, cum ipse mille modis struxisset ei insidias, tamē pro tot beneficiis acceptis perseuerauit in sua malitia. Quid ergo tu habes quod tantopere de inimico tuo conqueraris, quia succēdit segetem & ad paupertatem redegit? At nondum eripuit vitam, quod sæpius molitus est Saul. Quod si & hoc tentauit inimicus tuus, idq; non semel sed sæpius: at non tot affectus à te beneficiis. Et si hoc quoq; factum est à te, adhuc superat ipse Dauid, quod non solū inimicum dilexerit, vitamq; ei seruauerit cum eripere posset, quod in bono malum vicerit, sed ex inimico amicum & patrem fecerit: Cum enim mollia ipsius Dauidis verba tetigissent cor Saulis, mox dixit, *Nunquid vox ista tua fili mi Dauid?* Qui antea nec proprio nomine cēsuerat eum dignum, vocans filium Iesse, 1. *Reg.* 24. iam filium vocat. Non perinde miror Moysen quodà saxo pręrupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum. Est quidem laude summaq; admiratione dignum, quod ensem non tinxerit Saulis sanguine in spelunca cum id vtiq; posset, sed longe maiori corona dignū erat quod ipsum inimici propositum immutauit.

Gregor. lib. 12. c. 6. moral.

3 ET TV ergo si quando hostis inciderit in manus tuas, nō illud spectes quomodo vlciscaris, sed quomodo eum tua mansuetudine sanes & a truculentia liberes. Nihil enim ipsa mansuetudine potentius, vt Sapiens declarauit dicens, *Responsio mollis frangit iram.* Quid leone sæuius? & tamen hunc mansuetum reddunt homines arte naturam superantes. Quam igitur habituri sumus excusationem, si cum feras bestias domamus, negauerimus homines vnquam posse placari, beneuolosq; erga nos reddi? At qui bestiæ quidem pręter naturam est esse mansuetum, homini vero præter naturam est feritas. Et perspice quot quantaq; lucreris, vt *Chrys.* ait si æquo animo oppressiones inimicorum tuleris: Primo quod maximum est remissionem peccatorum: deinde patientiam atque mansuetudinem & humanitatem: Nam qui nescit aduersus inimicos irasci, multo magis amicis erit beneuolus: Denique Christi in hoc imitator eris, qui de crucifigentibus eum lachrymabatur: q; ita imitari debemus, vt quo magis perseuerant persecutores nostri, eo copiosiores lachrymas pro ipsis effundamus, hinc n. innumera nobis bona comparabimus. Quod si arduū ac vltra vires tuas imitatio Dei tibi videtur, quāuis studioso difficile non sit, age ad seruorum venias imitationem, imitare Paulum, qui quamuis mille à Iudæis persecutionibus premeretur, anathema tamen esse pro salute eorū volebat: imitare Stephanū pro lapidantib. orantē. Dixeris, Hi Deo pleni fortes erāt, ego aūt

Hæc Chrysost.

Prou. 15.

Chrys. ho. 2. in Matt.

infir-

infirmus sum. Gentiles, intuere, qui sæpenumero nihil magni ex inimicorum tolerantia expectãtes, facilitate animi inimicis pepercerunt, & robore mentis dura quæq; perpessi sunt. Refert *Orige.* de Anaxarcho philosopho, q cum in mortarium confectus esset & crudelissime contunderetur, vocem emiserit philosopho homine dignam, Tunde tunde Anaxarchi follem, ipsum enim non tundis: volēs in hoc docere, non hominem philosophum, sed corpus duntaxat philosophi excruciari. Quid Epictetus? cui cum herus torqueret crus, lubride, impertet... dixit, Perfringes. Cumq; ille fregisset, Nonne prædicebam, inquit, quod perfringeres? Quid ad hæc dicit lãguidus & torpēs Christianus?

Orig. li. 7. con. Celsum.

4 CVR quod tempore ipso conficietur, id tu propter legem & spem præmij non prius conficis? *inquit Chrys.* sed expectas vt sine præmio & laude tua hæc perturbatio animi extinguatur, quam tu cum magno præmio deponere potes: præsertim cum et ... sumus si temporis beneficio indignatio animi ceciderit, non paruos nobis imminere cruciatus, quia quod in nobis tempus efficit, id mandata Dei facere nequiuerunt, vis discere, inquit idem, quam magnum bonum sit iniuriarũ obliuio, & quomodo summopere Deus ea placatur? eos q lætantur, quoniam iuste ab eo quidam puniti sunt, non patitur omnino impune id facere: nã etsi iuste illi vexati sunt, sed gaudere hac de causa te non oportet, vnde propheta *Amos ca. 6.* multa criminatus, hoc tandem subiunxit. *Et non cõpatiebantur super contritione Ioseph.* Quanquam enim tribus Ioseph ex Dei sententia iuste puniretur, tamen etiam istis condolere nos vult Dominus. Quod si lætandũ non est, sed condolendum his qui à Deo puniuntur, multo magis his condolendum qui nos offenderunt.

Chrys. ho. 2. in Matt.

5. TALES igitur nos erga conseruos exhibeamus, qualem erga nos Deum cupimus, *inquit idem.* Sic enim oramus, *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui centum denarios nõ dimisit, non conseruum sed seipsum læsit. Quid contra te ensem vt insanus & furens stringis? quid culpa tua futura gloria fraudaris quam non consequeris nisi inimicũ diligas. Tunc igitur quando quis te irritat maxime philosophari oportet: nam quando non irritantur, feras quoq; mansuetas esse videmus: Quare si tunc solum quiescimus, quando nemo irritat, in quo beluas superabimus aut præstabimus? Quinimo illæ iuste mouentur concitatæ duce natura, tu vero in ferarum incidens morem vnde tibi excusationem parabis? Cogita quia nõ est apud se qui vituperat, non moleste feras contumelias eius, Nam & dæmoniaci plerumq; nos verberãt, nec solum nõ mouemur, verumetiam eos deflemus: Ita & tu facito, misereat te contumeliantis? Magna enim belua, ira scilic. & furore, & pernicioso dæmone detinetur: huiusmodi enim ægrotatio est vt non egeat longo ad perdendum hominem tempore, vellem posse ostendere qualis sit qui cõtumeliam infert, & qui sustinet ac philosophatur, & nudum vtriusq; animum in medium adducere, videres alterum fluctibus exagitari, alterum in tranquillo portu quiescenti naui ... similem esse. *hac Chrys.* hic exagitatur iræ passione ac vindictæ cupiditate tanquam quadam tempestate, alter mansuetus animo permanet & tranquillus.

Chrys. ho. 18. in Ioã.

6 MEMINERIS itaq; quod Dominus fructus ficulneæ quæsierit etiam cum non esset tempus ficuum, *Marci. 11.* Fructus spiritus sunt caritas, benignitas, pax, patientia, & similia de quibus Paulus *ad Galat. 5.* Hi redduntur tempore suo, *inquit Origenes*, quando non est difficile eos proferre, vt si quis diligat diligentẽ se. Si quis autem circumstantibus aduersariis & ad non fructificandum prouocantibus, nihilominus maneat quis patiens, & pacificus, & diligat odientes se, & gaudeat etiã in tribulationibus, fructum dat non in tẽpore ficuũ. Quia ergo Christus supra humanam naturam conatur nos euehere, indignatur si quando nõ fert homo fructũ, etiamsi

Origẽ. ho. 11. in Mat. & ho. 1. in psal. 38.

etiamsi commodum tempus non videatur ficorum. *hæc Origenes.*

III. Variis modis inuitat nos Deus ad dilectionem proximi. Chrysost. homil. 34. in 1. epist. ad Corint.

1. DEVS vt charitatem nobis persuaderet varias rationes excogitauit, *inquit Chrysost.* Primo vnum caput dedit omnibus ipsum nimirum Adamum ex quo totum genus humanum exortum, vt dum ab vno capite dependemus omnes, totum genus humanum velut vnum corpus cẽseretur: Naturale est autem vt membra eiusdem corporis se mutuo iuuent, & qui eiusdem sunt substantię inuicẽ se diligant, omne siquidem animal diligit sibi simile. Quod si & fide tecum communicat, iam tuum factus est membrum: *omnes enim in vnum corpus baptizati sumus*, inquit Paul.

1. Cor. 12.

Non potest autem maior esse connexio quam membri ad membrum, si vnum mẽbrum patitur condolẽt reliqua. Huc peruenerat qui dicebat, *Quis infirmatur & ego non infirmor, quis scandalizatur & ego non vror?* propter alienam infirmitatem & casum non minus dolebat quam si ipse infirmitate laboraret aut lapsus esset. Deinde quia amicitias & necessitate & vtilitate conciliari videmus hũc mundum tanquã domum quandam nobis incolendũ dedit Deus, sic tamen vt non omnia in omnib. locis nascantur, sed hic vinum, ibi frumẽtum, alibi oleum, aut alia terræ nascentia vberius proueniant, quo sic necesse haberemus inuicem permisceri & congredi, quippe qui mutua ope indigeamus, vt sic vinculũ caritatis toto conatu seruemus, idque eo magis quia absq; proximi dilectione nihil suaue, nihil iucundũ: quemadmodum nihil molestius his qui hostili in se sunt animo.

Hæc Chrysost.

2 EST hic videre mirabile quid, qui multos habet amicos, vt caritatis in multis vnum, & in vno multos cernere licet, vt enim in cythara varias quidẽ voces habes, vnam autem harmoniam, sic dulcis exurgit consonantia inter oẽs se mutuo diligẽtes, vellem te ducere in ciuitatem talem, *inquit Chrys.* vbi anima esset vna & cor vnum, videres quomodo quauis Cythara suauius resonarẽt omnia. Nihil est quod adeo potest nos Christi imitatores efficere vt dilectio quæ nõ quęrit quæ sua sunt: licet enim ieiunando, aut humi cubando corpus maceraueris, licet omnia bona tua in eleemosynas distribueris, & teipsum tradideris ita vt ardeas, charitatem autem non habueris, nihil effeceris. Et aduerte quomodo Deus auctor naturæ cuncta in communem vtilitatem disposuerit, terra fructus producit omnibus communes, sol non tibi soli sed & aliis lucet. Cum enim Deus omnes adinuicem colligare vellet, talem reb. vtilitatem imposuit, vt in proximi vtilitate alterius etiam colligata sit: Agricola enim non tantum frumentum seminat, quantum sibi satis est, nam iam pridem & se & alios perdidisset, sed quod multis sufficiat terrę mandat. Et miles nõ vt suæ duntaxat consulat saluti se periculis obiicit, sed vt ciuitates & patriam in securitate constituat: Et mercator non eas tantum merces transportat, quæ sibi ipsi satis sint, sed multis aliis. Quid si quis hoc in loco dixerit, non alterius sed suam vnumquemque considerare vtilitatem, & idcirco ita facere vt pecunias congreget. Certe dum suam quærit proximi quoque quærit vtilitatem, & quisque etiam sibi tunc consulit dum proximo cõsulit. Nam cum aliter proximi commodum nõ essent homines curaturi, nisi in hac constituti necessitate, propterea ita Deus ea coniũxit, & non permittit vt in propriam quis veniat vtilitatem, nisi per alienã transeat: verum oportet non hinc, sed diuina voluntate ad id adduci.

Chrysost. hom. 40. in Act.

3 DENIQVE vt nos in mutuam dilectionem inducat Dominus, mãdata dilectionis sic connexuit, vt beneficentiam erga proximum in seipsum transferat, vt quod vni ex minimis fecerimus, sibi factum dicat. Quapropter, *inquit Bern.* nec facto, nec verbo, nec signo qualicumq; proximum lædamus, sic enim peccantes in fratrem in Christum peccamus, qui ait, *Quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.* Nec cauendum tantum à grauioribus offensis,

Bern. ser. 29. in Cãt.

offensis, cauenda sunt & leuia: si tamen leue debeat dici quodcumque in fratrem præsumpseris voluntate lædendi, cum si irasceris illi reus sis iudicii: Et merito quidem, nam quod tu leue putas, plerumque alius aliter accipit, & inde fit vt grauiter lædatur, dum nihil aliud in mente versare potest, nisi iniuriam quam accepit, non potest orare aut legere, non sanctum aut spirituale aliquid meditari. Et ita fit vt intercepto vitali spiritu, dum anima suis destituitur alimentis, incidat in mortem, pro qua Christus mortuus est. Quod si & hoc ipsum asperneris, ad hoc sensim peruenies vt ipsum quoque dispicias Deum, siquidem alios contemnendo, Deum ipsum contemnimus. Contempsit fratrem Cain, contempsit continuo & Deum: vide quam contumeliose responderit Deo, *Nunquid custos fratris mei sum ego?* inquit. Officium caritatis est onera mutua portare, verbi gratia, si quis loquacitatem in se vicerit, & pertinaciam nondum vicerit, alius vero adhuc loquax sit, sed iã pertinax non sit, debet ille huius loquacitatem, & iste illius pertinaciam, donec illud in illo, & hoc in isto sanetur, caritate portare. Et sic interpretatur *Aug.* illam scripturam *Prou. 2. Ceruus amicitiæ & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum.* h. e. sicut cerui mutua onera cornuum portant dum fretum trãseunt, vt posterior priori onus capitis imponat & inuicem sibi succedãt, sic & tu iram fratris tui portabis, dũ tu aduersus eum non irasceris, vt rursum eo tempore quo te ira præoccupauerit, ille te tranquillitate sua supportet.

Aug. li. 33. qq.

II. Cur & quomodo proximus sit diligẽdus.

1. SVNT variæ dilectionis causæ: *vnus* amicum diligit quia vtilẽ sibi fore sperat, *alius* quia honoratur, *tertius* quia redamatur: Christi vero causa difficillime quenquam inuenies, qui proximum vt oportet diligat, *inquit Chrys.* sed omnes fere secularium rerum vinculo inter se vinciuntur: Et quia caducis atque pereuntibus causis copulantur, eorum dilectio perpetua esse nõ potest: qui enim amat quia redamatur, si quid minus iucũdũ ab amicis ad eum profectum fuerit, cito amare desinet: qui diligit quia munera sperat, si hæc cessauerint cessabit & dilectio: qui amat quia corporis alterius pulchritudine fruitur, vbi flos ille ceciderit, cadet & amor. Sed dilectio quæ Christi causa fundatur stabilis permanet & inuicta: Nã etiamsi minus ametur, non tamen minus amat, imo etiamsi odio habeatur, & pro beneficiis collatis iniuriam & contumeliã patiatur, in amore tamen perseuerat, *ait Chryso.* quia causa amoris est, non quia redamatur, non diuitiæ, non corporis pulchritudo, sed sufficiẽs sibi causa ad amãdũ Christus est, qui donat diligentibus vitã & salutem, & cuius solius gloriam quærit & honorem ipse qui diligit, vt Christus honoretur in proximo etiam inimicus licet sit, sicut in seipso.

Chrys. ho. 61. in Mat.

2. HIC obserua non omnes, quos diligimus etiam in amicitiam recipiẽdos, quia propter Christum etiam inimicus est diligendus, non tamen vt amicus habendus, cui tuto tua secreta reuelare possis cum scriptũ sit, *Inimico tuo ne credas in æternum.* Inter dispares mores non potest esse amicitia, *inquit Ambros.* Amici vero sunt quibus est cor vnum & anima vna. Hinc suadet Sapiens *vt homini iracundo nolis esse amicus, neq; ambules cum viro furioso ne forte discas semitas eius.* Certissimum charitatis indicium est, vt noueris flere cum flentib. & gaudere cum gaudentibus, vt si quem forte graui aliqua tentatione deiectum videris, cum infirmante infirmeris; sin autem bene proficientem cognoueris, cum gaudente gaudeas eique congratuleris. Hi duo affectus materni, cõpassionis scilicet & congratulationis, sunt duo vbera sponsæ, *teste Bern.* quæ qui non habet paruula est & nondum nubilis. Nec vllum munus Deo acceptabilius, esse potest, *ait Hiero.* quam compunctio cordis proueniens ex radice veræ dilectionis, vt nouerit flere cum flentib. & gaudere cum gaudentib. Hæc est n. dilectio quam proximo debes, vt salutem eius promoueas & exẽplo

Ambr. li. 3. ca. 15. offi.

Prou. 22.

Bern. ser. 10. in Can.

Loyaerts Conc. PP vitæ

Vitæ & verbo doctrinæ ei que congaudeas si virtutibus, quæ sunt via salutis, prędictus sit, condoleas autem si eas non habeat & coopereris si quid possis vt habeat iniquitatem autem eius, si iniquus fuerit, & malam voluntatem oderis, sicut & propriam odisse debes tanquam saluti contrariam. Et hoc est diligere proximum sicut seipsum: non æqualiter tamen, quia cum obiectum charitatis sit bonum, quo quid melius fuerit, eo amplius diligi debet quanquam quo quis infirmior aut peior fuerit, eo plus curę, sollicitudinis & operis ei impendi debeat, sicut medicus plus laborat circa ægrotum quem sanatum cupit, quam circa sanum.

3. CVM itaque plenitudo legis sit dilectio, eo quod charitas ad omnia virtutũ genera se extendat, vt enim sibi ipsi iniurius est nemo, sic nec proximo, si eum vt se ipsum diligat, & vt sibi quisque vult bene, nemo enim seipsum odit ita & alteri quẽ diligit. Et si omnes se inuicem vt seipsos diligerent, non opus esset aut legibus aut poenis, *inquit Chrysost.* quia odio, rixæ, maleuolentiæ, arrogantiæ, cupiditati prauæ, illicito amori, & similibus prauis affectibus nullus foret locus, sed pace, tranquillitate, gaudio, amicitia, iucunda conuersatione plena essent omnia, ita vt terram velut cœlestem quendam paradisum homines tanquã ang[e]i Dei inhabitarent: Sine charitate autem omnia sunt tumultu, cupiditate, suspicionibus, detractionibus repleta: Æquum profecto fuerit vt huic vnicæ virtuti charitatem dico, sedulo semper & serio operam nauemus sine qua non nisi miseram vitam viuimus.

Chrys. ho. 32. in 1. epi. ad Cor.

(**)

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

FACTVM est dum iret in Hierusalem transibat per mediam Samariam & Galilæam: Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrunt ei decem viri leprosi, &c. Luc. 17.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Sicut lepra quæ natura sua incurabilis est, verbo Christi sanata fuit, ita omne peccatum etiam in naturam quodammodo versum, pœnitenti potest remitti.*

II. *Quomodo gratiarum actionem à nobis requirat Deus.*

III. *Fides quomodo hominem saluum faciat.*

PARS I.

1. QVANDOQVIDEM lepra morbus est incurabilis, inficit enim non solum carnem & sanguinem, sed & humorem nutrimentalem quo cætera membra nutriuntur, & morbus est admodum contagiosus, qui etiam sanos facile adficiat, qui se à leprosorum halitu non obseruant, vnde à castris sanctorum lex leprosos segregandos decernebat: Ideo per leprosos istius generis peccatores recte intelliguntur, quorum peccata in naturam quodammodo versa videntur, & proinde incurabiles & incorrigibiles humano iudicio censentur, dum non ex infirmitate aut ignorantia aliquando in peccata labuntur, quorum pœnitudine mox ducuntur, sed de industria & certa malitia & peccant & in peccatis perseuerant; quique contagiosi sunt & admodum noxii iis quibuscum conuersantur dum virus quod in pectore latet, & morbum quo laborant prauis suis doctrinis & colloquiis & malis exemplis sanis inferũt.

Art I. Sicut lepra Christo, ita omne peccatum pœnitentis curabiles est.

De

Psal.5. De quibus psalmista, *Sepulchrum patens guttur eorum*: ex quo scilicet pestilentes fœtores exhalantur & emanant, dum obscœna & turpiloquia, dum hæreses & errores, dum blasphemias & periuria euomũt:
Psal.13. De quibus idem sic, *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis*: quia nefandis sceleribus, vt declarat *ad Rom.* A-
Rom.1. postolus, sese corruperunt. Quo fit vt ipsi sic corrupti etiam alios facile corrumpãt
1.Cor.5. & inficiant, quia vt Paulus ait, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Quæ res peccati vim & nocendi energiam apposite aperteque declarat. Id quod exemplo Caluini, Lutheri, & similium hæresiarcharum facile comprobatur, qui pestilenti sua doctrina integras corruperũt prouincias, integra infecerunt regna, quos tamen multi clarissimi viri nec disputationib. nec scriptis ab instituta perfidia reuocare potuerũt. Addiscuntur vitia facile sed dediscuntur difficillime: vt inscius sis & ignarus nullo labore opus est, vt autem scientiam aliquam addiscas studio opus est & labore: spõte sua tellus spinas producit, vt autem ferax sit tritici aut vini coli debet & purgari. Id quod in agris facit cultura vt proferant segetem, hoc facit studium & labor in animis hominum vt compareant virtutes.

2. QVANQVAM lepra natura sit incurabilis, verbo Christi tamen, cui omnia sunt possibilia, non solum curari potuit, sed & facile curata fuit, etiam in iis quos ingratos futuros non ignorauit, quia præsentẽ eorum fidem & vehemens animi desiderium attendit. Ita peccatum quod per diuturnam peccandi consuetudinẽ quodammodo iam in naturam videatur conuersum, licet natura sua videtur incurabile & irremissibile, nullum tamen tam enorme quod homini vere pœnitẽti Christi gratia non facile remitti possit. Id quod nos & variæ scripturæ & diuersa in iis exempla allata manifeste docent & probant. Di-
Isa.1. cit enim Isaias, *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Ezechiel quoq; sic habet, *Fili homi-* Ezec.33.
nis dic ad domum Israel, ait Dominus. Sicut locuti estis dicentes, Iniquitates nostræ & peccata nostra super nos sunt & in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos, viuo ego dicit Dominus Nolo mortem impii, sed vt conuertatur à via sua & viuat. Id quod patet exemplo Manassis, latronis, filii prodigi, Pauli ecclesiam persequentis, & multorum aliorum. Vt hinc recte dixerit *Leo.* Misericordiæ Dei nec Leo. ep.
mensuras possumus ponere, nec tempora 91.
definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente spiritu Dei per Isaiam, *Cum conuersus ingemueris tunc* Isa.30.
saluus eris.

3. QVIN & in eo relucet miranda Dei misericordia, quod etiam iis sua ignoscat peccata modo tam vera ducantur pœnitentia, quo paulo post relapsuros præuidit: Id quod patet in seruo isto, qui *debebat* Mat.18.
decem milia talenta, qui cũ non haberet vnde solueret, procidens ad genua Domini sui remissionem obtinuit: qui paulo post inueniens vnum de conseruis suis qui debebat ei centum denarios, in carcerem eum iussit conici, eiusq; misereri noluit: & hic leprosos mũdauit quos tamen ingratos futuros præsciuit, quia disponit de homine Deus non prout fuit aut futurus erit, sed qualem eum in præsentiarum inuenit. Hic enim locum habet quod vulgo dicitur, Qualẽ te inuenio, talem te iudico. Quod si scripturæ sint nonnullæ quæ significare videantur Deum etiam ad se clamantes & pœnitentiam agentes exaudire nolle, vt cum dicitur in Prouerb. *Tunc inuoca-* Prou.ca.1.
bunt & non exaudiam, mane consurgent & non inuenient me: & apud Psalmistam, *Cla-* Psal.17.
mauerunt nec erat qui saluos faceret, ad Dominum nec exaudiuit eos. Cuius rei illustre habemus exemplũ in Antiocho, de quo dicitur Machab.2. quod *scelestus orauit De-* 2. Macc.9.
um à quo non erat exaudiendus, cum tamen promitteret quod templum sanctum quod prius expoliauerat, optimis donis esset ornaturus, & quod Iudæus esset futurus, & Dei potestatem vbique prædicaturus.

rus: Et *Paulus ad Hebræos* agens de Esau qui propter vnam escam vendiderat primogenita sua, sic ait, *Scitote quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum quãquam cum lachrymis inquisiuisset eam.* Hæ & similes scripturæ intelligendæ sunt de iis qui ad Deum clamant non syncere ex vera cordis contritione qua culpam expiare & exorare cupiant, cum animum ab ea non gerant alienum, sic enim dicitur de Antiocho prædicto capite, licet ille nullo modo à malitia sua cessaret: Sed clamant metu pœnæ adacti & vi tormentorum coacti, deprecantes vt pœnam euadere possint: quo modo pœnitentiam agunt intra se gemẽtes qui in inferno torquentur.

4. POSSET tamen quæstio moueri de peccato in Spiritum sanctum, de quo scribit *Matthæus* quod *non remittetur neque in hoc seculo neque in futuro.* Illud autem peccatum in Spiritum sanctum dicimus dum quis veritatem cognitam & manifestam ex malitia impugnat & improbat: aut signa & prodigia virtute Spiritus sãcti facta Sathanæ tribuit, sicut cum Iudæi dicerent Christum in Beelzebub principe dæmoniorum eiicere dæmonia. Huiusmodi peccata dicuntur in spiritum sanctum, nõ quia non sint etiam contra patrem & filium, sed quia spiritui sancto peculiariter tribuitur operatio miraculorum, & illustratio animorum ad cognoscẽdam veritatem: *ipse enim est*, vt Ioannes testatur *qui docet omnem veritatem*: & qui vt Paulus loquitur, *dat vni gratiam sanitatum, alteri donum linguarum.* Sic & hæresiarchæ dum fidem impugnant & hæreses seminant in spiritum sanctum peccare dicuntur, quia cum in scripturis sanctis & patribus assidue versentur, vix fieri potest quin intelligant se vehementer errare & manifestam veritatem impugnare. Dicitur itaque hoc peccatum *irremissibile*, non quod simpliciter nunquam remittatur, sed quia nec communiter & non ita facile remittitur, qui enim sic peccat spiritui sancto directe resistit, & gratiam Dei impugnat, tanquam si homo morbo corporali laborãs & medicum à se repelleret, & medicinam omnem reiiceret, recte talis morbus natura sua diceretur incurabilis. Et peccatum in spiritum sanctum posse remitti per pœnitentiam, docet *Amb.* quia populus Iudæorum, qui dixerat de Christo, *In principe dæmoniorum eiicit dæmonia,* postea ad prædicationem Petri conuersus legitur.

Mat. 12. & Luc. 12.

Ioan. 16.

1. Cor. 12.

Amb. li. 2. de pœnitent. c. 4.

II. De gratiarũ actione.

1. NON *est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo.* Non consueuit Dominus beneficia sua alicui exhibita improperare, vt n. Iacobus ait, *dat omnibus affluenter & non improperat*: tamen qui benignus est largitor bonorum, rigidus est exactor gratiarum, non vt sibi, sed vt nobis bene sit: Ingratus animus, qui beneficiorum est immemor, fontem gratię quasi exiccat, & manũ Dei veluti claudit, quominus gratiarum dona profluere possint: Cũ n. nihil tam pereat, quam quod in ingratũ confertur, Deus autem sua dona perire nõ velit, manifestum euadit cur in ingratum Deus minus liberalis sit. Ideo continuum sanctorum officium est Deo pro vniuersis suis beneficiis tam paruis quam magnis, ne vllum pereat, gratias agere. Sic n. Dauid ait, *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Est autem proprie dicta gratiarum actio, quando quis cum Dei laude & cordis gaudio beneficia eius accipit, & assidue animo grato reuoluit, etiamsi lingua taceat: sicut tacitum animi desiderium fide, spe, & charitate subnixum, iugis est oratio, *teste Augustino.* Ex hac autem animi cogitatione, qua quis secum reuoluit Dei beneficia in se collata, excitatur hominis affectus in Dei laudem, & dilectionem.

Iac. 1.

Psal. 33.

Aug. epi. 121.

2. GRATVM in benefactorem animum naturam exigere etiam bestiæ nos docent, quæ beneficii in se collati memores, in benefactores ac nutritores suos beneuolæ ac gratæ reperiuntur, dum ipsis applaudunt lęte & adblandiuntur. Mirum profe-

cto

ctio id rationem nō posse in homine quod natura facit in pecude. Plurimos namque inter Christianos reperire licet, qui nec beneficia accepta recognoscunt, nec benefactori debitas gratias agunt: Sicuti ex decem leprosis mundatis vnus duntaxat repertus qui rediret & Deo gloriam daret. Et vnde tam profunda in nobis diuinorum beneficiorum obliuio? certe id opera Sathanæ fieri existimo, qui hac ratione fontem diuinæ largitatis obstruere nititur, ne quis riuulus diuinæ gratiæ ad nos deriuetur. Hinc fit vt quemadmodum filii Israel ex Ægypto regressi inter tot diuinæ prouidentiæ miracula, nec oculos haberent, nec mentem, qua diuini muneris virtutem agnoscerent (sic enim de eis

Psal. 10. loquitur Psalmista, *Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, & non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.*) Ita & plærique christianorum inter tot diuinæ largitatis beneficia, quæ nobis cœlum & terra & vniuersæ creaturæ subministrant, nec Deum benefactorem agnoscant, nec vt oporteramen t, nec accepta beneficia illi referant, sed huiusmodi omnia accipiant quasi illa non à Deo, sed ab ipsa natura, aut à sua industria prouenirant. Vnde fit vt nihil se Deo sed suæ industriæ aut hominibus omnia debere existi-

Deut. 32. ment: Sic enim loquuntur in Deutronomio, *Manus nostra excelsa & non Deus fecit hæc omnia.*

3 SI NON det Deus beneficia, vnde hæc tibi quæ possides omnia? vnde in tuo horto tot arborum genera, vnde in stabulis tot pecora? vnde in mensa tot ciborum fercula? Quis solem lucidum fecit vt te illuminet? Quis terræ fertilitatem indidit vt tibi in tot tuis necessitatibus subueniat? Quis mari tantam piscium copiam vt te enutriat? Certe hæc omnia non alius quam subministrat Deus, non solum vt tuæ succurrat necessitati, verumetiam vt suam magnificentiam & munificentiam hominibus faciat manifestam: Cuius rei typum gessit Assuerus Rex, *qui fecit grande conuiuium cunctis Principibus & pueris suis, fortissimis Persarum & Medorum inclytis, vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui*: Sic Deus vt ostendat magnificentiam & munificentiam suam, cuncta creauit & cuncta creata non solum in necessitatem & vsum hominum, verumetiam in honorem & splendorem eis adiecit. Et si parua sunt ista, adiiciet seruis suis post hanc vitam multo maiora, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit Deus diligentibus se.

4 VERVM hæc est conditio & natura hominis ingrati vt citius quid ei desit, aduertat, quam quæ dona perceperit attendat: Quo fit vt facilius obmurmuret si pro voto non succedant omnia, quam quod pro acceptis beneficiis gratias agat. Quæ omnia ex eo fonte procedunt, quod homo suam vitam non secundum rationem aut Dei legem, quæ docet hominem sobrietatem & iustitiam, sed secundum cupiditatem instituat: Cupiditas autem istius est conditionis vt quicquid ei feceris, nunquam satisfeceris: cum enim sit insatiabilis, quo plura habet, eo plura appetit. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*: Si qui cupidus est honoris ad senatorium ordinem conscenderit, quod in Consulem non sit electus dolet, Consul factus ad altiora contendit: Quæ omnia licet consequatur nec sic contentus viuet, quamdiu quippiam defuerit quod appetit: & plus affliget quod defuerit, quam adficiet aut oblectabit quod consecutus fuerit.

5 EST alia radix ingratitudinis, animi scilicet humani arrogantia, qua fit vt homo tanti se faciat vt quicquid acceperit, se eo non solum dignum reputet, verumetiam tanquam debitum sibi arroget & vsurpet, sibique dari iniuriam existimet, si quod postulat non obtinet: Qui autem quod sibi debetur accipit, non gratiam reputat, vnde nec gratias agit, sed quod suū est exigere se posse putat. Sed multum hic hallucinatur homo: Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei: Sicut Deus homi-

nem non tenebatur creare, ita nec in vita tenetur eum conseruare. Quod si quippiá debeat Deus homini, non nisi ex sua lege & pacto cum homine inito debet, verbi gratia, si quis ad vitam ingredi velit, obseruet mandata necesse est. Huiusmodi autẽ pacta cum homine iniit Deus, non quia tenebatur, aut vt illi bene esset, sicut homines pacta ineunt propter propriam vtilitatem, sed quia bonus erat, vt homini bene esset, eique legem & pacta obseruanti benefaciendi occasionem haberet. Et ideo in origine sua omnia homini à Deo gratis obueniunt & parua & magna: & pro omnibus beneficiis paruis & magnis homo gratus esse & gratias agere debet, vt dum beneficiorũ memor benefactori gratias agit, hac animi gratitudine maiora accipere mereatur, seseque ad benefactoris dilectionem excitet atque promoueat, quod non illi sed ipsi homini proderit. Cum vero naturale sit benefactorem suũ diligere, nihil est quod ęque hominem incitet ad Dei dilectionem, atque perpetua & assidua beneficiorum Dei commemoratio.

III. Cur fidei salus tribuatur.

1. FIDES TUA te saluum fecit *&c.* Multoties in sacra scriptura fidei tribuitur salus humana, vt nobis significetur si à Deo iuuari velimus, ea quæ ex parte nostra requiruntur, etiam adesse oportere: nã quãquam nonnulla sint dona quę homini largitur Deus absque ipsius cooperatione vt prophetia, gratia sanitatum & similia, tamen plurima sunt etiam quæ homo non assequetur nisi gratiæ diuinæ cooperatus fuerit, quia, *teste Aug.* qui creauit te sine te, non iustificabit te nec saluum faciet sine te. Causa igitur cur hic aut sanitatem corporalem aut salutem spiritualem consequatur & Deus est & homo fide operans, dũ quis credit id quod ei dicitur, & facit quod ei præcipitur, Deus quidem tãquam causa efficiens quia gratiam & gloriã dabit Dominus: homo vero per fidem operans quia gratiam impetrat & meretur: Facienti quo in se est Deus nõ deest, quia vbi natura deficit, gratia succurrit: dum quis autem quod sui est officii non facit, Deus non subuenit, non quasi non possit, neque enim abbreuiata est manus Domini vt saluare nequeat, sed nõ iuuat quia fidem, hominis cooperationem, & cætera ex parte illius requisita, deesse videt. Cum Deus homini præscribit medium ad finem assequendum necessarium, & homo medium amplecti nolit, quid mirum si ad finem non perueniant? verbi gratia, cũ cœco, super cuius oculos lutum liniuit, diceret Dominus. *Vade & laua in natatoria Siloe*: Id si cœcus contempsisset aut neglexisset, nec se lauisset, haud dubie visum nõ Ioan. 9.
recuperasset: sed postquã abiit & lauit, fecitque ex fide ea quæ requirebantur ab ipso, visum assecutus est & venit vidẽs. Simili modo cũ his decem leprosis diceret, *Ite ostendite vos sacerdotibus*: Huic præcepto Domini si obtẽperare noluissent, nec ad sacerdotes iuissent, sed mussitantes secũ dixissent. Num sacerdotes sanare nos poterunt? haud dubie nunquam à sua lepra mundati fuissent. Hinc tam solicite instabant serui Naaman principis militiæ vt 4. Reg. 5.
præceptum Elizei prophetæ, quo ei demandatum erat vt septies se in Iordane lauaret, adimpleret, *Pater*, inquiunt, *etsi rẽ grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras, quanto magis quia nunc dixit tibi, lauare & mundaberis. Descendit & lauit septies & mundatus est à lepra sua.*

2. NON mittit Dominus hos leprosos ad sacerdotes tanquam ab iis forent mundandi aut sanandi, neque enim ipsi tale quid poterant: sed quia authoritatem habebãt iudicandi de lepra & nõ lepra: Qui Leui. 14.
enim ipsorum testimonio iudicabantur immundi, à consortio hominum segregabantur: qui vero ipsorum iudicio mundi censebantur, in consortium hominum autoritate sacerdotum rursum recipiebãtur: Hoc in aliis morbis non fiebat, hinc cœci & claudi, dum à Domino sanarẽtur, ad sacerdotes non mittebantur. Misit igitur hos leprosos ad sacerdotes, partim vt ipsorum testimonio mundati denuncia-

ciarentur: partim vt fidei ipsorum obedientia accederet. Neque enim otiosa fides hominem saluat, sed quæ obedientiã habet coniunctam, qua quis id facit quod à nobis Deus requirit, & quod fides faciendum præscribit, iuxta illud Pauli ad Heb. Hebr. 5. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis.* Nam quanquam Deus sit qui saluos facit sperãtes in se, tamen curam, studium, obedientiam, fidem operatoriam etiam à nobis requirit: & nisi homo fecerit id quod sui est officii, non saluabit eum Deus stertentem & otiosum. Saluat fides, non effectiue quod solius Dei est, sed impetratorie ac meritorie: fides enim orando salutem impetrat mandatis Dei obtemperando salutem meretur, pœnitentiam agendo veniam consequitur, cæteraque media quæ ad quippiam impetrandum vel efficiendum sunt necessaria, amplectendo, illud efficit & impetrat, iuxta illud Iacobi, Iaco. 2. *Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.*

3. QVANTÆ autem virtutis & efficaciæ sit viua fides operibus iũcta, docet Paulus, Heb. 11. cum ait, *Per fidem sancti vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, effugauerunt aciem gladii, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Cuius rei exemplum habemus in Ionatha & armigero eius, 1. Reg. 4. qui cum secederent ad stationem Philistinorum, dixit Ionathas ad puerum suum, *Ecce nos transimus ad viros istos, cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos, Manete donec veniamus ad vos, stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos: Si autem dixerint, Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc erit nobis signum*, haud dubie diuinitus ei datum, cui cum crederet Ionathas, illudque faceret quod intus in animo ei Deus inspirabat, victoriam obtinuit. Nam cum vterque appareret stationi Philistinorum, dixerunt Philistijm, *Ascendite ad nos & ostendemus vobis rem. Et ait Ionathas ad armigerum suum. Ascendamus, sequere me, tradidit enim Deus eos in manus Israel. Ascendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itaque alij cadebant ante Ionatha, alios armiger eius interficiebat sequens eum. Et facta est plaga prima qua percussit Ionathas & armiger eius, quasi viginti virorum in media parte iugeris, quam par boum in die arare consueuit. Et factum est miraculum in castris & per agros: & ecce multitudo prostrata, & huc illucque diffugiens, & versus fuerat gladius vniuscuiusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.*

4. EST hic videre quod Ionathas victoriam obtinuerit non nuda fide, sed faciendo id quod fides præscribebat, quodque Deus ab eo fieri volebat. Simile quid legimus & in *lib. Iudicum*, vbi fide Madianitas Iudi. 7. deuicit Gedeon, cui cum magna militum copia adesset vsque ad 30. millia, recedentibus meticulosis & ignauis hominibus, remanserunt viri duntaxat trecenti, animo fortes & robusti omnes qui victoriam obtinuerunt non pugnando sed Domino obtemperando, & buccinis clangendo ac lagenas frangendo, Domino interim pro ipsis pugnante. Quid ergo, dixerit quis, opus erat strenuis his & fortissimis viris? Quia sane isti, etsi non pugnauerunt, Domino tamen obtemperauerunt, & sic affecti erant, vt si opus fuisset in illa causa non solum pugnare sed & mori non dubitassẽt, cæteris qui dimittebantur sic affectis ve nõ tam pugnare, quã præ formidine fugam inire parati essẽt: ignaui autẽ & meticulosi idonei non sunt qui victoriam obtineant. Hic cernere licet quod & fides operibus & opera fidei iuncta fuerint, licet in causa salutis nostræ Deus id operetur quod præcipuum est, homineque tãquam viuo quodam instrumento vtatur.

5. FIDES igitur quæ saluũ facit hominem, nõ est nuda illa persuasio, quam hæretici fingunt, qua quis credit, certoque sibi persuadet peccata sua sibi propter Christum esse remissa, seseque propter Christi merita esse saluandum: sed ea quæ per dilectionem operatur, & secundum cuius præscriptum homo suam vitam insti-

instituit, quæ affectum orandi excitat, hominis infirmitatem manifestat, auxiliatorem & Saluatorem demonstrat, aliaque media amplectitur quæ ad quippiã faciendum vel impetrandum sunt necessaria. Id quod Dominus manifeste docet, cum ait, *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est.* (Matth. 7.) Nam cum scriptura dicit, *Iustus in fide sua viuet*: (Haba. 2.) non de mortua fide sed viua & per dilectionem operante, intelligitur: secundum quam iustus vitam suam instituit ea faciendo & vitando, quæ fides docet facienda & vitanda.

6. ET quia fides Deum ex toto corde diligendum dictat tunc demum iustus ex fide sua viuet, si id quod fides docet opere compleuerit & Deum ex toto corde dilexerit, charitas enim cum sit vita animæ lætissimam adfert mentis trãquillitatem, & suauem, tranquillam, atque iucundam & sanctam viuendi rationem. Et quoniã ipsam diligere & recte viuere nobis ex nobis non est, sed ex Deo, qui & ipsam fidem & charitatem donat, fides autem doceat vnde huiusmodi dona petenda sint, & ipsa hominem petere & orare faciat, recte dicitur fides hominem saluum facere & iustus ex sua fide viuere: vt enim recte *August.* (Aug. de prædest. Sanct. c. 7.) docet fides primo datur vt per eã cætera dona impetrentur: Et concilium Triden *cap. 8. in decre. de iustifi.* declarat semper ecclesiam intellexisse, ideo Paulum dixisse hominem iustificari per fidem, quia fides est humanæ salutis initium, radix & fundamentum, ex qua proueniunt cætera Dei dona. Cum enim fides immensam Dei bonitatem demonstrat, hominem in Dei amorem excitat: cum ostendit Deum esse placabilem & præstabilem super malitia nostra, ad spem veniæ impetrandæ peccatores erigit: cum manifestam facit grauitatem & turpitudinem peccatorum & quę illis parata sunt acerbitatem & æternitatem suppliciorum, ad timorem Dei & pœnitentiam hominem mouet, cum aperit obligationem hominis ad seruanda Dei præcepta, atque obseruantiæ eorum incomparabilem fructum, & ad obedientiã legis hominem incitat, nisi quis omnino iners & iners remanere velit & fidem sopitam & velut mortuam habeat, quæ nihil in homine operetur, talis enim fides nõ saluat.

PARS II.

Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo nisi hic alienigena.

Luc. 17.

Summa Articulorum Partis II.

I. *De quibusdam leprosorum conditionibus, & cur ad sacerdotes missi fuerint.*

II. *Memoria beneficiorum gratum reddit hominem & de gratiarum actione.*

III. *De ingratis & ingratitudine.*

1. QVANDOQVIDEM Paulus ad *Heb.* 10. dicit *legem vmbram futurorũ habere bonorum non ipsam imaginem rerum*: in quo consequenti vtiq; ratione edocemur, *inquit Orige.* quod & ea quæ de lepra scribuntur, vmbra sint & in aliis habeant imaginem veritatis. Igitur adhibeamus primo ipsam scripturæ vmbrã, *inquit*, & tũc de eius veritate requiramus. *Leui.* 13. describitur quædam species lepræ, vt si in cute fiat adustio ignis, & post hæc cũ sanata fuerit adustio, ipsa splendida fiat & albacum rubore, & visio eius humilior reliqua cute. Et hæc quidẽ quo ad literæ vmbram, quæ conuenienter referuntur ad animã. Vide ergo si nõ adustio est in omni anima, quæcumque recipit iacula maligni ignita, aut si non igni aduritur omnis qui ardet in amore carnali, aut irę vel furoris ęstu inflãmatur: Istæ ergo sunt adustiones ignis.

(Art. 1. De quibusdam leprosorum cõditionib. & cur ad sacerdotes missi fuerint. Ori. ho. 8. in Leuiti.)

2. QVOD

2. QVOD si forte curetur ab hac adustione anima per fidem & post sanitatem receptam, contempto eo qui dixit, *Ecce iam sanus factus es, noli peccare amplius ne quid tibi deterius contingat*, incipiat veteris vitii fructus ex obducta cicatrice proferre, nec exæquetur cicatrix ad reliqui corporis cutem, sed sit humilior, ita vt huiusmodi peccati macula humilem & deiectam faciat animam, & illum adhuc retineat colorem quem habuit lepræ tempore, lepra eius in adustione refloruit, & ideo immundus à sacerdote iudicatur.

3. INSVPER & hoc secundum vmbram legis decernebatur & statuebatur de leproso: *Vestimenta*, inquit, *eius dissuta sint & caput eius reuelatum, & os eius adopertum*. Per quæ designat eum qui in anima leprosus est, id est, qui peccatis confixus est, *inquit Origenes*, non oportere assuere sibi tegumenta & turpitudines operire peccati. Sicut enim is cuius vestimenta dissuta sunt nudam atque intectam gerit turpitudinem corporis, Ita oportet eum qui peccatis aliquibus obseptus est, mala sua & flagitia nullis verborum assumentis, nullis excusationum velaminibus operire, vti ne fiat sepulchrum dealbatum, quod deforis quidem hominibus apparet speciosum, intus autem plenum est ossibus mortuorum & omni immundicia. Vult ergo lex diuina peccatorem non solum vestimenta non assuere, sed & caput non contegere, vt si quod est capitis delictum, id est, si in Deum aliquid commissum est, *inquit Origenes*, si in fide peccatum est, ne hæc quidem habeantur obtecta, sed omnibus publicentur (*sunt verba Origenis*) vt interuentu & correptione omnium emendetur & veniam mereatur. Veruntamen leprosus iste os tantummodo iubetur obtegere. Quid est hoc, *inquit idem*, quod omnes corporis partes nudas habere præcipitur, & os solum operire iubetur? Nōne palam est & in aperto positū quod ei qui in lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur os, vt fiducia sermonis, & docendi auctoritas excludatur? *Peccatori enim dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Clausum ergo habeat os peccator quia qui seipsum non docuit, docere alium non potest: ideo os suum iubetur operire, qui male agendo, loquendi perdidit libertatem. *hactenus Origenes.*

4 IVBET & id lex vmbram habens futurorum, vt leprosi omnis pilus radatur, barbæ nimirum, superciliorum & capitis, quia procul fugatis omnibus vitiis arrogantiæ & animositatis, & resectis atque abiectis impuris & immundis cogitationibus, quæ è mēte peccatoris magno numero sicut capilli è capite profluunt & exoriuntur, purum & integrum se Deo offerre debet. Sanctus autem seruare debet omnem capillum, & si possibile est, nec ascendere debet ferrum super caput eius, nec abscindere aliquid de cogitationibus suis quia sanctæ sunt & sapientes. Inde namque est quod & Samueli ferrum dicatur non ascendisse super caput, sicut nec cæteris Nazaræis, quippe qui iusti sunt & sancti: *Iustus autem*, sicut scriptum est, *quæcumque fecerit prosperabuntur, & folia eius non defluent*. Hinc & discipulorū Domini etiam capilli capitis dicuntur esse numerati, quia omnes cogitationes eorum seruantur apud Deum quia iustæ sunt & sanctæ, *inquit Orige.* Clarum & illud est quod omnis leprosus quādiu permanebat immundus foris sedebat, & extra castra erat conuersatio eius: Sicut & hi decem leprosi à longe steterunt: vt exemplo horum leprosorum omnis qui flagitiis est obnoxius se diuino conspectu indignum intelligat, & separatus à cōsortio Sanctorum manere debeat: abominabilis enim est & fœtidus effectus suis sceleribus iuxta illud Ozeæ, *Abominabiles facti sunt, sicut & ea quæ dilexerunt.*

5. MANDAT autem Dominus leprosis his vt sacerdotes adeant, seseque iis ostēdant, partim vt eorum probet obedientiā quam statim & incunctanter ei exhibebant, vt eius aliquali merito hanc emundationis gratiam à Christo percipere meren-

retentur, licet eos præuideret Dominus futuros ingratos: verũ Deus hominẽ iudicat, saluat aut reprobat, non secundum id quod futurus, sed secundum qualitatẽ quæ iam impræsentiarum in eo est, iuxta illud vulgare dictum, Qualem te inuenio talem te iudico: Partim vero eos ad sacerdotes remittit, vt sacerdotium honoraret, honorandumq; doceret; sacerdotes enim veteris legis licet ipsi leprosos non mundarent, ipsorum tamẽ erat mundatos declarare & cum auctoritate mundos iudicare. Et in hoc differt sacerdotium veteris legis à sacerdotio nouo, quod nostris sacerdotibus concessum sit etiam mundare lepram animæ, *teste Chrysostomo*, non solum mundũ declarare. Quapropter dignius est sacerdotium nouæ legis quam fuerit veteris, & qui illud despiciunt atque contemnunt, sceleratiores & maiori supplicio digni sunt, *inquit Chrys.* quam fuerit Dathan & Abiron: Hi enim tametsi principatum ad se non spectantem sibi vendicauerint, miram tamen de eo principatu opinionem conceperant, id quod declarauit ingens rei concupitæ desiderium: illi aũt tot tantaque bona fastidiunt, quod facinus maius est, *inquit Chrysost.*

Chrys. lib. 3. de sacer.

II. De gratiarum actione.

Hæc Basi. in regu. fusi. disp. resp. 2.

Isa. 1.

1. AFFECTVS hic à natura nedum infantibus erga matres suas, sed & bestiis est inditus beneuolentiam vt ostendant erga benefactores suos: Nam de cane & multis aliis huiusmodi, quid opus est etiã dicere, quanto affectu ferantur in nutritores suos? *Cognouit*, inquit Isaias *bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Absit autem vt de nobis dicantur quæ sequuntur, nempe, *Israel me non cognouit & populus meus non intellexit.* Ne igitur videamur rationis magis expertes quam infantes, neue bestiis inferiores, si sine amore, & abalienato animo ab eo qui fecit nos fuerimus, certe etiamsi ex bonitate eum non agnosceremus, vel ob id solum quod ab eo facti sumus, omnem beneuolentiam, omnemque amorem ei debemus, & ex memoria ipsius perpetuo pendere, velut ex matribus infantes, iuxta illud psalmistæ, *Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea:* hoc est, sicut infans dum ablactatur perpetuo intentus est vberibus maternis, vnde enutriri solet, ita anima mea anhelat ad Deum, vt ab eo fiat ei retributio. Et quæ lingua pro merito dona Dei explicare possit? quorum tanta multitudo est, vt numerum effugiat, tanta autem magnitudo, atque ea ipsa talia, vt etiam vnum sufficiat quod nos benefactori reddat ad omnem gratiam obnoxios.

Psal. 130.

2. ATQVI alia quidem omittam, quæ etiamsi per seipsa magnitudine & gratia excedunt, *inquit Basilius*, tamen à maioribus velut stellæ à solis radiis superatæ, gratiam suam obscuriorem exhibẽt, Nec igitur consultum fuerit, vt relictis excellentioribus, ex minoribus benefactoris bonitatem metiar. Sileant itaque solis ortus, & lunæ circuitus, temperies aeris & temporis varietas, aqua è nubibus, & terræ fœcunditas, & omnia quæ in terra nascuntur & in aquis degunt, omnia ad ministerium vitæ nostræ ordinatã: Illud vnum neque volentibus præterire possibile est, & dicere aliquid pro dignitate, magis impossibile existit, quod cum hominem secundum imaginem suam fecerit Deus, eumque in paradyso voluptatis cõstituerit, ac dominum vniuersorum fecerit; deinde deceptum per serpentem & in peccatum collapsum & per peccatum in mortem, non neglexerit, sed angelos ei custodes præfecerit, legem dederit, per prophetas reuocauerit, postremo & ipse Dominus formam serui accipiens, ignominiosissimam mortem subiens nos ad gloriosam vitam reduxit. Ipse vero adeo bonus est vt neq; retributionẽ exigat, sed contentus est si solummodo diligatur, & gratiæ ei agantur propter ea quæ dedit. Quæ vniuersa vbi mente recolo, *ait idem*, vt meum affectum eloquar, in horrorem quendam, ac horrendam animi amotionẽ delabor, ne quãdo ex in aduertentia mẽtis, aut occupatione circa res vanas, a dilectio-

lectione Dei elapsus opprobrium fiam Christo. Qui enim sic decipit nos, & per mundanas inescationes obliuionem benefactoris nobis omni studio inducere conatur, in perniciem animarum nostrarum nobis insultãs, & in opprobrium nos inducens, tũc afferet Domino nostrũ cõtemptũ, & gloriabitur ob inobediẽtiam, ac defensionem nostrã, quod neque qui condidit nos, neque qui mortuus est pro nobis, habuerit nos ipsum sequentes, ob Basil. reg. respon. 7. inobedientiam & negligentiam mandatorum Dei. *Hæc Basil.*

3. NAM vt *idem ait*, anima præ tumultibus & occupationibus, quas communis vita inducere solet, à memoria Dei distracta, non solum non gaudet in Deo, vt dicere possit, *Memor fui Dei & delectatus sum* vnde & damnum patitur, sed etiam ad contemptum & obliuionem iudiciorum ipsius penitus assuescit, quo nullum maius aut perniciosius malum pati possit. Itaque optimus gratificandi Deo modus hic mihi videtur esse, *inquit Chrysost.* nempe vt cum eo quod recogitamus innumerabilia & maxima beneficia, quæ cõmuniter cum aliis à Deo accepimus, & pro quibus gratias habemus, recogitemus etiam singuli quid sibi peculiariter datũ sit, recogitemus aũt id quotidie, nũ aliquando in periculũ prolapsi hostium manus effugerimus, & beneficia Dei, quæ cõscribi præ multitudine nequeunt in memoria tanquam in libro descripta circũferamus, vtpote si forte morbo correpti desperantibus omnibus iterũ Deo dante cõualuerimus, multum enim & hoc valet ad conciliandum nos Deo. Et duorum istorum operum diligens faciamus examen, quid nos quidem peccauerimus in Deum, & quid boni ille nobis fecerit At nullus hoc recogitat: sed quemadmodũ de peccatis loquimur, esse quidẽ nos peccatores, sed peccata in specie nec memorãtes nec exquirentes, Ita & de beneficiis Dei, quod benefecerit nobis dicimus quidem, sed illa speciatim non examinamus, quę, qualia, quot & quanta ab eo accepimus: quod tamen vtilissimum fuerit vt fiduciam habeamus & non desperemus. Nam quando viderimus quod sæpe nobis præsidio fuerit, non solum per hoc non putabimus nos ab eo desertos, insuper & magnam cũ eo amicitiam inibimus eamque maxime firmabimus. Si n. memores beneficiorũ ab hominibus acceptorũ, multum dolemus quod non possumus illis aliquid rependere, multo magis hoc faciendum in his quæ à Deo accepimus.

4. HÆC & horum similia ex diuinis beneficiis reminiscens iustus, quæq; per eũ futura promittuntur bona, per horas singulas & momenta considerãs, & in corde suo discutiens ad immensum bonitatis & beneficiorum eius pelagus aspiciẽs dicebat, *Quid retribuam Domino pro omnib quæ retribuit mihi?* Quod si nos hominũ beneficia recordantes eis beneuolo affectu bene precamur, quanto magis beneficiorũ Dei memores ipsi dediti erimus & debitas gratias agemus? non solum de magnis sed & de paruis beneficiis gratum animũ declarantes, quanquam nihil paruum aut exiguum sit quod Deo largiente confertur, fit enim magnum de magnitudine & maiestate donantis. Hic est affectus serui fidelis & beneficia Domini sui & magni faciat & magna reputet, imo & quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita reputet, & quasi ipse omnium debitor sit. Hoc enim fecit & Paulus, qui mortem Domini quæ pro vniuerso impensa est mundo, sibi soli præstitam dicit, cum ait, *Qui tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2.
Hoc autem dicebat non coangustare volens altissima per orbem terrarum diffusa Christi munera, sed quasi qui pro omnibus se solum indicaret obnoxium. Etenim uera quid interest si & aliis præstitit, cum quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, & ita perfecta, quasi nulli alii ex iis fuerit præstitum. *hactenus Chrysost.*

5. MVLTOTIES propheta Dauid in suis psalmis ad hanc gratiarum actionẽ & Dei laudem semetipsum excitat: verbi gratia, cum ait psalm. 102. *Benedic anima mea Do-*

 mino.

mino, & omnia quæ intra me sunt nomini
sancto eius. Benedic anima mea Domino, &
noli obliuisci omnes retributiones eius, hoc
est, nullum eius beneficium obliuioni
tradas, nec magnum nec paruum, *inquit*
Bern. quia iubemur & fragmenta collige-
re ne pereant, perit aūt quod ingrato da-
tur. Rursum ps. 70. *Repleatur os meum lau-*
de, vt cantem gloriam tuam tota die magni-
tudinem tuam. Quid est, Tota die, *inquit*
Augustinus, Sine intermissione, & in pro-
speris quia consolaris, & in aduersis quia
1. Cor. 10. corrigeris. Audi quid dicat apostolus *Siue*
manducatis, siue bibitis, siue quid aliud fa-
citis, omnia in gloriam Dei facite, hoc est, o-
mnia sic facite vt inde laudetur & glorifi-
cetur Deus: Tunc autem glorificatur in-
de Deus quando bene & secūdum legem
Dei fiunt, sicut pictor laudatur quando
imaginē rite & artificiose exprimit. Au-
Aug. in deo dicere, *inquit August.* quod innocen-
Psal. 102. tia tua etiam in dormiente sit vox laudis,
& quod anima tua benedicat Dominum
etiam cum dormis, cum non te excitat
cogitatio flagitii, sed innocentia tua est
vox animæ tuæ.

6. LAVDARI se vult Deus, & hoc vt
proficias tu, nō vt sublimetur ille, & quod
exigit non sibi sed tibi exigit, non est o-
mnino quod retribuas illi, tibi proderit,
tibi seruatur, non hoc à te amat quod illū
augeat, sed quod te ad illum perducat, *hæc*
August. laudibus nostris non ille crescit,
non ille proficit, sed nos, Deus non meli-
or fit si eum laudaueris, nec deterior si vi-
tuperaueris, sed tu laudando eum melior
eris, vituperando deterior. vnde quoniam
nobis expedit laudare Dominum, miseri-
corditer iubet vt laudemus eū: Quod ex
Psalmo 49. patet, vbi sic ait, *Sacrificiū lau-*
dis honorificabit me, & illic iter quo osten-
Hieron. *dam illi salutare meum*, hoc est, *inquit Hier.*
Epist. ad sacrificium laudis iter est ad ęternam lau-
Paulū & dem sine fine mansuram, quia iter salutis
Eustoch. nostræ in laudibus est Saluatoris. Estque
illud vnicum angelorum officium perpe-
tuis laudibus incessabiliter benedicere
Deum. Quapropter suadeo vobis amicis
meis, *inquit Bernardus* vt interdum pedē Bern. ser.
reuocetis à molesta recordatione viarum 11. in Cā.
vestrarum, & per planiora itinera laudis
Dei ex memoria beneficiorū eius progre-
dimini, vt qui in vobis confundimini, i-
psius bonitatis intuitu respiretis & dele-
ctemini in Domino. Est quidem necessa-
rius dolor de peccatis, sed si non sit conti-
nuus, ideo interpoletur lætiori recorda-
tione beneficiorum Dei. Audi quid psal-
mista dicat ps. 76. *Ad meipsum anima mea*
conturbata est, memor fui Dei & delectatus
sum, quasi dicat, dum meam infirmitatem
multiplicesque meos defectus respicio, in
amaritudine moratur oculus meus, sed
dū bonitatis Dei eiusque beneficiorū re-
cordor, animo exulto. Verum quoniā bo-
na quæ largiri mortalibus non cessat mi-
sericors Deus, recolere & recolligere om-
nia omni homini est impossibile, *Quis*
loquetur potentias Domini, auditas faciet o-
mnes laudes eius? Id saltem quod præcipuū
est & maximum, opus scilicet redēptio-
nis nostræ à memoria redemptorum nū-
quam recedat, *hactenus Ber.* Tradunt He-
bræi, inquit *Hiero.* ideo ægrotasse Ezechi- Hiero. in
am quoniam post liberationem vrbis Ie- ca. 39. Isa.
rusalem, occiso exercitu Sennacherib Re-
gis Assyriorum, laudem non cecinerit
Deo, sicut cecinit Moyses Pharaone sub-
merso.

7. SED quoniam scriptum est ps. 32. *Re-*
ctos decet collaudatio: & rursum in alio lo-
co, *Non est speciosa laus in ore peccatoris.*
Cum psalmista hortatur seruos vt lau-
dent nomen Domini, dicens *Laudate ser-* Psalm. 34.
ui Dominum: continuo quales esse debe-
ant serui, qui laudaturi sunt Dominum,
subdit, *Qui statis in domo Domini*, Qui sta-
tis, *inquit* non qui ruitis, non qui iacetis
in peccatis, *ait Aug.* scribens in hunc lo-
cum. Nō putet seruus malus sibi prodesse
laudē Domini, quia peccatori dixit Deus,
Quare tu enarras iustitias meas? Illi autem Psalm. 49.
stare dicuntur, qui in mandatis eius per-
seuerāt, qui seruiūt ei in caritate syncera
& fide non ficta. Quare illa pharisæi gra-
tiarum actio gratiorem non fecit eū, *ait*
Bern.

Bern. ser. 15. in Can. *Bernardus*, quare? quia quicquid in ore deuotum sonuerit, cordis non sufficit excusa: & tumore vapud Deum qui alta a longe cognoscit, videsne Pharisæum agêtem gratias, labiis quidem honorare Deum, cordis autem voce ac sententia ser? Sic vsu quodam magis quã sensu vel affectu personare in ore multorum gratiarum actionem est aduertere, in tantum vt homines etiam sceleratissimi ad quæq; flagitia sua soleant Deo gratias agere, quod profecto, vt ipsi aiunt, cesserit sibi in adimpletione peruersarum voluntatum suarum. Non ergo omnis gratiarum actio accepta est Deo, sed quæ procedit de cordis simplicitate & honestate: honestate sane dixerim propter eos qui Deo gratias agũt de malis suis: simplicitate vero propter eos, qui Deũ de bonis suis verbotenus glorificat. *hæc Bernardus*.

Bernar. in cant. Ezec. reg. Isa. 38. 8. PLACET vterque Deo, *inquit idem*, & peccator compunctus, & iustus deuotus: sicut à diuerso displicet Deo tam ingratus iustus, quam peccator securus. Hinc Ezechias Rex dicit, *De mane vsque ad vesperam finies me, sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba*. Nam id necesse vt vtrumque tempus Deo deseruiat, cum & ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Non in solo mane visitationis qua nos sua gratia visitat Dominus, neque solum in vespera tentationis, sed in vtroque simul erit perfectio mea. Et mane quidem sicut pullus hirundinis clamabo, sed vesperi meditabor vt columba, quatenus & cum gratiæ matutinum arriserit, in modum hirundinis exultans & clamitans gratias agam pro visitatione: & cum vespera ingruerit, non deerit sacrificium vespertinum cum instar columbæ gemens lachrymas fundam in tribulatione ac tentatione. Et id propterea facio quia vita mea continue absumitur, quandoquidem de mane vsq; ad vesperam finies me, assidue ad finem propero.

Isai. 38.

III. De ingratitudine. 1. CVM Psalmista ait Psal. 36. *Mutuabitur peccator & non soluet*, eam sententiam, sic interpretatur *Aug.* Peccator tis & accipit dona multa, & gratiarum actionẽ gratitudinon reddit, quam Deus exigit. Quanta ne. accepit peccator pro quib. non soluit quis enumeret? Accepit vt sit homo, & non bestia, accepit corporis formam, & sanitatem, & in corpore distinctionem sensuũ: accepit mentem qua possit intelligere & iustum ab iniusto discernere. Hæc omnia & decuplo plura accepit peccator, sed non bene viuendo nõ reddit quod debet, quia gratias non agit, nec gratus existit, imo vero mala pro bonis rependit, murmurationes aduersus Deum & blasphemias. Deus retribuit bona pro malis, & homo retribuit ei mala pro bonis. Quæ enim præcesserant hominis bona vt omnium donorum Dei non attributio sed retributio vocari possit, *inquit August*. Quæ præcesserant hominis merita nisi mala? nisi peccata: vidit enim omnes peccatores, & omnino neminem esse immunem à morte peccati. Et ideo prius erat eius misericordia prærogāda, *inquit idem*, & post ercendum iudicium: si prius esset iudiciũ, nulla esset misericordia. Hinc Christus ait, *Ego non iudico quenquam*, scilicet modo: venit enim Christus primo saluare, iuxta illud Ioan. 3. *Non venit in mundum vt iudicet mundum sed vt saluetur mundus per ipsum*. Primo ergo venit saluare, postea iudicare. Quod si primo venisset iudicaturus, nullum inuenisset quem erat saluaturus, aut cui prœmia iustitiæ erat redditur*. *hæc August*. Et *Hiero*. explicans illa verba, *Indulsisti Domine, indulsisti genti, nunquid glorificatus es?* Sæpe, inquit, misertus es humano generi, & exercuisti in gentes incredibilem indulgentiam & clementiam, Nunquid glorificauerunt nomen tuum? Nonne è contrario à te recesserunt?

August. in psalm. 115.

August. Tract. 36. in Ioan.

Hiero. in ca. 26. Isai.

2. ET cur id sic fecerint rationem reddit Isaias dicens, *vitam manus tua inuenisti, propterea non rogasti me*; hoc est, *inquit Hieron.* Isai. 56.

Hieron. ſcribens in eum locum, Quia reb. omnibus abundaſti & affluxiſti delitiis, ideo Dominum neglexiſti, & quia plenis horreis habes fiduciam in diuitiis, rogare me noluiſti. Securitas enim negligētiam, negligentia contemptum parit. Sunt enim non pauci qui bonis à Deo ad proprias voluntates abutuntur, & dona Dei in iuſtitia detinent & in iniquitate. Qualis illa erat de qua Ozeas cap. 2. *Et hæc ne ſciuit quia ego dedi ei frumentum & oleum, & argentum multiplicaui ei & aurum, quæ fecerunt Baal.* hoc eſt, meis donis & beneficiis abutētes ſuos Deos in ignominiam mei honorauerunt, quibus & ob quæ me colere debuiſſent. Et cum tot & tanta munera ego ei dediſſem, tantum abeſt vt me inde honorauerit aut gratias egerit, vt iiſdem potius ad luxum, & vitæ ſuperbiam abuſa ſit. Simile quid & Iſa. nobis ob oculos ponit *cap.* 1. vbi ſic ait, *Filios enutriui & exaltaui, illi autem ſpreuerunt me: Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem non cognouit me*, quaſi dicat, *inquit* Orig. ſcribens in hunc locum, ne hoc quidem fecerunt quod bruta animalia faciunt, vt beneficiis cognoſcerent nutritium ſuum. Nec comparauit eos canibus, quod ſagaciſſimum genus animantium eſt, & pro paruo cibo, pro fruſto panis domum Domini ſui cuſtodit & defendit, ſed ſtolidioris ſenſus animalibus, boui & aſino, qui hac in parte eis & prudentiores & magis grati reperiuntur, O hominum ſtupiditatem & ingratitudinem, non Democriti riſu, ſed Heracliti lachrymis deflendam & excipiendam, dum ſic benedictionem Dei mutant in maledictionem.

3 IN TANTA beneficiorum conſideratione prorſus deficit ſpiritus meus, *inquit Bernard.* & licet dignas non ſufficiam agere gratias, ingratitudinem tamen prorſus odit anima mea: Peremptoria ſiquidem res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis, obſtruens ſcaturiginem & fontem diuinę miſericordiæ: Nihil Deo ita diſplicet præſertim in filiis gratię, atque ingratitudo, *inquit*, vbi enim illa fuerit iam acceſſum gratia non inuenit: Qui enim perceptæ gratiæ munera non modo manere ſibi, ſed & multiplicari deſiderat gratum eum eſſe oportet, præſertim quem eripuit de vana ſua conuerſatione ab hoc ſeculo nequam, in quo aliquando fuerat ſine Deo, imo contra Deum. Heu, heu non inuenitur qui redeat & agat gratias Deo niſi hic alienigena. *Nonne decem mundati ſunt & nouem vbi ſunt?* Multos quidem vidimus ſatis importune petentes quod ſibi deeſſe cognouerint, *inquit Bernard.* ſicut & hi decem leproſi oraſſe leguntur dicentes, *Ieſu Fili Dauid miſerere nobis:* Sed paucos admodum inuenies qui dignas ſuper acceptis beneficiis gratias agant. Nec reprehenſibile quod inſtanter petimus, ſed plane petitioni negat effectum quod inuenimur ingrati.

Bern. ſer. 2 de 7. miſericord.

Bern. ſer. de vitio ingrat.

3 ET forte hoc etiam clementia eſſe videtur ingratis negare quod poſtulant, ne cōtingat nobis vt tanto grauius de ingratitudine iudicemur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitiſſe: ergo miſericordiæ res eſt in hac parte ſubtrahere miſericordiam, eo quod videas non omnibus prodeſſe quod miſericordiam acceperint: & quod multa dona a Deo perceperint, quod benedictionē conſecuti ſint in pinguedine terræ & rore cœli, quod à lepra ſecularis conuerſationis, cuius peccata manifeſta ſunt, emundentur, ſed nonnullis peius in occulto ingratitudinis hulcus oriri, quod interiora corrodit, & tanto eſt perniciosius quanto interius, & occultius. Omnino enim nos à profectu impedit ingratitudo noſtra, dū quodammodo amiſſum reputans dator, quod ingratus accepit, cauet ſibi de cætero, ne tanto plura amitteret, quanto plura cōferret. Diſce igitur ad ſingula dona gratias agere: *Diligenter*, inquit Eccle. *conſidera quæ apponuntur tibi*, vt nulla Dei dona debita gratiarum actione fruſtrentur, nō grandia, non mediocria, non puſilla: Iubemur enim & fragmenta colligere ne pereant, hoc eſt, nec minima beneficia obliuiſci:

Hæc Bern. vbi ſup.

nisci: Fœlix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, qui est fons omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur: Sicut & hic alienigena rediit & gratias egit. Nec sine causa *alienigena* fuisse dicitur qui rediit & gratias egit, gratuitũ esse non dubitans quod alieno impenditur & ignoto: cum qui notus est & familiaris si quid accipit tanquam debitum sibi vsurpat, quo fit vt minus gratus sit.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

NEMO *potest duobus Dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget*, &c. Matt. 6.

Summa Articulorum primæ Partis.

I. *Triplici de causa obligatur homo seruire Deo.*
II. *Quid sit seruire Deo, & quomodo in omnibus ei seruire oporteat*
III. *Qui sint illi duo Domini quibus simul seruire non possumus.*
IV. *Deo seruimus dupliciter, aut in sua persona, aut in homine.*

PARS I.

ART. I. Triplici de causa homo obligatur seruire Deo.

1. NEMO *potest duobus Dominis seruire, aut enim vnum odio habebit & alterũ diligit, aut vnum sustinet & alterũ contẽnit, &c.* Optimo iure sibi Deus hominem vẽdicat, eiusque obsequium atq; seruitium exigit, quia quicquid est & quicquid habet homo, Dei est, ita vt cum Deus hominem sibi vendicat, non nisi quod suum est sibi vendicet. Et hæc causa cur Deus primo homini præceptum dederit, vt hoc ipso ostenderet, *inquit August.* se in hominem plenum habere dominium, qui non ad proprium suum sed ad Dei arbitrium & se & mores & totam deniq; vitam componere debet, vnde *idem August.* in psal. 70. Posset Adam, *inquit*, secum disputare, Si bona est arbor, quare non tango? si mala, quid facit in paradiso? Respõdet Deus bona est arbor, tamen nolo tangas, quare? quia Dominus sum, tu seruus: meum est imperare, tuum obtemperare, hæc tota causa est: si abstinere nolis, dedignaris esse seruus. Neq; enim esset vnde homo Dominum habere se sciret, nisi aliquid ei iuberetur. Itẽ *Lactantius.* Hac conditione gignimur, *inquit*, vt generãti nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus, hunc solum nouerimus, hunc sequamur: id quod celebri prouerbio etiam apud Gentiles philosophos vsurpatum legitur, Deum sequere. Nam quãto maiori studio Deo seruierimus, tanto magis nobis ipsis emolumenta conquirimus, omne emolumentum enim quod inde prouenit cedit non Deo, qui bonorũ nostrorũ non eget, sed nobis. Nec est quod homo existimet se propterea minus fœlicem, quod seruire ex naturæ suæ conditione debeat, quasi non sibi sed alteri natus sit. Tantum abest vt hæc seruitus hominis dignitatẽ imminuat, vt etiam plurimum augeat, quippe per quam in hunc finem dirigitur vt Deo fruatur, eiusq; cõsortio dignus habeatur: Quod tantæ gloriæ, tantæque dignitatis est, vt nihil homini ne quidem ab ipso Deo aut gloriosius, aut dignius obtingere possit. Neque enim frustra aut gratis se Deo seruire existimare debet homo. *Non dixisemini Iacob*, inquit Dominus, *frustra quærite me*: & apud Matth. *Ite in vineam meam & quod iustum fuerit dabo vobis*: Itẽ sum in Genesi, *Abraham ego merces tua magna nimis.* Isai. 47. Matt. 20.

August. in psal. 70. con. 2.

Lactan. Iustit. lib. 4. cap. 2.

2 EST alia ratio cur merito se homo mancipare debeat diuino seruitio, quia cum per Christum mortuum viuamus, vtique ob quem viuimus, propter ipsum viuere debemus, *inquit Bern.* quia merito sibi vẽdicat vitam nostrã qui pro ea posuit suãs Si totum me debeo pro me facto, quid addã pro me refecto & hoc modo per mortẽ

refectos

refecto? nec enim tam facile refectus quã
factus, nam qui me semel dicendo fecit,
in reficiendo profecto & dixit multa, &
gessit mira, & pertulit dura, nec tantum
dura sed & indigna. *hæc Bernard. Empti e-*
1.Cor.6. *stis pretio magno*, inquit Paulus, *Glorifica-*
te & portate Deum in corpore vestro: An
nescitis quoniam membra vestra templum
est spiritus sancti qui in vobis est & non e-
stis vestri: hæc ille. Cum itaque Christia-
nus nequaquam iam sit sui iuris, sed eius
cui se donauit, a quo factus & redẽptus, &
in eum finẽ factus & redẽptus, vt Deo ad-
hæreat eiq; seruiat, qui eum fecit & rede-
mit, Ita cuiq; christiano iam cogitandum,
oculos suos nõ esse suos, sed Dei qui fecit
eos, corpus suum non esse suum sed Chri-
sti qui redemit ipsum, membra omnia nõ
esse sua sed Spiritus sancti qui habitat &
inhabitat ea: Ita vt graue sit sacrilegium, si
quis membra Deo dicata pro sua volunta-
te vsurpet, eaq; in vsus vanitatis aut volu-
ptatis exhibeat: Nam si mulier proprij
corporis non habet potestatem, sed vir,
quanto magis ij qui Christo tutius quam
sibi viuunt, libertatem sui corporis aut
propriæ voluntatis habere non possunt,
Chrys. in *inquit Chrys.* sed Dei sunt hoc quod sunt,
epist. ad qui iis pro suo arbitrio vti potest, sicut
Theod. Dominus seruis suis.

3 HVIC accedit & tertia ratio qua fit vt
homo sit obligatus seruire Deo, quia ni-
mirum in baptismo cum mundi pompæ
& seculi voluptatibus & diabolo renun-
ciaremus, fœdus quoddam & pactum cũ
Deo inierimus, quo nosipsos diuino eius
Ambr. lib. seruitio obligauimus, vnde *Ambros.* Me-
1. cap. 2. de mor esto sermonis tui, *inquit*, & nunquam
sacramen. tibi excidat series tuæ cautionis: Si chri-
rographum homini dederis, teneris ob-
noxius & tua cautione constringeris, sed
& hic tuo teneris chirographo nõ in ter-
ra sed in cœlo: esto sollicitus & semper re-
Aug lib. 4 cordare quid promiseris, *hæc Ambr.* Quod
cap. 4. de confirmans *August.* ait, Huic inimico vos
sym. ad renũciare professi estis, in qua professione
cate. non hominib. sed Deo & angelis conscri-
bentibus dixistis, *Renuncio*: Renunciate
non solum verbis, sed etiam moribus, nõ
tantum labiis sonantibus, sed operibus
pronunciantib. Cui consonum est quod
Greg. dicit *Nazianz.* vt breuiter dicam, *in-* Nazianz.
quit, nihil aliud existimãdum est esse vim orat. 40.
atq; authoritatem baptismi quam pactũ
quoddam cum Deo initum secundæ *vi-*
tæ & purioris ac præstantioris instituti:
quam ob causam vel maxime in metu esse
debemus atq; animas nostras accuratissi-
ma custodia seruare, ne falsam professionẽ
edidisse videamur. Quod si, vt *Chrys.* ait, Chrysost.
serui ita suis obediunt Dominis vt tota ho. 16. in 1.
die curent quæ Domini sunt, sua vero vix epist. ad
exigua diei parte: cogitate quonam ani- Tim.
mo in Dominum nostrum nos esse opor-
teat, qui vt essemus, nos de nihilo fecit,
qui nutrit, qui vestit. Et si ergo non aliter
saltem vt famuli nobis nostri, ita illi ser-
uiamus, præsertim cum obsequia nostra
non Deo, sed nostris commodis cedant
omnia. Dic enim quæso, si ego iustus sim
Deus quid inde lucratur? quid perdit si
fuero iniustus? Certe si nulla alia ex parte
vel à seruis philosophiæ normam capia-
mus. Nouit enim scriptura nos etiam ad
seruos remittere cum ait, *Sicut oculi ser-* Psal. 122.
uorum in manibus Dominorum suorum, ita
oculi nostri ad Dominum Deum nostrum do-
nec misereatur nostri, hoc est, inquit *Gre-* Grego. 16.
gor. sicut bene obsequentes famuli Domi- lib. moral.
norum suorum vultibus semper sunt in- cap. 16.
tenti, vt ea quæ præceperint festine au-
diant, & implere contendant, sic iusto-
rum mentes vnam Dei voluntatem atten-
dunt. Rursum cum apud Lucam ait Do-
minus, *Quis vestrum habens seruum aran-* Luc. 17.
tem aut pascentem boues, qui regresso de agro
dicat illi, Statim transi & recumbe, & non
dicit, para quod cœnem & præcinge te, & mi-
nistra mihi donec manducem, & bibam, &
post hæc tu manducabis & bibes? Nun-
quid gratiam habet seruo illi quia fecit quæ
si imperauerat? Non puto: Sic & vos cum
feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, di-
cite, serui inutiles sumus, quod debuimus fa-
cere fecimus. Ergo vel seruos imitemur,
inquit Chrysost. vt quæ illi ob metum vel
amo-

timorem nostri faciunt, ea nos timore vel amore Dei faciamus: Nobis obsequentes sunt, offendere timent, vili cibo contenti sunt, nec tamen obmurmurant, morigeros enim seruos intelligo. Neque tu quod necessitate ista faciant, dicas: Et tibi non incumbit gehennæ necessitas? & ne sic quidem resipiscis, neque tantum honorē Deo tribuis, quantum à seruis propriis accipis. *hæc ille.*

II. Quid sit seruire Deo.

1. DEo seruire is dicitur, qui in omni eo q̄ agit, ad Dei voluntatem eiusque legem intendit, vt secundum eius præscriptū fiat, quod facit, cui primo ac principaliter satisfacere contendit: vt quæ cōstat Deum velle, velit & ipse etiamsi alioqui repugnet ipsi: sicut cum Abrahæ mandaret vt Ismaelem eiiceret, & alterum suum filium Isaac in monte offerret, quod certe naturæ prorsus contrarium erat: Quæ autem constat Deum nolle, nolit & ipse, sicut cum Dauidi inhiberet ne sibi templum ædificaret, quod tamen summis votis Dauid prius optabat. De quibus autem non constat vtrum velit an nolit Deus, hæc neque ipse minister absolute velit aut nolit, *inquit Bernar.* sed voluntatem Dei in iis inquirat & expectet. Cōstat autem Deum id velle quod per se bonum est, vt iustitia, pietas, sapientia, charitas, castitas, & id genus virtutum alia quę expresse pręcipit, illa & nos velle debemus: Constat etiam Deum id nolle quod prohibet; quodque per se malum est: vt sunt impietas, iniustitia, hæresis, mendacia & reliqua peccata, quæ debemus & nos nolle: Quæ autem inter hæc media sunt, vtpote quæ neque natura sua sunt bona, neque mala, sed talia sunt qualis animus eius qui ea facit, possunt enim fieri bene, possunt & male fieri: in iis homo præceps non sit, sed Dei voluntatem in iis inquirat vt secundum eius præscriptum fiant. Quod si actu Dei voluntatem compertam atque cognitam non habeat, animo saltem & voluntate in eā intendat, vt si sciret Dei voluntati se conformare vellet. Ad quod nos adhortatur Paulus cum ait, *Siue manducatis siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*, id est, sic facite omnia vt ex his glorificetur & laudetur Deus. Modeste & frugaliter & temperanter manducando & bibendo, glorifica Deum: si enim quod manducas & bibis ad refectionem corporis sumis reparationemq; membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplementorum solatia, & cibus tuus & potus tuus laudat Deum. Si vero modum naturæ debitum immoderate excedas, & vinolentia te ingurgites, manducans & bibens Deum blasphemas. Si post cibum & potum requiescis vt dormias, & in lecto nihil turpiter egeris, nec excesseris vltra concessam licentiam in lege Dei, laudas eum: Et cum dormis, si mala consciētia nō te excitat à quiete, innocētia somni tui laudat Deum: & cum vigilas bene agis, opere tuo Deum laudas: sic ad laudē eius omnia sunt agenda. *hæc Anselmus.* 1. Cor. 10.

2. CVM itaque sint triplicis generis opera, *quædam* natura sua & per se bona, vt diligere Deum & proximum: *quædam* per se mala vt odisse proximum & blasphemare Deum: *quædam* indifferentia vt colere agrum, exercere opificium, & similia: in hoc tertio genere vt quis Deo seruire censeatur, primum debet quærere regnum Dei, & iustitiam eius, hoc est, præcipua eius cura & ea eius intentio esse debet, vt ea faciat secundum præscriptum Dei vt diuinæ obtemperet legi, quo sic perueniat ad regnum Dei. Nam vox illa (*primum*) non tam denotat ordinem temporis quam mentis, quid primum intendere debeas, nimirum vt per hæc opera quæ facis primo & principaliter quæras bona æterna, hoc est, Deum ipsum vt ipse sit merces operis tui: quæstum vero temporalem tāquam subsidium huic vitæ sustentandæ necessarium, non nisi secundo loco habeas minus spectas, quod autem primo intendis, est vt Deo seruias, eiusq; legē serues; Præscripsit enim homini De⁹ hoc genus operis ad quod eum vocauit, vt

ei in eo obediat, & pro sua obedientia mercedem à Deo expectet, quę merces sit Deus ipse, qui se vult plus amari & quæri, quam quæstum temporalem. Qui infimo bono contentus est, cui summo bono inhærere & frui concessum est, peruerse agit, tanquam si quispiam qui ægrum habet pedem, magis sollicitus sit vt bonos habeat calceos quam vt sanos habeat pedes. Talis fuit rex Iehu, qui cum ex mandato Dei deleret domum Achab, & occideret sacerdotes Baal, & combureret statuam Baal, & destrueret ædem Baal, faceretq; pro ea latrinas, vti narrat historia in
4.Reg. 10. libris Regum, deleretq; Iehu Baal de Israel, ita vt Dominus diceret ad eum. *Quia studiose egisti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filii tui vsq; ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel:* Tamen cum scriptura subiungat ibidem. *Porro Iehu non custodiuit vt ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo, non enim recessit à peccatis Ieroboam,* licet aliquid fecerit quod Deus ei præceperat, non tamen Deo ex toto corde seruiuit, quia cor eius non erat rectum coram Domino: id quod agebat magis eo animo faciebat vt regnaret, quam vt Deo obtemperaret. Sic qui euangelizat vt finē euangelii in cibo & potu & vestitu ponat, non est ei gloria apud Deum, sed ex eorū numero est de quibus scriptum est, *Rece-*
1.Cor. 9. *perunt mercedem suam*: Sic enim Pau. ad Cor. ait *Nam etsi euangelizauero* (ideo scilicet vt hæc fiant in me & ad temporalia bona perueniam sicut mercenarii solent) *nō est mihi gloria* (nimirum apud Deum) *Necessitas enim mihi incumbit* (scilicet substantiæ vitæ, quia alias vnde viuam non habeo: & vere necessitas sustentandæ vitæ mihi incumbit, quia inquit (*væ mihi est si non euangelizauero* (fame enim cruciabor & vnde viuam non habebo) Et vere non est gloria euangelizare pro corporis victu habendo, quia iam necessitas in euāgelio erit, non voluntas. *Si autem volens hoc ago,* inquit Paulus (hoc est, sine vlla necessitate vitæ huius fulciendæ) *habeo mercedem* (scilicet gloriæ sempiternæ apud Deum) *Sed si inuitus, dispensatio mihi credita est* (id est si cogente necessitate id facio, dispensatio mihi credita est, tanquam seruo inuito, vt aliis dispensem euangelium ad profectum eorum, ego autem mercedem illam gloriosam apud Deum non habebo. Hoc enim loco talis dispensator intelligitur qui alienum dispenset, vnde ipse nihil accipiat præter cibaria quibus miseram vitam sustentet.

3. Ex his & similibus scripturæ locis edocemur quo animo, quaue intentione opera externa fieri debeant, vt quis iis pure Deo seruire censeatur: Si enim quis dum ea facit, ac principaliter intendat id quod huic vitæ duntaxat subseruit, magis vt suæ necessitati aut cupiditati satisfaciat, quam vt legi Dei obtemperet, euangelizat non tam vt Dei honorem aut proximi salutem promoueat, quam vt proprium quæstum faciat, non Deo sed sibi seruit: Non quasi qui Euangelium annunciat de euangelio non possit viuere, cum scriptum sit. *Non obturabis os bouis triturantis:* Deu. 25.
& qui altari deseruiunt, cum altari participant, Ita & Dominus ordinauit iis, inquit 1.Cor. 9.
Paulus *qui euangelium annunciant, de euangelio viuere.* Sed primarius scopus seu finis ipsius Ecclesiastæ dum verbum Dei annunciat, non potest esse quæstus aut victus, sed fructus spiritus vt & suam & proximi salutem promoueat, & Deo obtemperet: reliqua quæ vitæ sustentandæ subseruiunt, secundo loco intendi debent: *Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius*, inquit Dominus, non victum aut vestitum, quia hæc adiicientur vobis non tanquam adæquata merces bonorum operum, sed tanquam vitæ subsidium seu stipendium, sine quo quis viuere non potest. Et cum dicitur, *hæc omnia adiicientur vobis*, est allusio ad eos qui iusto pretio merces sibi comparant, quibus aliquid adiicitur supra cumulum, tanquam id quod conducat, quidem, sed tamen nō tanti sit pretii aut momenti. Idem dicendum

ctum puto de agricultura, mercatura, aitemechanica & similibus opificiis à Deo propter necessitatem huius vitæ institutis: Quibus vt quis Deo seruiat, ad legem homini præscriptam & in huiusmodi operibus obseruandam respicere oportet, vt quis ea faciat ● obedientia quam debet Deo intuitu retributionis æternæ. Sic enim seruos monet Paulus cum ad Coloss.

Colo. 3. ait. *Serui obedite per omnia dominis carnalibus non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Dominum: Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut domino, & non hominibus, scientes quod à domino accipietis retributionem hæreditatis*, quasi dicat, si propter Deum sitis fideles & obedientes dominis vestris carnalibus, etiam à Deo mercedē æternam percipietis.

4. NEQVE enim vt quis Deo seruiat aut arte mechanica in qua vocatus est, deserēda aut agricultura aut mercatura, sed sicut Paulus ait, *vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneas. Seruus vocatus*

1. Cor. 7. *es non sit tibi curæ* (id est, non inde doleas, non inde sollicitus sis cupiens inde solui seu liberari) *sed & si potes liber fieri magis vtere*, scilicet, seruiture quasi re bona & vtili. Seruitus enim valet ad humilitatem seruandam, & ad patientiam exercendam: & qui in his terrenis bene seruit, intentione seruandi iustitiam & humilitatem & obedientiam & caritatem cæterasque virtutes ad huiusmodi opificia sancte peragenda necessarias, grande sibi meritum congregat apud Deum, non respicientem conditiones hominum sed mentes & actiones. Fuit Noe vir agricola Iacob patriarcha pastor ouium, Dauid vir bellator, Iuo iurisperitus, Cosmas & Damianus nobiles medici, Claudius & Nicostratus sculptores egregii, Crispinus & Crispinianus sutores, Seuerus textor, & sic de multis aliis artificibus & agricolis qui placuerunt Deo & inuenti sunt iusti. Nam quamuis opificia, mercatura, agricultura, artes mechanicæ & similes actiones, per se non nisi præsenti vitæ subseruire videantur, ad victum acquirendum & diuitias congregandas, nobisque cum gentibus sint communia, quatenus tamen intentione agentis viterius referantur vt in iis quis Deo obediat & seruiat, & proximo ex charitate prosit etiam futuræ vitæ conducunt & virtutem exercitia suo præmio & mercede æterna digna repiuntur. Hinc Dominus apud Mat. *Duo erunt in agro vnus assumetur & alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur & altera relinquetur: duo in lecto vnus assumetur & alter relinquetur*, hoc est, vnus saluabitur & alter damnabitur, quia vnus bene vtitur officio ad quod vocatur, alter eodem abvtitur, vnus in eo secundum Deum viuit, alter secundum seculum. Sunt enim nonnulli qui in his se gerunt sicut gentes Deum ignorantes: cum enim animalia bona præter hæc quæ oculis cernuntur non agnoscant, tota auiditate illis inhiant, mercantur, negotiantur vt ditescant & quæstum vndiq; faciant: *Qui autem diuites fieri volunt* inquit Paulus, *incidunt in tentationem & in laqueum diaboli & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Ideo Dominus vt cupiditatem, quæ teste Paulo, *radix est omnium malorum*, ex animis suorum fidelium penitus extirpet, vult vt omnem curam & sollicitudinem etiam rerum necessariarum abiiciamus & in Deum proiiciamus, *Ne solliciti sitis*, inquit, *dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus aut quo operiemur: scit enim pater vester quia his omnibus* indigetis. M. tth. 24.

1. Tim. 6.

5. Ne tamen quis existimet, quod nobis etiam stertentibus & otiosis Deus omnia sit procuraturus, remittit nos ad volatilia cœli & ad lilia agri, vt ex iis discamus quomodo nos gerere & quid agere debeamus. Est enim hoc in auibus obseruandū nobisque imitandum, quod vt sibi victū conquirant, non serant quidem, nec metant, nec in horrea congregent, quia hoc naturam ipsarum superat, cum nec prudentiam nec rationem habeant, attamen

volitando victum quærirent,& ad hoc aptæ natæ sunt: Quinimo quot vides animantium genera, tot vides varia victum quærendi media, cum alia viribus, alia insidiis ea sibi parent quæ ad viuendum necessaria sunt: nam & formicis sua inest industria, quæ vt Sapiens ait, *parant in æstate cibum sibi, & congregant in messe quod comedant:* araneus quoq; suas telas texere nouit, quibus muscas captet, quarum sanguine viuit & nutritur. Et hic manifesta diuinæ sapientiæ signa, quæ corpusculis tam exiguis eam indidit prudentiam ac sagacitatē qua sic sibi prouidere norunt. Quin & istud commemoratu dignum, quod Dauid refert de pullis coruorum cum ait, *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Coruorum enim pulli quamdiu implumes manent, à matribus vt nothi negliguntur, quod earum non referant colorem: tum enim nec à matribus aluntur, nec seipsos iuuare aut alere possunt, sed eos Deus vermiculis quibusdam alit absque subsidio alterius creaturæ. Si igitur nec animalculis istis, quæ à matribus deseruntur, desit, quanto minus deseret ipsum hominem ad imaginem suā creatum, & omnium creatarum bestiarū Dominum? Si paterfamilias tantam gerit curam suorum seruorum vt eis nihil deesse patiatur, quanto magis suorum filiorum? Nam filiis & piis hominibus Deū timentibus maxime promittitur diuina cura & prouidentia, cum peccator *teste August.* ne quidem pane quo vescitur dignus sit, quanquam & ipsi licet non mereatur, prouideat vt habeat vnde viuat. Dixeris forte, Si Deus suis sic prouideat vt nihil eis desit quomodo ergo Paulus & multi Sanctorum in tanta paupertate, fame & siti & nuditate hanc vitam tam misere transegerunt? Dico quod & iis prouiderit Deus quantum naturę sufficiebat: sic n. de seipso Paulus ait, *Didici in quibus sum sufficiens esse, scio & humiliari, scio & abundare, vbique & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abundare & penuriā pati, Omnia possum in eo qui me confortat.*

Prou. 6.

Psal. 146.

Phil. 4.

Hanc sententiam tam magnam didicerat Paulus & à Deo & vsu quotidiano: qui Deo plenus est, nihil vltra desiderat: Et quanquam interdum etiam vitæ necessaria subtrahantur ad tempus, hoc fortiter tolerant Sancti, scientes quod Deus non deserendo, sed curando ea ad tempus subtrahat, sicut ęgroto medicus quędam subtrahere solet.

6. CVm itaque Dominus ait, *Ne solliciti sitis, dicentes, quid manducabimus aut quo cooperiemur?* non in ea intentione dicit vt nobis laborem omnem & omnem curam interdicat, cum scriptum sit, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo:* & Paulus dicat, *Qui non vult operari nec manducet: audiuimus enim inter vos quosdam ambulare in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes.* Hic à Paulo cibus iis interdicitur, quo indignos se reddunt, qui otiosi domos aliorum circumeunt, & curiose aliena acta perquirunt, & ad hoc vacant, vt dicere aut audire aliquid noui possint: Similiter & Titum hortatur, vt adolescentulas doceat domus curam habere, vt nimirum procurent ea quæ familiam concernunt. Labor itaque adhibendus & cura simul habēda, sed sollicitudo quę animum excruciat, *inquit Hieron.* & opus non promouet, tollenda est. Nam quod de inutili sollicitudine agat Dominus, patet ex eo, quod subiungit, *Quis vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Cuius argumenti vis in eo sita est, vt quemadmodum nullius sollicitudo statam corporis mensuram prolongare potest, ita terrenorum bonorum copia à diuina prouidētia sic pendet vt omnis nostra sollicitudo Deo aduersante sit prorsus, inutilis, & vana futura. Hinc fit vt alii minimo negotio diuites fiant, alii vero etiam magna adhibita cura paupertate semper premantur. Hoc autem à diuina prouidentia manare docet Ecclesiasticus his verbis, *Est homo laborans, & festinans & tanto magis non abundabit: est homo egens recuperatione & deficiens virtute & oculus Dei respexit illum in bono & exaltauit caput eius: bona*

2. Thess. 3.

Tit. 2.

Eccles. 11.

enim

enim & mala paupertas & honestas à Deo sunt. Quod si Dominus quo placidam & tranquillam agamus vitam siue anxia rerũ terrenarum sollicitudine, nolit ne quidem pro victu necessario nos esse sollicitos, quanto minus pro diuitiis superfluis congregandis. Cum enim velut peregrini in hoc mundo degentes ad regnum Dei contendamus, his terrenis bonis congerendis nequaquam incumbere debemus, quippe quæ mox relicturi sumus. Meminerimus nos christianos, Christiq; discipulos esse factos, non propter præsentis, sed futuræ vitæ bona consequenda: Præsentis enim vitæ bona quamuis & ipsa in suo genere bona sint, infima tamen sunt & minora, quã vt iis homo inhæreat animo, ne cum pereuntibus bonis simul & ipse pereat. Cæterum cum Dominus ait, *Nolite soliciti esse in crastinum*, non prohibetur his verbis prouidentia parandi in tempus futurum necessaria, cum *Sapiens* nos ad formicam mittat, vt consideremus vias eius & discamus sapientiam, quæ parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat, vnde qui in messe congregat, vt habeat ex quo in hyeme viuat, non debet dici in crastinum sollicitus esse, quia præsens tempus talem curam & sollicitudinem, seu potius prouidentiam requirit: sicut & Ioseph. *Gene.* 14. frumenta recondidit pro futura sterilitate: in quo non culpandus, sed prouidus & laudandus est. Quin & Dominus ipse, loculos habuit vt cibos emeret. Cum itaque dicitur, *Nolite soliciti esse in crastinum*, prohibetur solicitudo quæ immoderata est & superflua, quæ cor excruciat & opus non promouet. Et hoc satis insinuat Dominus cum ait. *Quis vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* quasi dicat. Quantumuis intendat neruos ingenii, quantumuis sese cogitando discruciet, non potest his curis suam corporis staturam facere vno digito longiorem: sic qui immodica & superflua cura se excruciat per hoc sibi de victu & vestitu non prouidebit. Itaque non omnem in futurũ sollicitudinem prohiberi superiora docẽt exempla: Prohibetur autem ea quæ impedit quo minus quæramus regnum Dei: Deinde ea quæ nascitur ex diffidentia de diuina prouidentia: postremo ea quæ non sequitur sed præcedit solicitudinem regni Dei quod primo loco quærere debemus.

Prouerb. 6. — Ioan. 13.

III. Duobus Dominis simul seruire non possumus.

1. CVM Dominus ait, *Nemo potest duobus Dominis seruire*, satis manifeste significat quod sibi soli seruiri velit: quod & alibi à nobis scriptura requirit, cum ait, *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deus alienos, de medio vestri, & seruite Deo soli.* Soli Domino seruit, *inquit Gregorius*, qui bonis operibus praua non inserit. Nam qui sic bona agit vt mala non deserat, Deo soli nequaquam seruit quia malo spiritui obsequium exhibet cuius perficere non reformidat voluntatem, vnde agitur vt etiam bona agens, Deo non seruiatur, quia qui totum hominem condidit, habere eum communem cum aduersario non dignatur. Hinc Paulus ad Corint. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras, quæ conuentio Christi ad Belial?* quasi dicat, nulla, quoniam mox annullatur iustitia, si participationem habuerit cum iniquitate, sicut lux obscuratur & perit si obuenerint tenebræ, sic in quibus Christus habitat, si se membris Sathanæ iunxerint, mox eos deserit Christus. Sunt qui simul & Deo & mundo seruire volunt, sed cum hi duo Domini inuicem sibi aduersentur, ac contraria mandent, fieri non potest vt vtrique simul seruiatur: Deus vult nos esse humiles, mansuetos, castos, pios, pudicos, patientes, caritate feruentes, ac aliis virtutibus, quas pro tempore & loco exercere oportet, præditos: mundi vero pompam, vanitatem, ostentationem, superbiam, inanem gloriã luxuriã, incontinentiã, & cætera peccata, quæ sectatur mũdus & in quibus viuit homo mundo deditus, vult nos odisse & detestari: qui potest igitur fieri vt simul vtrique seruias, non magis

1. Reg. 7. — Grego. ca. 52. reg. — 2. Cor. 6.

quã possit quis simul esse calidus & frigidus. Cũ arca Domini collocaretur cũ Dagon Deo Palæstinorum, *vt refertur in lib.* 1.Reg.c.5. *Reg.* cecidit Dagon & pronus iacebat in terra ante arcam Domini. Quo signo satis significauit Dominus, se dæmoni sociari nolle: sic nemo potest simul diligere Deũ & mundum, gaudiis frui externis simul & internis voluptatibus carnis & deliciis spiritus.

Qui simul & Deo & mundo placere volunt, similes sunt illis Samaritanis, qui, *vt dicitur Regnum*, simul & Deum Israel colebant, & diis Assiriorum seruiebant. Qui tales sunt licet Deo seruire videantur dum orant, missam audiunt, & reliqua faciunt quæ christiani solent, reipsa tamen non seruiunt, sed adulteræ similes sunt, quæ suo marito dum præsens est, adulatur & addicta videtur, animo interim alteri adhæret. *Vsque quo claudicatis in duas* 3.Reg.18. *partes,* inquit Elias ad populum Israel, *si Dominus est Deus sequimini eũ, si autem Baal sequimini illum.*

2. Hic obseruandum quod quicumque Deo ex corde seruit & diligit, peccatum quod dilectioni Dei nouit contrarium, oderit & auersetur idque tanto amplius, quanto charitas ipsa plenior perfectiorque fuerit: Et sicut quem odio habemus, nec aspicere dignamur, sed ab eo mox vt conspexerimus, oculos auertimus, ita qui dilectione Dei plenus odit peccatum, illud nec videre nec de eo cogitare dignatur: qui vero peccato afficitur eoque se oblectat, Deum peccatum prohibentem contemnit, ipsiusque prohibitionem non magni facit: qui contemptus tunc se prodit, quando audacter legem Dei id prohibẽtem violat & præuaricatur Et fit nescio quo occulto modo, vt peccator Deum quem se diligere arbitratur, odio prosequatur: Nam quamdiu impune peccat Deum sibi similem putat, qui quod non punit, non solum non odisse sed & approbare videatur, hinc eum diligere videtur, quem laudat & benedicit cum ei benefecerit, ex prosperitate enim qua fruitur, Deum cui eam acceptam fert, sibi amicũ arbitratur, in eumque competit quod Sapiens ait, *Prosperitas stultorum perdet eos.* Prou.1. Sin autem quod amat, ei prohibeatur & auferatur, ac propter cupiditatẽ & iniquitatem cõmissam insuper & puniatur, tunc quantum auersatur & odit pœnam, tantũ auersatur & odit punientem; vnde fit, vt qui amat iniquitatem, oderit non solum suam animam, *vt Psal. ait,* sed & Deum i- Psal.10. psum: vellet enim non esse legem peccatũ prohibentem, nec esse Deum punientem, aut eum esse impotentem qui inique agẽtem punire non posset. Contra huiuscemodi ait psalmista in persona Dei, *Existi-* Psal.49. *masti inique quod ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam.* hoc fiet in die iudicii. Nunc Deus dum hæc faciunt iniqui quia tacet, improbare non videtur, quia enim vt Ecclesiastes ait, *non cito profertur contra malos sententia. absque vllo timore perpetrant filij hominum mala.*

3. RECTE autem dicitur, quod sustineat talem Dominum, quia quisquis Mámon seruit, hoc est, auaritiæ & cupiditati, nunquam ei satisfacere, etiamsi se totum in eius obsequium tradiderit: vix per horam in die hominem quiescere sinit: qui enim auaritiæ seruit, etiam pro exiguo lucro ingentem curam & laborem subit, noctesque diesque formidat aut fures, aut incendia, aut seruos, quin & amicos suspectos habet: Si quid emendum, annonæ caritatem timet, si quid vendendum, rerum pretium decrescere queritur: iam quas animi curas, quas anxietates, quas non sustinet turbationes: & qui sic agitatur, quo modo aut melior, aut liberior sit mancipio non video.

Cyniphes in plagis Ægyptiacis non tam erant infesti iumentis & hominibus suis morsibus, quam bene suis aculeis animam acriter pungunt huiusmodi curæ, & sollicitudines, & anxietates, quæ cordi tranquillitatem adimunt, & mentem in diuersa rapiunt, hinc metus, illinc perturbatio, hic spes fallax, ibi inane gaudium.

IV. Deo seruimus, aut in sua persona, aut in homine.

1. DEO seruire contingit *duplici* modo, *aut* in se suaque persona, vt cum cum adoramus sacrificamus, ac diuino officio intersumus, orando, meditando, psallendo, legendo. In hoc seruitio requiritur vt cum reuerentia, & prompta obedientia debita attentione, timore & bona fiducia, vt similibus qualitatibus diuinæ maiestati assistamus, ne qua in re dissolutis nostris moribus eum offendamus, quē nobis placere & placatum habere cupimus: Hinc nos admonet psalmista, *Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus.* Hunc morem obseruari videmus in cœnobiis bene reformatis ac multum religiosis, quod quieti & in silentio & cum quadam grauitate assistant, & intersint diuino officio, vt nemo nec oculos alio deflectere, nec pedibus strepitum excitare, nec manus iactare, nec caput in gyrum vertere, nec cachinnū emittere, nec fabulari audeat: sed intenti iis quæ leguntur, aut orantur, aut canuntur, modo ingemiscendo, modo genua flectendo, modo pectus tundendo, modo lachrymis maxillas rigando, Deum permouere student, quo id quod postulant impetrent: Iuxta illud psalmistæ, *Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum Deum nostrum donec misereatur nostri:* quia siue seruus à suo domino flagelletur, mœstos oculos ad eum leuat vt hac sua mæstitia ad misericordiā eum permoueat: siue auxilium ab eo expectet, à quo solo totus dependet omni alioqui auxilio destitutus: siue etiam nutū oculorum Domini sui obseruet, vt ei promptè obediat: Ita & nos ad Deum oculos mentis attollimus, nec deflectimus donec misereatur nostri.

Psal. 2.

Psal. 122.

2. ALIO modo Deo seruimus in suis creaturis, suisque membris: vt si intuitu Dei pauperes pascamus, nudos vestiamus, mœstos consolemur, ignorantes doceamus: scriptum est enim, *Quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis:* Et alibi, *Præceptum habemus à Deo vt qui diligit Deū diligat & proximum suum.* Cum itaque Deo seruire nihil sit aliud quam præceptis illius obedire: præceptū autē nobis sit, proximū diligere sicut semetipsū, patet vt qui proximi necessitati subuenit, Dei præcepto obtemperet. Sed hæc obedientia in eo sita est, vt non solum fiat quod præcipitur, verumetiā vt animi promptitudine faciamus, & animi iudicio conformes iudicio præcipientis. Nam obediētia quæ præter excusationem operis, voluntatis & iudicii non habet consensum, imperfecta est valde, & vix meretur nomen obedientiæ. Quæ vero ad actionem etiam voluntatem adiungit, efficitque vt ille qui obedit & obtēperat idipsū velit q; qui iubet: & vlterius eo progreditur vt idipsū nō solū velit, sed etiā sentiat q; superior sentit, hæc obedientia perfecta, dum id rectum credimus quodcumque à superiori, siue à Deo præscriptum nouimus. Promptam vero voluntatis obedientiam efficit caritas ipsa, tanto enim quisque promptior reperitur vt proximo subueniat, quanto maiori caritate, aut in Deum, aut in proximum fertur, & quo minor caritas fuerit eo plus tœdij homo sentit dum proximo succurrit.

Matth. 25.

Quod si obedientia his circumstantiis vestita fuerit, opus quod ex ea fit, quantumuis vile fuerit, per eam magni meriti efficitur, sicut testa terrea argento vel auro obducta pretiosa redditur: Quanquam nullum opus vile debeat dici, quod vel Deus præcipit, vel Dei causa suscipitur, vnde & Christus suorum discipulorum pedes abluere dedignatus non est, vt nos hoc suo exemplo doceret, propter Deum quiduis suscipiendum aut patiendum vel faciendum: Neque enim facile vilius reperceris opus, quam sordidos alicuius abluere pedes.

PARS

PARS II.

Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Matth.6.

Summa Articulorum Partis II.

I. *Cur nemo duobus Dominis seruire possit: & de auaritia.*
II. *Quid sit seruire Deo: & de mandatis obseruandis.*
III. *Seruitus Christi suauis est, peccati vero grauis.*

Art.1. Cur nemo duobus Dominis seruire possit v.g. Deo & diuitiis.

1. MAMMONA apud Syros Deus diuitiarum dicebatur, quem Deum auari, & diuitiarum cupidi colebāt & adorabant: vnusquisque enim quod præ ceteris mirabatur & diligebat, hoc ei Deus erat, libidinis & voluptatis amatores, Venerem Deam volebant, quia illam & colebant, & ex toto corde diligebant: vnde mulieres illæ quæ sedebant plangentes Adonidem, abominationes magnas fecisse leguntur *apud Ezech.ca.*8. Adonis, *inquit Hiero. explicans istum locum*, iuuenis erat pulcherrimus amasius ipsius Veneris, quem occisum fabulabantur poetæ in Iunio: hanc anniuersariam Adonidis mortē plangebant mulieres, hocque modo ipsam Venerem honorabant, & colebant. Deus autem præoccupare quodammodo cupiens totos humanæ mentis affectus, sciens quia quod ex toto corde dilexerit quis, hoc ei Deus sit ante omnia per mandatum suum deposcit ab homine vt eum diligat ex toto corde & ex omnibus viribus. *Diliges*, inquit *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et ne putemus quia iam videmur simulachra non colere, propterea hæc quæ hic dicuntur, ad nos non pertinere, etiam nunc apud quamplurimos amor auri & voluptatis, cupiditas gloriæ secularis, Dei dilectioni præponderat. (Philip.3.) Quod manifeste docet Paulus cum ait, *Quorum Deus venter est*: & alibi, *voluptatū magis quam Dei amatores*: & rursum *ad Col.* 3. auaritiam vocat simulachrorum seruitutem. Cum enim & auarus pecuniam, & fornicarius voluptatem summe diligant, licet simulacrum Veneris aut Mammoniæ foris ob oculos positum non adorent, intus tamen quod est in mente depictum venerantur, colunt, diligunt, sese que eo oblectant. Tales omnes post Deos alienos abeunt & Deum Israel derelinquunt. In quos competit, quod *Iudic.cap.*1. dicitur, *Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini. & seruierunt Baalim ac dimiserunt Dominum.* In quem locum sic *Orige.* Quotiescumque peccamus & captiui abducimur in legepeccati, genua nostra Baalim curuamus. Hinc constanter aduersus iram stare, & constanter libidini resistere oportet, ne genua nostra Baalim flectamus, & iratus Dominus contra Israel tradat eos in manus diripientium eū: quod fit dum eos qui Deum deserunt, tradit in passiones ignominiæ & in reprobum sensum vt faciant ea quæ non conueniunt.

2. CÆTERVM cum duo hi domini cōtraria præcipiant, impossibile est vtrique seruire, quia quod vnus prohibet hoc alter præcipit, *inquit Chrys.* vnus præcipit diuitiis inhiare, & intactas seruare: alter præcipit præsentia bona tāquam vana & præterlabentia paruifacere, eaque vbi vsus & necessitas postulat hilariter & liberaliter expendere: vnus imperat castitatem & sobrietatem, alter luxuriam & ebrietatem. (Chrys.ho. 12.in Matth.) *Quæ participatio lucis ad tenebras, Christi ad Belial*, (1.Cor.6.) Dominum autem vocat Mammonam & diuitias, non ob ipsarum dignitatem, sed ob famulātium infœlicitatem, & miseriam, qui quoties peccant, toties gēua sua ante Mammonā & Baalim flectūt, & diabolo seruiunt & auaritiæ: qui fornicatur libidini genua flectit, qui furiosus est, iram colit & adorat. *inquit Hieron.* explicans illa verba, *Flecto genua mea ad patrem*, &c. (Hier.in Ep.ad Eph.) Audiat hoc auarus, audiat hoc qui censetur christianus. Quid tibi christiane cum bonis transitoriis & fallacibus, quibus promittuntur bona vera & æterna?

Ambi-

Ambiant terrena gẽtiles quibus cœlestia non debentũr, concupiscant præsentia, qui futura non credunt. Christianis diuitiæ sit Christus, sit Deus ipse. Si multæ & magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus & diuitiis, quãta est delectatio in eo, qui ipsa delectabilia fecit? Quid per multa vagaris homuncio, vt bene sit tibi, ama vnum bonũ, in quo sunt omnia bona & sufficit tibi. Quid tibi Christiane cum pompis diaboli quibus renunciasti? modo ingrediens ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cũ histrionibus impudice clamare. Renunciare non verbis & lingua sed opere & veritate. Vt quid claudicatis in duas partes? Si Deus est Dominus ite post illum, si mundus est Deus, ite post eum. Si Deus eligitur seruiatur illi secundum ipsius voluntatem: si mundus eligi.ur, vt quid fictum cor Deo accommodatur? Noli te fallere, odit tales Deus, nec inter suos deputat professores, quos cernit viæ suæ desertores. Quisquis contempto Deo sequitur mundum, fallit seipsum sequitur enim fugitiuum quẽ nec apprehẽdere poterit nec tenere: transit enim mundus & concupiscentia eius, & instar torrentis labiles suos motus percurrit, & te simul rapit, non vt saluet, sed vt te perdat.

Hæc Aug. lib. 4. c. 1. de sym. ad cate.

3. QVÆRIT Basili. *ser. 2. de bap. cap. 7.* An gratum sit Deo, cum qui peccato seruit, iustitiam secundum canonem sanctorum facere tentat? Et ait, in veteri testamento dicit Deus, *Peccator qui vitulum immolat, perinde est atque qui canem mactat.* Quibus declaratur quam hoc quod quæritur sit impossibile, Deoque non gratum cum & in nouo testamento dicat Dominus, *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Quapropter mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, atque ita perficiamus sanctificationem in dilectione Christi, vt Deo grati reddamur. Quod si forte te auaritia, vt Regina illa Ægyptia Ioseph, tentauerit, vt se aurum & res terrenas amantem cõtra Domini tui præceptum amplectare, vt cogitatio subierit præcepto Domini repugnans, animumq; ad auaritiam impellens, rei indignitate motus secede, Domino fidem serua, vt ille Putipharo seruauit. Cogita, *inquit Basil.* tibi duas esse filias, mundanæ prope ritatem conuersationis vnam, & vitã cœlestem alteram. Si meliori cũcta dare nolueris, diuide saltem ex æquo intemperãti filiæ & modestæ, ne videlicet præsentem vitam & opibus ac deliciis affluentẽ reddas, vt alteram inopem ac laceris opertam vestibus relinquas, vt sit te oporteat in conspectu iudicis, sponsæ formam ac vitam secundum virtutem habentem venire, non sponsam inornatã sponso offerre, ne conspiciens ille vultum auertat, & despiciat ac complexum neget, sed eam decenti veste ornatam nuptiarum tempori seruabis, vt in *thalamum* recipiatur. *Hactenus Basil.*

Isa. 66.

Basi. hom. 8. in diuites auaros.

4. HIC notat auctor *imperfect. hom. 16. in Matth.* Dominum dixisse, *Non potestis Deo seruire & Mammonæ*, non autem dixisse, Non potestis Deum habere & diuitias: Nam vt Ambro. ait explicans illa verba. *Væ vobis diuitibus*, &c. non census, sed affectus est in crimine. Multi enim diuites pecuniam habent, & auaritiam non habent: ecõtra multi pauperes pecuniam non habent, & auaritiam habent, *inquit August.* qua dum laborant & diuitiis conquirendis inhiant, quo maiorem pecuniæ copiam congerunt, eo maiori seipsos flãma incendunt, similes iis qui acuta febre laborant, qui quo amplius bibunt, eo amplius sitiunt, quibus certe non tam potus quam morbi sanatio est necessaria. Sic auarus quo plura indies conquirit, eo plura appetit, si mille adeptus sit talenta, cõtinuo alia mille quærit, ita vt facilius sit hominem volare, *inquit Chrysost.* quam auarum acquisitione pecuniæ cupiditatem in habendi terminare. Quapropter talibus opus est non diuitiarum copia, sed morbi medicina, vt iuxta naturæ necessitatem terminent habendi cupiditatem: Nã qui necessarios terminos excesserint, consimiliter velut hi qui in decliue feruntur, nihil

Amb. in 6. Luc.

Chrys. ho. 64. in Matth.

nihil stabile habent ad quod se recipiant? sed quanto plura acquisierint, tanto plura appetunt. Respondeas mihi, quemnā putas maiori dolore cruciari, vtrum qui edendi atque bibendi cupiditate conficitur, cum non possit desiderio satisfacere suo, an eum qui nec tali quidem cupiditate vexatur? Non dubito quin eū respondebis, qui animum suum explere non potest: Ita fit & hic.

5. CVM in populo Dei carnales sint alii, alii spirituales, *teste Bernardo*, secūdum ea quæ ꝑferunt aut carnales, aut spirituales iudicātur. Hinc est q; in benedictionib. Iacob & Esau, & ros cœli & terræ pinguedo nominatur, sed nō in eodem ordine in vtroque. Nam ad Iacob ait Isaac, *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiā*. Ad Esau vero sic ait, *In pinguedine terræ & in rore cœli erit benedictio tua*: ordine prorsus inuerso, Nam quid singuli prætulerint, à studiis eorum & à sollicitudinibus innotuit. Reprobus n. Esau præponebat & diligebat temporalia, & ideo hæc priori loco illi obtulit pater: Sancto vero Iacob hæc vt accessoria precatus est secundo loco. Et in hoc omnis humana peruersio est, *inquit Aug* fruendis vti velle, atque vtendis frui. *Et rursus*, Omnis ordinatio quæ virtus nominatur, fruendis frui & vtendis vti. Sicut autem inter honestum & vtile interest, ita & fruēdum & vtendum. Frui dicimur ea re de qua capimus voluptatem propter seipsam: vtimur ea quam referimus ad id vnde voluntas capienda est: quāquam & vicinissime dicitur frui cū delectatione vti. Cum enim adest qui diligitur etiam delectationē secum necesse est gerat: per quam si pertrāsieris, eamque ad illud vbi permanendum est, retuleris, vteris ea. & abusiue nō proprie diceris frui. Si vero inhæseris atque permanseris finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere & proprie frui dicendus es, quod non est faciendum nisi in illo summo & incōmutabili bono quod est Deus. Vnde *Aug*. exponēs quod de Philemone dixit Paulus, *Ita frater ego te fruar in Domino*, sic ait, Si non addidisset in Domino, & te fruar tantū dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ, Nulla autē res temporalis in via tenere nos debet vt firmiter ei inhæreamus, sed per eam potius curramus alacriter vt ad Deum peruenire mereamur, vt ea, quibus tanquam vehiculo quodam ferimur ad finem, qualia sunt temporalia, propter illud ad quos ferimur, diligamus.

Bern. ser. 33. in par.

Aug. l. 83. qq.

Aug. l. 1. de doct. Christ.

6. CVM igitur ea re frui dicamur, quæ nos non ad aliud referēda per seipsam delectat, vbi vero ea re quam propter aliud quærimus, temporalibus vtēdum est frui mereamur æternis, Deo nimirū ipso. Non sicut peruersi, *inquit Aug*. qui frui volunt nummo, vti autem Deo, quoniam non de nummis propter Deum impendunt, sed Deū propter nummū colunt. Boni quippe ad hoc vtuntur mundo vt fruātur Deo mali autem econtra vt fruantur mundo vti volunt Deo. Qui gaudium totum suum, totamque fœlicitatem suam constituit in manducando, bibēdo, vxorem ducendo, emendo, vendendo, væ illi a diluuio. Quisquis autem siue manducat, siue bibit, siue aliud quid agit, omnia in gloriā Dei facit, & si aliqua tristitia est de rebus secularibus, sic fleat vt int⁹ in spe gaudeat & si aliqua lætitia est in rebus sæcularibus sic gaudeat vt intus spiritualiter timeat ne donet se corrumpēdum fœlicitati, nec cedat aduersitati frangendus, hoc est flere tanquam non flentem & gaudere tanquā non gaudētem. Quisquis etsi habet vxorem quam propter infirmitatem duxit, plangens potius quod sine vxore esse non possit, quam gaudens quia duxit, hic habens vxorem tanquam non habens est, *inquit Aug*. Quisquis igitur ista terrena diligis, inquit idem, vt arrham sponsi, vt munera amici, vt beneficia Dei dilige, sic tamen vt memineris semper quid illi debeas, nimirum vt nec ista propter se, sed ista ꝓpter illū, & per ista illū, & super ista illum diligas. Caue ô anima, ne quod absit meretrix dicaris, si munera dāris, plusquā amantis affectum diligas. *hactenus Aug*.

Aug. li. 11. de Ciuit. c. 25.

Hæc Aug.

Aug. in Psal. 147.

P & A

II. [illegible] ser- [illegible] & obtem- perandū. Hier. Ep. 34. ad Celant. Deut. 6.

1 PRÆCIPVA tibi cura sit, *inquit Hier.* legem nosse diuinam per quā discere possis quid faciendum quidue vitandum. Maximum enim auxilium ad iustitiā est implere diuinis eloquiis animum & quod opere exequi cupias semper corde meditari. Rudi adhuc populo & hominibus ad obedientiam insuetis per Moysen imperatur à Domino, vt in signum memoriæ qua præcepta Domini recordentur per singulas vestimentorum fimbrias habeant cum cocco hyacinthini coloris insignia, vt etiam casu huc illucque respicientibus oculis mandatorum cœlestiū memoria nascatur. De quibus fimbriis pharisæi à Domino redarguuntur *Matth.* 23. quod eas peruerso vsu, non ad commonitionem præceptorum Dei, sed ad ostentationem sui habere cœperint, vt scil. quasi de maioris obseruationis diligentia sancti à populo iudicarentur. Tibi vero non tam frequenter recordanda sunt præcepta Dei, quam semper cogitanda. Sint ergo diuinæ scripturæ semper in manibus tuis, & iugiter mente voluantur. Nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere & operibus obliuisci, sed ideo illa cognosce vt facias quicquid faciendum didiceris. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabūtur. Diuinam igitur scripturam semper secum reuoluere, ingens ad conseruandam iustitiam beneficium est.

2. NON absimile huic est quod scribit *idem auctor epist. 1. ad Demetri. virgi.* vbi sic habet, Prima virginis cura primumque studium sit scire voluntatem Domini sui, & quid ei placeat quidue displiceat diligenter inquirere vt secūdum apostolum rationabile reddat Deo obsequium, totumque vitæ suæ cursum ex eius possit ordinare sententia. Impossibile est enim ei quenquam placere, cui quid placeat, ignorat, fierique potest vt etiā obsequenti voto offendat, cui quomodo obsequi debeat ante non didicit. Et vt maius est voluntatem Domini facere quam nosse, ita prius est nosse quam facere illud enim merito præcedit hoc ordine, vnde Paulus dicit, *Qui ignorat ignorabitur:* & alibi, *Propterea nolite fieri imprudentes sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Initium obedientiæ est quid præcipiatur velle cognoscere & pars est obsequii didicisse quid facias, & primo quidem non dilectionem desiderat Dominus perfectorum, *inquit idem,* explicans illa verba Ierem 5. *Me non timebitis, ait Dominus, qui posui arenam terminum mari præceptum sempiternum quod non præteribit, sed timorem incipientium,* quasi dicat, Audiunt me & sentiunt qui sensum non habent audiendi, qui tam potens elementum & immersas gurgitum moles meo præcepto litoribus refrenaui, populus autem meus suo vitio stultus effectus contemnit me.

3. SCIO in scripturis diuinis per quas solas potes plenius intelligere Dei voluntatem, *inquit Hieron.* prohiberi quædam, Hier. Ep. 1. ad Demetr. virg.
præcipi quædam, concedi alia, quædam nōnulla suaderi. Prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, perfecta suadentur. In duob. illis quæ priori loco sunt peccatum omne concluditur, in vtroque enim Dei continetur imperium, apertusque Dei contemptus est vel facere prohibita, vel iussa nō facere. Duo reliqua quorum vnum conceditur & suadetur, alterū, in nostra potestate dimissa sunt, vt aut cū minori gloria concessis vtamur, aut ob maius præmium etiam ea quæ nobis permissa sunt, respuamus. Conceduntur quidem nuptiæ, carnium vsus & vinum, sed horū omniū abstinētia cōsilio perfectiore suadetur. Ad virginitatis honorē pertinet licentia nuptiarum, & escarum indulgentia virtutem abstinentiæ clariorem facit. Maioris præmii amore flagrans vouisti virgo Deo nō imperatam sed laudatam virginitatem, certaminis ingressa cāpum non tam laborem cursus, quam brauium victoriæ cogitasti. Et qui tātæ obedientiæ se esse profitetur, vt etiam consiliū diuinum libēter audiat, quomodo nō debet audire præceptum? cum illa res electionis sit, ista necessitatis. De virginitate

dicitur, *Qui potest capere capiat*: De iustitia non dicitur *Qui potest facere faciat*, sed *omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*. Considera quæso quantum à consilio distet imperium, ibi aliquos excipit, hic omnes generaliter comprehendit: ibi præmiũ proponit, hic pœnam: ibi inuitat vt faciat, hic nisi feceris comminatur.

4. TRIPARTITAM hominum Deo parentium summã ego animaduerto, *ait Basil.* nam aut metu supplicii à vitiis declinamus, atque ita animum seruilem induimus. Aut mercedis spe ducti ad vtilitatem nostram præceptorum obseruationem referimus: atque hoc modo mercenariis efficimur similes. Aut certe honestate ipsa impulsi charitateque quam erga ipsum habemus à quo legem accepimus, gaudentes quod digni habiti simus qui adeo glorioso & benigno seruiremus Deo, paremus: atque hoc modo bonorum filiorum erga parentes suos animum imitamur. Qui non ea qua oportet animi synceritate mandatum Dei exequitur, neque tam ardẽti desiderio aut pleno studio, sed segnius & lentius id facit, non ideo est deterrendus, sed excitandus potius & sanandus, quia *calamum quassatum non conteret Dominus, neque linum fumigans extinguet*, inquit *Isa.* Qui vero per transgressionem legis Deo contumeliam facit, in nullo horum numero reponi poterit, quia neque Deo vt parenti obsequitur: *Si enim pater ego sum*, inquit Dominus Malach. 1. *vbi est honor meus?* neque vt Domino seruit, quia *si Dominus ego sum vbi est timor meus?* quandoquidem si vel vnum modo de his quæ necessaria sunt, neglexerit inutilẽ seipsum Domino reddidit, cum scriptum sit *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus sit omnium reus.* Ex quo apparet nec honorari ab eis Dominum, nec timeri qui eius præcepta non faciunt: Quod ad Dauid expressius dicitur, qui peccatum admiserat, *& pro nihilo duxisti Deum*: & Dominus in euangelio, *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis*: Quomodo enim ex animo ac vere dicimus, Domine Domine, si eius quem Dominum confitemur præcepta contemnimus? Quid vnquam tam superbum, quid vero tam ingratum videri potest quã aduersus eius viuere voluntatẽ à quo ipsum viuere acceperis? quam illius pręcepta despicere qui ideo aliquid imperat vt causas habeat remunerandi *inquit Hier.* Neque enim obsequii nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio; qui & idcirco etiam magis offenditur & irascitur nobis, non solum quia imperata contemnimus, sed & quia tanti præmii legem obseruantib. promissi detrimenta pro nihilo ducimus, similes isti prophano Esau, qui parui faciebat q̃ primogenita vẽdidisset.

Basil. in Reg. fus. disp.

Isa. 41.

Iacobi. 2.

Hier. Ep. 14. ad Celant.

5. DICIT Dominus Matth. 28. *docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Non enim quasi ad arbitrium nostrum quædam ex mandatis Dei eligere debemus, sed generaliter vniuersa complere, *inquit Hier.* siue quisquis sit auctor *epist.* 1. *ad Demetri. tom.* 4. nec aliqua eius præcepta quasi vilia contemnere, sed imperãtis in omnibus maiestatem aspicere: quanto maiores Domini, tanto serui ab obediendum promptiores, quin & beneficii loco ducũt si quid eis imperetur in quo seruire queant, præsertim vbi non tam mandãtis quæritur cõmodum, quam obsequentis cõpendium. Si quis autem superborũ nequã seruorũ more in os Domini reclamet ac dicat, Durũ est mandatum, non possumus, homines sumus, fragili carne circũdamur, duplici ignorantia Deum accusat, inquit idẽ primo vt videatur nescire quod iussit, quasi oblitus fragilitatis humanæ imposuerit homini mãdata quę ferre nõ possit: deinde proh nefas ascribit iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum eum impossibile aliquid præcepisse conqueritur, & pro his damnandum putat hominẽ ab eo, quæ vitare non potuit: vt, quod etiam suspicari sacrilegium est, videatur Deus non tam salutem nostram quæsiuisse quam pœnam. Quid pręcipienti opponimus

Digitized by Google

ximus naturæ fragilitatem? Nemo melius nouit mensuram virium nostrarum, quam qui ipsas vires & naturales & supernaturales nobis dedit, nec quisquam melius quantum possimus intelligit, quam qui ipsam virtutem nobis donare potuit, nec impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus est, nec damnaturus hominem fuit pro eo quod vitare non potuit; qui pius est, vnum atq; idem mandatum, si seruetur, vitam, si non seruetur generat mortẽ. Secundum hoc autem quod non seruantibus generat mortem dicitur Ezech. 20. *Dedi eis præcepta & iustificationes non bonas.*

6. ISTVD vnice dolendum, quod cum vniuersæ creaturæ etiam quæ rationis & prudentiæ expertes sunt, Deo obtemperent, vnicum sit hominum genus, *inquit* Orige. ho. 6. in Matt. *Orige.* cui mens & prudentia data est, & non obtemperat. Non mediocris pudor imperio Dei insensibilia parere elementa, & homines non obedire. Dixit semel Deus, *congregetur aqua, & congregata est*, & frequenter dicitur, congregetur populus & non congregatur: diuinæ legi obsequitur piscis dum ad præceptum Domini Ionam euomit, & homo pisce irrationabilior Dei legi contradicit, *inquit Ambr.* Ambr. li. 5. Hexam. c. 10. Reuerentur suum auctorem elementa & à suo se continent impetu: ignis enim licet tantam vrendi vim habeat & ita vehemens sit, teneris tamen corporibus trium puerorum pepercit; homo autem mansuetum animal & benignum contraria suæ naturæ facit, & mores suos in ferinos vertit, dum furorem suum & iracundiam propter mandatum Dei refrenare nescit, sed animam suam, cui a Deo concreditus est principatus quo regere debeat ac moderari corpus, affectionesq; corporis omnes, prauorum affectuum seruã facit, dum sub dominatione Dei viuere non vult, sed suus esse mauult. Nonne, inquit Psalmista, *Deo subiecta erit anima mea*: Et causam cur Deo subiici debeat subiungit dicens. *Ab ipso enim salutare meum.* Neq; enim tale aliquid est homo factus, *inquit August.* vt deserente eo qui fecit possit aliquid agere bene tanquam de se ipso, sed tota eius actio bona est cõuerti ad eum à quo factus est, & ab eo iustus, pius, sapiens, beatusque semper fieri non fieri & recedere, sicut à corporis medico sanari & abire, non ergo ita se homo debet ad Deum conuertere, vt cum ab eo factus fuerit iustus, abscedat, sed ita vt ab illo semper fiat, ipsius enim præsentia iustificatur, illuminatur & sanctificatur, sicut præsentia solis aer illuminatur, qua absente obtenebratur. Quapropter vbi homo Deo non seruit nec subest, quid in eo putandum est inesse iustitiæ, quandoquidem Deo non seruiens nullo modo potest iuste animus corpori, aut ratio vitiis imperare. *hæc August.* Aug. lib. 8. de Gen.

III. Seruitus Christi suauis est, peccati vero grauis.

1. POTEST homo considerari, & vt sanus, & vt infirmus. qui sanus est nullam in obseruandis præceptis sentit difficultatem, sunt enim per se facilia, verbi gratia, Præcepit Dominus Adæ in paradiso, *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas*: magna huius præcepti facilitas est, quasi dicat, nihil graue, nihil quod molestum sit à te exigo, omnium vsum tibi concedo, duntaxat ab ista arbore abstineto. Hoc faciebat quasi Dominus aliquis liberalis domum magnam alicui concedens, & vt dominium sibi saluum maneat, paruum censum ab illo dandum præscribit. Sic sane & Dominus noster, *inquit Chrys.* Chrys. ho. 14. in Gen. participem omnium quæ erant in paradiso esse voluit, ab vno solo ligno abstinere præcepit, mõstrans reipsa nullius alterius gratia hoc ipsum se facere, quam vt tantorum beneficiorum auctorem agnoscere posset accepto leni illo mandato. Et certe magna est vtilitas hominis iubenti Deo, etiam incognita ratione iussionis, seruire: iubendo enim Deus vtile facit quicquid iubere voluerit, de quo metuẽdum non est quod aliquid inutile præceptum sit.

2. SI CONSIDERATVR homo sine gratia & vt infirmus, & diligere proximum vt

seipsum, & diligere ex toto corde Deum, & omnia decalogi præcepta ei grauia esunt. Sic enim Petrus loquitur Actor. 15. *Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus?* Aspera est virtus, *inquit Chrysost.* si ad imbecillitatem nostram comparatur, licet in se leuis sit & facilis, iuxta illud Christi, *Onus meum leue est.* Quid manna suauius? nauseabant tamen Iudæi super cibo isto leuissimo, sicut homini magna infirmitate laboranti graue est atq; molestum comedere, ambulare, loqui: quæ tamen omnia homini sano iucunda sunt & factu facilia. Quid fame, & cæteris, quo. Paul. perpessus est, laboribus grauius? Gloriabatur tamen ille & gaudebat in infirmitatibus suis. Quid igitur horum causa? animi diuersitas, inquit, quem si qualē esse oportet, institueres, facilitatem virtutis dinosceres. Quid ergo plerīq; hanc non eligunt facilitatē? quoniam multi etsi credant, satius tamen caducam, quam æternam ducūt voluptatem. *hæc Chrysost.*

Chrys. ho. 14. in epi. ad Cor.

3 QVI MALVM odit, & bonum diligit, legem facilem inuenit. Odit autem malum, *inquit Hieron.* qui non solum voluptate nō vincitur, sed odit opera voluptatis, & diligit bonum, qui non inuitus aut metu legum facit quod bonum est, sed idcirco quia bonum est hoc ipsum delectat, & hoc est quod Paulus ait ad Roman. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Quid est sicut illud ita & hoc? *inquit August.* nisi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido voluptasq; peccati, sic ad iuste viuendum non vos supplicij metus vrgeat, sed ducat delectatio iustitiæ. Et hæc quidem quātum mihi videtur, *inquit Augu.* nondum est perfecta, sed quodammodo adulta iustitia. Neq; enim frustra præmitteret, Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, nisi quia plus aliquid dicendum fuit, si iam illi ferre potuissent. Plus quippe seruitutis debetur iustitiæ, quam peccato solent homines exhibere, nam pœna corporis etsi non à voluntate, tamen reuocat ab opere peccati. Iustitia vero sic amanda est vt ab eius operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere nō debeant. Hinc est quod ille fortissimus iustitiæ lector exclamat, *Quis nos separabit à caritate Christi? an tribulatio? an gladius? Certus sum quod neq; mors,* &c. in his omnibus superabat Paulus, non quia per se hoc poterat, sed per eum qui dilexit ipsum: Caritas enim diffusa erat in corde ipsius, vt diligendo liberaliter & libenter faceret quod oportebat, diligenti autem omne præceptum leue est. Laborant autē in Dei præceptis qui ea timendo conantur implere, quia quod quis timore facit, inuitus agit, nihil autem tam facile, quin difficile fiet si inuitus feceris. Perfecta autem caritas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam leuem, non solum non prementem onere ponderum, verumetiā subleuantem vice pennarum. Nec aliam ob causam scriptura commemorat nō esse grauia diuina præcepta, nisi vt anima quæ sentit illa grauia, intelligat se nondum accepisse vires quibus leuia fiunt Dei pręcepta: & oret gemitu voluntatis vt impetret donum caritatis & facilitatis. Nec tamen cum ea grauia sentit, desperando frangatur, sed ad petendum gratiam qua ipsa leuia fiant, cogatur.

Hiero. in 5. c. Amos.

Aug. Epi. 144.

Rom. 8.

4 CVM ITAQVE Dominus mandat tollere crucem, odisse patrem, adhuc autem & animam suam: Ne dixeris, *inquit Bernard.* durus est hic sermo: durus quidem in cortice, sed suauis in medulla: Et solū vt propheta loquitur psalm. 93. *fingit laborem in præcepto*, non verum autem laborem imponit. Quomodo non fictus labor, vbi nō labor sed requies inuenitur? sic enim ait Dominus, *Tollite iugum meum super vos & inuenietis requiem animabus vestris.* Qui auaritiæ seruit, graue onus subit & crudeli tyranno subiicitur, qui ingerit in animam hominis graues curas & noxia desideria, quæ mergunt hominem in interitum.

Quan-

Digitized by Google

Quanquam ſint qui libenter hanc duram ſeruitutem amplectãtur, & ſi quis eos hac liberare velit, ægre ferunt & indignantur, in hoc nihil ab inſanis differentes, *inquit Chryſoſt.* Moris erat apud Hebræos vt in ſeptimo anno ſerui efficerentur liberi, *vt dicitur Deut.* 15. ſi quis autem amans Dominum ſuum libertate donari non cuperet, ſed in ſeruite manere mallet, perforabatur ſubula ipſius auricula in ianua domus, & in æternum ſeruire debebat. Qui peccato ſeruit, verus ſeruus eſt, & hanc ſeruitutem libertati chriſtianæ ij præferunt, qui iniquitatem amant, à qua quia in hac vita recedere non cupiunt, in æternum ſerui permanebunt.

Chryſ. ho. 58 in Mat.

PARS II.

Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Matth. 6.

Summa Articulorum huius Partis.

I. *Boni primum quærunt regnum Dei: mali bona huius mundi.*

II. *Bona temporalia malis boniſq; ſunt communia.*

III. *Bona temporalia tam ſunt vana, quam tranſitoria.*

PARS I.

ART. I. Boni primum quærunt regnũ Dei, at mali bona huius mundi.

1. QVÆRIT Baſili. *reſpon. 8. interr.* An oporteat primum renunciare omnibus, & ſic accedere ad conuerſationem ſecundum Deum? Et respondet quod ſic, eo quod ſcriptum ſit, Luc. 14. *Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hinc in baptiſmo renunciamus diabolo & veteri vitæ & affectibus carnis. Nam cui propter Chriſtum crucifixus eſt mundus & ipſe mundo, quomodo amplius poteſt eſſe ſeruus partium mundi? Qui vehementi cupiditate Chriſtum ſequendi tenetur, ad nihil amplius huius vitæ conuerti poteſt, non quidem ad parentum amorem vbi præceptis Domini contrarius fuerit, cum ſcriptum ſit, *Qui non odit patrem & matrem adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, & Matt. 13. *Simile eſt regnum cœlorum homini mercatori quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna margarita pretioſa* (per quam regnum cœlorum intelligitur) *vendidit omnia quæ habuit & emit illam*: Impoſſibile enim eſſe, vt mente ad diuerſas curas diuiſa, recte peragere id cuius ſtudioſi ſumus, ipſe Dominus teſtatur dicens, *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire*, Neceſſum eſt enim mente rebus terrenis veluti ſterquilinio affixa, animam à ſpeculatione Dei alienam eſſe, & ad concupiſcentiam cœleſtium bonorum, & eorũ quæ nobis in promiſſionib. repoſita ſunt immobilem eſſe eſt impoſſibile.

2 EST AVTEM renunciatio ſolutio vinculorum temporariæ vitæ & liberatio ab humanis affectibus, & cordis humani ad conuerſationem quæ in cœlis eſt tranſlatio, vt dicere poſſimus, *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Et cui neque de ipſis neceſſariis ſollicitum eſt permittitur, veluti alimento vel indumento, huic quæ ratio permittit, vt velut ſpinis, malis diuitiarum curis detineatur? Notat Chryſoſt *hom.* 48. *in Gen.* quomodo Abraham in morte Saræ à filiis Heth poſſeſſionem ſepulchri empto loco acceperit: Hoc primum principiũ poſſeſſionis fecit Patriarcha, *inquit.* Quo monſtrat nobis ſcriptura diuinam virtutem Abrahæ quod toto tẽpore ſuæ peregrinationis nec tantillum terræ poſſederit: vt mortuum ſuum ſepeliret. Et licet diues eſſet in auro & argento, in beſtiis & ſimilibus mobilibus bonis, ea tamen poſſidebat tanquam non poſſideret: cum enim ſufficientes diuitias mentis haberet, de aliis non erat anxius. Et Iacob cum pergeret in Meſopotãiam non miniſtros habebat, non camelos, ſed apoſtolicum morẽ imitatus, *inquit idem*, iter faciebat, & vbi Chryſ. ho. 54. in Gen.

noa

Digitized by Google

nox cum comprehendit lapide pro puluinari vsus est, & super pauimētam dormiuit, vnde admirabilem illam visionē meruit. Hoc enim more agit Dominus noster, vt quando videt hominem præsentia non magnifacientem, sed cœlestia quærentem, plurimam ipsius curam sibi assumat. Sic enim ait, *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Credamus ei, & hæc accessoria quasi primaria nō quæramus, sed quæramus illud sicut præcipit, vt & hæc & illud habere possimus. *hæc Chrysost.*

Chrys. ho. 11. in 1. ad Tim.

3 NON vult nos Deus proprio studio, sed gratia sua diuites fieri, *inquit idem. Quærite*, inquit, *primum regnū Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*, tanquam diceret, Mihi ista permitte, tu spiritualium tantum curam habe, vt meam potentiam & prouidentiam discas. Quid parua ista miraris, quid ad ista quæ abiectissima sunt inhias? An copiam pecuniæ, soli infinita iugera, magnificas domos, auri pondus immensum, bona vocare non erubescis, quæ eos qui ea possident bonos efficere non possunt? Quinimo vt quis bonus & perfectus fiat, suadet Dominus *Matt.* 19. vt qui bona possidet ea diuendat, & pauperibus elargiatur, sicq; Christum sequatur. *Vade* inquit Dominus, *vende*, non partem substantiæ, sed *vniuersa quæ possides*, nihil ex omnib. metu inopiæ reseruans, *inquit Hieron.* vt possis cum Propheta canere, *Pars mea Dominus.* Sed hoc inquies apostolicæ est dignitatis, & eius qui velit esse perfectus. Cur autem & tu nolis esse perfectus? Bene quidem facis quod Sanctorum vsibus ministres, foueas monachos, Ecclesiis offeras quamplurima, sed hæc rudimenta sunt militiæ tuæ, inquit. Contemnis aurum, contēpserunt & multi Philosophi: è quibus vnus, vt cæteros taceam, multarum possessionum pretiū proiecit in pelagus, Abite, dicens, in profundum mare cupiditates, ego vos mergam ne ipse mergar à vobis. Philosophus popularis aurę vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit, & tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem ex toto offeras? *hæc Hieron.*

Hæc Chrysost.

Hieron. epist. 34. ad Iuli.

4 HVIC simile est quod *August.* ait. Qui non cogitat nisi quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, Hæ cogitationes inquit, aurum sunt & lapides pretiosi, quæ superædificat super fundamentum fidei. Porro si circa diuitias suas quodā teneatur carnali affectu, quamuis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid moliretur, aut earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod facinus laberetur, alioquin iam isto modo ab illius fundamenti stabilitate se subtraheret, sed propter carnalem quem in eis habebat affectum talib. bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud fœnum, lignum & stipulam. Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore amittuntur, propterea qui sic ea habent, cum habeant in fundamento fidem quæ per dilectionē operatur, neque huic ista vlla ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum, per ignem quendam doloris perueniunt ad salutem. A quo dolore atque detrimento tanto est quisq; securior, quanto ea vel minus amauerit, vel tanquam non habens habuerit. Qui vero propter illa vel tenenda vel adipiscenda, homicidium vel adulterium & similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem saluabitur, sed amisso fundamento æterno igne torquebitur. *hæc August.* Cum enim non nisi mortuam fidem in angulo intellectus abstrusam habeat, ea ipsum saluare nequit.

Aug. li. de fide & op.

5 MALI *primum quærunt bona huius mundi.* Sicut filij Ruben, quoniam multa pecora possidebant, dum extra Iordanem campestria concupiscunt eo quod vberrima essent & alendis pecoribus aptissima, in repromissionis terra hæreditatem habuere noluerunt, *vt patet Iosue* 3. Ita *inquit Gregor.* qui multa in hoc mundo possident, habitationem cœlestis patriæ non requirunt, sed tota mente omnique deside-

Greg. 27. moral. c. 7

desiderio rebus perituris inhærent & inseruiunt. Sic enim calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt omnes gentes & ideo commotæ sunt, vt dicitur *Iere.* 51. Quem locum explicans *Orig.* sic ait, Inebriantur homines terreni concupiscentiis, amore honore, dum iis supra modum excedunt. Nam sicut qui supra mensuram bibit, pedes vacillant, lingua titubat, mēs oblita sui Deique sui, officio sui fungi nequit. Si qui de calice aureo Babylonis bibunt, mente debilitantur, instabiles sunt & vacillant, dum semper in turbationib. aguntur incerti: diuitiarū enim amor insatiabilis est, expleri nescit bonorum cupido, res celerem habituræ finem sine fine quæruntur, & tanto quisque auidior quanto inde plus hauserit, vt potatores solēt. Nemo ad breuitatem temporis, nemo ad naturæ respicit conditionem, nemo considerat vana esse omnia quæ aliquo fine clauduntur. Nunquid propterea in hunc mundum venisti & homo factus es, vt aurum accumules? *inquit Chryso.* Non ideo te Deus ad suam imaginem finxit, sed vt futura bene consequaris. vnde recte *ait Hiero.* quod de his tantum sollicitudinem habere debemus & curam quæ nobiscum transferre possumus. Ambiant terrena gentiles, quibus cœlestia non debentur, concupiscant præsentia qui futura non credunt. Christianis diuitiæ & hæreditas sit sapientia diuina & diuinitas Christi, vt cum Psalmista dicere possint, *Et à te quid volui super terram?*

Orig. ho. in Iere.

Chrys. ho. in Mat.

6. QVOTQVOT de bonis temporalibus beatos se esse putant, & de iis gaudent, hamum accipiunt, *inquit Aug.* & cum illo sibi vagantur: veniet tempus vt sentiant quanta tormenta cum auiditate deuorauerint. Nam gaudet & piscis quando hamum non videns escam deuorat, sed cum piscator eū educere cœperit, viscera eius torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes qui de bonis temporalib. beatos se esse

Aug. li. de ... one ... ist.

putant. Nam teste Sophonia *Disperierunt inuoluti argento*, hoc est, *inquit Hiero.* qui tantas habebant opes vt se quasi inuolutos & septos suis diuitiis æstimarent, ira veniente vastati sunt: Difficile enim homines potentes & diuites, qui in suis diuitiis confidunt, credunt Deo, terrena enim cogitantes, cœlestia non requirunt, similes illi fœminæ quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere: sic hi cum terrena semper in animo versent, superna non appetunt. Hoc in se doluit psalmista cum ait: *Incuruatus & humiliatus sum vsquequaque.* Si homo sola carnis necessaria cogitaret, incuruatus & humiliatus quidem esset, sed tamen non vsquequaque, *inquit Greg.* Quem vero à supernis cogitationibus non solum necessitas deiicit, sed etiā voluptas illicita sternit, non solum incuruatus, sed vsquequaque incuruatus est & omnino, vt per cœleste desiderium se sursum erigere non possit. Hinc meritó exclamat propheta Dauid psalm. 68. *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* tanquam diceret, Nullo modo diuitias appetite, sed si prouenerint, sapientissime & cautissime administrate: Quia qui omissis veris & salutaribus bonis, caduca solum & transitoria quærunt, similes sunt iis, *inquit Bernar.* qui submersi periclitantur in aquis, & arripiunt quicquid primo occurrit, licet tale sit quod omnino prodesse non possit: sic pereunt in hoc mari magno & spatioso miseri dum peritura sectantes, omittunt solida bona, quibus apprehensis emergere & saluare possent animas suas.

Soph. 1.

Luc. 13.

Psal. 37.

Greg. ho. 21. in Euā.

Bern. ser. 1. de Adu.

7. DICIT inter cætera propheta Iob. ca. 8. *Tabernaculum impiorum subsistet:* Quia vitæ præsentis & fugientis amatores, dum studiose se suaq; tabernacula in præsentibus figunt, repente, *inquit Grego.* in hunc locum, ad æternas pœnas abripiuntur. Ideo *vani filii hominum*: vt dicitur psal. 6. *mendaces in stateris.* In quem locum sic *Basil* Non omnes, inquit, circa merces versantur, quas stateris ac libris mercatores

Basi. ho. 15.

catores diuendere solent. De quibus igitur stateris hic agitur? vnicuiq; nostrum, *inquit*, occulto statera quædam à conditore nostro constructa ac data est, in qua rerum naturam discernere ac diiudicare potest. Dicit enim, Ante te vitam & mortem, bonum & malum posui ad quod volueris, extende manum tuam, & dabitur tibi. Duas naturas inter se oppositas expende in proprio tuo iudicio: pondera diligenter quid sit tibi conducibilius, num temporalem eligere voluptatem, & per ipsam æternam accipere mortem: an electa in virtutis exercitio afflictione, per huiusmodi exercitium æternam consequi vitam? Mendaces igitur sunt homines corrupta animæ iudicia habentes, qui dicunt, Præsentia nobis, quis nouit futura? Male ponderas, bonis praua præferens & vera vanis postponens, temporalia bona æternis, temporalem ac prætereuntem voluptatem pro indesinente lætitia eligens: cum scriptura dicat, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*.

II.

Bona temporalia bonis malisq; sunt cõmunia. Aug. lib. 1. c. de ciu. c. 8.

1. PLACVIT diuinæ prouidentiæ, *inquit August.* præparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti, & mala impiis quibus non excruciabuntur boni: Ista vero temporalia bona & mala vtriusque voluit esse communia, vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. Interest autem plurimum qualis sit vsus vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum quæ dicuntur aduersæ: bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malis frangitur: malus autem ideo huiuscemodi infœlicitate punitur, quia fœlicitate corrumpitur. Item in rebus secundis si non eas Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus: itemque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia præmia seruiendum illi esse arbitraremur.

2. RVRSVM, *vt idem ait*, & boni patiũtur mala tanquam mali sint, & mali tanquam boni sint, adipiscuntur bona. Hinc Eccl. 8. *Est vanitas quæ facta est super terram, & didici quod vnus vtriusque, stulti scilicet & sapiẽtis esset interitus, & dixi in corde meo. Si vnus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest quod maiorem sapientiæ dedi operam? Animaduerti quod hoc quoque esset vanitas. In hac vanitate intimanda* totum hũc librum vir sapientissimus deputauit: non vtique ob aliud, nisi vt eam vitam desideremus quæ vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo qui fecit hunc solem. In diebus tamẽ vanitatis huius interest plurimum, vtrum sit homo expers pietatis an particeps, non propter vitæ huius vel bona acquirenda vel mala vitãda vanescendo transeuntia, sed propter futurum iudicium. Aug. li. 20. de ciu. c. 3. Eccl. 2.

3. QVÆRIT *Bas.* Cur fertilis fuerit ager hominis nihil boni ex abundantia facturi? de quo *Luca* 12. Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager tulit & cogitabat intra se dicens: *Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos?* & respondet: vt magis Dei longanimitas & liberalitas appareret, cum bonitas ipsius se etiã vsq; ad tales extẽdat. Nam à Deo & seminum vbertas, & aëris temperies, & pluuia, & calor solis ad fouenda semina, & boum auxilia, & reliqua quibus abundare solet agricultura. Ab homine vero qualia? morũ dissolutio, luxuria, auaritia & nequitia: Hæc benefactori rependebat. Non fuit memor communis naturæ, non putauit oportere superfluum in egenos distribuere, nullam præcepti huius, *Frange esurienti panem*, habuit rationem. Cõsidera ô homo, qui dedit, quid à te requirat. Dei minister es, ne putes omnia ventri tuo præparata esse: Memor sis tuiipsius, paruo tẽpore te lætitia afficient deinde fluxa peribunt, & exacte de his reddenda ratio à te exigetur: Interim tu consiliũ contra teipsum inis stolido consiliario teipso vtens. Quid faciam inquis quia non habeo quo congregem fructus meos. Promptum erat dicere Bas. ho. 6. ex. 29. var.

Digitized by Google

dicere, Implebo animas esurientium: Sed auaritia aliud suggessit consiliū, Destruā, *ait*, horrea mea, & maiora faciam vt illuc congregem quæ nata sunt mihi: & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona in annos plurimos reposita, bibe, epulare & requiesce. O absurditatem: Si suillam haberes animam, quid aliud quam hoc ipsi annūciare potuisses? Astiterunt animam repetentes, & ille de eduliis cum anima sua disputat: *Hac nocte repetent à te animam tuam*, inquit, & tu in multos annos fruitionem imaginaris. *hæc Basilius.*

4. DICIT Psaltes psal. 72. *Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* Quam pacem? *inquit Aug.* in eum locum. Temporalem & caducam, sed tamen talem, qualem & ego a Deo desiderabam, vidi illos illud habere qui non seruiebant Deo, quod ego desiderabam vt seruirem Deo. Quare autem hoc habent peccatores? quia filii eorum sunt sicut nouellæ plantationes. Ergo non est ista fœlicitas habere filios incolumes, filias ornatas, plena cellaria, abundantiam pecorum, nullam ruinam, nullum clamorem, sed quietem, pacem, abundantiam rerum; Aut debent iusti ista defugere? *inquit Aug.* aut non inuenis domum iusti abundantem rebus his omnibus, plenam ista fœlicitate? Nonne erat domus Abrahæ abundans auro & argento? familia & pecoribus? Nonne Iacob ditatus egressus est de Mesopotamia? Quid dicimus, Non est ista fœlicitas? Est, sed sinistra, temporalis & mortalis. Nolo illam defugias, sed neque dexteram putes. Non enim isti ideo maligni, aut ideo vani, quia istis abundāt, sed quia id quod sinistrum esse debuit, in dextera ponebant: Ideo dextera eorum dextera iniquitatis. Quid autem in dextera pónere debuerūt, Deum & æternitatem: Sinistra vtamur ad tempus, sed dexteram in æternum desideremus, quia scriptum est, *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*: Rursum dicit Sapiens Prouer. 3 *In dextera illius longitudo dierum, & in sinistra eius diuitiæ & gloria.* Non ergo vos vanilo-

[margin: ...in ps.]

quos arguo *inquit Augustinus* quia filii velut nouellæ constabilitæ à iuuentute sua, nec quia filiæ ornatæ vt similitudo templi, nec quia cætera abundantia aderat eis: Sed quare arguo? quia beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Quod ad sinistram erat ad dexteram posuerunt. Sinistra nostra dicitur quicquid temporaliter habemus, *ait Aug.* Dextera nostra quicquid nobis æternum & incommutabile pollicetur Deus. Aug. in ps. 120.

5. DICITVR de quibusdam, *Dextera eorum dextra iniquitatis*, psal. 144. Eos reprehendit, *ait Augu.* qui sinistram dexterā sibi fecerūt. Qui sunt isti? Omnis homo qui fœlicitatem non putat esse hominis nisi solum in istis temporalibus facultatib. & deliciis, & affluētia & copia mundi huius, iste stultus sinistram sibi facit dexteram. Tales illi erant, de quibus dicit psalmus, *Quorum filii vt nouellæ plantationes & filiæ ornatæ vt similitudo templi, promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud.* Non qa à Deo non acceperant etiam quæ temporaliter possidebant, sed quia ipsā solam putabant esse beatam vitam & nihil aliud requirebant. Posset tamen & istam fœlicitatem aliquis iustus habere, sicut & habuit Iob: sed iste pro sinistra illam habebat, non pro dextera: nam dexteram non habebat, nisi apud Deum perpetuam fœlicitatem. Isti autem de quibus dicit Dauid, *Dextera eorum dextera iniquitatis*, nō hinc eos reprehendit quia his omnibus abundant, sed quia beatum dixerunt populum cui hæc sunt: Qui autē nouit quid sit dextera, quid sinistra dicit, *Beatus populus cuius est Dominus eius Deus.* Dicit Dominus Marci 6. *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera*: tanquam diceret, Quando facis bonum opus, propter vitam ęternā fac: nā si opus bonū propterea feceris vt terrena tibi abundent, scit sinistra tua quid faciat dextera. Si propter terrenam substantiam solum facis, sinistra sola operatur: si autem propter vitam æternam solum operatus fueris dextera sola operatur: si autem habes intentio- Aug. in ps. 120.

nihil stabile habent ad quod se recipiant? sed quanto plura acquisierint, tanto plura appetunt. Respondeas mihi, quemnā putas maiori dolore cruciari, vtrum qui edendi atque bibendi cupiditate conficitur, cum non possit desiderio satisfacere suo, an eum qui nec tali quidem cupiditate vexatur? Non dubito quin cū respondebis, qui animum suum expiere non potest: Ita fit & hic.

5. CVM in populo Dei carnales sint alii, alii spirituales, *teste Bernardo*, secūdum ea quæ efferunt aut carnales, aut spirituales iudicātur. Hinc est q̄ in benedictionib. Iacob & Esau, & ros cœli & terræ pinguedo nominatur, sed nō in eodem ordine in vtroque. Nam ad Iacob ait Isaac, *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiā*. Ad Esau vero sic ait, *Inpinguedine terræ & in rore cœli erit benedictio tua*: ordine prorsus inuerso, Nam quid singuli prætulerint, à studiis eorum & à sollicitudinibus innotuit. Reprobus n. Esau præponebat & diligebat temporalia, & ideo hæc priori loco illi obtulit pater: Sancto vero Iacob hæc vt accessoria precatus est secundo loco. Et in hoc omnis humana peruersio est, *inquit Aug* fruendis vti velle, atque vtendis frui. *Et rursus*, Omnis ordinatio quæ virtus nominatur, fruendis frui & vtendis vti. Sicut autem inter honestum & vtile interest, ita & fruēdum & vtendum. Frui dicimur ea re de qua capimus voluptatem propter se ipsam: vtimur ea quam referimus ad id vnde voluntas capienda est: quāquam & vicinissime dicitur frui cū delectatione vti. Cum enim adest qui diligitur etiam delectationē secum necesse est gerat: per quam si pertrāsieris, eamque ad illud vbi permanendum est, retuleris, vteris ea, & abusiue nō proprie diceris frui. Si vero inhæseris atque permanseris finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere & proprie frui dicendus es, quod non est faciendum nisi in illo summo & incōmutabili bono quod est Deus. Vnde *Aug.* exponēs quod de Philemone dixit Paulus, *Ita frater ego te fruar in Domino*, sic ait, Si non addidisset in Domino, & te fruar tantū dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ, Nulla autē res temporalis in via tenere nos debet vt firmiter ei inhæreamus, sed per eam potius curramus alacriter vt ad Deum peruenire mereamur, vt ea, quibus tanquam vehiculo quodam ferimur ad finem, qualia sunt temporalia, propter illud ad quos ferimur, diligamus.

Bern. ser. 33. in par.

Aug. l. 83. q. 30.

Aug. l. 1. de doct. Christ.

6. CVM igitur ea re frui dicamur, quæ nos non ad aliud referēda per seipsam delectat, vbi vero ea re quam propter aliud quærimus, temporalibus vtēdum est frui mereamur æternis, Deo nimirū ipso. Non sicut peruersi, *inquit Aug.* qui frui volunt nummo, vti autem Deo, quoniam non de nummis propter Deum impendunt, sed Deū propter nummū colunt. Boni quippe ad hoc vtuntur mundo vt fruātur Deo mali autem econtra vt fruantur mundo vti volunt Deo. Qui gaudium totum suum, totamque fœlicitatem suam constituit in manducando, bibēdo, vxorem ducendo, emendo, vendendo, væ illi a diluuio. Quisquis autem siue manducat, siue bibit, siue aliud quid agit, omnia in gloriā Dei facit, & si aliqua tristitia est de rebus secularibus sic fleat vt non sic gaudeat & si aliqua lætitia est in rebus sæcularibus sic gaudeat vt totus spiritualiter timeat ne donet se corrumpēdum fœlicitati, nec cedat aduersitati frangendus, hoc est flere tanquam non flentem & gaudere tanquā non gaudētem. Quisquis sic sibi vxorem quam propter infirmitatem duxit, plangens potius quod sine vxore esse non possit, quan gaudens quia duxit, hic habens vxorem tanquam non habens est, *inquit Aug.* Quisquis igitur ista terrena diligis, inquit idem, vt arrham sponsi, vt munera amici, vt beneficia Dei dilige, sic tamen vt memineris semper quid illi debeas, nimirum vt nec ista propter se, sed ista propter illū, & per ista illū, & super ista illum diligas. Caue ô anima, ne quod absit meretrix dicaris, si munera dāris, plusquā amantis affectum diligas. *hactenus Aug.*

Aug. li. 11. Ciuit. c. 25.

Hæc Aug.

Aug. in Psal. 147.

II. Deo seruiendum & obtemperandũ. Hier. Ep. 14. ad Celant. Deut. 6.

1 PRÆCIPVA tibi cura sit, *inquit Hier.* legem nosse diuinam per quã discere possis quid faciendum quidue vitandum. Maximum enim auxilium ad iustitiã est implere diuinis eloquiis animum & quod opere exequi cupias semper corde meditari. Rudi adhuc populo & hominibus ad obedientiam insuetis per Moysen imperatur à Domino, vt in signum memoriæ qua præcepta Domini recordentur per singulas vestimentorum fimbrias habeant cum cocco hyacinthini coloris insignia, vt etiam casu huc illucque respicientibus oculis mandatorum cœlestiũ memoria nascatur. De quibus fimbriis pharisæi à Domino redarguuntur *Matth.* 23. quod eas peruerso vsu, non ad commonitionem præceptorum Dei, sed ad ostentationem sui habere cœperint, videlicet quasi de maioris obseruationis diligentia sancti à populo iudicarentur. Tibi vero non tam frequenter recordanda sunt præcepta Dei, quam semper cogitanda. Sint ergo diuinæ scripturæ semper in manibus tuis, & iugiter mente voluantur. Nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere & operibus obliuisci, sed ideo illa cognosce vt facias quicquid faciendum didiceris. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabũtur. Diuinam igitur scripturam semper secum reuoluere, ingens ad conseruandam iustitiam beneficium est.

2. NON absimile huic est quod scribit *idem auctor epist. 1. ad Demetri. virgi.* vbi sic habet, Prima virginis cura primumque studium sit scire voluntatem Domini sui, & quid ei placeat quidue displiceat diligenter inquirere vt secũdum apostolum rationabile reddat Deo obsequium, totumque vitæ suæ cursum ex eius possit ordinare sententia. Impossibile est enim ei quenquam placere, cui quid placeat, ignorat, fierique potest vt etiã obsequenti voto offendat, cui quomodo obsequi debeat ante non didicit. Et vt maius est voluntatem Domini facere quam nosse, ita prius est nosse quam facere illud enim merito præcedit hoc ordine vnde Paulus dicit, *Qui ignorat ignorabitur:* & alibi, *Propterea nolite fieri imprudentes sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Initium obedientiæ est quid præcipiatur velle cognoscere & pars est obsequii didicisse quid facias, & primo quidem non dilectionem desiderat Dominus perfectorum, *inquit idem,* explicans illa verba Ierem. 5. *Me non timebitis, ait Dominus, qui posui arenam terminum mari præceptum sempiternum quod non præteribit, sed timorem incipientium,* quasi dicat, Audiunt me & sentiunt qui sensum non habent audiendi, qui tam potens elementum & immensas gurgitum moles meo præcepto litoribus refrenaui, populus autem meus suo vitio stultus effectus contemnit me.

3. SCIO in scripturis diuinis per quas solas potes plenius intelligere Dei voluntatem, *inquit Hieron.* prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, nõnulla suaderi. Prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, perfecta suadentur. In duob. illis quæ priori loco sunt peccatum omne concluditur, in vtroque enim Dei continetur imperium, apertusque Dei contemptus est vel facere prohibita, vel iussa nõ facere. Duo reliqua quorum vnum conceditur & suadetur, alterũ, in nostra potestate dimissa sunt, vt aut cũ minori gloria concessis vtamur, aut ob maius præmium etiam ea quæ nobis permissa sunt, respuamus. Conceduntur quidem nuptiæ, carnium vsus & vinum, sed horũ omniũ abstinẽtia cõsilio perfectiore suadetur. Ad virginitatis honorẽ pertinet licentia nuptiarum, & escarum indulgentia virtutem abstinentiæ clariorem facit. Maioris præmii amore flagrans vouisti virgo Deo nõ imperatam sed laudatam virginitatem, certaminis ingressa cãpum non tam laborem cursus, quam brauium victoriæ cogitasti. Et qui tãtæ obedientiæ se esse profitetur, vt etiam consiliũ diuinum libẽter audiat, quomodo nõ debet audire præceptum? cum illa res electionis sit, ista necessitatis. De virginitate dici-

Hier. Ep. 1. ad Demetr. virg.

dicitur, *Qui potest capere capiat*: De iustitia non dicitur *Qui potest facere faciat*, sed *omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*. Considera quæso quantum à consilio distet imperium, ibi aliquos excipit, hic omnes generaliter comprehendit: ibi præmiū proponit, hic pœnam: ibi inuitat vt faciat, hic nisi feceris comminatur.

4. TRIPARTITAM hominum Deo parentium summā ego animaduerto, *ait Basil.* nam aut metu supplicii à vitiis declinamus, atque ita animum seruilem induimus. Aut mercedis spe ducti ad vtilitatem nostram præceptorum obseruationem referimus: atque hoc modo mercenariis efficimur similes. Aut certe honestate ipsa impulsi charitateque quam erga ipsum habemus à quo legem accepimus, gaudentes quod digni habiti simus qui adeo glorioso & benigno seruiremus Deo, paremus: atque hoc modo bonorum filiorum erga parentes suos animum imitamur. Qui non ea qua oportet animi synceritate mandatum Dei exequitur, neque tam ardēti desiderio aut pleno studio, sed segnius & lentius id facit, non ideo est deterrendus, sed excitandus potius & sanandus, quia *calamum quassatum non conteret Dominus, neque linum fumigans extinguet*, inquit *Isa.* Qui vero per transgressionem legis Deo contumeliam facit, in nullo horum numero reponi poterit, quia neque Deo vt parenti obsequitur: *Si enim pater ego sum*, inquit Dominus Malach. 1. *vbi est honor meus?* neque vt Domino seruit, quia *si Dominus ego sum vbi est timor meus?* quandoquidem si vel vnum modo de his quæ necessaria sunt, neglexerit inutilē seipsum Domino reddidit, cum scriptum sit *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus sit omnium reus.* Ex quo apparet nec honorari ab eis Dominum, nec timeri qui eius præcepta non faciunt: Quod ad Dauid expressius dicitur, qui peccatum admiserat, *& pro nihilo duxisti Deum:* & Dominus in euangelio, *Quid vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis*: Quomodo enim ex animo ac vere dicimus, Domine Domine, si eius quem Dominum confitemur præcepta contemnimus? Quid vnquam tam superbum, quid vero tam ingratum videri potest quā aduersus eius viuere voluntatē à quo ipsum viuere acceperis? quam illius præcepta despicere qui ideo aliquid imperat vt causas habeat remunerandi *inquit Hier.* Neque enim obsequii nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio; qui & idcirco etiam magis offenditur & irascitur nobis, non solum quia imperata contemnimus, sed & quia tanti præmii legem obseruantib. promissi detrimenta pro nihilo ducimus, similes isti prophano Esau, qui parui faciebat q̄ primogenita vēdidisset.

Basil. in Reg. fus. disp.

Isa. 41.

Iacobi. 2.

Hier. Ep. 14. ad Colont.

5. DICIT Dominus Matth. 28. *docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis*. Non enim quasi ad arbitrium nostrum quædam ex mandatis Dei eligere debemus, sed generaliter vniuersa complere, *inquit Hier.* siue quisquis sit auctor *epist. 1. ad Demetri. tom. 4.* nec aliqua eius præcepta quasi vilia contemnere, sed imperātis in omnibus maiestatem aspicere: quanto maiores Domini, tanto serui ab obediendum promptiores, quin & beneficii loco ducūt si quid eis imperetur in quo seruire queant, præsertim vbi non tam mandātis quæritur cōmodum, quam obsequentis cōpendium. Si quis autem superborū nequā seruorū more in os Domini reclamet ac dicat, Durū est mandatum, non possumus, homines sumus, fragili carne circūdamur, duplici ignorantia Deum accusat, inquit idē primo vt videatur nescire quod iussit, quasi oblitus fragilitatis humanæ imposuerit homini mādata quę ferre nō possit: deinde proh nefas ascribit iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum eum impossibile aliquid præcepisse conqueritur, & pro his damnandum putat hominē ab eo, quæ vitare non potuit: vt, quod etiam suspicari sacrilegium est, videatur Deus non tam salutem nostram quæsiuisse quam pœnam. Quid pręcipienti opponimus

Digitized by Google

ximus naturæ fragilitatem? Nem... nouit mensuram virium nostrarum, c... qui ipsas vires & naturales & superna... rales nobis dedit, nec quisquam melius quantum possimus intelligit, quam qui ipsam virtutem nobis donare potuit, nec impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus est, nec damnaturus hominem fuit pro eo quod vitare non potuit, qui pius est, vnum atque idem mandatum, si seruetur, vitam, si non seruetur generat morte. Secundum hoc autem quod non seruantibus generat mortem dicitur Ezech. 20. *Dedi eis præcepta & iustificationes non bonas.*

6. ISTVD vnice dolendum, quod cum vniuersæ creaturæ etiam quæ rationis & prudentiæ expertes sunt, Deo obtemperent, vnicum sit hominum genus, *inquit* Orige.ho. 6 in Matt. *Orige.* cui mens & prudentia data est, & non obtemperat. Non mediocris pudor imperio Dei insensibilia parere elementa, & homines non obedire. Dixit semel Deus, *congregetur aqua, & congregata est*, & frequenter dicitur, congregetur populus & non congregatur: diuinæ legi obsequitur piscis dum ad præceptum Domini Ionam euomit, & homo pisce irrationabilior Dei legi contradicit, *inquit Ambr.* Ambr. li. 5. Hexam. c. 10. Reuerentur suum auctorem elementa & à suo se continent impetu: ignis enim licet tantam vrendi vim habeat & ita vehemens sit, teneris tamen corporibus trium puerorum pepercit; homo autem mansuetum animal & benignum contraria suæ naturæ facit, & mores suos in ferinos vertit, dum furorem suum & iracundiam propter mandatum Dei refrenare nescit, sed animam suam, cui a Deo concreditus est principatus quo regere debeat ac moderari corpus, affectionesque corporis omnes, prauorum affectuum seruā facit, dum sub dominatione Dei viuere non vult, sed suus esse mauult. Nonne, inquit Psalmista, *Deo subiecta erit anima mea*: Et causam cur Deo subiici debeat subiungit dicens. *Ab ipso enim salutare meum*, Neque enim tale aliquid est homo factus, *inquit August.* vt deserente eo qui fecit possit aliquid agere bene tanquam de Gen. Aug. lib. 8. de Gen. ex se ipso, sed tota eius actio bona est cōuerti ad eum à quo factus est, & ab eo iustus, pius, sapiens, beatusque semper fieri non fieri & recedere, sicut à corporis medico sanari & abire, non ergo ita se homo debet ad Deum conuertere, vt cum ab eo factus fuerit iustus, abscedat, sed ita vt ab illo semper fiat, ipsius enim præsentia iustificatur, illuminatur & sanctificatur, sicut præsentia solis aer illuminatur, qua absente obtenebratur. Quapropter vbi homo Deo non seruit nec subest, quid in eo putandum est inesse iustitiæ, quandoquidem Deo non seruiens nullo modo potest iuste animus corpori, aut ratio vitiis imperare. *hac August.*

1. POTEST homo considerari, & vt sanus, & vt infirmus: qui sanus est nullam in obseruandis præceptis sentit difficultatem, sunt enim per se facilia, verbi gratia, Præcepit Dominus Adæ in paradiso, *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas*: magna huius præcepti facilitas est, quasi dicat, nihil graue, nihil quod molestum sit à te exigo, omnium vsum tibi concedo, duntaxat ab ista arbore abstineto. Hoc faciebat quasi Dominus aliquis liberalis domum magnam alicui concedens, & vt dominium sibi saluum maneat, paruum censum ab illo dandum præscribit. Sic sane & Dominus noster, *inquit Chrys.* participem omnium quæ erant in paradiso esse voluit, ab vno solo ligno abstinere præcepit, mōstrans re ipsa nullius alterius gratia hoc ipsum se facere, quam vt tantorum beneficiorum auctorem agnoscere possit accepto leni illo mandato. Et certe magna est vtilitas hominis iubenti Deo, etiam incognita ratione iussionis, seruire: iubendo enim Deus vtile facit quicquid iubere voluerit, de quo metuendum non est quod aliquid inutile præceptum sit.

III. Seruitus Christi suauis est, peccati vero grauis.

Chrys. ho. 14. in Gen.

2. SI CONSIDERATVR homo sine gratia & vt infirmus, & diligere proximum vt seipsum,

seipsum, & diligere ex toto corde Deum, & omnia decalogi præcepta ei grauia erunt. Sic enim Petrus loquitur Actor. 15. *Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus?* Aspera est virtus, *inquit Chrysost.* si ad imbecillitatem nostram comparatur, licet in se leuis sit & facilis, iuxta illud Christi, *Onus meum leue est.* Quid manna suauius? nauseabant tamen Iudæi super cibo isto leuissimo, sicut homini magna infirmitate laboranti graue est atq; molestum comedere, ambulare, loqui: quæ tamen omnia homini sano iucunda sunt & factu facilia. Quid fame, & cæteris, quo Paul. perpessus est, laboribus grauius? Gloriabatur tamen ille & gaudebat in infirmitatibus suis. Quid igitur horum causa? animi diuersitas, inquit, quem si qualẽ esse oportet, institueres, facilitatem virtutis dinosceres. Quid ergo pleriq; hanc non eligunt facilitatẽ? quoniam multi etsi credant, satius tamen caducam, quam æternam ducũt voluptatem. *hæc Chrysost.*

Chrys. ho. 14. in epi. ad Cor.

3 QVI MALVM odit, & bonum diligit, legem facilem inuenit. Odit autem malum, *inquit Hieron.* qui non solum voluptate nõ vincitur, sed odit opera voluptatis, & diligit bonum, qui non inuitus aut metu legum facit quod bonum est, sed idcirco quia bonum est hoc ipsum delectat, & hoc est quod Paulus ait ad Roman. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, sic nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Quid est sicut illud ita & hoc? *inquit August.* nisi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido voluptasq; peccati, sic ad iuste viuendum non vos supplicij metus vrgeat, sed ducat delectatio iustitiæ. Et hæc quidem quãtum mihi videtur, *inquit Augu.* nondum est perfecta, sed quodammodo adulta iustitia. Neq; enim frustra præmitteret, Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, nisi quia plus aliquid dicendum fuit, si iam illi ferre potuissent. Plus quippe seruitutis debetur iustitiæ, quam peccato solent homines exhibere, nam pœna corporis etsi non à voluntate, tamen reuocat ab opere peccati. Iustitia vero sic amanda est vt ab eius operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere nõ debeant. Hinc est quod ille fortissimus iustitiæ dilector exclamat, *Quis nos separabit à caritate Christi? an tribulatio: an gladius: Certus sum quod neq; mors,* &c. in his omnibus superabat Paulus, non quia per se hoc poterat, sed per eum qui dilexit ipsum: Caritas enim diffusa erat in corde ipsius, vt diligendo liberaliter & libenter faceret quod oportebat, diligenti autem omne præceptum leue est. Laborant autẽ in Dei præceptis qui ea timendo conantur implere, quia quod quis timore facit, inuitus agit, nihil autem tam facile, quin difficile fiet si inuitus feceris. Perfecta autem caritas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam leuem, non solum non prementem onere ponderum, verumetiã subleuantem vice pennarum. Nec aliam ob causam scriptura commemorat nõ esse grauia diuina præcepta, nisi vt anima quæ sentit illa grauia, intelligat se nondum accepisse vires quibus leuia fiunt Dei præcepta: & oret gemitu voluntatis vt impetret donum caritatis & facilitatis. Nec tamen cum ea grauia sentit, disperando frangatur, sed ad petendum gratiam qua ipsa leuia fiant, cogatur.

Hiero. in 5. c. Amos.

Aug. Epi. 144.

Rom. 8.

4 CVM ITAQVE Dominus mandat tollere crucem, odisse patrem, adhuc autem & animam suam: Ne dixeris, *inquit Bernard.* durus est hic sermo: durus quidem in cortice, sed suauis in medulla: Et solũ vt propheta loquitur psalm. 93. *fingit laborem in præcepto,* non verum autem laborem imponit. Quomodo non fictus labor, vbi nõ labor sed requies inuenitur? sic enim ait Dominus, *Tollite iugum meum super vos & inuenietis requiem animabus vestris.* Qui auaritiæ seruit, graue onus subit & crudeli tyranno subiicitur, qui ingerit in animam hominis graues curas & noxia desideria, quæ mergunt hominem in interitum.

Quan-

Digitized by Google

Quanquam sint qui libenter hanc duram seruitutem amplectátur, & si quis eos hac liberare velit, ægre ferunt & indignantur, in hoc nihil ab insanis differentes, *inquit Chrysost.* Moris erat apud Hebræos vt in septimo anno serui efficerentur liberi, *vt dicitur Deut. 15.* si quis autem amans Dominum suum libertate donari non cuperet, sed in seruitute manere mallet, perforabatur subula ipsius auricula in ianua domus, & in æternum seruire debebat. Qui peccato seruit, verus seruus est, & hanc seruitutem libertati christianæ ij præferunt, qui iniquitatem amant, a qua quia in hac vita recedere non cupiunt, in æternum serui permanebunt.

Chrys. ho. 58 in Mat.

PARS II.

Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Matth. 6.

Summa Articulorum huius Partis.

I. *Boni primum quærunt regnum Dei: mali bona huius mundi.*

II. *Bona temporalia malis bonisq; sunt communia.*

III. *Bona temporalia tam sunt vana, quam transitoria.*

PARS I.

ART. I. [illegible] pri- [illegible] re- [illegible] Dei, mali bo- huius [illegible]ndi.

1. QVARIT Basili. *respon. 8. interr.* An oporteat primum renunciare omnibus, & sic accedere ad conuersati- onem secundum Deum? Et respondet quod sic, eo quod scriptum sit, Luc. 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.* Hinc in baptismo renunciamus diabolo & veteri vitæ & affectibus carnis. Nam cui propter Christum crucifixus est mundus & ipse mundo, quomodo amplius potest esse seruus partium mundi? Qui vehementi cupiditate Christum sequendi tenetur, ad nihil amplius huius vitæ conuerti potest, non quidem ad parentum amorem vbi præceptis Domini contrarius fuerit, cum scriptum sit, *Qui non odit patrem & matrem adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*, & Matt. 13. *Simile est regnum cœlorum homini mercatori quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna margarita pretiosa,* per quam regnum cœlorum intelligitur) *vendidit omnia quæ habuit & emit illam*: Impossibile enim esse, vt mente ad diuersas curas diuisa, recte peragere id cuius studiosi sumus, ipse Dominus testatur dicens, *Nemo potest duobus Dominis seruire*, Necessum est enim mente rebus terrenis veluti sterquilinio affixa, animam aspeculatione Dei alienam esse, & ad concupiscentiam cœlestium bonorum, & eorũ quæ nobis in promissionib. reposita sunt immobilem esse est impossibile.

2 EST AVTEM renunciatio solutio vinculorum temporariæ vitæ & liberatio ab humanis affectionis, & cordis humani ad conuersationem quæ in cœlis est translatio, vt dicere possimus, *Nostra conuersatio in cœlis est.* Et cum neque de ipsis necessariis sollicitum esse permittitur, veluti alimento vel indumento, hinc quæ ratio permittit, vt velut somnis, malis diuitiarum curis detineatur? Notat Chrysost *hom. 48. in Gen.* quomodo Abraham in morte Saræ a filiis Heth possessionem sepulchri empto loco acceperit. Hoc primum principiũ possessionis fecit Patriarcha, *inquit.* Quo monstrat nobis scriptura diuinā virtutem Abrahæ quod toto tẽpore suæ peregrinationis nec tantillum terræ possedeerit: vt mortuum suam sepeliret. Et licet diues esset in auro & argento, in bestiis & similibus mobilibus bonis, ea tamen possidebat tanquam non possideret: cum enim sufficientes diuitias mentis haberet, de aliis non erat anxius. Et Iacob cum pergeret in Mesopotamiam non ministros habebat, non camelos, sed apostolicum morẽ imitatus, *inquit idem*, iter faciebat, & vbi Chrys. ho. 54. in Gen.

nox

nox eum comprehendit lapide pro puluinari vsus est, & super pauimẽtum dormiuit, vnde admirabilem illam visionē meruit. Hoc enim more agit Dominus noster, vt quando videt hominem præsentia non magnifacientem, sed cœlestia quærentem, plurimam ipsius curam sibi assumat. Sic enim ait, *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Credamus ei, & hæc accessoria quasi primaria nō quæramus, sed quæramus illud sicut præcipit, vt & hæc & illud habere possimus. *hæc Chrysost.*

3 NON vult nos Deus proprio studio, sed gratia sua diuites fieri, *inquit idem. Quærite*, inquit, *primum regnū Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*, tanquam diceret, Mihi ista permitte, tu spiritualium tantum curam habe, vt meam potentiam & prouidentiam discas. Quid parua ista miraris, quid ad ista quæ abiectissima sunt inhias? An copiam pecuniæ, soli infinita iugera, magnificas domos, auri pondus immensum, bona vocare non erubescis, quæ eos qui ea possident bonos efficere non possunt? Quinimo vt quis bonus & perfectus fiat, suadet Dominus *Matt. 19.* vt qui bona possidet ea diuendat, & pauperibus elargiatur, sicq; Christum sequatur. *Vade* inquit Dominus, *vende*, non partem substantiæ, sed *vniuersa quæ possides*, nihil ex omnib. metu inopiæ reseruans, *inquit Hieron.* vt possis cum Propheta canere, *Pars mea Dominus.* Sed hoc inquies apostolicæ est dignitatis, & eius qui velit esse perfectus. Cur autem & tu nolis esse perfectus? Bene quidem facis quod Sanctorum vsibus ministres, foueas monachos, Ecclesiis offeras quamplurima, sed hæc rudimenta sunt militiæ tuæ, inquit. Contemnis aurum, cōtēpserunt & multi Philosophi: è quibus vnus, vt cæteros taceam, multarum possessionum pretiū proiecit in pelagus, Abite, dicens, in profundum mare cupiditates, ego vos mergam ne ipse mergar à vobis. Philosophus popularis auræ vile mancipium, totam simul sarcinam deposuit, & tu te putas in virtutum culmine constitutum, si partem ex toto offeras? *hæc Hieron.*

Chrys. ho. 11. in 1. ad Tim.

Hæc Chrysost.

Hieron. epist. 34. ad Iuli.

4 HVIC simile est quod *August.* ait. Qui non cogitat nisi quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, Hæ cogitationes inquit, aurum sunt & lapides pretiosi, quæ superædificat super fundamentum fidei. Porro si circa diuitias suas quodā teneatur carnali affectu, quamuis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid moliretur, aut earum minuendarum vel amittendarum metu in aliquod facinus laberetur, alioquin iam isto modo ab illius fundamenti stabilitate se subtraheret, sed propter carnalem quem in eis habebat affectum talib. bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud fœnum, lignum & stipulam. Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore amittuntur, propterea qui sic ea habent, cum habeant in fundamento fidem quæ per dilectionē operatur, neque huic ista vlla ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum, per ignem quendam doloris perueniunt ad salutem. A quo dolore atque detrimento tanto est quisq; securior, quanto ea vel minus amauerit, vel tanquam non habens habuerit. Qui vero propter illa vel tenenda vel adipiscenda, homicidium vel adulterium & similia quæque commiserit, non propter fundamentum per ignem saluabitur, sed amisso fundamento æterno igne torquebitur. *hæc August.* Cum enim non nisi mortuam fidem in angulo intellectus abstrusam habeat, ea ipsum saluare nequit.

Aug. li. de fide & op.

5 MALI *primum quærunt bona huius mundi.* Sicut filij Ruben, quoniam multa pecora possidebant, dum extra Iordanem campestria concupiscunt eo quod vberrima essent & alendis pecoribus aptissima, in repromissionis terra hæreditatem habuere noluerunt, *vt patet Iosue 3.* Ita *inquit Gregor.* qui multa in hoc mundo possident, habitationem cœlestis patriæ non requirunt, sed tota mente omnique deside-

Greg. 27. moral. c. 7

desiderio rebus periuris inhærent & inseruiunt. Sic enim calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt omnes gentes & ideo commotæ sunt, vt dicitur *Iere.* 51.

Orig. ho. 2. in Iere. Quem locum explicans *Orig.* sic ait, Inebriantur homines terreni concupiscentiis, amore honore, dum iis supra modum excedunt. Nam sicut qui supra mensuram bibit, pedes vacillant, lingua titubat, mês oblita sui Deique sui, officio sui fungi nequit. Si qui de calice aureo Babylonis bibunt, mente debilitantur, instabiles sunt & vacillant, dum semper in turbationib. aguntur incerti: diuitiarũ enim amor insatiabilis est, expleri nescit bonorum cupido, res celerem habituræ finem sine fine quæruntur, & tanto quisque auidior quanto inde plus hauserit, vt potatores solẽt. Nemo ad breuitatem temporis, nemo ad naturæ respicit conditionem, nemo considerat vana esse omnia quæ aliquo fine clauduntur. Numquid propterea in hunc mundum venisti & homo factus

Chrys. ho. 38. in Mat. es, vt aurum accumules? *inquit Chryso.* Non ideo te Deus ad suam imaginem finxit, sed vt futura bene consequaris. vnde recte *ait Hiero.* quod de his tantum sollicitudinem habere debemus & curam quæ nobiscum transferre possumus. Amorant terrena gentiles, quibus cœlestia non debentur, concupiscant præsentia qui futura non credunt. Christianis diuitiæ & hæreditas sit sapientia diuina & diuinitas Christi, vt cum Psalmista dicere possint, *Et à te quid volui super terram?*

6. QVOTQVOT de bonis temporalibus beatos se esse putant, & de iis gaudent,

Aug. li. de agone Christ. hamum accipiunt, *inquit Aug.* & cum illo sibi vagantur: veniet tempus vt sentiant quanta tormenta cum auiditate deuorauerint. Nam gaudet & piscis quando hamũ non videns escam deuorat, sed cum piscator eũ educere cœperit, viscera eius torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes qui de bonis temporalib. beatos se esse

Soph. 1. putant. Nam teste Sophonia *Disperierunt inuoluti argento*, hoc est, *inquit Hiero.* qui tantas habebant opes vt se quasi inuolutos & septos suis diuitiis æstimarent, ira veniente vastati sunt: Difficile enim homines potentes & diuites, qui in suis diuitiis confidunt, credunt Deo. terrena enim cogitantes, cœlestia non requirunt, similes illi fœminæ quæ habebat spiritum in-

Luc. 13. firmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere: sic hi cum terrena semper in animo versent, superna non appetunt. Hoc in se

Psal. 37. doluit psalmista cum ait: *Incuruatus & humiliatus sum vsquequaque.* Si homo sola carnis necessitate cogitaret, incuruatus & humiliatus quidem esset, sed tamen

Greg. ho. 2. in Euã. non vsquequaque, *inquit Greg.* Quem vero a supernis cogitationibus non solum necessitas deiicit, sed etiã voluptas illicita sternit, non solum incuruatus, sed vsquequaque incuruatus est & omnino, vt per cœlestia desiderium se sursum erigere non possit. Hinc meritò exclamat propheta David psalm. 68. *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* tanquam diceret, Nullo modo diuitias appetite, sed si prouenerint, sapientissime & cautissime administrate: Quia qui omissis veris & salutaribus bonis, caduca solum & transitoria quærunt,

Bern. ser. 1. de Adu. similes sunt iis, *inquit Bernar.* qui submersi periclitantur in aquis, & arripiunt quicquid primo occurrit, licet tale sit quod omnino prodesse non possit: sic pereunt in hoc mari magno & spatioso miseri dum peritura sectantes, omittunt solida bona, quibus apprehensis emergere & saluare possent animas suas.

7. DICIT inter cætera propheta Iob. ca. 8. *Tabernaculum impiorum subsistet:* Quia vitæ præsentis & fugientis amatores, dum studiose se suaq; tabernacula in præsentibus figunt, repente, *inquit Grego.* in hunc locum, ad æternas pœnas abripiuntur. Ideo *vani filii hominum*: vt dicitur psal. 6. *mendaces in stateris.* In quem locum

Basi. ho. 15. sic *Basil.* Non omnes, inquit, circa merces versantur, quas stateris ac libris mer-

Google

dicere, Implebo animas esurientium: Sed auaritia aliud suggessit consiliũ, Destruã, *ait*, horrea mea, & maiora faciam vt illuc congregem quæ nata sunt mihi: & dicam animæ meæ, Anima habes multa bona in annos plurimos reposita, bibe, epulare & requiesce. O absurditatem: Si suillam haberes animam, quid aliud quam hoc ipsi annũciare potuisses? Astiterunt animam repetentes, & ille de eduliis cum anima sua disputat: *Hac nocte repetent à te animam tuam*, inquit, & tu in multos annos fruitionem imaginaris. *hæc Basilius.*

4. DICIT Psaltes psal. 72 *Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* Quam pacem? *inquit Aug.* in eum locum. Temporalem & caducam, sed tamen talem, qualem & ego a Deo desiderabam, vidi illos illud habere qui non seruiebant Deo, quod ego desiderabam vt seruirem Deo. Quare autem hoc habent peccatores? quia filii eorum sunt sicut nouellæ plantationes. Ergo non est ista fœlicitas habere filios incolumes, filias ornatas, plena cellaria, abundantiam pecorum, nullam ruinam, nullum clamorem, sed quietem, pacem, abundantiam rerum; Aut debent iusti ista defugere? *inquit Aug.* aut non inuenis domum iusti abundantem rebus his omnibus, plenam ista fœlicitate? Nonne erat domus Abrahæ abundans auro & argento? familia & pecoribus? Nonne Iacob ditatus egressus est de Mesopotamia? Quid dicimus, Non est ista fœlicitas? Est, sed sinistra, temporalis & mortalis. Nolo illam defugias, sed neque dexteram putes. Non enim isti ideo maligni, aut ideo vani, quia istis abundãt, sed quia id quod sinistrum esse debuit, in dextera ponebant: Ideo dextera eorum dextera iniquitatis. Quid autem in dextera pônere debuerũt, Deum & æternitatem: Sinistra vtamur ad tempus, sed dexteram in æternum desideremus, quia scriptum est, *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*: Rursum dicit Sapiens Prouer. 3 *In dextera illius longitudo dierum, & in sinistra eius diuitiæ & gloria.* Non ergo vos vanilo-

Aug. in psal. 143.

quos arguo *inquit Augustinus* quia filii velut nouellæ constabilitæ à iuuentute sua, nec quia filiæ ornatæ vt similitudo templi, nec quia cætera abundantia aderat eis: Sed quare arguo? quia beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Quod ad sinistram erat ad dexteram posuerunt. Sinistra nostra dicitur quicquid temporaliter habemus, *ait Aug.* Dextera nostra quicquid nobis æternum & incommutabile pollicetur Deus.

Aug. in psal. 120.

5. DICITVR de quibusdam, *Dextera eorum dextra iniquitatis*, psal. 144. Eos reprehendit, *ait Augu.* qui sinistram dexterã sibi fecerũt. Qui sunt isti? Omnis homo qui fœlicitatem non putat esse hominis nisi solum in istis temporalibus facultatib. & deliciis, & affluẽtia & copia mundi huius, iste stultus sinistram sibi facit dexteram. Tales illi erant, de quibus dicit psalmus, *Quorum filii vt nouellæ plantationes & filiæ ornatæ vt similitudo templi, promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud.* Non quia à Deo non acceperant etiam quæ temporaliter possidebant, sed quia ipsã solam putabant esse beatam vitam & nihil aliud requirebant. Posset tamen & istam fœlicitatem aliquis iustus habere, sicut & habuit Iob: sed iste pro sinistra illam habebat, non pro dextera: nam dexteram non habebat, nisi apud Deum perpetuam fœlicitatem. Isti autem de quibus dicit Dauid, *Dextera eorum dextera iniquitatis*, nõ hinc eos reprehendit quia his omnibus abundant, sed quia beatum dixerunt populum cui hæc sunt: Qui autẽ nouit quid sit dextera, quid sinistra dicit, *Beatus populus cuius est Dominus eius Deus*, Dicit Dominus Marci 6. *Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera*: tanquam diceret, Quando facis bonum opus, propter vitam ęternã fac: nã si opus bonũ propterea feceris vt terrena tibi abundent, scit sinistra tua quid faciat dextera. Si propter terrenam substantiam solum facis, sinistra sola operatur: si autem propter vitam æternam solum operatus fueris dextera sola operatur: si autem habes intentio-

Aug. in psal. 120.

rem ad vitam æternam, sed surrepit tibi cupiditas vitæ temporalis, vt attendas etiam ipsam quando facis opus bonum, vt hic tibi aliquid retribuatur, miscet se sinistra operibus dextræ, & hoc vetat Dominus, *hæc Augustinus.*

6. Hoc itaque primo curandum, *inquit Gregor.* ne quis temporalia diligat, nec se ideo beatū putet, nec de iis gaudeat quippe q̄ nō ad delectationē, sed ad vsus necessarios cōceduntur, nec in iis fiduciam reponat: nam in rebus fluentibus fiduciam recte solidare, est quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere. In eo sibi gratulatur Iob quod ab his affectibus liber fuerit: sic enim ait: *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea: si lætatus sum super multis diuitiis meis & quia plurima reperit manus mea.* Sunt qui etsi in rebus transeuntibus fiduciam non reponāt, cum tamen eis ad vsus necessarios abunde adsunt, mente tacita lætantur. Qua in re dubium non est, *inquit Gregorius*, quin tāto quisq; minus dolet quod desint æterna, quanto magis gaudet quod adsint tēporalia, & qui minus dolet quod desint temporalia, certius expectat vt adsint æterna. *hæc ille.*

Greg. 22. mor. c. 8.

Iob. 31.

II.

Bona tēporalia tā sunt vana q̄uam trāsitoria.

1. PROPTEREA minus de bonis temporalibus gaudendum, aut in iis fiducia minus reponenda, quia omnia quæ sub sole sunt transeunt, & velut somnium euanescunt. Hoc enim nobis Psalmista innuit cum ait Psal. 75. *Dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*, hoc est, *inquit Augustin.* exponens hunc locum. Quomodo qui videt per somnium inuenisse thesauros, tam diu diues est, quam diu non euigilat, somnium illud eum diuitem facit, euigilatio pauperem, sic transit hæc vita velut somnus, & somno euanescente, vita hac transeunte nihil inuenerūt viri diuitiarum in manibus suis, quia nihil posuerunt in manu Christi, *sic Aug.* Sed & Isaias *ca. 29.* huiusmodi homines qui in hoc seculo delectantur rebus secundis, somniātibus seseq; suo somnio oblectantibus recte comparat, cum ait, *Sicut somniat esuriens & comedit, cum expergefactus vacua est anima eius, sic erit multitudo omnium gentium quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Id quod suo declarat exemplo præpositus pincernarum Regis Pharaonis, qui explicato, sibi a Ioseph somnio, restitutus est pristino suo officio, in quo summum credebat apicē omnis honoris quod Regi calicem dabat. Sed hic somnium erat, *inquit Ambr.* neq; n. somnium illud perpetuum esse poterat: in momento n. cuncta illa prętereunt, & sæpe honor seculi abiit, antequam venerit. Quid enim seculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint secula? Omnis dignitas secularis fragilis ad vsum, inanis ad fructum, vnde cum Sathan omnia regna mundi Christo ostenderet, in momento temporis id fecisse legitur, *Matth.* 4. vbi *teste Amb.* non tam celeritas cōspectus monstratur, q̄ caducę potestatis fragilitas exprimit *hæc ille.*

Amb. li. de Ioseph. ca. 6. & 7.

2. DVM itaque ad præsentia inhiamus, non nisi somnus illudimur, nec diaboli astum intelligimus, qui vmbram obiectat, vt à veritate deturbet, qui insomniis illudit, vt cœlum eripiat, *inquit Chryso.* Dum enim ampla prætoria cōstruimus quo discamus a pueris ludendi gratia casulas ædificantib. vt *idem ait* hom. 24. *in Matthæ.* Quanquam nō tam lusus sit vita nostra q̄ aliquid forte deterius: Non enim tendit ad risum, sed ad intolerabilem dolorem iis qui mores suos mutare nō instituerint. Quod si nec dum perspicimus eorum quæ agimus vilitatem, non est profecto mirandum: nondum n. venimus ad maturitatē virorum: quo cū venerimus intelligemus hæc omnia esse puerilia, *ait Chrys.* Nam & illos, cum ad virilē transimus ætatē, ridere cōsueuimus, ob ea certe ipsa quæ cū pueri essemus, etiā studiose credebamus esse faciēda. Nā & tales aliquādo & lutum sæpe aggerētes nō minus gloriabimur, q̄ hi qui superba gaudent construere triclinia, sed tamē peribant illa & cōtinuo corruebant, verū ne stātia quidē vtilia nobis esse

Chrys. ho. 24. ad Ro.

Digitized by Google

esse potuissent, sicut nec istæ quidem splẽdidæ domus, quæ certe iam cœli ciuẽ capere non possunt, sed neque istis in illis se habitare patientur qui patriam expectat æternã, verum vt nos pedibus ludicra illa ędificiola pleramque destruimus, Ita hæc sapientia illi mentes elaborauerint: & sicut nos paruulos de illa flentes destructione, ridemus. Sic isti quoque viri nobis de hac subuersione mærentibus, non modo rident, sed etiam flent ob ingentia quæ hinc nobis nascuntur mala. Nam vt pueri cum neglectis literis ad casulas construendas, & similes nugas sua studia conuerterint, virgis excipiuntur: Sic nos quoq; quia in his rebus studiũ omne consumimus, cũ à nobis spiritualium exigetur operũ disciplina, nisi quæ reddenda erunt habuerimus parata, horrenda supplicia perferemus. Et hæc quidem quibus nunc dediti sumus cuncta euanescent, quæ vero ex istis pœna sequetur, perpetua erit. *hæc Chrysosto.*

3. IDEM confirmat & *Iob.* cap. 22. cum ait, *Fluuius subuertit fundamentum eorum:* quia *Gregor.* dicit exponens hunc locum, Ipse cursus mutabilitatis statum in eis subruit peruersæ constructionis, à vigore proprio iam deficit, & tamen adhuc transitoria concupiscere non desistit, iamque à pristino robore lassata caro ab ipso quẽ diligit mundo pene repellitur, tamen suo voto obtinere temporalia conatur, agere peruersa non sufficit, sed tamen cogitare, vel quæ non agit, nequaquam desistit. Iniqui enim dum corde transire ad æterna negligunt, & cuncta præsentis vitæ fugitiua esse non intuentur, mentem in amore præsentis vitæ figunt, & quasi longæ habitationis in ea sibi fundamentum construunt, dum enim in terrenis rebus per desiderium solidantur, & sola temporalia cogitent, honores quærant, ac pereuntibus diuitiis inhient, nihil propemodum post hanc vitam requirunt. Quibus iure adaptari potest, quod de Megarensibus dici solet, *Ædificant quasi semper victuri, viuunt quasi altera die morituri*: ita nimirum fruentes gaudiis vitę præsentis, quasi postridie è vita migraturi (auditus enim fruimur his, quibus mox carituri sumus) & nihilominus ita ædificantes & tam firmas domos construentes, tanquam hinc nunquam migraturi.

4. CERTE in his omnibus non nisi telas aranearum texunt sibi. Ita enim loquitur *Hiero.* explicans hunc versiculum (*Anni nostri sicut aranea meditabuntur*) Psal. 89. Quomodo aranea inquit, quasi mittit fila, & huc illucque tota die discurrit, & labor quidem grandis, sed effectus nullus est: Sic & vita hominum huc illucque discurrit: possessiones quęrimus, diuitias appetimus, in regna sustollimur, & omnia facimus, & non intelligimus quia araneæ telam teximus. Intueamur quam dura sustineant homines pro falsis diuitiis, & vanis honoribus. Nonne de quodam nobilissimo patriæ patricida Catilina seculariũ literarum loquuntur auctores, quod famem, sitim, frigus ferre poterat supra quã cuiquam credibile est? Si ergo tãta suffert anima vt possideat vnde pereat, quanta debet sufferre ne pereat? Dura iubet auaritia vt mare transeas, vt ventis procellisque te committas, & obtemperas, Iubet Dominus vt ante ostium tuũ ex eo quod habes, des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonũ, & strennus es ad transeundum mare, quia auaritia iubet, seruis, *inquit August.* & quia Deus iubet, detrectas. Non aurum domi congregas, sed quod immensis opibus pretiosius est, misericordiam & benignitatem auri loco in animam introducas, *inquit Chrysost.* Eam enim fiduciam erga Deum nobis præstabat, illud autem confusionem parat, & certe multo laudabilius est benignitate, liberalitate & misericordia euehi, quam auro atque argento circumdari. Aug. 7. Psal. 128. Chrys. ho. 24. Rom.

5. RECTE *Gregor.* explicans verba Iob. cap. 7. *Menses habui vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* In hac vita, *inquit*, quædã sunt laboriosa, sed non vacua, quędam vacua sed non laboriosa, quędam vero vacua simul & laboriosa. Amore con- Greg. 8. mor. c. 7.

ditoris præsentis vitæ tribulationibus exerceri, laboriosum quidem est sed vacuum non est, quia remuneratio subsequitur quæ cordis desiderium exatiet: Amore autem seculi voluptatibus solui, vacuũ quidem est, quia animum non explet, sed laboriosum nõ est: Sed amore seculi aduersa pati & vacuum est & laboriosum, quia & aduersitate premitur, & remunerationis præmio non repletur. Et in eo locum habet quod Eccle. ait, *De stercore boum lapidatus est piger*: Qui enim ab amore æternæ vitæ frigescit & pigrescit, *inquit Gregorius* quoties rerum temporalium, quos Sancti tanquam stercora arbitrantur, damno affligitur, toties de stercore boum lapidatur, & quanto magis terrena diligit, tanto priuari eis vehementius pertimescit, sine dolore enim non amittitur quod cum amore possidetur.

Eccl. 20. Greg. 18. mor. c. 13.

PARS III.

De Auaritia.

Non potestis Deo seruire & Mammona. Matth. 6.

Summa Articulorum huius Partis.

I. *De bono vsu & abusu diuitiarum.*
II. *In diuites auaros ex Basilio oratio inuectiua.*
III. *An absque peccato possit quis thesaurizare.*

Art. I. De bono vsu & abusu Diuitiarum.

1. NON de nihilo est quod Paulus ait ad Timotheum, *Radix omnium malorum cupiditas est: nam qui diuites volunt fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem*, vt enim arbor per suam radicẽ suum ad sese è terra attrahit alimentum, sic homo auarus per suam cupiditatem insatiabili quodam desiderio ad se rapit & trahit bona terrena quibus nutritur & viuit. Porro cum bona terrena vitæ humanæ sustentandæ sint necessaria, ea sub certo moderamine prout vsus & necessitas postulat, appetere, non est illicitum, nec peccati rationem inuoluit, sed in eo peccati ratio constituitur quod auarus modum excedat, aut quia plura appetat quam sui status ratio postulat, aut quia plus iusto iis afficitur quæ possidet etiamsi dumtaxat necessaria possideat ac habeat. Dum autem amor diuitiarum eousq; excrescit vt eas quis plus quã proximũ amet, mortale peccatum committit, *inquit Thomas*: Quod tunc contingere existimat, dum quis proximũ in magna necessitate cõstitutũ videt, cui propter tenacitatẽ succurrere non vult etiam cum possit. Tale quid & Ioannes innuere videtur cum ait. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere & clauserit viscera sua eo, quomodo caritas Dei manet in eo?*

S. Tho. 2. 2. q. 118. art. 1.

1. Ioan. cap. 3.

2. MULTOS videas qui diuites simul & miseri esse malunt retentis diuitiis, quam pecunia impensa fœlices fieri. Cum enim diuitiæ in se non habeant vt multiplicatæ sibi cupiditatem tollant, sicut potu appetitus bibẽdi extinguitur, & cibus fami medetur, auaritiam enim neque aurum exsaturat, neque auctis opibus imminuitur, sed diuitiis competit quod in imperitos medicos dici solet, Tuum remediũ morbum grauiorem facit, quantumuis enim habeant multa auari, plura semper desiderant, tanquam si quis multa comedens, multa bibens, nunquam saturaretur, qui vero continenter bibens sitire non desinat, non impletione sed purgatione censemus opus habere; Sic auarus nisi euellat ipsam cupiditatem nunquam desinet superuacanea appetere, appetitus autẽ huiusmodi cum insatiabilis sit, hominem miserum facit & affligit, tanquam si quis perpetuo fameat aut sitiat. Peculiare etiã est cupiditati diuitiarum quod ea pugnet contra sui impletionem: auarus enim ob amorem pecuniæ pecunia abstinet: sed nemo obsoniorum cupidus propterea ob-

sonio

sonio abstinet. Ideo omnis auarus miser & insanus: cogit eum auaritia parare multa, frui prohibet, & concupiscentiam cum excitet, voluptatem adimit, ad nullam enim rem vtitur bonis vndique magno sudore conquisitis. Dixerit fortasse aliquis, liberis eos & hæredibus thesauros congerere, qui vero? quibus viuentes nihil dant, nisi quod eos malis moribus & cupiditatibus imbuant: Auaritiam enim quasi arcem tutandæ hæreditati aptissimam in animis eorum extruunt. Talia enim sunt quæ docent ac præcipiunt, lucrare & parce: tanti te esse crede, quantum est quod possides. Et quidem dignam disciplinæ suæ mercedem hi filii parentibus exoluūt, non amantes quod multa accepturi sint, sed infensi iis quod non iam nunc accipiunt: cū enim didicerint nihil aliud admirari quam diuitias, neque alium finē propositum habere vitæ quam multa possidere, parentum vitam suæ impedimento esse existimant.

3. SVNT qui diuitiis non vtuntur, sunt qui iis abutuntur: neutri recte, nam neque illis sua vsui sunt, & his damnum præterea ac dedecus adferunt, locupletem te dicis ac diuitem, & vtēdum putas iis quæ possidere te Deus voluit: vtere, sed ad res salutares, *inquit Cyprianus* vtere sed ad bonas artes, vtere, sed ad illa quæ Deus præcepit; diuitem te sentiant pauperes, patrimonium tuum Deo fœnera, Christum ciba vt ad Domini præmia venire contingat, & hoc ipso delinquis in Deum, si ad hoc tibi ab illo diuitias datas credis, vt illis non salubriter perfruaris. Nam & vocem Deus homini dedit, & tamen non sunt idcirco amatoria cantāda nec turpia. Alioqui tentatio est patrimonium grande nisi ad vsus bonos sēsus operetur, vt patrimonio suo vnusquisque locupletior magis te diruere debeat quā augere delicta, iuxta illud Sapiētis, *Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ*, vnde & diuitē stultū seculares copias cogitantem redarguit Dominus, vt qui abundantiam victus cogitabat cui vita iam iam defutura erat *Hac nocte*, inquit, *repetent animam tuam*. Quod igitur aliquando per necessitatem amittendum est, pro æterna remuneratione sponte in pauperes Christi erogandum est. hæc *Cypri*. Hæc vt ignauis grauia, ita forti animo præditis leuia sunt. At inquies, sic nemo opes cumulabit? ergo nec animæ detrimento afficietur male colligens, *inquit Nazian*, atq; eo plura quotidie assumere studens quo plura iam adeptus sit: huiusmodi quippe diuitiarum morbus est, vt finem appetendi plura nesciat, sed sitis medicinam in perpetuo potu sitam esse arbitretur. Præstat moribus diuitem esse quam opibus, nam firmitatis nihil habent opes, maris similes profecto fluctibus motu leui, quos ferri in altum cernimus & cito labi, sic mentes auaras ludere solet census, & modo illis fauere, modo istis, infidæ sequens meretricis astus, quæ procos fallax suos, hunc hoc, & illum dispari ludit modo. Si diues sis moribus vt placidus sis atque humilis, continens, dulcis, grauis, strenuus, iustus, sapiens, castus & fortis & pius, thesaurum habebis prædo quem non auferat. *hæc Gregorius Nazianzenus*.

Cypria. de disc. & habi. virgin.

Prou. 8.

Luc. 12.

4. QVID tam conueniens fidei ac pietati quam egentium iuuare paupertatem & fraternis necessitatibus subuenire? *inquit Leo*. In quo opere quantum quis possit, quantumque non possit solus ille veraciter discernit, qui nouit quid quibusque contulerit. Non solum enim spirituales opes & dona cœlestia Deo donante capiūtur, sed etiam terrenæ & corporeę facultates ex ipsius largitate proueniunt; vt merito rationem earum quæsiturus sit, quæ nō magis possidenda tradidit, quam dispensanda commisit. Muneribus igitur Dei sapienter vtendū est, ne materia boni operis fiat causa peccati. Nam diuitiæ quidem quantū ad ipsas species earum atque substātias pertinet bonæ sunt & humanæ societati plurimū prosunt, cū à largis possidentur & beneuolis, nec illas aut luxuriosus prodigit, aut auarus abstrudit, vt tam pereant male reconditæ, quam insipienter

Leo. ser. 5. de col. & eleemo.

ter impensæ. Quamuis autem laudabile sit intemperantiam fugere, & turpium voluptatum damna vitare, multique magnifice dedignentur facultates suas occulere, & in copias affluentes vilem atque sordētem horreant parcitatem, non est tamen talium aut fœlix abundantia, aut probanda frugalitas, si ipsis tantum propriæ opes seruiunt, si eorum bonis nulli iuuantur pauperes, nulli fouentur infirmi. Huiusmodi diuites egentiores sunt omnibus egenis: perdunt enim illos redditus quos possunt habere perpetuos, & dū breui nec semper libero incumbunt vsui, nullo iustitiæ cibo, nulla misericordiæ suauitate pascuntur, foris splendidi, intus obscuri, abundātes temporalium, inopes æternorū, quia ipsi animas suas afficiunt fame & nuditate dehonestant, qui de eis quæ terrenis horreis commendarunt, nihil thesauris cœlestibus intulerunt.

5. SED forte sunt aliqui diuitum qui licet nullis largitionibus pauperes ecclesiæ soleant adiuuare, alia tamen mandata Dei custodiunt, & inter diuersa fidei & probitatis merita venialiter sibi æstimant vnam deesse virtutem, verum hæc tanta est vt sine illa cæteræ, etsi sint, prodesse non possunt: Quamuis enim quis fidelis sit & castus & sobrius, & aliis moribus ornatus insignibus, misericors tamen si non est, misericordiam non meretur. Quid enim in die iudicii sinistris obiicietur nisi neglectus dilectionis, duritia inhumanitatis, & pauperibus misericordia denegata? & in quo laudabuntur qui ad dexteram stabunt nisi in operibus misericordiæ quę Dominus sibi impensa reputabit, quia qui naturam hominis suam fecit in nullo se ab humana humilitate discreuit. Quoniam igitur in illo magno summoque iudicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum & pro summa omnium commissorum, & per vnum donum isti introducantur in regnum æternum, & per vnū malum illi mittantur in ignem sempiternum, nemo de vllis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera caritatis: eleemosynæ enim peccata delent, & pœnam perpetui ignis extinguūt, sed qui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentia retributionis alienus, dicente Salomone Prou. c. 21 *Qui obturat aures ne audiat imbecillem, & ipse vocabit Dominum & non erit qui exaudiat eum.* vnde Tobi. filium suum præceptis pietatis instituens. *Ex substantia*, inquit, *tua fac eleemosynam & nullo modo auertas faciem tuam ab vllo paupere, ita fiet vt nec à te auertatur facies Dei.* Hæc virtus omnes facit vtiles virtutes esse, quæ ipsam quoque fidem, ex qua iustus viuit, & quæ sine operibus mortua nominatur, sui admixtione viuificat, quia sicut in fide operum ratio est, ita & in operibus fidei fortitudo *hæc Leo*, Tob. 4.

6. IDEM *serm.* 10. *de ieiunio* hæc habet. Efficacissima est ad exorandum Deū postulatio, cui pietatis opera suffragantur: Quoniam qui suum ab inope non auertit animum, cito ad se Domini conuertit auditum, dicente Domino, *Date & dabitur vobis.* Quam cito diffidentiæ sollicitudo & auaritiæ est amputata cūctatio, vt quod reddituram se promittit veritas secura expendat humanitas. Constans esto Christiane largitor da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas: Noli metuere dispēdium, noli de dubio suspirare prouentu, substantia tua cum bene erogatur augetur, & concupiscere iustū misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari cōmercium. Infidelis autem & iniquus est etiam sibi qui quod æstimat diligendū, nō vult habere perpetuum. Quantalibet adiiciat, quantalibet congreget, inops de hoc mundo & egenus abscedet, dicente Paulo, *Nihil intulimus in hunc mundū, & haud dubie nihil etiam inde auferemus.* Sed iniusta & impudens auaritia quæ beneficium se dicit præstare cum decipit, & vsurarum arte ditescit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepide paciscenti, dumque certiora existimat præsentia quam futura, merito Luc. 6.

in

in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniusti lucri non iniusta causa sit damni, quisquam per aliena cupit damna ditari, æterna dignus est egestate puniri. vos autem qui Deo promittenti creditis, fugiẽtes auaritiæ lepram immundissimam, donis Dei sapienter vtimini: & quia multis quæ vobis supperunt desunt, in eorũ indigentia vobis materia data est diuinæ bonitatis imitandæ, vt per vos & in alios diuina beneficia transirent, & bene dispensantes temporalia, acquireretis æterna. *hac Leo.*

II. In diuites auaros inuectiua. Basi. hom. 6. in diuit. auaros. 1. SED cur abundauit ager hominis nihil boni ex copia facturi? vt maior appareat benignitas Dei, *inquit Basilius*, quæ etiam ad indignos atque ingratos vsque se extendit. Huius n. diuitis, *Lucæ 12.* fruges per fertilitatem multiplicauit: & qualia eius facta fuerunt? nulla in proximum liberalis collatio, neque enim quæ supererant egentibus distribui oportere putabat, neque scripturam clamantẽ audiebat, *Frange esurienti panem*: sed cũ horrea multitudine fructuum dirumperẽtur, & antiquis noua superaddere, & annuis prouentibus copiam augere studeret, in hanc inextricabilem incidit mẽtis inopiã & perplexitatem, vt nesciret quid agere deberet, *Quid faciam*, inquit, *quia non habeo quo fructus meos congregem.* Quis non misereatur sic misere curis obsessi? ipsa fertilitate miser erat: quantam enim fructuum copiam congregabat, tantas curas & anxietates sibi parabat, vt terra fertilis ei non fruitionem annui prouentus tulerit, sed dolores & curas produxerit: & quod cæteros lætitia solet perfundere, id macerat & torquet auarum: metuit enim ne his quibus affluit & abundat in egenos cogatur nonnihil conferre subsidii. Hæc miser benefactori rependit: Agnosce ô homo eum qui dedit & qua gratia acceperis: memento te Dei ministrum ac dispensatorem bonorum tuorum, ne putes omnia ventri tuo præparari; potius quæ in manibus habes vt aliena existima: paruo te exhilarabunt tempore, deinde diffluentia præteribunt, quorum ratio abs te acriter exigetur. Tu quidem sollicitus es non quo pacto cuique ea quæ necessaria ad vitam sunt, dispertiatis, sed quonam modo omnibus ad te retractis omnes eorũ prius vtilitate, & attende quã imprudenti vsus fuerit consilio diues ille epulo, eadem nocte auferenda illi erat anima & ille multorum annorum delicias sibiipsi imaginabatur. Caue ne idem tibi quoque vsu veniat. Hoc namque scriptum est in doctrinam nostram, vt non auare recondas sed in necessitates pauperum eroges. Dedisti esurienti? tibi consuluisti: quod dedisti ad te cum augmẽto recurretur: vt enim frumentũ in terram cadens lucrum proiiciendi parit, sic & panis in esurientẽ proiectus, multam tibi in posterum reddet vtilitatem. Seminate, inquit, vobis ipsis in iustitia: quid quæso infœlicem te reddis diuitias tuas laqueis, idibus includens. *hac Basilius.*

2. PERGIT ibidem *Basil.* Quod si diuitias ob honorem inde prouenientẽ admiraris, considera quanto ad gloriam magis faciat multorum filiorum parentẽ appellari, quam mille aureos in marsupio repositos habere: pecuniam enim hic vel nolens relinques, honorem vero ex benefactis ad Dominum referes, & ob bonam administrationem rerum corruptibilium præmia dabuntur æternæ gloriæ. Ne graueris igitur necessariis vsibus te benignũ reddere, & noli annonæ caritatẽ ad horrea tua aperienda expectare: nam qui auget pretium annonæ publicæ execrationi obnoxius redditur, iuxta quod Sapiẽs ait, *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.* Prou. 11. Noli ob vtilitatem priuatam, communem inediã affectare, ne per occasionem cumulandarum opum, iram in te accersas Dei dũ fine fructu nulli cõmodus, nulli beneuolus existis. At inquies, Sibi existit bonus & beneuolus auarus: audi n. quæ secum dicat: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, epulare. O verba demẽtia plena. Nam

Nam si porcinam habuisset animã, quid aliud ipse enunciare potuisset? Itane pecuinus tu, itane bonorum animæ ignarus eam vt excipere velis carnalibus epulis? & quæcumque alui recessus recipit, animæ destines? & ventrem Deum habeas? & vt habeas, num vita suppetet? *Hac nocte*, inquit, *repetent animam tuam, & ea quæ praparasti cuius erunt?* Tu vitam longam tibi polliceris, qui nunc iam iam ad æternum supplicium abripiendus eris.

3. DEINDE subdit idem *Basilius*, Esuriens fame absumitur, & nudus frigore rigescit, at auarus rogatu difficilis & durus occursus pauperum vitat ne forte aliquid vel modicum è manibus coacto exeat: vnam tantum nouit vocem, Non habeo, non possum dare, nam & ego pauper sum, & egeo. Certe bene dicit, vere enim pauper est & caritate & animo vt ne ea quidē quæ facile corrumpuntur inopi dare valeat. Dixeris, Cui facio iniuriā si mea retineo & conseruo? Dic mihi quæ illa tua? Nihil in hunc mundum intulisti, sed nec hinc quicquam auferes. Hæc bona præsentia tibi vnde? si ex Deo dicas, vt dicere cogeris & debes si verum fateri velis: Dic mihi quam ob rem hæc sortitus es? Cur tu diues & ille pauper? profecto non ob aliā causam, nisi vt tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille vero patientiæ maximis præmiis honoretur. Tu vero insatiabilis auaritiæ nulli quicquam das, & neminem te lædere dicis? Esurientis est panis quem tu retines, nudi est vestis quam in arca custodis; egentis argentum quod tu terræ infossum possides, tuo vnius vsui adiudicans quod ad communem vsum omnium datum est. Quod si tantum quisque vsurparet quantum ad propriæ necessitatis solatium faceret satis, superfluum vero egentibus tribueretur, profecto tum demū impleretur quod mandatū est. *Diliges proximum tuū sicut teipsum.* At incertum est, inquis, quid futurum sit: necessitati quę nos quandoq; vrgere possit, prouidēdum est: quasi vero thesaurus defossus futuræ necessitati subuenturus sit, qui præsenti subtrahitur & non subuenit: hanc n. auarus ferre mauult quam pecuniā suam erogare: tanquā hæc vnica ei voluptas sit multas possidere diuitias etiamsi nullus earum vsus sit. At dices necessarias esse opes liberorum causa. Perbelle tu quidē auaritiam tuā hoc nomine velas ac tegis, *ait Basil.* liberos quidē prætendis, cor vero auaritia plenū geris; ne obsecro culpam transferas in insontē. Quis vero sponsionem faciet filium tuum rebus datis ac relictis, recte vsurum? multis enim diuitiæ se ministras præbuerunt ad intemperantiam, vide igitur ne eas diuitias, quas magno cū labore congessisti, aliis veluti materiem quandā des peccandi: & ne deinde binas pœnas pendas, tum ob ea quæ ipse perperam fecisti, tum ad quæ perpetranda campum alteri suppeditasti. *hactenus Basil.* Basil. orat. 14. de diu. & pau.

4. IDEM *hom. 7. in diuites auaros.* Sunt homines nonnulli, *inquit*, qui cætera quidem mandata obseruant, ad bonorū vero suorum erogationem claudicant. Vidi ego multos ieiunantes, *inquit*, orantes, præteritorum pœnitentia suspirantes, omnē deniq; sine sumptu pietatem ostendentes, egētibus vero ne obolum quidem præbentes. Quid his cætera virtutum diligentia prodest? Nunquid propterea regnum Dei cōsequentur? cū Dominus dicat *difficilius esse diuitem intrare in regnum cælorum, quam camelum per foramen acus.* Hoc testimonium validum: qui testatur verus: persuasi vero pauci. Neq; sane secūdum voluptatē, sed secundū necessariam dispēsationem, diuitiarū vsum, siquidem prudenter iudicare voluerimus, æstimare conuenit. Alacri animo das aurū vt equos possideas, eosq; phaleris ornes, cur id regno Dei cōparando nō adaptas? parietes vestis, & fratrem laceris amictum pannis & nudū relinquis. Qui fines necessarios transeunt, similes mihi esse videntur illis qui à recta via aberrant, qui cum non habeant locum fixum, nusquam subsistunt, sed ab errando in infinitum feruntur: sic auari quanto plura acquisiuerint, tanto plura

plura expetunt, decem talenta congessit, alia decem addere studet: Quid vero amentius esse potest quam semper bibere, & bibendo sitim non restinguere sed augere? Non ob ea quæ possidet auarus, lætatur, sed ob ea quibus caret, in quæ inhiat, angitur: & quanto diuitiæ plus accrescunt, tanto plus curarum adferunt. Canis latrat, auarus furem esse putat qui direpturus omnia aduenia t, & quemlibet vt insidiatorem suspectum habet: mus fortassis rodit ne panem simul cum frumento absumat, auar⁹ metuit: & si pauper occurrat, studiose eum fugit veritus ne quippiã ei elargiri vel inuit⁹ præ pudore cogatur.

5. IDEM *in cap. 2. Isaiæ*: Animæ quidem Deum pie colenti occasionem suppeditãt diuitiæ bene merendi de proximis: Eædem vero voluptatum consectatori, ac studioso curandi corporis, compendium sunt ad intemperantem luxum, & velim secum reputent diuites isti, *inquit Basilius* qui toti incumbunt cumulandis opibus, quam pro immodica sua opulentia & facultatum copia rationẽ reddere possint, cum talia admisisse deprehendentur quæ peracri animaduersione digna sint, pro quibus quæso meritis mercedem exiget? qualis enim actio talis etiam merces pro operib. debetur. Quam autem vtilitatem homini locupleti mortem tandem oppetenti afferunt diuitiæ? cum eas nec secum auferre possit, nec quicquam aliud ex vsu earum lucrifacit, excepto quod anima ipsius in hac vita ab adulatoribus delinita & beata prædicata sit, ipsi autem hinc excunti præter afflictam memoriã insatiabilis auaritiæ ac laborum quos in colligendo consumpsit, nihil residui remanebit. Nam ex hac vita decedens, licet sexcenta quis terræ iugera possederit, omnia profecto hic relinquet, vix vnum indumentum capiet quod corporis nuditatem tegat. Optimum autẽ id fuerit iuxta mãdatum Domini vt quicquid vltra naturalem necessitatem habemus, id in beneficium alterius cõferamus, sic enim ait Dominus apud Lucam, *Veruntamen quod superest date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis*: & Paulus, *Vestra abundantia illorum suppleat inopiam, vt & illorum abũdantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas sicut scriptum est. Qui multum non abundauit, & qui modicum non minorauit.* Quinimo, *inquit Basilius*, etsi in vno solum pane totus victus consisteret, & præ foribus staret, qui peteret, profecto ex penu illum vnum panem, & imponẽs eum manibus, ac iis in cœlum sublatis, dicito orationẽ miserabilẽ simul & mitem, vnus panis tantum mihi est, quẽ cernis Domine, & periculum manifestũ impendet, sed ego tuum præceptum meo periculo antepono, & ex pauco præbeo fratri esurienti: da & tu seruo, qui est maximis in angustiis: noui tuam bonitatem, confido etiã tuæ potentiæ, non in diem tu proferas ac producis gratiam tuã sed dispergis quando vis dona tua. Quod si ita dixeris ac feceris, ille panis quẽ maximo cũ luctu præbuisti, existet semen segetis, atq; multiplicem fructum gignet. Tu vero dicis quod proximũ tuũ diligis vt teipsum. verũ id quod à Domino dictũ est redarguit te & declarat quam longissime abesse te à caritate: Si enim tantum largitus es vnicuiq; quantum tibiipsi, vnde tibi hęc tanta pecuniarum vbertas? quod si charum haberes fratrem, iamdiu cogitationem subueniendi eius necessitati suscepisses, nunc vero cum nihil eroges, videris pecuniam tuam pluris facere, quam salutem fratris tui. *hac Basil.*

Luc. 11.

Basi. orat. 13. de eleemo.

1. QVÆSIERIS forte, An non possit quis absque peccato thesaurizare? Respondet *Nauarrus* si id faciat, prouidẽs futuræ necessitati aut suæ aut suorum sibi commissorum, vt si filiæ sint matrimonio iungendæ, aut filii ad gradum altiorem promouendi, vtpote ad sacerdotium, aut licẽtiam, aut doctoratum, aut alia munia honesta & necessaria ad quæ sine magnis sumptib. promoueri non possint, tũc si in istã necessitatẽ aliquid seponat, prudẽter facit. Sic Ioseph prouidit Ægypto de frumento,

III. An absq; peccato possit quis thesaurizare.

Gen. 41. miento, sic & Paulus ait 2. Cor. 12. *Debent parentes filiis thesaurizare & non filii parentibus: sic* & Dauid 1. *Parali* 22. Salomoni magnum præparauit thesaurum pro cōstructione templi necessarium. Sic puto licitum esse, *inquit Godscal.* vt quis reponat certam pecuniæ summā iuxta status sui qualitatem pro futura necessitate quæ obuenire posset aut ex graui morbo & diuturno, aut ex annonæ caritate vel alio infortunio: modo per huiusmodi accumulationem pecuniæ, aut collectionē frumenti nō prætermittat quis subuenire præsenti egenorū necessitati. Cauendum enim vnice ne sub prætextu prouisionis faciendæ ob futuram necessitatem tegat quis & palliet auaritiam suam: quod tum censetur facere dum thesaurū accumulat vt pecuniæ fruatur amore, & etiamsi vili ac detrita veste incedat, aut frigeat, vel esuriat, non permittit domina auaritia cuius seruus effectus est, vt vel obolum in vsum necessarium expendat: hanc enim mercedem suis seruitoribus rependit vt quo fidelius & diligentius ei inseruierint, eo minus gratiæ apud ipsam ineant & minus mercedis percipiant, iuxta id quod vulgo dicitur, *Auaro tam deest quod habet quam quod non habet.*

7. VNDE cum quidam auarus omnia bona sua vendidisset & auream glebam fecisset in loco quodam infodit vna defosso illic & animo suo, atque quotidie eundo ipsam inuisebat, obseruauit quidā & defossam glebam abstulit. Post hæc & ille profectus & vacuum locum videns, misere eiulare & capillos euellere cœpit. Hunc cum quidam vidisset sic plorantem & causam audisset, Ne sic inquit, tristare, neque enim habens aurum habebas, quia nihil est possessio nisi vsus adfuerit *Si quis amat cytharas emptas comportet in vnum,*

Nec studio cythara nec musa deditus vlli.
Anne dicetur merito delirus & amens?
Dic quæso, quicumque sapis, quid discrepat iste,
Qui nummos aurumque recondit nescius vti
Compositis metuensque velut contingere sacrum.

Sic enim auaritia suis imperat in quos dominatur, sicq; instituit suos, vt rebus collectis vel omnino non fruantur, nisi quod eas oculis cernant, iisque gaudeant velut pictis tabellis, sic enim auarus apud Horatium inquit *Populus, me sibilat, at mihi plaudo ipse domi simul ac nummos contemplor in arca:* cui conforme quod Ecclesiastes ait, Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas: & quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis? vel vix quicquam gustare audeant, nisi cum corrumpi incœperint. Mucescat panis, inquit auarus, & non vescatur eo egenus. Quid mihi igitur suades vt faciā? viuam vt helluo qui omnia absumam? Nequaquam: neque enim cum te vetat scriptura fieri auarum, nebulonem te vult esse: *Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines.* Quos vltra citraque nequit consistere virtus: Morbo laborant nedum auari, sed & prodigi, nec enim continuo sanus qui non sit auarus. *Seruius Oppidius,* inquit Horatius, *natis didisse duobus*

Fertur, & hoc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: postquam te talos Aule nucesque
Ferre sinu laxo, donare & ludere vidi:
Te Tyberi numerare canis abscondere tristem,
Extimui ne vos ageret vesania discors.
Tu nomentanum, tu ne sequerere cicutam.
Quare per diuos oratus vterque beatos:
Tu caue ne minuas, tu ne maius facias id Quod satis est.

Quid enim referat intra naturæ fines viuenti iugera centum an mille aret? nam.

Milia frumenti tua triuerit area centum,
Non tuus hinc capiet venter plus, quam meus: ergo
Dum ex paruo nobis tantundem haurire relinquas.
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris.

8. O HOMO

Hæc Au-gust. 8 O HOMO, *inquit Aug.* qui temporalibus inhias diuitiis nec est finis acquisitionis earum, memor sis æternarum diuitiarum cœlestis patriæ, quarum verus es hæres, & eris possessor verus nisi eas per has temporales diuitias, quibus cor apponis, amiseris, quæ non solum momētaneæ sunt atq; caducæ, sed & mendaces atque fallaces. Promittunt enim quod non præstant, neque efficere possunt: dominium promittunt & seruitutem inducunt: securitatem pollicentur, & timorem inuehūt: delitias tibi addicūt, sed velut spinæ curis ac sollicitudinib. animam pungunt & lacerant: vitæ longæuitatem ab iis expectas, & momentaneum erit quod viues: satietatem te habiturū per eas existimas, & te vacuum & inanem reperies. Sic enim nos

Luc.12. Luc. docet, cum ait illediues, *Anima habes multa bona reposita in annos plurimos*: en vitæ longæuitas sed fallax, quia subiungitur, *Hac nocte repetent à te animam tuam*: ecce vitæ breuitas. *Commede, bibe epulare & requiesce*, ecce, quies, suauitas & satietas: Sed dum subiungitur, *Ea quæ præparasti cuius erunt?* loco sacietatis subsequitur vacuitas & nuditas. Fit interdum quod diuites huius seculi in mensa conuiuātes aut in lectis quiescentes & lasciuientes, subita morte hinc abripiātur, & diuitiæ in malum Domini sui reseruatæ ad alienas manus deueniunt. Et quid tum prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? *Est veluti qui esuriens somniat quod comedat, & cum expergefactus fuerit, vacua est eius anima*, inquit Isa. Ita viri diuitiarum cum surrexerint de somno præsentis vitæ nihil inuenient in manibus suis, viros diuitiarum vocat hic Psalmista, qui iis seruiunt & vti nesciunt, quibus eorum animus inhiat quia vacuus est cœlestibus donis, cogitur panem mendicare alienum, quia oblitus est comedere suum: viri diuitiarū igitur, quia toti illi addicti, & non tanquam Domini eas dispensant, verum tanquam serui eas repositas custodiunt. Si Deus eas conseruari vellet, *inquit Chrys.* non tradidisset illas hominibus erogandas, sed sineret in terra iacere: nunc autem voluit diuites facultates suas secundum mandata sua dispensantes, hoc modo & peccata sua redimere, & regnum cœlorum promereri. Poterat quidem Deus alere pauperes etiam sine hoc quod nos misereamur eorū, sed id noluit, ne nos nostræ dispensationis mercede frustremur.

Isa.29.

9 CVM ITAQVE dicitur, *Facilius est camelum per foramen acus transire quam diuitem intrare in regnum Dei*: Diues hic Luc.18. computatur, *inquit Chrys.* non quia diuitias habet, sed quia amat, & habere desiderat etiam quas adipisci non valet. Nam vt bene, *Cyrill. notat.* Sicut non omnis quem premit paupertas, beatus est, (quanquam scriptum sit, *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*, sed qui mentem gerit non Luc. 6. cupidam terrenæ substantiæ vt affectum promptum & expeditum habeat erga maiora) plures enim pauperes sunt in substātia, auarissimi tamen secundum affectum, quos nō saluat paupertas, sed affectus dānat, quia nihil quod sit inuolūtarium beatum facit, eo quod omnis virtus libero designetur arbitrio. Itaquanquam dictum sit Luc.6. *Væ vobis diuitibus*, non omnes qui *diuitias* habēt miseri sunt, habuit enim & Abraham & Iob: sed qui in iis suam consolationem habent. In pecuniariis copiis sunt quidē plurima lenocinia delictorū, sunt tamen nonnulla etiam incentiua virtutum: & quanquam commendatior sit pauperis tolerantia, quam diuitis liberalitas, tamen non eos qui diuitias habent, sed eos qui vti his nesciunt, aut non nisi abuti sciunt, sententiæ cœlestis authoritas damnat. Non cēsus igitur, sed affectus in crimine est, *inquit Ambr.* Et in his non tam attendendum est cuiusmodi illæ res sint, sed quantum illæ nobis cordi sint. Nonnunquam enim contingit vt ad parua & vilia quædam nonnulli non mediocriter afficiantur, & in parua colligenda pecuniæ copia non parua interim exerceatur auaritia: quamuis enim exigua res sit, si grandi & immoderato eam

complectaris amore, Dei amorem à te excludes.

10 AVARITIÆ antidotum est paupertas volũtaria, qua quis relictis bonis propriis viuit de alieno. Huius formam Christus suo instituit exemplo, qui cibos ab aliis oblatos suscipere solet, non quod alieno ministerio indigeret, qui ita diues est vt det escam omni carni, sed vt deferentes meritum consequerentur, & ne paupertas iis qui ad perfectionem tendunt, grauis & intolerabilis videretur. Sunt autem duo quæ religiosum mouere debẽt ad paupertatis amorem: Primum, diuinum exemplum quod est irreprehensibile: Christus enim Deus homo omnia terrena contempsit, *inquit Aug.* vt ab omnib. hominibus contemnẽda demonstraret, & omnia aduersa sustinuit, vt sustinenda doceret: vt nec in his timeretur aduersitas, nec in illis quæreretur fœlicitas, si enim beatius esset diuitem quam pauperem esse, hauddubie diues fuisset & ipse Christus, suberat enim ei posse si vellet. Secundum, quod ad amorem paupertatis nos mouere debet, est diuina instructio & promissio: instructio quidem, quia, *teste Hugone*, non potest perfectionis inueniri integritas, nisi diligatur paupertas, iuxta id quod Dominus ait, *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere me.* Promissio vero quæ magna est & propemodum incredibilis, *Beati pauperes*, inquit, *quia vestrum est regnum cœlorum.* Quid pretiosius ea re inuenitur qua regnum cœlorum emitur, & diuina gratia acquiritur: ditior est paupertas Christi, *inquit Bern.* cunctis opibus cunctisque thesauris mundi. Non tamẽ paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor: propterea enim voluit cultores suos Deus omnib. renunciare, vt exclusa mundi cupiditate diuina incẽdij caritas possit augeri. Tunc namq; diuini amoris in vnum collecta incendia fœliciter roborantur, si vno solo adamato, cætera omnia contemptui habita excludũtur. Qui autem terrenarum rerũ amore marcescit, in supremi ac summi boni dilectione tepescit aut etiã frigescit, nam vtriusq; & summi & infimi boni amore mens inebriari nescit, verum auarus id non capit: est enim auaritia morbus admodum latẽs & occultus: nemo, *inquit Seneca,* se auarũ credit, nemo se cupidum intelligit: & qui se ægrotare nescit medicum non quærit & ægre ad sanitatem redit.

PARS IV.

De Auaritia.

Non potestis seruire Deo & Mammonæ. Matth. 6.

Summa Articulorum huius Partis.

I. *Diuitiæ malæ non sunt, sed cupiditas earum mala est.*

II. *De miseriis diuitis auari.*

I. HIC MODVS diuitiarum lege naturæ constitutus est vt habeas quod necesse est: hos terminos natura statuit, non esurire, non sitire, non algere: iuxta illud Sapientis, *Diuitias & mendicitatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria.* Si ad naturam viuas nunquam eris pauper, quia exiguum est & facile acquisitu quod natura desiderat, vt propterea necesse non sit aut superborum assidere liminibus, aut mare fatigare nauigiis, aut castra sequi multis laboribus, ad superuacua ibi sudatur, & ad cupiditatem viuitur: ad quam qui viuit, nunquam diues erit, licet totius mundi Dominus sit miser erit, quia pauper est non qui parum habet, sed qui multa cupit. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis sit, si non acquisita sed acquirenda concupiscit? non potest ei secura vita contingere qui de re producenda & augenda nimis cogitat & sollicitus est. Quod si scire velis an naturalem an vanam & insatiabilem habeas cupiditatem, considera num alicubi consistat,

ART. I. Non diuitiæ sed cupiditas mala est. Pro. 30.

paucis

paucis natura contenta est, ideo naturalia desideria finita sunt: Si longe progressus semper aliquid longius restat, & multis conquisitis semper plura concupiscas, scito id naturale non esse, sed à noxia cupiditate exortum, à qua vt te subducas si quietem desideres, necessum est, quia cupiditati nihil est satis, naturæ etiam quod exiguũ fuerit sufficit. Si desiderabit auri aceruum, suppellectilem argenteis vasis fulgentem, seruorum turbam & multa talia licet congerantur omnia, non finis erit cupiditatis, sed gradus. Nonne insanus mentis error cum tam exiguum habeas corpus, & tam paucis natura sit contenta, cupere tam multa?

2. NVLLVM malum maius habet cupiditas quam quod sit ingrata, oblita enim accepti semper cogitat de accipiendo: & vt nemo eorum qui in Rep. versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit, quibus non tam iucundum est multos post se videre, quam graue aliquem ante se habere, Ita cupiditas neminẽ quietum reddit, neminem diuitem facit, quia qui plus habet, incipit plus velle habere, & ideo pauper est cui semper aliquid deest: & sic diuitias habet qui cupidus est, quomodo habere febrem dicimur cum illa nos habeat, dicimus enim febris illum tenet, sic dicẽdum est, Diuitiæ illũ tenent. Diuitias non in animum, sed in domum recipe, vt virtutis tuæ materiam habeas: Quid n. dubij est quin maior materia sapienti viro sit animum explicandi suum in diuitiis quã in paupertate, cum in hac vnũ genus virtutis sit non deprimi, nõ animo deiici: In diuitiis & temperãtia & liberalitas, & magnificentia campum habeat patẽtem: vt enim secundus ventus iuuat nauigantem, sic diuitiæ bene vtentem, qui nec iactat neque profundit diuitias, ꝙ infruniti est animi, stolidi & insipientis: nec abscondit, quod pusilli est ac timidi: Sed quemadmodũ qui pedibus suis potest iter conficere, equo tamen vehi interdum mauult, sic sapiens diuitiis vti sciet cum bonis aut quos bonos facere cupit, donaturus quando & quantum oportet, nõ cum impetu sparget, neq; casu erogabit, sed cũ recta ratione & summo consilio dignos eligit quibus daturus sit, vt qui meminerit tam expensorum quam acceptorum rationem esse reddendam, quibusdam non dabit etiamsi desit, quia etiamsi dederit erit defecturum, *Si benefeceris, inquit Sap. scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa: benefac iusto & inuenies retributionem magnam & si non ab ipso, certe à Domino: benefac humili & non dederis impio, prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te sit.* hæc ille. Diuitiæ bonæ sunt sed bene vtenti, nõ quod inde bonus fit, sed vt ex iis bonis benefaciat, si bene elocentur, & large ac prudenter in pauperũ inopiam subleuendam erogentur, claros faciunt diuitiæ suos possessores, si auare recondantur, odiosos. Esto bonus qui habes bona, vt & diuitiæ tuæ tibi sint bonæ: bonum est aurum, bonum argentum, bonæ familiæ possessiones. Omnia ista bona sunt, sed vnde facias bene, non quæ faciãt bonum, *inquit Augusti.* Eccl. 12.

3. SINT igitur bona ista externa, bona natura sua, sicut & serpentes, tibi tamen ea habenti ac diligẽti, cum sit noceant, quomodo bona sunt? Aut non nocere dixeris quæ animum curis ac sollicitudinibus sic angunt? quæ mentis quietem ac tranquillitatem sic perturbant? quæ te spe inani ludunt dum nõ præstant quod promittunt? An non iniustum istas terrenas diuitias putare diuitias, quæ non auferunt egestatem, nec adferunt sacietatem, sed potius inflammant cupiditatem & augẽt auaritiæ inopiam? An diuites quia multa habent, propterea nec esuriunt, nec sitiũt, nec frigent vnquam? Sed adest, inquiens, opulentis quo famem satient, quo sitim frigusq; depellant. Fateris igitur ipse, fateor & ego, quod hoc modo indigẽtiæ subueniri possit, sed auferri penitus non pot. Quare si opes nec submouere indigẽtiam possint, & ipse suam adducant, auaritiæ enim nihil satis est naturę etiam minimum sufficit, quid est ꝙ eas sufficientiam præstare creditis? Discamus igitur veras amare di-

Digitized by Google

re diuitias, sapientiam, caritatem, temperantiam, fortitudinem & similes virtutes, quas quisquis habuerit, nõ egebit. At magnæ dignitatis est diues, qui ab omnib. & vbiq; suscipitur & laudibus euehitur: Ita qui possessione & liberali vsu diuitiarum diues fuerit, & non earum amore correptus: qui enim pecuniæ amator & non erogator repertus fuerit, omnibus exosus erit etiam intimis amicis: cum enim oẽs ac omnia pecuniis postponat, quomodo non ab omnibus postponitur?

Omnes oderunt noti, ignotique tenacem.
inquit Horatius,
Non vxor saluum, non filius optat auarum.
Miraris quum tu argento post omnia ponas
Si nemo præstat quem non merearis honorem?

Accedant igitur nobis diuitiæ sed non adhæreant, Diuitiæ si affluant, inquit Psalmista, nolite cor apponere: vt si auferantur, sine vlla nostri laceratione tollantur. Magnus ille qui diuitiis tanquam depositis vtitur mox restituendis: & infirmi est animi beatam vitam reponere in auro atque argento, quæ fluxa sunt bona atq; caduca.

4 ITANE nullum est proprium homini atq; insitum bonum, vt in externis atque sepositis rebus bona sua quærere debeat? Sic rerum versa est conditio vt diuinum hoc animal, quod sit rationis particeps, non aliter sibi splendere nisi inanimatæ suppellectilis possessione & auri splẽdore videatur? Et alia quidẽ suis contenta sint, homo autem Deo mente similis à reb. infimis excellẽtis naturæ ornamẽta captet? Quæ tametsi cõditoris opera suiq; distinctione aliquid pulchritudinis postremæ trahant, infra hominis tamen excellentiam collocatæ admirationem atq; dilectionem humanam nullo modo merentur. Cùm enim rerum conditor genus humanum terrenis omnib. præstare voluerit, dum homo dignitatẽ suam infra quæque infima detrudit, nedum conditori suo, sed & sibi suæque dignitati iniuriam facit: Vir quidam diues sed illiteratus virum doctum sed inopem deridebat, quod ipse sua industria multas diuitias congregasset, cum ille qui tanta doctrina pollebat, maxima inopia premeretur: Cui ille, Nil mirum, cum tu opibus coaceruandis, ego vero doctrinæ comparandæ, quæ lõge diuitiis præstat, incubuerim. Hinc inter diuitem & litteratum orta contentio, vtrum doctrina an gaza præstantior esset, componi non poterat, quũ vterq; multos fautores haberet, sed plures diues. Tandẽ hoc pacto compertum est doctrinam gaza præstantiorem esse: Discordiis ciuilib. ambo patriam relinquere compulsi, diues à suis fortunæ bonis nil secum ferre potuit: litteratus autem omnia sua secum portans, quapropter ille inopia premitur, hic honore subleuatur: Fortunę enim bona quoniam huc illucq; transeunt, ab animi bonis quæ propria & perpetua sunt, longe superantur.

An proprium dices, puncto quod mobilis hora
Permutat Dominos & cedit in altera iura?

5 PECVNIÆ cupiditas id efficit in homine auaro vt quicquid agit eo dirigat vt diues euadat, adeo vt etiam ipsam sciẽtiam & veritatis cognitionem amplissimum Dei munus, habeat venalem: quæ si nihil vtilitatis adferat, velut quisquilia reiicitur, tanquam solæ sint diuitiæ quæ hominem beatum efficiant, cum tamẽ meliore ac feliciore sint cõditione ii quib. opus nõ sit pecunia, quam qui abundant ea: hanc enim nostra infirmitas non eius dignitas, nostraq; indigentia, non eius præstantia exquisiuit. Cumq; hic ex auro & argento, alibi ex cupro & ære, nonnullis etiam in locis ex corio pecunia cudatur, parum refert qualis sit nummus, modo idem sit vsus: semoto autem vsu nihil refert aurum habeas an saxum. At aurum voluptatem oculorum & delectationem, simul & honorem adfert, pluris enim aurum æstimãt omnes, honorq; defertur multa milia numeran-

Digitized by Google

metanti. Certe ea delectatione carere quā frui satius foret, quippe quæ animum non tam afficiat quam inficiat, eique non tam tranquillitatem adferat quam inquietudinem inducat, cumque leuis sit & inanis sicut crepundia puerorum, sua natura non sufficit vt animi desiderium aut hominis cupiditatem explere valeat, licet eam irritare & augere possit: quo fit vt homo diuitias nactus non quiescat nec iam tranquillius viuat, quod tamen sperabat, sed ad noua acquirēda sollicitus sit seseq; accingat, quę adeptus etiam tum eodem errore agitatur, neq; necessitas sed cupiditas quæ insatiabilis est, ad eū id adigit, vt semper plura accumulare velit: quamquā interdū & metus necessitatis, & falsa de ea opinio tale quid in homine operetur, vt opes semper adaugere nitatur, iisq; parcius vtendum arbitretur: Id quod in senib. manifestum est, qui quo minus restat viæ, eo plus parant viatici. Quod autem metus necessitatum hominem ita corripiat fit quia recedens à Deo orbatum se sentit, diuino subsidio atque præsidio, quo præsidio qui munitur non solum in eo huiusmodi metus tollitur, sed & cupiditas minuitur, dum necessariis cōtentus superuacua aspernatur.

6. QVOD igitur qui ex rebus inanib. & inanimatis aut honorem quærat, aut voluptatem, ex iisque fœlicitatem, nec non & tranquillam & quietam vitā expectet, id accidit, partim quia à prima sua dignitate degenerauit, in qua constitutus à solo Deo ei hæc omnia proueniebant: partim quia falsa opinione & noxio errore imbutus pluris res creatas faciat quam sua natura valeant, & plus subsidii ab iis speret quam ei præstare queant. Diuitiæ satietatem & sufficientiam promittere videntur, imo non promittunt, sed homo falsa opinione imbutus tale quid ab iis expectat, at id præstare nequeunt: esuriunt enim, sitiunt, frigent, calumniam patiuntur & ignominiam etiam diuites; & quanquam adsit opulentis quo famem restinguant, quo sitim frigusque depellant, non tamen penitus indigentiam auferre possunt, vnde sufficientiam præstare queunt. Corporis itaque necessitati hæc bona externa deputantur, vt cibum, potum, vestitum, domos nobis comparemus, vt recte valeamus & quiete viuamus, sed non ibi subsistinendum aut quiescendum: id enim & bestiis cōmune est. Habet autem homo tanquam altioris dignitatis à Deo creatus aliquid melius in quo sita sit eius salus, nimirum vt mens nobilissima & maxime diuina potentia veritatis inquisitioni & cognitioni inuigilet, per quā vlterius in summi boni qui est Deus ipse, cognitionē & fruitionē deueniat, hic terminus esto, quia Deo habito nil restat quærendum amplius, hic satietas plena.

7. DIVITIÆ satietatem important, paupertas indigentiam: quoniam autem opes terrenæ non exaturant, sed potius animum auari inanem & indignum reddunt, ideo veræ diuitæ non sunt: Paupertas vero voluntaria hominem beatum efficit, ergo & diuitem, hoc est nullius egentem. Hoc tibi mirum videtur, & tamē id ita esse veritas quæ nec falli nec fallere potest, hoc attestatur, quæ dicit Matth. 5. & Luc. 6. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*, quæ & dicit: *Va vobis diuitibus qui habetis hic cōsolationem vestram*. vt vel ea de causa dixerit Sapientia patris, *Eructabo abscondita à constitutione mundi*. Quid tam absconditum, *ait Bern.* quam paupertatem esse beatam? non tamē omnes pauperes beatos prædicat: quia sunt plebei pauperes necessitate miserabili magis quā voluntate laudabili. Spero tamen, *inquit Bern.* apud diuinæ bonitatis misericordiā hanc ipsam afflictionis suæ miseriam ipsis profuturam, quanquam Dominum hoc in loco de huiusmodi non fuisse locutum sciam, sed de his qui cum propheta dicere possunt, voluntarie sacrificabo tibi. Sed nec omnis voluntaria paupertas, inquit idem, laudem habet apud Deum: nā & philosophi omnia sua reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus curis studio veritatis

Bern. ser. 1. de omni. sanctis.

tis possent vacare liberius, & nolebant cẽsu abundare terreno vt abundarent magis in sensu suo. Hos discernit quod dictum est, *Beati pauperes spiritu*, id est, spirituali voluntate, spirituali intentione & desiderio propter solum beneplacitum Dei & animæ suæ salutem. *hæc Bernardus.*

8. NOTANDVM hic igitur quod quidam sint pauperes & re & spiritu, vt apostoli qui omnia reliquerunt & Christum sequuti sunt: alii è diuerso nec re ipsa sunt pauperes nec spiritu, vt diuites huius seculi qui diuitiis turgent & luxu diffluunt, cõtra quos sic Dominus, *Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem.* Luc. 6. Alii sunt re & non spiritu pauperes, qui scilicet nihil habentes multa habere concupiscunt. Alii denique spiritu sunt pauperes, sed non re ipsa, qui nimirum multa possident, sed ea habent tanquam non possideant, quibus diuitiæ affluunt, sed cor non apponunt: vt Abraham, Iob & similes. Non igitur omnes diuites miseri, nec omnes pauperes beati, sed beati pauperes spiritu. Est autem spiritus duplex, bonus & malus: spiritus malus est spiritus auaritiæ, & beatus qui pauper est spiritu auaritiæ: Spiritus bonus est spiritus misericordiæ & liberalitatis, & beatus non qui pauper est tali spiritu s[e]d qui d[i]ues. Beata autem illa paupertas quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opib. augeri appetit, sed cœlestib. bonis ditescere cupit, & cum Dominus ait, *Beati pauperes spiritu* ostendit eis regnum cœlorum obuenturum, quos humilitas commendat animorum, magis quam indigentia facultatum. Dubitari autem non potest quin humilitatis istius bonum facilius pauperes quã diuites assequantur, dum & illis in tenuitate amica est mansuetudo, & istis in diuitiis familiaris est elatio.

9. QVA mente aliquid in hoc mundo possidemus, non docemur, *inquit Gregorius*, nisi cum illud amittimus: quanto enim magis terrena quisque diligit, tanto priuari eis vehementius pertimescit, & vbi est grauior vis amoris, ibi & grande Greg. 13. sup. c. 10. studium defensionis, & quæ ardenter diligimus habita, grauiter suspiramus ablata: quæ vero sine amore possidentur, etiam sine dolore amittuntur. Meminerint qui terrenam substantiam possident, inquit idem, se à cœlesti Domino dispẽsatores esse positos, vt aliena esse intelligant quæ dispensant, & eorum mentem non tumor subleuet, sed timor premat, & sollicite perpendant ne commissa aut indigne distribuant, aut tenaciter reseruent, ne quædam quibus nulla, ne nulla quibus quædam, ne multa quibus pauca, ne pauca præbeant, quibus impendere multa debuerunt, ne tarde donando petentes cruciant, *Si in alieno fideles non fuistis*, inquit Dominus *quod vestrum est quis dabit vobis?* Hic Dominus diuites suarum diuitiarum non tam Dominos esse, qui iis pro suo arbitrio abuti queant, quam dispẽsatores esse significat. Præcipiente autem summo diuitiarum Domino tenetur diues superflua in pauperum necessitatem subleuandam erogare: Sic enim ait Dominus, *Veruntamen quod superest date eleemosynam.* Greg. ter. par. cur. past. adm. 21. Luc. 16. Luc. 11.

10. AT dicere solent diuites auari, Nemo habet superfluũ, quicquid habeo indigeo: pro necessariis superflua ducuntur, quando sumptus inanes atque inutiles à necessariis nõ distinguũtur, quo fit vt huiusmodi hominibus nihil vnquam sit satis: præsertim cum non solum in præsentem necessitatem, sed etiam in futuram sibi suisq; bene prospectum atque prouisum capit quisque. Sed hic videndum ne mẽtiatur iniquitas sibi, ne ue auaritia decipiat sapientiam. Diues ille epulo qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splẽdidissime, sibi omnia quæ possidebat necessaria putabat, hinc mendico isti Lazaro nihil erogabat, quam tamen id ei cesserit male, experientia postea didicit. Cæterum in particulari determinare quæ pauperum necessitas præter extremam, & quæ diuitiarum copia, & quando requirat elargitionem, vt sine crimine negligi aut præteriri non possit, non tam

Digitized by Google

tam est humanæ scientiæ, quam christianæ prudentiæ in qua quisque doceri debet a spiritus vnctione Serio autem & crebro per diuersa scripturarum loca admonetur homo ad eleemosynarum elargitionem, idque non tam propter pauperum indigētiam, quam propter ipsius eleemosynam dantis necessitatem, vt suis eleemosynis peccata sua redimat, sic enim dicitur Danie. 4. *Peccata tua eleemosynis redime:* & alibi, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur:* & rursum, *Iudicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam*, & quia hoc remedio vsi nō sunt reprobi, à regno cœlorum repelluntur, sic enim dicitur Matth. 25. *Ite maledicti in ignem aeternum. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare.* Non quasi non sint etiam pro aliis suis sceleribus damnandi, sed id nobis insinuat Dominum pœnitentib. in ecclesia per elemosynas omnia peccata posse dimitti: Quod satis significatur cum de ouibus ibidem dicitur, *Venite benedicti possidete regnum vobis paratum, Esuriui enim & dedistis mihi manducare:* Quia hi, tametsi & ipsi peccauerint & fortassis multi eorum grauiora commiserint scelera quam reprobi, tamen quia peccata sua eleemosynis redemerunt, ideo salui facti sunt. Sed forte dices, Pauperes non merētur vt eis quippiam detur, sunt enim inciuiles, inutiles, & otiosi: Cui respondet

Amb. ca. 8. li. de Nab. *Amb.* Misericordia non de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire, iuuare pauperem, nō examinare iustitiā.

II. DICIT Paulus ad Philip. 4. *Scio abundare, scio & penuriam pati in omnibus & per omnia institutus sum: Omnia possum in eo qui*

Greg. ho. 19. in Eze. *me confortat*: In quem locum sic *Gregorius*. Nunquid fratres ars est aliqua, scire abundare & penuriam pati, vt pro magno se ista scire tantus prædicator insinuet? Ars omnino & mira scientia quæ toto nobis cordis est adnisu discenda. Quem enim penuria sua non frangit, à gratiarum actione non retrahit, in rerum temporalium desiderium non accendit, scit penuriam pati, & hoc in eo qui ipsum confortat, quia licet crumena sit pecuniis vacua, quia tamen conscientia est Deo plena, qui ipsum satiat & cor non modo quietum, sed & gaudio plenum efficit, paupertatem non metuit: Qui etiam acceptis rebus non extollitur, nec solus possidet quod accepit, sed hoc cum indigentibus misericorditer diuidit, scit abundare: Qui accepta alimenta non ad ingurgitationem ventris vtitur, sed ad reparationem virtutis: nec plus carni tribuit, quam necessitas petit, scit satiari. Contingit autem vt quod auaritia suggerit, homo necessitatem putet, & cum minora sufficiant, maiora deesse doleat: & dum hoc modo incautus animus necessitatem quam sibi patit, patitur, non didicit in iis quibus est sufficiens esse. *hæc Gregorius.*

II. Diues auarus miser.

I DIVITIAS non propter se, sed propter aliud expetēdas esse, nec aliud quicquam in his si quo casu offerantur, præter necessarium victum vsumque liberalem, quærendum, easque si prouenerint sapientissime atque prouide administrandas esse, docet Paulus cum ad Timotheum ait, *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti simus, nam qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum diaboli & in desideria nociua quæ mergunt hominem in interitum:* non dicit, Qui diuites sunt, sed qui fieri volunt, etiam si fundo pauperes sint: Ad hoc enim eos impellit auaritia, quam Paulus *idolorum seruitutem* vocat, quia aurum pro Deo colit, hoc namq; vnusquisque Deum habet, quod præ omnibus diligit, in quo spem atque fiduciam reponit: *Qui dicunt auro obrizo*, inquit Iob, *spes mea & fiducia mea tu es.* Quid quæris ô genus auarū? quid inhias & concupiscis genus infructuosū? nempe satiare auaritiā. O vota inania? Illa potest te premere, tu illā non potes satiare. An forte nō est grauis auaritia? vsq; adeo sub hac sarcina [illegible]sum etiam perdidisti? non est grauis auaritia? Quare ergo te de somnio excitat, quæ te aliquando dormire non sinit? iubet nō solum te surgere, sed etiam per itinerum peri-

1. Tim. c. 6.

Colos. 3. Eph. 5.

hæc Aug. de ver. ap. ser. 22.

pericula currere, trans mare nauigare & horrendas cœli tempestates perferre vt des & accipias, vt emas & vendas: & in mari exagitatus tempestate exclamas, ô Deus libera me. Non audis respõdentẽ: quare? Misi te? Auaritia tibi iussit vt quæreres quod non habebas: Ego tibi iussi vt sine labore ante ostium tuum pauperi dares quod habebas, à quo regnũ cœlorũ emeres, laboras in iussione auaritiæ, in iussione mea non laboras: Ambo iussimus, non audisti me, cui obaudisti liberet te. Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur: qui vero amant, eadem quidẽ sed nõ grauia pati videntur: Omnia enim sæua & immania prorsus facilia facit amor. hęc August. Dicit auaritia, Quęre aurum: & forte quod quæris, non inuenies, quia Dei est ditare & pauperem facere. Si beatus esse vis, & bene valere cupis, Deum dilige, Deum quęre: Quis Deũ vnquam dilexit & ad eum non peruenit? si Deũ diligis, non frustra laborabis: Nũquid Deus melior non est quã sit pecunia? Et quomodo possum amare, inquis, quẽ non video? quomodo potes amare pecuniã q̃ nec vides, nec habes? fides te ducit ad pecuniã, ducat te quoq; ad Deum, credit auarus, & confidit se consequuturum quod amat, crede & tu te Deum assequuturum. Ama igitur Deum sicut amasti pecuniam: nam quãquam indignum sit Deo pecuniam comparare, multum tamen te ceris, si eo amore Deo afficeris, quo pecuniæ, *hæc Augustinus.*

2. IDEM *lib 3. con. epist. Par. c. 2.* Potuitne grauius diuinis eloquiis accusari auaritia, quam vt idololatriæ demonstretur æqualis, Colos. 3. dicente apostolo, *Et auaritia quæ est idolorum seruitus?* Potuitne maiori pœna digna iudicari, quam vt inter illa crimina poneretur quib. obsessi regnum Dei non 1. Cor. 6. possidebũt? Sic n. Paulus ait, *Nolite errare, neq; [illegible]rii neq; fures, neq; auari regnũ Dei possidebunt.* An parua sunt ista crimina aut parui æstimanda quæ hominem à regno Dei excludunt? Solent enim auari auaritiam parui æstimare modo per eam aliis iniuria non irrogetur: pensantes peccata non in statera æqua diuinarum scripturarum, sed in statera dolosa consuetudinũ suarum. Quicquid enim sceleris & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem. Sed ideo sunt tanquam syncerissimum speculum proposita hominibus oracula cœlestium paginarum, vt ibi quisque videat quodlibet peccatum quantum sit, quod forte magnum est, & male viuentium cœco more contemnitur.

Nunquid iste diues (qui aiebat, *Anima habes multa bona in annos plurimos, reposita, epulare & lætare*) aliena quærebat? Luc. 12. fructus suos non alienos disponere proponebat: Audi tamen quid audierit qui tenaciter sua seruauerit: *Stulte hac nocte à te repetent animam tuam.* Nunquid Deus stultis daturus est regnum cœlorũ? *inquit August.* quibus autem daturus non est regnum cœlorum, quid eis restat nisi pœna gehennarum?

3. CRVDELE est enim & inhumanum vt de tua abundantia non sustentes egentis inopiam, & quam inhumanitatem immisericors ille diues in inferno sepultus guttam petiit aquæ, & non impetrauit, quia Lazaro micam panis denegauit. Dicit Deus diuiti, Plus tibi dedi vt haberes vnde pauperi subuenias: Quid tibi soli vindicas quod ambobus dedi? quasi tuum sit quod meum est sic tibi seruas. *Meum est aurum, meum est argentum,* dicit Dominus, Aggei 2. Quod ideo dictum est, *ait Aug.* vt ille qui non vult cum indigentibus cõmunicare, quod habet, cum audit præcepta faciendæ misericordiæ, intelligat Deum non de re illius cui iubet, sed de re sua iubere donare. Aurum verissime & proprissime dicit Deus esse suum, quia illud non solum condidit affluentissima sua bonitate, sed etiam prouidentissima moderatione dispensat, bonis quidem vt eis occasiones beneficiorum subministret, dum ad vsum misericordiæ habent aurum & argentum: malis autem, quoniam nec ipsi

sine

Digitized by Google

sine eius nutu atque dominatu illud assequuntur, ad auaritiæ supplicium. *hæc Aug.* Quanquam non omnes opes, non omnis paupertas a Domino, *teste Chrysost.* sunt enim qui ex rapina, sunt qui ex impostura ditantur, & si quis iuuenis opes suas cum filio prodigo luxuriose viuendo prodigat, manifestum est non Deum sed intemperantiam eius causam esse paupertatis suæ. Quid ergo scriptura dicit, *Diuitiæ & paupertas à Domino sunt?* non quod omnes omnino faciat ipse aut diuites aut pauperes, sed quos vult, subest enim ei posse cum voluerit, & qui seipsos malis artibus locupletauerunt, nulli sunt vsui aut vtiles, vt enim quærendo Deo restiterunt, sic expendendo idem facient, aut enim in terram defodient, aut prodige absument, & si alicui prodesse videantur interdum, id non faciunt ad mandata Dei respicientes vt Deo placeant aut proximo prosint sed quia proprium quæstum intendunt. Sed quos Deus locupletauit, simul & liberalem animum ab eo adepti sunt, & Reip. & pauperibus & sibiipsis vehementer vtiles sunt, iis enim multarum virtutum instrumenta diuitiæ sunt, id in Iob patuit.

Chryso. ho. 34. in 1. epist. ad Corint.

Eccl. 11.

4. QVANDOQVIDEM amatoribus huius mundi non potest facile persuaderi malum esse diligere pecuniam, siquidem in auaritiæ sordibus tanquam sus in cœno inuoluti lætantur, ideo hic paucis ostendendum tum per scripturas, tum per experientiam, quibus miseriis & malis subiaceant ipsi auari, & inprimis sic ait Ecclesiastes, *Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias fructum non capiet ex eis.*

Eccle. 5.

Hoc enim omnibus auaris accidit, vt ipsa cupiditas, pecuniæ copia non minuatur, sed augeatur potius. Quod si cupiditatem illam voluptatem esse dixeris, valde mihi voluptatis naturam ignorare videris, cum non voluptas id sed supplicium sit, nam & qui sitit non ipsa sitis voluptas est, sed bibere voluptatis est, quia hominem liberat sitis cruciatu. Quod si deberemus semper in hac siti & bibendi cupiditate versari nunquid non essemus miseri? Hoc omnibus auaris accidit, perpetua siti anguntur, quo quid fieri potest grauius? Rursum quid in regnum cœlorum inducit facilius, diuitiæ an paupertas? & quidem de diuitibus ait Dominus apud Matthæ. quod *facilius camelus intrabit per foramen acus, quam diues in regnum cœlorum:* De pauperibus autem sic Matth. 5. *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum cœlorum.*

Matth. 19.

Nam quanquam sint & pauperes qui pereant, dum propter necessaria acquirenda interdum multa mala operantur, mentiendo, fraudando, furando, multo tamen plures pauperes saluantur quam diuites, *inquit Chrysosto.* neque enim paupertas tantum habet robur ad perficiendam malitiam, quantum diues qui deliciis assueuit, in animi tumorem & superbiam facile ebulliit, quique maiori cupiditate in superflua *inhiat*, quam pauper in necessaria.

Chryso. hom. 13. in 2. epist. ad Corint.

5. RVRSVM spinæ appellantur diuitiæ in scriptura sacra, quæ læduntur eos à quibus continguntur, & non solum ipsæ fructum non habent, sed & nascentem fructum impediunt. Auarus enim omnibus odibilis omnes vicissim odit, nec vllius consortio delectatur, nisi à quo lucrum exspectat, pauperes auersatur ne quid eis erogare debeat, ditioribus inuidet quod eorum opes non possideat curis, metu, anxietatibus, inquietudinibus, & mille turbationibus oppletur: nam quemadmodum sine fluctibus mare nunquam conspicitur, si animos auarorum absque suspicione, terrore & cupiditate atque turbatione nunquam reperies, & subsidentibus prioribus mox succedunt alia & alia: ita vt si animum auari conspicere liceret nudũ, eum inueneris sicut vestem mille tineis corrosam, sic vtique curis tabescentem, peccatis putrefactum, metu exanimem: si quid damni in pecuniis suis patiatur, vitã ducit morte amariorẽ: si quem ad thesaurũ conspexerit, furtum & rapinam metuit: iam

Digitized by Google

iam ingemiſcit quod ſua care diuendere nequeat dum annonæ vbertatem conſpicit: nunc vero quod merces non diſtrahātur dolet: modo poſſeſſionibus acquirendis inſtar famelici inhiat, & velut alter Tantalus ſitiens fugientia à labris captat flumina ab acquiſitis vero tanquam à rebus ſacris quas contingere non audet, abſtinet, & quemadmodum Eunuchus virginem amplexus ingemiſcit, & extremo dolore cruciatur quod ea frui non poſſit, ſic auarus rebus terrenis affixus eas nec deſerere poteſt nec audet contingere.

6. QVÆ igitur iſta cæcitas, quis furor? turbationibus impleri, infructuoſis laboribus fatigari, cupiditati tanquam duriſſimæ tyrannidi ſeruire, quæ tam male de ſuis meretur ſeruis, vt eos eſurire malit. aut ſi id non poſſit, cæpis & allijs & fruſto panis paſcere potius quam commodam vitę alimoniam præſtare velit atque conſueuerit? Sed multi ſunt, inquies, qui iucunde diuitiis fruuntur, viuentes in deliciis, ventrem colentes, vino ſe replentes, magnifice omnia præparantes. Pape, peiora hic mihi indúcis monſtra, *inquit Chryſoſt.* & non ſeruitutem neque miſeriam hic euadis, ſed ex vna in aliam incidis profundius.

Cur igitur expetendæ videntur diuitiæ, cum neque ſapientiorem, neque prudentiorem, neque clementiorem, neque meliorem hominem efficere poſſint? Quem enim ex iracundo in manſuetum commutarunt? aut ex incontinente continentem fecerunt? quin potius vitia pro virtutibus inuehũt, ipſarum enim pediſſequa eſt luxuria, intemperātia, arrogantia, auaritia, & mille alia monſtrorum genera. *hæc ex Chryſoſto.*

7. NON ſecus igitur auaritia quam peſtis fugienda, niſi enim eam à principio ex corde tuo excluſeris, ſed per longam conſuetudinem inualeſcere permiſeris, miſerando modo te affliget. Siquidem & mala & bona quanto diutius in nobis immorātur, tanto vehementiora fiunt: quod & in cæteris rebus omnibus euenit: etenim planta nuper inſita facilius euellitur, diuturniore autem mora profundius actis radicibus multo labore opus eſt vt euellatur. Igitur qui nondum vitiis ſe ſubdiderunt, his ego, *inquit Chryſoſt.* ne capiantur, ſuadeo, facilius namque caſum cauere poſſumus, quam poſt caſum reſurgere. Ille autem qui ex frequenti peccati perpetratione & longa peccandi conſuetudine funibus peccatorum ſuorum ſe conſtrinxerit, è quibus pro ſuo arbitratu ſe eripere nequit. *inquit Cyrillus,* ſpem recuperandæ valetudinis obtinere poterit ſi Chriſti monitis obtemperauerit, & ſecundũ medicorum legem ſe geſſerit: Nec enim minor ars in curandis conſiſtit animabus infirmis, quam in ægrotis corporibus ſanandis. Cyril. libr. 6. cap. 2. in Ioan.

Cum igitur dicunt pecuniarum amatores, *inquit Chryſoſt.* Diuites eſſe volumus vt commodam vitam tranſigamus, & cum cæteris honoremur: nolimus, *inquit,* ſtatim dicere hoc malum eſſe: ſed aſſentiamur & dicamus quod & nos quoque id velimus: verum eas diuitias eſſe quærendas quæ perpetuæ ſint, veramque voluptatem & verum honorem ſecum adferant: & licitum quoque eſt diteſcere etiam in bonis temporalibus ſed ſine cupiditate, ſine auaritia, ſine fraude & rapina. Quid vis per cupiditatem diteſcere vt cæteris quidem aurum & argentum congeratur, tibi autem curas & execrationes innumeras compares. Atque his ſermonibus tanquam quibuſdam medicamentis eos placemus, nondum de gehenna mentione facta, quia necdum ſuffert huiuſmodi verba.

PARS V.

De obedientia & diligentia.

Nemo potest duobus Dominis seruire. Matth. 6.

Summa Articulorum huius Partis.

I. *De duplici obedientia, perfecta vna, & imperfecta altera.*
II. *Quanta constantia & diligentia opus vt quis Deo seruiat.*
III. *Nec pusillanimem, nec etiam elatum in operibus sibi iniunctis esse oportet.*

Art. I. De obedientia, perfecta & imperfecta.

1. DVo sunt obedientiæ genera, quorũ vnum est perfectum, alterum imperfectum. Illa obedientia est *imperfecta*, quæ præter operis executionem non habet voluntatis promptitudinem, nec iudicii consensum: quia enim male est oculata, iudicium suum de imperatis rebus sibi seruat, & in alteram partem propendet mandatis parens interdum etiam iudicio repugnante: Cum enim nõ quodlibet rectum credat quod à superioribus præscriptum est, præscripti rationes & exquirit & cognoscere cupit, & iudicare præsumit, tanquam melius quam superior suus saperet: sibi enim potius quam suo superiori credit, nec potest in animum inducere vt suum sensum suumque relinquat iudicium, sed tunc prompte exequitur quando id imperatur quod flagitatur, vt in hoc potius quod placet, quam in illo quod displicet obedire parata sit: & quia sic est imperfecta, ideo vix meretur nomẽ obedientiæ. *Perfecta* obedientia est, quæ ad actionem voluntatem adiungit, efficitque vt ille qui obedit idipsum velit quod qui iubet, & non solum velit, sed etiam sentiat quod superior sentit, & id rectum credit quodcumque sibi à superiore suo fuerit præscriptum, neque præscripti rationes exquirit, sed intellectum in obsequium obedientiæ captiuat, & obedientiam arripit nulla alia de causa, quam quia obedientia est: neque in vllam partem aut impetu animi, aut inclinatione fertur, sed in quibus rebus peccatum non est in iis omnibus voluntatem non suam, sed superioris sui ita exequi parata est, vt indifferens sit ad agendum vel omittendũ quodcumque præcipitur, aut prohibeatur: Cum enim exuta sit & proprio iudicio & propria voluntate, tota ab eius imperio dependet, in cuius obsequium se mancipauit, nõ attendens quis sit cui obtemperat, quam diues, quam prudens, quam sanctus, quam potens, sed cuius personam gerit, & locum tenet, à quo se factũ nouit, & refingendũ instar ceræ mollissimæ quæ fingentis sequitur manum, tradit.

2. QVI in obedientia perfectus esse cupit, nequaquam à suo superiore postulare debet, vt eum in hoc potius quam in illo munere exerceat, sed potius ita secum statuat, vt quod imperatum ei à superiore suo fuerit, id optimũ putet. Ita vt aliquoties dixerit Ignatius, Si summus Pontifex imperaret vt ostio Tiberino nauigium velis & remis spoliatum conscenderet, & ita absque vllo commeatu traiiceret mare, se id non solum æquo, sed etiam libenti animo facturum: Cumque quidam vir summus hunc eius animum admirans diceret, Quæ isthæc esset prudentia? Respondit Ignatius, Prudentia, inquit, imperantis, obedientia vero est parentis: Debet autem is qui imperat perspicere quo quemque natura ducit, aut quam in partem cuiusque animus propendeat magis, & ad illius se honesta cupientis inclinationem accõmodet, sciens laboriosum esse quod natura fit repugnante, neque violentum vllum esse diuturnum. Caueatque summopere ne in vita spirituali cæteros omnes ex se metiatur, neque ad eandem, quam vtilem ipse sibi experitur, viuendi orãdiue rationẽ reuocet: est enim id periculosum, quia diuisiones gratiarum variæ sunt, & vnusquisque proprium habet donum ex Deo.

3. OPTIMVM obediẽtiæ genus est cum præ-

præceptum superioris præuenimus, & id facimus ad quod eum propensum cernimus, tametsi ille nihil præcipiat: est enim voluntatis superioris quocumque modo innotescat veluti quoddam tacitum præceptum, iuxta illud Pauli ad Tit. ca. 3. *Dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse:* potissimum si id fiat non pœnæ metu, sed caritatis affectu, non complacendi studio ex simulata amicitia quasi ad oculum, seruientes, sed cordis simplicitate ex syncera dilectione. Huiusmodi *obedientia melior est quam victima,* quia in victima offertur caro aliena, in obedientia voluntas propria, quam qui præterit & contemnit vt Dei voluntatem impleat, hoc ipso satis declarat, quod Deum pluris quam seipsum faciat, eumq; magis quam se diligat. Consistit autem vera obedientia in eo, si volūtas nostra sit diuinæ voluntati subiecta, vt quod certū est Deum velle, id & nos velimus: quod certum est eum nolle, id & nos nolimus: quod autem incertum est, vtrum velit, an nolit, neque nos ex toto velimus, neq; penitus non velimus, sed neutri parti mordicus inhęreamus, ne forte altera pars Deo placeat magis, cum in alteram partē te resoluis, eique mordicus inhæres, imprudenter agis, quia erroris periculo te exponis, & turbaberis si alio modo quam tu vis accideris. Pauci admodum inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, vt non quid ipsi, sed quid Deus velit animo intento inquirant, qui omni hora dicant, *Domine quid me vis facere? loquere quia audit seruus tuus.* Sic multorum est hodie infirmitas, *inquit Bernar.* ne dicam peruersitas, vt propemodū ab eis quærere oporteat, Quid vultis vt præcipiam vobis? quid facere libet? vt necesse sit superiorem ipsorum potius obedire voluntati, quam hos illius. Cui accedit & aliud malum, in quod plerique christianorum versantur, quod negligant Dei inquirere voluntatem, dum suam facere volunt, putantes sibique blandientes vt quod ipsi facere volunt, hos ipsum & Deus velit.

4. VERVM est quod vulgo dicitur, Absque labore nihil: saltare discunt homines, litteras legere, cibos parare, varijs linguis loqui: Atque hæc omnia nisi discantur, & cum labore discantur, non recte fiunt. Bene autem viuere, cuius rei gratia isthæc sunt omnia, cum sit summæ artis, nisi didiceris & summa diligentia atque labore didiceris; scire qui poteris? Sed quia pauci virtutem diligunt, ideo pro ea minus solliciti sunt, in his enim quæ diligimus maiorem sollicitudinē adhibere solemus. Quod autem virtutē plerique minus quā oportet diligant, fit, quia eius naturam, vim & dignitatem ignorant. Cum virtute omne genus vitæ molestiæ est expers, animi alacritas etiam paupertatem & morbū leuiorem reddit: si desit morum suauitas & vitæ honestas, quid prodest diuitiarum facultas? Plasmauit ab initio Deus hominem, non quia ipsius egeret ministerio, sed vt haberet in quem sua beneficia reponeret: & fecit rationis participem, qui summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando quæreret, quærendo inueniret, inueniendo possideret, possidēdo frueretur: & hoc est virtutis studiosum esse, Deoque obedire & ipsum sequi, quod est vita hominis & salus. Quemadmodū non obedire malum est, & mors hominis est, quapropter neque tentandum illud vnquam. Quomodo enim qui in natura mortali non obediuit factori, poterit ab eo perfici? inquit Ireneus. Quod si opus Dei es, manum artificis expecta, præsta ei cor tuum instar ceræ molle & tractabile, & custodi figuram qua te figurauit artifex, habens in temetipso humorem ne induratus amittas vestigia digitorum eius. Quod si tradideris ei quod est tuum, hoc est, fidem in eum & subiectionem, percipies eius artem & liniet te manus eius ab intus & foris, & in tantum te ornabit, vt & ipse rex concupiscat speciem tuam. Si autem non credideris ei, & manus eius fugeris, erit causa imperfectionis in te qui non obedisti, sed non in illo qui te vocauit. Neque enim ars deficit ei, sed nec cogit eum qui nolit continere eius artem:

sicut

ſicut lumē permanet tale quale eſt etiamſi is qui ſe excœcauit in tenebris conſtituatur, & quemadmodum qui lumen ſequūtur, ipſi lumini quidem nullum beneficium præſtant, ſed beneficium à lumine percipiunt dum illuminantur, ſic qui ſeruiūt Deo, nō ipſum glorificant, ipſe enim perfectus & ſine indigentia, *Bonorum meorum non eges*, inquit pſalmiſta, ſed glorificantur & perficiuntur ab eo: ſic enim
Iſai. 43. Iſaias ait, *In gloria mea formaui & preparaui eum.*

II. Quanta conſtātia & diligētia opus, vt quis Deo ſeruiat. Baſilius c. 20. & 24. conſtit. monaſt.

1. OPORTET, *inquit Baſilius*, vt qui ad pietatem colendam ſe contulerit, is ſtabili, firma, immobilique voluntatis conſtantia ſit, iudicioque eiuſmodi, quod à maleuolis ſpiritibus loco depelli non poſſit. Atqueetiam intelligēdum illud eſt debere pietatis cultorē viliora etiam munera magno cū ſtudio, magnaq; cum animi alacritate ſuſcipere, ſcientem nihil minutū eſſe quod Dei cauſa fiat; ſed grāde & ſpirituale, & eiuſmodi quod cœlum nobis & prēmia cœleſtia cōciliat. Quàobrem licet communibus vtilitatibus inſeruientia ſarcinaria ſequi numēra oporteat, recuſare tamen non debet. Siquidem ſcire conuenit Saluatorem quoque ipſum diſcipulis miniſtraſſe, & abiectiora opera facere nō recuſaſſe, magnumque homini eſſe, ſi Dei imitator exiſtat, cum per hæc quæ humilia ſunt, ad altitudinē illā quod illum eſt imitatus, aſcendat: Quanquam quis iam humile auſit quippiam appellare, quod Deus ipſe attingere non recuſauit? Etenim qui Deo ſeruire cupit, eūque ſyncere & ex animo diligit, neq; omnino de remuneratione Domini quidquā dubitat, is ſi quid fecit, nequaquā in eo acquieſcit, enititurq; vt aſſidue vſq; aliquid addat, ſemperque progredi vlterius ſtudet, & licet ſupra vires viſus ſit aliquid feciſſe, non propterea tamē ſecurus eſt, veluti qui plene officio ſatisfecerit, contraque potius in aſſiduo angore eſt, veluti qui longe abſit ab eo, quod factum oporteret, audiens illud Domini, *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus*, audiens & illud Pauli, *Ego me non arbitror comprehendiſſe, ſequor autem ſi quo modo comprehendam, ſicut comprehenſus ſum.* In eo autem opere vnuſquiſque attente vacare, ſtudioſeque inuigilare debet, & nihilo ſecius, quaſi inſpectore Deo ſumma ſedulitate accuratiſſime illud exercere, *inquit Baſilius*, quod ei aſſignatum fuerit, vt fidenti animo ſemper illud dicere poſſit, *Ecce ſicut oculi ſeruorum ad manus ſpectant dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Non autem ab hoc ad aliud temere reſilire, neque confeſtim abiicere, eſt enim animi inconſtantis & infirmi iudicii temere aſpernari quæ habeas. Neque etiam natura noſtra plura ſimul aſſequi ſtudia poteſt, multoque eſt præſtabilius vnū modo ſolerter & induſtrie confeciſſe quam multa attentaſſe quæ neceſſario poſtea ſint relinquenda: Siquidē quæ ad res plures animi fit diſtractio, & mentis identidem modo ad hanc, modo ad illā applicatio, præterquam quod opus nullum perfecte perduci ad exitum ſinit, etiam morum leuitatem vel ſi ineſt arguit, vel ſi non ineſt ingenerat.

Hæc Baſi. interr. 121. in reg. breu.

Baſil. in regu. fu. diſp. inter. 41.

2. PORRO qui in legitimo pietatis agone deſudāt, vt nihil grauatim aut moleſte, quicquid occurrit doloris aut triſtitiæ, perferant, tota mente ad mercedē in cœlis repoſitam intendant auidius: Quemadmodū iter facientibus per aſpera quæque loca tædium releuat laboris, ſpes certo propoſita commodioris hoſpitii: vtq; maris periculo auſint ſe committere mercatores facit cupiditas parandarum mercium: & agricolis imminuit ac ſuffuratur labores ſpes ſequuturæ fertilitatis. Qui experiri cupit quantū in via virtutis profecerit, & an vera pietas in eo ſit, & in ipſo Deus habitet, ſyncero examine cordis ſui interiora diſcutiat, & ſagaciter quærat qua humilitate reſiſtat ſuperbiæ, qua beneuolētia obluctetur inuidiæ, quam non capiatur adulantium linguis, an pro malo non

non cupiat reddere malum, maliteq; multas obliuisci iniurias, quam imaginem & similitudinem sui conditoris amittere: discat euangelicam disciplinam, oculorũ modestiam, linguæ continentiam, corporis castigationem, cogitationis puritatem, maledicto lacessitus iram cohibeat, & benignitatem etiam in inimicum exerceat. Dura hæc, inquis. Et ego dico, *inquit Basil.* Nihil bonum & facile, Ardua virtus amat: Quis dormiens trophæum tulit? Quis in deliciis corona fortibus viris debita ornabitur? labores gloriam pariunt. Neque si in peccatis vixeris absque labore eris: Nam qui diligenter res considerat humanas facile conspiciet nec ipsa diaboli opera patrantes à laboribus esse immunes, libidinosus enim voluptatis seruus præterquam quod eius gratia multas sæpe anxietates animi sustinet, corpus etiam ex intemperantia tabefacit, & in furibus timor, & in voluptuariis ardor omnem penitus requiem & animi tranquillitatem aufert: & quas patiatur curas, quos subeat labores homo auarus vt perituras congreget diuitias, quis explicet? & tamen hi omnes opus alacriter aggrediuntur spe lucri nitentes.

Hæc Basi. ho. in exhort. ad baptis.

3. Nos vero Christi disciplinam & religionem verbo quidem laudamus, opere vero cum prophanis commercium habemus: & si vel vna die orauerimus, vel hora vna breuem aliquam super peccatis nostris tristitiam passi sumus, securitatẽ nobis ilico promittimus, inquit Basil. perinde ac si quippiam confecissemus quod ex æquo respondeat diluendæ nostræ omni malitiæ: cum Propheta Dauid sibiipsi afflictionẽ, quæ magnitudinẽ admissi peccati compensaret assumpserit, nõ vno aut altero die, sed tota die, contristatus ingreditur: & per singulas noctes lectum suum se lachrymis rigasse dicit, *Psalm. 6.* Nihil enim est efficacius, *inquit Leo*, ad exorandum Deum, quã vt homo ipse se iudicet, & nunquam desinat à venia postulanda qui se scit nunquam esse sine culpa. Habet enim hoc in se generaliter humana natura, non à creatore insitum, sed à præuaricatore contractum vt de corruptibili corpore etiam quod animã corrumpere possit, oriatur; Hinc interior homo assiduos habet cum carne conflictus, & dum cohibet concupiscentem patitur repugnantẽ: in qua discordia non facile obtinetur tam perfecta victoria, vt & quæ sunt abrumpenda non illigent, & quæ sunt interficienda non vulnerent, quantumlibet sapienter & prouide iudex animus suis exterioribus præsit. Quis enim ita se aut à voluptate corporis, aut a dolore seiungit vt ad ipsam mentẽ non pertineat quod extrinsecus, aut blanditur aut excruciat? cũ opera quæ sibi affectum hominis vendicant, nunquam non cogitationes imaginationemq; diuexẽt, vt etiam extra tempus quando aliquid aliud quod melius sit animo tractare obstrictus est, huiusmodi sustineat, quo fit vt internam mẽtis quietem & spiritus gustum perdat.

Hæc Basi. in ps. 124.

Leo ser. 5. de iei. sep. men.

4. MAXIMVS quondam priscorũ Sanctorum feruor fuit, magna orandi instantia & diligentia, quo sicuti accrescebant corporis magnitudine & viribus, ita increscerent & virtutum robore: sicut *Luca* 1. de Baptista dicitur, *Puer crescebat & confortabatur spiritu*: & de Dauide 2. Reg. 3. *Dauid proficiens & semper seipso robustior.* Proficit autem iustus duplici ratione, & in seipso per virtutis augmentum: & in aliis per instructionem virtutum suarũ semina dispergendo eo alios pertrahendo quo ipsi iam peruenerũt. Inde iusti virentibus comparantur arboribus, vt est in ps. 19. *Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus libani multiplicabitur:* Floret in proprio virtutum profectu, multiplicatur vero in aliis, eius exemplo & instructione ad similem iustitiam perductis, vt enim matura frumenta semina quædam emittunt multiplicari appetentia, ita & homo perfectæ virtutis virtutum suarum in alios dispergit semina, quæ haud dubie in cœlesti gloria metet. Hoc obseruet qui diligenter virtutum profectui incumbit, & sedulo diuino ministerio instat, vt diligens sit &c.

Digitized by Google

sit & sedulus, sed absque importunitate, & agilis sit, sed absque dissolutione, maturus, sed sine morositate & acerbitate: quietus, sed absque torpore & ignauia: In via hac qua ambulabã, inquit Psalmista, *absconderunt superbi laqueum mihi.* Sæpe se bono operi nostro lætitia immoderata immiscet, cumq; plus mentem quam decet hilarescere facit, ab actione bona omne pondus grauitatis excludit: interdum etiam spiritus pondus & cordis grauitatẽ quasi ex latere subiũcta tristitia sequitur, & opus bonum quod homo bona intentione inchoat, ipsa tristitia latenter contaminat, vnde sancti viri cum mala superant, sua etiam bene gesta & opera bona reformidant, ne sub imagine boni lateat pestifera tabes operis iniqui: Sciunt enim quod cum in tenebris hic ambulent, bona subtiliter diiudicare nesciant, & ideo etiam quæ approbant metuunt. Psal. 141.

5. QVIA igitur, vt *Gregor. ait*, bona nostra insidiantis culpæ gladium euadere nequeant, nisi sollicito quotidie timore muniantur, recte dicit Iob cap. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* quasi dicat, *inquit Gregorius*, quæ aperte facio, video, sed quid mali in his lateat ignoro: Neque enim virtus aut sapientia in superficie iacet, sed in inuisibilibus latet: & sæpe quod torpẽtes latet, vigilãtibus certius innotescit qui oculos intus habent & foris, *Ezech. 1. c.* Quisquis exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, foris oculos habet, sed intus caret: qui vero & exteriora sua circumspicit, vt bona de se exempla fratribus præbeat, & interiora sua vigilanter attendit, quia sese Deo commendatum cupit, hic est qui plenus est oculis intus & foris.

6. ANTIQVIS viris vita omnis operosa erat, *inquit Chrys.* totaque in labore & certamine, nouerant enim se ideo in hunc mundum fuisse deductos, vt placita ei qui ipsos condidit gererent, illique per bona opera placere studerent. Hoc testatur Propheta Dauid cum ait, *Ecce sicut oculus seruorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum:* vt si non aliter saltem vt famuli nostri nobis, *inquit Chrysost.* ita illi seruiamus, & subiungit, Nonne vitam illi omnem in hoc exponunt, vt nobis requiem parent? Nonne quæ Domini sunt tota die curant, sua vero diei vix exigua parte? Contra vero nos, nostra quidem semper, quæ vero sunt Domini ne minima curamus diei parte, & hoc cum ille obsequiis non indigeat nostris, sicut Domini famulorum, sed hæc omnia nostris commodis cedant: sic enim Psalmista testatur cum ait *Bonorum meorum non eges.* Psalm. 15. Neque enim si ego iustus sim Deus inde quicquam lucratur, quid perdit vero si ego iniustus fuero? Serui pro suo seruitio victum habẽt & vestitum solum, iniuriis affecti non contradicunt, maxime si probi illi fuerint, sed & deprecantur. At, inquis, illi necessitate ista faciunt: & tibi nonne incumbit gehennæ necessitas? & ne sic quidem times, neque tantum honorem Deo tribuis, quantum à seruis propriis accipis. hæc Chrysost. *homil. 16. in 1. ca. ad Timo.*

7. PER magnum quidem est in secũdo prosperoque rerum statu & misericordiã exercere, & virtutum operibus esse deditum, verum longe maius, *inquit Chrysost.* aduersitates perferre forti animo, & a bono inchoato nullis afflictionibus deturbari. Nam quemadmodum artificibus accidere videmus, qui quidem si ipsi se alãt & operentur, maiorẽ accipiũt mercedem: sin vero apud conductores ipsos victitãt, non parum illis à mercede sua detrahitur, ita cum sanctis agitur: si quis enim & innumera bona fuerit operatus, tum vero & innumera mala perpessus, plenissimam habet retributionem, non bonorum tantum quæ fecerit gratia, sed malorum etiam quæ tulerit: Qui autem requie hic & fœlicitate fruitus est, tam splendidam isthic coronam non est consequuturus: Etenim magnus ille Iob non tam eleemosynarum gratia, quam quod tot aduersita- Chrys. ho. 43. in 1. epist. ad Corint.

Chryso. serm. 9. ad Rom.

tes pertulisset, admirationi fuit. Propterea; Deus effecit vt præsens hęc vita nobis esset laboriosa, vt vel hoc pacto quicquid in nobis molle est constringeret, & à praua & molli concupiscentia nos liberaret. Iudæi certe cum essent luto & lateribus traditi, mansueti erant, Deumque continue inuocabant, quamprimum vero datum esset libertate cõcessa potiri, & murmurabant & Dominum irritabant. At multi sunt, inquies, qui per aduersitates & labores sæpe euertuntur, Certe hoc non laboris, neque aduersitatis, sed infirmitatis eorum opus est: neque enim si quisquam pharmacum amarũ, vnde purgari posset, cum stomachum habeat infirmum, nõ recipit, protinus pharmaco culpam asscribemus, sed potius stomachi infirmitati. Quisquis vero per tribulationẽ euersus fuerit, multo magis illud ab otio patietur, quia per totum diem torpet plurimum, multa perperam agit & loquitur, multa habet nociua desideria quæ mergunt hominem in interitum: qui vero in negotiis occupatur hęc omnia euitat tota anima ad laboriosã vitã intenta. Nolimus igitur eos despicere qui manuũ suarũ labore victũ sibi quærunt, sed ea potius gratia laudibus prosequamur. *hactenus Chrys.*

8. SIMILE quid habet August. *ser. 55. de temp.* vbi sic ait, Illud omnino retinete memoriter & iugiter expauescite, quod scriptum est, Impedimenta mundi fecerunt eos miseros Sic ergo te occupabis in domo tua, vt non negligas animam tuam & si non amplius, vel tantum labora pro anima tua, quãtum pro carne tua laborare te consideras: Si enim negligẽter agimus, si orationibus non insistimus, si scripturas diuinas aut ipsi non legimus, aut legẽtes alios non libenter audimus, inde habebimus iudicium vnde potuimus habere remedium, nec solum vobis sufficiat quod in ecclesia diuinas lectiones auditis sed etiam in domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite & libenter audite. Quod enim quisque aut legendo aut orando, aut bona opera faciendo pro animæ salute in thesauro conscientiæ suę recondiderit, id in homine permanebit. Itaque ieiuniis, vigiliis, orationibus, bonis operibus insistamus: Si opus te terret, mercedem recogita: quare vis delicatus peruenire ad eam mercedem, ad quam non ducit nisi labor? Si ad argentum tuum non peruenisti sine labore, ad vitam æternam sine labore vis peruenire? Quod quæris, & habere vis, non est valde bonum: vis habere sanitatem carnis, est quidem bonum sed non est magnum bonũ, quia illud habet etiam malus quem non potest facere bonum: vis habere aurum & argentum, etiam hoc dico bonum: sed si bene vsus fueris: bene autem non vteris si malus fueris: & per hoc aurum & argentum malis malum est, bonis bonum, non quia eos bonos facit, sed qũia bonos inuenit, in vsum bonum conuertitur. Bona vis habere & bonus non vis esse? Quid n. est quod velis habere malum? nihil, non vxorem, non seruum, non villam, non tunicam, & malam vis habere vitam? Si tibi possent respondere bona quibus est plena domus tua, nonne clamarent, Sicut tu nos bona vis habere, sic & nos bonum volumus habere Dominum? Et vnde est homo bonus? si Deum habeat qui facit eum bonum, Deum autem habet qui Deum diligit, qui caritatem habet.

Hæc Aug. ser. 15. de ver. do.

9. INTER operarios Dei quidam sunt qui nõ nisi ad futuram retributionem intendunt, sciunt n. quod post hanc vitã sit tempus mercedem accipiẽdi. Sunt etiam ibi qui non nisi terrena desiderãt, & temporalem fœlicitatem: quæ dum ipsis subtrahitur, & iis bonis quæ quærunt, abundare impios & sceleratos vident, putant se frustra Deum colere, & abducuntur vt facta impiorum imitentur. O homo quid iam flagitas mercedem antequam retributionis tempus aduenerit? Si venerit operarius ad domum tuam, nunquid dabis mercedem antequam perfecerit opera sua? si prius petit, irasceris eo quod tibi fidem non habuerit, & cum tu fidem non habes Deo quod daturus sit id quod promisit,

misit, an putes non iuste irasceretur tibi? Ea vero opera quæ fiunt ante fidem, quãuis videantur hominibus laudabilia, inania tamen sunt, *inquit August.* & ita mihi videntur esse vt magnæ vires & cursus celerrimus extra viam. Non attendas multum quid homo faciat, *inquit*, sed quid cum fecerit aspiciat: bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Fac hominem optime gubernare nauem, & perdidisse quo tendit, quid & vires & artes ei prodeunt? Si quales impetus habebat ad mundum, tales habeat ad artificem mundi, per veram fidem & caritatem, bene currit, & fœlicius peruenict quo tendit: Bene currit, quia iuxta Psalmistam Psalm. 127. *labores manuum suarum manducabit*. quasi dicat, *inquit August.* non solum fructus laborum suorum manducabit, sicut qui colit vineam & comedit vuas: sed etiam ipsi labores erunt ei instar panis suaues, dulciores enim sunt lachrymæ orantium quam gaudia theatrorum. Quod si ipsi labores nos ita lętos reddunt propter spem fructuum: quanto magis & iucundius ipsos fructus manducabimus? Tunc autem bonũ opus, quod lex imperat, delectat, quando fit non timore pœnæ, sed amore iustitiæ. hactenus Augustinus.

III. Ec elatũ re pusillimẽ esse oportet. August. epist. 81. SI QVAM operam vestram requirit mater Ecclesia, nec elatione auida suscipiatis, *inquit August.* nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtemperetis Deo, ne vestrum otium necessitati Ecclesiæ præponatis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nascerentur & enutrirentur paruuli? Sicut autem inter ignem & aquam tenenda est via vt nec exuratur homo nec demergatur, sic inter apicem superbiæ & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est, *Non declinantes neque ad dexteram neque ad sinistram.* Sunt qui nimis timent ne in dexteram rapti extollantur, & dum sic timent in sinistram lapsi demerguntur: & sunt rursus qui dum nimis se auferunt à sinistra ne torpida vacationis mollitie sorbeantur, ex altera parte iactantiæ fastu corrupti in fumum vanescunt. Sic nullus est locus in quo non struat insidias diabolus, quas obseruare oportet, vt nec sis pręceps, nec torpẽs, sed dum aliquid strenue atq; alacriter agis, semper oculos ad Dominum habeas, quia ipse euellet de laqueo pedes tuos.

2 A SOLO Deo conspici satis est, qui quod occulte gestum est in medium opportuno tempore protrahet, verum enim est quod ait Dominus, *Nihil opertum quod non reuelabitur*: & tunc videbitur quam sit inclytus fructus bonorum operum, quæ non ad ostentationem virtutis, sed ex caritate ad placendum & seruiendum Deo gesta fuerint. Optimam autem sedem reperit veritatis sermo simplex in simplicibus cordibus, quæ libera sunt à multiplicibus cogitationibus & sinistra intentione, & mente quæ torue & tetrice spectans & maligne affecta latentem morbum suum ostentat: quam sane à pardo nihil differre opinor, *inquit Cyrillus*, vt enim pardus variis notis & omnigenis coloribus tergo distinctus est, ita mens illa varia est quæ aliud agit, & aliud cogitat.

3 SVNT in triplici genere ij qui bene operantur: quidam nihil: quidam parum: quidam multum metunt ex his quæ seminarunt, priusquam enim fidem Christi quis recipiat, & in eo spiritus sancti fundamenta iaciantur, nullus audire poterit, *inquit Hieron.* Est merces operi tuo, siue ille Iudæus sit, siue hęreticus, siue gẽtilis, quicquid boni operis fecerit, nisi in nomine Christi fecerit, mercedem sui boni operis nõ habebit, videmus hæreticorum virgines, philosophorum rigorem, Iudæorum obseruantias, mercedes congregantes in sacculo pertuso: tales sunt & ij qui post bona opera ad peccata reuertuntur. Parum metit, qui inter multa opera peccatorũ, facit nonnulla quæ iusta sunt: non enim iniustus est Deus vt propter Hier. in c. 1. Aggæi.

multa mala paucorum obliuiscatur bonorum, *inquit Hieron.* Talis comedit quidem sed non in saturitate, operitur pallio sed non calefit, *vt dicitur Aggæi* 1. aliquid potest percipere dulcedinis & gaudij spiritualis, sed non ad satietatem vsque. Qui vero sanctus est vsque ad satietatem comedet, & explebitur in illo quod scriptum est Prouer. 13. *Iustus comedens replet animam:* quia repletus gaudio spiritali cũ Propheta dicit, *Calix tuus inebrians quam præclarus est.* Nihil Christiano homine fœlicius cui promittitur regnum cœlorum: nihil laboriosius, qui quotidie de vita periclitatur, *inquit Hieron.* Quoties enim quamdiu infirmius est, à carne superatur? Quoties qui fortior fuerit à Diabolo decipitur? lubricum iter est per quod ingrederis: nec tantum sequitur gloriæ post victoriam, quãtum ignominiæ post ruinam. Quoties vidi ego tam in doctrina quam in conuersatione de quibusdam sperata plurima, & postquam ventum est vt haberent tempus messium, id est, tempus docendi, vitamq; suam in exemplum præbere populorum, de excelso præcipitatos, & minus inuentum in eis, quam opinio sibi omnium promittebat, vnde accidit vt paulatim negligentia subrepente, paruum quoq; ipsum quod videbantur habere perderent. Hoc autem idcirco perpessi sunt, quia securi fuerunt in pristinis domibus suis, nec extruxerunt in se quotidie domum Domini, sed despicientes eius desolationem, etiam id perdiderunt quod se habere credebant.

Hieron. in epist. ad Rusticum.

Hæc Hieron.

4 ET BERNARD. explicans illud Cant. *Lectulus noster floridus est,* vbi per lectulum conscientiam intelligit bonis operibus refertam, *sic ait:* Quemadmodum lecto non innascitur flos, sed infertur, inquit, & propterea necesse est reparare frequenter, & semper recentiores flores apponere, eo quod diu odorem suum atq; decorem retinere nequeat, sed cito marcessit, virtusq; eius ac nitor deperit, Ita nequaquam sufficit semel vel secundo operari quod bonum est, quia nisi incessanter addas noua prioribus cito marcessit flos, boni operis, atq; in breui omnis nitor ex eo, exterminatur & vigor, nisi assidue aliis actibus reparetur, & sicut nouellæ plantationes maxime necessariam habent irrigationẽ, alioquin aut minus proficient, aut ex toto arescent: Sic profecto quisquis seminauerit bonorum operum semina, aquas deuotionis quærit vt irrigatus fonte gratię, bonæ conuersationis ortus non pereat, sed in perpetua viriditate proficiat: Idenim est quod Psalmista adducit filiis Dei, *Pluuiam voluntariam segregabis hæreditati tuæ.* Psal. 7.

5 NATI sumus ad laborem, *inquit Bern.* licet non creati: natiuitas enim vt non est absq; culpa, ita nec absq; labore & pœna, quo vtroque carebat creatio prima. Non igitur ita a natura generati sumus, vt ad ludum & iocum facti esse videamur, sed ad seueritatem potius, & ad studia quædam grauiora atque maiora, ludo autem & ioco vti illis quidem licet, non profusis nec immodestis, sed ingenuis & moderatis, tum cum grauibus seriisque rebus satisfecerimus. Atqui sicut laborantibus manibus, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu, Sic & multo magis, *inquit Bernardus*, laborante corpore mens quoque ipsa suo intenta sit operi, vt non vacet. Causam laboris cogitet in ipso opere atque labore, vt ipsa ei pœna quam patitur, culpam pro qua patitur, repræsentet, & dum videt vulnerum ligaturam, ipsa sub pannis vulnera meditetur: Huiusmodi siquidem cogitatione humiliamur sub potenti manu Dei, & dulci quadam pietate mens plena, miserabilem se exhibet in oculis eius, vt eius prouocet in se, & obtineat misericordiam.

Bern. ser. 4 ad milites temp.

6 POTISSIMVM autem vigiles esse debemus & solliciti circa opus nostræ salutis: illud enim mira subtilitate ac suauitate diuinæ suæ artis incessanter actitat spiritus Dei in intimo nostri, *inquit Bernard.* Et quidem corpori suo vt prouideant homines satis aduigilant, & pro vi-

Ber. ser. 17 in Cant.

ctu ac-

ctu acquirendo vrgente necessitate satis superq; laborant, nec id male, constituit enim Deus vt in sudore vultus sui vescatur Adam pane suo: Sed animæ vt consulant, pauci intendunt, aut quia non libet propter socordiã qua veluti pondere quodam deorsum ruunt: aut quod non putent opus esse, seu se indigere virtute maiore quod satis videantur probi & boni ad beatitudinem consequendam. Nonnulli etiã ita intenti sunt aut parandis opibus, aut venandis voluptatibus, aut ambitione inflammati ad grandia tendunt, vt præ iis veræ virtutis ac pietatis studium tãquam vile & inane prorsus negligant & contemnant. In quos competit quod Paul. ait, *Qui seminant in carne, de carne corruptionẽ metent.*

7 HIC NOTA, quomodo Paulus opera carnis semini comparet, eaq; seminari dicat, quia non transeunt opera nostra vt videntur, sed temporalia quæque velut æternitatis semina iaciuntur. Stupebit insipiens, *inquit Bernardus*, cum ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem seu bonam seu malam, hoc est, æternæ benedictionis aut maledictionis pro diuersa qualitate sementis. Nam actus nostri, siue boni siue mali, quanquam prætereant secundum substantiam operis, manent tamen secundum sui qualitatem & virtutem, dum agentis mentem informant, in eamq; velut quandam imaginem inducant, dum eam aut bonam aut malam relinquunt, pœnæ seu premiis destinandam. Si enim pulsa stultitia sapientia eam informet, fit præmio digna: si pulsa castitate immunda post fornicationis actum permanserit, fit suppliciis obnoxia.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

ET *factum est deinceps ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius & turba copiosa, &c.* Luc. 7.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Vita humana breuis, vana & transitoria, ideo ei non fidendum.*

II. *Vita nostra miseriis plena, incerta, ideo in ea opus est vigilia.*

III. *Quæ consolatio contra hanc miseriam, & quæ vita optanda.*

IV. *Cur Dominus suscitauit mortuum, & quid per mortuos hos designetur.*

PARS I.

ART. I. Vitæ humanæ breuitas & vanitas.

1. ECCE *defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ.* Inter cæteros hominum errores hic vel præcipuus & maxime communis est, quod longiora sibi vitæ spatia polliceantur, quam æterno Dei decreto eis statuta sint. Nam vt *Hieron. ait*, nemo tam senex qui non se hoc anno super uicturum existimet: dumque animi cogitatione vitæ spatium protrahit, illud & reipsa prolongandum putat: fitque vt hac vana spe animum lactet inaniter, dum vitam suam nuda cogitatione producit insipienter. Huius autem adeo periculosi erroris causa solet esse amor sui, qui vt hominem optime de se sentire facit; ita non nisi optima quæq; & fœlicissima eidem pollicetur, sibiq; euentura homo speret. Quo fit vt nequaquam illorum funera intueatur, aut intueri velit, qui in ipso adolescentiæ flore occubuerunt, ne falsam hanc suam securitatem immaturæ ipsorum mortis consideratione sibi adimat, sed illorum ætate suam metiatur quibus & fœliciora & longiora vitæ spatia

Digitized by Google

ſpatia data ſunt : Similes iis qui militię ſe inſcribi curant, qui cum aduertunt quoſdam è prælio opima retuliſſe ſpolia, eo ſe tota animi auiditate conferunt, idem ipſis euenturum ſperantes : Nec eos ab hac ſpe reuocat quod innumerabiles alios audiant aut in prelio occubuiſſe, aut eos domum mutilos rediiſſe : plus enim illos vnius aut alterius fortunæ fœlicioris exemplum mouet, quam innumera alia infœliciorum exempla mouere poſſunt Quid agis ô homo : quam multos putas hac ſpe fuiſſe deceptos atque deluſos? Nonne per ſingula momenta ſiue volentes ſiue nolentes ad mortem rapimur omnes? quotidie aliqua pars vitæ demitur, tunc quoque cum creſcimus vita decreſcit : Infantes eſſe deſiimus, pueritiam exceſſimus, & tot annos perdidimus, quot viximus : hic dies quoque elabitur inſtar fluẽtis aquæ, & nos ſimul cum illo, Et tamen quia hunc continuum fluxum non aduertimus aliis intenti, & curis huius ſeculi occupati, diu victuros eſſe, & quaſi æternos nos credimus, non aduertentes nec cogitantes ad id nos breui venturos quo citiſſimo curſu properamus : Similes iis q in naui obdormiunt & portũ attingunt, antequam nauigaſſe ſe ſciunt, ſic & nos dum morimur non tam vixiſſe, quam leuiter & breuiter hanc vitam vidiſſe & attigiſſe videmur, vnde Iacobus,
Iacob. 4. *Quæ eſt vita veſtra? vapor ad modicum parẽs & deinceps exterminabitur.*

2 ELEGANTER eam vapori comparat, in quo & calor, & humor, & fumus qui in altum tollitur, & ſtatim euaneſcit, inuenitur: In vapore itaq; varia conſiderare poſſumus propter quæ vitam humanam illi comparatam inuenimus: eſt ibi fumus qui in altum tollitur, per quem humanæ gloriæ vanitas deſignatur: eſt ibi calor & humor, per quem libidinis incentiuum intelligitur, ſolent enim humidi & calidi ad libidinem eſſe proni: ſed vtrumq;, tam ſuperbia vitæ quam carnis concupiſcentia, in quo plæriq; hominum ſuam vitam decurrere ſolent, fluxum & fragile ideo ad modicum parens, & vapor iſte qui virtute caloris in altum ab humidis corporibus eleuatur, aliquando diſſoluitur in infima aëris regione, vnde vere & æſtate fit ros, in autumno vero pruina : interdum vero aſcendit vapor iſte ad mediam vſq; aëris regionem, ibidemq; in nubes concreſcit atq; in pluuiam reſoluitur: interdum aſcẽdit ad ſupremam aëris regionem, ibiq; reſoluitur in tenues halitus qui motione cœli interdum accenduntur, & fiunt inde cometæ, & ſtellæ volantes. Sic vita noſtra vapori comparata, nonnunquã in initio & in iuuentute deficit: aliquando in virili ætate: interdum vero in ſenectute. Sed quid prodeſt homini ſi viuat ſecula centum, Cum moritur, vitam tranſiſſe videt quaſi ventum. Cui conforme eſt quod Iob ait, Iob 7.
Memento quia ventus eſt vita mea. Quid vento inſtabilius aut velocius?

3 PORRO ſic cuiq; ſtatuendum eſt non modo mortalem ſe eſſe, ſed & res, opes, & dignitates ſortitum mutabiles atq; mortales : vere enim *omnia ſunt hominum tenuĩ pẽdentia filo & ſubito caſu qua valuere ruũt.* Hinc quidam apud Homerum,

Quid genus inquiris Tydida ſtrenue noſtrum?
Nil ortus noſter foliorum diſtat ab ortu,
Qua ventus modo fundit humi, modo tempore verno,
Multa renaſcuntur ſyluas paſſim per opacas :
Sic hominum pars orta viget, pars deſinit eſſe.

Xerxes Perſarum Rex potentiſſimus ſtipatus multis militum myriadibus, cum è ſublimi loco tantum exercitum intuitus eſſet, in lachrymas prorupit, rogatus cur fleret, reſpondit, quia poſt centum annos nullus omnium iſtorum ſupererit. Cui conforme eſt, quod *ſcribit Hieron.* O ſi poſſemus, *inquit*, in talem conſcendere ſpeculam, de qua vniuerſum orbem ſub pedibus cerneremus, tibi oſtenderem ꝑfecto totius mundi ruinam : hos in bello magna clade ruentes, illos miſera ſorte ad ſeruitutem redigi : iſtos à fluctibus maris abſor-

absorberi: alios nasci, alios mori: hic nuptias celebrari, illic pompam funebrem exhiberi: hos deliciis affluere: illos extrema paupertate premi: & vt semel dicam non solum Xerxis exercitum, sed omnes totius mundi homines breui temporis spatio concidere. *hac Hieron.* Et apud Poëtam alium, Audi tellus, audi magni maris nymbus, audi omne quod viuit sub sole, Huius mundi decus & gloria, tam sunt falsa quam sunt transitoria, vt testantur hæc temporalia non in vno statu permanētia: Nil hic artium valet profunditas, mors est æqua & inexorabilis omnibus, vbi Plato, vbi Porphyrius? vbi Tullius & Virgilius? vbi Empedocles & Aristoteles? vbi Galen^o & expertus Hippocrates? Trāsierūt leges mortalium per vnius momenti spatium. Nulli prodest sua nobilitas, nullum iuuat regalis dignitas: vbi Alexander Rex magnanimus? vbi Hector Troię fortissimus? Transierunt leges mortalium, per vnius heu momenti spatiū. Nullum saluat corporis quantitas, nullum liberat decor aut species. vbi Samson fortissimus? vbi Goliath superbissimus? vbi Helena, Thais, Lais, aut Florula? Transierunt leges mortaliū per vnius momenti spatiū. Non sunt propriæ quas homines tenent opes sed res procuramus à Deo nobis creditas: Quapropter iniquius ferre non debemus, si repetit quorum nobis exigui temporis vsurā concessit. Abripitur fortassis immatura morte, filius aut maritus, clamas & eiulas. Oblitane es ea te hac cōditione accepisse vt redderes? vita nobis contigit, sed ea lege, vt eam reposcat Deus quando volet. Et certe non ea lege in hanc vitam venimus vt ei leges ipsi præscribamus, sed vt iis obtemperemus quę decreta sunt ab vniuersi gubernatore Deo. Qui ergo vel ipse moriturus, vel liberis morientibus nimis indignatur, nonne perspicuum est eum oblitum esse mortalem se natum & mortales genuisse filios? Postulat itaq; ratio vt qui sana sunt mente in morte amicorū, neque nullos, neque nimios animi motus sentiant, aut fletus emittant, quorum alterū vt est duri & feri, ita alterum dissoluti, effœminatique est animi. vnde Ecclesiasticus, *Supra mortuum plora, defecit enim lux eius, modicum plora supra mortuum quoniam requieuit.* Eccl. 22.

4. QVOD si insuper cum æternitate cōpares vitę nostrę tempora nihil inter breue & longum inuenies discriminis, *Mille anni ante oculos tuos,* inquit Psalmista, *sicut dies hesterna quæ præteriit,* quasi dicat, mille anni æternitati comparati instar momenti & velut punctus reputantur, tanquam gutta aquę ad plenum mare. Iuxta pontum animalia quædam nasci dicuntur, quorum vita vnius diei termino clauditur, cum mane nascuntur, meridie vigent, vesperi consenescunt, viuendique finem faciunt. Censesne si his animus hominis & ratio inesset, eodem quo nos more affecta fore, eadem illis euentura? scilicet vt quæ ante meridiem morerentur luctus & lachrymarum causam præberēt? quorum autem totum diem durasset vita, beata prædicarentur? & tamen quis horum iudicium non inane & puerile dixerit? Sic inquit Psalmista, *Mensurabiles posuisti dies meos* (quia nimirum certa temporis mensura definiti sunt à Deo, quæ præteriri non poterit) *& substantia mea quasi nihilum ante te* (quia & vita mea & quicquid ad substantiam huius mundi pertinet quasi nihil à Deo reputabatur:) *in imagine pertransit homo*, quia cursum vitæ suæ peragit sicut qui somniat, nihil percipiens ex seculo nisi bonorum imaginem, non veritatem: sicut enim *somniat esuriens & comedit,* inquit Isaias, *cum autem expergefactus fuerit, vacua est eius anima, sic erit multitudo omnium gentium.* Item Psalmista, *Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.* hoc est, anni hominum erunt de numero earum rerum quæ tanquam per somnium possidentur: *Mane sicut herba transeat mane floreat, & transeat vespere decidat induret & arescat,* quasi dicat, homo sicut flos egreditur, in pueritia & iuuentute sua, & conteritur in senectute quā vires deficere incipiunt: Quia defecimus in

Psal. 29.

Psal. 38.

Isai. 29.

Psal. 89.

in ira tua & in furore tuo turbati sumus: haud dubie ab illa corporis incolumitate quam in creatione nacti sumus defecimus in ira Dei vindictam mortis & mortalitatis ꝓ primo peccato Adę nobis reddentis. Nam quanquam Deus mortem non fecerit, *teste Sapiente.* creauit enim omnia vt essent, & hominem fecit inexterminabilem, *vt idem ait cap. seq.* non quidem vt natura immortalis esset sicut anima aut angelus, alioquin nunquam mori potuisset, sed immortalis erat gratia supernaturali, hoc est beneficio iustitiæ originalis & ligni vitæ, ipsam naturam ab omni corruptione, morbo & senio præseruante: Tamen postquam homo sua culpa suaq; transgressione hanc gratiam amisit, in mortalitatē incidit, & mortis necessitati subiectus permansit, vt homo ipse sibi au ctor mortis fuerit, teste Sapiente, qui ait. *Impij manibus & verbis accersierunt eam.* Et hoc est quod ibidem subiungit psalmista, *Omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus mortales sumus iusto iudicio: Anni nostri meditabuntur sicut aranea,* quasi dicat, ecce quomodo defecimus, nos in nostris annis defecimus & meditabimur in iis sicut aranea, hoc est annos nostros in rerum vanarum ac caducarum intentissimo ac accuratissimo studio transigemus, & talibus rebus componendis pene vires ipsas ac ingenia nostra consumimus, sicut aranea solet: Meditari dicit, quia homo in huiusmodi operibus nunquam ad perfectionem venit, sicut aranea quæ inane & vile facit opus, vt vilem capiat prædam scilicet muscas, & in hoc totam se euiscerat: Similiter homines inania faciunt opera, & telas aranearum contexunt sibi, de quibus sic Isaias. *Telæ eorum nō erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis, ne appareat nuditas eorum opera enim eorum opera inutilia. & opus iniquitatis in manibus eorum* hæc ibi. Et ita defecerunt dies nostri quod in iis non sint nobis nisi septuaginta annis, aut 80 in potentatibus.

Sap. 1.
Sap. 2.
Sap. 1.
Psal. 89.
Isa. 59.

I. MONET nos & vita nostra cur mortis memores semper esse oporteat, nam ea præterquam quod breuis sit, de qua breuitate hactenus, etiam miseriis plena est & non aliud quam mortis prænuncia videtur. Nam vt Iob ait, *Homo breui viuens tempore repletur multis miseriis*: adeo vt à Plinio legantur notata trecenta morborum genera: quæ cuncta non aliud mihi videntur quam mortis præludia: siue enim cuiuspiam caligent oculi, siue pedes nutent, siue debilitentur dentes vt molere & mandere iam amplius non valeant, quid hæc aliud quam mortem prænunciat? vnde monet Ecclesiastes, *Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent dies de quibus dicas, Non mihi placent, quando nutabunt viri fortissimi,* id est, quando d[e]ficient gressus virorum etiam fortissimorum: *& otiosæ erunt molentes in minuto numero,* hoc est, quando dentes minuentur numero & deficient viribus vt amplius molere non valeant: *& tenebrescent videntes per foramina,* id est, quando oculi & visus deficientur.

I. Vita n[o]stra inc[er]ta & m[ise]riis ple[na].
Iob. 14.
Eccl. 12.

Quod si diligenter cōsideremus, quicquid agitur non nisi in pœnam & miseriam terminatur, *inquit Gregorius*, corruptibili carni seruire ad vitæ sustentationem, tanta cura & sollicitudine familiam administrare & proles educare, contra hostes arma parare, mænia erigere & custodire, contra morbos medicamenta exquirere & sumere nonne labor & dolor est? Solet Aurelius Imperator quærere, An vsquam inueniri possit aut status, aut locus, aut domus vbi quis fortunam non sit expertus duram & aduersam: nam sic de vitæ humanæ miseriis philosophatur Ausonius.

Quod vitæ sectabor iter? si plena tumultu
Sunt fora? si curis domus anxia: si peregrinos
Cura domus sequitur? mercantem si noua semper

Damna manent? cessare vetat si turpis egestas?
Si vexat labor agricolam? mare naufragus horror
Infamat? pœnæque graues in celibe vita?
Et grauior cautis custodia vana maritis?
Omne aeuum curæ, cunctis sua displicet ætas.

vt hinc apud philosophos tritum fuerit Prouerbium, Optimum non nasci: & proximum huic, Quam celerrime mori. Cui consonat quod Ecclesiastes ait. *Verti me ad alia & vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos & laudaui magis mortuos quam viuentes, & fœliciorem vtroque iudicaui qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt,* hæc ibi. Nam vt Ecclesiasticus ait, *Iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ.* Has suas miserias præsagit & prædicit infans dum nascitur, quia non nisi cum fletu & ploratu de ventre matris egreditur & hanc vitam ingreditur: dum masculus A primam literam Adam & femella E ab Eua, cum eiulatu proferre & sonare videtur, tanquam diceret, A Adam quid fecisti mihi & tibi: E Eua quo deueni, in quantam miseriam per te incidi. Eccl. 4. Eccl. 40.

2. TERTIO venit & istud in considerationem, quod morte quidem nihil sit certius, quia *statutum est omnibus hominibus semel mori*, quod statutum nemo infringere, aut vi, aut pretio, aut prece potest, sed hora mortis nihil incertius. Quidam inter epulas, alii inter operas subito extincti leguntur, & *quemadmodum pisces capiuntur hamo*, inquit Ecclesiastes, *& aues laqueo, sic homines in tempore malo.* Fuit Athi in Hannonia adolescens desponsatus virgini qui pridie nuptiarum cum iret natatũ natando submersus est, & facti sunt cibi nuptiarum fercula exequiarum. Voluit autem Deus nos mortis incertos esse vt omni hora omnique loco mortem nobis aduenire posse & pertimeamus & timeamus, & cum incertum sit quo loco aut quo tempore mors nos expectet, illam omni tempore nos expectemus vt paratos nos inueniat. Eccl. 9.

Non potest autem quis mortem venientem excipere paratus, nisi qui se ad illam paulatim & à multo tempore composuerit, eo quod mors vitæ plerumque correspondere soleat, vt qualis quis in vita fuit, talis maneat & in morte: cum enim affectus quibus quis assueuit, quiue longa assuetudine in naturam quodammodo versi sunt, siue vitiorum ii fuerint, siue virtutum, ægre possint extirpari, seseque homo ab iis non nisi magno cum labore, luctando, orando, ingemiscendo exercitio atque vsu contrario possit expedire quod ex eo vel maxime patet, quod homo post longam & diuturnam ægritudinem iisdem sæpe animi morbus & morbidis qualitatibus maneat obnoxius, quibus prius erat, æque morosus, æq; elatus, æq; cupidus vt ante solet, adeo vt plerosq; hominũ huiusmodi prauos habitus secum etiam post mortem ad locum pœnarum deferre existimem, qui sunt ibidẽ vel exurẽdi atq; purgãdi, aut æterno supplicio in iis quia Deo auersi moriuntur, puniẽdi, quia iuxta Ecclesiasten, *Lignum vbi ceciderit siue ad austrũ, siue ad aquilonẽ, in quocumq; loco ceciderit, ibi erit, hoc est, ait Aug.* in quo quemq; inuenerit suus nouissimus dies in hoc eum comprehendet mũdi nouissimus dies. & qualis quisq; in illo die moritur, talis à Deo iudicabitur, siue amicus fuerit inuentus siue inimicus. Et Paulus ad Corinth. *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos* (per quæ tria designantur præclara charitatis opera) *velligna, fœnum stipulam* (per quæ significantur vana friuola & inutilia opera) *vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit*, quia per ignem fiet examinatio: si in aliquo non inueniat quod exurat, manifestabit eum bonum fuisse, & Eccl. 11. 1. Cor. 3

nihil ſordis habere quod per ignem purgari debeat: Sed ſi cupiditas rerum ſecularium ei adhuc inhæſerit; ſiue leues, ſiue graues eæ ſint, tales tamen vt propter eas Chriſtum deſerere nolit, ſed etiamnum eum rebus omnibus anteponat, ignis tribulationis eum exurendo purgabit, quia non ſine dolore pereũt, quæ cum amore poſſeſſa ſunt: Tale aliquid etiam poſthãc vitam fieri incredibile non eſt. Et vtrum ita fiat, quæri poteſt, *inquit Aug.* Quibus tamen verbis non de purgatorio dubitat Aug. (quomodo n. dubitaret, qui *ſerm.34. de verb. Apoſt.* diſertiſſime ait, Orationib. eccleſiæ & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis non eſt dubitandum mortuos adiuuari: Imo *lib. de hæreſib. hære.53. Aerium* inter hæreticos retulit, quod Arianiſmo hoc ſibi proprium dogma adiecerit, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere) ſed de eo duntaxat, An ſicut in hac vita immoderatus amor circa temporalia variis afflictionibus à Deo purgatur, Ita etiam credibile ſit poſt hanc vitam remanere adhuc in anima ſeparata aliquas talium affectionum actualium reliquias, quę tribulationis igne debeant expurgari. Etſi n. animæ corpore vacantes non videantur poſſe tangi eiuſmodi affectionibus corporalib. tamen cum ſint formæ corporum, & in corpore diu fuerint, & rurſũ appetant eidẽ coniungi, credibile eſt eas recordari adhuc voluptatũ quas per inſtrumenta corporea perceperunt, & earum aliquo deſiderio teneri. Sed vtcumq; id ſe habeat, certe quaſdam culpas etiam in futuro ſeculo relaxari, patet ex eo quod Dominus dicit apud Matthęum, *Qui blaſphemiam dixerit in ſpiritum ſanctũ, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro:* Hic ſignificatur etiam in futuro ſeculo quaſdam culpas poſſe remitti. Cum ergo, vt dixi, à prauis affectibus iam inueteratis homo difficillime poſſit ſe expedire, inconſultiſſime ii fecerint qui vſque ad extremam infirmitatem opus arduũ diſtulerint.

Aug. in Ench. c. 69.

hæc Bella. lib 1. c. 21. de purg.

Mat. 12.

3. ADMONET nos Dominus vt omni tẽpore vigilemus nẽ præoccupati die mortis ſpatium pœnitentiæ quæramus & inuenire nõ poſſimus: *vigilate*, inquit, *neſcitis enim quando Dominus domus veniat, ſero an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico vigilate.* Et in Apocalypſi. *Si non vigilaueris veniam ad te tanquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.* Aduenit mors tanquam fur in iis qui non vigilant, nõ ſolum quia inopinato eos præoccupat, ſed etiam quia diripit omnia. Solet *Seneca* dicere, iuuenes à tergo mortem habere, quia ſæpius abripiuntur ex improuiſo: ſenes vero ante oculos, quia vident ſe diu viuere non poſſe. Sed ſiue iuuenis quis fuerit ſiue ſenex, cenſetur is vigilare, qui mortem tanquam furem ſeu hoſtem obſeruat, vt contra eam ſe muniat, non quidem vt eam ſuperet aut euadat, quod fieri non poteſt, ſed vt eam quandocumque aduenerit, paratus excipiat, purgatus à vitiis & virtutib. inſtructus: Eſt enim metaphora ſumpta à militibus qui vigiliam ſeruant contra ſuos hoſtes ne incauti & imparati ab eis opprimantur. Mortis meditatio ad vitam recte inſtruendam accuratiſſima eſt inſtructio, nihil enim æque ad temperantiam omnium rerum, atque ad contemptum tam proſperitatis, ne quis ea extollatur, quam aduerſitatis ne per eam deiiciatur, proficit, atque frequens breuis vitæ & mortis mox ſubſequuturæ conſideratio. Facile, *inquit Hieronymus*. omnia contemnit qui ſe ſemper moriturum cogitat. In huius rei figuram mandabat Dominus plumas auium quæ illi in ſacrificium offerebantur, in cineris locũ coniici ad partem orientalem: vt autem auis ſuis plumis ornatur & pennis in altum fertur, ſic homo ſuis diuitiis, honoribus, veſtitus ornatu & ſimilibus: has plumas in cineris locum coniicit qui ſuæ mortis memor in cinerem ſe conuertendum agnoſcit: idque ad partem Orientalem qua ſol exoriri ſolet, (Plures autem ſolem orientem quam occidentem adorare ſolent, pro-

Mar. 13.

Apo. 19.

Leui. 1.

ne

ut vulgo dicitur) quia eo tempore decet te maxime mortis esse memorem dum exaltari incipis, & ad honores & dignitates eueheris, *Melius est*, inquit Ecclesiastes, *ire ad domum luctus quam ad domum conuiuij, in illa enim finis admonetur cunctorum hominum & viuens cogitat quid futurum sit.*

4. MERITO dum tot quotidie moriūtur, nec vllus hucusque repertus fuerit qui mortem euaserit aut euadere possit, etiam nobis in illum diem prouidere, nosq; præparare debemus, eaque præmittere, quæ in altero seculo nobis vsui erunt: nisi prorsus desipere velimus. *Memor esto quia mors non tardat*, inquit Ecclesiasticus, *ideo ante obitum operare iustitiam & non te prætereat particula boni diei, quia apud inferos quo tu properas non est inuenire cibum.* Item Ecclesiastes. *Quodcumque potest facere manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos quo tu properas.* Et quia iustus & vir timens Deum memor mortis assidue, dum à noxiis abstrahitur, & ad salutaria dirigitur se in illum diem paratum semper exhibet, ideo præmatura morte nunquam moritur, iuxta illud Sapientis, *Iustus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

Ecc.14.

Eccl.9.

Sapi.14.

Amator autem huius seculi semper imparatus hinc abripitur, etiam dū ad senium peruenerit, quia rebus huius vitæ sic intricatus est, vt in æternis considerandis altum somnum dormire videatur, cūque mortis reminisci nolit, ne eius consideratione falsam suam securitatem perturbet, quasi ea ideo ei obuentura non esset, quia eam venturam non cogitat, ad eam se serio nunquam præparat, & propter rarum pietatis ac pœnitentiæ vsum, ægre se ad Deum serio potest conuertere. Quod si interdum mortis horrore concutiatur dum suos familiares mori conspicit, illum horrorem mortisque memoriam quantū potest excutit, dum ad consuetam vitā mundique vanitatem mox redit, instar porcorum qui grunniunt quidem dum eorum vnus mactatur, sed illo tacente, tacent & reliqui, & ad sordes solito more reuertuntur. Ita vt mirum non sit, si de istiusce modi dicat, Psalm. *Mors peccatorum pessima:* Psal.33. quis enim eam mortem dixerit bonam per quam moriens ad damnationem transit æternam? Bona mors putanda non est, quam mala præcessit & sequitur vita, etiamsi moriens moriatur in lecto absque omni pœna. E diuerso mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit, & quam melior ac beata sequitur vita, etiamsi moriens deuoretur à bestia: quis enim mortem metuat quam vita sequitur sempiterna? hac enim de causa beatos dicit Ioannes: *qui in Domino moriuntur*, a- Apo.14. modo enim iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis.

5. EST quidem species mortis horrenda & multum metuenda, quippe quæ homini non modo sensum & vitam eripit, ipsumque omni decore priuat, ac omnibus bonis spoliet, verumetiam tetrum & abominabilem efficit, qui mox sub terra defodi debeat, quippe cuius conspectum & tetrum odorem nemo ferre valeat, vt merito de quouis talia dici possit, Hæccine est ista Iezabel? & quod poeta de Hectore dicit, *Heu mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore.* vt merito philosophus dixerit, Omnium terribilium terribilissimum mors est. Cum Democles mēsæ Dionysij tyranni regio apparatu instructæ accumberet, videns suo capiti gladiū tenui filo appensum impendere, manum patinæ admouere non fuit ausus, sed oculos in ipsum gladium assidue coniiciebat: rogatus cur non comederet, quia inquit, gladium capiti meo impendere video, & ideo metu mortis correptus comedere nō audeo: Intulit statim Dionysius tyrannus, Hæc est fortuna mea quam tu tantopere commendare consueueras, foris dignitate regia & ornatu splendeo, sed intus metu mortis assidue excrucior.

Cum enim omnia sint hominum tenui pendentia filo & subito casu quæ valuere ruant: mirum profecto & multum miran-

 dum,

ûum, quomodo qui dissolute viuunt ita securi sint, tanquam mors nulla sequatur, & velut infernus fabula vana foret.

Narrat *Ioannes Climachus* Abbas montis Sinai *gradu sexto*, se vidisse Monachum in Thalas, qui cum dissolutus esset moribus & iam ægrotare inciperet, raptus in extasim per horã plus minus ad se rediēs, ablegatis atq; dimissis omnibus abstantibus, in cellula se reclusit, vbi per duodecim annos pane & aqua victitans, & flens iugiter tandem instante morte vocatis ad se fratribus dixit, Fieri non potest fratres mei, vt quisquis sertio mortis meminerit, peccare possit. Sed & *Cyrillus Alexand.* sic ait, Mortē timeo quia amara est, iudicem expauesco quia inflexibilis est, gehēnã exhorreo quia interminabilis est, ibi cruciatus perpetuus & luctus sine fine duraturus, ibi clamant miseri, & non est qui adiuuet, eiulant misere & non est qui misereatur.

III. Consolatio contra metum mortis. 1. EST tamen quo homo se consoletur aduersus hæc omnia mala, quin & aduersus mortem ipsam, si nimirum dum sanus est & valet, mundo mori discat, & Deo viuat, qui aduersus ista nos munitos reddere potest. Sic enim Petrus ait, *Et quis est qui vobis noceat si boni fueritis?* & Paulus, *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Cuius rei exemplum videre licet in S. Hilarione: hic enim, prout de eo refert *Hieron.* cum in latrones incidisset, eumque armati circumdarent, ac comminatione mortis perterrefacerent: videntes eum intrepidum, ac non mutatum assistere, rogant, Nunquid necem non times? quibus ille constanti animo respondet, Necē nō timet, qui mori paratus est. Quis quæso ducem militumue seculi tam præstanti animo fuit vnquam vt in tanto vitæ periculo constitutus mortem non timeret? vnus miles Christi nudus & inermis inter tot armatos nihil expauit, plusque illi audaciæ ad mortem patiendam, quam illis ad inferēdam fuit. Quem enim interime-

1.Pet.3.

Hieron. in vita Hil. cap. 4.

re vel saltem spoliare decreuerant, stupore correpti illæsum reliquere, *hæc Hieron.* illis grauis & terribilis mors est, qui terrena sapiunt iisque se oblectant: mortem enim facit amaram amor rerum terrenarũ quas inuiti deserere coguntur. vnde Ecclesiasticus, *O mors quam est amara memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus.* Sed mortem maxime formidabilē reddit conscientia scelerum, quæ tunc & grauitatem peccatorum, quæ nunc latet, & Dei iudicium & pœnas ob oculos statuet æternas. Iis autem quorum conuersatio in cœlis est, quique a vinculis & amore seculi sunt expediti, mors grauis nō est, sed securi moriuntur, quia moriendo, ad vitam transeunt æternam.

2. IDEO non tam optandum est vt diu viuamus quam vt bene & pie viuamus, nihil enim interest multis quis annis vixerit, an paucis, si tam illum pauci anni bonum & beatum fecerunt, quam hunc multi, videmus quiuis re priores partes tribui non ætati longæ, sed profectui atque virtuti. Nam & inter plantas eæ habentur præstantissimæ quæ plurimum fructus minimo tempore ferunt: & inter animalia ea commendantur maxime ex quibus exiguo temporis spatio plurimum vtilitatis percipimus. Ita certe mensura vitæ censeri debet non longitudo temporis sed morum honestas & vitæ probitas, sic enim Sapiens ait, *Senectus venerabilis est non diuturni neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Ita vt secio quisque secum cogitare debeat nō vitam longissimam esse optimam, sed quæ virtute administratur. Sap.4.

Qui variis cupiditatibus agitatus ętatē consumit, licet diu viuat, non multum tamen proficit: est enim similis naui quæ variis tempestatum procellis hic illucque propellitur, & per eadem spatia in orbem gyratur, quæ non multum nauigauit sed multum iactata fuit. Pauci solliciti sunt vt bene viuant, sed omnes in hoc incum-

incumbunt vt quam diutissime viuant, cum tamē si intenti essent vt pie beneque viuerent, ad id peruenire possent, sed etiamsi velis remisque contendant vt diu viuant, id assequi nequeāt, quia, teste Iob, *constituit nobis Deus terminum quem nemo praeterire potest*. Sed etiamsi quis duobus milibus annorum vixerit, & non fuerit perfruitus bonis, neque cognouerit distantiam boni & mali, *de hoc ego pronuncio*, inquit Ecclesiastes quod *melior illo sit abortiuus, frustra enim venit & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius*.

Eccl. 6.

IV. Qui per mortuos suscitatos designetur.

1. ADOLESCENS *tibi dico surge*. In eum finem maxime hunc mortuum suscitat Dominus, vt quantus esset homines ex ipsius operibus intelligerēt, & in ipsum crederent ac suae salutis spem reponerent. Hoc facto enim Christus se Deum esse, qui & in mortem imperium habet, demōstrat: qui sicut verbo dixit, *Fiat lux, & facta est lux*, quae potentia soli Deo propria est, ita iussu & verbo hunc mortuum suscitat: vt se eundem esse declaret qui verbo condidit hunc mundum, & omnia quae in eo sunt. Alio igitur modo Christus suscitat mortuos, alio modo Sancti, hi enim precibus & meritis suis id à Deo impetrarunt, neque tam propria quam Dei virtute mortuos suscitarunt: Christus autem propria virtute, ideo solo iussu & imperio.

Quinimo non solum verbo mortuum suscitat Dominus, sed & per hoc quod feretrum tangit, significat, *inquit Cyrillus*, sacrum suum corpus efficax esse ad humanam salutem: est enim corpus vitae & caro verbi omnipotentis cuius habet virtutem, vt sicut ferrum adiunctum igni perficit opus ignis, sic postquā caro vnita est verbo quod viuificat omnia, ipsa quoque facta est viuificatiua & mortis expulsiua, quae etsi nobis ante non proderat ad vitam, tamen posteaquam eam Christus assumpsit homo factus, proficere coepit ad salutem. Porro per hoc quod mortuum alloquatur Dominus tanquā viuum eum à morte suscitans, resurrectionis specimen hic exhibet, eiusque fidem confirmat: Canet enim tuba, *Surgite mortui*, & resurgent omnes incorrupti, quos à morte velut à somno excitabit dans voci suae vocē virtutis. Id cum videret turba quod mortuus resideret ac suscitatus esset, corripuit eos timor, quo eum tāquam sublimem aliquā personam timere incipiebant, dumquod in eo cōspiciebant humanam potestatem excedere aduerterent, sicut naturaliter inferior timere solet, cum sublimem aliquā personam vtpote Regem aut principem accedere debet: nondum tamen huc conscenderant vt eum Deum crederent, sed ex operibus quae patrabat Christum caeteris prophetis maiorem iudicabant, hinc vocant eum Prophetam magnum.

2. NON vacat mysterio quod cum Dominus plures mortuos suscitauerit, tres tantum eum suscitasse legamus, *inquit August*. Suscitauit filiam archisynagogi, sed in domo iacentem mortuam: suscitauit & hunc viduae filium, sed extra portam ciuitatis foras elatum nondum tamen humatum: suscitauit & Lazarum, sed sepultum & foetentem. Isti tres mortui tria peccatorum genera denotant, *secundum Augustinum*, Moritur homo secundum animam quando mortaliter peccat sola cogitatione per internum cōsensum: talis adhuc in domo iacet quia peccatum interius celat nefaria cogitando. Si vero malum quod intus cogitationibus commisit opere compleat, & coram aliis ad effectum deducat, iā foras effertur & ad sepulchrum deducitur.

At vero si frequentius peccando in prauam consuetudinem deuenerit, quae fit quasi altera natura, vnde egresse potest extricare, iam foetet & sepultus est; vnde nunquam propria virtute egredi posset, nisi altiori potentia suscitaretur. Nullus itaque desperationi datur locus cum & Lazarus foetens suscitatur. Quod si graue sit peccatum tuum, ita vt illud poenitentiae tuae lachrymis abluere non possis, fleat.

fleat, pro te mater Ecclesia, *inquit Ambros.* cuius lachrymis commotus Christus te tangat, & haud dubie resurget quæ mortua iacebat in corpore tanquam in feretro, anima, quia vt Dominus ait apud Ioannem, *venit hora & nunc est quando mortui audient vocem filii Dei & qui audierint viuent.* Quod si luges corpus à quo recessit anima, magis lugere oportet animam à qua per peccatum recessit Deus, *inquit August.* quia quod efficit mors in corpore, cum sensum, motum & vitam eripit, quæ corpus ab anima percipit, id efficit peccatum in anima à qua Deum, qui est vita animæ, excludit: Ita vt in morte corporali, quę est effectus & soboles peccati, aliquo modo cernere liceat & cognoscere naturam & deformitatem peccati, sicuti causa cognoscitur in suo effectu, qui est quædam participata similitudo suæ causæ, quinimo plus malitiæ inest peccato quod est mors animæ, quam morti corporali, quia mors efficit quidem hominem miserum, sed peccatum efficit eum miserum & malum & Deo inimicũ. Ideo dicit Dominus per Ozeam, *propter malitiam ipsorum de domo mea eiiciam eos.*

Ioan. 5.

Oze. 9.

PARS II.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ.

Luc. 7.

Summa Articulorum Partis II.

I. *Quibus mors metuenda, quibus non.*
II. *Arma qualia sumenda contra mortem, non vt euadas, sed ne paueas.*
III. *De consolatione viuorum super morte suorum amicorum.*

Art. 1. Quibus mors metuenda,

1. MAGNVM discrimen inter mortẽ hominis iusti & impii: De illa enim dicitur, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, & alibi, *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Mors enim iusto ianua est vitæ, initium refrigerii, & ingressus in locum admirabilis domus Dei. De morte autem impii dicitur, *Mors peccatorum pessima.* Hominem impium enim manet horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu magni Dei. Impium horror manet, quia ostium domus eius obsident horribiles spiritus isti qui eius exitum præstolantur, *inquit Bernard.* vt tanquam leo rapiant animam eius dũ non est qui redimat neq; qui saluũ faciat. Quantus ille pauor erit cũ dimissis omnibus, quorũ homini tam iucunda est præsentia, tã gratus aspectus, solus ingrediens incognitam penitus regionem, vbi cateruatim occursantia ei teterrima videbit mõstra illa aspectu horrida. Quis tuebitur eũ à rugientibus præparatis ad escã? Quis putas ille pudor erit, quæue confusio post tanta beneficia tam ingratos apparere ante faciem Dei nostri? Fugiebat Adam vt absconderetur ab eo post vnius pomi gustũ: Quid homo impius post tanta facinora præsumet, *Ingrediatur putredo in ossibus meis*, inquit Habacuc, *& subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis huius, & in ea non tangat me malum horroris, doloris, & pudoris.*

quib [...] Psal. 11[5] Psal. 12[6] Psal. 3[3]

Bernar. serm. ex variis.

Habac. cap. 3.

2. FOELIX quidẽ anima illa quæ fiducialiter loquetur inimicis suis in porta, quid hic astas cruenta bestia, nihil in me funestũ reperies. Fœlicior cuius opus nõ arserit quem superædificasse aurum, argentũ, lapides pretiosos examen illud inueniet: Sed fœlicissimus ille qui sine vlla cõfusionis nube reuelata facie gloriam Domini speculabitur.

Nam & per ignem nobis transeundum est, vt vniuscuiusque opus quale sit ignis probet. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriam, *inquit Bern.* ibi reuelabitur vniuersa impuritas, ibi veritas iustitias iudicabit. Quid vero omnes iustitiæ nostræ illic nisi pannus menstruatæ reputabũtur, vtinam magis iam daret quis capiti meo aquas & oculis meis fontem lachrymarum. Forte enim non reperiret ignis

Bernar. vt sup.

cau-

exutens quod interim fluens lachryma diluisset, *hactenus Bern.*

3. DICIT Ecclesiastes cap. 7. *Melior est dies mortis die natiuitatis:* quia dies natiuitatis, *inquit Origenes*, initium est omnium tribulationum & angustiarum, omnium laborum & dolorum, omnium iniquitatum & peccatorum, vt propterea merito Iob dixerit *Pereat dies in qua natus sum.* Considera, *inquit Chrysost.* quot malis plena est præsens vita, cogita quoties & ipse præsentem execratus es vitam. Nonne hic in sudore vultus tui cogeris vesci pane tuo? Nonne hic graue iugum super omnes filios Adam? Et futura vita nonne portus tranquillitatis, nonne sinus quietis? Ita enim legimus, *Beati qui in Domino moriuntur, amodo enim iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Et ideo non maledixit Iob diei mortis suæ, quia hæc est consummatio & requies Sanctorum: quibus proinde congratulamur quod huius vitæ miserias & pericula euaserint & ad gaudia & requiem peruenerint: vnde & Ecclesia non diem natiuitatis Sanctorum sed mortis eorum commemorat & celebrat. Sed plærique hominum sub cœlo degentium, qui solam hãc carnalem vitam diligunt & terrenis bonis inhiant, diem natiuitatis suæ delectabiliter colunt, quia hanc existimant portionem & hæreditatem suam: diem vero mortis nec nominari patiuntur. Sed & *Basili.* explicans illa verba, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*, sic ait. Pretiosa quidem mors sanctorum, sed nõ est pretiosa natiuitas eorum: quia teste Apostolo, Seminatur in ignobilitate & surget in gloria. Iste enim in mundum ingressus noster per ignominiam fit sordentis eluuiei ac fœdi odoris; & quorum ne prospectum quidem vllus facile toleret. Contra exitus atque hinc emigratio pretiosa est & illustris, quia nõ est corruptio sed ad honorem transcensio, cum videlicet anima ab omni inquinamento carnis emancipata & libertati reddita nullam in se retinens maculam aut rugam duris pro pietate agonibus probata, admirabili virtutis decore interlucens, & insignita corona iustitiæ omni lapide pretioso rutilantior & sole splendidior præsentabitur suo Domino, verum non omnium hinc emigratio talis est, sed eorum qui vitã hãc suam sancte & iuste traduxerunt. Proinde nihil est quod cunctemini ô homines illustre hoc & honestum adire certamen nec mortem perhorrere, nec enim ea est corruptio sed vitæ occasio & ad vitã meliorem migratio. *hactenus Basil.*

Orig. in 8. c. Iob.

Iob. 3.

Chrys. ho. 691. ad pop.

Basil. in Psalm. 115.

4. INTER cæteros admirandos passionis Christi effectus hic vnus est, quod moriendo mortem vicerit, iuxta illud Ozeæ, *Ero mors tua ô mors*, quæ in Sanctis iam perfecte victa est quia amplius non moriuntur, & eos qui timore mortis per omnem vitam obnoxii erant seruituti, liberauerit, vt Paulus *ait ad Hebr.* 2. In quem Heb. 2. locum *sic Chrysostom.* Quoniam homines naturaliter mortem timebant, gustauit & Dominus mortem, nullam habens necessitatem, vt fiducialiter mortem, accederent: sicut medicus prius gustat medicinam ægroto sumendam vt persuadeat & promptius illam accipere. Quid autem est, *inquit* Timore mortis per omnem vitam obnoxii erãt seruituti? Hoc dicit, aut quia qui mortem timet, seruus est & omnia patitur ne moriatur: aut quia omnes serui mortis erant, cuius captiuitatem cũ euadere nõ possent, cum perpetuo timore viuebant semper mortem exspectantes, & hoc timore apud eos manente nullũ voluptatis sensum capere poterant. Hic demonstrat apostolus, *inquit Chrysost.* eos qui patria pulsi sunt ob Christi fidem & omnibus bonis exuti liberius agere quam qui in deliciis degunt & mortem perhorrescunt, quam illi derident & contemnunt, vsurpantes sibi illud Psalmistæ, Psalm. 115.
Non timebo mala quoniam tu mecum es. venict quidem mors, sed iustis non nisi somnus erit, breui ex eo suscitandis. Sic enim Paulus loquitur ad Thessalo. *Nolu-* Thes. 5.
mus vos ignorare de dormientibus vt non contristemini sicut & cæteri qui spem nõ habent.

bent. Qui spem resurrectionis non habẽt, merito suos mortuos lugent tanquam qui iam perierint.

5. IVSTI anima cum exit à corpore non expauescit, *inquit Aug*. explicans illa verba, *Simul insipiens & stultus peribunt*) sed cum exultatione deducentibus eam sanctis angelis pergit ad misericordem iudicem. Sed si vultis scire quam magno metu, magnisque doloribus anima impii separetur à corpore, hoc attendite quod venient maligni spiritus vt rapiant eam ante tribunal seueri iudicis, & tunc quasi simul loquentia opera ei dicent, non deseruisti nos nec deseremus te, opera tua sumus, & ideo tecum semper erimus, tecũque ad iudicium pergemus. Igitur prudens esto, & prospice tibi in futurum, imitare formicam, reconde æstate ne esurias in hyeme. Hyems est nouissimus dies tribulationis & angustiæ & amaritudinis. Quod si non feceris tanquam stultus peribis. Qualis fuit diues ille epulo qui pauperi Lazaro non dabat micam panis, sed reliquit alienis diuitias suas. Fratres enim eius qui ipsius possederunt diuitias, alieni facti sunt ab eo, qui non cogitauerunt spiritus male viuentis vbi maneret, sed vbi cũ pompa poneretur mortale corpus hominis pereuntis: qui non attendebant quam malam vitam transegisset dum viueret, sed quam pompam dum moreretur mortuo corpori deferrent. Excipitur sepulchro pretioso, inuoluitur pretiosis vestibus, sepelitur conditus vnguentis & aromatibus. De his sic psalmista, *Sepulchra eorum domus illorum in æternum*: Faciunt enim sibi marmoratam & æternam memoriam per exsculpta sepulchra, quasi ibi perpetuo mansuri essent. Si ibi maneret diues epulo, apud inferos non arderet. Tabernacula eorum in progenie & progenie, quia dum filios suos relinquunt in possessione sua, ea bona seruant & augent filiis suis, *inquit August*. & illi filiis, & tertii filiis. Quid Christo? quid animæ suæ? omnia filiis. Et vocauerunt nomina sua in terris suis. Quid est hoc? Tollunt panem & merum ad sepulchra, & inuocant ibi nomina mortuorum (*sunt verba Aug*.) Putas quantũ inuocatum est nomen illius diuitis? Postea quando inebriabãt se homines in memoria ipsius, nec descẽdebat vna gutta super linguam ipsius ardentẽ: ventri suo seruiũt homines non spiritibus suorum: ad spiritus mortuorum suorum non peruenit nisi quod secum viui fecerunt. *Hæc Aug*.

August. in Psalm 48.

II. Præsidium cõtra mortis metum.

1. PRÆDIXIT olim Zacharias cap. 14: *Erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes quæ non ascenderint ad celebrãdum solennitatem tabernaculorum*. In veteri lege institutum erat festum scenopegiæ seu tabernaculorum, in memoriam istius quod filii Israel in deserto habitauerint per quadraginta annos in tabernaculis: idque in figuram & significationem istius quod simus hic velut peregrini non habentes permanentem ciuitatem, sed futuram inquirentes. Sed quid est hoc quod propheta ait, *Erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes quæ non ascenderint ad celebrandam solennitatem tabernaculorum*? Quia oportet gaudere in eo quod hic peregrini simus, qui meliorem patriam inquirimus: Quod qui non fecerit, seseque hic tanquam peregrinum non gesserit, vtens hoc mundo tanquam non vtatur, sed corde rebus terrenis inhæserit, & hic se permanẽtem ciuitatem habere existimet, peribit anima illius de populo Dei. Ecce dum libenter & iucunde moratur homo in mundo, multaque in longa tempora disponit agenda, repente rapitur à morte, & ex improuiso aufertur à corpore, timeat sibi ne percutiatur ruina Domini. Hæc considerantes expauescite, & diẽ mortis ante oculos ponite. Quod si forte putetis quia finis mundi tarde veniet, vel suum vnusquisque consideret finem. *hæc Aug. de vanitate sæculi*.

Aug. de vani. secul.

2. SECVNDO si consideres quod is qui mortuus est, in melius contubernium per mortem demigrarit & ad meliorẽ requiẽ transilierit, inde magnum contra luctum

mortis.

mortis & metũ illius præsidiũ conquisieris. Proinde ne sis attẽtus ad iacentis spectaculũ, quomodo iaceat corp⁹ exanime & facies pallida mutata forma, per quæ mors ipsa cernitur & horretur, cogitatur præterea perpetuum silentiũ q̇ in posterũ nec os illud loquetur amplius, nec oculi videbũt: cogitatur insuper aut delectatio quę fuit aut futura erat, veniunt in mentẽ & verba dulcissima & cõuictus iucũdissimus atq; suauissimus: Insuper consideras eorũ qui ante pauca tempora tecũ erãt & cõuersabantur cõditionem & statũ, quid sint, quid fuerint, & vides quod ex eis nil nisi soli cineres remanserint. Qui si modo loqui possent, Hæc tibi dicerent, vt quid infœlix tantũ pro seculi vanitate discurris? Vt quid te criminibus & vitiis exples?

Aug. vt supra. Cõsiderate ossa nostra exesa & corrosa, & vel sic vobis horreat cupiditas, & miseria vestra. Quod vos estis, nos fuimus, & q̇ nos sumus vos eritis. Hæc sunt sine dubio quæ mouent lachrymas, & totũ animũ in tristitiam mergunt profundã, & ægrimoniam resuscitant. Contra hæc igitur tam fortia doloris incentiua, spiritualibus nos debemus armare præsidiis. Proinde ne sis attẽtus ad iacẽtis spectaculũ, quin potius abduc animũ à cadauere iacente ad cœlũ, tecum reputans, Non iste est filius quẽ iacentem hic conspicio, sed ille qui sublatus est in cœlũ: Et cũ videris os cõtractum & oculos clausos, totumq; corpus immobile, ne tecũ cogites, Illud os posthac nunquã loquetur, illi oculi posthac non videbũt, illi pedes nõ amplius ambulabũt, sed in corruptionẽ abibunt omnia. Ne sic loquaris,

Chrys. ho: 2. in 2. ad Cor. *ait Chrys.* sed dic potius, Hoc os melius loquetur, hi oculi pulchriora videbũt, hoc corpus quod nunc corrũpitur, induet immortalitatẽ. Vt enim nos dum nouã domũ extruere volumus, ruinosam deiicimus & eos qui inhabitant exire ad tempus facimus, vt postea tutius & splẽdidius tabernaculũ inhabitẽt: Ita facit & Deus, demolitur putre hoc tabernaculũ, & animam exire facit & ad se recipit, vt cum tabernaculum nouum fuerit extructũ, tunc illi reddat clarius & splendidius: Itaque ne dixeris, Non amplius erit: Sunt enim ista verba diffidentium: Sed ita potius loquere, Dormit sed resurget: præcessit, ego sequar, peregre profectus est, rediturus breui & hoc cum Imperatore & splendore. *Hæc Chrysost.*

3. ITAQVE quid metuat, *inquit Bernar.* veterani domicilii ruinas, qui fabricam spiritualem videt indies in sublime consurgere, proficere in æternitatẽ? Certus namq; est quod si terrena domus huius habitationis dissoluatur quod æternã habebit in cœlis. Sed dicet aliquis, *inquit.* Quid si morte præuentus fuerit homo necdum spirituali ædificio consummato, Dicemus de hoc, ait, quod consummatus in breui expleuerit tempora multa, *Sap.* 4. Bene multa, quia & vniuersa complectitur. Quomodo enim non expleuit omnia tempora qui transit ad æternitatem? Quãta sane tempora non longæuitate, sed longanimitate, non annorum serie, vel dierum numero, sed mentis deuotione, & inextinguibili semper proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immerito vendicauit: retinet quippe virtute quod amisit in tempore. Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est, sed semper esurit & sitit iustitiam, ita vt si semper viueret, semper quantum in se eit, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum instar mercenarii, sed in æternum diuino se mancipat famulatui, dicens cum psalmista. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum.* Proinde *iustitia eius manet* non aliquanto tempore, sed *in seculum seculi.* Quo deniq; pacto temporis breuitas bonorũ præiudicet deuotioni, quæ pertinacẽ reproborum malitiam excusare non sufficit? Ob hoc enim proculdubio inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat

Bernar. epist. 244.

pertinaci voluntate, ita vt si nunquã moreretur, nunquam velle peccare desineret imo semper viuere vellet vt semper peccare posset, *Hactenus Bern.* Suppletitaque voluntas, quando factum excludit necessitas, eo quod tunc voluntas pro facto reputetur si plena & perfecta inueniatur, siue ea in malo pertinax, siue in bono constans & perseuerãs fuerit: Nam quicquid malitiæ aut bonitatis moralis in opere reperitur, ex interna voluntate in ipsum deriuatur.

III. Consolatio viuorũ in morte suorũ. Hier. ep. 3. ad Heliodo. tom. 1.

1. ANAXAGORÆ semper fuit laudata sentẽtia, *inquit Hier.* cui cum mors filii nunciaretur, dixit, Sciebam me genuisse mortalem: Quanquam hæc in suggillationem nostri breuiter dicta sit, si non præstet fides quod exhibuit infidelitas, si inter præcepta virtutum & spem resurrectionis, credulam mentem desiderii frangat affectus, Vince igitur quantum potes mollitiem animi tui, & vbertim fluentes lachrymas reprime, ne grandis pietas in nepotem vnum mortuum apud incredulas mentes desperatio putetur in Deũ. Ne doleas quod talem amiseris, sed gaudeas quod talem præmiseris, cuius semper virtute lætatus es: desiderandus est tibi quasi absens non quasi mortuus, sed velut dormiens semel suscitandus, vt illum expectare non amisisse videaris. Quinimo si nostri tẽporis calamitates videre velimus non tam plangendus est qui hac luce caruerit, quam gratulandum ei qui de tãtis malis euaserit: fœlix enim qui mala huius vitæ nec viderit nec audierit. Nos miseri qui aut patimur, aut patientes fratres nostros tanta perspicimus. Et tamen viuere volumus, eosq; qui his carent flendos potius quã beatos putamus. Xerxes ille Rex potentissimus cũ de sublimi loco infinitã hominum multitudinem & innumerabilem vidisset exercitum, fleuisse dicitur quod post centum annos nullus eorum quos tunc cernebat superfuturus esset. O si possemus ascendere speculam de qua vniuersam terram sub nostris pedibus cerneremus, iam tibi ostenderẽ totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa, alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad seruitutẽ trahi: hic nuptias, ibi planctum, illos nasci, illos mori, alios affluere deliciis alios mẽdicare, & non Xerxis tantũ exercitũ, sed totius mundi homines qui nunc viuũt in breui spatio defuturos. Quotidie morimur quotidie commutamur & tamen æternos nos esse credimus. *hactenus Hier.*

2. CERTE vt nemo lugere debet, cum reddit alienũ, ita qui ab alieno mundo ad proprium trãsiuit Dominum & de hostili terra ad patriam migrauit propriam, non luctum debet nobis incutere, *inquit Hier.* cum à peregrinatione redire debuerit ad propriam regionem, sed magis gaudium maxime cum non inanis & vacuus redire noscitur, qui Christianitatis mercatus est lucrum propter quod descendit ad mũdi commercium. Ne itaque dixeris, Bonorũ successorem non habeo, ideo mortuum meum lugeo. Et quid malebas *ait Chrys.* eum tuorum an cœlestium bonorum, hæredẽ fieri? Quid vero cupis eum pereuntia suscipere, quæ paulo post relicturus, an æterna possidere bona? Sed dicis, Non lugeo mortuum quia bonorum meorũ successorem non habeo, sed quia omni auxilio & consolatione destituor. Certe *inquit Chrys.* si Deum plus amares quam amicum aut maritum defunctum non te auxilio destiturum, sed magis munitũ sentires. Is enim quia zelosus est te plus de eius cura & auxilio cõfidere vult, quã de amici aut mariti tui: & forte ideo eũ abstulit, vt omnem spem tuam & fiduciam in eum cõiicere assuesceres, qui tibi melius quam amicus aut maritus prouidere poterit, modo fide fortis fueris vt eum loco mariti, loco amici, loco patris habere possis.

Hier. ep. ad Tyrasi. tom. 9.

Chrys. ho. 69. ad pop.

Chrys. ho. 6. ad Thes.

3. CVM itaque dicis, Destitutus sum omni solatio pignoris pii; excusatio est hæc, sine dubio, *inquit Hieron.* fragilitatis humanæ. Si desolationes homines ferre non valerent, nunquam prorsus parentes à se sua pignora dimisissent, Destitutos

Hiero. vt sup.

Digitized by Google

... se homines à morientibus conquerũtur, & viuos filios peregrinis regionibus credunt, aut vt negociando lucrum acquirant, aut vt ad honores & dignitates perueniant, nec secum manere quos diligunt patiuntur, dummodo capiant quod cupiunt. Et vt ad palatia Christi, ad honorem vitæ perpetuæ, & ad patrimoniũ possessionis æternæ cum securitate valeant peruenire nemo filios suos se libenter patitur abscedere. Mihi crede, *inquit Hieron.* sola in omnibus incredulitas mœret quæ Deo non vult esse subiecta. Casus hic cõmunis est omnib. vt mori debeant, Abraham iussus offerre filium suum, *Genes. 22.* mox se præparauit ad immolandum eum. Et quidem à te non exigitur vt ipse offeras atq; immoles filium tuum, sed si forte amittitur filius morte communi & omnib. debita saltem tunc mente constans esto, & fide fortis lætus eum offer Deo. Nam quanquam tantũ robur, nec tãtum magnitudinis animi in te non fit, quantum in Abraham fuit, attamen ex ipsa historiæ narratione adducas tibi in exemplum Abraham, & magnanimitatem eius ante oculos pone, vt tantum animi robur acquiras, qui saltem patienti animo mortẽ filij perferas: etiam in eo te filium Abrahæ ostẽderis, si vel sic opus Abrahæ feceris qui si non læto & magno animo obtuleris, vel patienter saltem mortem perferas. *Hæc fere Orig.*

Orige. ho. 8. in Gen.

4 CVM itaq; mors communis sit & omnibus debita, quid absurdius, *inquit Ambr.* quam vt id quod dicias omnib. præscriptũ esse, quasi speciale deplores? Hoc est animum iuxta conditionem extollere, commune naturæ consortium recusare. Quid absurdius quam nescire quid sis, affectare quod non sis? vt hoc omittã, inquit, quod mors nos seculi huius absoluat ærumnis. Certe si gentiles sibi aliqua reperierunt solatia, quia requiem malorum omnium mortem existimabant, & vt vitæ fructu careant ita etiam caruisse se putant omni sensu & dolore pœnarum, quas in hac vita graues, & assiduas sustinemus: quãto magis nos, quibus meliora post mortem præmia bonorum factorum conscientia pollicetur? Illud interea expendendum quod quicquid nascitur ex quo Adam peccauit. mori necesse est propter immutabilem illam Dei sententiam post delictum prolatam, *Terra es & in terram ibis.* Nonne hæc ipsa nobis cum ipso mundo clementisque communia sunt vt oriantur & occidant omnia, hyems transit, æstas aduenit, dies nocti, & nox diei succedit, terra ornatur floribus & fructibus; mox iisdem spoliatur & denudatur, tamen id non ægre ferimus, neq; dolemus. Cur si occidant humana, doleamus? cur mœstitiam non ratio potius quam dies leuiat? nam quod obliteratura est temporis series, melius prudentia mitigabit & cum maiori fructu, dum cogitat, ad tempus credita in perpetuum tenere non possumus. Lyciorum feruntur esse præcepta quæ viros iubeant muliebrem vestem induere, si mœrori indulgeant, eo quod mollem & effeminatum iudicauerint eiuscemodi virum. *hæc Ambros.*

Ambro. orat. de fide Resurr.

5 QVID ERGO? Nunquid mortuum me deflere prohibes? cũ & benignus Samuel super reprobo Rege Saule, & pius Dauid super patricida filio, satis fecerint affectui. Quin & Saluator ipse super tumulum Lazari non solum flentes à fletu non prohibuit, sed & ipse fleuit: fueruntq; lachrymę illę indices naturæ, non testes diffidentię, non in iniuria fidei, aut sugillationem diuini iudicij, sed in consolationem affectus humani. Non culpamus fletum nisi cum excedit modum, ille nimirum naturæ est, hic culpæ. Nunquid quia sentio pœnam, reprehendo sententiam? Humanum est illud, impium est istud. Aulsa sunt viscera mea, & dicitur mihi. Ne fleueris? ne senseris? sentio, sentio vel inuitus. Affectum meum confiteor, carnalem quis dixerit? Ego humanum non nego, sicut nec me hominem.

Vide Ber. ser. 26. in Cant.

Hæc Bernardus.

PARS III.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ: Et ait Dominus noli flere.

Luc. 7.

Summma Articulorum III. Partis.

I. *Mortem præ oculis semper habere est vtile.*

II. *Mors an sit mala & metuenda.*

III. *An mortui sint deflendi, & qui, & qui non.*

IV. *De consolatione super mortuis.*

Art. I. Mortis frequens memoria quam sit vtilis.

1. INTER cæteros humani generis errores vnus hic est, isque admodum communis, quod dum ignorãt homines vitæ suæ spatia, longiorem sibi seculi huius possessionem repromittant quam habituri sint: Nam *teste Hieron.* nullus adeo senex, nullus tam decrepitæ ætatis qui nõ se vno adhuc anno victurum existimet: Quo fit vt minus se ad mortem præparet, minus ea quæ suæ sunt salutis recogitet. Nam hæc causa cur seruus ille Euangelicus, qui dixerat in corde suo. *Moram facit Dominus meus venire*, cœperit percutere conseruos, edere & bibere, & inebriari: Venitque Dominus illius in die qua non sperabat diuisitq; eum, & partem eius cũ hypocritis posuit, vbi fletus & stridor dentium. (Luc. 12. Matt. 24.)

2 PRVDENTIORE itaq; vti oportet consiliario, quam sit homo ipse sibi, eo nimirum qui ait, *vigilate quia nescitis quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane, ne cum venerit repẽte, inueniat vos dormientes.* Ne itaque dixeris, *inquit Basil.* Donec viget ætas mea carnis delitiis fruar, & in senectute malorum meorum pœnitentiam agam. Noli sic cogitare, cum nescias qua die moriturus sis: non enim omnes in senectute moriuntur, sed vnus in hac ætate, alius in alia hinc migrat. Quapropter, *inquit*, semper versetur ante oculos tuos vltimus ille dies, & cum diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas peruenturum, & cum in lectulo ad quiescendum membra posueris, noli considerare de lucis aduentu, sic enim facilius refrenare te poteris ab omnibus vitiis tuis: Hoc enim est quod Sapiens nos docet, *Memorare* nouissima tua & in æternum non peccabis: Facile enim qui se semper moriturum cogitat, omnia contemnet. Nam qui mortem ante oculos prospicit, *inquit August.* mox sine mora postpositis mundi curis & spretis carnis illecebris, contemptisq; deliciis & seculi huius pompis, in sui custodia vigilabit, & quo magis propinquum sibi semper exitum suspicatur, eo ad discutiendũ semetipsum amplius inuigilabit, & si quas in se cogitationes carnales inuenerit, pœnitentiæ lamentis absumet & delebit, *inquit Gregorius.* (Marc. 13.)

3 REPROBORVM autem mentes idcirco multa nequiter agunt, *teste eodem*, quia hic se diu victuros confidunt. Dicunt enim animæ suæ illud Lucæ 12. *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Huius rei exemplũ refert idem *auctor* in dialogis *lib. 4. cap. 38.* Vir fuit, *inquit*, in hoc mũdo valde diues, Crisorius nomine, sed non minus peccatis quam diuitiis plenus, superbia tumidus, suę carnis voluptatibus deditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed cum tot malis Dominus finem imponere decreuisset corporali afflictione hũc percussit, qui ad extremum veniens, eadẽ hora qua iam de corpore erat exiturus apertis oculis vidit tetros & nigerrimos spiritus coram se assistere & vehementer instare vt eum ad inferni fauces raperent. Cœpit tremiscere, pallescere & sudare, & alta voce inducias petere, filiumq; suum nomine Maximum, quẽ ipse iam monachus monachum vidi, turbatis vocib. aduocare dicens, Maxime accurare, nunquã (Greg. libr. 13. moral. cap. 10.)

sibi

nibi aliquid mali feci, in fide tua me suscipe. Tunc status Maximus mox adfuit lugens, & perstrepens familia tota conuenit: eos autem quos ille insistentes sibi grauiter tolerabat malignos spiritus ipsi videre non poterant, sed eorum præsentiam in confusione ac turbatione, in pallore, ac tremore illius qui affligebatur, videbant. Pauore autem tetræ eorum imaginis huc illucq; se voluebat, in lectulo iacebat in sinistro latere aspectum eorum ferre non valens, ad parietem se vertebat, sed & ibi aderant. Cumq; afflictus nimis relaxari se posse etiam desperaret, cœpit magnis vocib. clamare, Inducias vel vsq; mane, inducias vel vsq; mane: Sed cũ clamaret in ipsis vocibus de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirum constat, quia pro nobis iste non pro se viderat vt eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimiter expectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, & inducias petisse, quid profuit? qui easdem inducias, quas petiuit, nõ accepit, *Hæc Greg.*

Sap. 2. 4 Svnt qvi dicunt cogitantes apud se non recte, *Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & nomen nostrum obliuionem accipiet. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioso nos impleamus, & non prætereat nos flos tẽporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertrãseat luxuria nostra, vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Tertulli non seduxisti, *inquit Aug.* propterea audi me, Ieiunemus & oremus, cras enim moriemur. Sapiens esse comprobatur qui sic cogitat de supplicio ante supplicium vt postea supplicij effugiat periculum. Cur enim diem mortis homini absconditum putes? *inquit Chrysost.* Nisi vt semper mortem expectans semper benefaciat. Si quis consummationis suæ diem cognitũ, haberet, aut tabesceret & nihil rerum agendarum aggredi vellet, si mortem imminere videret: aut virtutis nullam curam susciperet, sed cupiditatibus suis frena laxaret, si se diu superuicturum præsciret, & non nisi post innumera perpetrata mala lauacrum baptismi peteret, vt ita hinc migraret. Sic enim nunc timore incertitudinis cunctorum animos turbante, multi in malitia vitam consummant, & ita hinc discedunt, quis vnquam resipuisset, si etiam hic metus sublatus esset? Prudenter itaq; nos Dominus monet, vt vigilemus & parati simus, quia nescimus qua hora Dominus sit venturus. *Si sciret paterfamilias, inquit, qua hora fur veniret, vigilaret vtiq; & non sineret perfodi domum suã.* Quando animæ peccatrices delectantur in carne, & in corpore tãquam in proprio suo domicilio gaudent, veniens cum sententia Dei angelus mortis, perfodit corpus & animam violenter ab eo diuellet. Animæ autem iustæ quę non delectantur in carnis voluptate, sed in ea quasi in exilio morantur, nõ perfoditur domus earũ, sed gaudentes veluti è carcere euocantur & egrediuntur. Sic auctor imperfec. *hom. 51. in Matth.*

Chrys. ho. 4. ad Thes.

VI. Mors an mala & metuenda

1. Ambrosivs *lib. de bono mortis cap. 7.* vna mors mala, *inquit*, si per peccatum moriamur, de qua scriptum est, Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Est alia mors bona qua quis moritur peccato & viuit Deo, de qua Paulus. Rom. 6. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Est tertia mors media, animæ nimirum corporisq; diuisio: hæc media est quia bonis bona, malis mala & metuenda. Mala mors putanda nõ est, *inquit August.* quam bona præcesserit vita. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaq; multũ curandum est eis qui necessario morituri sunt, quid accidat vt moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Multos etiam Christianos fames diuturna vastauit, quoq; in suos vsus boni fideles pie tolerãdo verterunt: Alios corporis morb. malis huius

Aug. lib. 1 de ciuit. c. 11.

huius vitæ eripuit: Alij aliarum mortium fœda varietate consumpti sunt. Cum autem vnicuiq; mortalium sub quotidianis vitæ huius casibus, innumerabiles mortes quodammodo comminentur, quam diu incertum est quænam earum ventura sit, Quæro vtrum satius sit vnam perpeti moriendo, an omnes timere viuendo? Dicere solet Cæsar malle se mortem semel obire, quam toties timere. Nec ignoro quam inertius eligatur diu viuere sub timore tot mortium, quam semel moriendo nullam deinceps formidare. Sed aliud est quod carnis sensus infirmiter pauidus refugit, aliud quod mentis ratio diligenter enucleata conuincit. *hæc August.*

Ambro. vt sup. 2 MORS absoluit omnes, *inquit Ambros.* sed paucos delectat: verum non hoc mortis est vitium, sed nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitæ huius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis quam voluptatis est. Quid enim est quo hæc vita delectatur, plena ærumnarũ & sollicitudinum, in qua innumeræ calũniæ & multæ molestiæ: & ideo laudat Ecclesiast. defunctos magis quam viuentes. Eccl. 4. Itaq; si plena oneris vita vtiq; finis eius alleuamentum est. Nonne omnib. laborantibus dulcis est finis? viator libenter interrogat vbi est mansio? mercenarius frequẽter computat quando annus completur: Agricola semper tempus messis expectat: mulier prægnans semper de decimo mense cogitat: Sic & serui Dei libenter de fine vitæ requirunt. Mors igitur bonum est: de qua Simeon qui responsum acceperat non visurum se mortem nisi videret Christum Domini, gauisus sic ait. *Nunc dimittis seruum tuum in pace*: quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate, ita dimitti petit quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret: Sunt enim velut vincula quædã corporis huius, & quod est grauius vincula sunt & ipsæ quibus alligatur tentationes. Quid igitur tantopere vitam istam desideramus: In qua quanto diutius quis fuerit, tanto maiore sarcina oneratur peccatorum, vnde Paulus, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: quasi seruus non refugit vitæ obsequiũ, quia quod Rex iubet deserere non possumus: Et quasi sapiens lucrum mortis amplectitur Lucrũ est euasisse incrementa peccati: Lucrum fugisse deteriora & ad meliora transisse. *Hæc Ambr.*

3 REFERT *Eusebius in epist.* ad Damasum scribens de morte Hieronymi, eum iam moribundum dixisse, Abiicite vestimenta luctus & tristitiæ, Psalmum dicite nomini Dei, quoniam hucusque transiui per aquam & ignem, & ecce nunc inducit me in refrigerium. O quantum lucrum mihi est mori, quoniam viuere deinceps meum Christus erit. Ecce terrestris domus huius habitationis dissoluitur, & alia succedit nõ manu facta, sed æterna in cœlo. Hucusq; peregrinatus sum, iam redeo ad patriam. Ecce brauium capio pro quo in agone cucurri: Ecce de tenebris ad lucem, de inopia ad diuitias, de prælio ad victoriam, de tristitia ad gaudium, de temporali vita ad perpetuam, de fœtore ad odorem suauissimum vehor. O mors dulcis & iucunda, imo non mors quæ vitam largiris veram, quæ fugas morbos, famẽ extinguis & sitim: hinc namq; vita mundi non vita sed mors. Veni soror mea spõsa, amica mea, dilecta mea, indica mihi quẽ diligit anima mea, ostẽde mihi vbi pascat Dominus meus. Ecce tu pulchra es amica mea, iam noli morari amplius, conuertere aliquantulum ad me, quia te inuenire exultaui, & in te delectatus sum omnibus diebus vitæ meæ, saluum me fac, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum veniam per te in hortum dilecti mei vt comedam fructum pomorum. Ecce iã venit tempus miserendi mei, noli tardare, accelera vt eripias me. Terribilis es apud Reges terræ, auferens spiritum Principum, sed notam facis humilib. potentiam tuam: confringis tu quidem cornua iniquorũ, sed erigis cornua iustorũ. Aperi mihi dulcis soror mea ianuã vitæ,

expolia

Digitized by Google

expolia me ista mortali tunica quam fero, vt induam me vestimentis lætitiæ. Ergo iam bona mors propera, si moraris iam deficit paulisper spiritus meus propter multitudinem dolorum meorum. Accipe filium hic famelicum in regione aliena, & redde eum patri suo, suscipe vlceribus plenũ & colloca eum in sinu Abrahæ. *hac Hieron. ad mortem.*

4. Et quid quæso in exequiis defunctorum sibi volunt istæ lampades festiuæ? quid faces accensæ? quid etiam hymni? Nonne vt Deum glorificemus & gratias agamus? *inquit Chrysost.* quoniam iam coronauit discedentem, quoniam à laboribus liberauit. Nonne propter hoc psalmi & hymni? Omnia enim ista gaudentium sunt. Quid psallis in illo tempore? Conuertere anima mea in requiem tuam quia Dominus benefecit tibi: Et iterum, non timebo mala quoniam tu mecum es. Quomodo benefecit nobis Dominus? quia teste Paulo *liberauit nos, qui timore mortis per omnem vitam obnoxii eramus seruituti.* Magna seruitus perpetuo timere mortem. Hac seruitute & hoc timore liberauit nos Dominus, vt mors iam terribilis non sit vt olim erat, quia eam vicit & conculcauit, iuxta illud Ozeæ. *Ero mors tua ò mors:* Christus enim moriendo mortem vicit & occidit, vt quanquam iusti mortem obeant temporalem, eos tamen detinere non possit, sed facta sit illis introitus ad vitam beatam & vitam sempiternam in qua non erit amplius neq; luctus neque dolor, neque mors neq; morbus. Veniet quidem mors, sed iustis minime timenda, quia somnus erit dilectis Domini, & ecce hęreditas eius, erit ianua vitę, & initiũ refrigerii: Certus namq; est, quod si terrena domus huius habitationis dissoluatur, q; æternã habebit in cœlis, vt quid metuat veterani domicilii ruinas qui fabricã spiritualẽ videt in dies in sublime cõsurgere, ꝓficere in æternitatẽ? *ait Bern. ep. 254.*

Chrys. ho. 4. in epist. ad Heb.

Heb. 2.

5. Sed dicet aliquis, Quid si morte præuentus fuerit homo, necdum videlicet spirituali ædificio consummato? perfectus quippe nõ habet quo proficiat, & qui proficit eo ipso quo proficit perfectus nõ esse conuincitur. Dicemus, *inquit Bernardus* quod Sapiens ait c. 4. *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Bene multa, quia & vniuersa complectitur: quomodo enim non expleuit omnia tempora, qui transit ad æternitatem? Quanta enim tempora, non longęuitate sed longanimitate, hoc est, non annorum serie vel dierũ numero, sed mentis deuotione & inextinguibili semper proficiendi desiderio, percutere potuit, tanta sibi in meritis non immerito vendicauit, retinet quippe virtute, quod amisit in tempore, quia vera virtus finem nescit, neque tempore clauditur, iuxta illud. 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit,* & psalm. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, satis est, sed semper esurit sitit q; iustitiã, ita vt si semper viueret, semper quantum in se est iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur, Non enim ad annum vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum diuino se mancipat famulatui: sic enim loquitur Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in omni tempore.* Non igitur ad tempus: proinde iustitia eius manet, non aliquanto tempore, sed in seculum seculi. Sempiterna itaque iusti esuries sempiternam meretur refectionem: & licet in breui consummetur pro tempore, iudicatur tamen expleuisse tempora multa pro virtutis perpetuitate. Quo denique pacto temporis breuitas bonorum præiudicet perpetuæ deuotioni, quæ pertinacem reproborum malitiam excusare non sufficit? ob hoc enim procul dubio inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breue fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita vt si nũquam moreretur, nunquam velle peccare desineret, imo semper viuere vellet. vt semper peccare posset. Proinde & potest de

Bern. ep. 254.

Digitized by Google

de isto per contrarium itidem dicit, *Consummatus in breui expleuit tempora multa?* quod merito multorum imo omnium tēporum receperit vicem, qui nullo tempore voluerit mutare intentionem, *hactenus Bernardus.*

6. FELIX itaque anima quæ fiducialiter loquetur inimicis suis in porta. Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funestum reperies. Felicior cuius opus non arserit, quem superædificasse aurum & lapides pretiosos, examen illud inueniet. Memoremur itaq; hæc nouissima ne peccemus, quia vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, siquidem per ignem nobis transeundum est, inquit Bernard. Ibi vniuersa reuelabitur impuritas, ibi veritas ipsa iudicabit iustitias: ibi aurum nostrum vertetur in scoriam, & omnes iustitię nostrę putabuntur velut pannus menstruatæ, *inquit Bernardus*, ibi quasi ignis conflans ipse, & quasi herba fullonum, & sedebit cōflans & emundans, argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum. vtinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarū. Forte non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lachryma diluisset. Si hęc in viridi ligno fiunt, in arido quid erit? si iustus vix saluabitur, quia non nisi igne probatus & purgatus, impius vbi apparebit? Quomodo conspectui tantę maiestatis astare audebit? Fugiebat Adam vt absconderetur ab eo post vnius pomi gustū: quid impius post tanta facinora præsumet? Quis pudor, quæ confusio, quis horror eum inuadet? Sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei. Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis huius *inquit Bernardus*, & in ea non me tangat malum doloris, pudoris & horroris. *Mors peccatorum pessima*, manet enim eos horror in exitu, dolor in trāsitu, pudor in conspectu magni Dei. Ostium domus illorum horribiles illi spiritus obsidebunt exitum illorū prestolantes. Quātus ille pauor erit cum dimissis omnibus charis quorum tam iucunda præsentia, tā grauis & horridus dæmonum apparebit aspectus: cum sola ingredietur anima in incognitam penitus regionem: occursantia sibi cateruatim ruere teterrima illa monstra videbit. Quis ei in die tantæ necessitatis subueniet? Quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? *Hæc fere Bernard.*

1. MORTEM horret non opinio sed natura, *ait Aug.* est enim natura insitū omnibus, vt etiam quæ nondū sibi nocere experta sunt noxia reformident. Vnde enim columbę in ipso ortus sui vsu terror accipitris? vnde lupi ouibus formidabiles? pullis milui? Quod si in his quæ irrationabilia sunt animantia, quidam de aduerso genere animantium naturalis est terror, vt etiam irrationabilia sensum fugiendæ mortis accipiant, quanto magis in primo homine rationis vtiq; plenissimo, naturalis quædam opinio debuit esse mortis vitandæ. Vnde Deus, *ait Amb.* primis parentibus rectè præcepit sub interminatione mortis ne de ligno vetito ederent, quia mortem timere poterant licet eius damna nondum experti essent. Sic & de mortuis illis qui diliguntur, quædam tristitia quodammodo naturalis est. Nam quorum nos vita propter amicitiæ solatiū delectabat, vnde fieri potest vt eorū mors nullam nobis ingerat mœstitudinem? *inquit August.* Quam qui prohibet, prohibeat si potest amica colloquia, interdicat amicabilem societatem, aut sic eis vtendū censeat, vt nulla ex eis animum dulcedo perfūdat. Quod si fieri nullo modo potest etiam hoc quo pacto futurum est, vt eius nobis amara mors non sit, cuius dulcis est vita? *hæc August.* Cum itaque corpus iacet exanime, facies lurida, forma pallida, oculi qui non vident immoti, perpetuū oris silentium, immobile cadauer. Hæc sunt procul dubio quæ mouēt lachrymas, & totum hominem in profundam mergunt tristitiam. Hinc itaque necesse est vt tristes simus, quando nos moriendo deserunt,

[Margin: I.II. An mortui sint deflendi, & qui, & qui non. — August. ser. 14. de verb. Apo. — hæc Amb. lib. de paradis. c. 3. — Aug. li. 19. de ciu. c. 8.]

ferunt, quos amamus, quia etsi nouimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum præcedere sequuturos, tamen mors ipsa, quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideo
1. Thess. 4. monuit Apostolus, non vt non contristemur, sed non sicut cęteri qui spem nō habent Cōtristamur ergo in nostrorū mortibus necessitate amittendi sed cum spe recipiendi inde angimur hinc cōsolamur, inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. *hactenus Augustinus*.

2. PERMITTANTVR itaq; pia corda charorum, de suorum mortibus contristari dolore sanabili, inquit idem, & consolabiles lachrymas fundant conditione mortali, quas cito reprimat fidei gaudium, qua credunt fideles, quando moriuntur, paululum à nobis abire & ad meliora transire. Impleāt homines erga suos officia postremi funeris, & humani lenimenta doloris, verum illa quę adiuuent spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis obseruantius, constantius, abundantius impendant, qui suos carne nō spiritu mortuos, nō solū carnaliter sed etiā spiritualiter amāt. *hæc Aug.* Sic *Bern.* plangens mortem Gerardi Monachi fratris sui, inter multa hæc habet, *ser. 26. in cantica*. Mortuo illo simul & cor meum dereliquit me: sed feci vim animo, ac dissimulaui vsq; huc, ne affectus fidem vincere videretur. Nam plorantibus aliis ego siccis oculis secutus sum inuisum funus, siccis oculis steti ad tumulum quousque cuncta peracta sunt exequiarum solemnia, indutus sacerdotalibus solitas in eum orationes proprio ore compleui, terram meis manibus ex more ieci super dilecti corpus. Qui me intuebantur flebant, & mirabantur quod non flerem ipse. At ego quibus poteram viribus fidei reluctabar affectui, nitens vel inuitus non moueri, semper ex tunc & deinceps exegi à memetipso non indulgere multo fletui, multum tamen turbatus & mœstus, nec potui imperare tristitiæ, qui potui lachrymæ. At suppressus dolor altius introrsum radicauit, eo acerbior factus, quo non extre permissus. Exeat necesse est foras quod intus patior: exite lachrymæ, erumpant fontes aquarum, si forte sufficiant sordes diluere culparum quibus iram merui. Dura conditio, sed mea miseranda fortuna, non & illius. Nam tu frater, si charos amisisti, chariores vtiq; inuenisti, habes enim pro me tantillo repositam Christi præsentiam; ego meum perdidi solatium, tu mutasti: ademptū doleo fidelem auxiliatorem. Sed nunquid quia sentio pœnam, reprehendo sententiam? Humanum est illud, hoc impium: nec culpamus fletum, nisi cum excedit modum. Fleuit Saluator super Ierusalem præuidens eius ruinam, & ego propriam & quæ in præsenti est desolationē nō sentiam? auulsa sunt viscera mea à me, & dicitur mihi ne fleueris? Et certe ad tumulum Lazari nec flentes arguit Dominus, nec à fletu prohibuit, insuper & fleuit cum flentibus. Benignus Samuel reprobo Rege, & pius Dauid super parricida filio satisfecerunt affectioni, & non ad iniuriam fidei, non ad superni suggillationem iudicii, fuerunt enim lachrymæ illæ testes naturæ, non indices diffidentiæ. *hactenus Bernardus*.

3. CÆTERVM mortuos immodeste plāgere caput nudare, vestes discindere, genas vellicare, vlulatus fœmineos ciere, hoc eorum est qui Deum ignorant qui spē resurrectionis non habent. De his sic Paulus: *Nolumus vos ignorare de dormientibus,* 1. Thes. c.
vt non contristemini sicut & gentes quæ spem 4.
non habent. virum mortuum resurrecturum credis & lamentaris? *inquit Chrysostomus.* Dormientes vocat mortuos Pau- Chrys. ho.
lus, tanquam qui mox non solum sint su- 1. ad Thes.
scitandi, sed à sensu doloris liberi. Et in scriptura sacra mors carnis non mors, sed vmbra dicitur mortis, *inquit Greg.* Est e- Greg. li. 4.
nim vmbra illius mortis in qua anima se mor. c. 27.
paratur à Deo, quæ est vera mors. Lugeatur mortuus, sed ille, *inquit Hieron.* quem Hier. ep.
gehenna suscipit, in cuius pœnam æter- 25. tom. 1.
nus ignis ęstuat. Reuera si seculare deside-

Digitized by Google

riũ, & (quod Deus à suis auertat) delicias vitæ huius cogitantem mors immatura rapuisset, omni lachrymarum fonte plangenda erat Blesilla filia tua ô Paula. Quod si amico tuo à Rege coronato tu plangas, non te amicum sed inimicum quisq; credet. Sed inquies, non illum doleo, sed meipsum. Atqui ne hoc quidem amantis est, *inquit Chrysost.* ad istam sollicitudinem, ad hanc miseriarum vallem, in qua non nisi labor & dolor, euocare illum velle. Mortuus est peccator, nitere quãtum fieri potest vt iuuetur non lachrymis, sed precibus, eleemosynis, oblationibus. Non est temere hoc excogitatum, vt, dum sacra mysteria celebramus, memoriam mortuorum faciamus, pro ipsis Agnum peccata mundi tollentem deprecaturi & oblaturi, non frustra inter horrenda mysteria clamat sacerdos, pro omnib. in Christo quiescentibus. Nõ igitur mortuos defleamus simpliciter, sed eos qui in peccatis sunt: qui namque peccatorem ita luget, multo is magis cauebit, ne in eadem aliquando delicta incidat. Hos deploremus non vnũ aut alterum diem, sed per totam vitam. *hactenus Chrysost.*

Chrys. ho. 41. ad Cor.

Chrys. ser. 3. ad Phil.

IV.

De consolatione super mortis. Bas. ho. 17. in psal. 115.

1. NON est quod mortuum lugeas, aut mortem horreas. *ait Basil.* quia non est corruptio, sed ad vitam fœliciorẽ trãslatio: cũ videlicet anima ab omni inquinamento carnis emancipata ac libertati reddita, nullam in se retinens maculã aut rugam, duris pro pietate agonibus probata, insignita corona iustitiæ, & admirabili virtutum decore interlucẽs, Domino suo omni lapide pretioso longe rutilantior præsentatur: est enim pretiosa in cõspectu Domini mors Sanctorum eius. Quod si Rex quempiam è nobis ad regna & gloriam euocet, plorandumne erit? Angeli è cœlo veniunt, illinc missi ab ipso Rege vt conseruum suum vocent & tu ploras, & non magis gaudes & gratias agis? soluitur quasi a vinculis & in libertatem vindicat & tu luges? ex agone tendit ad brauium, ex labore ad requietem, ex miseriarum valle ad regnum gloriæ & tu lachrymaris? Interim non omnium mors talis est, *ait Basil.* vt sit pretiosa in conspectu Domini, sed eorum qui vitam hanc suam sancte & iuste traduxerunt. Quo modo *Amb.* sibi gratulatur de obitu fratris sui Satyri, cum in oratione funebri quam de eo habuit. *sic ait.* Ingratus diuinitati esse non possum, lætandum est enim magis quod talem habuerim fratrem, quam dolendum quod fratrem amiserim, illud enim munus, hoc debitum est, qui deposuit pignus, recepit, quod donauerat, aut potius quod concesserat, repetiit. Nihil interest vtrum abiures depositum, an doleas restitutum, in vtroque enim fidei ambiguum, vitæ periculum est. An si pecuniam neges culpa est, si hostiam neges impietas non est? vnde ingrati de fratris morte esse non possumus quia quod naturæ communis fuit, reddidit, quod gratiæ singularis est meruit. Quid te mi frater fleam? non nobis ereptus es, sed vitæ huius periculis: non perdidi vsum tui, sed commutaui, ante corpore inseparabilis, nunc indiuiduus affectu, manes enim mecum ac semper manebis. Et quid te hanc miseram & ærumnosam vitam redire optem, quem raptum magis esse ex tam imminentibus malis ingentibusque periculis gaudere debeam.

2. FLEANT qui spem resurrectionis non habent: nobis vero quibus mors non naturæ sed vitæ istius finis est, fletus omnes casus mortis abstergat. Intersit inter Christi seruos & idolorum cultores, vt illi fleant suos quos in perpetuũ existimant interiisse. Certe si illi, sibi aliqua solatia reputant, q sine sensus, defectumq; naturæ mortem arbitrati sunt, aut qui suos mortuos in cœlũ trãslatos fingunt: quãto magis nos, quib. meliora post mortẽ præmia factorum bonorum, conscientia pollicetur? Habent gentiles solatia sua, quia requiẽ malorũ omnium mortẽ existimãt, & vt vitæ fructu carent, ita etiam caruisse putant omni sensu & dolore pœnarum, quas in hac vita graues assiduas susti-

festinemus. Nos vero vt erectiores præmio, ita etiam patientiores solatio esse debemus. Non enim amitti, sed præmitti videntur, quos non absumptura mors, sed æterna vita receptura est. Sed inquies, in peccato mortui sunt, ideo deflendos iudico & cōsolationem recipere non valeo. Si in peccato mortui sunt, finem tamen peccandi habuerunt. Nam si pœnitentiam essent acturi, *inquit Chrysost.* Deus cui omnia patent, non antequam eam egissent, ipsos rapuisset. Si vero iusti decesserunt euaserunt pericula, & tuti supremam beatitudinem possident. Quod si infirmi præmaturam obierunt mortem, cogita eos propterea raptos, ne malitia mutaret intellectum: quia enim placitæ erant animæ coram Deo propter hoc properauit educere eas de media iniquitate; ne longo vitæ itinere deuiis errarent anfractibus. Plangere possemus de seculo recedentes, si seculi inimicitias cōtra nos minime sentiremus. Nunc plangimus Dei beneficia, *inquit Hiero.* qui nouit infirmitati nostræ quid præstat. Periclitari volebat adhuc qui dolet aliquem dormientem, & inter fluctus vitæ præsentis videre cupiebat miserum laborare talibus ac tantis tēpestatibus mundi, tot impugnationibus carnis diaboli: quasi nescias quid in teipso quotidie patiaris. *hæc Hieron.*

Chrys. ho.31. in Matth.

Hieron. epist. 25. tom. 1.

3. QVOD si his ac similibus rationibus temetipsum consolidaueris ac fortem & constantem reddideris, duas res maximas cōsequeris, *inquit Chrysost.* nam interea & animo tranquilliore viues & tristitiæ angustiam euadere poteris, & quod tempus solet id efficies tu ratione: & quod præclarius est, hanc voluntatem tanquam sacrificium exhibere Deo poteris. Intuere exemplum ipsius Abrahæ, & magnanimitatem eius ac animi robur, qui iussus vt filiū immolaret, mox paratus ignem & gladiū capit vt filium Isaac Deo offerat. Et quidē à te non exigitur istud animi robur ac cōstantia, vt proprium filium immoles, sed constans esto & fide firmus, vt si eum licet vnicum atque dilectum mori contingat, lætus filium Deo offeras, vt gratiam Dei in te prouoces. Quod si in lachrymas totus soluaris, cessabit nihilominus cum tēpore dolor, & præmium tu nullum reportabis. Proinde ne stes attonitus ad iacentis spectaculum, *inquit Chrysost.* cum videris oculos occlusos, os contractum, totumq; corpus immobile: nam isto modo doloris acrimoniam resuscitaris. Intuere potius animum è cadauere ad cœlum euolātem: intuere non corpus quod corrumpitur, sed quod immortalitatem induet, tunc oculi & pulchriora videbunt, & os melius laudando Deum loquetur, vt enim nos vbi volumus renouare domum, non sinimus illic manere herum qui inhabitat, sed cū exire facimus, quo scilicet absit à periculo ruinæ antiquæ domus deiiciendæ, sed simul atque domus fuerit renouata & adornata, vt iam tuto possit inhabitari, tūc illum citra periculum vllum introducimus: Ita & Deus facit, demolitur illud putre tabernaculum corporis nostri, atq; ipsam animam interim ad se recipit, vt cū tabernaculum fuerit renouatum, tunc illi illud reddat splendidius atque preclarius. Non ergo tuum mortuum quæras in sepulchro ne cum ille in tantam sublimitatem fuerit euectus, tu maneas humi reptans.

Chryso. hom. 32. in Matth.

Chryso. ho. 1. in 1. Cor.

DE MORTE.

PARS IV.

Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Heb. 9.

Summa Articulorum IV. Partis.

I. *Mors certa, sed hora mortis incerta.*
II. *An mors sit metuenda, & quibus, quibus vero non.*
III. *An mortui sint deflendi.*

1. EX quo quisque in isto corpore mori futuro esse cœperit, *inquit Aug.* nunquam in eo nō agitur vt mors veniat: hoc enim

Art. 1. Mors certa, sed ho-

ra mortis incerta.
Aug. li. 13. ca. 9. & 10. ciuit.

enim agit eius mutabilitas toto tempore vitæ huius, si tamen vita dicēda est, vt veniatur in mortē. Nemo quippe est qui nō ei post annum sit, quam ante annū fuit, & cras quam hodie, & hodie quam heri, & paulo post quā nunc, & nunc quam paulo ante, propinquior: quoniam quicquid tēporis viuitur de spatio viuendi demitur, & quotidie fit minus minusque quod restat, vt omnino nihil sit aliud tempus vitæ huius quam cursus ad mortē: In quo nemo vel paululū stare, vel aliquanto tardius ire permittitur, sed omnes vrgentur pari motu. Neq; enim cui vita breuior fuit, celerius diē duxit, quā ille cui longior, sed cum æqualiter æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius, quo non impari velocitate ambo currebant. Qui ergo vsque ad mortē productiora spatia temporis agit, non lentius pergit, sed plus itineris cōficit. Porro si ex illo quisque incipit mori, hoc est, esse in morte, ex quo in illo agi cœperit ipsa mors, id est, vitæ detractio, quia cum detrahendo finita fuerit, post mortem iam erit, non in morte, profecto ex quo incipit, in hoc corpore, in morte est.

2. QVOD si adhuc diligentius attendamus, nec illa mors esse apparebit, cuius grauem ac molestum in morientibus scimus sensum: quamdiu enim sentiunt adhuc vtique viuunt, & si adhuc viuunt, ante mortem quam in morte potius dicendi sunt, quia illa cum venerit, adfert omnem corporis sensum. Nullus ergo moriens, nisi viuens, quoniam cum in tanta est extremitate vitæ, in quanta sunt quos agere animam dicimus, profecto qui nondum anima caruit, adhuc viuit. Idem igitur ipse simul & moriens est & viuens, sed morti accedens, vita decedens, adhuc tamen in vita, quia inest anima corpori, nondum autem in morte, quia nondum abscessit à corpore. Sed si cum abscesserit nec tunc in morte, sed post mortem potius erit, quando sit in morte quis dixerit? Nam neque vllus moriens erit, si moriens & viuens simul esse nullus potest: quamdiu quippe anima in corpore est, non possumus negare viuentem. Aut si moriens potius dicendus est, in cuius iam corpore agitur vt moriatur, nec simul potest quisquam esse viuens & moriens, quando sit viuēs nescio. Nam si is dicitur mori in cuius corpore agitur, vnde incipiat anima abire, profecto vita nostra tota dicenda mors est.

3. Ex quo enim nati sumus qualitates corporis pugna sua vitā expellere conantur, & certe sensim detrudunt. Quæ causa veteribus plerisq; philosophis fuit dicendi incipere nos in ortu mori, finēque mortis esse, quem nos dicimus vitæ, siue quia tunc vere incipimus viuere, siue (vt alii dicebant) quia tunc perfecte est mors & abiit: Quid enim aliud diebus, horis, momentisque singulis agitur, donec ea consummata mors quæ agebatur, impleatur, & incipiat iā tempus esse post mortē, quod cū vita detraheretur erat in morte? Nunquam igitur in vita homo est, ex quo est in corpore isto moriente potius quam viuente, si & in vita & in morte simul non potest esse. An potius & in vita & in morte simul est, in vita scilicet in qua viuet donec tota detrahatur, in morte autem, quia iam moritur, cui vita detrahitur. Si enim non est in vita quid est quod detrahitur, donec eius fiat perfecta cōsumptio? Si autem non est in morte, quid est ipsa vitę detractio? Non enim frustra cum vita fuerit corpori tota detracta, post mortem iam dicitur, nisi quia mors erat cum detraheretur. Nam si ea detracta, non est homo in morte, sed post mortem, quando nisi cum detrahitur erit in morte? Ex quibus infero vitam mortalium mortem potius quam vitam dicēdam. Sed cum nemo simul dici possit dormiens & vigilans, quo pacto id fieri potest, vt quis simul sit & moriens & viuens, præsertim cum nemo dicatur moriens nisi qui iam est in morte: post mortē autem sicut iam mortuus dicitur recte, ita & ante mortem viuus seu viuens. Hic secundum consuetudinem loqui oportet, vt dicamus, ante mortem priusquam mors acci-

Digitized by Google

accidat sicut scriptum est, Ante mortem non laudes quenquam: dicamus etiam cum acciderit, post mortem illius factum est istud: dicamus & de præsenti tempore vt possumus, Moriens hoc dixit: vt sicut inter tempus præteritum & futurum præsens reperitur, sic quippiã fieri, rectè dicitur non ante mortem, nec post mortẽ, sed in morte, verum hoc præsens est quasi imperceptibile, quando fit separatio animæ à corpore. *hac Aug.*

4. Ex dictis soluta manet hæc quæstio, qua quæritur Quomodo verum sit quod ait Dominus, *Quocumque die comederitis morte moriemini*, cum multorum annorum numero vixerint Adam & Eua post cibi vetiti esum. Dicendum enim quod duplex sit mors, mors animæ quem non timent homines, quæ est separatio animæ à Deo: & eam statim incurrebant. Est & mors corporis, quam timent homines, quæ est separatio animæ à corpore: etiam hanc statim incurrit, quia quamuis multos annos vixerit vterque, attamen à quo tempore audierunt. *Terra es, & in terram ibis*, sententiam mortis acceperunt, & non solum necessitati mortis subiecti fuerũt, sed & ab eo die mortales facti mori inceperunt. Sicut in humanis iudiciis quando quis sententia lata vt capite mulctetur iterum in carcerem coniicitur, licet ibi multo tempore agat, nihilo melius tamen habet mortuis, vtpote iam per sententiam mortuus, *inquit Chrysost.* Eodem modo & illi, ab eo die à quo mortalitatis sententiã acceperunt, tametsi longo tempore durauerint, nihilominus sententia mortui erant. Ex quo nascitur homo, moritur, quia vita eius minuitur, & dicẽdum est, morietur & nõ euadet, pœna certa est, sed hora incerta: & de ista pœna sola certi simus in rebus humanis, cætera nostra & bona & mala incerta sunt, *inquit August.* sola mors certa est. Conceptus est puer, forte nascetur, forte abortum faciet: forte crescet, forte non crescet: forte senescet, forte non senescet: forte diues erit, forte pauper, forte ægrotabit, forte non ægrotabit: forte vxorem ducet, forte non ducet forte in lecto morietur, forte in bello. Respice omnia bona & omnia mala, vbique est, forte erit, forte non erit: nunquid similiter potes dicere, forte morietur, forte nõ morietur? hic velis nolis mori necesse est, & quod est grauius, quando, nescimus.

Chryso. hom. 17. in Gen.

August. serm. 21. de verb. Dom.

5. Magna Dei misericordia, etiam in hoc, *inquit August.* quod diem mortis tibi incertum fecit, vt nescias quando hinc emigrabis. Fecit Deus diem mortis incertum propter illos qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur. Sperando decipitur, qui dicit, Bonus est Deus & misericors, faciam quod mihi placet, laxabo habenas cupiditatibus meis, quare? quia misericors est Deus; multitudinis peccatorum meorum non recordabitur.

August. in Psal. 144. & ser. 47. de verb Dom.

De misericordia Dei tibi multum polliceris, *inquit August.* quasi qui tibi per pœnitentiam promisit salutem, promiserit tibi etiam longam vitam. Noli dicere, Cras me conuertam, & omnia hodierna & hesterna mihi dimittuntur. Deus quidem conuersioni tuæ indulgentiam promisit, sed dilationi tuę diem crastinum nõ promisit. Dedit spem veniæ ne desperando amplius pecces: fecit diem mortis tibi incertum, ne de securitate peccata tua multiplices. Et spes & desperatio timenda est in peccatis, vtrumque metuendum, vtrique periculosum: desperat hic vt peccet, sperat ille vt peccet. Audi vocem desperãtis, Iam, inquit, damnatus sum, saluus esse non potero, quia peccare non cesso, nec meipsum vincere queo, quare non facio quicquid volo? Audi & vocem sperantis, Misericordia Domini magna est, quando me conuertero, dimittet mihi omnia: quare non facio quicquid volo; vtrique huic malo occurrit misericordia Dei: Et desperanti quidem sic, Nolo mortem impii, sed vt conuertatur & viuat: Hac voce Dei reducitur in spem qui desperabat: Sed & ne is qui male sperabat amplius peccet, audi quid scriptura ei dicat, *Nõ tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de*

ra de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te: Non enim sic longanimis in sustinendo, vt nunquam iustus in vindicando. Neque in hoc tibi displiceat Deus, tanquam per indulgentiæ promissionem securos fecerit peccatores: Sed ne desperando, homines peius viuerent, promisit indulgentiæ portum conuersis: Rursus ne de spe veniæ peius agerent, fecit diem mortis incertum.

Chryso. hom. 9. ad Thes. 6. NEQVE enim, *vt Chrysost. ait*, solum communis ille iudicii dies, sed & vniuscuiusque proprius ita veniet sicut fur in nocte. Si vero discere valtis, inquit, quamobrem absconditus sit dies ille, & quare sicut fur in nocte, & ipse venturus sit, dicā. Si cognitus esset dies mortis, nemo sane vllam virtutis curam haberet, sed postquam innumera perpetrasset mala, tum demum in fine vitæ baptismi lauacrum peteret: Si enim nunc timore incertitudinis cunctorum animos turbante, consumpto in nequitia totius vitæ tempore, ad extrema demum suspiria sacramenta sua petunt multi, si essent de die mortis certi quisnam vllam virtutis curam haberet? Accedit & alterum, qui de mortis hora certus esset, præ mæstitia tabesceret, nec quicquam laboris ad scientiam adipiscendam adiret. Tertio si qui nouissent quando morituri essent, nec ante mori possent, etiamsi pericula adirent, nullam suæ fortitudinis laudem aut mercedem reportarēt, sic enim & ignauissimus quisque in ignem vtique ingrederetur, si certum quendam reperisset securitatis fideiussorem. Si Abraham antea cognito non occisurum se filium, illum ad mortem deduxisset, quam fidem ostendisset, quam laudem reportasset? Qui vero ex periculo interitum præstolatur, & nihilominus istud aggreditur, maximum suæ fortitudinis dat indicium: sicut tres pueri *Daniel.* 3. qui sic aiunt. *Potens est Deus eripere nos ex camino isto, ô Rex, at si minus, notum sit tibi quod Deos tuos non colimus*:

1. CVM iustus vitæ suæ terminum quotidie prospiciat, & tacite secum cōsiderare non cesset quas rationes ante districtum iudicem positurus sit, neque semetipsum diiudicare & comprehendere omnino possit, inquit Gergor. *Delicta enim quis intelligit?* ait Dauid, & Iob, *Responde mihi quantas habeo iniquitates, scelera mea & delicta mea ostende mihi*, & rursum Paulus, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*, Non immerito appropinquante morte, cuiuslibet anima tanto acriore timore concutitur, quanto æterna retributio vicinior videtur. Nam licet cuncta parua opera quæ intelligere potuit, deuitarit, venturus tamen coram districto iudice, illa magis, quæ in semetipso non intelligit, pertimescit, *inquit Gregor.*

Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum ipsis incōstātibus cogitationum motibus perpetremus? vt quamuis facile sit opera peruersa vitare, nimis tamen difficile est ab illicita cogitatione cor purum seruare. Et tamen scriptū est Michæ. 2. *Væ vobis qui cogitatis inutile.* Humana anima semel æternitatis statum deserens, ad fluctuum temporalium bonorum delapsa, hanc mutabilitatem alternantium motionum, quam dum caderet volens appetiit, dum conatur surgere, cogitur inuita tolerare, *inquit Gregorius*, inde quippe punita est vnde delectata, & conuersa inde habet laborem certaminis, vnde peruersa appetiit gaudiū voluptatis.

2. CVM itaque viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire possimus, sed quod nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter gessimus, si remota misericordia iudicemur, vt testatur Iob, cum ait, *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*, & Propheta Dauid dicens, *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, merito quisque iustorum sibi illud Dauidis vsurpat, *A iudiciis tuis timui.*

II Sirne Mors n tuen ia hæ Gr gor lib mora 16. 17. &

[illegible] Quid facient tabulæ si tremunt co-[illegible] quomodo virgulta immobilia [illegible] pauoris turbine etiam [illegible] vnde Redemptor no-[illegible] propinquâs, & membrorum [illegible] rum seruans speciem, *factus in agonia [illegible] prolixius orare.* Quid enim pro se il-[illegible] cum in agonia esset, peteret, qui in ter-[illegible] positus cœlestia cum potestate tribue-[illegible]? Sed appropinquante morte, nostræ infirmitatis speciem & pauorem expressit qui vim quandam terroris ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno iudici appropinquamus. Veruntamen quia iustorum animæ à leuibus quibusque contagiis ipso sæpe mortis pauore purgantur, & æternæ retributionis gaudia iam ab ipsa carnis solutione percipiunt, plerumque contemplatione retributionis internæ etiam priusquam carne expoliantur, hilarescunt, & dum vetustatis debitum soluunt, noui iam muneris lætitia perfruuntur. Et quanquam Princeps mundi huius in exitu mortis cuiusque veniat requirens sua in nobis opera, & multa quæ sua sunt in nobis inueniat, qui innumera mala commisimus, quod negare non possumus, tamen in mortis nostræ tempore iam nos rapere non valet, quia eius membra effecti sumus, eique non solum fide, sed & moribus & dilectione sumus iuncti, qui vicit mortem & in quo non habuit quicquam. *hactenus Gregorius.*

3. HINC & *Bernardus epist.* 105. volo te mortem etsi non effugere, certe vel non timere, Iustus quippe mortem etsi non cauet, tamen non pauet, moritur quidem iustus quoque, sed secure, quippe cuius mors vt præsentis vitæ miseriæ est exitus, ita introitus est vitæ melioris, quia *si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, teste Sapiente *capite quarto.* Bona mors si peccato moriaris, vt iustitiæ viuas, hæc mors necesse est vt præcedat, vt sequatur illa secura. Ideoque in hac vita quamdiu durat, compara tibi illam quæ semper durat, & dum viuis in carne moreremundo, & à mortifera delectatione te cohibe, vt post mortem carnis Deo viuas, & de vitæ nouitate obueniat tibi iucunditas, sicut & de æternitate securitas. *Beati mortui*, inquit Ioannes, *qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Bona proinde mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem. Econtra *mors peccatorum pessima*, mala siquidem est in mundi amissione, quia non possunt sine dolore ab eo quem diligunt separari: peior in carnis separatione, à qua eorum animæ a spiritibus malignis tanquam leonibus rapiuntur: pessima in vermis ignisque duplici contritione, quando corpus & anima perpetuis addicuntur cruciatibus. hæc Bernardus. Sed qui vitam honeste & in virtutibus transegerunt, quando ex hac vita emigrant, vere liberantur & quasi soluũtur à certaminibus, & à vinculis relaxantur. Est enim mors his qui bene viuunt, translatio quædam ad meliora, à momentanea vita ad perpetuam & immortalem. Mors enim Domini immortalitatem nobis peperit, iuxta quod Ozeas ait, *Ero mors tua ô mors*, quia eam penitus in suis electis occidit, & vt descendit in infernum, dissoluit eius neruos & robur destruxit, & quod ante terribilem habebat faciem, & implacabilem, hoc nunc contẽptibile fecit, *inquit Chrysost.* adeo vt & iuuenes & teneræ virgines exiliant cũ hinc emigrandum est. Priusquam portæ inferni essent confractæ, timebant mortem etiam Sancti Dei: Nunc autem propter gratiam Christi, quia mors facta est somnus, sic exultant sancti morituri quasi de vita in vitam transferendi. hinc ea vox Pauli, *Cupio dissolui & esse cum Christo. Christus enim*, vt Paulus ad Hebræos [illegible] *per mortem aboleuit eum qui mortis habebat imperium.* hoc est, diabolum, eosque liberauit quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant seruituti. Magna seruitus assidue timere mortem: ab hac seruitute electos suos ei per caritatẽ incorporatos

Hæc Chryso. hom. 30. in Gen

Hebr. 2.

poratos liberauit Christus: Neque enim hominem iam absorbet, vt prius solet, cũ eum per fauces ad orcum transmitteret, sed hoc Christi morte effectum est vt iam homini introitum ad vitam præbeat, quo fit vt qui vere Christi sunt, eique per charitatem inserti, mortem non solum nõ timeant, sed & optẽt. Quapropter gaudeamus si quando iustum mori viderimus, quippe qui mox mercedem laborum suorum accepturus sit, & ex miseriis ad fœlicitatem, ex luctu & tristitia ad gaudium & exultationem trãsiturus: corpus autem tanquam vestimentum animæ circundatum depositurus, clarius iterum idipsum breui & paulo post resumpturus, & cum maiori gloria recepturus.

Aug. li. 83. q. 1. 21. quæst. 25.

4. PERTINET ad rectam vitam, *inquit Aug.* ea quæ non sunt metuenda, non metuere: mors autem metuenda non est, oportuit igitur idipsum illius hominis quem Dei Sapientia suscepit morte monstrari, quia Sapiẽtia Dei hominem ad exemplum quo recte viueremus, suscepit. Sunt autem homines qui quamuis mortẽ ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt, verum vt ipsa mors metuenda non est, ita etiam nullum genus mortis bene & recte viuenti homini metuendũ est. Idcirco hoc quoque illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil autem erat inter omnia genera mortis illo genere execrabil[illegible]u, & formidolosius. *hæc Aug.* Non itaque multum curandum est eis qui necessario morituri sunt, quo genere mortis moriantur, sed moriendo quo ire cogantur, quia mala mors putanda non est quam bona vita præcessit, & melior sequitur, neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortẽ. Horrenda enim illa genera mortium dum vnus absumitur igne, alter necatur gladio, tertius diuturna fame vastatur, quid mortuis obfuerunt qui bene vixerunt? præsertim cum boni fideles hæc quoq; pie tolerando in vsus suos verterunt: quicquid enim illud est in morientib. quod cũ graui sensu adimit sensum, pie fideliterq; tolerãdo auget meritum patientiæ. Hinc omnes fatentur quotquot christiane sapiunt, meliorem fuisse Lazari pauperis m[illegible] mortem fame inter lingentium c[illegible] guas absumpti & mortui, quã impii diuitis inter epulas extincti. Nam quanquam omnis mors sit pœna nascẽtis, si tamẽ pro pietate iustitiaq; pendatur, sit gloria re[illegible] scẽtis, *ait Aug.* & cũ sit mors peccati retributio, aliquando impetrat vt nihil retribuatur peccato. *Pretiosa* enim *in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Quid pretiosius quam mors per quam fit, vt non solum delicta omnia dimittantur, verũetiam vt & merita cumulatius augeantur, & regnum cœlorum comparetur, pretiosa sit ista gemma oportet & magni valoris ac pretii, qua tibi regnum vnum compares: talis est mors sanctorum Martyrum.

Aug. [illegible] ciu. [illegible]

Aug. serm. 32. de verb. apostol.

5. MORTEM horret natura, *ait Aug.* si n. animalia quæ ita creatá sunt vt suo quoq; tẽpore moriantur, mortem fugiunt, quanto magis homo qui sic fuerat creatus, vt si viuere sine peccato voluisset sine termino viueret? Hinc itaq; necesse est vt tristes simus quando nos moriẽdo deserunt quos amamus, quia etsi nouim⁹ eos nõ in æternum relinquere nos mãsuros, sed aliquãtum præcedere secuturos, tamẽ mors ipsa quã natura refugit, contristat & cõturbat dilectionis affectũ. Ideo admonet Paulus, non, vt non contristemur, sed vt *non contristemur sicut cæteri qui spem non habent,* sc. aut resurrectionis aut vitæ æternæ. Mirum est quemadmodum rerũ quas habet amissionem etiam inexpertam natura deuitet. Quid quæso pecora docuit deuitationẽ mortis nisi sensus vitæ? Sicut n. audiendi sensu non solũ de vocibus, verumetiam de silentio iudicamus, *inquit Aug.* quia à contrariis notis etiam pleraque intelliguntur ignota, Sic ex vita quæ inest homini, potest eius cauere contrarium, id est, vitæ priuationem quæ mors dicitur. Quis docuit paruulum puerum adhærescere baiulo suo, si eum fuerit ex alto iacere minitatus? Sic & primis illis hominibus iam vita erat dulcis, quã pro[illegible]

1. Thess. cap. 4.

Aug. [illegible] ca. [illegible] Gen. [illegible] ter.

... tabant : nec aliter eis ... persuaderi peccatū, nisi prius per... eos ex illo facto non esse mori... illud quod habebant & se ha... sant non amissuros. Non itaq; ... parentes primos Deum mortem ... inexperta minantē intelligere po... , cum nos omnium ... expertorum ... contrariis quæ iam nouimus, ... vlla dubitatione agnoscamus. Nos enim quomodo intelligimus cum dicitur Resurrectio quam nunquam experti sumus? nonne quia sentimus quid sit viuere, & eius rei priuationem vocamus mortem, vnde reditum ad id quod sentimus resurrectionem appellamus. Sic homo intelligere poterat, quod ei dicebatur Lignum dinoscentiæ boni & mali, etiam quando ipsum malum quod esset omnino nesciebat, atque ipsa experientia dinosceret quid interesset inter bonum quod amisit, & malum quod admisit. Lignum enim tale nomen accepit, vt eo secundum prohibitionem nō tacto, caueretur, quod eo contra prohibitionem tacto, sentiretur. Neque enim quia inde contra præceptum manducauerunt, ideo factum est illud lignum dinoscentiæ seu scientię boni & mali, scilicet vtique etiamsi obedientes permansissent, & nihil inde cōtra præceptum vsurpassent, id recte vocaretur, quod ibi eis accideret si vsurpassent: Quēadmodum si vocaretur arbor saturitatis, quod inde possent homines saturari nunquid si nemo accepisset, ideo nomen illud esset incongruū, quandoquidem cū accederent & saturarentur, tunc probarēt quam hoc recte arbor illa vocaretur. *hactenus August.*

Aug. ... 3. TIMENT homines mori, *inquit Aug.* & vehementer timēt, nec huic timori resisti potest, & tamen frustra timent, quia timendo non id agunt vt non moriantur, sed forte si inuigilauerint vt non cito moriantur. Habes quod agas vt mortem non timeas, si mortem timere non vis, ama vitā, nō eam quam velis nolis amissurus es, sed quam nemo nisi tu tibi eripere potest:

vita tua Deus est, qui sic apud Ozeam ... Osee. 13. *mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne* ... quod occidimus agimus vt penitus non sit, ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus partemq; relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit: quia vero ex inferno partem abstulit, partemq; reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Bona mors timenda non est, sed optanda: Mors mala non est quam sequitur vita beata, etiam si quis a bestiis deuoretur, aut in mare præcipitetur, aut in rotam agatur: Mors bona non est quam sequitur pœna æterna, etiāsi quis in lecto moriatur, & in sepulchro operosissime fabricato ponatur. Miseria sempiterna mors mala & mors secunda dicitur, quia nec anima ibi viuere dicēda est quæ a vita Dei alienata erit, nec corpus quod æternis cruciatibus subiacebit, vbi sic cum natura corporis confligit vis doloris vt neutrum alteri cedat, nec mors morte finiri potest.

1. MORTVOS non esse lugendos, *inquit Chrysost.* docet Paulus, cum ... mortem somnum vocat, sic enim ait ad ... Thessal. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini sicut & cæteri qui spem non habent:* Qui dormit omnino resurget licet corpus putrescat & puluis fiat illud, non tamen inde dolendum, quia sicut qui domum ruinosam est exædificaturus, primo habitatores domus amandat, deinde ædificium diruit vt ædes magnificentiores extruat, quæ res habitatores non excruciat, sed magis recreat, non enim in præsentem ruinam intuentur, sed futurum ædificium animo contemplantur. ... & Deus corpus nostrum dissoluit, & animam illud incolentem quasi domo educit vt magnificentiorē domum extruēs, maiori cum gloria eam rursus in illud introducat: *Seminatur in corruptione*, ait Paulus, *surget in incorruptione.* Igitur ag... ... las imitemur, qui cum dissolui gra... ... dent, nihil turbantur, sed gaudent ...

III.

An mortem defle- di. Chrys. tom 3. in Paul.

1. Cor. 15.

futuræ enim messis seminarium est granum solutum, Ita nos cogitationem defigamus non in ruinam aut corporis mortem, sed in futurum splendorem, resurget enim immortale & gloriosum. Amico ad regnum & coronam euecto & ex multis calamitatibus & miseriis erepto, non lugere, sed gaudere oportet. Si enim sponso alicui filiam in matrimonium copulaueris, deinde ille eam abducens in longinquam discesserit regionem, atque ibi in honore sit, & in rerū omnium abundātia viuat, nequaquam hoc moleste feres, sed dolorem quem ex absentiæ diuturnitate capis, prosperitatis illius communi fama mitigas. Nunc autem non homine, non seruo aliquo accipiente, sed ipso Domino requirente quæ eius est, lamentaris & luges? At cum homo sim, inquis, nō possum non lugere. Neque ego hoc volo, *inquit Chrys.* non enim mœrorem, sed mœroris magnitudinem auferre cupio, mœrere enim naturæ est, vnde & Christus Lazarū defleuit, sed vltra modum hoc facere amentiæ est & effœminati animi. Cum video luctus in plateis, inquit, lamentationes super eos qui ex hac vita migrarunt, & vlulationes & alias ineptias, credite mihi erubesco paganos ista videntes: Dicunt enim. Quomodo ex istis aliquis poterit contemnere mortem, qui neque alterum mortuum potest videre patienter? Dicit Paulus, vt liberaret eos quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant seruituti: Sed non permittitis vt ista credantur, quandoquidem diuersis operibus vestris illis repugnatis: cū enim hic capillos dissipat, illa vero vlulat, quid hac re turpius? Compellor ingemiscere cum ista audio & video: nam quo nos quæso Christus eue[x]it, quo vero nosipsos deiecimus? Dic mihi quid sibi volunt istæ lampades tam splendidæ? quid cantus & hymni? nonne vt Deum glorificemus & ei gratias agamus, quod iam coronauit discedentem, quod mortuum tanquam athletam iam à periculis & laboribus liberauit, quod à timore liberatum apud se habet? Nonne omnia ista gaudentium sunt, dum hymnos canimus & psalmodiam? Cogita quid psallas in illo tempore, *Reuertere, inquis, anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Dic mihi, Dicis Dominum benefecisse tibi & lachrymaris? Nonne scena sunt ista? Nonne hypocrisis? [...] vere credis verbis quæ dicis, superuacue luges: Si au[tem] ludos & fabulas esse putas, quare psallis? pro qua re dic mihi presbyteros vocas & psallentes? nonne vt honores discedentem? *hæc Chrysost.*

Chrys. ho. 4. [illegible]

2. SED, inquis, mortem iusti non defleo, nam hic abit hinc mercedē laborum accepturus, verum an peccator hinc recesserit & quo abierit ignoro. Abierit peccator sane, gaudere decet, *inquit Chrysost.* peccata impedita esse & non accumulatū malum, dum peccatorum suorum cursum desperatus morte amputauit. At ais, fuisset forte immutatus si vixisset. Certe si Deus pænitentiā acturum nouisset, ante pœnitentiam eū non rapuisset, *ait Chrys.* cum omnia ad nostram salutem dispenset Dominus: Cuius enim gratia non permisisset quandoq; beneplacituram viuere si eos viuere permittat qui nunquā sunt immutandi aut emendandi? & peccator hic iuuetur non lachrymis, sed precibus, eleemosynis, oblationibus. Neque enim frustra memoriam mortuorū inter sacra mysteria celebramus, aut agnum immaculatum offerimus, scilicet vt hinc iis cōsolatio aliqua fiat. Non frustra, inquā ab apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum qui hinc discesserunt. Nouerūt enim illis multū emolumenti hinc euenire dum pro ipsis orātes Deum placamus. verū ist[u]d quidē de illis dicimus, *ait Chrys.* qui in fide discesserūt. Nam ita vult Deus vt nos inuicem mutuo iuuemus. Qua nāque alia ratione pro mundi nos pace precari iussit? Quamobrem pro omnibus hominibus? etiam furibus & latronibus: erit forte aliqua illorum conuersio. sic dū pro defunctis oramus & eleemosynas damus nique

Chrys. ho. 42. ad Cor. & ser. 8. ad Phili.

Chrys. [ho.] 69. ad pop. Anti.

Chrys. [ho.] 3. ad [Phil.]

eiſq; aliquid auxilij procuramus, habe res iſta nonnihil conſolationis. Quemadmodum igitur pro viuis iſtis oramus qui innumeris ſcatent vitiis, qui tamen nihilo differunt à mortuis, ita & pro mortuis orari poteſt, *hæc Chryſ.*

3 Sed inquis, mortuum defleo quod auxilio & ſolatio deſtituta ſum, quod omniũ iniuriis expoſita remaneo: quod bonorũ meorum hęrede orbor, quod baculum ſenectutis meæ amitto. Certe idipſum non eſt niſi puſillanimitatis & incredulitatis indicium, *inquit Chryſ.* nempe quod putaſte vel maritum, vel filium, in rerum ſecuritatem collocaturam fuiſſe, Deum vero nequaquam. Nam ob idipſum plerumque eos aufert ne ad eum modum ipſis alligata ſis, vt ſpem tuam ab illis auferas & in Deum reponas. Æmulator eſt Deus, & vult potiſſimum omnium à nobis adamari, in eoque ſpem noſtram omnem reponere quod nos admodum vehementer amet. Scitis autem hunc eſſe morem inſaneamantium, vehementer ſunt zelotypi & malunt vel animam effundere, quam ab vllo riualium ſuperari. Propterea & Deus illum tibi abſtulit, *inquit idem*, quia plus virum quam Deum amabas: ne plus virum ames quam Deum, viduitatem non ſenties vnquam: Quare? quia habes qui te magis amat, tutorem immortalem, ſi & tu eum plus diligas: viuente Deo, nihil iſta quę tibi accidunt te contriſtare poterunt. Tui curam non habebit Deus, qui & te fecit, & quicquid habes, dedit: curam vero habebit conſeruus? Regnum tibi pollicitus eſt, gloriam & vitam æternam, & vitam non adminiſtrabit temporalem? Dic quid ſit quod à viro accepiſti? aurum & opes, ſolatium & honores, inquis, ſuſpiciendam me enim omnibus reddidit. Triſtia quibus cum illo communicaſti, non dicis. Quid enim eſt quod à viro accepiſti? dolores parturitionis, labores & contumelias, conuitia plerumque & obiurgationes: an non iſta ſunt quæ ex viris accidunt? Sed anxie curas quis ſit tibi relictos liberos educaturus: Pater orphanorum, quis enim illos dedit? dic quæſo, nonne ipſe, cuius non minus imo etiam magis, quam tui ſunt filij? Ad communem igitur omnium patrem Deum, qui expedita habet præſidia, confugito. Quod ſi quis ille ſit qui abſtulit, apud te cogitaris, & id fortiter perferas, voluntatem iſtam ſacrificium exhibes Deo, & euadere procellam triſtitiæ facile potes; quod enim tempus ſolet, nimirum mitigare dolorem, id tu efficies ratione. Quod ſi in lachrymas diffluas tuas, ceſſabit nihilominus cum tempore dolor, & præmium tu nullum reportabis. Iſtam rationem vbi inieris tecum, exempla collige qualia paſſim in ſcriptura leguntur: Cogita quod Abraham filium ſuũ obtruncare parabat, & neq; fleuit, neq; verbum vllum acerbum emiſit. Nec id deplores, quod filio mortuo bonorum ſucceſſorem non habeas, vtilius enim eſt eum cœleſtium bonorum quam tuorum fieri hæredem. Et quid obſtat quo minus eum hæredem habeas? Chriſtum eius loco ſubſtitue, eumq; tuis filiis cohæredem relinque: Maioris quidem amoris ſignum fuerit, maioreq; dignum mercede, ſi Chriſtum dum vixeris in ſuis membris paueris. attamen ſi abiturus hinc, quando iam non amplius eorum quæ poſſides vſum habes, tua illi legaueris, aut ſaltem partem illi totius ſortis per teſtamentum dederis, te cohæredem paternæ ſuæ hæreditatis efficiet. Quod ſi ciuitatem hic haberemus manentem, iure copioſiſſimis plangeremus lachrymis talem nos amiſiſſe amicum, tam charum filium vel maritum. Cæterum ſi futuram inquirimus, licet iuſta ſit doloris occaſio tam bono deſtitui amico, debet talem dolorem temperare ſciẽtia fidei, qua ſcimus nos eum præmiſiſſe non amiſiſſe, pręceſſit quidem nos, ſcilicet quo breui ſumus ſecuturi. Itaq; ne affectus vincat fidem, ſed quod intus grauiter dolet prę infirmitate naturæ humanæ, vim mœroris fides fortiter conſtringat, ne vſq; ad eruptionẽ lachrymarum perueniat. *Sic Bernard.* vim animo feciſſe legitur in obitu fratris ſui, & *Au-*

Chryſ. ho. 6. ad Theſ.

Ber. ſer. 29 in Cant.

Aug. lib. 9 c. 12. confess. & *Augustin.* in morte suæ matris, ne mollicies affectus fidem vincere videretur, plorantibus aliis, ipse siccis oculis absque vlla mutatione vultus funeri astabam, licet intus in animo tristitia & dolore plenus essem.

PARS V.

DE MORTE.

Deus mortem non fecit, impij autem manibus & verbis accersierunt illam, & æstimantes illam amicam defluxerunt. Sap. 1.

Summa Articulorum Quintæ Partis.

I. *Mors est pœna peccati, & non conditio naturæ.*

II. *An mortui vnquam appareant, & an sciant quæ hic aguntur.*

ART. I. Mors est pœna peccati & nō conditio naturæ. 1 MORS priuatio vitæ est, nomen tantum habens non essentiam, sicut tenebræ priuatio lucis, silentium priuatio vocis: & ideo dici non potest quod Deus sit auctor mortis, quia quicquid Deum fecisse dicimus, species est & essentiam habet, *creauit enim vt essent omnia*, inquit Sap. 1. Sap. Non igitur mors ex Deo est natura instituente, sed peccatum vindicante, vt si peccatū non præcessisset nec mors secuta fuisset, si Adam nō peccasset, corpore exspoliandus non erat, sed immortalitate superuestiendus. Neq; enim metuendum fuit ne dum forte diutius hic viueret in corpore animali, senectute grauaretur, & paulatim veterascēdo perueniret ad mortem. Si enim Deus Israelitarum vestimētis & calceamentis præstitit quod per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potētia præstaretur, vt animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum quo sine defectu esset annosum, tempore quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus. Sicut enim hæc ipsa caro quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis, quia non est necesse vt vulneretur: sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse vt moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali etiam illis qui sine morte hinc translatæ sunt, fuisse concessam: Neq; enim Enoch & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo eos iam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit: nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui consumptione reficiunt, sed ex quo translati sunt, ita viuunt, vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Helias ex calice aquæ & ex collyride panis sine cibo vixit. Aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in paradiso pascuntur, sicut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim quantum existimo & de lignorum fructibus refectionē contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. Sed & Paulus Rom. 8. sic habet, *Corpus mortuum est propter peccatum:* ex quo manifeste patet corporis mortem propter peccatum meruisse genus humanum: *Corpus*, inquit, *mortuum est*, hoc est, moriendi necessitate constrictum, non propter fragilitatem terrenam, quia de terræ puluere factum est, sed *propter peccatum*, & non ait mortale sed *mortuum*: Namq; antequam mutaretur in illam incorruptionem quæ in Sāctorum resurrectione promittitur: poterat esse mortale quamuis non moriturum, sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatū. In futura autem resurrectione non solum erit mortuum, sed nec mortale, cum mortale hoc induerit immortalitatem. *Hæc Augustinus.*

2 ADAM IGITVR ante peccatum & mortalis erat conditione naturæ, *sen-*

lib. 7 *August.* quia poterat mori, & immortalis erat beneficio Dei, quia poterat non mori, neq; vnquam mortuus fuisset si nō peccasset. Et ideo potius dici debet quod immortalis fuerit Adam à Deo creatus, quam quod mortalis, iuxta illud Sapientis, *Deus fecit hominem inexterminabilem.* Hæc potentia tamen non moriendi non prouemiebat intrinsecus ex natura Adæ, quia secundum naturam mortalis erat & patibilis, sed ex Deo qui hominē aduersus mortem sua custodia & protectione vsquequaq; munierat, & prouidentissime Adamo comparauerat omnia remedia aduersus ea quæ possent ei mortē adferre. Mors autem potest homini accidere aut intrinsecus aut extrinsecus: Intrinsecus quidem ex iis quæ sunt in homine, vtpote quia constat pugnantibus qualitatibus, quo fiebat vt calor naturalis & humidum radicale paulatim deficeret. Contra hunc defectum prouiderat Deus homini per cibum & potum & per lignum vitæ. Potest etiam mors accidere extrinsecus à bestia, à Dæmone, ab igne, &c. quæ omnia facile præcauisset homo, tum quia sapiens erat, tum quia omnium Dominus erat constitutus, ita vt ei inuito nihil nocere potuisset.

3 SED CVM corpus humanum contrariis constet elementis & qualitatibus inter se pugnantibus, quæ corpus absumunt, quæritur, quomodo mors sit pœna peccati, cum videatur homini esse naturalis, sicut & cæteris animantibus? Hic *obseruandum*, quod homo duobus modis possit considerari, vel per se ac secundum nudam naturæ suæ conditionem, remoto nimirum omni Dei dono superaddito. Et hac ratione mors naturalis est homini nō minus quam cæteris animalibus. Secundo vt fuit à Deo conditus rectus & dono supernaturali ac iustitia originali dotatus: & sic factus est immortalis. *Fecit enim Deus hominem inexterminabilem*, inquit Sapiens, & sic est pœna peccati, nisi enim homo peccasset, nunquā mori debuisset. Quemadmodum à simili, Sampsoni addita fuit fortitudo, non quæ natu[illegible] bita, sed quæ benigno & libe[illegible] Dei ei fuit superaddita: quia dum [illegible] liatus per amorem Dalilæ, ei pœna [illegible] qua puniebatur eius culpa, si consideretur vt hac fortitudine erat dotatus: Sed si cōsideretur secundum nudam naturam vt sunt cæteri homines: sic nō erat pœna carere ea fortitudinis gratia. Similiter Sauli ante electionem eius & promotionem ad regnum non fuerat pœna regali dignitate carere: postquam autem creatus est rex, magna fuit pœna & ipsum & posteros eius regali dignitate priuari. Sic mors vt est iusta pœna peccati, per se à Deo est peccatum puniente, sed non est à Deo naturam instituente.

4 ORIGO igitur mortis peccatum est, si enim nunquam peccaretur, nemo moreretur, Præceptum Dei cum conditione primus homo accepit, vt si illud seruaret, viueret, iuxta illud Ecclesiastici, *Si voluerit mandata seruare conseruabunt te*: si præuaricaretur, moreretur. Non credendo se se moriturum fuisse quod dixerat qui legem dederat, inde mors, inde etiam post mortem primam mors secunda, hoc est, post mortē temporalē mors sempiterna. Cum itaq; in vitam non in mortē à principio constituisset hominem Deus, homo legem prævaricando seipsum effecit morte dignum. Sicut enim supplicium iudex irrogat reo, causa tamen prima supplicij non est iustitia iudicis, *inquit August.* sed meritum criminis, Sic Deus causa mortis non fuit, nec ipse mortem fecit, sed tamen per eius retributionem iustissima mors irrogata est peccatori, vnum enim appetiuimus iniqua suasione, alterum nos secutum est iusta damnatione: diabolus enim nobis impietatem persuasit, & per hanc vt in mortem venire mereremur, effecit. Iustum enim iudicium est vt peccato suo quisq; pereat, cum Deus peccatum non faciat, sicut mortem non fecit, & tamen quem dignum morte inuenit, occidit: vnde legitur, *Mors & vita à Deo sunt.*

Cap. 15.

Hæc Aug. ser. 14. de temp.

Aug. lib. 4 cap. 12. de Trin.

Eccl. 11.

5 Hic

Lib. 13. ca. 12. de ciuit. 5 HIC NOTANDVM secundum *August.* mortis vocabulo significatam esse omnẽ mortem quæ potest homini accidere, tam animæ quam corporis, quam etiam totius hominis, quæ dicitur mors secũda, quam luet damnandus in inferno. *Mors* animæ est quando homo per suam inobedientiã deserit Deum à quo & deseritur, & spiritu sancto qui per caritatem animam viuificabat destituitur: illam homo statim incurrebat dum peccaret. *Mors* corporis est quando anima quæ corpus viuificat, ex corpore expũgitur. Mors totius hominis secundum animam & corpus est pœna gehennæ, in qua licet homo perpetuo viuat, tamen quia misere viuit, potius mori quã viuere dicendus est. Mortem animæ incurrit, non solũ qui opere malũ perpetrat, sed & qui flagitiũ in corde decernit, vt si de eius faciendum esse adulterium illum concupiscentia ardet, sed ideo non facis quia locus non est inuentus, neque opportunitas datur, iam mœchatus es in corde tuo & adulter es, quia perfecisti cõcupiscentias dum in animo tuo decreuisti faciendum adulterium. *Hæc August.*

Augu. ser. 43. de Verb. Dom. Mortuus es sed intus iaces, sicut filia archisynagogi in domo mortua erat & nõdum elatam suscitauit Dominus, *Matt.* 9. Si autem vsq; ad operis perpetrationem perueneris, & membra tua adulteriũ fuerint operata, in mortem deuolutus elatus es foras. Sed & iuuenem filium viduæ suscitauit Dominus, *Luc.* 7. quãdo extra portam ciuitatis mortuus efferebatur. Si perpetrasti de proximo redi & pœniteat te, noli in sepulchrum venire: Qui vero cum Lazaro perductus est ad sepulchrum, iam supra se habet consuetudinis põdus, moles eum terrena multũ premit, homo iam pessimæ cõsuetudinis putet & fœtret. Hic Christus magna voce, clamat, quia multũ obsurduit & obdurauit qui talis est, op⁹ est magna virtute vt talis suscitetur, nihilominus ad Christi clamorem etiã talis licet sepultus & fœtens resurgit, ita vt de nullo desperandum sit: Quinimo etiam sic mortuus & sepultus dormire dicitur, sic enim Dominus ait, Ioan. 11. *Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum.* Ille illi dormire dicitur qui potest excitari, vbi autem mortuus est, quia quantumlibet pulses, quantumlibet clames, non expergiscitur. Hic tu si nec mori nec infirmari velis, res illicitas cogitationibus tuis obuias ita prorsus abiice, vt nec delecteris mortifera rei illicitæ delectatione. Sunt qui delectantur quidem, sed non consentiunt plene, nondum perfecta est mors, sed inchoata quodammodo: si delectationi accedat perfecta contensio, iam est illa damnatio, & mortuus iacet in domo.

6 QVANTVM ad mortem corporis obseruandum quod ante peccatum non fuerit illud incorruptibile per naturam, alioquin ea immortalitas mansisset etiã post peccatum, quia quæ naturalia sunt homini propter peccatum nec ablata sunt nec diminuta, sicut nec immortalitas dæmonum est imminuta: fuit igitur immortale corpus humanũ per gratiæ diuinæ donũ: quę immortalitas conseruanda fuerat per lignum vitæ quod aderat ne hominẽ senecta dissolueret. Fuit enim iste vsus ligni vitæ vt vim nutrientem roboraret, & eo modo hominem à senectute & morte defenderet quæ ex senio contingere solet. Vide Aug. lib. 14. c. 26. de ciu. Quamuis enim per communes cibos repararetur humidum illud quod ex generatione accepimus, quodque assidue peractionem caloris naturalis absumitur, tamen extranea illa substantia quæ ex alimento accedit præexistenti humido, nũquã est tantæ virtutis, quantæ fuerat illa quæ deperdita est: paulatim n. vis nutriẽs diminuitur ac tandem funditus perit, qua pereunte vita animalis extinguitur, *iuxta doctrinam Augustini.* Igitur fructus arboris vitæ habuisset vim seruandi hominem à morbo, à senio, & interitu, ad longissimũ quidem tempus, finitum tamen, nimirũ vsq; ad illud tempus quod constituerat Deus vt homo animalẽ vitã degeret in terris, vt inde trãsferretur in cælũ in æternũ victurus. Sunt qui docent lignum vitæ cã habuisse

habuiſſe vim vt vel ſemel guſtatum perfectam adferret immortalitatem, qualem habebimus poſt reſurrectionem, & ideo non ante ſumendum fuiſſe, quam transferendi eſſent homines de ſtatu gratiæ, in quo poterant non mori, ad ſtatum gloriæ, in quo non poſſent amplius mori. Sic enim ait *lib. 3. in Geneſ. cap. 30.* Nequaquam, *inquit*, vt nonnulli arbitrantur, frequentandum erat lignum neceſſario, tanquam perpetuandæ vitæ tranſitiuum medicamentum, ſed ſemel hoc ſumpto viueret corpus in æternum. Gloſſa quoque interlinealis in illa verba, *Ne forte ſumat de ligno vitæ*, ſic habet, Impleto electorum numero guſtaturi erant de ligno vitæ, & ſic ad beatum ſtatum migraturi. Sic illi, ſed magis placet doctrina *Auguſtini*, quam ſcholaſtici Doctores quoque ſequuntur.

7. CVM ſit triplex genus mortis, vt dictum eſt animæ, corporis, & totius hominis in corpore & anima exiſtentis, quærit Auguſt. *lib. 15. de ciuit.* quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, ſi ab eo mandatum tranſgrederentur acceptum, vtrum animæ, an corporis, an totius hominis. Reſpondendum eſt quod omnes: nam & anima in mortem incidit quando per tranſgreſſionem, Deo, qui eſt vita animæ, priuatus fuit: nã quãuis humana anima veraciter immortalis perhibeatur, habet tamen quandam etiam ipſam mortem ſuam dum priuatur charitate Dei, licet p ſeipſã aliquatenus viuat & ſentiat, & tantę virtutis ſit vt etiam anima mortua corpus mortuum viuificare poſſit. Mortem animæ denunciauit Deus in eo quod ait, Qua die comederitis ex illo, morte moriemini, ſtatim enim vt homo deſeruit Deum per inobedietiam, deſeruit & Deus hominem per iuſtitiã, quid namque iuſtius poterat quam recipere talionem? Mors igitur animæ eſt, cum eam deſerit Deus, ſicut corporis cum id deſerit anima. Peccatum vt ſcriptum eſt, ſeparat inter nos & Deum, nec potuit diuidi à Deo anima niſi peccando, nec corpus ab

Aug. li. 13. c. 12. & 15. ciuitiũ.

ipſa niſi moriendo: mortis meritum peccatum eſt, & peccati debitum mors. Nam peccatum vindicans Deus dixit, *Terra es, & in terram ibis*, ſic mors corporis merito peccati inflicta eſt: nil enim congruentius quam vt qua menſura menſi fuerimus, eadem remetiatur nobis, vt mortem perferat, qui mortem intulit: Sic mors operata eſt mortem, *ait Bern.* ſpiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria neceſſariam; homo ſponte peccando, volens perdidit vitam, nolens igitur patiendo perferat & mortem. Quis enim eſt homo qui viuet & non videbit mortem? Cũ ergo hac gemina morte ſecundum vtramq; naturam & corporis & animæ, homo damnatus eſſet, altera ſpirituali & voluntaria, altera corporali & neceſſaria, vtique De⁹ homo factus vna ſua corporali ac voluntaria morte noſtram vtramq; damnauit: dum enim ſponte in corpore moritur vitam nobis iuſtitiam promeretur. Hinc amplius mouet ad pietatem mortis Chriſti quam vitæ recordatio, & plus deuotionis ſentitur dum mortuus quam dum viuus recogitatur, *ait Bern.* magiſque blanditur infirmitati humanę quies dormitionis, quam labor conuerſationis, mortis ſecuritas quam vitæ rectitudo, puto quod illa dulcior, hæc auſterior videatur: vita Chriſti viuendi mihi regula extitit, mors à morte redemit me: illa vitam inſtruxit, mortem iſta deſtruxit: vita laborioſa ſed mors pretioſa, vtraq; vero admodum neceſſaria, quia vtrumq; pariter nobis neceſſarium & pie viuere & ſecure mori: viuendo viuere docuit, & mortẽ moriendo ſecuram reddidit, quandoquidẽ n. reſurrecturus occubuit, ſpem quoq; dedit reſurgendi morientibus *hæc Bern.*

Bern. c. 11. ad militem.

8. CONTRA hanc duplicem mortẽ, corporis ſcilicet & animæ, promittit nobis Dominus duplicem immortalitatem, cũ pſal. 90. dicit, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Hic *Bernardus* exponens hunc verſum, per *malum* intelligit ipſum peccatum, per *flagellum* vero pœnam peccati, & in

Bern. ſer. 10. in pſal. Qui habitat.

inprimis mortem ipsam: *sic enim ait*, Hic gemina quædam immortalitas commendatur. Neque enim dicit, Non erit in te malum, aut flagellum in tabernaculo tuo, sed non accedet, non appropinquabit. Siquidem est inuenire homines in quibus malum, hoc est, peccatum, non modo habitat, sed & dominatur & regnat. Est alios videre in quibus quidẽ adhuc manet peccatum, sed iam non dominatur aut præualet in eis, euulsum quodammodo necdũ tamen expulsum, deiectum, sed nondum prorsus eiectum. In primis parẽtibus ante primam illam peccati præuaricationem, non modo nõ regnabat peccatum, sed nec omnino erat: Attamen illis appropinquasse videtur & ad eos accessisse, quod tam facile persuasum est & tam festinanter intrauit. Quid vero aliud admonebat quam & ipsam quoque peccati pœnam, etsi nondum iuesset corporibus, iam tamen velut præ foribus esse, qui dixit, In quacumque die comederis morte morieris. Sed beata spes nostra quorum eo gloriosior futura est resurrectio quam fuerit prima conditio, vt nec culpa omnino, nec pœna, nec malum scilicet, nec flagellum aut regnet aut habitet, aut regnare, aut habitare iam possit in animabus seu corporibus nostris. Non accedet, inquit, ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: Nempe nil tam remotum, quã quod adesse vltra non potest. Iam vero & malũ animæ quod est peccatum accedit, dum animam à Deo separat, qui est vera vita animæ: Et flagellum appropinquat tabernaculo, dum ex præsentibus flagellis & qualibet doloris vehementia separatur corpus ab anima. Et quidem optandum nobis ab vtroque liberari, sed cauendum sane magis peccatum quam peccati pœna: & eo studiosius à malo quam à flagello declinãdum, quo perniciosius & omnino infelicius sit à Deo animam, quam à corpore separari. Sed vbi prorsus de medio factum fuerit omne peccatum, causa quidem omnino sublata, ne ipse quoq; deinceps manebit effectus: vt quo modo accedere ad te malum omnino non poterit, sic nec flagellum quidẽ valeat appropinquare tabernaculo tuo, quia videlicet tam longe erit ab exteriori homine quælibet pœna, quam longe fuerit culpa ab interiori. *hæc Bernardus.*

9\. DIXIT Dominus cuidam adolescenti, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata:* nõ dixit, *inquit August.* Si vis ad vitam æternã ingredi, sed simpliciter. Si vis ad vitam ingredi: eam definiens vitam quæ sit æterna, tanquam præsens & temporalis hæc vita non sit dicenda vita, vtpote miseriis & ærumnis plena & semel finienda. Et tamen amatur qualiscumque ista vita: & ipsam licet ærumnosam homines finire timent & pauescunt. Sic blanditur hic mũdus vt nemo velit finire nec ærumnosam vitam. Audiuimus quidem & videmus homines in tribulationibus & angustiis constitutos, nihil aliud dicere, Deus immitte in me mortẽ, accelerare dies meos: in dieb. n. malis mors potius optatur quã vita. Et ecce venit ægritudo & curritur ad medicos & munera promittuntur modo sanet. Dicit tibi mors, Ecce adsum, quam paulo ante à Domino petebas: quid me modo vis fugere? Inueni te falsatorem & miseræ vitæ amatorem, Si sic amatur vita ærumnosa quandoq; finienda, considera quantum sit amanda vita beata nunquam terminanda. An non misera vita vbi laboras, curris, fatigaris, anhelas, nouellas, seminas, metis, coquis, texis, turbaris, torqueris, vbi falsa voluptas, nulla gaudii securitas, timor affligens, cupiditas auida, tristitia arida. Nõ sũt ergo dies mali quos agimus inter tantas difficultates & tot tribulationes in corruptela huius carnis? De quibus apostolus ait, Redimentes tempus quoniam dies mali sunt: Et post hæc omnia mala vitam hanc finire habes. Ecce templa, saxa, marmora ferro plumboque consolidata, tamen cadunt, & homo se sẽper victurum & nunquam moriturum cogitat. Ecce quam malos dies & nemo vult finire dies malos: Deum rogant homines vt diu viuant. Quid est autem diu viuere nisi

Mat 19. Aug. ser. 17. de ver. Dom.

nisi diu torqueri? Et quid est diu viuere, nisi assidue vitam minuere? Nam & pueri dum crescunt quasi dies illis accedunt, & nesciunt quia minuuntur, & ipsa est falsa computatio. crescentibus enim decedunt dies potius quam accedunt. Si tibi vinum minuatur in vere, tristaris, dies perdis & gaudes. *hæc August.*

Aug. de vera reli. cap. 11. 13.

10. MORS non esse cogit quicquid moritur in quantum moritur: nam si ea quæ moriuntur penitus morerentur, ad nihilum sine dubio peruenirent, sed etiam tantum moriuntur quantum minus essentiæ participant. Sicut angelus magis seipsum quam Deum diligendo à summa essentia defecit, & ob hoc minus iam est quā fuit, quia eo quod minus est frui voluit, cum magis voluit sua potentia frui quam Dei. Quanquā n. non summe tamē amplius erat quando eo quod summe est fruebatur, quoniā Deus solus summe est. Quicquid autem minus est quam erat, non inquantum est sed inquantum minus est malum est: eo enim quo minus est quam erat tendit ad mortem. Sic anima deficiens ab eo qui fecit eam, volens cōtra legem Dei frui corporibus quibus eam præfecit, vergit ad nihilum, non quia corpus nihil est, sed quia minus est, quam Deus, quo animæ frui datum est. Et corpus dum anima destituitur, moritur, & minus est, quam erat, cum ab anima viuificaretur, quia mortuum nec viuit, nec vegetatur, nec sentit, viuens autem & sentiens erat dum animatū esset. Sed & in inferno quamuis ab anima viuificetur, mori tamen dicitur quia perpetuo dolore cruciatur, & eatenus minus est: quam foret, si viuidum & sanū esset, priuari enim sanitate, & cum perpetuo cruciatu conflictare, quoddam mori est: vnde & morbus veluti initium & tanquam quædam mortis inchoatio censetur, quia per morbum valetudo tollitur, & eatenus vita imminuitur, quæ vt plena sit & integra sanam eam esse oportet.

II. An mortui aliquando appareant aut sciant quæ hic agantur.

1. ANIMÆ defunctorum dum hinc abripiuntur, eo in loco constituuntur vbi nec vident nec audiunt quę hic aguntur, aut quæ in hac vita hominibus obueniunt, vt auctor testatur *libri de spiritu & anima cap. 29. tom. 3. inter opera Augustini.* Verum quamuis nesciant ex se quid hic inter mortales agatur, possunt tamen resciscere ab iis qui hinc migrando ad eos pergunt, aut ab angelis qui hic nobis præsto sunt & animas nostras ad illos deferunt, aut etiam spiritu Dei eis reuelante scire possunt quid rerum hic agatur, non quidem totum quod fit, sed quod necessarium est eos scire. Quidā etiam ex mortuis ad viuos redire possunt, *vt inquit idem auctor,* non quidem propria naturæ virtute, sed virtute ac potentia Dei: quanquam huiusmodi apparitiones nō semper ꝑ defunctorum præsentiam fiant, sed interdum per angelos bonos in specie defunctorum apparentes, aut etiam ipsos dæmones, prout Dei prouidentia qui & bonis & malis bene vti nouit, secundum inscrutabilem diuinorum suorum iudiciorū altitudinem fieri debere decreuerit, siue vt hinc mortalium mentes aut instruantur, aut decipiantur, prout meruerint. Cū autem mortui ipsis hominibus siue dormientibus, siue vigilantibus apparent, nō in suis speciebus vt sunt, videntur, sunt enim animæ defunctorum inuisibiles, sicut & spiritus, sed in quibusdam specierum suarum similitudinibus, ad hoc vt sic appareant, ex aere vel aliunde formatis & assumptis: & istud angelicis operationib. sic fieri putamus, inquit auctor prædictus. hactenus ille.

Aug. c. 13. de cura promor. & c. 14. & 15.

hæc Aug. c. 13. de cura pro mo. agen.

2. HABET & *Aug.* similia *in libro de cura promor. agen. cap. 10. & seq.* Feruntur mortui nonnulli *inquit*, vel in somnis vel alio quocumque modo apparuisse viuentibus, atque vbi eorum corpora iacerent inhumata nescientibus, locisque monstratis admonuisse vt sibi sepultura quæ defuerat, præberetur. Hæc si falsa esse responderimus, contra quorundā scripta fideliū & contra eorum sensus qui talia sibi accidis-

cidisse confirmant, impudenter venire videbimur. Sed & viuentes apparent sæpe viuentibus dormientibus, dum se ipsi nesciunt apparere: Si ergo me potest aliquis in somnis videre, sibi aliquid quod factum est indicantem, sicut Eulogius rhetor discipulus Augustini, Augustinum in somno vidit ei explicantem quendam locum obscurum Ciceronis, quem postridie erat docturus, quo non intellecto vix potuit dormire secutus: & exposui ei, *ait Aug.* imo non ego, sed imago mea nesciente me: Quid mirum si nescientes mortui, nec ista sentientes, tamen à viuentibus videntur in somnis, & aliquid dicunt, quod euigilantes verum esse cognoscant? Angelicis igitur operationib. fieri crediderim, siue permittatur desuper, siue iubeatur vt aliquid dicere de sepeliendis corporibus suis videantur in somnis, cum id penitus nesciant quorum illa sunt corpora. Id autẽ aliquãdo vtiliter fit, siue ad viuorum qualecunque solatium, ad quos pertinent illi mortui, quorum apparent imagines somniantibus; siue vt his admonitionibus generi humano sepulturæ commendetur humanitas: quæ licet defunctis non opituletur, culpãda tamen irreligiositate negligitur. Aliquando autem fallacibus visis homines in magnos mittũtur errores, quos talia perpeti iustum est: velut si quispiam videat in somnis, quod Æneas vidisse apud inferos poëtica falsitate narratur: & vt ei cuiuspiam non sepulti appareat imago, & loquatur, qualia fertur illi locutus fuisse Palinurus: & cum euigilauerit, ibi corpus eius inueniat, vbi iacere inhumatum, cum somniaret, audiuit, admonitus & rogatus vt sepeliret inuentum: & quia id verum esse comperit, credat ideo mortuos sepiliri, vt eorum animæ ad loca transeant, vnde in sepultorum animas inferna prohiberi lege somniauit: nonne ista credens plurimum à tramite veritatis exorbitat? *hæc Augustinus.* Mitti tamen ad viuos aliquos ex mortuis, sicut è cõtrario Paulus ex viuis paradisum raptus est, diuina scriptura testatur: nam Samuel Propheta defũctus viuo Sauli futura prędixit. Sic & Felicem confessorem apparuisse ciuibus pie à se dilectis, cum à Barbaris Nola oppugnaretur, audiuimus, *inquit Augu.* non incertis rumoribus, sed testibus certis verum ista diuinitus exhibẽtur, longe aliter quam sese habet vsitatus ordo singulis creaturarum generibus attributus. Non enim quoniam Lazarus resurrexit, ideo mortuus omnis quãdo vult resurgit. Alia itaque sunt quæ naturaliter, alia quę mirabiliter fiunt. Non igitur ideo putandum est viuorum reb. quoslibet interesse posse defunctos quoniam quibusdam sanandis vel adiuuãdis martyres adsunt: sed ideo potius intelligendum est, quod per diuinam potẽtiam martyres viuorum rebus intersunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt. *hæc Aug.*

haec Aug. 1. Reg. 28. Aug. c. 16. de cura.

3. Sanquæritur quemadmodum opitulẽtur martyres iis quos per eos certum est adiuuari: vtrum ipsi per seipsos adsint vno tempore, tam diuersis locis & tanta inter se longinquitate discretis, siue vbi sunt eorum memoriæ, siue præter suas memorias vbicunque adesse sentiuntur: an ipsis in loco suis meritis congruo ab omni mortalium conuersatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantum, sicut nos oramus pro mortuis, quibus vtique non præsentamur, nec vbi sint, nec quid agant scimus, Deus omnipotens qui est vbique præsens, exaudiens martyrum preces per angelica ministeria vsquequaque diffusa, præbeat hominibus ista solatia, quibus in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda: & suorum merita martyrum vbi vult, quando vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Christi, pro cuius illi confessione sunt passi, mirabili atq; ineffabili potestate cõmendet: An ista fiant Dei nutu per angelicas potestates, in honorem commendationemque Sanctorum ad vtilitatem hominum, illis in summa quiete positis, & ad alia longe meliora visa vacantibus

Aug. c. 17.

cantibus

cantibus seorsum à nobis, orantibusque pro nobis: an forte aliquando per ipsam præsentiam martyrum fiant ista, aliquando per angelorum, & quando hoc, quando illud comprehendere non valeo. *hæc Aug.*

4. ANIMÆ dum à corpore separantur in his regionibus errare non possunt, *inquit Chrysost.* se post hunc exitum continuo abducuntur, quod exemplo ipsius Lazari & diuitis epulonis planum efficitur. Nam si in terra euntes & corpore amicti cum in ignotas regiones inciderint, nesciunt quo ituri sint nisi ducem habeant, quanto magis anima relicto corpore cum nouam omnino sibi vitam & ignoratam vitam ingrediatur, quo itura sit nesciet, nisi ducem consequatur: Post exitum igitur à corpore, deducuntur animæ in certum quendã locum, vnde redire sponte sua nõ possunt. Nonnunquam quidem ipsos dæmoniacos seu homines à dæmonibus obsessos clamare audias, Anima huius ego sum. Certe non anima defuncti est, *inquit Chry.* quæ decipiat, fingit. Ideo namque obsessi à dæmonibus in monumentis mansisse & habitasse leguntur. *Matth.* 8. quia perniciosam opinionem ingerere hominibus conabantur dæmones, quod hominum, qui hinc abierunt, animæ dæmones fiant, & ideo multi impostores pueros nacti, eos iugulabant, inquit idem, vt haberent animam sibi postmodum subseruientem & ipsos iuuantem. Verum & hoc à diabolica deceptione fiebat, nam quæ ratio inducet nos vt credamus animam cui illata est iniuria, illi ipsi patrocinari qui sibi iniuriam intulit: aut hominẽ posse facere vt incorporea virtus in aliam substãtiam transmutetur? Nam si est in corporibus impossibile vt vnquam hominis corpus in asini corpus transmutetur, quanto minus inuisibilem animam in substantiam dæmonis transformare possibile erit? *hæc Chrysost.*

Chryso. ho. 29. in Matth.

DOMINICA XVI.

POST PENTECOSTEN.

FACTVM *est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum.* &c. Luc. 14.

Summa Articulorum Primæ Partis.

I. *Cur ad inimicos, quos occulte redarguit hic, vadat Dominus.*

II. *Cur tam superstitiose sabbata seruauerint, & quis ea vere seruet.*

III. *Ciuilitas morum docetur, quis superbus, humilis & pusillanimis.*

IV. *In qua gloriari potest, homo gloriæ cupidus: & quæ vana sit gloria.*

PARS I.

1. CVM *introisset Iesus in domum cuiusdã principis pharisæorum,* &c. Non dedignatur Dominus etiam eorum accedere conuiuia qui eum inuitabant animo, vt apparet non candido, neque syncero, ipse tamen animo cãdido & syncero ad eos intrat, partim vt hydropicũ sanaret, ipsosque salutari sua instructione Deo lucrifaceret, & ambitionis morbum, cæteraque vitia quibus laborabant, in ipsis curaret: partim vt suo nos instrueret exẽplo qualiter erga inimicos nostros nos gerere oporteat, vt quamuis ipsi nobis aut male velint aut inuideant, nos tamen malũ malo non rependamus, sed iuxta doctrinam apostoli, malũ in bono vincamus, vt virtutẽ mansuetudinis & patientiæ nostræ mirantes incipiant inuitari & deposita malitia exemplo nostræ humanitatis permoti meliores fieri. Id quod Dominus Ieremiæ promittebat cũ diceret, *Ipsi conuertentur ad te, & tu non conuerteris ad eos,* quasi dicat, nõ tu eorũ malitia peior euades, sed econtra ipsi tua patientia, humanitate, ac morum

Art. I. Cur inimicos quos hic occulte redarguit adeat dominus.

Rom. 12.

Iere. 15.

Digitized by Google

eum suauitate victi meliores fient & diligere incipient quem prius oderant, reiectisque vitiis ad virtutum opera conuertentur. Non potest autem in bono vincere malum qui superficie tenus duntaxat bonus est, & in abdito malus, qui opere parcit & corde sæuit, foris blandus, intus crudelis. Ille vicisse dicitur, qui alterum pertraxerit ad suam partem, quod si is qui malus est sua malitia te malum sibique similem effecerit, vicit ille te: Sed si tua tu bonitate & animi mansuetudine & dilectione eum bonum effeceris, & à sua malitie eum deduxeris, iam vicisti eum, & lucratus es Deo proximum tuum. Et ad id valet si quod Paulus suadet, feceris, *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius,* hoc est, beneficiis tuis victus dolebit se iniurias tibi fecisse, & sicut carbones ardentes incendunt corpus super quod congeruntur, sic bona facta tua inflammabunt eum ad tui dilectionem quem prius oderat & male volebat.

Rom.12.

2. QVOD autem non syncero neque cādido animo eum inuitauerit pharisæus iste, videtur ex eo, quia tam ipse quam socii eius obseruabant eum, non vt verbo doctrinæ aut exemplo vitæ aliquid boni discerent ab eo, sed num quid diceret aut faceret quod contra sabbati religionem & obseruantiam foret, vnde eum tanquam sabbati violatorem accusare & traducere possent, Pestis inuidiæ & virus odii pharisæos corripuerat, eosque impulit vt Christum tot modis insectarentur quia gloriam suam ipsius gloria obscurari, suamque doctrinam pietatem & religionē, singulari ipsius doctrina, admirandis operibus & clarissimis virtutum eius exēplis nihili fieri animaduertebant, sesque ac suos improbos mores, auaritiam, superbiam, & hypocrisin sæpius redargui audiebant, hinc eum oderant, grauis eis erat etiam ad videndū, *vt Sapiens ait.* Id inuidis proprium vt bona proximo si quæ habeat inuideant, & ideo tot vulneribus sauciantur in corde, quot dotes cernunt in homine; & eo deterius ruit inuidus, quo alium conspicit conscendere altius: non ita vestem tinea, nec ita lignum rodit insidens vermis consumitque, vt inuidiæ tabes animæ medullas, iuxta illud Sapientis, *Putredo ossium inuidia.* Contrarium efficit caritas quæ dum proximum vt se diligit, bona aliena propria facit, nec minus iis quam propriis reficitur, iuuatur & delectatur.

Sap.2.

Pro.14.

3. CVM itaque obseruarent eum, ecce parata erat calumniandi occasio: aderat enim hydropicus stans ante illum, quem plerique existimant ab ipsis pharisæis subintroductum fuisse, vt illi occasionem darent eum sanandi in sabbato, vnde eum calumniarentur tanquam legis violatorem, quia sabbato quenquam curare illicitum putabant. Et id significare videtur scriptura cum ait, *Et respondens Iesus dixit ad legisperitos & pharisæos, Si licet sabbato curare?* Quod enim ait, respondens, intelligendum est haud dubie quod ad eorum cogitationes, declarans se non ignorare quid cogitarent apud se secreto in corde: Qua interrogatione dum eorum calumniam præueniret, eādem elisit, quia quod ad interrogationem responderent, non habebant, Porro Dominus non solum ex eorum silentio factum suum ostendit non esse calumnia dignum, sed & ex subiuncto exemplo: simul notans eorum & præposteram religionem & auaritiam, vt qui in eo quod tantum & tam magnum fuit caritatis opus, arguerent eum violare sabbatum, in simili opere quod non caritatis, sed potius cupiditatis esset, dum bouem suum ex puteo etiam sabbato extraherent, non iudicarent se sabbati violatores.

Non tamen aperte eos redarguit, sed modeste, & occulte tantum eos notat, & quod iustū est eis iudicandum relinquit. qui manifeste eius opera calumniabātur, eos etiam aperte & manifeste redarguebat: sicuti cum apud Lucam curasset mulierem sabbato, quæ laborauerat 18. annis

Luc.13.

sua

Digitized by Google

suæ infirmitate: *Et respondens archisynagogus indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ, Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite & curamini, & non in die sabbati. Respondens autem ad illum Dominus dixit, Hypocritæ, vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? hanc autẽ filiam Abrahæ quã alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati, & cum hæc diceret erubescebant omnes aduersarii.* Hoc loco vero non manifeste hos redarguit, sed tecte, quia non vt ille archisynagogus aperte eius factum calumniabãtur, sed in silentio cogitationes suas occultabant, ipsumque obseruabant. Nefas erat apud Iudæos, non quidem ex diuina religione, sed ex eorum superstitiosa obseruatione sabbato ægrotos curare: & tamen si cuius bos in puteum incidisset etiam sabbato eum extrahebant.

4. SED quid quæso homines in lege eruditos in tantum errorem impulit vt boui periclitanti in sabbato subueniendum esse crederent: homini vero ægrotãti subueniendum non putarentur? Non aliud certe quam cupiditas, qua fiebat vt maiorem suorum iumentorum curam quam proximorum haberẽt, quia non caritate, sed cupiditate suam vitam moderabantur. His similes sunt ii qui magis suos equos quam animam seruorum suorum curant: ægrotat equus, *inquit Bernardus.* & quæritur remedium: periclitatur salus animæ serui dum inebriatur, scortatur, impudice loquitur, peierat, & dissimulatur: cadit asinus in foueam, est qui subleuat, perit anima hominis, & non est qui recogitet: Quod ideo fit, partim quia non cernitur periculum animæ sicut corporis, & dum non videtur nec esse putatur: partim quia homo magis affectu & cupiditate in moderanda vita sua mouetur, quam fide aut ratione ducatur.

Quo autem vehemens aliquis affectus propendet, eo secum trahit & rationem & intellectum, qui facile rationes, quibus affectui suo morem gerat, inuenit vt quod agit, persuadeat licitum esse Magnus enim errorem magister est affectus corruptus: si iudex affectu sit deprauato, vt partes litigãtes aut oderit aut amet, impellet eum ad sententiam ferendam non pondus veritatis, sed affectus: Sicut & aduocatus lucri cupidus, rationes in promptu habet, quibus foueat causam iniquam eamque tãquam iustam tueatur & defendat: sic & qui de inimico vindictam expetit iustam suam iram censet. De quibus Isaias, *Sapientia tua & scientia tua hæc decepit te.* Isai. 47.

5. QVOD tam superstitiose pharisæi sabbata sua seruarent ratio eos mouisse videtur, quia olim Deus tanta religione sabbatum obseruari præceperat, vt non solum omne seruile opus sub capitis pœna prohiberet, sed ne ignem quidem in domibus accendere, nec cibum coquere, nec manna ad vescendum in deserto colligere permitteret: vnde is qui sabbato ligna collegerat delatus ad Moysen, qui nesciens de eo quid agere deberet, in carcere conclusus & consulto Deo lapidari iussus est. Hinc tam superstitiose sua sabbata seruabant Iudæi; Ita vt cum olim ij in Anglia versarentur, quidam inter eos fuerit nomine Salomon qui cum in cloacam die sabbati incidisset, inde eo die extrahi noluerit, vt referunt Annales Anglorum: vnde versus, *Sabbata sancta colo de stercore surgere nolo:* Qui ex sententia iudicis loci, die dominico proxime sequenti iussus est ibidem manere respondentis ei, *Sabbata nostra quidem Salomon celebrabis ibidem.* Verum ea superstitio nequaquã est imitanda, quia præceptum de obseruando sabbato non prohibet opera necessitatis, quæ pridie fieri nequeunt & in sequentem diem differri non possunt: neque prohibet opera caritatis, vt suo exemplo & verbo nos hic docet Christus qui & bouem extra foueam extrahendum etiam sabbato significat, & hydropicum sanat: sic Elias ambulans quadraginta diebus ambulauit etiam sabbato, quia

II. De Sabbato seruando.

Nu. 15.

quia faciebat necessitate vitæ defendendæ fugiens Iezabelem quæ quærebat eius necem: & Iudæi etiam sabbato se defendebant licite contra suos hostes bellũ ipsis inferentes, vt dicitur *lib. 1. Machab. cap. 2.* Quod autem tam arcta prohibitio fuerit operandi in veteri lege ipso die sabbati, ratio est, quia obseruatio sabbati figura erat significatiua alterius rei: figura autem pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire licet, alioquin falsa redditur ipsa significatio.
Nu.15. Vnde ille qui sabbato colligebat ligna lapidari iussus est, quoniam veritatem in figura violauit: à figura enim quantumcumque modico subtracto mutatur tota significatio: sicut vna litera subtracta ab hoc nomine lapis, tota mutatur significatio dum lapis fit apis: circa rem autem ipsam, hoc est, circa lapidem potest aliqua fieri mutatio, possunt aliqua addi aut adimi absque mutatione substantiæ. Et ideo die Dominico iam in noua lege, qui ex constitutione Ecclesiæ successit sabbato veteris legis, multa fieri possunt quæ prohibita erant sabbato veteris legis, vt coquere cibum, struere focum, & multa alia, quia non est figura significatiua dies Dominicus, sicut ex Dei institutione sabbatum erat, & ideo non violatur significatio seu figura iam sicut olim. Quod autem nec cibum coquere, nec manna colligere ipso sabbato possent, sed pridie cibus præparari debebat significatur quod in isto sabbatismo qui iuxta Paulum *ad*
Heb.4. *Heb.* relinquitur populo Dei, hoc est, in requie futura nullus erit amplius operãdi aut merendi locus, ibi omnia erunt præparata, quies & satietas perfecta.

2. HOc præceptum, *Memento vt diem sabbati sanctifices*, partim est morale, & sic ponitur inter præcepta decalogi, partim ceremoniale: hoc est, partim est legis naturę, partim iuris positiui, lege enim naturæ præcipitur vt aliquod tempus diuino cultui deputemus: nam id exposcit natura vt vnicuique operi suum deputetur tẽpus, somno capiendo, cibo sumẽdo, labori exercẽdo, & similibus, sic & diuino cultui certum assignandum tẽpus vt pro eo quod nos creauit, redemit & cuncta in nostrũ vsum cõdiderit ei benedicamus & gratias agamus, quo modo etiam primus homo certis temporibus Deo gratias egisset & coluisset. Et quia primæ institutionis dignitatem & nobilitatẽ perdimus, nec iam possumus ex contemplatione creaturæ in sex diebus conditæ ad amorem Dei verãque sanctificationẽ pertingere, sed in peccatum lapsi pro beneficio redemptionis tenemur gratias agere, & peccata nostra eleemosynis redimere, & precibus ac lachrymis exorare, nõ iam amplius septimo die feriamur, sed tota hac mortali vita denuo fingendi atque rursum creandi primũ diem celebramus, qui Dominicus à Domini resurrectione dicitur. In sabbato autem seruãdo aliquid est quod præcipitur, & aliquid ob quod præcipitur: requies ab opere seruili præcipitur, verum quia Deus haud quaquã delectatur otio hominis, in eum finẽ quies præcipitur vt homo commodius vacet meditationi beneficiorum Dei & peccatorũ suorũ expiationi. Hinc non plene seruat sabbatũ qui id non facit etiam si foris ab opere seruili cesset. Quod si insuper otio abutantur vt ventri, ebrietatibus, comessationibus, tripudiis, impudicitiis aleis indulgeant, quomodo Iudæi fere suis Neomeniis abutebantur & sabbatis putantes sibi otii gratia sabbatum concessum, is grauius delinquit quã si opere seruili licito sabbatum violaret, Isai.1.
vnde Dominus per Isaiam, *Neomenias & sabbata vestra odiuit anima mea, iniqui sunt cœtus vestri.* Quæ enim hæc insania, *inquit Chrysost.* sabbatum accipere vt peccata tua expies, & animam liberes, tunc ea committere magis? Et Malachias, *Ecce ego dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum*: Et Ieremias in Threnis, *viderunt eam hostes & deriserunt sabbata eius.* Et *Augustinus* in Psal. Melius faceret Iudæus, *inquit*, si in agro suo operaretur quam si in theatro seditiosus existat, & melius fœminæ die sabbati lanam

Mala.1. Thre.1. August. in Psal. 32.

lanam præpararent, quam quot tota die in ſuis Neomentis impudice ſaltent. Poſſunt tamen operarii feſtiuis & dominicis diebus audito diuino officio honeſtæ recreationi aliquid temporis impendere, hæc eſt enim requies eorum qui tota hebdomada labo rauerunt, quam Dominus
Deut.5. permittit, cũ in Deuteronomio ait, *vt requieſcat ſeruus tuus & ancilla tua.* Poteſt etiam quiſq; ſe tũc cultius veſtire, & corpus melius reficere, modo tamen non putet ſe Deo per iſta placere, ſed ea veluti internæ lætitiæ ſigna aſſumat vt cultiori corporis habitu mentis hilaritatẽ excitet & denotet, & toto homine, animo & corpore diem feſtum & lætum agat.

3. OTIVM itaque pietate vacuum adeo nihil confert ad ſanctificationem ſabbati, vt etiam ſanctificationi obſit, quia de eo ſcriptum eſt, *Multam malitiã docuit otioſi-*
Eccl.33. *tas*: Sed qui curis ſecularibus vacuus ab opere ſeruili abſtinet vt Deo rebuſq; diuinis vacet, vt meditando & pſallendo gratiarum actionem & caritatem excitet, orando & ingemiſcendo peccata ſua expiet, legendo & conciones audiendo ſcientiam & ſapientiã hauriat, ſacrificando aut Miſſæ ſacrificium audiendo, pietatem exerceat, (ſanctificatur enim ſabbatum etiã cultu viſibili & ceremonia exteriori, quatenus interioris atque inuiſibilis ſanctitatis aut cauſa eſt, vel ſignum eſt) is demum ſabbatum vere ſanctificat: vt enim in li-
2.Mach. cap.5. bris Machab. dicitur, *Non elegit Deus gentem propter locum, ſed locum propter gentem,* Ita elegit diem propter hominem, vt homo bonis ſuis operibus, pietate & ſanctitate ſua ſabbatum ſeu diem Dominicum ſanctificet, non autem elegit hominem propter diem, quaſi dies ſanctificet hominem, eumque Deo probatum reddat.

III. Ciuilitas morũ docetur, quis ſuperbus, humilis, & puſillanimis.

1. CVM *fueris vocatus ad nuptias, recumbe nouiſſimo loco.* Hæc Chriſti doctrina ſecundũ litteram externam morũ cõmendat honeſtatem in cõuiuiis ſeruãdã. Nec indigna videre debet hæc moralis doctrina perfectioni doctrinę euangelicæ, Nã quemadmodũ boni medici eſt non tantũ grauiorib. mederi morbis, ſed & leuioribus. Ita boni doctoris erat etiam quæ in ciuili cõuerſatione ſunt inhoneſta reſecare, & quæ ſunt ciuilis honeſtatis ac modeſtiæ edocere. Cauendum tamen ne quis ex hoc Domini præcepto occaſionẽ captet cõtendendi pertinaciter de vltimo loco, quia quamuis hoc præceptum Chriſti etiam ad litteram ſit ſeruandũ *teſte Baſi.* vt in prandiis accũbentes poſtremũ præoccupemus locum, vt ſi mundani nobiſcum accumbunt, exemplum ipſis etiã ex hac parte fiamus, neque extollamur nec primum locũ quæramus: vbi igitur omnes æquales conueniunt, ait, extremum locum tenere iuxta præceptũ Domini ad omnes pertinet, tamen contentioſe circa hunc occupandum agere, reprobandũ eſt veluti quod bonam ordinis diſciplinã deſtruat & tumultus cauſa ſit, & iſtud ſimiles nos faciat his qui de primatu conten-
dunt, *Eſt enim* vt Eccleſiaſticus ait, *qui nequiter ſe humiliat*, ſi videlicet in eum finem ſe humiliet vt exaltetur. Eccl.19.

2. QVAPROPTER oportet etiã hoc cõſiderare, id quod nobis decorũ eſt, decernendo ac ſtatuendo ei, qui hoſpites ſuſcepit permittere accumbendi ordinem: patrifamilias enim conuenit harum rerum diſpoſitio, vt etiam Dominus hoc loco admonet: Sic etenim honeſte & ſecundum ordinem omnia facientes non per luſum ſed per obedientiam humilitatem exercebimus: Eſt autem maior ex cõtradictione arrogantiæ ſuſpicio, quam in primo accubitu, vbi ex præcepto ipſum ſuſceperimus. *hæc Baſil.* Quod vero primũ locum ſic appetat homo, ſuperbia cauſa eſt: vt enim magni ſe facit, ita & ab aliis magni fieri cupit, & locum primum, in quo honeſtiores excipi ſolent, velut ſuæ excellentiæ ac dignitatis teſtimoniũ appetit: & dum poſtponitur iniuriam interpretatur, indignans tam hoſpiti qui cæteros anteponit, quam hoſpitibus qui ei anteponuntur ac præferuntur.

3. VERVMENIMVERO non tam ſecundum literam intelligenda ſunt quę hic dicuntur (quanquam & externam morum honeſtatem commendet religio Chriſtiana) quam ſecundum ſpiritum: Quo ſignificatur vt qui ad nuptiarum conuiuiū (quod partim nunc in eccleſia, ſed perfecte celebrabitur in futura beatitudine) inuitatur, dum menſæ cœleſti accumbere cupit, vt verbo Dei & ſacramentorū participatione quæ ſunt inſtrumenta gratiæ diuinæ, paſcatur (quod enim cibus corporeus efficit in corpore quod paſcit, confortat & delectat, hoc efficit gratia Dei & ſpiritus Chriſti in anima) Is nequaquam ſe ingerat vt primum locū obtineat, vt ſe cæteris omnibus anteponat. Quinimo nouiſſimum potius locum eligat, vt nec infimo ſe meliorē aut ſanctiorem reputet, quia, *vt Bernardus recte ait*, ſi te minorē quam ſis reputes, periculum nullum ſubis, ſed ſi te vel vni præferas, facile impinges: Sicut, *inquit*, qui per ianuā decliuem ingreditur ſi plus iuſto ſe incliuet non ſe facile allidet, ſin autem erectus ingredi velit, impinget. Si quo in loco nos reponit Deus certo ſciremus, nec ſupra nec infra nos collocare deberemus, nunc autem quia neſcimus, tutius nouiſſimum locum tenemus. *hac ille.*

4. SAPIENTIS eſt tanti rem quamlibet æſtimare, quanti valet: valor autem rei non ex iudicio aut ſenſu noſtro, ſed ex rei dignitate ipſiuſque natura deſumi debet: vt quo res quæque dignioris & excellentioris naturæ fuerit, eo pluris æſtimanda ſit: Dignioris autem atque excellentioris naturæ ſunt res ſpiritales quam corporales, ita vt inter dona hominibus conceſſa primum dignitatis gradum obtineant ea dona quæ non ſunt ſolum ſua natura excellentia & bona, ſed etiam hominem ea dona habentem bonum & excellentem efficiunt, vt caritas, grātia, & amicitia Dei, ſapientia, & id genus aliæ gratiæ animam Deo gratam efficientes. His ſuccedunt alia dona homini non tam in propriam quam in aliorum vtilitatem conceſſa, vt ſunt prophetia, operatio miraculorum, poteſtas eccleſiaſtica & ciuilis; & ſimiles gratiæ, vt vocant gratis datæ. Poſt hæc ſunt dona naturæ, vt ingenium, eloquētia, corporis robur, ſanitas, & pulchritudo. Deniq; ſunt alia bona quæ poſtremū obtinēt locū, vt diuitiæ, fama, honor, nobilitas, & his ſimilia fortunæ dona.

5. IS qui ſuperbus eſt, donum iſtud de quo ſuperbit & gloriam appetit pluris quā ſit æſtimat, quinimo & de ſeipſo plura atque maiora præſumit quam poſſit, vt enim qui humilis eſt ſe reprimit ne in ea feratur quæ vires eius excedunt: humilis enim dum menſuram ſuæ virtutis probe cognitam & perſpectam habet ſecundum eam ſe dirigit, ſic enim Paulus ad Cor. ait, *Nos non in immenſum gloriamur, ſed ſecundum menſuram quam menſus eſt Deus nobis*: 2. Cor. 10.
& Sapiens, *Dedit mihi digna præſumere horū*: Sap. 2.
Ita qui ſuperbire, hoc eſt, ſupra ſe ire dicitur, ſe ſupra ſe extollit, neq; enim mēſuram ſuæ donationis attendit, ſed tanti & ſe & ſua dona eſſe putat, quanti ea æſtimat. Neque enim aliunde ſuperbia irrepit in hominem, *inquit Bern.* quam ex ſui ignorantia, dum decepta & deceptrix cogitatio hominis, meliorē ipſum eſſe quā ſit mentitur. Quo fit vt ex ſuis operib. æterna ſæpe confuſione dignis, etiā remunerationem & præmia ſuperbus expectet, putans quod ſicut ea ipſe magni facit, q. & à Deo & à quouis alio magni fieri debeant. Porro ſicut ſuperbia ex ignorantia ſui ſuæq; virtutis oritur, dum plura præſumit quis quā poſſit, Ita & puſillanimitas ex ſui ſuæq; virtutis ignorantia ortū habet, dum minus audet quā poſſit: vt quēadmodum ſuperbus peccat exceſſu, ita puſillanimis exorbitat defectu: poſſet enim ſi talentum ſibi concreditum expenderet ad maiora peruenire, ſed cum præ animi puſillanimitate ad vſuram id non ponit, ſed otioſum relinquit, ideo puſillanimis tanquam inutilis ſeruus reprobatur *Lucæ* 19. Humilis vero inter hæc duo extrema medius incedit, qui nec ſe deiicit vltra quam decet, nec extollit, ſed talentū ſibi

ſibi concreditum iuxta mēſuram ſuæ donationis ad vſuram & lucrum exponit, vt ex eo & ſibi & aliis fructificet.

6. Hoc habet humanus affectus quod quæ communia ſunt, ei vileſcant, ſed quæ ſingularia ſunt, ac ſui excellentia cæteris præeminent, ea demum honore ac veneratione digna ducat: quo fit vt ſuperbus omnis ſingularis eſſe & præ cæteris eminere velit, vnde qui corporis forma ſuperbit, non ea, quæ à natura ei ineſt, pulchritudine contentus eſt, ſed ruborem genarum ac labiorum purpuriſſo mentitur, qui morbus ipſis domicellis frequens eſt ac communis, & candorem oris colli que effingit ceruſſa: & flauo colore capillitium inficit, & manum Deo, *inquit Hieron.* inferre non metuit, quæ quod is formauit, reformare præſumit, delens picturam Dei dum vultum acquiſito colore perfundit. Qui ornatus certe non decor Dei, ſed velamen eſt Antichriſti: & qua fiducia vultum ad cœlos erigit, quos conditor non cognoſcit? *hæc Hieron.* Quod ſi quis veſtitus ornatu ſuperbiat, eo aut nimis pretioſo, aut ſingulari aliqua nouitate conſpicuo cæteris præeminere volet.

Soph. 1. Contra hos ſic Sophonias, *viſitabo ſuper omnem qui arroganter ingreditur & ſuper eos qui induti ſunt veſte peregrina*, hoc eſt, inſolita & curioſa. Neque in ſolo rerum corporearum nitore atque pompa, aut in ſola nobilitate, vel eruditione, vel eloquentia, vel induſtria, vel arte, ſed etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe iactātiam, & eo periculoſiorem, quo ſub imagine pietatis decipit facilius, docet Dominus *Matth. 6.* vbi ſic habet, *Exterminant facies ſuas vt appareant hominibus ieiunantes.* Omnis quidem ſuperbia noxia eſt & damnabilis, ſed plus damnãda in religioſo quam ſeculari, plus in paupere quam in diuite: Sicut vana eſt humilitas diuitis & pauperis, ſed magis laudanda in diuite quam in paupere, quid enim magnum eſt ſi pauper humilis ſit, quē ipſa inopia humilem facit? ſed in honore gloriam deſpicere, hoc veræ virtutis opus.

IV. De vana gloria.

1. QVi laudari vult ab hominibus propter aliquod donum quod Deus illi dedit, & ille plus gaudet laudari ſe, *inquit Aug.* quam quod ipſum donū habeat vnde laudatur, iam melior illo ille eſt qui laudat quam qui laudatur, illi enim placet in homine donum Dei, huic amplius placet donum hominis quam Dei. Quod ſi delectetur laude humana, amplius tamen dono Dei & veritate ipſa, ſi enim ei proponatur vtrum mallet in omnibus rebus errans ab omnibus hominibus laudari, an conſtans & in veritate certiſſimus ab omnibus vituperari, iſtud proculdubio potius quã illud eligeret, ſi tamen gaudium alicuius tui boni adaugeat ſuffragatio oris alieni, aut etiam vituperatio minuat, abſque macula non es, quia non tantū continentiam nobis imperauit Deus, hoc eſt, à quibus reb. amorē cohibere debemus, ſed etiam iuſtitiã, id eſt, quo cū conferamus, hoc eſt, non dedit nobis ſua dona vt inde gloriemur, quia ſoli Deo debetur honor & gloria, ſed vt per ea noſtrã ſalutem promereamur, & ſalutē proximi noſtri promoueamus. Cū autē ſine ceſſatione, hac tentatione vanæ gloriæ vita tentetur humana, *ait Aug.* atque in cæteris tentationū generibus homo vtcumq; ſe explorare valeat in hac pene nequaquã, in iſtis tenebris melior euadet homo ſi in occulto gemitu diſpliceat ſibi in defectibus ſuis & quærat miſericordiam donec perficiatur, quam ſi inaniter delectetur in laudibus & gaudeat in bonis. Eſt & aliud malū in hoc genere tētationis, quod philautia dicitur, quo inaneſcunt qui placēt ſibi de ſe, quãuis aliis placere non affectent, ſed ſibi placentes multū Deo diſplicēt, non tantū de non bonis quaſi bonis, verumetiã de bonis Dei quaſi ſuis. *hæc fere Aug.* verum in nullo eſt gloriandum quia noſtrum nihil eſt, *inquit Cypria.* Non glorietur ſapiens Iere. 9. in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, ſed qui gloriatur in hoc glorietur, ſcire & noſſe me dicit Dominus.

2. EST homo ſicut voluptatis ita & honoris natura auidiſſimus, cum enim ad ma-

gna si conditus, nimirum ad gloriam Dei participandam, sublimi dignitate & gratia fuit ab initio præditus, quasi bene vsus fuisset, hanc tantam gloriam promereri, & ad eam peruenire potuisset, iuxta illud 1. Regum, 2. *Quicumq; honorificauerit me, glorificabo eum.* Hoc enim habet ordo diuinæ prouidentiæ, vt si rem quampiam creet ad aliquem finem, eidem & virtutem assequendi finem istum & appetitum eo tendendi i[n]dat, alias frustra condita esset atq; creata. Cũ igitur homo ad gloriam Dei participandam sit creatus, habuit & virtutem eo perueniendi, & appetitum eo tendendi. Sed per suam inobedientiam hanc dignitatem & virtutem perdidit, gloriæ tamen appetentiã non amisit: verum post lapsum amisso creatore, à quo vnico & solo suam gloriam & fœlicitatem expectabat, in creaturam deflexit & ab ea suam gloriam quæ ipsum satiet, suamque fœlicitatem iam expectat, tanquam si sagittarius à scopo aberret, & emissum telum in obuia quæque feratur: Id quod nobis Ieremias insinuat cum ait, *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, dicit Dominus, & foderunt sibi cisternas dissipatas quæ non valent continere aquas.*

3. ET ista gloria quam homo peccator expectat à creatura dicitur vana triplici de causa. Aut quia gloriatur & honorari cupit de eo quod nõ habet, aut quod gloria & honore dignum non est, vt si quis in vestitu, diuitiis, corporis pulchritudine & similibus rebus caducis & fragilibus glorietur, quæ quia hominem non efficiunt sapientem, doctum, aut bonum, ideo nec honore dignum, quia honor nihil est aliud quam virtutis & excellentiæ testimonium. Qui itaq; magis delectatur laude ipsa quam veritate, atque iniquiore fert animo, si non laudetur quam si donũ virtutis nõ habeat, mauult enim dici doctus & sapiens, quam esse, similis est ei qui somniat esuriens quod comedat, & cum experrectus fuerit, vacua est eius anima, sic est omnis qui inani gloriæ delectatur titulo. *Secundo modo* dicitur gloria vana ex parte eius a quo quis gloriam quærit, cuius iudicium non est certum, & cuius laus non satiat appetitum. De quo Paulus. *Mihi pro minimo est quod à vobis iudicer, aut ab humano die,* hoc est humanas laudes & vituperia paruipendo, quia de quo iudicãt, sæpe ignari sunt cũ cordis occulta intueri nequeãt. *Tertio modo* dicitur gloria vana, quia etiamsi quis glorietur de virtute vera, tamen quia nec ipsa virtus in hac vita est satis solida, deperit enim facile vt qui modo bonus est, mox malus euadat: & rursum ipsa gloria non permanet, si enim in ore hominum gloriam tuã reposueris non diutius quam ipsi velint gloriosus & honorabilis eris, hinc huiusmodi gloria tã est vana quam est transitoria. vnde Isaias *Omnis gloria eius quasi flos agri, exiccatum est fœnum & decidit flos.* Quod si & post mortem memoriã sui relinquant, vt multi Reges & philosophi fecisse videntur, viuunt enim in ore hominum etiamnum Cicero, Plato, Alexander Magnus, & plures alii qui per orbem terrarum prædicari videntur, nihilominus est & huiusmodi gloria non minus falsa quam vana, quia vt Paulus de iis testatur, *euanuerunt in cogitationibus suis, & in quo laudantur ab hominibus, in eo reprobantur à Deo, quia per superbiam abusi sunt bonis Dei donis.* Et quid potest fingi miserius, laudari vbi non es, & cruciari & opprobrium sustinere vbi es? ea demum vera est & solida gloria, qua quis à Deo gloria coronatur & honore: vera quia virtutibus & operibus præclare gestis debita, Neminẽ enim Deus honorabit, nisi quem honore dignum iudicauerit: & solida quia æterna & non euanida est.

4. NON de nihilo est quod Iacobus ait, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam:* Quod de aliis peccatoribus non similiter legitur, quia superbi dum volunt fieri magni, deiiciuntur & fiunt viles & abiecti, semper quidẽ in occulto dũ gratia priuantur, frequenter etiam in manifesto, vnde cum apostoli elati dicerent, *Domine etiam dæmonia nobis in tuo nomine subiect-*

oriuntur: Ab hoc elationis vitio dum eos reuocare vellet Dominus, continuo subiunxit, *videbam Sathanam velut fulgur de cœlo cadentem*, quasi dicat, in auctore superbię discite non superbire, sed formidate, ille singulariter non solùm cæteris anteferri voluit, quod etiam absq; peccato potuisset, quippe quibus sublimior erat, ac in donis maior, sed sua potentia, quã à Deo acceperat, & dignitate fruens, in ea gloriari sibiq; placere cœpit, seseq; Deo tanquam cuius opus nõ egeret, subtraxit, & in se suaq; potentia cõfidere cœpit, putans se sibi sufficere ad bene beateq; viuẽdum: quod & primis hominib. male credulis persuasit; vt meliores & fœliciores se futuros putarent si in libertatem sui arbitrij prosilirent, quam si in legis datæ custodia permanerent, Deoq; subessent: Quod dum faceret à cœlesti dignitate deiectus in extremam incidit miseriã. Neq; enim sicut dignitas & gratia data est homini aut angelo à largitore Deo, quo modo sanitas accedit ope & industria medici ipsi ægroto, qui sanus effectus auxilio medici amplius non eget: Sed quemadmodum Deo eguit auctore vt gratiam reciperet, sic eodem indiget conseruatore vt eã retineat. Nam vt lumen à sole in aerem diffusum assidue requirit solis influxum, quo recedente ne ad momẽtum lumen in aere manet, ita gratia in homine à Deo recepta assidue eget eius influxu, vt ne pũcto quidem temporis subsistat in homo Deum deserat. Hæc proprietas solius Dei est vt sibi sufficiat, sibiq; omniũ bonorum suorum principium sit: quam celsitudinem & similitudinem homo dũ peruerse imitari voluit à sua dignitate misere excidit, quia superbiuit, hoc est, quia sibi placẽdo suaq; dignitate fruendo, relicto Deo sibi sufficere voluit. Quod dum fit, homo deficit & malus fit, sed in occulto, non vt omnino nihil sit, sed vt se fruens, suisq; donis sese oblectando inhærens, minus fit quã erat, *inquit Aug.* cum ei qui summe est inhærebat, sine quo ei bene esse non poterat: Sublimior enim homo est ac melior qui Deo inhæret, eiusq; bonitate fruitur quam qui eo relicto sibi inhæret, suisque donis fruitur.

5 SVPERBIA subtile malum & pestis occulta generans ex medicina languorem, & vnde alia peccata moriuntur, inde ipsa exoritur, nimirum ex profectu virtutum & donis gratiarum: sagitta est quæ leuiter volat & leuiter penetrat, sed non leue vulnus infligit, *inquit Bern.* Hęc est illa sagitta de qua Psaltes, *Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die.* Pusillanimes enim & remissos vana gloria non impugnat tantopere, sed qui feruentiores esse videntur, ipsi sibi in hac parte caueant: scuto veritatis se tueri debẽt. Difficulter enim altum sapiet si se intus ad lucem veritatis sollicita cõsideratione discutiat: inueniet enim quod nõ habitet in se bonum: aut si quippiam habeat iustitiæ velut pannum menstruatæ idipsũm inueniet. Sed & si quis plus virtutis à Deo perceperit, inde se nõ extollendi, sed humiliandi causam habet, quia cui plus datum est, plus exigetur ab eo. Quis autem dum audit, *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus*, quæ debuimus facere fecimus: de seipso præsumere, aut confidere audebit? Et tamen omnibus operibus nostris insidiatur hæc vipera: iniurias fortiter profert vt patiens habearis: læsum iniuriæ memorem efficit, vt generosi animi dicaris. Psal. 90.

PARS II.

Cum introiisset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Luc. 14.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Christus etiam erga æmulos suos se clementem & benignum magistrũ exhibuit.*
II. *Quomodo cum inimicis conuersandum, & non malum pro malo reddendum.*
III. *Quomodo sabbathum sit obseruandum.*

ART. I. Chriſtus etiam erga æmulos ſuos beneuolus & clemens.

1 PHARISÆI Chriſtum obſeruabant non eo animo vt eius bonitatem & clementiam imitarentur, ſanamq; ipſius doctrinam ſuſciperent ſecundum quam vitam inſtituerent moreſq; componerēt: ſed vt, ſi quid minus recte aut dixiſſet aut feciſſet, eum carperent & tanquam ſabbati violatorem traducerēt, ſi ſabbato hydropicum ſanaſſet. Ipſe nihilominus, quã uis eos non ſynceros aduerteret, huncq; phariſæum non eo animo ipſum inuitaſſe vt amicitiæ ſignum exhiberet & dilectionis obſequium pręſtaret, ſed magis, vt apparet, id intendebat vt carperet, ipſorum conuiuiis intereſſe non dedignatur, & ingreſſus in domum phariſæi non ſolum in hominis ſalutem intendebat qui hydropiſi laborabat, ſed & omnium eorum, qui conuiuio intererant, animos curare nitebatur, etiam eorum rationem habens, quos nec miraculis, nec verbo doctrinæ, nec exemplo vitæ conuertēdos præuidebat. Hæc eſt enim natura Dei benefacere non ſolum bonis & piis, ſed & iis qui oderunt eum, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

Aug. in pſ. 104.

2 INTVENDA eſt res magna & neceſſaria, *inquit Aug.* quomodo Deus bene vtatur malis operib. hominum ſicut illi cõtra male vtuntur bonis operibus Dei. Per inuidiam fuit à fratribus diuēditus Ioſeph, & hoc opus in eũ finē direxit Deus, vt non ſolum id initium fuerit & patri & fratribus & toti Ægypto bonorum omnium, dum eos omnes fame oppreſſos liberaret, verumetiam dum eo animo fratres eum diuenderent ne eum adorarent, ipſorumque dominaretur, in hoc ipſum ſeruierit ipſa venditio vt eorum dominaretur ipſumque adorare cogerentur. Hoc enim eſt quod Ioſeph ad fratres ait, Gen. 50. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum*, vt exaltaret me ſicut impræſentiarum cernitis. Ita Chriſtus obſeruatione & inuidia horum Phariſæorum ſic eſt vſus, vt eius occaſione non ſolum hydropicum hunc ſanaret, ſed etiam ipſos phariſæos conuinceret in eo in quo ipſum carpere moliebantur, *Sic comprehēdit Deus ſapientes in aſtutia eorum*, vt dicitur Iob 5. *& conſilia prauorum diſſipat.* Quem locum explicans *Gregorius*, ait, Sæpe nonnulli humana ſapientia inflati, dum deſideriis ſuis diuina iudicia contraire conſpiciunt, aſtutis ei machinationibus reluctari conantur, ſed inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt, atque omnipotentis Dei conſilio dum reſiſtere nituntur, obſequuntur.

Greg. lib. 6. Mor. c. 12.

3 SAPIENTES ergo Dominus in ipſa eorum aſtutia comprehendit quando eius conſiliis humana facta etiam tunc congrue ſeruiunt cum reſiſtunt, quando & hoc in vſum ſuæ voluntatis redigit, per quod ſibi voluntas humana contradicit, vnde miro modo fit vt quod ſine voluntate Dei agitur, *inquit Gregor.* voluntate Dei contrarium non ſit, dum in bonum vſum mala facta vertuntur, cuius conſilio militant etiam quæ eius conſilio repugnant, venditur Ioſeph à fratribus Iſmaelitis ne ab eis adoraretur, aſture aliquid agere auſi ſunt vt Dei conſilium mutaretur, ſed diuino iudicio quod declinare conati ſunt, renitendo ſeruierunt, & quod diuinitus diſpoſitum fuerat, cauendo factum eſt vt eueniret. Sic & Iudæi vt Chriſti nomen delerent, eiuſq; memoriam è cordibus hominum penitus auferrent, eum morte turpiſſima condemnauerunt, & in ligno crucis ſuſpenderunt, & per hoc ipſum etiam inſcij & inuiti nomen eius celebre effecerunt: Quia enim *humiliauit ſe Chriſtus vſq; ad mortem, & mortem crucis, ideo Deus exaltauit eum & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Sic non eſt ſapientia, non eſt prudentia, *non eſt conſilium contra Dominum*, vt dicitur *Prouerbiorum* 11.

4 ID QVOD olim Dominus dicebat Ezechieli, cap. 2. *Increduli & ſubuerſores ſunt tecum & cum ſcorpionibus habitas, fili hominis*, hoc & Chriſto dictum puta, qui

inter

inter pharisæos tanquam inter scorpiones & incredulos conuersabatur. Increduli erant scilicet Deo, quia quod Deus de inferni suppliciis minatur, minime credunt. Sunt & subuersores quia teneras mentes innocentum peruertunt, aut irridendo ea quę pietatis sunt, aut bona temporalia & delectationes præsentis seculi callida persuasione pollicendo. Quod si fortassis iustum quempiam tantæ virtutis inueniant quem subuertere non possint, in scorpionem se vertunt, *inquit Gregor.* Scorpio à facie blandus apparet, sed cauda in qua venenum latet, ferit. Scorpiones sunt qui blandi & innoxij in facie videntur, sed à tergo venenum detractionis infundunt, & occulte feriendo vulnus inferunt. Plaga dolosa est occulta detractio, plaga serpentis & aspidis mortifera. Nam vt Eccles. ait cap. 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil ille minus habet qui occulte detrahit.*

Greg. ho. 9. in Ezec.

5 ISTVD inimicorum genus qui inimicantur dum blandiuntur, qui pacem loquuntur cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, longe est nocentissimum & pestilentissimum, & longe illis peiores sunt qui aperte inimicitiam profitentur, hi enim caueri possunt, non item illi, dum enim mansuetudinis & humanitatis speciem ostendunt, amici & innocentes putantur, interim occulte & à tergo mordacem detractionis dentem infiguat, instar canum istorum qui nec allatrant nec quicquam rancoris ostendunt, sed tacite & clanculum prætereuntem inuadunt. Inter istiusce modi homines conuersatio Christi erat, sibiq; illud Iob cap. 30 vsurpare poterat, *Frater fui draconum & socius struthionum*, verum nó deseruit medicus officium suum, quia ægrotus sæuiebat phreneticusque insaniebat, aut quia clam insidias struebat, quia non est perfecte bonus nisi qui fuerit & cum malis bonus. Qui infirmior fuerit, horum societatem vitare debet, ne si fortassis corrigi non valent, ad imitationem attrahant: vt enim malus aer assiduo flatu tractus inficit hominem... tem animumque corrumpunt colloquia praua.

1. HOc suo exemplo nos docere voluit Dominus quomodo cum inimicis sit conuersandum, quomodo benefacere oporteat his qui oderunt nos, non solo externa specie, sed & interno cordis affectu, vt eorum malitia non vincatur bonitas nostra, sed potius in bono vincamus malum, hoc est enim esse filios Dei, hoc est imitari patrem cœlestem, qui benefacit his qui oderunt eum, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, hoc est induere viscera misericordiæ sicut decet electos Dei, vnde Bern. *serm. 2. de resurrect. Dom.* Quoties peccantem videris fratrem continuo procedere debet compassionis affectus tanquam cognatus humanitati, quippe quē concipis ex teipso. *Vos*, inquit Paul. *qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris.* Huic tamen compassionis affectui cōiunctus sit & zelus iustitiæ necessum est, quo aduersus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti erga eā quam contemni videmus Dei iustitiam, verum oportet vt priorem sibi vendicet locum compassionis affectus, alioquin, *in spiritu vehementi conteres naues Tharsis*; calamum quassatum confringes, & linum fumigans extingues, dum verbum quod sanare debuerat infirmum exulcerat & exasperat magis.

[illegible] lũ proma lo reddẽdum.

Gal. 6.

2 QVOD si vterq; adfuerit, videlicet & compassionis affectus & iustitię zelus, necesse est vt etiā adsit spiritus discretionis, ne forte indiscretio confundat vniuersa, vnde propheta Regius orat, Psal. 118. *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me, vt discam iustificationes tuas.* Bonitatē postulat vt compati norit: & disciplinam vt corrigat: & scientiam vt cum discretione vtrumq; posset & pręstet, Simulare aliquis potest, vt cum priuato amore vel odio ducitur, compassionis affectum, aut zelū putet iustitiæ, ideo spiritu discretionis opus

pus est vt priuatum amorem discernat a dilectione fraterna: Si enim amore tui, fratrem peccantē corripueris, nihil effeceris, *inquit Aug.* quia te mouet non salus proximi vt eum peccātem corripias & sanes, sed amor tui ne quid quod pati debeas, habeas: vnde conuinceris non te diligere fratrem, sed teipsum, propriamq; commoditatem & honorem.

3 INFVDIT Samaritanus oleum & vinum in vulnera eius, qui inciderat in latrones: oleum quod indulcorat per compassionis affectum, & vinum quod est magis austerum, ad corrigendum proximum per iustitiæ zelum: Plus olei tamen quam vini, quia superexaltat misericordia iudicium: iudicium timorem incutit, misericordia fiduciam, sed fiducia timori præualere debet, ne homo in animi pusillanimitatem, aut quod peius est in desperationem incidat. Istud oleum pietatis qua bene afficimur proximo, & misericordiæ qua cōdolemus eius malo, fit de necessitatibus pauperum, de anxietatibus oppressorum, de perturbationib. tristium, de culpis delinquentium, & postremo de omnib. quorūlibet miserorum ærumnis, etiamsi fuerint inimici. O fœlix quæcumq; es anima sic affecta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens vt cæteris præsto vbique semper occurras atque succurras. Sic erat ille qui 1. Corinth. 11. ait. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego nō vror?* Non mentientis astu, *inquit August.* sed compatientis affectu, hæc dicit: tanquam diceret, sic infirmor cum infirmis tanquā eadem infirmitate ego laborarem, & vti alios mecum agere vellem si infirmus essem, sic ego infirmis condoleo & in id sedulus incumbo, vt à sua infirmitate conualescant.

Vide Bern. ser. 12. in Cant.

4 Hoc imitemur & nos, *inquit Chrysost.* nihil non faciamus, aut etiam patiamur vt inimici animum sedemus: Nec illud inquiramus vtrum merito aut immerito maleuolum animum erga nos gerat, sed hoc vnicum spectemus qui fieri pos- [illegible] [illegible] [illegible] dæ virtutis subministret, dum nec præteritorum memoria, nec futurorum motus mentem a tranquillitate deducit: & quanto molestioribus contumeliis te tuus insequitur inimicus, tanto maiore mansuetudine illi opus est vt in bono vincas malum. Nec hoc tibi dedecori vertas si te non vlciscaris, quia in hoc similis Deo es & Christo eius, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, sed in cruce pendens circumspectis vndiq; turbis inimicorum dicebat, *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciūt.* Forte dicturus es, *inquit Aug.* & quando ego hoc possum quod Dominus potuit? Quare hoc dicis? *inquit*, Si non potes imitari Dominum, imitare Stephanum eius seruum, qui dum lapidaretur, genuflexo orabat dicens, *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Pro se stans orauit dicēs, *Domine Iesu accipe spiritum meum:* & pro inimicis genua flexit. Pro se stans tanquam iustus facile exaudiebatur, sed pro inimicis genu flectēdum erat, tanquam quod maiorem habuerit exorādi Dominum difficultatē. Ad hoc etiam Salomon nos adhortatur cū ait, *Si inimicus tuus esurierit, ciba illum, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius:* hoc est, *inquit Aug.* cum inimico tuo pio animo frequenter benefeceris, quamlibet sit impius, crudelis & barbarus, tamen tandem aliquando erubescet, & dolere ac pœnitere incipiet quod admisit, & qui prius quasi frigidus & phreneticus contra te consuerat inimicitias exercere, spiritali calore de tua bonitate succensus incipiet te diligere.

Chrysost. homil. de Dauid & Saule to. 1

Aug. ser. 170.

Prou. 25.

Aug. ser. 88. de tem.

5 ITAQVE malum pro malo non solum non reddendum, sed malum in bono vincendum. Nam quod & illi quoq; in culpa sint qui reddunt malum pro malo, & dentem pro dente, oculum pro oculo, ostēdit David dicens, *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Cum tibi conuitiorum tenta-

Psal. 7.

[illegible] commota [illegible] *inquit Basil.* puta [illegible] an probati vtrum per longanimita-[illegible] eas ad Deum, an per iram decur-[illegible] aduersarium. Da tempus cogitatio-[illegible] id bonam partem eligendam: [illegible] nim profueris etiam illi per mansue-[illegible] s exempli, aut grauius de ipso vin-[illegible] per contemptum. Nihil enim tri-[illegible] inimico accidere potest, quã quod videat inimicum suum contumeliis superiorem. Quemadmodum enim qui verberat non sentientem, seipsum excruciat, nã & de hoste vindictam non sumit, & iram non sedat, sic qui opprobria contemnenti conuitiatur, affectionis suæ solatium inuenire non potest. Illum pœnitebit aliquando dictorum, te vero nunquam pœnitebit longanimitatis & virtutis: Illi conuicium regnum cœlorum concludit, tibi vero silentium etiam regnum præparabit: Neq; enim contingunt coronæ citra aduersarios. Itaque curæ sit tibi infirmorum potius operam dare saluti, quam propriæ vltioni. Nam aduersus phrenesim animæ

Bern. ser. 25. in Cãt. non vindicta paranda, *inquit Bern.* sed medicina. Id se fecisse testatur David cũ Psal 7. sic ait, *Domine Deus meus si feci istud, si reddidi retribuentibus mihi mala.* In quem locum *sic Aug.* Hoc dicere non potest, *inquit,* nisi perfectus. Qui retribuit iã aliquid acceperat: maioris autem virtutis est nec ei mala rependere, qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quam si nullo ante accepto beneficio nocere voluisset. Qui huiusmodi est audet dicere, *Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundũ innocentiam meam super me.* In superiori psalmo infirmus deprecabatur, misericordiam potius implorans Dei, quam cõmemorans vllum meritum suum, dicens psal. 6. *Saluum me fac propter misericordiam tuã,* id est, non propter meritum meum. Nunc autem audet dicere, *Iudica me secundum iustitiam meam, & innocentiam meam super me.* Ista est vera innocentia, *ait Aug.* quæ

Reg. 24 [illegible] nec inimico nocet etiã possit. Ita innocẽs David fuit qui dũ à Saule persecutionem pateretur & ad mortẽ quęreretur, inimicũ suum in spelunca depreh[illegible] suam in eum mittere noluit [illegible] set, sed pepercit ei etiam dum a [illegible], [illegible] de inimico vindicaret, incitaretur.

III. Quomodo [illegible] sabbathum [illegible] obseruandum.

Orig. ho 23. in 28. Numero.

1. SI *licet sabbatho curare?* Erant apud Iudæos varia festorum genera, *ait Orig.* vnum quod dicebatur festiuitas Dei: quãdo indesinenter & sine vlla prorsus interruptione mane & vesperi offerebatur sacrificium Deo: Quia quisquis vult esse sãctus, non aliquando quidem agenda est Deo, aliquando vero non agenda festiuitas, sed semper & indesinenter iustus agere debet diẽ festum: quod fit quidem si sine intermissione oremus & gratias agamus, ita vt oratio nostra & mane ascendat sicut incensum in conspectu Domini, & eleuatio manum nostrarum fiat ei sacrificium vespertinum. Qui peccat non potest indesinenter diem festum agere, & in Domino gaudere: sed dies festi peccatorum conuertuntur in luctum, & cantica eorum in planctum. Hinc & alii dies festi sunt instituti pro iis qui forte nõ possunt indesinenter offerre sacrificium matutinum & vespertinum. Secunda ergo festiuitas ponitur, Sabbatum nimirũ, *vt patet Num 28.* Nam quanq; à Deum omni tempore colere oporteat, tamẽ suo cultui peculiares quosdam dies deputauit, in quib. singulari modo eũ colere oportet & magis solẽni, vtpote sacrificiis publice oblatis, ietum diuinarum meditationib. orationib. ac precibus communibus, non ab vno aut altero Deo offerendis, sed à toto populo ad hoc conuocato & congregato oblatis, & vt pro eo quod nos Deus creauerit & cuncta in nostrum vsum condiderit publice gratiarum actiones agantur. Quomodo etiam primus homo certis tẽporibus Deum peculiari quodam & magis solenni ritu coluisset & gratias egisset in publicis sacrificiis & canticis spiritualibus, quo non solum priuatus aliquis solus, sed totus populus simul conuenisset, & Deo gratias & festum diem in cordis iubilo & lętitia egisset.

2. PRÆCEPTO legis ab exteriori opere in ſabbatho ceſſatur. Sic enim legimus Deut 5. *Septimus dies ſabbathi eſt, id eſt, requies Domini Dei: Non facies in eo quicquam operis tu & filius tuus & filia ſeruus & ancilla, bos & aſinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus qui eſt intra portas tuas vt requieſcat ſeruus & ancilla tua ſicut & tu.* Sed ideo in die ſabbathi ab operibus ſeruilib. abſtinemus, vt liberius operibus ſpiritualibus vacemus & lectionibus diuinis intendamus, de bonis cœleſtibus cogitemus de futura ſpe ſolicitudinem geramus, venturum iudicium præ oculis habeamus, precibus & laudibus ac hymnis cœleſtibus intenti ſimus, noſmet ipſos Deo reconciliemus, ac peccata noſtra ante commiſſa deprecemur, & in eorum remiſſionẽ ſacramenta ſuſcipiamus, ac ſacrificium in redemptionẽ offeramus Ad quod & Pau-
2.Cor.5. lus nos adhortatur cum ait. *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Ecce inter nos & Deum diſcordiam peccando fecimus, *inquit Gregor.* &
Greg. ho. tamen ad nos Deus ſuos legatos prior mi-
32. in Euā. ſit, vt nos ipſi qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus, poſt culpam noſtrã vt ei reconciliemur, etiam ipſe qui offenſus eſt legatis interuenientibus obſecrat Deus.

3. SVNT qui ſabbathi otium in luxuriã transferunt & compotationes, aleis dies feſtos tranſigunt & choreis, fabulis inutilibus & noxiis cogitationibus atq; nociuis deſideriis tunc magis vacant, quam cũ ſeruilibus operibus premuntur. De quibus ſic Malachias ca.2 *Ecce ergo diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolennitatum veſtrarum:* Et Iſaias cap.1. *Neomenias & ſabbata veſtra odiuit anima mea: &* Ier. cap.1. lamẽta. *viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.* Tunc hoſtes videntes ſabbata eorum, rident, *inquit Hier.* in eum locum, cũ maligni ſpiritus vacationis otia ad opera iniqua & cogitationes illicitas pertrahũt. Nam vnaquæq; anima quæ remota ab externis actionibus ſeruire Deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famulatur. Melius, *inquit Aug.* faceret Iudęus aliquid vtile in agro ſuo die ſabbati, quam quod ſeditioſus ſedeat in theatro & melius fœmina neret quam quod tunc impudice ſaltet, & quæ hæc eſt inſania iſtis diebus committere peccata, quibus ea oportet exorare & deprecari? tunc offendere maieſtatem Dei quando oportet eam placare? Quapropter ſancti viri actiones huius ſeculi deſerentes, robuſto conflictu quotidie pugnant contra ſemetipſos, *ait Hier.* ne per negligentiam mẽs torpeat, & terrenarum actionum ſtrepitum deſerit, vt per quietis ſtudium Deo rebuſq; diuinis melius intendat. *hæc Hier.*

4. TRIA ſunt quæ in feſtiuitatibus Sanctorum vigilanter conſiderare debemus *inquit Bern.* Auxilium Sancti, Exemplum Bern. in
eius, & Confuſionem noſtrã: Auxilium vigilia A-
Sancti, quia qui potens in terra fuit, po- poſt. Pet.
tentior eſt in cœlo ante faciem Domini & Pauli.
Dei ſui: Si enim dum hic viueret miſertus eſt peccatoribus & orauit pro eis, nunc tãto amplius quanto verius agnoſcit miſerias noſtras: & quãto agnoſcit plenius, tãto ꝓ nobis orat patrem miſericordiarũ inſtãtius, quia beata illa patria charitatem eius non minuit, ſed auxit. Debemus etiam attẽdere exemplũ eius quomodo inter homines vixerit, qualia nobis veſtigia reliquerit vt ambulemus per ea. Et ſic in Sanctorum ſolennitatibus gaudere debemus quia patronos, qui cauſam noſtrã agant, præmiſimus. Sed & cõfundi debemus quia eos imitari non poſſumus ſi forte confuſio hæc generet nobis gratiam, & adducat gloriam. *hæc Bern.*

5. SED relinquentes præſentis ſeculi feſtiuitates, qualis ſit ſabbathi futuri ſeculi obſeruatio, videamus: *relinquitur enim* vt Paulus ait ad Heb.4. *ſabbatiſmus populo Dei.* vera ſabbatha & perfecta ſi intellexerimus qualia ſint, videbimus ꝙ poſt hoc ſeculum erit veri ſabbathi obſeruatio, in quo requies erit perfecta, & Deo offeremus ſacrificiũ laudis, in quo nõ erit amplius labor & dolor, neq; triſtitia & luctus,

ſed

ſed pax & gaudium in ſpiritu ſancto: Tũc &: ſacrificium indeſinens, *de quo num 28.* plenius atque perfectius offeretur quam in hac vita, vbi anima aſſiſtet Deo aſſidue & ſacrificium laudis offeret. Horum enim futurorum & Sabbathum & reliqua Iudęorum feſta fuerunt vmbra, teſte Paulo *ad Coloſſ.* 2. vbi ſic habet, *Nemo vos iudicet in cibo & potu, aut parte diei feſti, aut Neomeniæ aut Sabbathorum quæ ſunt vmbra futurorum:* Quantum enim vmbra, quæ eſt imperfecta figura corporis, diſtat a vero corpore vmbram de ſeſe in ſole emittente, tantum diſtat ſabbatiſmus futuri ſeculi à ſabbatho præſentis vitæ, ibi enim eſt vera requies, verum gaudium, vera feſtiuitas, vera gratiarũ actio, vera vox laudis & iubilatio, hic non niſi vmbra & imperfecta ſimilitudo. Quia vero perfecta feſtiuitas in cœlo eſt, dixit Paulus, *Nemo vos iudicet in parte diei feſti.* Non dixit, In die feſto, ſed in parte diei feſti. Ex parte n. & non ex integro diem feſtum in hoc mũdo poſiti celebramus Interpellamur enim & pulſamur à concupiſcentia carnis, à ſeculi vanitate, à diaboli inſidiis & importunitate, etiam ſi nolumus, & curis ac ſollicitudinibus huius vitæ inquietamur, vnde fit quod hic non ſit perfecta requies, veniet quod perfectum eſt. & perfectæ feſtiuitati cedet feſtiuitas quæ ex parte eſt, *hæc Chryſoſtomus.*

6. SABBATHVM vſque adeo religioſe & exacte ſeruare debebãt, Iudæi idq; ex præcepto Dei, vt nec ignem ſuccendere, nec cibos coquere poſſent: Ita enim dicitur Exod. 35. *Non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbathi, qui fecerit opus in eo occidetur.* vnde cum apoſtoli ſpicas vellerent, eaſque confricantes manibus comederent, eos tanquam ſabbathi violatores phariſæi carpebant dicentes, *Quid facitis quod non licet in ſabbatho?* aliis feſtis cibum coquere poterant (excepto tamen feſto expiationis in quo non licebat coquere ſicut nec in ſabbatho) Sic enim de diebus azymorum legimus Exo. 12. *Nihil operis facietis in eis exceptis iis quæ ad veſcendum pertinent.* Per requiem ſabbathi ſignificatur quies futuri ſeculi: ſic enim Paulus ait ad Heb. 4. *Itaq; relinquitur ſabbatiſmus populo Dei, quia reſeruatur ei promiſſa requies futura vitæ, in qua quiſque iis fruetur bonis quæ hic collegit.* Neque enim ſabbatho colligere manna poterant Iudęi, ſed duplicem menſuram pridie colligebant, quæ & diei iſti & futuro ſabbatho ſufficiebat: Sic in futuro ſabbatiſmo non præparabitur amplius iuſtitia, ibi non erit tempus operandi vel merendi amplius, ſed mercede parta fruendi. Et quia ſabbathum ſignificatiuum erat, hinc tam exacte ſeruari debebat: Signum enim eſt iſtius qualitatis, vt ſi vel minimũ quid vel vnicam literam ab eo abſtuleris, ſignificationem prorſus inuertas, vt ſi ab hoc ſigno (lapis) abſtuleris primam literã, & loco lapis dicas apis, non eadẽ manet ſignificatio: Si autem à re ipſa quæ dicitur lapis, abſtuleris partem non ideo lapis ſuam mutat naturam. Hinc exactius ſua ſabbatha ſeruabant Iudæi, adeo vt qui ſolum ligna collegerat ipſo ſabbatho, lapidari deberet, quam nos noſtra feſta, quæ non tam propter ſignificationem, quam propter memoriam accepti beneficii ſunt inſtituta.

7. ERANT quędam feſta Iudæorũ quæ ſeptem conſtabant diebus, vt feſtũ Paſchę, feſtum Scenopegiæ ſeu tabernaculorum, in quibus primus & vltimus ſanctior erat & ſolennior. Solennitas azymorum celebratur ſeptem diebus, quia toto tẽpore huius vitæ, quod ſeptem dieb. euoluitur, oportet abſtinere à fermento malitiæ. Inter quod tamẽ primus & vltimus dies ſanctior eſſe debet, & ſolennior, quia ſi labi contingat, hoc quiſq; ſedulo agere debet, vt principium vitæ chriſtianę & finis ſanctiora ſint reliquis: principium quidem quia tunc chriſtiani primitias ſpiritus accipere ſolent, qui reddit hominem feruẽtiorẽ: Finis autem quia nemo quãtumuis ſanctus ſit, ex hac vita ſine pœnitẽtia, qua & culpam purget & gratiam maiorem impetret, ex hac vita migrare debet, *aie*

Aug. eo quod Dominus talem quisq; iudicaturus sit, qualem tunc eum inuenieт. Erat & festum Scenopegiæ septem dierũ quibus filii Israel habitabant in vmbraculis seu tentoriis in memoria eius quod patres eorum in vmbraculis egissent in deserto: & in signũ quo instruimur nos toto tempore huius vitæ quod septem diebus euoluitur, esse in hoc sęculo aduenas & peregrinos. De quo sic Zacha. c. 14. ***Erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam solennitatem tabernaculorum:*** quia nisi quis se hic tanquam peregrinum gesserit, vtens hoc mundo tanquam non vtatur, sed corde rebus terrenis inhæserit, & hunc mundum tanquam natiuam patriam incoluerit, suamque hæreditatem in bonis terrenis reposuerit, ***peribit anima eius de populo Dei.***

8. MVLTA sunt quæ olim & in sabbatho & iam in die dominico aut aliis festis fieri possunt, quæ aut salutem animæ promouent aut sanitatem corporis aut Reip. necessitatem concernunt & his similia. Quo fit vt & studere, & docere liceat ea quæ religionis sunt & pietatis: licet etiam medicis & chirurgis suos ægrotos visitare & curare, quod exemplo Domini patet manifeste qui in die sabbathi curauit hũc hydropicum, licet etiam ob publicam necessitatem præliari & bella gerere, vt patet 1. Machab 2. vbi sic dicitur, ***Omnis homo qui venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus aduersus eum & non moriamur omnes sicut mortui sunt fratres nostri.*** Fieri etiam possunt ea quæ priuata necessitas alicuius postulat & commode differri non possunt, præsertim si accedat consuetudo recepta. Cum enim festi dies non sint de iure diuino obseruandi, ne quidem dies dominicus, teste Nauarro *cap. 13 in Enchirid.* sed de iure ecclesiastico, potest superior in iis facile dispensare, sicut dispensare & licentiam dare censetur quando aliquid communi consuetudine est introductum, cui superior non contradicit: Sic licet die dominico vendere & emere necessaria, iter agere etiam comitantibus mulis suppellectili onustis: licet etiam aduocatum & procuratorem suum facere opus ad partem, *inquit Sa.* modo non procedatur ad actum iudicialem, etiam causa lucri, *vt inquit,* quia lucrum non facit opus seruile, *inquit Nauar.* sed hoc dicitur opus seruile quod seruis conuenit. Molendina & nudinas excusat consuetudo: pistores & caupones sępe necessitas. Item excusat detrimentum imminens rebus suis vel proximi, quod non potest differri neque præueniri: sic excusantur qui ex agro frumentum inuehunt in horrea, vel vuas ex vinea quando imbres & pluuiæ timentur: sic & fabri ferrarii qui equos iter agentium ferrant. Excusat etiam à violatione festi exiguitas operis quod fit die festo, vt si famula, alius vestes reparet vnã horam aut alteram, modo Missam audiat: si quis candelas emat aut similia, vbi statutum est pretium: Item si famulus iusto metu cogatur à Domino operari die Dominico, modo non fiat in contemptum festi sed lucri causa, famulus excusatur operando, inquit Nauar. *cap. 13. num. 7.* Si tamen iubeat eum operari ex contemptu festi, non potest obedire, quia iam non solum esset contra ius humanum, in quo necessitatis excusatio communiter locum habet, sed etiam contra ius diuinum & naturale, quo superiorum obseruantia præcipitur.

DOMI-

ter ; naturalem potentiam ... rit.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

In illo tempore : Accesserunt ad Iesum Pharisæi, & interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor, tentans eum : Magister quod est mandatum magnum in lege? &c. Matth. 22.

Summa Articulorum Primæ Partis.

I. *Quomodo caritas acquiritur, & Deus diligitur qui non videtur.*

II. *Nihil æque atque amorem exigit Deus, & cur caritas summa virtutum.*

III. *Diligendus proximus etiam inimicus, & quis ordo in dilectione seruandus.*

PARS I.

Art. I. Quomodo acquiritur charitas &c.

1. DILIGES *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ita res quælibet à Deo est condita atque creata, vt non sibi soli, sed & alteri vsui esse possit. Et cum qui creauit omnia, nihil fecerit frustra, omnibus rebus etiam vim quandam indidit qua id possint ad quod destinatæ sunt: Cum igitur homo à Deo sic sit conditus, vt ipsum ex toto corde diligere deberet, habuit haud dubie ab initio virtutẽ quãdã, videlicet caritatem ipsam, qua id posset, alioqui frustra Deus ei id præciperet, cum absque caritate non magis possit homo Deum diligere ex toto corde sicut oporteret, quam absque visu videre. Sed hic *notandum* quod huiusmodi potentia à natura homini indita, sic est interdum perfecta, vt neque ipsa augeatur, neque alia, vt opus suum peragat atque perficiat, superaddi sit necessaria : vt enim oculus videat, visus adhibito lumine sibi sufficit, nec est opus vt ei superaddatur alia vis aut qualitas : Sic vt voluntas id quod bonum est velit, aliam facultatem præter ; naturalem potentiam ... rit.

2. SUNT alii actus ad quos exercendos sibi potentia non sufficit, sed alia virtus atque facultas ei superaddi debet : quæ superadditur, interdum operum exercitio, interdum Dei dono. Quanquam enim virtus progressiua ad hoc valeat sibique sufficiat vt homo progredi, & ambulare & currere possit, non tamen valet, nec sibi sufficit vt homo arte saltare possit, sed hanc saltandi artem sibi vsu & exercitio comparare debet: Item vt digitos moueamus, natura ad id sufficit, sed vt iis organa aut alia instrumenta musica rite pulsemus, hanc artem exercitio sibi comparare & addiscere oportet: intellectus quoque sua vi principia communia capit, vt autem ea quæ ex illis eruuntur perspiciat & intelligat, studio & instructione opus est quibus scientia acquiritur : sic vt loquaris ad hoc natura sufficit, sed vt prudenter loquaris, aut vt Gallice vel Latine loquaris, ad hoc natura non sufficit, sed peritia quæ vsu addiscitur opus est. Interdum huiusmodi facultas non potest acquiri humano studio, sed infunditur Dei dono, eo pactus ipsius virtutis vires naturæ excedat. : Vt enim vires curuæ tibiæ excedit, in claudo recta incedere, sic naturam voluntatis humanæ per cupiditatem deprauatæ superat, Deum ex toto corde diligere : sed ipsa voluntas sanari debet gratia. Christi & caritate Dei, *quæ per Spiritum sanctum diffunditur in corda nostra*, teste Paulo : Qua caritate in Rom. 5. corda nostra diffusa, sicut lapis suo pondere deorsum ruit, sic anima caritate in Deum fertur, quia *vt ait Augusti.* amor meus pondus meum, eo feror, vbi amo.

3. PORRO vt quis hanc à Deo obtineat caritatem, adniti debet vt prius è corde suo euellat cupiditatem ipsi caritati contrariam, vt neque honoris, neque voluptatis, neque diuitiarum cupiditatem sequatur, quanto enim cupiditas ipsa accrescit magis in homine, tanto is minus caritatis

... ix est Hanc autem cupiditatem expellere oportet luctando & motibus eius resistendo, orando, ingemiscendo, & alios modos qui huic causæ subseruiunt, adhibendo. *Nolite serere super spinas*, inquit, Ieremias *sed nouate vobis noualia*: vt enim agricola magno labore noualia in culturam redigit, spinas & radices malas extirpando: sic homo peccator antequam seipsum in agrum frugiferum redigere possit, radices malarum cupiditatum tam alte infixas magno studio & labore eradicare e corde suo debet. Verum quia non sufficit zizania euulsisse, nisi & bono semine contingat ipsum agrum seminari, ideo quanto studio & conatu prius euellere nitebatur & extirpare ipsam cupiditatem, tanto conatu & industria nitatur in eius locum inserere Dei caritatem: Neque enim id segniter aut obiter, sed serio & sedulo agendum tanquam negotiatio longe quæstuosissima. Quid igitur agendum vt Dei caritatem consequi valeam? Dic mihi quid facit amorem corporum, aut fœminarum: Consideratio, inquies, pulchritudinis, venustus vultus, intuitus oculorum, ex aspectu enim nascitur amor, iuxta illud poetæ.

Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos, hærent infixi pectore vultus.

Quo quis enim dignitatem, bonitatem, animi benignitatem, corporis pulchritudinem, morum probitatem, & similia quæ amoris fomentum subministrare valent, penitius intuetur, eo ignis amoris inardescit magis, iuxta illud Cant. *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum. & in vno crine colli tui.* S... amator ille apud comicum ita ait, cum aliis præsens absens esto, dies noctesq; me amato, me desideres, me expectes, de me cogites, me somnies, me te oblectes, mecum tota sis, meus postremo fac sis animus, quando ego tuus. *Hæc ille.*

Ire ... post. 4. QVANQVAM turpe sit caritatem Dei amori comparare muliercularum, tamen si vel sic eum dilexerimus quo modo amato ... ... fecerimus. Neque potest esse vel situatior vel efficacior causa, qua vel in h... augeatur, vel perficiatur dilectio Dei, quam attenta consideratio bonitatis, benignitatis, dignitatis, & pulchritudinis illius, si quis sæpius, serio & sedulo hæc secum reuoluat ac ruminet, harum enim rerum species ac radii menti considerantis impressi, caritatem prouocare & inflammare solent, iuxta illud psalmistæ *in meditatione mea exardescit ignis.* Psal. 38 Cumque naturæ nedum hominum sed & bestiarum, insitum sit, benefactorem diligere, oportet sæpius, quo hunc amorem in nobis excitemus, Dei beneficia tam communia quam propria ob oculos ponere, tum enim haud dubie talem benefactorem natura ad id impellente diligemus, nisi ipsis bestiis inhumaniores inueniri velimus. Et cum multa sint & præclara dona quæ indies nobis elargitur Deus, multo tamen sunt præclariora & maiora quæ promittit danda. *vide qualem caritatem dedit nobis Deus*, inquit Ioannes, *vt filij Dei nominemur & simus*: Et alibi, *nondum apparuit quid erimus, scimus autem cum apparuerit similes ei erimus.*

5. DIXERIS forte. Non video Deum: quomodo diligere potero quem non video? Si oculis carnis quæris videre Deum, nunquam, *inquit August.* videre poteris: sed oculis mentis & iudicio rationis quomodo videre possis tibi ostendam: Ecce amas amicum, quid in illo amas quem gratis & non propter aliud amas, à quo aliud præmium amoris non petitur? sit homo senex, incuruato dorso, rugata fronte, contracta maxilla: non corpus quod vides amas, quia illud deforme est: Quid igitur amas; bonitatem, inquis, quia mihi multa bona facit: fidem quia mihi fidelis est: industriam, sapientiam, & similes qualitates inuisibiles. Certe quibus oculis videtur fides, sapientia, caritas, iisdem videtur Deus qui est ipsa bonitas, sapientia & caritas, quæ non oculis carnis cernitur sed mente conspicitur. Cum itaque Deum diligimus quem nunquam vidimus, non id quod omnino igno-

...m est diligimus, quia cum de Deo loquimur, statim aliquid eius, seu formá mente concipimus, secundum quam de ipso aliquo modo iudicare valeamus. Sicut animam quam nunquam vidimus diligimus, imo ipsam plus quam corpus ipsum etiamsi pulchrum, diligimus, quia non facit corpus amabile nisi anima, quæ vbi a corpore migrauerit, statim ipsum cadauer horrescimus, sed etiamsi ipsum viuum fuerit, illud plus diligimus etiamsi minus pulchrum fuerit, in quo plus spiritus cernimus, quam aliud etiamsi pulchrius sit in quo minus spiritus relucet, vnde igitur ipsam animã nouimus? nisi ex quibusdam signis, quia viuificat corpus, vultum efficit venustum, hominem viuum & rationalẽ: Similiter quod anima iusta sit, sancta, & sapiens, vnde scimus? oculis non vidimus, quia iustitia pulchritudo est animi qui non videtur, nõ corporis quod cernitur: verum signa quædam per motum corporis emicant quibus homo ille iustus & sanctus apparet.

6. ITA audito nomine Dei, statim mẽte aliquid concipimus, quo nihil melius, nihil potẽtius, nihil sapientius, nihil eminentius, ita vt Deus innotescat non per aliquam figuram quia nullam habet, neq; enim Deus corpus est, aut aliquem sibi similem habet, quia non sunt plures dii, vt ex vno cognito alterũ cognoscere possimus qui ei similis est, sicut ex vno homine alterum ei similem cognoscere possumus: sed cũ cognoscimus per fidem, qua credimus eum potentissimum, eminentissimũ, optimum: cognoscimus etiam per aliqua

Rom. 1. signa quæ sunt diuinitatis ipsius indicia. Sicut Paulus ait ad Rom. quod *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas:* Patet enim ex opere tam immenso, qualis est hæc fabrica totius mundi, eum omnipotentẽ esse qui illud fecit: & ex optima rerum creatarum dispositione, eũ sapientissimum esse qui hæc sic disposuit, vt viliora subiicerentur præstantioribus, & vnum quodque pro sua qualitate conuenientem sibi sortiretur [illegible] optimũ & pulcherrimũm esse, quæ [illegible] cumque fecit, radios quosdam [illegible] nitatis & pulchritudinis in oculos [illegible] tium eiaculantur.

1. NIHIL æque à nobis requirit Deus quam vt ex toto corde eum diligamus: & mauult amari quam timeri aut honorari, cũ timor sine amore pœnã habeat, & imperfectionis nota sit, honor autem sine amore adulatio est. Et ad hoc vt ametur non solum beneficiis nos allicit, quæ per singula pene momenta in nos cõfert innumera, verumetiam minis & pœnis quodammodo cogit, nisi enim eum dilexerimus, nos pro suis amicis non cognoscet, quinimo tanquam inimicos reprobabit & damnabit. Porro hominum natura est ea vt in quo quisque eminet, ac bene versatus est, id cæteris & præferat & præstare credat. Qui se totos piccationis studio dederunt, hoc orationis studium omnibus aliis pietatis exercitiis anteponunt. Qui misericordię operibus incũbũt, & facultates suas in necessitates pauperum erogant, illud virtutis opus cæteris anteferunt: Qui ieiuniis carnis cõcupiscẽtias mortificãt, id gratius Deo putant: qui monasticã vitam profitẽtur, eam lumine præ cæteris omnibus extollunt. Verũ hæc externa virtutũ exercitia, quamuis laudabilia sint, sola tamen esse non possunt, sed internæ pietati coniũcta esse debent: quia qui ieiuniis, orationibus, eleemosynis incũbunt, faciunt quidã egregia pietatis officia, & sunt etiã præcipua obtinendæ perfectionis instrumenta, iuuant enim plurimum ad diuinam gratiam cæteras que virtutes consequendum, si quis diu multumque in his versatus fit. Attamen quamdiu quis summis illis virtutibus, vtpote pietate caritate, fiducia, sapiẽtia vacuus fuerit, nondũ suæ orationis fructũ assecutus est, nec est quod sibi hoc nomine multum blandiatur quod ieiuniis, orationibus, & frequentandis deuote sacramentis incumbat, quamdiu internas illas virtutes & præ-

[illegible] [illegible] simũ a nobis [illegible] rit Deus

& præcipuas assecutus nondum fuerit: Si enim acerbus aliquis casus ei obueniat, mox animo perturbabitur & tanquam fiduciam nullam habeat in Deum, ita animo deiicietur, eo quod robur & sanitas animæ sita sit, non in externis illis pietatis exercitiis, sed in internis virtutibus.

2. Svnt qui in suis precatiunculis præcipue quærunt spiritualem illam dulcedinem qua inter precandum oblectantur, & huic spirituali suauitati ita fidunt, vt si ea nacti fuerint se protinus sanctos arbitrentur: & non aduertunt quod tam a natura, quam a gratia huiusmodi suauitas proficisci queat: Sicut enim duplex potest esse Dei amor, *naturalis* vnus: quia natura ortum ducit, & *Spiritualis* alter quia à Spiritu sancto proficiscitur: Ita est duplex suauitas, naturalis vna, & spiritualis altera: naturalis [illegible] dulcedo potuit & in philosophis esse, qui diuini opificii contemplationi vacantes in tanti opificis amorem naturæ ducta ferebantur: Sicut Plato & Aristoteles, quamuis modicam eamque obscuram & multis erroribus immixtam rerum inuisibilium intelligentiam habuerint, dum metaphysicam traderent & supernaturalia inuestigarent; eam tamen propter earum dignitatem, suauitatis atque oblectationis plurimum habere testati sunt.

3. Sed hic naturalis amor, hæc naturalis suauitas & mentis tranquillitas ad salutem nequaquam sufficit, ideo & alius est necessarius, videlicet spiritualis seu supernaturalis, qui non a sola operatione humanæ voluntatis, sed à spiritu sancto proficiscitur. Est autem obscurissimum inter hos duos amores discrimen, non minus quam inter duos capitis capillos, vt vnum ab altero vix discernere queas, vterque enim Dei amor est, vterque quadam dulcedine & suauitate animum amantis perfundit. Itaque nó tá ex sensibili ista dulcedine colligere possumus an quis Deum super omnia diligat caritate seu supernaturali amore, quam ex eo quod iussis & præceptis Dei obtemperet, *Si quis* [illegible] voluptatem pellicientibus resistat: Et quod erga Deum vtpote nobis absentem exequi non possumus, erga illos qui nobis ab eo commendati sunt, videlicet proximos nostros exequi studeamus: quemadmodum è diuerso dæmõ cum infensissimo odio prosequatur Deum, quia illi nocere non potest, nec de eo vindictã sumere, in hominẽ quẽ Deus ad imaginẽ suam condidit totam furoris sui rabiem conuertit, illumque suis tentationibus exagitat & persequutionibus vexat.

4. Est autem triplex gradus eorũ qui Deũ diligũt: *Primus* eorum est qui sedulo peccata euitare student, & eorũ motibus resistunt, ne Deũ offendant: Et tales sunt incipientes qui motibus suæ cupiditatis multum infestantur, eo quod nondum sit satis subacta vtpote cũ iam recenter ex seculo recedant, aut si diu fuerint cõuersi, nõ nisi tepide admodũ quæ pietatis sunt exercuerunt & peccatis restiterunt, quo fit vt instar titionis recenter ex igne extracti, facile reaccendantur, & in peccata solita reincidant: Amicorum est autem mutuam cauere offensam: Hinc Ioannes, *Qui dicit se nosse Deũ & mandata eius non custodit, mẽdax est: qui autẽ seruat verbũ eius, vere in hoc caritas Dei perfecta est.* *Secundus* ordo eorũ est qui deuicta peccati tyrannide bonis operibus quibus Deo placere student, præcipue insistunt. Bonũ quidẽ est malũ declinare, sed multo melius atq; Deo gratius est bona facere. Neq; enim caritas mox vt nata est, perfecta est, sed nata bonis cogitationibus, & piis operibus nutritur, nutrita roboratur, roborata tandem perficitur: & cum exercetur augetur, & quo pluribus impenditur, eo amplius firmatur. 1. Epist. 2.

5. Impendenda igitur omnib. & amicis & inimicis, inimicis caute ne ab iis fallaris, amicis secure, vt quicquid facimus, dilectione faciamus, dilectione vtiq; non

noſtra, ſed Dei & proximi noſtri: ſi loqueris, dilectione loquere, *inquit Aug.* hoc eſt, ad loquendum te moueat dilectio vt id dicas quod ædificat, quod caritatẽ promouet. *Tertius* gradus eorum eſt qui plenà caritate Deum ex toto corde diligunt, qui nihil præter Deũ deſiderãt, & ex tota mente quia nihil aliud quam Deum cogitant & ſomniant, etiam dum proximo caritatis opera impendunt: Et ex totis viribus, quia nulli alteri rei ſuas vires aut ſtudia impendunt quam amori Dei, etiam dum agros colunt aut opificia exercent, hæc non niſi ex dilectione Dei facere didicerunt. Talis amor perfectorum eſt, qui ſemper aliquid illuſtre animo concipit & facit, & in eo ſe fœlicem reputat ſi propter dilectum aduerſa etiam & dura ſuſtineat: *Ibant gaudentes*, inquit, *quoniam digni habiti ſunt pro Chriſto contumelias pati.*

6. PORRO cum Dominus ait *primum & maximum hoc eſſe mandatum, Diliges Deũ ex toto corde tuo:* ordinem quendam inter diuina præcepta obſeruandum eſſe docet, vt videlicet intelligamus alia ſublimioris eſſe dignitatis, alia inferioris: alia maioris eſſe neceſſitatis & vtilitatis, alia minoris. Illud enim prius aut maius quod digniorem complectitur ac præcipit virtutem: cum autem inter virtutes caritas ſit præſtantiſſima, quippe quæ cæteris vitam tribuit & merendi rationem ac vim addit: adde caritatem proſunt omnia, *inquit Auguſt.* dettahe caritatem, nihil proſunt cætera. Patet præceptum dilectionis eſſe primum & ſummum & dignitate & virtute quia efficit hominem magnũ & Dei filium & vita æterna dignum. Hieroſolymam Rege Babyloniæ vaſtante, cum multa alia abſcondere potuiſſent ſacerdotes Dei, ignem potiſſimum abſconderũt qui

Leui. 9. in primo ſacrificio Moſaico è cœlo dilapſus, *vt dicitur in Leuitico*, in altari perpe-

Leuit. 6. tuo ardens ſeruari debuit ſacerdotibus fomitem ſubminiſtrantibus, & vſque ad illa tempora ſeruatus fuerat: Qui certe non niſi caritatis figura extitit, de qua dicit Dominus, *ignem veni mittere in terram & quid volo niſi vt ardeat?*

7. QVÆ caritas etiam omnibus aliis rebus pereuntibus perpetuo conſeruari debet, ipſa enim ſola eſt quæ nos Deo commendat, regnoque cœlorum dignos efficit, cuius neceſſitatẽ ita deprædicat Paulus, vt ad Corinthios dicat. *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam caritatem autem non habuero nihil ſum: Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, caritatem autem non habuero nihil mihi prodeſt.* Hinc præceptum dilectionis ſæpius nobis in ſcripturis inculcatur, quia nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis obſeruatur. In cæteris virtutibus certus ſeruandus eſt modus, quẽ qui excedit, ipſo exceſſu delinquit: fortitudo ſi modum excedat in temeritatem & audaciam vergit, humilitas in puſillanimitatem, religio in ſuperſtitionem, iuſtitia in ſæuitiam, magnanimitas in ſuperbiam: Deum autem etiamſi toto corde & totis viribus dilexeris, nunquam ſatis diligere poteris, *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, ſuperualebit adhuc*, inquit Eccleſiaſt. Eccl. 43.

(Margin: 1. Matt. 1. — 1. Cor. 13.)

8. SOLVS amor eſt, *inquit Auguſt.* ex omnibus affectibus, in quo creatura poteſt reſpondere ſuo creatori, quamuis non ex æquo, ipſique mutuam vicẽ reddere. Cæteris in rebus quid illi ſimile referre queas? creauit te, num tu ſimiliter illum creare potes? redemit te, gratiam & miſericordiam donauit tibi, paſcit & cuſtodit, quid horum ei tu præſtare potes? Et quis ego ſum, inquit idem amator, ô Domine, vt te à me amari iubeas, & niſi id fecero minaris mihi ingentes miſerias? paruane eſt hæc miſeria ſi non amem te? vt enim radix è terra ſuccum trahit vnde arbor alitur & viuit, & niſi ei immobiliter inhæreat exiccatur & emoritur. Ita cor humanum niſi firma caritate Deo inhæreat, vnde vitales ſpiritus ad ſe & in ſe attrahit, emarceſcet. Hinc Dominus ad ſuos diſcipulos *Manete in me & ego in vobis: ſicut* Ioan. 15.
palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo,

nisi manserit in vite , sic nec vos nisi in me manseritis.

9. SI DEO per caritatem inhæres atque insertus es, in aduersis te patiētem & fortem efficiet quia ipse est patientia & fortitudo nostra: te sanctum, iustum, sapientem & pium faciet, quia ipse talis est, teque sibi similem reddet, sicut ignis ferrum reddit ignitum. Vt ea de causa hic dictum sit, *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Propheta* : & Paulus ad Romanos dicat, *Qui proximum diligit legem impleuit.* Qui enim vnam caritatem habet legem ex nulla parte violat, & quamuis forte omnia præcepta opere nō exequatur tempore vel occasione non data, tamen quia voluntatem & affectum exequendi gerit, perinde iustificatur coram Deo ac si omnia exequutus fuisset : sicut qui odit fratrem suum à *Ioanne* homicida dicitur, non quod actu hominem occiderit, sed quia voluntate aut explicita aut implicita tale quid facit. Hæc caritas est instar medicinę quæ omnis generis potest sanare morbos, instar panis qui nunquam cōsumitur & omnis generis suauitatem in se continet: vt propterea merito nihil sit, non oratio, non ieiunium, non eleemosyna, quod ita vt dilectionem à nobis requirit Deus, non vt de ea subtiliter differamus, sed vt eam habeamus.

Rom. 13.

1. Ioan. 5.

III. Proximus etsi inimicus etiam diligēdus.

1. DILIGES *proximum tuum sicut teipsum.* Sicut regem honoramus in imagine sua, sic Deum diligimus in proximo nostro qui est imago Dei, & quo quis plus Deum diligit eo amplius & proximū amat : Id quod hac ratione facile edocetur, circulum finge mundū esse, centrum autem circuli Deum, lineas autem in mediū à circulo diductas, vias crede varias negotiationesque mortaliū: quo quis circuli cētrum attingit intimius eo Deo appropinquat magis: & quo à centro recedit longius, eo magis à Deo elongatur: Et nō solum à centro recedunt longius huiusmodi lineæ, sed etiam ab inuicem, Ita fit & inter mortales. Diligis autem proximū sicut teipsum quando ad hoc diligis vt ei bene sit, sicut & tibi bene esse cupis secundum corpus & animam, vt sit mens sancta in corpore sano: Nam beatitudo animæ consistit in sanctitate & iustitia ac cæteris virtutibus, quibus quisquis pollet, bene valet & bene est ei. Dum igitur amas salutem proximi tui, & quantum in te est ei cooperaris verbo doctrinæ & exemplo vitæ, vt eo perueniat, censeris diligere proximum tuum sicut teipsum.

2. QVI autem amore concupiscentiæ proximum diligit, non illum sed seipsum amare conuincitur, quia non eius bonum sed proprium commodum & propriam voluptatem præcipue spectat, quæ ab eo expectat: vt si quempiam diligas propter munera quæ ab eo percipis, aut propter pulchritudinem alicuius qua delectaris, non est caritas sed cupiditas, non est syncera & Christiana dilectio, sed noxius & vitiosus amor, qui fertur non in proximum, sed reflectitur in seipsum: dum percipiuntur munera, aut voluptas aut delectatio, durat ipsa dilectio, illa si cessent, cessabit & ista. Sincera dilectio non respicit munera, non quærit quæ sua sunt, satis est ei si proximo bene sit eique benefacere possit, benefacere hoc ei proprium nec aliam huius rei remunerationem quærit, scilicet seipsa contenta est.

3. EST modus & ordo in dilectione seruandus, vt bonū quod melius est amplius diligatur, & quod optimum est summe diligatur & quod bonum non est, non diligatur. Deus quia optimus est summo amore diligendus est, anima quia corpori præstat plus est amanda quam corpus, ergo maiori cura eius salus quā corporis sanitas est procuranda, cum melius sit animo esse sanctum, quam corpore sanum, animo esse fortē quā corpore robustum. Cum igitur inuisibilia bona vt sunt sapiētia, caritas, sanctitas, iustitia, & similia, meliora sint donis corporeis, & visibilibus, qualia sunt pulchritudo, facies venusta, mēbra robusta, & his similia, ea sic sūt amanda vt eorū amori postponantur cætera,

tera,

Digitized by Google

vera, non vt cætera visibilia non amentur, aut non delectent (*sunt verba Augustini*) sed vt minus amentur & minus delectent, quam inuisibilia quæ meliora sunt verbi, gratia, fidelitas, industria, & prompta obedientia famuli tui, quia meliora sunt, quam pulchritudo corporis eius, malumus enim fidelem seruū & obsequiosum etiamsi turpis sit, quam formosum & infidelem atque inobedientem, ideo & amplius amāda sunt: nō quasi dotes corporis amandæ non sint, sed quia minus amari debent. Cū autem quælibet creatura bona

Gen. 1. sit (*vidit namq; Deus cuncta quæ fecit & erant valde bona*, ait scriptura) diligi etiam poterit, sed ea prudentia est diligenda vt dilectorem suum nō auocet à summo bono, sed eum in illud reducat, vt eius speciē atque decorem sic amet, tanquam quæ à Deo in hanc deriuetur, vt ipsius similitudo in sua creatura aliquousq; cōspiciatur, qua visa non de ipsa sed de illo cogitetur, ille in admiratione, atque honore & amore habeatur. Sicut qui amicum diligit visa ipsius imagine, nō ipsam propter se honorat, sed propter eum quē repræsentat. Et hinc prouenit quod homo Deum minus quam oportet diligat, quia omnem vim suæ naturæ in amore creaturarū consumit, quas amplius quam ipsum Deum diligit, eo quod non secundum spiritum sed secundum sensum ambulet.

4. EA EST vis amoris vt qui Deum diligit, diligat & omne illud quod Dei est, & potissimum proximū suum qui ad imaginē Dei factus est, siue is bonus fuerit, siue malus siue amicus, siue inimicus, siue fidelis siue Iudæus: Neminem n. odisse licet: si vel vnum oderis caritatē non habes, *ait Aug.* Sed dilectio quæ bonis & sanctis rependitur, inimicis cauta impenditur, non vt inimicitias foueat, sed vt ex inimico victus amore alterius amicus fiat. Nam in primitiua ecclesia nō ita signis ac miraculis adducebantur gentiles vt in Christum crederent, quā probitate morum & dilectione ac syncera vita Christianorum. Quemadmodum igitur faber aliquis egregius, dum videt rudem in syluis arborem, illam amat & eligit, eo quod ex ea egregiam imaginem sculpere velit, non amat aut eligit vt semper impolitus truncus maneat, in arte videt quid futurum sit & illud amat: sic malum hominē aut suum inimicum diligere oportet, non vt inimicus maneat, sed vt ex inimico amicus, & ex malo bonus fiat. Sic Christus dilexit inimicos cum pro eis oraret, Pater ignosce illis: quibus voluit ignosci, eos voluit & mutari, noluit vt tales permanerent: qui vult eos malos manere non diligit, sed odit, medicus diligit ægrotum quem cupit sanatum. Qui diligit inimicum nō solum simulato effectu operis externi, cum hoc non sit vere inimicum diligere, quia opere quidem parcit, sed corde sæuit: verumetiam beneuolo affectu mentis internæ, vt qualem se foris exhibet, talem se intus in animi benignitate sentiat, hoc grande opus & sic diligere inimicum opus est homine Christiano dignum. & eo omnis fidelis se extendere debet, & humanum animum ad hunc affectum Deum orando, secumque luctando perducere.

5. AFFECTVS dilectionis in amicos solet etiam in perfectis communiter esse intēsior, nec incongrue putatur melior qui est feruentior, sed idem affectus in inimicos longe est difficilior, & ideo perfectioris caritatis: Quæ perfectio, *inquit August.* non est tantæ multitudinis, quantū credimus exaudiri cum dicitur in oratione dominica, *dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: Non quod alicui qui inimicum non diligit, peccata dimittantur, præcipitur enim vnicuique perfectis & imperfectis, vt proximum diligat sub quo & inimicus intelligitur. Sed etiamsi eximiam illam caritatem non habuerit, qua etiam inimico suo benefaciat & beneafficiatur, tamen quādo rogatur ab homine qui in eum peccauit, vt ei dimittat, dimittit ex corde, etiā ipsi veniam roganti venia datur: qui autē roganti & pœnitenti non dimittit, nōn existimet à Domino sua peccata dimitti.

Digitized by Google

Qui autem rogat hominem in quem peccauit, si suo peccato mouetur vt roget, non est adhuc deputandus inimicus vt eum diligere sit difficile, sicut erat quando inimicitias exercebat.

6. CVM scriptura ait, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, non vult omnes homines æqualiter esse diligendos, sed similiter: vt similitudo ista referatur non ad affectum diligentis, neque etiam ad affectũ dilectionis, quia & in exhibitione obsequii distinctio est obseruanda, vt plus diligam parentes & cognatos quam extraneos, & potius iuuẽ domesticos fidei in necessitate cõstitutos, quã infideles. Similiter autẽ diligis proximũ sicut teipsum, si ad quod & propter quod teipsum diligere debes, ad id & propter id etiã proximum diligas, nimirum vt Deum in te primo, & salutem tuam ames, & quæcumq; amas eo omnia referas, vt secundum animam sanctus sit & sanus secundũ corpus. Est autem operibus probanda dilectio, non verbis tantum: neq; enim in verborũ adulatione, sed nec in mensæ cõmunione, verum in studio iuuandi proximum quando ratio aut necessitas id postulat,
1.Ioan. 3. consistit dilectio, iuxta illud Ioan. *non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate*. Quod si opere subuenire nõ possit, quia forte non habet vnde det aut subueniat, beneuolum animũ quo dilectio nũquam destituta est, saltem adferat. Et *vt August.* docet, quandoquidem omnibus necessitatem patientibus subuenire non possumus, iis saltem succurramus, qui nobis forte quadam iuncti sunt.

7. IN HOC beneuolo caritatis affectu nemo se excusare potest: licet dicere possis quo ad cætera virtutũ opera, Non possum ieiunare, quia indies cogor laborare, non possum pauperibus subuenire, quia ipse pauper sum, non possum ignorantes docere quia indoctus sum: Nunquid dicere poteris, nõ possum diligere proximũ, imo & inimicum, quia & ipse proximus est, nobis similis ad imaginem Dei creatus, cũ diligere homini melius sit & dulcius quam odisse: imo vti homini naturale est comedere, neque ad hoc vt quis comedat cogi debet, ita naturæ est consentaneũ diligere. Et quanquã quibusdã difficile videatur omnes omnino homines diligere præsertim inimicos tamen id nõ est tam ex natura operis, quasi illud factu sit impossibile, quam ex infirmitate operantis, sicut ambulare claudo est difficile, & comedere homini infirmo est molestũ & graue. Et quamdiu, *inquit Aug.* mandata Dei videntur alicui difficilia, imo quibusdam factu impossibilia, hoc inde prouenit quia vires nondum accepit quibus illa facilia fiant: Cũ dicat Dominus apud
Matth. *Iugum meum suaue est & onus meũ* Matth. 11.
leue: nihil suauius quam diligere etiã inimicũ, sed cui? homini caritatem habenti:
Et Ioan. *Mandata eius grauia non sunt.* 1.Ioan. 5.

8. PORRO qui ad proximi sui dilectionẽ peruenire cupit, hæc ei obseruanda est regula, quam sibi ob oculos semper ponebat S. Paulinus quoties cum hominibus ei negotium aliquod pertractandum erat, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & *Quæ vultis vt faciant homines vobis, & vos eadem facite illis*. Nec facile in animum inducas tuum, si proximi dilectione potiri cupis, eum tibi inimicũ esse, aut non bene affici, est enim suspicio talis caritatis exitium: sed bene sentire bene loqui de omnibus, hoc caritatis fomentum. Quod si quispiam aut verbo aut facto te lædat, id quantũ veritas patitur, excusa, potius eius infirmitati, cuius mox eum pœnitebit, quam malitiæ asscribas: Sic enim in tui amorẽ alios prouocabis facilius, & in teipso erga eos dilectionis affectum excitabis citius. Ad id nos hortatur Paulus cũ ad Hebręos ait, *Consideremus inuicẽ in prouo-*
cationẽ caritatis & bonorum operũ, hoc est, Hebr. 10.
attẽte ea cõsideremus in proximo nostro, quæ caritatem excitẽt & promoueant, quod fit si imperfecti considerent perfectos sumẽtes ab eis exemplum vitæ quod imitẽtur, perfecti vero imperfectos moueãt & instruant ad maiorem virtutis profectum.

9. QVOD

Digitized by Google

9 QVOD si iniuria tibi sit illata grauis & manifesta vt neq; intentionem iniuriantis, neq; iniuriam tibi illatam excusare possis, si syncere diligas, dolebis non tam propter iniuriam tibi illatam, quam quod condolebis eius miseriæ & nequitiæ, qui sibi magis quam tibi nocet, tibi enim bona aufert temporalia fortassis, sibi vero æterna, te spoliat fama tua, se gratia diuina, quia sicut honor magis est in honorante quam in honorato, sic qui nocet aut damnum infert alteri, nocumentũ maius inest iniurianti seu damnum inferenti, quam iniuriam aut damnum passo: Imo fieri potest vt cui infertur damnum, nihil lædatur si constanti fuerit animo, vt aũt qui damnum infert, nihil mali sibi inferat, omnino fieri non potest, multis enim miseriis & pœnis se inuoluit qui peccata peccatis addit, iuxta illud Isaiæ, *væ qui prædaris nonne & ipse prædaberis?* Eos diligere qui nos diligunt, non est magni meriti, quia & gẽtes id faciunt, inquit Dominus *Matthæi* 5. Quinimo & serpẽtes & canes fœtus quos enixi sunt, diligunt. Sed diligere & benefacere his qui oderunt nos, hoc veræ virtutis opus: id nõ potest homo nisi adiutus Dei gratia quę præualet naturæ eamq; supra se exaltat. Et in eo proprie imitamur patrem nostrum cœlestem qui solem suũ facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, hoc est, qui etiam suis inimicis benefacere consueuit, non quia ipsi digni, sed quia pius & misericors ipse.

Esai. 33. Matth. 5.

PARS II.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua: & proximũ tuum sicut teipsum. Matth. 22.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Cur caritas necessaria, quæ & quanta ipsius caritatis sit vis.*
II. *Qui fiat quod Deum aliter non diligamus.*
III. *Quomodo acquiratur charitas.*
IV. *An charitas Patriæ maior sit, quam caritas viæ.*
V. *An quolibet actu augeatur charitas.*

ART. I. De necessitate & vi charitatis.

1. GRANDEM *vim habet ipsa charitas.* Dicitur Deus spiritualiter vita animæ, sicut anima vita corporis, iuxta illud Deut. *ipse est vita tua:* Verum non sicut anima viuificat corpus per seipsam, ita Deus viuificat quoq; formaliter ipsam animam per seipsum sine qualitate media: Sed dicitur Deus vita nostra duntaxat effectiue, animæ quidem per caritatem, & corporis per animam: formaliter autem caritas est vita animæ, sicut & anima corporis. Nam quamuis accidens quod causatur ex principiis subiecti subiecto suo sit indignius & minus secundum esse suũ, ipsamq; viuificare non possit cum sit effectus eius, illud accidens tamen quod est participatio quædam diuinæ naturæ, vt caritas & sapientia, est dignius suo subiecto, in quantum est similitudo superioris naturæ, sicut lux præstantior est diaphano: & hoc modo caritas est dignior anima, inquantum est quædam participatio spiritus sancti qui est caritas & bonitas ipsa. *hæc Thom.*

Deut. 30.

2. ET hoc est quod *Leo* ait, Si sapienter creationis nostræ intelligamus exordiũ, inueniemus hominẽ ideo ad imaginem Dei conditum vt imitator esset sui auctoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodã speculo diuinæ benignitatis forma resplẽdeat. Ad quam quotidie nos reparat gratia Saluatoris dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Causa autem reparationis nostræ nõ est nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret: ꝙ Apostolus docet cum ait, *Nos ergo diligamus Deum quoniam ipse prior dilexit nos.* Diligendo itaq; nos Deus ad imaginẽ suã nos reparat, & vt in nobis for-

Leo ser. 1 de ieiun. 1. Ioan. 4.

Digitized by Google

mam suæ bonitatis inueniat, dat vnde ipsi quoq; quod operatur, operemur, accendens ic. mentium nostrarum flammas atq; lucernas & igne nos suæ caritatis inflammans, vt non solum ipsum, sed etiam quicquid diligit, diligamus. Nam si inter homines ea demum firma est amicitia, quam morum similitudo sociaret, cum tamē parilitas voluntatum sæpe in reprobos tendat affectus, quantū nobis optandum atq; nitendum est, vt in nullo ab iis quæ Deo sunt placita, discrepemus: De quo dicit Propheta, *Et vita in voluntate eius*: quia non aliter erit in nobis diuinæ maiestatis dignitas, nisi imitatio fuerit Dei voluntatis, vt se totam anima fidelis eius subiiciat voluntati in cuius operibus nihil vacat à miseratione clementiæ. Vult igitur Deus nos esse bonos quia ipse bonus est. Et *Hier*. Grandem vim obtinet vera dilectio, quia qui perfecte amatur totā sibi amantis vendicat voluntatem, nihil n. imperiosius est caritate. Quapropter si nos vere Christum diligimus nihil magis velle, nihil omnino debemus agere quam quod illum velle cognoscimus. Psalm. 29.

3 AMOR Christi si fortis ac feruidus fuerit non secus animum amantis in dilectū rapit, atq; sol vapores è terra eductos ad se attrahit, ita vt totus videatur quasi in Deū transformatus, plena pace fruens, & cordis gaudio exultans, nec non pectoris tranquillitate gaudens: & sic in tranquilla quiete dilecto suo assistens nutus eius obseruat, vt quicquid illū velle perspexerit, promptus & alacer exequatur. Interim omnipotens Deus creberrimos in cordis illius intima immittit instinctus, raptim tamen & instar fulguris celeriter transeūtes, quibus eum & inflammat & illustrat, & ad omne id quicquid agendum occurrerit ita confortat, vt promptissime simul & perfectissime vniuersa sua expediat, quæcumq; per ipsum agere, vel in ipso operari voluerit, vt non tam ipse sit qui tale quid agit quam Deus dilectus per ipsum, qui & per oculos videat, & per linguam loquatur, iuxta illud, vos non estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Amor Christi cor amātis mira dulcedine replet, summa suauitate afficit, illud velut adipe & pinguedine saginat. Amor Christi quemcumq; comprehenderit, prudentem reddit ad prouidendum, acutum ad disserendum, facundum ad eloquendum, ad res gerendas magnanimum, ad seria quæq; fortissimum: pulsis periculis securitatem, submota dissensione concordiam, vitata miseria præstat fœlicitatem.

4 AMORI Christi tanta vis inest vt is solus hominem tranquilla possit in pace seruare, quod neq; prudentia, neq; fortitudo, neq; multiplicitas legum, neq; vis alia vlla sine amore potest efficere. Amoris Christi ea ingenuitas est, vt cum cæteræ virtutes & artes operationesq; præmium aliquod vt plurimum à se diuersum exoptēt, amor seipso tanquam suiipsius præmio sit contentus, quasi non sit præmium aliud præter amorem quod amore dignum sit, nam qui amat id vult ab amato potissimū, vt vicissim amet amantem. Fortis vt mors dilectio, ab omnibus enim separat, neq; ea quæ præsentia sunt, cernere facit siue ea tristia fuerint siue læta: sed amato animam alligat, & qui Christum ita diligit, omnia præsentia vmbra & somnium videntur, vnde ait quidam, *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia*: Non dixit, Pecuniæ an diuitiæ? honores an voluptates? hæc enim valde vilia & deridenda; sed quæ videntur esse grauia posuit, fames, persequutiones, mortes. Nonne videtis insanos illos muliercularū amatores, *inquit Chrysost.* quomodo plurimis damnis affecti & illusi nihilominus in amore perdurent? Hinc sumamus dilectionis exemplum, *inquit*, non vt tales fornicarias mulierculas diligamus, absit, sed vt ad hunc modum Deum amemus, vt sicut illi etiam iniuria ab ipsis mulierculis affecti, eas tamen plus quam animas suas diligunt, sic & nos Christum plusquam ipsos nos diligamus. Rom. 8. Chrysost. serm. 7. ad Ephes.

1 CVM

Digitized by Google

II. Qui fiat quod Deũ non magis diligamus

1. CVM Deus nihil æquè à nobis requirat quam vt eum toto corde diligamus, & ad id nõ solum beneficiis nos alliciat, sed & nisi fecerimus eumq; ex toto corde dilexerimus, ingentes miserias minetur, mirum est quomodo non aliter eũ diligat homo, præsertim cum & summe bonus sit qui per singula pene momenta innumeris nos afficiat beneficiis & munificus multum & liberalis qui suos amatores amplissimo præmio remunerare solet: & cum multa donet & magna, plura sunt ea & maiora quæ promittit. Quod igitur tepentem in Christum habeamus amorẽ, ideo prouenit quod omnis vis nostra in corporum amore, & mundi cupiditate absumatur, dum vel pecuniis atq; diuitiis, vel honoribus aut voluptatib. plus iusto inhiamus: qui autem aliquid amat quod non propter Deum amat, minus ipsum amat, *teste August.* eo quod cupiditas, quæ caritatis venenum est, & caritas inuicem sibi aduersentur, cupiditas enim magno studio omnia ad se rapit, caritas vero non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi: Hinc fit vt quo maior fuerit ipsa cupiditas, eo minor fiat ipsa caritas: ex cupiditate enim tanquam ex quadam vberrima scaturigine indesinenter fluunt & refluunt turpes cogitationes *& noxia desideria quæ mergunt hominem in interitũ,*
1. Tim. 6. vt Paulus ait ad Timotheum. Qui diuitiis congregandis inhiant, vt auari, *super triticum & vinum ruminant,* vt Ozeas loqui-
Ozeæ 7. tur, *& à Deo recedit cor eorum*: *dum* enim huiusmodi inutilibus cogitationibus & nociuis desideriis, quæ concipiunt & fouent ex diuitiis suis vel congregatis, vel congerendis, animum pascunt, non sapit eis Deus, quia teste Sapiente, *Anima saturata calcabit fauum,* sicut stomachus famelicus si se repleuerit prauis humoribus aut grossiori cibo delicatiora quæq; contemnit, quia gustum perdidit.

Hæc Basi. 2 PORRO quemadmodum parentes diligere nullus nos docuit nisi natura, ita cũ mandatum acciperemus diligendi Deũ, diligendi vim & facultatem statim cum prima naturæ constructione fundatam in nobis adepti sumus, *inquit Basilius.* Bonarum enim ac pulchrarum rerum naturaliter cupidi sumus: quid autẽ diuina bonitate & pulchritudine magis est admirandum? Etiamsi solis lumen dixeris & stellarum, omnia vilia sunt ad comparationem pulchritudinis Dei, & amplius deficiẽtia à veræ lucis collatione quã profunda nox à clarissima meridie. Hæc pulchritudo carneis quidẽ oculis conspici non potest, verum à sola anima & mente conspicitur: Quæ si forte animam sanctam circumfulserit, intolerabilem desiderij stimulum in ipsa relinquit, nec vllum animæ desideriũ est ita acre atq; intollerabile, velut quod à Deo animæ ab omni vitio purgatæ accedit, quæ in hac vita velut in carcere conclusa mœrens exclamat, *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Si vero & geniti naturaliter suos diligunt genitores, ꝙ declarat & brutorum & infantũ erga matres affectus, ne videamur rationis magis expertes quam infantes, neq; bestiis feri magis, sine amore, & abalienato animo erga eum qui fecit nos affecti, quem etiãsi ex pulchritudine & bonitate non agnosceremus, ob id solum quod ab ipso facti sumus non lapides, non pecudes, sed homines ratione vtentes, ad imaginem eius conditi atq; creati, quæ est summa dignitas, diligere & amare debemus, & ex memoria ipsius perpetuo dependere velut ex matribus infãtes. Hic autem affectus quo diligitur is qui benefacit, non hominum proprius est, sed omnium animantium, Cap. 1.
Cognouit, inquit Isaias, *bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*: Absit autem vt de nobis dicatur quod sequitur, *Israel autem non cognouit me.* Nam de cane & multis aliis huiusmodi quid opus est dicere, quantam erga nutritores beneuolẽtiam ostendant? Post hæc, dilectionem ipsius erga nos nõ excidit nostra stupiditas ad tanta illius beneficia quæ nobis obtingunt, quorum tanta est multitudo vt numerũ effugiant, tanta autem magnitudo vt er-

vt etiam vnum sufficiat nos obnoxios in omnem gratiam facere largitori. Ipse etiã adeo bonus est vt neq; retributionem exigat, sed contentus est si solum diligatur propter ea quæ dedit. Quæ vniuersa vbi mente recolo, *inquit Basilius*, in horrorem quendam ac horrendam animi emotionem delabor, nequando ex inanimaduertentia mentis, aut occupatione circa res vanas à dilectione Dei elapsus opprobriũ fiam Christo. Qui enim nunc decipit nos & per mundanas inescationes obliuionẽ benefactoris nobis omni studio inducere conatur, in perniciem animarum nostrarum nobis insultabit, quod neq; qui condidit nos, neq; qui mortuus est pro nobis, habuerit nos ipsum sequentes ob negligentiam mandatorum Dei. *hactenus Basil.*

3 DVM radij diuinæ pulchritudinis in singula mundi corpora transfunduntur, quodlibet pro captu suæ naturæ speciosum efficitur. Et cum primo humani corporis species oculis nostris offertur, mens nostra eam tanquam diuini decoris imaginem veneratur & diligit, perq; illam incitatur vt excellentiorem animi, mentisque, & Dei speciem cogitet, ita vt vmbratilis species corporis via quædam sit per quam ad speciem altiorem, videlicet ad animæ pulchritudinem (quæ bonitas eius est resultans ex decore virtutum sapiẽtię, temperantiæ, fortitudinis, caritatis & similium, sicut pulchra musica ex plurimarum vocum harmonia resultat) ascendamus, dum in corpore formoso speciosum animum esse coniectamus: cum enim nostrę mentis cognitio à sensib. ducat originem, & animi pulchritudinem, quam eius bonitatem dicimus, sola mente comprehendamus, eam vtpote intimis animæ penetralibus insitam, nec intelligeremus vnquam, nec amaremus, nisi ad illam manifestis pulchritudinis exterioris indiciis proueheremur, dum interna perfectio externam producit pulchritudinem & animi virtus decorem præ se fert honestissimum in verbis, gestibus, & operibus, qui decor seu pulchritudo externa velut flos quidam esse videtur bonitatis internę, cuius floris splẽdore & odore, quam bonam famam dicimus, latens intrinsecus bonitas allicit intuentes, & ad sui amorem pertrahit, vt vlterius in Deum primam splẽdoris huius originem ascẽdant, ad quam originem nisi amantem amor perduxerit, animum amantis quiescere nõ permittit, sed vlterius impellit donec eo deueniat vnde descendit: habet enim hanc vim amor vt illuc vnde venerat reuertatur secumq; trahat amantem, nimirum ad Deũ ipsum.

4 QVI in aspectu corporis hæret formosi, in via restat & ad terminum nunquam peruenit, vnde misere fallitur, quia non nisi in termino quies est. Quandoquidem ergo animæ in corporibus constitutę non possint inter se nudo modo de virtute & reb. diuinis colloqui, sed circumsitæ corporibus & ad vocem & ad visum organis cogantur vti corporeis, vt qui non potest animæ corpori illigatæ pulchritudinem videre, aut huius sermonem audire, is motum corporis in quo est ipsa, videat, & vocem per hoc audiens pulchritudinẽ ipsius ex his æstimet, cum non solum vox aut aspectus, animæ speciem velut in speculo ostendant, sed & iuxta Ecclesiasticum, *amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuncient de eo*, necessario oportet diligẽter attendere, & prudenter sibi prospicere, ne ꝓ anima quæ loquitur, corpus amet per ꝙ ipsa loquitur: tanquam si quis musico suauiter canenti bene afficiatur, & ex consuetudine à musico declinet ipse amor ad ipsum instrumentum per quod canit, *hæc Basil.* Eodem modo & proximum & maxime pronubos qui ad sponsum nos inuitant, diligere oportet, sed pura, non corrupta dilectione, quę nomen non quidem dilectionis seruat, sed dignitatẽ tollit, dum eos aut æqualiter, aut etiam plus quam sponsum diligimus & paulatim à sponso ad eius ministros dilabimur, eosq; non propter sponsum, sed propter seipsos diligere incipimus, & in affectum carnis transimus, decepti specie recti. Eccl. 19.

5 CETE-

Digitized by Google

5. CÆTERVM quia non in ſuperficie externa inuenitur Deus, *inquit Gregor.* neque leui negotio poteſt quis ad eius pertingere dilectionem, ad hoc vt aſſequamur caritatem inprimis & ante omnia neceſſe eſt vt diligentiſſime euitemus ea quæ charitati ſunt contraria, & ſerio ac ſedulo cupiditatem ac cętera peccata deuitemus, eiuſdemque indies imminuere ſtudeamus radicem: deinde ſubtiliſſime noſtras cogitationes examinemus, & quomodo Deus inueniatur omnibus modis perquiramus, virtutes quibus ipſi placeamus intus accumulemus, orationibus quib. cor mundatur, intenti ſimus, lectionibus quib. inſtruamur vacemus diuinorum beneficiorum meditationibus incumbamus: eſt enim Deus velut vaſtiſſimum quoddam bonitatis pelagus, quod inceſſanter in omnes homines, imo in vniuerſas creaturas iuxta cuiuſq; cōditionem & qualitatē influit, *in ipſo enim* teſte Paulo *viuimus, mouemur & ſumus*: repoſcens ab vnoquoque noſtrum vt memores beneficiorū eius & bonitatis illius cum gratiarū actione per cordis amorem & ſynceram charitatē in ipſum refluamus. Neq; n. poteſt eſſe exercitium vllum aut ſanctius, aut homini vtilius, aut Deo gratius, quam vt coram Deo pio cū timore & reuerentia ambules, ipſumq; & te & cūcta tua intuentem, perpetuo & vbiq; præ oculis habeas, vt quicquid feceris eo intuitu facias quo Deo placeas, & eius gratiam inuenias, eiuſq; amicus fieri queas, illiuſq; dilectionem & charitatē indies promoueas & adaugeas, ſiue bonis operib. inuigiles, ſiue pœnitētię opera exerceas: Quæ certe dum agis, ea agito non tam vt pro peccatis tuis ſatisfacias, quam vt per humilitatem & piam voluntatem Deo placeas. Cum enim peccata tua & grauia ſint & multiplicia, neq; pro vno peccato poſſis condigne ſatisfacere Deo, quid facies pro innumeris? Qui eximii ſunt ſanctitate & eximia faciunt opera bona, & modica eoq; leuiora cōmittunt peccata, illi ſatisfaciant pro peccatis ſuis: tu autem te minorem & miſeriorem eſſe putato quā qui id in poſſis; ſed pia voluntate & humili fide quicquid agis agito, Deo vt placeas, vt id in quo deficis ipſe supplere dignetur.

III. Quomodo acquiratur charitas. Luc. 12. Iſa. 8.

1. CVM Dominus ait, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accēdatur?* charitatē igni comparat, vt enim ignis inflammat, remq; accenſam ſibi ſimilem efficit ita & charitas: verum non ſtatim vſq; eo inardeſcit, vt ad cor ipſū pertingat illudq; incendat, ac guſtu quodam ſenſibili penitus afficiat. Sed vt ignis cum primo accenditur priuſquam totus inardeſcat, multo ſæpe flatu opus eſt, Ita & cū amore ſpirituali ſeſe habet qui & ipſe piarum precum ac meditationum flatu incēdendus, & bonis operibus diu multumq; ac crebro excitandus eſt antequam totus inardeſcat, & ſenſibilis effici poſſit. Et in principio quidem Deus non tam operum noſtrorum dignitatem & perfectionem, quam bonum ac pium noſtræ voluntatis ſtudium attendit, nec illam ſuauem & ſenſibilem cordis affectionem initio requirit, ſed eum prēmium noſtri laboris pro ſuo largitur arbitratu, cum labor noſter cū moleſtia peractus tale quid meruerit.

2. CARITAS igitur quam & Deo & proximo impendimus, in principio ſui non neceſſe eſt vt ſenſibilis ſit, & cor ſuauiter afficiat, ſed vt ſit volūtaria & opere obſequioſa: vt ſi quis, verbi gratia, conſpiciat miſerum quendam, ſentiatq; cordis quandam ab eo auerſionem, attamen quod Chriſtus præceperit, illi miſero impendat opere miſericordiam, tametſi ſuauē cordis affectum conſequi non poſſit, facit tamen ſatis caritati, quæ in bona voluntate primo, non in ſuaui cordis affectione, niſi eum aucta fuerit, conſiſtit. Atque in hoc ſummo connitendū eſt opere homini ſpirituali, quo huic igni quotidiana ſubiiciat fomenta, materias mente pertractando quæ cor ad amorē incitent, vt iā quidē diuina commemoret beneficia quæ in dies impendit, modo diuina reuoluat promiſſa quæ ſunt maiora, q̄ ſi id corde minus poſſit,

ſit, verbo ſaltem & ore ſibi ea rememoret, & paulatim ſentiet in ſe gratiam Dei & amorem naſcentem & inſtar auroræ prodeuntem. Magis autem hæc & huiuſcemodi ſunt neceſſaria, cum & hoſtis tartareus & propriâ quoq; infirmitas magnum ei quotidie hac in parte impedimentum præſtent idq; aliis in eum aduehendis cogitationib. & deſideriis quibus ſpiritualẽ reſtringunt amorem, haud ſecus quam ſi ignis aqua perfundatur. Attamen cauendum ne quis in iſtiuſmodi exercitiis immoderate laborando capitis ſenſus perturbet: Qui enim imperfecti ſunt & ſpiritualium exercitiorum vſum nec dum habent, cauere principio debent ne nimiam & diuturnam nimis in his operam collocẽt: neq; plus æquo huic ſuauitati inhiẽt, ſed donum hoc diuino arbitrio cõmittãt: neque ſi eo potiantur magnifice protinus de ſe ſentiant, tanquam qui plus cęteris apud Deum valeant. Nam & ſerui & catelli edunt de micis dominorum ſuorum, non tam pro ſua dignitate quam ex Domini liberalitate.

3. EST quædam diſputatio inter ſcholę doctores de amore Dei duplici Naturali & Supernaturali. Item infuſo & Acquiſito: quæ propterea maiorem habet difficultatẽ, eo quod olim damnata fuerit hęc hæreſis Pelagianorum, qua aſſerebant ex viribus naturæ amorem Dei in nobis exoriri & ſubſiſtere. Statuendum itaque non ſic labefactatam eſſe peccato hominum naturam, vt ne communia quidem aliqua virtutum principia remanſerint, quæ ſi excolantur ad verę virtutis frugem per-
Aug. li. 21. de ciu. c. 26. uenire poſſent: Sunt enim relicta, *vt Aug.* docet lineamenta quædam extrema imaginis Dei in nobis, tametſi ea ſit nõ leuiter vitiorum terrenorum labe conſpurcata, In his eſt vt naturalis quidam amor veritatis ac beatitudinis, ita etiam Dei in genere tanquam magni alicuius vereque amabilis boni. Vnde fit vt quod ſibi quiſq; pro Deo finxerit, id & naturali quodam amore ac veneratione proſequatur: Sed nec illud prohibet quin erga ipſum verum Deum qui omnium rerum effector & moderator fide cognoſcitur, tãquam eximium benefactorem aliqua vel tenuis eſſe poſſit de naturæ non deprauatiſſimæ reliquiis naturalis affectio, ſed qua neq; diligatur vt oportet, neq; ſane quantum oportet, vt vel vitiis reſiſtatur, vel eius voluntas impleatur. Tunc eorum, *ait Aug.* vitia victa ſunt deputanda cum Dei amore vincuntur, quem niſi Deus ipſe non donat vllus, nec aliter niſi per mediatorem.

4. AN autem eſſe poſſit charitas acquiſita, maiorem habet difficultatem: & certũ eſt charitatem acquiri non poſſe ſolis illis naturæ viribus ſeu actibus, quæ ſine ſpeciali Dei gratia præſtantur, hoc enim olim in Pelagio damnatum eſt. Nam quanquã Deus per ſeipſum maxime ſit amabilis, vtpote ſummum bonum, & ideo poſſe naturaliter amari citra vllam gratiæ infuſionẽ, quomodo cætera amantur quæ credũtur bona, Tamẽ quia peccato natura noſtra eſt vitiata, velut palatum febricitantis prauis humoribus infectum, fit vt non delectet cibus ille cœleſtis, etiamſi admodum ſuauis per ſeipſum valdeque ſalutaris exiſtat Alio igitur modo poteſt acquiri charitas, quæ à ſolo Deo in corda noſtra diffunditur, iis ſcilicet operibus quæ de gratiæ fonte promanant: non quidem per modum productionis, quo modo videlicet illi acquirũtur, vel animarum vel corporum habitus qui paſſim acquiſiti dicũtur, vbi actuum repetitio conſuetudinem, conſuetudo facilitatem, facilitas habitus firmitatẽ gignit: nam etſi frequens in operibus bonis exercitium quandam ipſius operis exequendi promptitudinem & facilitatem efficiat, vt ieiunandi, meditandi, fortiter aduerſa tolerandi, tamen tota hæc agendi promptitudo, imo & delectatio, quæ ſæpenumero agendi facilitatem & cõſuetudinem comitatur, ſine charitate eſſe poteſt etiam in maximis virtutũm exercitiis: ſicut Paulus docet cum ait, *Si linguis hominum loquar & angelorum, ſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Certe

ſi ſic-

ſi frequens actuum repetitio vi ſua atque natura charitatem produceret non poſſet intelligi quomodo per diuini ſpiritus infuſionem charitatem accipi neceſſe foret. Eſt igitur alius acquirendę charitatis modus qui cum eius infuſione optime conſiſtit, videlicet, per impetrationem: quæ enim petendo & emendicando conſequimur, etiã inter acquiſita numerari ſolent: quin & per modum meriti acquiri poteſt ipſa charitas; nam *teſte Aug* Charitas meretur augeri vt aucta mereatur & perfici: nec iſte modus repugnat eius infuſioni, nam & regnum cœlorum meremur, tamẽ à Deo datur.

5 Charitas hæc quæ filios Dei conſtituit, perficere dicitur virtutes vniuerſas, earũdemq; operationes, ſiue eæ eam pręcedant vt in iis qui naturaliter miſericordes, fortes, & temperantes ſunt: iſtiuſmodi virtutes perficit accedens charitas, cum hoc agit vt vni Deo ſyncere & pro affectu per eas homo ſeruiat, cum alioqui illas facile aliorſum rapiat cupiditas ſibiq; ſeruire cogat. Neq; enim naturalia huiuſmodi dona charitas ſuperueniẽs abolet cum bona ſint, ſed cum ex ſui natura ſint imperfecta, eo quod particulare aliquod bonum duntaxat hominem promoueant, eadem perficit & quodammodo viuere facit cum ad Deum dirigit: Siue eam ſequãtur, in quibus enim non inuenit virtutes prædictas, eas inibi producit, in crudelibus miſericordiam, in luxurioſis tẽperantiã, in timidis fortitudinem, ſic enim Paulus ait, *Charitas benigna eſt, patiens eſt, quia has virtutes producit* in eo qui eas non habebat, quod ſi eas ibi inueniat, adauget. Et fieri poteſt vt per charitatem aliqui homines ſint maiores in ſtatu vię aliquibus angelis in ſtatu patriæ, non quidẽ actu, quia dilectio eius qui iã actu fruitur Deo multo eſt plenior atq; perfectior, quã eius qui adhuc propter cupiditatem difficultatem patitur in ſua operatione: ſed virtute, quia charitatem habent tantæ virtutis vt poſſint mereri maiorem beatitudinis gradũ, quam habeant aliqui angeli.

ſic Tho. 1. p. q. 117. ar. 2. ad 3.

IV.

An charitas patriæ maior ſit quã charitas viæ.

1. Inquirendum hic quomodo *Thomas* dicat gratiam ſpiritus ſancti quam in præſenti habemus eſſe æqualem gloriæ. Idem quæri poteſt, an charitas viæ æqualis ſit charitati patriæ. Et reſpondet *Thom.* loco prædicto quod gratia ſpiritus ſancti quam in præſenti habemus, etſi non ſit æqualis in actu, eſt tamen æqualis in virtute: ſicut ſemen arborum, in quo eſt virtus ad totam arborem. Et quidem charitatem patriæ actu futuram perfectiorem quã ſit charitas viæ, docet Aug. *li. 1 retr ca.* 27. vbi ſic habet, Eum ipſum quem cognoſcere volumus, hoc eſt, Deum, prius plena charitate diligamus: Melius diceretur, *inquit* ſyncera quã plena, ne forte putaretur charitatem Dei non futuram eſſe maiorẽ quãdo videbimus facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiatur quod dixi, Prius plena caritate diligamus, tanquam, plena dicta ſit qua maior eſſe non poſſit quamdiu ambulamus per fidẽ. Erit enim plenior, imo pleniſſima, ſed per ſpeciem. *hæc Aug.* Cui conforme eſt quod *Greg ait.* Menſura amoris minor eſt vbi adhuc mẽſura minor eſt cognitionis Sanctorum corda in charitatis amplitudine dilatata omnipotẽtẽ Deũ medullitus quidẽ diligunt, ſed tantũ diligere non poſſunt quantum debent, quia adhuc non valent videre quẽ diligũt.

S. Tho. 1. 2 q. 114. ar. 3. ad 3.

Greg ho. 22. in Eze.

2. De hoc amore qui hic incipitur, vt ex viſione Domini in æterna patria perficiatur, recte ſic Iſaias ait *viuit Dominus cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem.* Ignis paruus eſſe poteſt, *inquit*, ſed in camino vaſtior flãma ſuccenditur. Sion ſpeculatio, ſed Hieruſalem viſio pacis dicitur: pacem vero noſtram hic interim ſpeculamur, vt illic poſtmodum plene videamus. Ignis in Sion quia hic amoris eius flãmis aliquatenus ardemus, vbi de illo ait quid contemplamur, ſed ibi plene ardebimus, vbi illum plene videbimus quem diligimus, *hæc Greg.* Id confirmat & Aug. *de perfect. iuſtitia ratiocin.* 17. vbi ſic habet. Quotquot perfecti ſumus, id eſt, ait, quotquot perfecte currim⁹, hoc ſentia-

Iſa. 31.

mus quod nondum perfecti ſumus vt illic perficiamur quo perfecte adhuc currimus vt cum venerit quod perfectum eſt quod ex parte eſt deſtruatur, id eſt, non iam ex parte ſit, ſed ex toto, & caritas non auferatur ſed augeatur & impleatur: in qua plenitudine charitatis præceptum illud implebitur, *Diliges Deum ex toto corde.* Nam cum eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frenetur, non omni modo, nec omnimode ex tota anima Deus diligitur. *hæc Auguſt.*

3. NON negat *Auguſtinus.* Deum diligi in hac vita ex toto corde, ſed ait non omni modo ex tota anima eum diligi quãdiu eſt aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frenetur, quia caro non concupiſcit ſine anima: & ideo non eo modo nec ea plenitudine diligitur Deus in via, qua in patria: vbi præceptum dilectionis ſic à beatis impletur vt accuratam eius impletionẽ nihil deſiderari poſſit: vbi charitas ſic concupiſcentiam omnẽ abſumit vt nullus eius motus ſentiatur, ſed tota vis animæ in Deum feratur, idq; perfectiſſime quo poteſt & debet modo. Hic modus quia in noſtra poteſtate non eſt, ita præcepto de dilectione continetur vt ſub obligationem non cadat, culpæue cum faciat non obſeruatus, ſed tanquã finis præſcribatur ad quem piis deſideriis adniti debemus & bonis operibus: vt ipſe conatus proprie ſit in præcepto. Id quod diſertis verbis docet Aug. *de ſpiritu & litera cap.* 35. vbi ſic ait. Neq; enim ſi nondum poteſt eſſe tanta dilectio Dei, quanta eius cognitioni plenæ perfectæque debetur, iam culpæ deputandum eſt: Aliud enim eſt nõdum totam aſſequi charitatẽ, aliud nullam ſequi cupiditatem. Et ideo quando ibidem *ait Aug.* ad vitam beatam pertinere quod dicitur, *Diliges Deum ex toto corde tuo:* ad hanc autem, *Non regnet peccatum in mortali veſtro corpore ad obediendum deſideriis eius.* Perſpicuum eſt ad illam perfectam abſolutamq; præcepti impletionẽ eſſe referendum. Cum enim Deum nemo pefecte poſſit amare, qui non habuerit prius cognitam ad plenum eius bonitatem, Nos autem dum in mundo peregrinamur per ſpeculũ cernamus in ænigmate, ſequitur imperfectum eſſe noſtrum amorem reſpiciendo eius perfectionem & plenitudinẽ quæ in patria perficitur. Hinc tamen non recte quis intulerit hoc præceptum in hac vita non poſſe impleri, quia eo modo nec hominis in ſtatu integritatis dilectio erga Deum erat perfecta, quin tamen ex toto corde tunc Deum dilexerit nemini dubium eſſe poteſt.

4. SVA igitur amplitudine præceptũ hoc *Diliges Deum ex toto corde tuo*, complectitur perfectionem & viæ & patriæ: ſed prout eſt patriæ viatorib. non præcipitur dũtaxat quo conandum ſit vt perueniatur, oſtenditur. Neq; n. recte curritur niſi quo currendum ſit, & ad quem finem pergendum oſtendatur. Alio igitur modo beati in cælo præceptum hoc implent, alio modo homo in ſtatu integro: alio deniq; modo iuſtus in hoc ſeculo. Beati ſic implent vt nihil in eis deſideret Deus magis: primus homo ſic implebat, vt perfectus quidem eſſet viator, ſcilicet, tamen perfectus non eſſet comprehenſor: Iuſtus ſic implet in hoc ſeculo non quia continuo proficit, cadit n. etiam ipſe iuſtus ſepties in die, ſed quia facit præcipuum q; præcipitur, dum Deum præponit omnib. & nihil illi æqualiter diligit, nec quicquã ei ita curæ eſt q̃ vt Deum ex toto corde diligere poſſit: Quomodo & Dauid ait, *In toto corde meo Deum quæſiui.* Id autẽ in quo deficit dũ venialiter delinquit qui diligit, dum culpam agnoſcit & ingemiſcit, Deus condonat & ignoſcit: quando autẽ quod non fit ignoſcitur, totum impletum cenſetur, *teſte Aug.*

5. ID igitur fundamenti loco ſtet, donũ charitatis minus in via quam ſit in patria: id quod & ex eo patet quod *Matth.* 11. dicit Dominus, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, qui autem minor eſt in regno cælorum maior eſt illo.* Quem locum exponens *Hier. ſic ait.* Nos autem ſimpliciter intelligamus quod omnis ſan-

ctus

ctus qui iam cum Domino eſt, ſit maior illo qui adhuc conſiſtit in prælio: aliud eſt enim victoriæ coronam poſſidere, aliud adhuc in acie dimicare. Si minor in regno cœlorum maior eſt Ioanne Baptiſta, ergo minima caritas beatorum maior eſt ſumma caritate viatorum, etiam ipſius Ioannis Baptiſtæ, de quo Saluator teſtatur quod non ſurrexerit inter natos mulierum maior eo: Quia tam magnus quiſque eſt, *inquit Bernard.* quam eſt ipſius caritas magna: Si nulla ſit tua caritas, nullus & nihil ante Deum eris: ſi parua ſit tua caritas, paruus eris & tu: ſi magna erit, magnus & tu eris *hæc Bernar.* & *Thom.* diſertis & expreſſis verbis docet & ait, quod caritas viæ nunquam poſſit pertingere ad æqualitatem caritatis patriæ quantumcunque augeatur: Sic enim habet, Caritas viæ per augmentum non poteſt peruenire ad æqualitatem caritatis patriæ propter differentiam quæ eſt ex parte cauſæ: viſio enim eſt quædam cauſa amoris: Deus autem quanto perfectus cognoſcitur, tanto perfectius amatur. *hæc Tho.* Deum autem perfectius cognoſci in futura vita quam in præſenti, patet ex Paulo 1. Cor. 13. *videmus nunc per ſpeculum,* inquit, *in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Quem locum explicans *Anſelmus ſic* ait, In caligine præſentis vitæ videmus per ſpeculum. quia cognoſcimus Deum per imaginem ſuam, in ſpeculo enim cernitur imago: Speculum eſt anima rationalis, quia nos ſumus imago Dei: in cuius conſideratione aliquo modo videmus Deum, ſed obſcure, ænigma enim obſcura allegoria eſt, vbi difficile patet intellectus: vbi autem facile quippiam intelligitur non eſt ænigma. Sed in futuro ſeculo manifeſte eum videbimus facie ad faciem ſine aliqua re interpoſita: In nullo enim membro tam bene cognoſcitur quiſque, ſicut in facie, *hæc Anſel.*

D. Tho. 3. 2. q. 67. ar. 6. ad 3.

Et inde fiet quod in beatis ex quo iam facti ſunt beati, non augebitur caritas amplius, quia non augebitur cognitio amplius.

6. Cæterum quamuis minima caritas patriæ maior ſit maxima caritate viæ, ſiue donum ipſum reſpicias, ſiue ipſius actum: virtute tamen maior eſſe poteſt caritas patriæ: teſtis eſt D. Tho. 1. *p. q.* 117. 2. *ad* 3. vbi ſic ait. Aliqui homines etiam in ſtatu viæ ſunt maiores aliquibus angelis, non quidem actu, quia hoc modo etiam ſupremi homines ſubduntur infimis angelorum, iuxta illud, *Qui minor eſt in regno cœlorum maior eſt illo:* ſed virtute, inquantum, ſcilicet, habent caritatem, tantæ virtutis vt poſſint mereri maiorem beatudinis gradũ quã quidam angeli habeant. Sicut ſi dicamus ſemen alicuius magnæ arboris eſſe maius virtute quam aliquã paruam arborem, cum tamẽ multo minus ſit in actu. *hæc Tho.* Quemadmodum igitur in ſeminali ratione omnia implicite cõtinẽtur quæcunque explicite poſtea inde depromuntur: In glãde enim & radix, & trũcus, & caudex, & rami, & flores, & folia & fructus, & cætera omnia quæcumque in quercu reperiũtur, ita dicit *Tho.* quod caritas viæ poſſit eſſe maior caritate patriæ, nõ quidẽ actu, ſed virtute, quę virtus plene explicabitur & ad effectum deducetur in futura vita, quãdo gratia quæ hic meretur augeri, aucta merebitur & perfici, perficietur autem cum tempus retributionis aduenerit.

7. Neque enim hoc dicendum, vt quidam ſuſpicantur, augmentũ caritatis dari ad quẽlibet actum, quamuis quolibet actu quis illud mereri poſſit, quia poteſt præceſſiſſe meritum & ſubſequi premium ſuo tempore dandum. Id ſicut manifeſte patet in retributione futuræ gloriæ quæ merces eſt bonorum operum, ita & in plenitudine caritatis ac gratiæ, quæ & ipſa præmiũ erit præcedentium meritorum: Quamquã enim eadem ſit futura caritas patriæ, quæ nunc eſt viæ, quia teſte Paulo, *caritas nunquam excidit,* in futuro tamen ſeculo tanto futura eſt eminentior atque excellentior & gratia ſeu caritas & gloria, quanto ipſa

[illegible] in hac vita fuerit auctior & maior, idque certa quadam proportione ſiue [illegible] [illegible], vt ſi fu[illegible] hic octo graduum, ibi futura ſit aut vt ſedecim aut viginti. Nam quanquã meritum virtute adæquet ipſum præmium ſeu mercedem, merces tamen ipſa actu ſeu ſecundum ſubſtantiam conſiderata infinitis partibus excedet ipſum meritum iuxta illud Lucæ 6. *Menſuram bonam confertam & coagitatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.*

8. CVM enim gloria, caritas & gloria futuri ſeculi in caritate ſeu gratia huius vitæ contineantur ſicut fructus ſemine (vnde & bona opera ex huiuſmodi caritate facta ſemini comparantur, iuxta illud Pauli, *Qui ſeminat in benedictione, de benedictione & metet, &* Dauid, *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cũ exultatione portantes manipulos ſuos*) Sicut fructus dum proueniunt multis modis excedunt ipſum ſemen & numero, & ſubſtantia & excellentia, ita & gratia futuri ſeculi gratiam huius viæ. Quo fit etiam vt quanquam caritas patriæ in infimo ordine angelorum maior ſit actu, maxima caritate viæ, vt dictum eſt & probatum, caritas tamen viæ aliqua caritate patriæ maior ſit non quidem actu, ſed virtute: qua qui præditi fuerint maiorem beatitudinis gradum & merentur & conſequentur, quam habeant quidam angeli. Neque enim hoc dicendum quod quamuis caritas angelorum etiam infimi ordinis maior ſit actu caritate quorumcumque viatorum, viatores omnes conſtituendi ſint in gloria infra infimum ordinẽ angelorum, ſed quiſque ad illum gradum gloriæ ſiue infimum, ſiue medium, ſiue ſupremum aſſumetur, quo per caritatem ſuam dignus inuenietur.

V. An quolibet actu augeatur caritas?

1. SED id quod ſupra diximus ex *Thoma* augmentum charitatis non dari ad quemlibet actum, quamuis quolibet actu quis illud mereri poſſit, paulo latius & clarius explicandum eſt. Hic inprimis [illegible] non ſic actum charitatis augere charitatem, ſicut ignis igni appoſitus efficit ipſum maiorem & calidiorem, quia actus non tam [illegible] ſui aut propria virtute augeat caritatem, quum à ſolo Deo ea infundatur, quam quod ipſe operans mereatur vt Deus intuitu bonorum ſuorum operum ei retribuat aliquod caritatis augmentum tanquam certum premium ſuo tempore dandum. Quo fit vt qui feruide vna duntaxat hora in vinea Domini operantur plus mercedis interdum conſequantur, quam qui pondus diei tulerunt & æſtum, & tepide multa caritatis opera per totum vitæ ſuæ decurſum peregerunt.

2. DISCIMVS itaque ex *Thoma* & cũ *Thoma* charitatem non augeri niſi actu tali qui intenſior ſit ipſa charitate: ſi autem negligenter fiat ipſum non augere. Sic autem habet Tho. 1. 2. *q.* 52. *a.* 3. Charitas vnico actu augetur tunc quando fit toto conatu, non autem aliter: ſi intenſio actus proportionaliter æquetur intenſioni habitus, vel etiam ſuperexcedat, quilibet actus vel auget habitum, vel diſponit ad augmentũ ipſius vt loquamur de augmẽto habituum ad ſimilitudinẽ augmenti animalis, non enim quodlibet alimentũ aſſumptum actu auget animal, ſicut nec quælibet gutta cauat lapidem, ſed multiplicato alimento tandem fit augmentum. Ita etiam multiplicatis actibus creſcit habitus. Si vero intenſio actus proportionaliter deficiat ab intenſione habitus, cũ vſus habituum in voluntate hominis conſiſtat, ſicut contingit quod aliquis habens habitũ non vtitur illo, vel etiam actum agit contrarium, ita quoque poteſt contingere vt vtatur habitu ſecundum actum nõ reſpondentem proportionaliter intenſioni habitus, tũc talis actus non diſponit ad augmentum habitus, ſed magis ad diminutionem ipſius. *hæc Tho.* Idem 2. 2. *q.* 24. *ar.* 6. ſic habet: Spirituale charitatis augmentũ quodãmodo ſimile eſt corporali augmento augmentũ autẽ corporale in animalib. & plantis nõ eſt motus cõtinuus, ita

ſcili-

ſcilicet quod ſi aliquid tantum augetur in toto tempore, neceſſe ſit quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur, ſicut contingit in motu locali: Sed per aliquod tempus natura operatur diſponens ad augmentum & nihil augens actu. & poſtmodum producit in effectum id, ad quod diſpoſuerat, augēdo ipſum animal vel plantā in actu. Ita etiā, *inquit*, nō quolibet actu caritatis caritas augetur, ſed quilibet act⁹ caritatis diſponit ad charitatis augmentum, in quantum ex vno actu caritatis homo redditur prōptior iterum ad agendum ſecundum caritatem, & habilitate creſcente homo prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, quo conatur ad caritatis profectum, & tunc charitas augetur in actu.

3. SICVT & in generatione virtutis acquiſitæ non quilibet actus virtuoſus cōplet generationem virtutis, ſed quilibet operatur ad eam diſponens, & vltimus qui eſt perfectior agens in virtute omnium præcedentium, reducit eam in actum, ſicut fit etiam in multis guttis lapidem cauātibus, & hactenus dicit Bernar. *ſer. 2. de purific.* quod in via Dei ſtare ſit retrocedere: & id quod *Hiero.* ait, Qui non proficit deficit: non quod quicumque mouetur actu caritatis procedat ſic in via Dei vt quolibet actu charitatis charitas augeatur, ſed quia in viis Dei procedit aliquis non ſolum dum actu charitas eius augetur, ſed etiam dū diſponitur ad eius augmentum, verum licet quodlibet actu non augeatur charitas, meretur tamen quilibet actus caritatis augmentū, ſicut meretur & vitam æternā, non quidem ſtatim, ſed ſuo tempore exhibendam. *hactenus Thomas*, cuius doctrinam & ſcripturis ſanctis & Patribus conformem ac proinde non ſolum probabilem, ſed & veriſſimam exiſtimamus.

4. EST itaque diligenter hic aduertendum quod quiſquis verum caritatis ac gratiæ ſpiritualis incrementum percipere volet eum conſtanter admodum & ſtabiliter in ea laborare atque operā ponere oportere. Et quia conſtat pleroſq; mortalium tepidos admodum ac deſides eſſe, nec facile huc poſſe adduci gratiam vt quærāt toto ex corde, ſed adeo remiſſe ac negligenter viuant, vt pene nihil vigoris, nihil vitæ ſpiritualis habere videantur; hinc vt plurimum accidit vt plus iſti damni quam lucri faciant, & plus deficiant quam proficiant: quoniam haud aliter viuunt quam deſides opifices manuarii, quorum omne emolumentum ex manibus mox in ventrem proiicitur, nec quicquam ſibi reponunt, imo vero quotidie æs conflant alienū, vt tandem vix ſint ſoluendo. Eadem plane ratione & iſti de quibus agimus, homines tepidi & ſocordes vix ipſa ſua debita perſoluūt quæ apud Deū indies contrahunt, cū & plurima negligant bona, & innumera admittāt peccata, ſepties enim in die cadit etiam iuſtus, & in multis offēdimus omnes, quorum exigua ſubſequitur pœnitentia. De his Salomō ait Prouer. 18. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo frater eſt opera ſua diſſipantis.* Adeo enim inſenſibiles efficiuntur erga ſpiritualia bona, vt nihil eos afficiant quæcūque ſunt diuina, orant ſine animi ſenſu, meditantur & legunt ſine fructu, cogitata, dicta & facta leuiter examinant, ſolatiola ex vanis rumoribus auidius emēdicant, ad otia aſpirant, ab omnibus honorifice tractari volunt, ſe plus æquo laborare in animum inducunt. Et licet fortaſſis perexigua hæc quibuſdā videantur mala, maxima tamen detrimenta hæc parua adferunt mala. Multa namque tametſi in ſeipſis non admodum mala ſint, magna tamen bona impediunt, vt non ſine cauſa dixerit Sapiens, *Qui mollis eſt in opere ſuo. frater eſt opera ſua diſſipantis.* Sicut mercator quiſpiam, ſi dū nundinæ aguntur, abeat deambulatum, non quidem malum eſt tantum quod agit, ſed magnum lucrum eſt quod negligit.

5. QVAPROPTER qui gratiā deperditā recuperare cupit, nequaquam ei ſufficere debet peccata ſua obiter & leui, con-

confeſſione percurrere, orationem dominicam, & roſarium aut ſeptem pſalmos pœnitentiales, pulchre puerorum inſtar ore edicere: ſed ea potius animo voluit atque reuoluat, quę cor durum emolliant? frigidum pectus caritate inflamment. Multoties contingit vt intellectus quidē præcedat, ſed nullus ſequatur aut non niſi tardus affectus, vt enim lignum viride non facile flammam concipit, ſic nec affectus hominis cupiditate oppletus concipere poteſt ſcintillam caritatis, niſi quis eiuſcemodi res & materias mente pertractare conſueuerit, quæ cor ad amorem accendant. Quod ſi qui proficiendi ſtudium in ſe flaceſcere ſenſerit, animum ſupinum non renouauerit atque reſumpſerit, eo paulatim deueniet vt robur ſpiritus ac vires ſenſim ſine ſenſu amittat. Et idem tum ei quod ligno carioſo eueniet, quod etſi integrum videtur extrinſecus, pondere tamen impoſito frangitur, & caſu ipſo oſtendit quid vitii ante in ipſo lateret. Neque enim exiſtimandum eſt cum ruinæ alicuius cernuntur, tum incipere damnum, ſed antea *comederant alieni robur eius & ipſe neſciebat*, prout loquitur Ozeas.

6. Cæterum qui gratiam deperditā recuperare cupit, ſummopere ei neceſſarium eſt vt nihil negligenter agat, nec tepide Deo ſeruiat, ſed ad bona omnia pro ſtatus ſui conditione feruenti ſpiritu animum applicet, vt quicquid illi faciendum incubuerit, ſiue corporale ſit, ſiue ſpirituale, ſiue opus externum ſiue internum, id omne animo prompto abſque mora exequatur, imitator factus fortis illius mulieris quæ *panem otioſa non comedit*, ſed *de nocte ſurrexit & dedit cibaria domeſticis ſuis*, Prouerb. 31. Maxime vero eam gratiam ſibi comparandam ſtatuat, quæ præſenti ipſius conditioni vnice neceſſaria ſit: vt ſi in pœnitentiam ſtadio adhuc degat, improbam ſuam vitam, peccatorum ſuorum grauitatem, turpitudinem & multitudinem diligenter inſpiciat, ſimul & ſeueram Dei iuſtitiam & pœnarum acerbitatem peccatoribus & peccatis præparatam conſideret, vt hac conſideratione ſeſe ad Dei timorem & cordis contritionem excitet: Cui tamen conſiderationi ſimul & diuinæ bonitatis ac miſericordiæ contemplatio eſt adiungenda, vt hinc ſpem atque fiduciam veniæ impetrandæ concipiat, & animum deiectum aliquantulum erigat: eadem ratione qui ſummum iam obtinet feruidæ caritatis gradum, & per meditationem diuinam, quatenus licet videt & guſtat quod ſuauis ſit Dominus, ſuos interim nonnunquam deflectet oculos ad propriam imbecillitatem & præterita peccata, ac quotidianas culpas, vt hoc ſe modo in humilitate contineat, vt à ſuperbia ac elationis ſpiritu præſeruetur.

7. Contingit interdum quantumuis ſedulam in exercitio vitæ ſpiritualis ac profectu poſuerit operam quis, nō tamen pro voto omnia ſuccedere, ſed ſubinde conatum ſentire aridum & omnis ſpiritus expertem: nihilominus non ſe omni mercede fruſtrandū exiſtimet quiſquis is fuerit, maxime ſi cordis illius ariditas nō ſuo vitio, ſed alto Dei iudicio eueniat. Dulcis namque affectio eſt velut præmium noſtri laboris, quam Deus ſuo largitur arbitratu, neque in hominis ſita eſt poteſtate, nec in præcepto eſt. Nihilominus ſi quis pio in labore perſeuerauerit, ſentiet is paulatim in ſe gratiam Dei inſtar auroræ conſurgentem. *Iuſtorum ſemita*, inquit Sapiens *quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad* Prou. 4.
perfectum diem.

Cumque quis hanc ſpiritus dulcedinē percepiſſe ſe ſenſerit, non hinc magnifice de ſe ſentiat, tāquam mira ſanctitate polleat, cū hinc profectus hominis, aut amor Dei quantus ſit, reuera internoſci nō poſſit: vt enim catellis nonnunquam è filiorū cibis quippiam offertur, iuxta quod dicitur, *Nam & catelli comedunt de menſa Dominorum ſuorum*, Marci 7. itē ſerui ex his, quibus Domini veſcuntur, non quidem ex ipſorum dignitate, ſed Dominorum ſuorū beneficentia & liberalitate. Ita & Dominus

minus infimis suis amicis, & incipientibus gratiam hanc sensibilis consolationis, & deuotionis interdum elargitur copiosius, quo sic eos ad se alliciat & è mũdi blandimentis extrahat, quam præcipuis suis amicis non nisi post magnos labores tribuere solet.

8. HINC autem præcipue gratiæ incrementum & spiritus profectum colligere & internoscere quis potest, si in tribulationibus, constans & fortis permanserit animo, in tentationibus prouidus ne ab iis præoccupetur, in conuersatione sua humanus, in opere sibi iniũcto obsequiosus, ac in cæteris Dei mandatis obseruandis diligens, & obtemperans. Beatus ille qui eam iniuit gratiam & hanc cum Deo contraxit amicitiam vt in quouis suo opere eius sentiat directionem, & in corde suo velut in libro scriptum inueniat, quid omittere, quid agere, quoue modo & quando debeat. Ii enim filii Dei sunt qui sic spiritu Dei aguntur, vt in iis compleatur quod dicit Dominus, *vos non estis qui loquimini sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*. Itaque qui quantum virtutis corraserit, quantumque in gratia diuina profecerit, intelligere voluerit, vexatio intellectũ dabit: Qualem enim tempore tentationis aut tribulationis te inueneris, talẽ te esse memineris, *inquit Bernardus*. Qui tentatus variis desideriis æstuat, irarum procellis instar maris in aduersitatibus tumeat, iam metu concidat, iam vero lætitia leuiter exultet, quis talem puerili spiritu in præceps rapi nõ dixerit? Sed qui pacem habet, non quam foris à subditorũ obsequiis extorquet, verum quam intus inconcussa mentis tranquillitate inter cupiditatũ feruores & aduersitatum fragores, seruat: is specimen veræ virtutis præ se fert. Vera enim & perfecta virtus perfectam habet animæ tranquillitatem & totius hominis stabilitatem, qui nec metu turbetur, nec terrore concutiatur, nec vlla cupiditate exagitetur, sed quasi in littore tutissimo aduersus insurgentes secularium procellarum fluctus ac tempestates mentem fida statione conseruat immobilem: vbi cor impii velut mare quod feruet quiescere nescit, dum plus affligitur prauis animi motibus in pectore, quam plærique alienis vulneribus in corpore.

9. PAX ista quæ cupiditatum malarum excludit illecebras, ac passionum noxiarum mitigat perturbationes, sublimior est & eminentior quam quæ barbaricos hostiũ sedat incursus. Plus est enim clausum intra te hostem supprimere, quam remotum & longius à te dissitum reprimere. Et hæc quidem pax externa Imperatoris industria procuratur, illam vero internam Christianis mentibus Christus inuexit, eamq; animis electorum suorũ instillauit. De qua pace sic Paulus ad Philip. 4. *Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra*. Et apud Isaiam *Sabbatum delicatũ vocaberis Domino Deo tuo*. Hoc illis proprie dicitur qui ab omnibus curis terrenisq; negotiis ac molestiis expediti, cum Deo requiescũt in pace & festum diem cum eo agunt. Hęc pax exuperat omnem sensum, omnẽ voluptatẽ carnis & illecebras mundi vincit non solum præstantia & dignitate, sed etiam suauitate & delectatione, idque infinitis partibus.

10. PORRO quod postremo hoc loco adiciendum est, Non satis est si virtutum exercitiis quam possis diligentissime incumbas, nisi his omnibus cõtinuum orationis spiritum coniunxeris, quo ex Deo tanquam fonte viuo crebertimam diuinæ consolationis copiam haurias, & diuinæ directionis & protectionis gratiam impetres. Quandoquidem enim ante actæ vitæ cõsuetudo corroborata est in malo, inanium cogitationum concursu facile euertũtur conatus nostri, nisi misericordia Dei fulciantur, & vigore spiritus eius elumbes hominis vires restaurentur. Hoc fundamentum quia non posuerunt Philosophi, Pytagoras, Solõ, Socrates, Plato & id genus alii, sed propria industria proprioq; labore euadere nitebantur in viros bonos,

bonos, sicut quidam eorum ait, Ego mea virtute meis præluxi maioribus: & alius quidã, Det vitam, det opes Iupiter, æquũ mihi animum ipse parabo: virtutis quidem vmbram ac similitudinem habitu, moribus, doctrinis præ se ferebant, ad veram autem & solidam ac viuam virtutẽ, non perueniebant. Quin & Paulus asserit idipsum accidisse Iudæis legem Dei edoctis, cum ad Rom. ait, *Israel sectando legem iustitiæ in legem iustitiæ non peruenit, quare? quia nõ ex fide, sed quasi ex operibus*, hoc est, quia dum bene operari viderẽtur id quod faciebant ex solis naturæ viribus faciebant, & non ex spiritu Christi qui viuificat nostra opera & per fidem impetrari debet: huiusmodi virtutum opera solis naturæ viribus facta erant mortua quia spiritu Christi viuificante & caritate destituta, sicut proles nascitur mortua cui non inest vita aut anima.

Cap. 9.

PARS III.

De dilectione proximi.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Matth. 22.

Summa Articulorum qui hic explicantur.

I. *Quid proximi dilectio includat, & cur proximus diligendus.*

II *Etiam inimicus diligendus: & de variis causis è quibus dilectio oritur.*

III. *Varia & multæ vtilitates dilectionis: & cur tanta raritas diligentium.*

IV. *Non omnes æqualiter licet similiter sunt diligendi.*

ART. I. Quid dilectio proximi includat. &c. hæc Aug.

1. DILECTIO duo hæc includit, affectum beneuolentiæ & effectum beneficentiæ, illum includit caritas, hunc exigit necessitas, quæ si non sit, nec effectus beneficentiæ erit, tamen non ideo dilectio non erit, aut cessabit. Nullus sit miser cui subuenias, nullus sit nudus quẽ vestias, non sint inimici quos concilies, quo modo in futura vita misericordiæ cessabũt opera, vbi nulli miseri erunt, nũ ideo caritas non erit, aut otiosa erit? Nequaquã. Non enim debemus optare esse miseros vt possimus exercere opera misericordiæ, sed beneuolentia delectat animam, & multo fœlicius & syncere magis amamus beatum cui nihil deest, quã miserum. Dum n. miserum diligimus, & diligẽdo benefacimus, ad hoc id agimus vt miser esse desinat & beatus fiat, sicut medicus ægrotũ curat vt sanus fiat. Quod si eũ semper ægrotare velit, vt ex eius curatione plus lucri reportet, non ægrotũ sed suum lucrũ amat: sic qui ignarũ docet, si id agit vt eũ sua ignorãtia liberet, caritate id facere censendus est, quæ nõ quærit quæ sua sunt, sed quę illius quem diligit: si ipsum semper ignarũ manere velit, quo ipse magis emineat, & doctior appareat, nõ proximi salutem, sed suam gloriã quærit & amat. Et sæpe in dilectionis imagine erga proximum animus fallitur, *ait Greg.* seque hunc diligere æstimat, si eius vitæ contrarius nõ existat: sed dilectionis vim occulte & veraciter profectus proximi probat, aut calamitas, si enim de prosperitate animus contrahitur, & de casu proximi lætatur, constat quia nõ amat quem non vult esse meliorem. Hoc syncere & integræ caritatis est, *inquit Chrys.* quando quis non propter se iuuat aut instruit, aut præcipit, sed omnis eius diligentia in dilecti vtilitatem impenditur, iuuat non vt aliquid accipiat, sed magis vt tribuat, non vt sibi, sed vt alteri bene sit: qui iuuat sed propter suam vtilitatem, minus syncera est eius dilectio, quia quem iuuat, siue docendo, siue regendo, semper inscium & inopem manere cupit vt nunquam sua vtilitate priuetur. Caritas itaque primo atque præcipue in interno mentis affectu consistit, vt ei quem diligimus non solum bene velimus & benefaciamus, sed vt erga ipsum sic nos affectos sentiamus per quandam mentis vnionem, vt ex duobus quasi vnus animus videatur conflatus.

2. Sed

2. SED hic notandum quod dilectio proximi gradus habeat lõgo etiam internallo inter se distinctos atque distantes, cum alia sit plenior atque perfectior, alia vero minus plena & admodum imperfecta: Et secundum quod caritas fuerit magis perfecta aut minus, secundum hoc inclinat hominem magis vel minus ad dilectionis actum, obseruata tamen proportione rei amatæ, si enim melior diligat minus bonum quanquam eum diligat secundum quod diligi debet & secũdum quod amabilis est, meliorem tamẽ amplius diligit: & cum is qui minus bonus est meliorem diligit, nõ tantum diligit quantum diligi debet, quia caritas eius minus perfecta est. Est autem initium caritatis bene alicui velle, & vrgente aliqua necessitate officio suo in iuuando, proximo non deesse. Et ad hanc saltem imperfectam etiam inimici dilectionem (quia & is proximus est dicendus si non affectu & mutua caritate, tamen naturę cõmunione) omnes ex pręcepto tenentur: quemadmodum lex ipsa declarat Exod. 23. *Si occurras asino erranti inimici tui reduc eum*: & alibi, *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum*: & Prouer. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, sic enim congeres carbones super caput eius*, hoc est, sic & hoc agendi modo illum tui amore inflammabis, hoc tali erga ipsum officio prouocatus. Ad illam vero perfectam inimici dilectionem, quæ non expectat necessitatem benefaciendi ei, sed quærit occasionem eum iuuandi, & perinde sedula est erga eum ac propendens atque si nullę interuenirent inimicitiæ, modisque omnibus quibus potest hoc satagit vt ad redamandum ille prouocetur, eiusque saluti consulatur, non sic tenentur omnes vt qui eam non habeat, is iniustus esse censendus sit: tametsi ad eam pro nostra fragilitate sit connitendum, & humanum animum ad hunc affectum orando Deum, secumque agendo, luctandoque perducere longe fuerit consultissimum, teste Aug. *cap. 73. enchirid.*

3. OMNES homines, *inquit Hieron.* vicario inter se amore vult copulari Deus, vt id vnusquisque præstet alteri quod sibi ab omnibus præstari cupit: & præmium nobis pollicetur si nos inuicem diligamus, id est, *inquit*, si nobis ea præstemus inuicem quorum vicissim indigemus: Quotiescumque enim talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero seruari cupis, æquitatis viã tenes, seruans quod tibi præcipitur Matt. 7. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Cuius præcepti vires exprimens iungit ac dicit, *Hæc enim lex & prophetæ.* Cum enim infinitæ sint species partesque iustitiæ, quas non modo stylo persequi, sed cogitatione etiam capere difficillimum est, eas vna & breui sententia comprehendit omnes, quæ ad omnem cogitatum recogitetur, ne vel multitudine præceptorum te obrui, vel impossibilitate seu difficultate te premi causeris.

Quod si istius scripturæ semper memor fueris, nulli vnquam detrahes, magisque tuam vitam ordinare disces quam carpere alienam. Pauci admodum sunt qui huic vitio renuncient, raroq; inuenies qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam, vt aliorum reprehensione laudabiles ipsi appareant, tantaq; huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt in istud tamen quasi extremum diaboli laqueum incidant. hæc Hieron. *tom. 1. epist. ad Celan.*

4. PORRO cum tam serio nobis præcipit Deus vt proximum nostrum, hoc est, omnes diligamus, neminem à nostra dilectione secludamus, si enim vel vnum odio habemus caritate Dei nos vacuos declaramus omnes igitur similiter, licet quo ad effectum non æqualiter, sunt diligẽdi, & cũ omnibus prodesse non possimus, his potissimum consulendum est, *inquit August.* qui pro locorum vel temporum vel quarumlibet rerũ opportunitatib. strictius nobis Aug. lib. 1. c. 28. de doctrina Christ.

Digitized by Google

nobis quadam sorte iungũtur: Quod autem omnibus impendendam dilectionẽ, & doceat & præcipiat Dominus, facit dignitas & præstãtia animæ rationalis creatæ ad imaginem Dei quæ capax sit beatitudinis æternæ & visionis diuinæ, hæc vt omnibus obtingat & velle & quantũ in nobis est conniti debemus, & hoc est diligere proximum sicut seipsum, dum eum ad summum bonum, hoc est, ad Deum promouere & perducere cupimus, sicut nos ad eum peruenire desideramus. Qui vero Deum & propriam salutem non diligit, recte hominem diligere non potest, quia, *teste Aug.* cognitione & dilectione Dei pẽsamus res humanas, ne plus eis tribuamus quam modus earũ iustissimus postulat. Et necesse est vt aliter quã oportet humana æstimet qui diuina contemnit, nec hominẽ recte diligere nouit quisquis eũ non diligit qui hominem fecit, quomodo enim alteri possit esse verus amicus qui sibi est inimicus? sibi autẽ inimicus est qui diligit iniquitatem, & Deum contemnit. Sed qui Deum diligit, tanta vis amoris est, vt propter ipsum etiã amet quicquid ipsius est. Est tamen quod quempiã moueat, An Christus secundum quod homo omnem dilexerit hominẽ sicut seipsum: quod si sic, ergo omnibus vitam optauit, omnesque saluos fieri voluit: Sed non omnes salui fiunt, & ita non est factum quod optauit. Sed *sciendum* in Christo fuisse caritatem iuxta modum patriæ non viæ, eumque ordinem diligendi seruasse qui seruatur in patria non in viã. Qui autem in patria sunt, adeo iustitiæ Dei addicti sunt, vt nihil ipsis placeat nisi quod Deo placet: ac per hoc illorum tãtum salutem diligunt ac volunt, quos Deus vult saluari, eosque solos sicut se diligunt: Ita & Christus electos tantum sicut se dilexit, eorumque salutem optauit.

hæc Magister sententiar. li. 3. dist. 32.

5. ET quomodo caritas cuiquam negetur & non omnibus tam inimicis quam amicis impendatur, cum tanto maior acquiritur quanto pluribus impenditur? non enim sic impenditur caritas vt pecunia excepto namque quod impendendo hæc minuitur, illa augetur, etiam illo inter se differunt, quod cum pecuniam dederimus, tunc ei beneuolentiores erimus, si recipere non quæramus: non potest autem verus esse caritatis impensor, nisi fuerit benignus exactor, quoniam pecunia cum recipitur accedit cui datur, sed recedit à quo datur: caritas vero non solum apud eum crescit qui hanc ab eo quẽ diligit exigit etiamsi non recipit, sed etiam ille à quo eam recipit tunc incipit habere cum rependit, habendo enim impenditur non carendo, nec haberi potest nisi impendatur, nec impendi nisi habeatur. Sed quæ amicis secura rependitur, inimicis cauta impenditur: agit tamen quãtum potest vt ab inimicis etiam quibus pro malis bona retribuit, non simulato sed syncero beneuolentiæ affectu, id recipiat quod impendit, optamus quippe fieri amicum, quem veraciter diligimus inimicum, quia eum non diligimus nisi ipsum optemus fieri bonum, quod vtique non erit nisi amiserit inimicitiæ malum.

6. DIFFICILE est diligere inimicum quia in eo nihil reperitur quod hominem ad ipsius dilectionem permouere possit, sed solus Deus est ratio dilectionis illius: vnde Dei dilectio fortis esse ostenditur quando animum hominis vsque ad dilectionem inimici extendit, sicut virtus ignis tanto est fortior quanto in materiam minus combustibilem agere potest vehementius: vt propterea dicat August. quod diligere inimicum sit perfectorum filiorum Dei, diligere autem amicum est etiam caritatis imperfectæ. Non tamen melius est neque magis meritorium, neque Deo gratius diligere inimicum quam amicum, licet sit difficilius, quia sicut odisse amicum peius est quam odisse inimicum, ita ex opposito diligere amicum melius est quam diligere inimicũ, modo tamen amicus non diligatur propter seipsum solũ, tũc enim dilectio amici deficit à vera ratione caritatis quæ Deus est, & mercedẽ apud Deũ non habet, iuxta illud de

August. in Enchir. c. 173.

Matthæi

Matthæi 5. *Si diligitis eos qui vos diligunt quam mercedem habebitis?* Et hoc videtur tunc accidere quando sic amantur amici quod non diligantur inimici. Sed si amici diligantur non solum neq; præcipue quia amici sunt, sed propter Deum, tunc amicorum dilectio quia feruentior est, etiam melior est inimicorum dilectione, sicut ignis fortius agit in propinquiora quam in remotiora. Et quanquam difficilius sit diligere inimicum quam amicum, ideoque non nisi paucorum sit & perfectorum benefacere his qui se oderunt, non tamē est maioris meriti aut virtutis, quia plus facit ad rationem meriti, & virtutis bonum quam difficile, ille autem actus dilectionis censetur melior qui est feruentior.

II. Caute inimicus diligēdus: & vnde oriatur dilectio.

1. HIC TAMEN inter impium & inimicum est distinguendum: sunt enim quidam inimici qui tamen non sunt impij: & sunt nonnulli impij qui nobis specialiter non videntur inimici. Homo autem omnem inimicum quem tolerat etiam impium & iniquum putat, quia eius culpas apud cogitationem suam liuor accusator exaggerat. Quibuslibet vero flagitiis prematur, minus iniquus creditur, si aduersarius minime sentitur: Qua in re discernendum est, aliud esse quod nobis, aliud vero quod sibi & cæteris noster inimicus nocet, nam si aliis bonus est, sine nostra forsan culpa esse non potest nobis malus; nec vllo modo de eius ruina tunc gaudendum est, cuius nos solos certū est aduersa tolerasse. Euenire tamen potest, vt non amissa caritate & inimici nos ruina lætificet, & eius gloria nos contristet, cum & ruente eos quosdam bene erigi credimus, & proficiēte illo plerosq; iniuste opprimi formidamus, neq; enim tunc quid in ipso, sed quid de ipso circa alios agatur attendimus. Sed ad hæc seruanda valde necessarium est subtilissimæ discretionis examen, ne cum nostra odia exequimur, fallamur sub specie vtilitatis alienæ: cum enim noster ac multorum hostis perimitur, de ereptione proximorum potius, quam de inimici interitu necesse est vt animus lætetur, iuxta illud Psalmi 57. *Lætabitur Iustus cum viderit vindictam impiorū.* hæc Gregor.

hæc Greg. lib. 22. moral. cap. 11.

2. MVLTÆ sunt causæ ex quib. nascitur amor, & turpes quidem hic præteribimus, sed temporales quædam sunt, quædam & naturales quæ bonæ sunt & ipsæ, *inquit Chrys.* temporales quidem aut quia beneficio affectus est quisquam, aut quia vicinus est, aut quia eiusdem artificij est. Naturalis vt patris erga filium, fratris erga fratrem, vxoris erga maritum. Caritas vero spiritalis sola est admiranda & solida dilectio quæ reliquas omnes tanquam regina quędam excellit, ita vt reliquę nomen duntaxat dilectionis habeant, hæc vero tanquam ab ipso Deo ex cœlo descēdens animam à superis delapsam ad infera, ab inferis ad supera retrahit, quæ non corpus ipsum seu formam eius, sed animū primo, bonosq; illius mores respicit & amat, quæ neque illata iniuria subuertitur, quippe cum & pro persequentibus oret sicut Stephanus pro lapidantibus se Iudæis orabat, & Paulus pro persequentib. Iudæis cupiebat esse anathema à Christo: neq; ad eius conseruationem opus est externis vllis beneficiis, aut cōsuetudine seu familiaritate, quippe cū nō inde nascatur, sed ex cœlo descendens etiam in absentes & ignotos fertur. Etenim qui ideo factus est amicus, quia beneficium accepit, aut quia ex consuetudine seu familiaritate alteri adhæret, nisi hæc assidue continuentur, facile amicitia intercidit: vxor quoq; quando iurgia intercesserint amorem erga virum remittit: & filius si diu viderit parentem viuere, grauatur: in spiritali autem dilectione prorsus nihil horum est, nihil enim ex istis est vnde dissoluatur, quandoquidem neq; ex istis constat. Est autem & spiritalis & naturalis dilectionis hoc commune, & singulis proprium, vt quod pro se quisq; curat, idē faciat & pro altero, *hæc Chrys.* Est enim natura eius qui amat vt nihil æque velit atq; benefacere

iis quos amat, magis quã vt sibi benefiat, & dum gratificatur ei quem amat nõ vult tamen videri gratificari, sed hoc ita ex debito fieri: vbi caritas non fuerit, si quid beneficij impendimus, exprobramus, & quæ minuta sunt exaggeramus, & subinde cum nullum officium facimus aut beneficium conferimus, gratiam nobis deberi volumus.

3 CONSISTIT tamen caritas primo atq; præcipue in interno mentis affectu, vt nõ solum ei quem vehementer diligimus bene velimus, aut bonum aliquod optemus, sed vt erga ipsum per quandam mentis vnionem sic nos affectos sentiamus vt ex duobus quasi vnus animus conflatus videatur, vt quodcumq; vni acciderit, hoc alter sibi factum reputat. De germanis enim amicis loquor qui eiusdẽ sunt animi, qui feruenter amant: ne mihi vulgares illos amicos cogitantes, *inquit Chrysost.* & mensarum consortes, & salutatione tenus amicos sermone isto probari putetis. Sed hunc amicum hic describo cuius caritas eo excreuit vt si opus foret, & animam pro amico ponere paratus sit, sicut Paulus pro Thessalonicensibus cum ait, *Volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.* Nihil tali dilectione dulcius esse potest, nihil suauius, nihil vtilius, & si mille thesauros dixeris, *inquit Chrysost.* nihil tamen huic correspondebunt amori, quem qui habet gaudio perfunditur, & ineffabili voluptate cor repletur, & si duntaxat quem diligit, videt, animus alacris redditur. Quemadmodum enim splẽdida corpora in vicino loco splẽdoris sui vigorem emittunt, & oculos intuentium mirifice afficiunt, ita is qui eximio hoc amore spiritali diligitur gratiam suam non solum amantium animis, sed & locis quæ accesserit, indit, vt nobis satis insinuat Psalmista cum ait, *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.*

1. Thess. 2.

Hæc Chrysost. hom. 2. in 1. cap. ad Thess.

Psal. 132.

III. De vtilitate dilectionis, & cur tanta raritas diligentium?

1. ATQVI præter voluptatem adfert huiusmodi dilectio magnam insuper vtilitatem: ea enim fit vt vnus mille sint qui ea caritate inuicem se diligunt, & mille tanquam vnus: ea enim quæ quisque pro se dicere non audebit, amicus dicit, & quæ sibi præstare non poterit, alius & id & longe maiora præstabit: non enim suis tantum operatur manibus, sed & amicorum, neq; ipse sibi tantum curæ est, sed & omnibus amicis: si decem habet amicos, viginti manus habet & pedes: si inimicus in eum insurgat, decẽ in se prouocat, quod n. natura non potest, dilectio & amicitia potest, quæ quanto plures complectitur, tanto in se quisq; fit fortior & felicior: Si enim charitas vigeat non apud vnum aut alterum, sed æque ad omnes, tũ cernere eius virtutem posses, qui enim diligit omnes, terram sic inhabitat quasi in ipso cœlo versetur, plenus gaudio & tranquillitate & pace, & vbique, & cum omnibus fruens: vbi enim caritas præeminet & imperium tenet, non maleuolentia, non odium aut rixa, non cupiditas praua, non illicitus amor, non vlla deniq; iniquitas aut iniuria locum habet, quia sicut nemo sibi ipsi volens obest, sic nec alteri quem vt seipsum diligit, proinde nec forensi strepitu, nec pœnis, nec legibus opus foret.

2 VT ENIM Paulus testatur ad Corinth. 1. Cor. 13.
Caritas patiens est, quia quos diligimus etiam eorum iniurias libenter patimur, & si quid delinquant, operit caritas multitudinem peccatorum, caritas non æmulatur, quis enim ei inuidet quem amat? & si eum ad summum peruenisse honorem conspiciat, omnem eius fœlicitatem quasi suam libenter amplectitur: non est ambitiosa, quia in fratres non cupit dominari: non quærit quæ sua sunt, non quærit quod sibi tantum est vtile, sed quod multis: non irritatur, sc. ab eo quem diligit: non cogitat malum, non solum non facit, sed ne cogitat quidem, sed velut quædam frugi apicula bona vndiq; collecta in amantis animam

Digitized by Google

mam comportat, & cum obloqui cæteris dulce fere sit omnibus, illi molestum, honeste vero aliorũ meminisse, deq; omnib. bene sentire & bene loqui, iucundum esse facit, quia amice de amico loqui charoq; res est longe iucundissima: & quemadmodum qui pecuniã amant, sumptus oderũt, & esurire malunt quam aceruum minuere, ita quisquis vere diligit, quiduis ferat potius quam vt offendi videat amantem. Et talem charitatem à nobis requirit Paulus, non vulgarem, sed quæ nos inuicem coniungat, & eam vnitatem ita exactam præstet qualis est membri ad membrum. Ephes. 4. Sic enim ait ad Ephes. *Vnum corpus & vnus spiritus:* Cum enim dicit, vnũ corpus, per istud quomodo debeamus aliorum malis compati, & rursus aliorũ bonis nõ deiici, sed magis congaudere, ostendit: Talem mihi inter se fouisse charitatem videtur ij de quibus legimus in Actis, *Erat eis cor vnum & anima vna*, & nemo quicquã suũ esse dicebat, sed erant eis omnia communia: vt n. in cythara aut musica apte composita varias quidem voces habes, vnam tamen harmoniam ex variis vocib. resultantem, Sic vbi caritas multorum corda adunauit, singuli mirabilem de se emittũt suauitatem & seruant concordiam.

3 Verumenimvero tanta est hoc læuo huius eminentis raritas caritatis, vt vix quisquam inueniatur de cuius animo in hac vita sit securitas. Nec id mirum, cũ enim nemo alius alteri sic notus est sicut quisq; sibi, & tamen nec sibi quisq; ita notus est vt sit de sua crastina conuersatione securus, propter humani animi leuitatem atq; inconstantiam, Ideo quamuis omnes & amicos & inimicos diligere teneamur, non omnib. tamen vt amicis solemus, cor nostrum & quicquid in illo est committere audemus. Agit insuper inimicus noster diabolus omnibus quibus potest modis vt hanc præclarissimam caritatis gemmam nobis eripiat, eiusq; scintillam penitus extinguat, dum oculos mentis male nobis aperit vt aliorum defectus cito cernamus, quibus ipsorum displicẽtiam, animiq; ab iis auersionem nobis ingerat, aut si id non possit, saltem in falsas suspiciones, quas de iis concipimus, & temerarium de proximo iudicium præcipitet: bonas autem eorum dotes non videamus aut certe paruipendamus, colligentes instar aranearũ venena ex eorum dictis & factis, quib. animum proprium inficimus & dulcissimo fraternę dilectionis fructu nosipsos priuamus & spoliari sinimus, nihil licet molesti sit his qui hostili in se sunt animo, sicut nihil iucundius iis qui syncera inuicem fruuntur amicitia & animi beneuolentia.

4 His accedit quod pleriq; mortalium non ad normam caritatis, sed cupiditatis vitam instituant, & plus terrenam substantiam, gloriam & voluptatem quam proximum ament. Et quoniam, inquies, modo? Ego tibi ostendam, *inquit Chrysost.* & velim equidem quæ dixero, deliramẽta potius sint, *inquit*, quam veritas ipsa, sed vereor ne verbis ipsis res consentiant. Dũ enim crapula distenti vẽtri omnino inseruimus & deliciis dissoluimur, Christum autem fame confectum ad nos venientem neq; pane dignamur, quomodo ipsum diligere censemur? Rursum dum huiusmodi Sathanica verba proferimus, quia me non curat nec ego curabo illum, quia me auersatur, auersabor & ego illum, & multi dũ huiusmodi verba proferunt etiam generosæ mentis indicium esse volunt, hæc interim sunt quæ caritatem scindunt & mẽbra iuncta diuellunt.

5 Quid ergo quis fecerit vt caritate aliis connectatur? nam reprehendere facile & cuiuis promptum. Hæc Chrysost. Oportebat igitur ostẽdi quomodo caritas efficiatur qua mẽbra diuulsa congregemus: neq; enim sufficit non esse inimicum, sed oportet esse dilectionis participem: neq; statim qui non odit diligit, qui inimicus non est, omnino amicus est, sed est medium quiddã, quod neq; ad amicitiam, neq; ad inimicitiam pertinet, in quo maxime constituta est erga nos maior pars hominum, sicut nec statim ridet qui non plorat, sed est media quædam conditio, vt igitur caritatem habeamus

beamus

oogle

beamus, non id obiter curemus, sed summo studio tanquam negotiationem longe quæstuosissimam. Primum igitur abiiciamus è medio ea quæ charitatem tollunt, nullus sit qui vltionē desideret, qui alteri inuideat, aut contemnat: neq; enim caritas esse potest, vbi est gloriæ vel lucri, vel vindictæ cupiditas, verum non sufficit tollere quod obest, adhibenda sunt etiam quæ charitatem constituant. Quænā sunt illa inquies? Dic mihi quid faciat amorem corporū? corporis forma & luculenta pulchritudo. Igitur & animas faciamus pulchras & virtute decoras ac bonas, & multos facile inueniemus amatores: nō enim solum oportet amare, sed & amari. Itaq; id agamus vt animi benignitate ac mentis placiditate influamus in affectū hominū, bonitas enim grata est omnibus, nihilq; quod tam facile illabatur in sensus humanos, præsertim si morum mansuetudine, & sermonum affabilitate modestiaq; iuuetur: Exhibeamus igitur nos ad colloquium faciles & dulces, honore inuicem præuenientes non expectemus vt prius honoremur, primatum aliis concedamus, nihil eorum quæ erga nos facta sunt malorum cogitemus, sed quid boni. Cæterū quanquam plerique magis velint amari quam amare, per hoc enim quod amatur quis, bonus esse probatur, quia solum bonum est amabile, omnes autem boni reputari volunt: Magis tamen amici laudātur ex hoc quod ament quam ex eo quod amentur: imo si amentur & non ament, vitio eis datur.

Ambr. lib. 2. offic. c. 7

IV. An omnes æqualiter diligendi.

1. CVM obiectū in quod fertur caritas sit ipsum bonum, quoquisq; melior fuerit, eo amplius diligi debet: fit tamen interdum vt id quod melius est minus diligatur, & minus bonum magis ametur, non quia melius sed quia notius. Et hoc modo argumentatur Ioannes, *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* non quasi proximus sit magis diligibilis, cum non æque sit bonus vt Deus, sed quia prius nobis diligendus occurrit: ex his n. quæ nouit animus discit ignota amare, licet illa minus bona sint quam ista. Non tamen ex sola bonitate in q̃ fertur caritas, ipsa suum desumit augmētum, vt quo quisq; melior fuerit eo amplius diligendus sit, alioqui quilibet proximum suum se meliorem teneretur plus diligere quam seipsum, quod verum non est, quia post Deum homo debet magis seipsum diligere quam quemcumq; alium: vnde & sancti in patria plus seipsos diligunt, quam alios beatiores seu meliores, eo quod gratia seu gloria non tollat naturam, sed perficiat. Omnia autē naturaliter plus se quam alia amant.

Ioan. 1. c. 4

Hæc Tho. 2. 2. q. 26 art. 12. 13.

2 PRO quo *notandum* quod duplex causa detur, ob quam aliquid plus minusve diligitur, *vna* quæ desumitur ex parte obiecti quod diligitur, quod quo melius fuerit, eo magis diligi debet. *Altera* desumitur ex parte subiecti, secundum quam rationem illud magis diligitur quod secundum naturam magis coniunctum fuerit, sicut pater magis amat filium licet minus bonum quam extraneum licet meliorem: Sunt enim duo principia caritatis, gratia scil. & natura, quibus quo magis quisque appropinquat eo amplius diligi debet: cū autem non omnes se æqualiter habeant, neq; ad Deum neq; ad naturam, ideo neq; omnes æqualiter diligendi sunt. Deus n. qui suauiter omnia disponit & in operib. gratiæ & in operibus naturæ hunc solet seruare modum vt inclinationem amoris tanto indat alicui ad rem aliquam maiorē ac vehementiorem, quanto res talis ab eo præ cæteris amplius iuuari debet, ita scil. vt ad eos intensiorem caritatis affectum habeamus quibus conuenit & decet nos magis beneficos esse. Amor naturalis intensionem suā habet ex parte subiecti diligentis, vnde fit vt propinquiores magis diligamus licet minus bonos, quam extraneos licet meliores, quia natura duce & Deo sic disponēte quisq; magis tenetur prouidere suis sibi sanguine iunctis, quam extraneis: & vt id promptius & libentius agat, indidit ei Deus vehementiorem naturæ

[illegible]ræ amorem ad sanguine sibi iunctos quam extraneos.

3. QVOAD donum charitatis autem, quæ vnicuique à Deo confertur vt mentem suam in Deum referat, eo quisq; magis diligitur, quo Deo coniunctior reperitur, & ideo plus diligimus meliorem quam coniunctiorem quoad naturam, plus S. Petrum, quam proprium filium aut propriũ patrẽ, quia vehementior est dilectio chari[illegible] quam amoris naturalis, si vtraque qualitas in eodem gradu reperta fuerit, vnde Prouer. 18. *vir amicabilis ad societatem*

Amb. li. 1. off. c. 7. *magis erit amicus quam frater* Et *Amb.* Nõ minus vos diligo quos in Euangelio genui, quam si in cõiugio suscepissem. Quia tamen amor naturalis penitius cordi infixus est, quam charitas quæ plerumq; exigua est apud eos potissimum qui magis ductũ naturæ quã instinctum spiritus sequũtur, ideo intẽsiori affectu diligimus filios ad illud bonum, ad quos omnes diligimus, sicut mater filiorũ Sebedæi, quã meliores ad maius bonum, non quia ex charitate sunt diligendi, sed quia plurib. modis eos diligimus, ad eos enim qui non sunt nobis sanguine aut familiaritate iuncti, non habemus nisi dilectionem charitatis, ad propinquos autẽ etiã naturæ virtus concurrit, quæ sæpe fortius agit præsertim charitati iuncta, quã charitas sola.

4. PORRO quia gratia aut etiam gloria nõ tollit naturam sed perficit, ideo non solũ in hac vita, sed etiam in futura gloria parentes naturaliter diligent filios; & contra, non enim cessabunt, *inquit Thomas* ab animo beati honestæ dilectionis causæ. Tamen omnibus istis rationibus & modis præfertur incomparabiliter ratio dilectionis quæ sumitur ex propinquitate ad Deũ, qua fiet vt is plus diligatur qui melior & beatior erit. Raro inueniuntur, *inquit*

Chrys. ho. 61. in Mat. *Chrys.* qui principaliter propter Christum charitate proximo iunguntur, cõplures enim videmus alias quasdam causas amicitiæ quærere: Nã alius amat quia redamatur: alius quia honore afficitur: alius quia vtilitati sibi esse aut fore hominẽ putat: Christi vero causa difficillime quem inuenies, qui amicum vt oportet dili[illegible] sed omnes fere vinculo secularium [illegible] vincuntur.

5. SOLET autem Deus, qui miro ord[ine] cuncta dispensat, aut flagellis aut etiã [fe]lici rerum temporalium successu, hominem sæpenumero probare, quantum in charitate ipsius, aut etiã proximi sui, profecerit, aut quam ab ea longe sit, *inquit*

Gregorius, cum enim quosdam temporaliter flagellat, in eorum cordibus quæ mala latent, ostendit: Nam plerunque ipsi nos miseros insequuntur, qui nos fœlices coluerunt: cum vero quis positus in prosperitate diligitur, incertum valde est vtrum prosperitas an persona diligatur: amissio autem facultatis interrogat vim dilectionis: ait enim Ecclesiast. cap. 12. *Non agnoscitur in bonis amicus, & non absconditur in malis inimicus*: qui enim ex aduersitate proximum despicit, aperte conuincitur quod hunc in prosperitate non amauit, *hæc Greg.* Qui caducis & instabilibus causis copulantur, eorum coniunctio perpetua esse non potest: qui enim amat quoniã redamatur, si quid minus iucundum ab amico ad eum profectum fuerit, facile amicitia dissoluetur. Qui vero Christi charitate amicis iungitur, nunquam ab amando desistit, etiãsi odio habeatur, & contemnatur, imo & interficiatur, non enim amat quia redamatur, aut beneficiis afficitur, sed sufficiens sibi ad amandum Christus causa est, qui præcipit vt & inimicos diligamus. *hæc Chrys. vbi supra.*

Greg. mor. [illegible]

6. HIC tamen notandum *ex Augustino* quod charitas mox, vt nascatur non protinus ita sit perfecta vt diligens paratus sit etiã animam ponere pro amico, hoc perfectorum est, de quib. *Chrys.* sed charitas cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita roboratur: cum fuerit roborata perficitur: cum autem ad perfectionẽ venerit quid facit, amat etiam à quibus occiditur: & si quis tantã habuerit charitatẽ vt paratus sit etiam pro fratrib. mori, perfecta est in illo charitas. Sic n. a[mat] verus amator. Et

hæc Aug [tr]act. 5 in epist. Ioa.

ipse impendat pro animabus vestris. Dicis forte. Quomodo potero habere istã charitatem sic perfectam?ne de cito desperes. Forte nata est, sed nondum perfecta est: nutri eam ne suffocetur: Si roges vnde? audi Apostolum. Qui habuerit facultates mundi & viderit fratrem suum esurientẽ, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo poterit dilectio Dei manere in eo? Ecce inde incipit, inde nutritur charitas, si esurientem pascas, si nudũ vestias, si mœstos consoleris, si ignorantes doceas, si pro tẽpore & loco modo hęc, modo illa præstes, sed etsi effecta cessent charitatis, charitas tamen intus nunquam intermittatur.

Aug. ep. Io. tract. 7. 7. DILIGE ergo & fac quod vis, *ait August.* quia nemo potest habere charitatẽ & esse malus. Siue igitur taceas, dilectione taceas, siue loquaris dilectione loquaris, siue castiges, dilectione castiges, siue parcas sic quoq; non nisi dilectione parcas, dilectione inquam non tui ipsius sed Dei & proximi tui. Si vultis seruare charitatem ante omnia ne puteis eam abiectam & desidiosam, nec quandam mansuetudinem, imo non mansuetudine sed remissione & negligentia seruari charitatem. Non sic seruatur, *ait Aug.* neq. putes tunc te amare filium tuũ quando eum errantem non corripis, nõ est ista charitas sed languor: ferueat charitas ad corrigendum si sint mali mores: amor dũ corrigit sæuit sed sine felle, sine amaritudine more columbino, nã & columba dum rostro & pennis pro nido pugnat, sine amaritudine sæuit quia fel non habet. Sed quia proximo subuenit non solum charitas, sed & cupiditas & iactantia, examinet quisq; cor suũ cur proximo subueniat, an propter laudem quam expetit, tũc nõ in veritate diligit, an vero quia motus misericordia vt pauperis inopiam subleuet, charitas fratris salutem quærit.

PARS IV.

Quid vobis videtur de Christo, cuius Filius est? At illi dicunt Dauid.

Matth. 22.

Summa Articulorum IV. Partis.

I. *Quomodo Christus simul sit & Dominus & filius Dauidis. Et quid includat in se hoc nomen Christus.*

II. *Quinam sint inimici Christi, & quas inimicitias aduersus eum exerceant.*

III. *Quomodo Dominus ponat inimicos suos scabellum pedum suorum.*

I.

1 CHRISTVS non solum Deus, nec solum homo sed Deus & homo dicitur, quia & diuinam naturam & humanam vni personæ iunctam implicat: Et Dominus quatenus Deus Dominus dicitur Dauidis, & in quantum homo filius est eiusdẽ. Pharisæi autem quia non credebant Christum Deum, capere nõ poterant quomodo diceretur Dominus Dauidis: agnoscebant tamen tum ex scripturis tum ex traditione, quod filius Dauidis & Abrahæ futurus esset quib. promissio facta erat quod ex ipsis Messias oriundus foret. Nã ad Abraham dictum erat, *in semine tuo benedicentur omnes gentes: semen autem erat Christus* inquit Paulus *ad Galat.* 3. Et ad *Heb.* 2. *Semen Abrahæ apprehendit*, hoc est, factus est homo ex semine Abrahæ. Hic *Chrysostom. hom.* 5. *ad Heb.* quærit. Cur non dixerit, Hominis naturam suscepit ex semine Abrahæ, sed apprehendit? Profecto, *inquit* metaphora insequentium eos qui fugiũt, hæc dicuntur, & omnia faciunt vt fugientes apprehendant: Fugientem quippe ipsum & ante ipsum naturam humanam & longe fugientem (eramus enim longe) insecutus apprehendit: videbat quippe fugientes, imo & pereuntes, & à morte tyrannidem patientes, & misertus eorum insecutus est eos & apprehendit; venit medicus

Quomodo Christus sit & Dominus & filius &c.

ficus ad ægrotos, vt ex ipsa magnitudine dignationis eius intelligeremus nostri morbi quantitatem, ita enim languebat q; ..tofus vt medicum adire non posset, vt inde nõ modo periculũ ęgritudinis innotesceret, sed & varietas morborũ ex multitudine remediorum pateficret: Venit enim Redemptor ad venditos vt eos redimat; vita ad errantes vt eos reducat, vita ad mortuos vt eos viuificet, & ad propriç dignitatis originẽ reuocet, hæc *Bernardus*.

Serm. 5. de Adu.

2. NASCIMVR vniuersi ignari, fragiles & captiui: Et quia ignari sumus discernere volumus inter bonum & malum facile decipimur. Et quia fragiles, præpedimur vt etiamsi bonum sciamus, illud perficere nõ valeamus: Postremo captiui sub pessimo crudelissimoque tyranno, vt licet prudentes essemus atq; robusti, ipsa tamen miseræ seruitutis opprimemur conditione. Nunquid non misericordia & miseratio neopus habet tanta miseria? Necessarius certe Christi aduentus, vt qui est sapientia patris, illuminet cœcitatem nostrã: vt qui est virtus Dei, adiuuet infirmitatem nostrã. Si ille nos illuminet quis decipiet? Si Deus pro nobis quis contra nos? Si ille adiuuet, omnia poterimus in illo qui confortat nos. Quod si iam salui facti sumus ab hac triplici miseria nostra per eum qui factus est nobis sapientia, virtus & redẽptio, quanta nobis vigilantia opus est, ne forte quod absit inueniãtur nostra nouissima peiora prioribus, si denuo contingat iram incendere, vtpote qui non natura iã, sed ꝓpria volũtate filii irę sumus *hæc Bern.*

Serm. 2. de Purif.

3. ATQVI virtutes hæ & plures aliæ nobis insinuantur in hoc nomine Christus, quod idem sonat quod vnctus. Est enim inter oleum & nomen Christi similitudo in triplici olei qualitate, *teste Bern.* quia oleum dum ignẽ fouet lux est: dũ carnẽ nutrit, cibus est: dum dolorẽ lenit medicina est. Sic nomen Christi prædicatum lucet & illuminat: recogitatum pascit: inuocatum vngit & lenit. Vnde putas in toto orbe tanta & tã subita lux fidei, nisi de prędicato Christo Iesu. *Fuistis aliquando tenebræ,*

Serm. 15. in Cant.

inquit Paul. ad Eph. 5. *nunc autem lux in Domino.* Tenebræ sunt ipsa ... quando quis nescit malũ id esse quod facit, v. g. apud Gentiles fornicatio, ... & similia non reputabantur opera mala. Venit Christus & illuminat tenebras nostras ostendendo malitiam & turpitudinẽ peccati, & erubescit ac confunditur homo in iis in quib. prius gloriabatur. Sic & cibus est nomẽ Christi: nihil ... ita roborat bonos mores, fouet affectiones ac mentem cogitantis impinguat, vt nomen Christus. Aridus est omnis animæ cibus *inquit Bern.* si nõ perfundatur isto oleo. Si scribas si disputes, si conferas, non sapit mihi nisi sonuerit ibi Iesus Christus. Est & medicina: Si constringeris duritia cordis, si obrepat ignauiæ tepor, aut animæ rancor, vel acediæ languor, inuoca, id est, magno desiderio in te voca Iesum, continuo erumpet fons lachrymarum, succedet vigor, adueniet affectus suauior: Cui in periculis trepidanti, inuocatum virtutis nomen nõ statim fiduciam præstitit, depulit metum? Nimirum morbi & languores animæ isti sunt, illud medicina. Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restinguit luxuriç fluxum, extinguit libidinis flãmam, sitim temperat auaritiæ, ac nomen Iesu inuocatum, qui & suo me exemplo sanat, & roborat adiutorio. Exemplum mihi sumo de homine, auxilium a potente expecto: si quidem dum nomino Iesum hominem mihi propono benignum, misericordem & omni virtute conspicuum, eundemq; ipsum Deum omnipotentem.

4. CAETERVM sicut inclusum in vase aliquo vnguentũ cohibet odorẽ suũ & vim suã intra se retinet vt ad alios peruenire nõ possit: cũ v. de vase illo quo claudebat̃ fuerit effusũ, longe lateq; diffundit̃ virtus & odor ipsi⁹, ita & Christi nomẽ *ait Amb.* ante eius aduentũ in populo Israel quasi in vase aliquo Iudæorũ mentib. claudebatur *Notus enim in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius.* Magnum quidem & tũc nomẽ eius cũ paucorum hæreret angustiis:

Amb. l. 1. de Sp. S. c. 9.

ſtus: ſed magnitudinem ſui nondum per corda gentium & in fines totius orbis effuderat, vt iam tempore noui teſtamenti, quando impletur quod olim Salomon Cant. 1. prædixit, *oleum effuſum nomen tuum*. Vtinam & in vulnera animæ meæ effundatur hoc oleum diuinæ gratiæ & miſericordiæ tuæ Domine Ieſu, vt virtutis olei huius particeps factus, qui chriſtianus dicor nomine, ſim talis & ipſa re, *vnxit te ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, quando gratia Spiritus ſancti infuſa eſt animæ tuæ, quando verbum caro factũ eſt, non ad menſurã ſicut prophetis, ſed ſubſtantialis plenitudo ipſius verbi Dei indita eſt ei, nõ n ad menſuram dat Deus ſpiritum, *Ioa.* 3. Dicitur autem hoc oleũ, *oleũ lætitiæ*, quia animam Chriſti in ſua incarnatione mirum in modum exhilarauit, quando in vtero virginali Deus coniunctus eſt carni & caro adhæſit Deo vt eſſet vnus Chriſtus, eãq; ſibi ita coniunxerit, vt non ſolum inſeparabiliter & diuinitati inhæſerit, ſed etiam pro motu eius & voluntate cũcta peregerit, vt ſicut vmbra corporis noſtri inſeparabilis eſt à corpore, & indeclinabiliter motus ac geſtus corporis ſuſcipit & gerit. Sic anima Chriſti inſeparabiliter inhæret diuinitati, & pro directione ac voluntate eius omnia ſua fecit & facit

1. Dæmones ſunt inimici Chriſti. 1. DIABOLVS oſor hominis eſt, inquit Baſil. *hom* 21. *ex variis* quoniam & aduerſus Deum rebellis eſt, cumq; odit & contemnit. Vbi vidit hominem ad ipſius imaginem factum, cum non poſſet in auctorem ipſum, quem prius oderat & ante omnes lędere cupit, in eius imaginem ſuã exercuit malignitatẽ. Veluti ſi quis homo quando Regem inimicum attingere non valet, eius ſimulachrum confringeret. Res certa eſt, inter animalia hominibus inimicam, inimiciſſimum eſſe pardum. Quam feræ ferocitatẽ deludere quærunt, hominis imaginem ei ex charta oſtendunt: Illa ſtatim furibunda eam diſcerpit atq; dilacerat, hoc argumento ſatis oſtendens, quãta ſit eius aduerſus hominẽ inimicitia. Sic & diabolus in Dei imagine, quo ſit [illegible] Deũ odio oſtendit, & quandoquidẽ Deum ipſum attingere nequit contra hominem ad Dei imaginem factum bellum exitiale ſuſcipit. Et ſi tantum nocere poſſet, quantum vult, nullus iuſtorum in terra remaneret, inquit Aug. *in pſal.* 61. explicans illa verba, *Quia poteſtas Dei eſt*. Eſt n. diabolo poteſtas cui ſuper terram nemo reſiſtere poſſet, *teſte Iob*. ſed poteſtas iſta ſub poteſtate Dei eſt, quo fit vt plerumq; nocere velit & non poſſit. Ad menſuram n. permittitur tentare diabolus, & tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodeſt vt exercearis, vt proberis, vt qui te neſciebas à teipſo inuenaris, iuxta illud Apoſtoli. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari* 2. Cor. 10. *ſupra id quod poteſtis*. Et pſalmiſta pſal. 103. *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi*. Quem locum explicans *Aug.* ſic ait. Catuli leonum ſunt angeli diaboli. Quærunt ſibi eſcã quando tentaut: ſed quia nõ accedunt, niſi Deus dederit eis poteſtatem, ideo dictum eſt. *Quærentes à Deo eſcã ſibi*: Petiuit Iob tentandum quęrens à Deo eſcam ſibi vt eum deuoraret, & accepit tẽtandum, ſed non opprimendum, accepit non euertendum, ſed probandum.

2. DIABOLVS ad homines perdẽdos variis vtitur mediis ſecundum vniuſcuiuſq; conditionem & inclinationem. Et quidem cum Iob tentaret & affligeret, ne Iob ſuſpicaretur diabolum valere quod ei immiſiſſe, dixit, *Ignis cecidit de cœlo & abſumpſit oues tuas & pueros: ventus venit ab auſtro & ruina occidit filios*: Illis verbis Deum incuſabat, & nihil aliud ſuſpicari poterat Iob niſi quod Deus in illum ipſos dolores cœlitus immiſiſſet. Hinc Iob ait, *Dominus dedit Dominus abſtulit*. Quæ verba exponens Origin. in 1. cap. Iob ait. Si Iob ſciuiſſet quia diabolus cum illo hoc bellum faciebat, & quod malignus inimicus ei has calamitates immiſiſſet, omnino ipſas tentationes contempſiſſet, & in deriſione illum habens aperte aduerſus apertum

[illegible] nunc autem cum di- [illegible] C[illegible] *de cælo & consumpsit tuos,* [illegible] Iob suspicari poterat nisi quod Deus illi ipsos dolores cœlitus immisisset? Quæ omnia diabolus disponebat vt sic B. Iob ad blasphemiam prouocaret. Sic peccatores, teste Dauide psal. 10. *intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Hic peccatores de occulto sagittantes, dæmones

Hom.3.in [illegible] inuisibiles dicit, *inquit Orige.* qui quædam habent iacula fornicationis, alia auaritiæ, item spicula iactantiæ & inanis gloriæ, quibus quam plurimi vulnerantur.

Psal. 90. 3. SED hic notandum quod quædam sagittæ volent in die quædam vero in tenebris, quędam tentationes sunt satis notæ & manifestæ, vt cum quis irruit in manifesta scelera, quædam vero valde subtiles sunt, ita vt confixam se anima ab eis sauciatamque vix sentiat. Quandoquidē enim nemo, vt Chrysost. ait, *homi. 37. in Matthæ.* repente ad extremam improbitatem insiliat, habet enim anima insitum quendam pudorem atque innatum, quem subito proiicere non potest, sed sensim atque paulatim ex negligentia perit: Cum videt diabolus à manifestis vitiis nos abhorrere, facit vt ex bonis operibus insflentur homines, & ad humanam spectent gloriam, quo scilicet à vera eos gloria faciat excidere. Et à minimis plerumque incipit quæ vix percipiuntur, vt paulatim & veluti insensibiliter ad peiora pertrahat. Hoc intueri licet in ipso Cain, cui non cōfestim fratris cædem suggessit, ne magnitudine sceleris commotus tam scelestum facinus abominaretur, sed prius persuasit deteriora offerre, docens nullum id esse peccatum: deinde inuidiæ veneno infecit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadet, ita sensim in eum illapsus tandem ad cædem fratris impuit. Itaque innumeras excogitat artes veterator malorum diabolus, vt vel paruum inueniat aditum in corde humano quo sic quicquid in nobis est spiritualium diuitiarum deprædetur.

Quapropter [illegible] cem pertigerimus, non [illegible] terum delictorum, exemplo eius qui [illegible] cebat, non sum dignus vocari A[illegible] quo sic & humiles & timorati [illegible] effecti facilius euitemus insidias diaboli.

4. NON de nihilo est quod hostis noster diabolus nunc leo dicatur, nunc draco in scripturis sanctis. Nam cum aperte sæuit, leo dicitur, inquit *August. psalm. 30.* cū vero occulte insidiatur draco vocatur. Aperte sęuiebat in martyres, occulte insidiatur per hæreticos dum sub specie verbi Dei persuadet errores. Et sicut martyribus opus erat aduersus leonem patientia, sic aduersus draconem opus est vigilantia, quia magis metuendus est cum fallit quā cum sæuit: apertum malum fremitus leonis à longe auditur, à longe cauetur, sed lubricus draco applicat se occultis lapsibus. Hinc Paulus nos monet, vt non circumueniamur à sathana: neque enim illius cogitationes ignoramus. In quem locū 2.Cor.4.
Chrysost. sic ait, Non ignoramus cogitationes eius, inquit, quod scilicet sub pietatis specie perdat & fallat. Non enim solum illiciendo ad stuprum, verum & diuersa ratione potest exitium adferre, puta aut immodico pœnitentiæ dolore, aut ficta humilitate & pietate. Nam omnes species iustitiæ quas habent serui Dei in veritate, possunt habere & serui diaboli in simulatione, teste auctore *in imper. ho. 4. in Matth.* Habet enim diabolus & ficte humiles & mansuetos, & castos & eleemosynarios, & omnem speciem boni quā creauit Deus ad salutem, ipsam speciem & diabolus induxit ad seductionem: si dat eleemosynam caritas dat & cupiditas: vt inter bonum verū & simulatū bonum cōfusio fiat, vt simplices homines qui boni veri & boni simulati differentiā intelligere non possunt, dū quęrunt bonos Dei viros incurrant in seductores diaboli: solam autē caritatem Spiritus sancti non potest spiritus immundus imitari. Per peccatum nos sibi vsurpare diaboli propriū est, non Homil. 4

item per virtutem aut pœnitentiam, quod hæc sint nostra arma non illius. Confide ra autem quam turpiter vincemur, si per nostra nos arma vincat, quod est vehemēter ridiculum, & extremū dedecoris. *Hæc Chrysosto.*

hæc Greg. lib. 11. mor. c. 17. 5. HOSTIS noster tanta se arte palliat, *inquit Gregorius*, vt plerumque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, vt inde quisque quasi expectet pręmia vnde dignus est æterna inuenire tormenta. Plerumque enim in vlciscendis iniuriis [illegible] ira iusti zeli meritum creditur [illegible] à distortis moribus peccantes cautè & prudenter reuocari & dirigi de[illegible], violenta inflexione & correptione [illegible] corriguntur vel franguntur. E contra [illegible] dissoluta remissio quasi mansuetudo ac pietas putatur, & dum plusquam decet delinquentibus temporaliter parcitur, ad æterna supplicia crudeliter seruantur.

Nonnunquam tenacia parcitas putatur, & cum graue sit vitium non tribuere, virtus creditur accepta retinere: Sæpe malorum pertinacia constantia dicitur, & dum mens à prauitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur. Aliquando vocis superbia, veri libertas æstimatur, & cum per elationem veritati contradicitur, loquendi procacitas veritatis defensio putatur: Plerumque pigritia quasi tranquilla quies suscipitur, & cum grauis culpæ sit recta studiose non agere magnæ virtutis meritum creditur à praua tantum actione cessare. Igitur cum culpa velut virtus suscipitur, tanto tardius mens vitium suum deserit, quanto hoc quod perpetrat minus erubescit, & tanto mens tardius vitium deserit, quanto per virtutis speciem decepta, præmiorum etiam de eo retributionem quærit. *Hæc Gregorius*. Itaque sicut venena non dantur nisi melle circumlita; sic vitia non decipiunt nisi sub specie vmbraque virtutum. *inquit Hieron.* diabolus enim vt peccatum homini persuadeat fuco virtutum id agit.

Epist. [illegible] Tom. 1.

6. O quam multiplices & in[illegible] insidiæ eius, loquitur pacem cum [illegible] ne, & mala in cordibus eius. Nam vt Gregor. ait aliquando quasi pium quid hostis insidians simulat, vt ad malum exitum [illegible] ducat, vt si culpam per disciplinam plecti & castigari impediat, quatenus quæ hic non castigatur igne gehennæ seruatur. Interdum imaginem humilitatis ostendit vt effectū vtilitatis subtrahat, sicut dū quosdā plusquā sunt infimos & inutiles suggerit atque persuadet. vt dum se nimis in dignos æstimant, officia in quibus prodesse proximis poterant, administrare pertimescant.

Rursum sit quis qui rebus propriis cōtentus decreuit nullis mundi huius occupari aut implicari, metuens ne quietē suā perdat, & cum peccatis lucra accumulet: Ad hunc callidus serpens veniens suggerit. An non & terrena actio potest peragi, & tamē in actione culpa declinari & si sollicitudo prouido cesset parare q̀ deest, deesse poterit citius q̀ adest. Hæc blandiens ingerit, & interim in negotio terreno peccati laqueos occultat: iuxta illud Iob. 18. *Abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam.* Decipula super semitā ponitur, *inquit Gregorius*, quando peccati laqueus in actione absconditur, & in terra pedica eius absconditur, Gregor. lib. 14.
quando sub terrenis commodis culpa occultatur, quæ non facile deciperet si mortalis videri posset. Sic autem pedica in terra cap. 5.
absconditur, dum lucrum cū culpa, velut esca cum hamo, proponitur atque obiicitur, & sic per escam, quam videt, hoc est per lucrum cui inhiat, in culpam cadit quā non videt.

7. ALIVS non solum decreuit terrena lucra non quærere, sed etiam cunctis quæ possidet, renunciare, vt in discipulatu cœlestis magisterii tanto liberius se exerceat, quāto & expeditior redditus ea quæ possidentem premerere poterāt deserens calcat.

Huius cor hostis insidiis occulta suggestione inquietat dicens, vnde hæc [illegible] teme

temeritatis exorta audacia, vt credere audeas quod omnia relinquendo te enutrire valeas? An non plerique & terrena patrimonia nequaquam deserunt, & tamen ex his per misericordiæ opera supernæ sortis bona æterna mercantur & promerentur? Hæc blandiens suggerit, vt cor seductum ad exteriora blandimenta pertrahat, & initiata perfectionis vota peruertat. Altas dum propriam voluntatē frangere parat, vt cūcta quæ sibi agenda sunt ex alieno arbitrio peragat: Quem hostis callidus virulenta suggestione sic aggreditur dicens: O quāta per temetipsum miranda agere posses, si nequaquam alterius iudicio te subdas: cur profectum tuū sub studio meliorationis imminuis? Qui ergo tibi ad bene viuendum plene sufficis, alienum super te iudicium cur requiris. Hæc blandiens suggerit vt calcaneo hominis meliora proponentis insidietur. Quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus actionis designatur? *inquit Gregor.* Maligni ergo spiritus calcaneum obseruant cum actionis bonæ intentionem & finem corrumpere nituntur.

8. Dixit Dominus ad serpentem Gē. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen mulieris, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Quæ inuicem contraria sunt & inimica, *inquit Chrysost. explicans hunc locum*, nunquam sine pernicie & impune iunguntur, vt enim neque lupus agnum, neque hædum pardus patitur, sic & mulieris venenū fuit serpentis colloquiū: cū enim serpenti respondet & promittenti credit, colloquio eius interimitur. Quod si dum separamur ab illo, nocet, qualis erga nos esse poterit, si ei contra edictum Domini copulemur, & familiari colloquio colloquamur; Meminerimus dicti illius, *Ipsa conteret caput tuum:* ipsa obseruabit tentationis tuæ initium, vt à cordis aditu repellatur; Recordemur & vocis illius quam dū sacris instrueremur, emisimus, *Abrenuncio tibi Satana & omnibus pompis tuis.* Nihil hac voce rutius si ipsā per opera ex[illegible] hæc enim vox confœderatio cum [illegible]no est. Sine hoc verbo nunquam in foru[m] prodeas, *inquit Chrysost.* sed cum es ianuæ vestibula transgressurus, hoc, prius loquere verbum, Abrenuntio tibi Satana, & cōiungor tibi Christe, & cum hoc verbo crucem fronti imprime, sic enim diabolus nil te lædere poterit, sed e contra cum grauissime torquebis, vt enim cum Iob tentaret in id incumbebat vt grauissima afflictione in eum illata cum ad Deum blasphemandum & maledicendum induceret: & e contra non blasphemiam in Deū, sed confessionem & gratiarum actionem à Iob audiuit, *Dominus abstulit*, inquit, *sit nomen Domini benedictum:* quæ verba magis affligebant ipsum dæmonem, quam sagittæ dæmonis ipsum Iob. Ita bona opera nostra; gratiarum actio, oratio, humilitas nostra, dæmonis renunciatio, grauior est ipsi dæmoni, quam sit nobis grauis tentatio inimici, teste *Bernardo serm. 3. in dedi.*

1. Hoc dicitur non solum quia in die iudicii eos sibi plene atq; perfecte subiiciet, ita vt vlterius ei nequaquam resistere valeant, verūetiam quia ipsorū machinationibus quibus iā in eū insurgunt, sic vtitur, vt per eas, tā ipse in persona sua, quam in suis membris, ad altiorē gloriam sit euehēdus: Quo enim Christus & martyres eius à suis inimicis plura perpessi sūt, eo apud Deū maiorem gloriā promeruerunt & assecuti sunt. Et hoc est quod pater filio promittit dicēs, Sede a dexteris meis: esto particeps eiusdē gloriæ, cuius & ego: Rex esto omniū tam in cœlis quā in terris existentiū. Omnes enim Christo subiiciūtur & boni & mali, sed diuersimode: Boni enim sponte se subiiciunt, cumque Dominum ac Regem suum agnoscunt: Mali inuiti subduntur ei. De his dicitur Ezech 20. *In brachio extento, & manu forti & in furore effuso regnabo super vos*, quia in virga ferrea reget eos & tanquam vas figuli confringet eos, vt nulla sit spes reparandæ salu-

III. Quomodo Dominus ponat inimicos suos scabellum pedum suorum.

tis amplius. De aliis autem ſcriptum eſt Iere. 29. *Non dominabuntur eis alieni amplius, ſed ſeruientes erunt Deo ſuo & Dauid Regi ſuo*, hoc eſt, Chriſto, & Ezech. 37. *Ero eis in Deum & Dauid ſeruus meus Princeps in medio eorum.*

2. DIABOLVS quoque Princeps dicitur ſed huius mundi; Ita enim legimus Ioan 12. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, ſcilicet ab animabus iuſtorum qui non diligunt mundum, cuius ille Princeps eſt, quia dominatur eis qui diligunt hunc mundum, qui amant terrena bona. Hoc enim illud eſt quod Dominus ad ſerpentem ait. *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, hoc eſt, ad te pertinebunt quos terrena cupiditate deceperis: Peccatores enim nomine terræ hic ſignificantur, hos comedere dicitur diabolus, quia ſic quod manducamus in nos traiicimus & in corpus noſtrum cõuertimus, vt cibus hoc efficiatur quod nos ſecundũ corpus ſumus, ſic per nequitiam, ſuperbiam & impietatem hoc efficitur quiſque quod eſt diabolus, id eſt, ſimilis illi quo ad mores. Hoc enim nobis innuit ſcriptura quæ ſic habet Iob. 20. *vadent & venient ſuper eum horribiles*, hoc eſt, inquit *Greg.* maligni ſpiritus hominem peccatorem, cui dominantur, in varia vitiorum genera præcipitabunt, vt dum ab vno liberatus videatur mox in aliud præcipitetur. Sæpenamque videas, iniquum graui furore commoueri, & quicquid ira ſuggerit exequi, & cum furor abſceſſerit & ad horã deſeruiſſe videatur, mox eius mentem luxuria deuaſtet, & cum luxuria ad tempus intermittitur, elatio protinus in eius cogitatione ſurrogetur. In cuius ergo mente vitia vitiis ſuccedunt, recte de eo dicitur, vadent & venient ſuper eum horribiles, quia quot vitiis decentibus & ſuccedentibus premitur, tot malignis ſpiritibus eius animus quaſi euntibus & redeuntibus vaſtatur. *hæc Gregorius* Et omnes beſtiæ agri ludunt ibi, quia cum mens iniqui nullum malum cogitando prætereat, nulla eſt beſtia agri, id eſt, nullus eſt ſpiritus immundus qui non paſcatur & ludat ibi, imo qui non illudat & irrideat eum, quia modo ficta promiſſione decipit dum tranſitoria gaudia quaſi manſura addicit, modò manſuras & æternas quaſi tranſitorias eleuat.

hæc Aug. lib. de agon. Chriſtia.

Gen. 3.

Gregor. lib. 15. moral. ca. 16.

3. HORVM immundorum ſpirituum illuſionem deprecatur pſalmiſta cum ait pſal. 14. *Deus meus in te confido non erubeſcã, neque irrideant me inimici mei.* Modus autẽ irridendi nos ipſius dæmonis eſt iſte, *inquit Orig.* Dum in nobis maculas peccatorũ, id eſt, ſuæ voluntati in ſignia deprehendit; dicit, Ecce hic Chriſtianus dicebatur, & ſigno Chriſti ſignabatur in fronte, meas autem voluntates gerebat in corde: ecce homo qui mihi & operibus meis renunciauit in baptiſmo meis rurſus operibus ſe inſeruit, meiſq; legibus paruit, liberari ergo ab omnibus iniquitatibus ſtudeamus, ne in die iudicii huiuſcemodi opprobriis inimici ſubiaceamus. Nam quãdiu peccatis ſubiacemus neceſſe eſt nos opprobrium ab accuſatore & inimico noſtro diabolo perferamus: & ſi inueniantur peccata noſtra nõ eſſe deleta, ſed ſcripta in nobis ſtilo ferreo ipſius dæmonis, per hęc ipſa quę geſſimus opprobrium ſuſtinebimus. Homil. 2. in pſal. 38.

Sicut enim bona quæq; ſcripta dicuntur non atramento ſed ſpiritu Dei viui, ita mala quæque ſcribuntur atramento & calamo ipſius diaboli. Hoc chirographum peccatorum noſtrorũ aduerſum nos diabolo adſtipulante conſcriptũ deleuit Dominus affigens illud cruci: ſicut antea prædixerat per Iſaiam Prophetam cap. 44. *Ecce deleo ſicut nebulam peccata tua, & vltra non ero memor.*

4. IDEO Deus meus ad te clamamus: libera nos ab aduerſario noſtro, & dele chirographum aduerſus nos conſcriptum: ſcuto circundat nos veritas tua, quia nos vndique bella circundant, ſiue enim comedamus, ſiue bibamus, ſiue dormiamus, ſiue vigilemus, ſiue quodcunque opus operemur, omnibus modis inſtat aduerſarius die ac nocte: nunc palã, nunc occulte ſagittas ſuas contra nos dirigit, vt interficiat

ciat animas noſtras. At quid ſcuto circundamur? *inquit Bernard.* niſi quia nos bella vndique circundant? Et hoc me vehementer terret, quod inter tanta pericula minus timorati, minus exercitati, minus quam neceſſe ſit ſolliciti ſimus. Siquidem vnum è duobus hæc noſtra negligentia probat, aut omnino nos traditos hoſtib. & neſcire, aut ſi inter hæc conſeruamur, ei qui tuetur nos, ingratos inueniri. *hæc Bernar.* Pars tua ſumus ô Domine quam tuliſti de manu Amorrhæi in gladio & arcu tuo: libera nos de manibus inimicorum noſtrorum. Gladius tuus ſermo viuus & efficax: arcus tuus crux in qua neruus carnis vehementer extenſus, vt corda in arcu ſolet. Pars ego tua ſumus & populus acquiſitionis tuæ, quem acquiſiuiſti verbo prædicationis & myſterio crucis, libera tu nos in gladio & arcu tuo: Non mittas puerum tuum cũ baculo ad ſuſcitandum mortuum, quo modo Elizeus præmiſit ſeruum ſuum, & non eſt ſuſcitat' neq; ſurrexit mortuus. 4. *Reg.* 4. Præmiſeras legem minantem & terrentem per ſeruum tuum Moyſen, ſed lex præmiſſa non viuificauit neque liberauit, *inquit Auguſt.* Elizæus ipſe figuram portans Domini venit ad iacentem mortuum & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri, aperuitque oculos & ſurrexit. Sic homo Chriſtus per omnia ſimilis factus eſt nobis, & incuruauit ſe quia humiliauit ſe, & ſe viuum mortuo coadaptauit, & homo factus mortuum ſuſcitauit, quod non potuit ſeruus per baculum, neque famulus Dei Moyſes per legem.

Bern. ſer. 2. in Feſto. S. Andreæ.

Conc. 2. in Pſal. 70.

DOMINICA XVIII.

POST PENTECOSTEN.

ET *aſcendens Ieſus in nauiculam tranſfretauit: & venit in ciuitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. &c.* Matth. 9.

Summa Articulorum huius Partis.

I. De pigritia & pigrorum conditionibus qui paralyticis recte comparantur.

II. Prius ſalutis animæ quam corporalis ſanitatis habenda eſt ratio.

III. Cur peculiariter fidei ſalus tribuitur: & quomodo Chriſtus hic Deus eſſe probatur.

PARS I.

ART. I. De pigritia & pigrorum conditionibus.

ET *ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.* Id paralyſis efficit vt paralyticus nec motum nec vſum ſuorum membrorum habeat: quæ ſi in pedibus fuerit non poteſt homo incedere: ſi in manibus non poterit operari: ſi in toto corpore tunc totus homo inſtar trunci iacet vt ſe mouere nequeat. Non incongrue acediam huic morbo comparaueris, quæ ita animum hominis eneruat, vt ei nihil agere libeat. Id enim agit peccatũ in anima, quod morb. aut mors in corpore, ideo peccatũ propter varios effectus ſeu potius defectus ex ipſo peccato prouenientes cõparatur nunc morti, nũc morbo, nunc cæcitati, nũc hydropiſi nunc paralyſi, nunc lepræ aut alicui alteri morbo. Porro inter omnes animæ ægritudines maxime lethalis eſt ea quæ inſenſibilitatẽ adducit, & longius a ſalute abeſt membrum quod obſtupuit: & ægrum ſe non ſentiens periculoſius laborat, *inquit Bern.* Sic inſenſibilis eſt & duri cordis, qui nec compũctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec precibus mouetur, minis nõ cedit, flagellis obduratur magis, ingrat' eſt

ad beneficia, sæuus ad iudicia, impauidus ad pericula. *hæc Bernard.* Eccles. 3. *Cor durum male habebit in nouissimo:* quia durum in morte reperiet Deum, quem in sua vita durum & rebellem inuenit Deus & iuste punitur hac pœna peccator, *ait August.* vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.

2. RECTE comparatur acedia seu pigritia & lythargiæ & paralysi: lythargiæ quidem, quia sicut lythargia facit hominem mori dormiendo & non sentire suam infirmitatem: sic ignauus dum per inertiã à bonis cessat operibus paulatim decidit & moritur etiam dum non sentit: Cũ enim ex innata nobis concupiscentia & corruptione naturæ quotidie fiat aliqua vitæ spiritualis deperditio, quisquis quod deperditur assidue non restaurauerit, tandem totus collabitur. *Pigredo immittit soporem,* inquit Sapiens, *& qui negligit vitam suam mortificabitur.* Id quod & in corpore nostro fieri videmus, vbi si nõ resarciatur per cibum & potum, quod per caloris actionẽ absumitur, non diu in vita subsistet homo: paralysi vero, quia sicut paralyticus nõ potest se mouere, nec habet vsum istius membri quod paralysi tactum est: sic homo piger & ignauus dum torpet, ei nihil boni agere lubet: & ideo sicut ferrũ quod vsu atque exercitio splẽdescit, rubigine absumitur si manet otiosum, & vt aquæ nisi moueantur fœtent & corrumpuntur, Ita homo vitiis repletur si otio tabescat, *Per agrum hominis pigri trãsiui,* inquit Sapiens *& per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrtica, & operuerãt superficiem eius spina,* vbi per vrticas ardorem concupiscentiæ intelligit: & per spinas, iræ, indignationis, amaritudinis, & similium malarum passionum punctiones: iis enim vitiis obnoxius solet esse omnis desidiosus. Nihil in profectu vitæ Christianæ otio deterius, *inquit Hieron. ad Demetriadem virginem,* quod non solum modo non acquirit noua, sed etiam parata consumit: Sanctæ vitæ ratio processu gaudet & crescit, cessatione deficit & torpescit: quotidianis ac recentibus virtutum incrementis mens est instauranda, sic enim melius ad perfectum peruenitur: tamdiu non relabimur retro, quamdiu ad priora cõtendimus. At vbi cepimus stare, descendimus, nostrumq; nõ progredi, retrogredi est. Cesset omnis ignauia, & inutilis de præterito labore securitas, si volumus non redire, currendum est. Apostolus de die in diẽ viuens Deo, non quid ante fecisset, sed quid facere deberet semper attendẽs dicebat, Non quod arbitror me comprehendisse, sed quæ sunt retro obliuiscens ad ea quæ sunt priora me extendo. Si Paulus adhuc crescit & proficit, qui Christum ita indutus erat, vt diceret, *viuo autẽ non ego, viuit vero in me Christus;* quid nos facere debemus, quibus optandum est vt in fine nostro Pauli principio comparemur. *hæc Hier.* Docet id nos creatura omnis & ignauiã declinandã, & profectui insistendũ: statutis enim temporib: astra cursum suum perficiũt, arbores fructus & folia producere nõ cessant, bestiæ fœtibus educandis incumbunt, & tam iis quam sibi victũ quærere satagunt: vt merito homini pigro proposuerit Sapiens formicam imitãdam cum ait, *Vade ad formicam ò piger, & disce sapientiam, & considera vias eius, quæ cum non habeat ducem aut præceptorem, congregat in æstate quod in hyeme comedat.*

3. CONQVERVNTVR multi se esse tepidos, nullamque suæ orationis sese sentire deuotionẽ, eo quod gratia eis desit: Potiori iure conqueritur de nobis Dominus, se factores bonorum operum non inuenire per quæ gratia solet obtineri: desideramus omnes esse boni & beati, & opera quæ nos bonos & beatos efficere possent, non facimus, eo quod laborem subterfugiamus, nobisque competit quod Sapiens ait *vult & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur:* vult piger finem, & non vult amplecti media quæ ducũt ad finem, vult esse doctus & non vult studere, vult esse pius & non vult incũbere precibus, perinde atque si quis metere vellet,

Margin notes: Prou. 19. — Prou. 24. — Prou. 6. — Prou. 13.

& nol-

te nollet seminare, & ideo non est perfecta volūtas, sed duntaxat quędam velleitas. Patres olim vt assiduo labore acediam expugnarent, quæ otio, somnolentia, ventris ingluuie mirum in modum fouetur, nihil sui temporis otiosum relinquebant, sed quamlibet horam suo operi coaptabant, lectioni succedebat oratio, orationi lectio, vtrique autem vtilis & fructuosa actio: est enim etiam in operibus pietatis vicissitudo permiscenda. Cum vero ætas nostra tacite præterlabatur, nec cursum suum aut Regis imperio, aut populi fauore reuocet, nihil est ad quod nos ita scriptura adhortatur ac vt vigilemus & temporis nostri rationē habeamus. vnde Ecclesiastes, *Quodcumque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas.* Etiam in quiete positus cum manus ab opere cessant, animo nunquam sis otiosus: sed rationem tecum ini, vt quod in te firmum senseris, conserues & pro eo gratias Deo agas: quod autem infirmum videris, aduerte & rationē inquire qua illud sanes, diligenter cor tuum explora vt se habeat in amore Dei, quam fortiter peccatis resistat, vt se in aduersis gerat, vtrum in pietate & sanctitate proficiat an deficiat, quas cogitationes foueat bonas an malas. Sic in sancto otio maiores nostri positi maiora egerunt quam si exercitus duxissent, aut regna subiugassent.

Eccl. 9.

4. PARALYSIS ista seu morbus acediæ eos maxime corripere solet qui solitarii sunt & eos qui non habent quod agant, quia iis de victu & vestitu prouisum est: quo fit vt diuites otiose vitam traducant dum in multam lucem stertunt, taxillis, aleis, confabulationibus cum puellis, aut nouis nunciis inquirēdis quod reliquum est tēporis inutiliter transigunt, similes iis qui agrum suum paleis seminant ex quibus nihil inhorreabunt aut metēt. Insuper & ii huic vitio communiter subiacent, qui quod agunt non ex animo faciunt, sed lāguida consuetudine inducti magis, quam operis fructu seu vtilitate se operi accingunt. Qui enim opus ipsum quod ei incūbit peragendum reputat inutile & infructuosum, tardus est vt op* aggrediatur, & remissus ac torpidus dū exequitur qui instar cochlearū lente progreditur, & quaqua perrexerit fœda vestigia relinquit: nec aliter viuit quam desides operarii vix quotidianum victum sibi parantes, sed omne emolumentum ex manibus mox in ventrem pergit, nec quicquam sibi reponunt, imo vero quotidie æs conflant alienum, vt tādem minime sint soluendo. vnde Sapiens ait, *Omnis piger in egestate est:* & rursum, *Manus fortium diuitias parat, egestatem autem operata est manus remissa.* Prou. 21. & 10.

Tales vt plurimū sunt ii qui corpora sua nimis amāt, vt propemodum nihil facere possint quod iis sit molestum interim damnū quod latēter increscit nō percipiūt: Quanquā enim non tantū fortasse sit malum quod agūt, est tamen magnū bonum quod negligunt: constat enim & certū est industriam atq; diligentiā virtutum omnium esse matrem, sine qua nullus nisi id fiat prodigio quodā aut proficit aut excellit vnquam. Et nisi quis acediā à se procul propulsauerit peccati seruitutē nunquā euadet: vt non minus torpor sit detestandus in operibus virtutum & pugna vitiorum, quā conscientia praua in perpetratione malorum, iuxta illud Sapientis, *Qui mollis est & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis,* quia vterque reatum incurrit & perniciem sibi adfert. Nā in iudicio Dei non solum damnantur qui multum mali commiserunt, sed etiam ii qui nihil boni fecerunt, sicut is qui apud *Matth.* talentum in sudario reposuerat: & ficus *apud Marcum* maledicitur, quia fructus non habebat, sed folia tātum. Si quis famulus habeat se negligenter in famulatu suo, qui etsi nō furetur nec conuicietur, nec inebrietur, duntaxat perpetuo otiosus desideat, *inquit Chrysost.* non semiminans nec vitem colens, nonne hoc ipso quo sic otiosus est magnum damnum suo domino intulit?

Prou. 18.

Matt. 24. Mar. 11.

Chrys. ser. 16. in epist. ad Eph.

5 SOLET acedia seu ignauia vno tempore hominem magis corrupere quam alio, quemadmodum enim febris certis temporum interuallis hominem incendit, ita peccatis homo vno tempore magis infestatur quam alio: Cum enim appetitus sensitiuus organum habeat corporale, & corporales transmutationes certis temporibus proueniant, fit quod per hãc corporalem transmutationem homo sit procliuior ad peccatum hoc vel illud vno tẽpore magis quam alio. Et dum quis hoc genere peccati impugnatur per plures horas, interdum etiã per integrum diem aut plures, oportet, sicut olim Patres fecisse legimus, luctãdo, resistendo, orãdo, psallendo, laborando, hunc hostem, acediam dico, à se propulsare & expugnare. Magnæ mihi crede id prudẽtiæ fuerit nihil ex suo tẽpore otiosum relinquere, sed omnes horas in suos vsus conferre & ordinare, nihil enim dignũ facile repereris quod cum tempore permutare possis, nemo tibi tẽpus elapsum restituet. Tu quidem cogitationes tuas in longũ ordinas, & dum tibi vlteriora promittis, hac otiosa cogitatione præsentia tempora perdis, & quod in manu fortunæ, non tua positum est, disponis, omnia enim quæ tua sunt in incerto iacent. Quid cunctaris? quid cessas? dum tu torpes fugit, dum occupaueris fugiet tamen, sed cum fructu atq; celeritate temporis, vtendi velocitate certandum est, veluti ex torrente rapido nec semper cursuro cito hauriendum est: vidisti virum velocem in opere suo? *coram*
Prou. 22. *regibus stabit*, inquit Sapiens, *nec erit ante ignobiles.*

6. SVNT etiam nonnulli qui cum in virtutum via sint prorsus ignaui, æque tamen magnifice de se sentiunt, hærentes in quibusdam suis exercitiis quæ ex arida consuetudine quotidie obseruãt, certum quendam modum tenẽtes audiendi Missam, siue preces horarias legendi, & his abunde contenti sunt, & se Deo satisfecisse arbitrantur; Interim non explorant neq; examinant interiorem hominem, vt ille se habeat in amore Dei, quam humiliter quam mansuete, quam patienter se gerãt dum locus & tempus exigit: Sed æque manent morosi, æque murmurantes, æque animo elati: Sunt hi plerumque similes ipsis pharisæis qui mũdabant id quod deforis erat, ieiunando, eleemosynas faciendo, longas orationes fundendo, sed intus erãt pleni spurcitia & omni iniquitate: Contra quos sic Dominus, *Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris patent hominibus speciosa, sed intus sunt plena ossibus mortuorum.*

7. MVLTI torpore languent, quia cogitant ægre perfectionem obtineri posse, paucosque eam assequi, verum quamuis magnum sit perfectum esse, idque tanquã singularis gratia Dei, paucis datum sit, facile tamen est omnibus atque possibile desiderare perfectionem & ad eam niti eamque sperare, *est aliquid prodire tenus si non datur vltra.* Et certe perfectorum siue proficientium raritas non tam ex rei difficultate quam mediorum ignorantia vel hominum negligentiæ prouenit. Et est vnde merito erubescat homo, qui seipso indies non appetit fieri melior, quod neq; animæ suæ, neque gratissimæ Dei sui voluntati id præstat, quod suo quotidie facit corpori, nutriendo illud, ac studiose curã illius gerendo, quo maius robur indies accipiat. In qualibet arte mechanica qui istã exercent, singuli quam maxime excellere nituntur, nec ab aliquo se vinci patiuntur. Atque hinc est quod Dominus ait apud Lucam, *Filii huius seculi pruden-* Lucæ 16.
tiores sunt filiis lucis in generatione sua, hoc est, seculares homines plus ingenii, solertiæ & diligentiæ adhibent vt in seculo magni fiant, quam homines spiritales vt in spiritu proficiant: quibus abunde satis est quouis tandẽ modo euasisse infernum, solaq; vitasse mortifera peccata: nec erubescimus dicere, Nõ appeto ex præcipuis esse Dei sanctis, sat habeo si vel minimus esse merear in cœlis. Habent quidẽ huiusmo di verba speciẽ humilitatis, sed ex ma-

gnæ

gna proficiſcuntur animi acedia, & amore perexiguo erga Deum: nam vel præcipua cœleſtis patriæ prĕmia vellemus ſed laborem perhorreſcimus, imitatores effecti pigri illius de quo Salomon, *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit æſtate, & non dabitur illi.* Prou. 20.

9 IN initiis virtus ſemper difficulter cōparatur, eo quod cupiditas virtuti contraria hominem carnalem facile pelliceat & ſeducat. Opus eſt proinde de ea frequentius cogitare, audire & loqui, quo eius explicetur dignitas, vtilitas & neceſſitas: legēda quoq; ſæpius ſanctorum hominum geſta, eaq; imitari conabitur: quin etiam diuini amoris ſcintillas excitabit iis quib. poterit modis. Delectant namq; Deum mirifice hominum incipientium tam ſancta ſtudia atq; conatus, vtpote quæ quædam velut præſagia & indicia ſunt eiuſcemodi in ſpiritu fęlices habituros progreſſiones. Porro quod diuini amoris guſtum atq; experimentū multi percipere nequeant, ſine quo prorſus tepidi permanent & aridi, iſthæc ratio eſt quod neſciant ipſi, neq; ab aliis iuſtituantur quo pacto huc pertingendum ſit: contenti ſunt n. pleriq; externa morum compoſitione & moderatione in edendo, bibendo, loquendo, operādo & ſenſus ſuos iuxta rationis pręſcriptum compeſcēdo. Cuiuſmodi fuere perplures philoſophi, qui licet à Dei cognitione & dilectione forent alieni, forinſecus tamen bonis moribus prædicti erant, certumq; modum in omnibus ſuis obſeruabant. Etenim naturalis ingenij lumine ducti facile id videbant multorum cōmodius, tū iucundius & ſalutarius eſſe, morū quandam diſciplinam, aliiſq; in reb. moderationem ſequi, quā effrenate quibuslibet naturæ affectibus & appetitionibus indulgere. Interim tamē quia in huiuſcemodi laudabilibus exercitiis ſuis, non id ſpectabant Deo vt placerent, ſed laudibus afficerentur humanis, aut etiam ſuū duntaxat commodum, quietem & vtilitatem quærerēt, quæ in vita bene compoſita aucupabantur, ideo non placuerunt Deo: & quia diuini amoris & ſpiritus extorres erant atq; expertes, mercedem ab eo nō reportarūt. Nam id quiſq; pro certo habere debet, non ſatis eſſe extrinſecus bene morigerum eſſe, ſed inſuper danda eſt opera idq; ſedulo vt ad ſpiritū Dei pertingamus, in eoq; & diuino amore progrediamur.

10 QVI ſpiritu ambulat nequaquam in vno ſtatu permanet, nec eadem ſemper facilitate proficit, *inquit Bern.* quia non eſt in homine via eius, ſed nunc ſegnius, nūc alacrius ad anteriora ſe extendit, prout moderator ſpiritus ei diſpēſat. Ergo cum te torpore & acedia affici ſentis, noli propterea deſiſtere à ſtudio ſpirituali, ſed iuuantis require manum dicendo *Trahe me poſt te.* Propterea enim opus habes vt traharis, quia refrixit pauliſper amor Dei: & is qui debilis eſt atq; infirmus vt per ſe ire non valeat, neceſſe habet vt trahatur: & ſi deficit à ſummis, in imis ſaltem non ſit otioſus. Subtracta gratia vigor mentis deficit, tœdium ſubit, oratio ſpiritu arido fit, lectio non ſapit, & prout de ſe teſtatur Dauid, *anima eius fit ſicut terra ſine aqua*, ideo ſubiungit, *velociter exaudi me, quia deficit ſpiritus meus.* Hinc Viri religioſi, *inquit Bern.* gratiæ deuotionis & ſpirituali dulcedini aſſuefacti, cum gratia ſe deſtitutos conſpiciunt, amarius deplorant dulcedinem amiſſam quam prius defleuerāt culpam commiſſam, & hoc tamdiu faciunt, donec Deo miſerante conſolationem amiſſam recuperent. Ita de ſe teſtatur *Hier.* cum ſic ait, Si quæ videbā aſpera montiū cacumina, ibi orationis meę locum deſtinabam, & ſæpius diem nocti in precibus coniunxi, nec prius abſtinebam quā Deo miſerante ſolita rediret ſerenitas: & poſt multas obortas lachrymas ſæpius me angelicis gaudiis circumfuſum ſenſi. Idem ſibi accidiſſe teſtatur Dauid cum ait, *Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum.* Sæpe vellet nos Deus ad vlteriora prouehere, *inquit Chryſoſt.* ſed non permittit ſegnities noſtra, operam tanto huic gratiæ dono neceſſariam nauare nō lubet. Et ſicut apud ludi magiſtros, ſi ſem-

Ber ſer. 20 in Cant.

Pſal. 142.

Pſalm. 72.

per puer elementa audiens non retineat, semper illi necessitas erit eadem insonare puero stultitię enim magnę est vt qui prima fundamenta non bene imposuerit, ad alia velit puerum adducere. Ita Deus in electis si nihil proficiant in primis, non adiiciet noua: sic enim ait Paul. ad Hebræos, *Intermittentes inchoationis sermonem non iterum fundamentum ponentes pænitentiæ ab operib. mortuis, ad perfectionē feramur:* quasi dicat, cum deberetis esse doctores propter tempus, iterum opus habetis qui vos doceat elementa fidei. hoc autem non paruū damnum.

Heb. 9.

11 QVI segnitiem euitare & suo labore suaque industria virtutibus illustrari voluerit, vitam suam tempusque in certa distinguat exercitia, & attende tibi ipsi, ne ea tibi pollicearis tempora quæ nusquam subsistunt, sed forte nec futura sunt: sed quæ suppetent hæc dirige in vsus tuos tibi profutura. Maxima vero & vitæ & temporis iactura est cogitationes suas in longum ordinare, perdis tempus præsens quod in manu positum est, & disponis quod forte nunquam futurum est. Quo spectas? quo te extendis? quid securus in tanta temporum fuga lentus menses tibi & annos exporrigis? Solet ea animi ægritudo adolescētibus esse communis, *inquit Basil.* vt per mētis leuitatem se iam tenere putent quæ spe sola præsumpserunt: Hi enim si quando otium nanciscantur vel solitudinis vel nocturnæ quietis imaginationes comminiscuntur, & pro comperto sibi proponunt vitæ splendorem, illustres nuptias, fœcunditatem prolis, longam vitam, a nemine non exhibendum honorē, ædes possident luculentas, & hac vanissima cogitatione resarciunt omni supellectile pretiosissima, magnam frumenti copiam suis inanibus includunt horreis: huic opulentia pecora addunt & seruorum gregē, præfecturam, ciuiles magistratus, ipsam deniq; Regis fortunam. Hæc vbi omnia cōmenti sunt inanissimis figmentis, tanta est istorum amentia, se credunt frui speratis & nunquam forte futuris quasi iam præsentibus. Ociosæ animæ propria est hæc ægritudo cernere somnia vigili corpore. *hactenus Basil.*

12 SED neq; istis artibus aut negotiis studium nostrum impendamus, quæ nobis indigna sunt, qualia sunt ea quæ vt sūt peracta nullum fructū post se relinquunt, vt ars saltandi, ludendi, cytharizandi, cantandi & similes: de quibus Ieremias, *Opera eorum vana & risu digna & in tempore visitationis suæ peribunt.* Imo iuxta *Basilium,* nihil in humanis magnum, nihil admirandum, non generis splendor, nō corporis robur, non opes, non honores, non regnum deniq; ipsum, quippe quæ omnia finem habitura, sed spe longius procedēdum, & ad alterius vitæ præparationem cuncta dirigēda, quæ enim ad futuram faciunt vitam hæc nos & amare, & totis viribus prosequi oportet. Et quoniam pretiosior est anima corpore, omnia sic faciēda quatenus ex iis aliqua vtilitas ad animę ædificationem prouenire possit. Qui vero corporis nimiam gerunt curam & animā negligunt, similes sunt iis qui instrumentorum multam, artis vero quæ per instrumenta operatur nullam habent rationem. Est quidem, & corporis habenda ratio vt ei bene sit, quia corpus ægrum animæ seruire nequit, sed magis animæ, ante omnia hoc dispiciat quisq;, quid pro loco & tempore & hora qualibet faciendum sit iuxta Dei præscriptum & status sui exigentiam: Ingratū est enim spiritui sancto quicquid feceris neglecto eo ad quod teneris, & hoc ipsum sic agat vt oculos mentis semper in Deum intendat cui placere studeat, iuxta illud Pauli ad Cor. *Contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi.*

Homil. de 6. leg. libr. Gentil.

2. Cor. 5.

13 PORRO quia durabile non est quod caret alterna requie, in longo labore tam animi quam corporis interpolanda quies est, quæ sicut fessum refocillat corpus, ita & fatigatos recreat sensus. Sic legitur Ioannes Euangelista sæpius cum perdice lusisse, propter quod cum adolescens quidam risisset, arbitratus parum conuenire homini seni, qui sanctimoniæ exemplum

& spe-

Digitized by Google

& specimen esset, vt otiosus cum aue animi laxamentum quæreret : Ioannes pendere arcum ab humeris eius conspicatus, petiit vt arcum tenderet, quod cum fecisset sæpius & sagittasset , remisit arcum, quæsiuit Ioannes causam remittendi, Respondit alter , inutilis fieret si semper tensus remaneret. Et ego, inquit Ioannes, honesto otio relaxor vt maioribus viribus officio meo sufficere possim , quod fieri non posset si semper eodem rigore remanerem.

14 Sed hic videndum ne otium relaxetur in ignauiam per quam vires animi non reparantur sed remittuntur : cauendum quoque ne maligni spiritus vacationis otia ad vitia & cogitationes illicitas pertrahant , eique sic vacanti competat quod Sapiens ait , *Desideria occidunt pigrum.* (Prou. 21.) Sed cum vir sanctus in otium se recepit, otium quærat non desidiæ, sed cogitationis, vt vacet à locis & temporibus , *inquit August.* (Augu. de vera rel. cap. 35.) Hæc enim phantasmata Deum videre non sinunt, loca offerunt quod amemus, tempora surripiunt quod amamus, & relinquunt in anima turbas phantasmatũ, quibus inquietus fit animus, dum ex vno cupiditas eius trahitur in aliud. Ab his vacandum vt videas & experiri possis quod suauis sit Dominus: dum in otio non solũ eius dona tibi collata cum gratiarum actione recenses & diligenter consideras, iuxta Sapientis consilium, quæ apponuntur tibi, (Prou. 23.) vt nulla Dei dona debita gratiarũ actione frustrentur, non grandia, non pusilla, *inquit Bernard.* Verumetiam in otio solus cum Deo loqui assuescas, quod multo vtilius est, quam si aut tecum aut cum alio homine loquaris: imo sic otia pete vt & Deum tecum & in te loquẽtem audias, & cum Dauide dicas, *Audiam quid loquatur in me Dominus:* Cuius vox auditur non in tumultu huius seculi , quo pleni sunt qui animo foris vagantur, sed in quiete ac silentio cordis.

1. QVORVM *fidem vt vidit, dixit paralytico, confide fili remittuntur tibi peccata tua.* (I. Prius animæ quam corporis habenda ratio.) Quemadmodum sol incessabili motu terras & maria lustrat & inflammat, Ita sol iustitiæ Christus qui huic mundo exortus est, vbi primum hominibus manifestare se cœpit, nullo tempore quieuit, pertransiens enim de ciuitate in ciuitatem benefacit omnibus, vt dicitur in Actis, (Act. 10.) omniaq; frequentans loca omnibus salutis monita dabat, vitæ ac doctrinæ beneficia impartiebat. Cumq; in hanc suam vrbem Capharnaum deuenisset, idq; clam vt apparet ex Marco, latere tamen non potuit, (Mar. 2.) sicut nec sol latere potest, sed auditum est, *inquit Marc.* & fama publica spargebatur eum eo venisse, vnde sine mora tanta hominem turba eo confluxit , vt præ turba non inuenirent, *inquit Luc.* (Luc. 5.) qua parte eum inferrent, sed ascendentes supra tectũ per tegulas demiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum , nihil morantes damnũ Domini domus , nec sermonem Domini interrumpere formidantes : Hæc omnia impedimenta flagrans salutis amor ac sanitatis desiderium superauit, quorum importunitate tantum abest vt offensus fuerit Dominus, quin potius statim se ad iuuandum exhibuerit paratum : protinus enim dixit, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

2 NON peccatorum remissionem , sed corporis sanitatem quærebat hic paralyticus : Dominus autem qui se loco patris hic gerit, vnde & eum filium vocat , non quid æger filius cupiat præcise, sed quid ei expediat , quidve magis necessarium sit sciens, illud procurat , & occultum languentis animę morbum, quẽ paralyticus, vt est verisimile, non esse videbat, primum curat, quia is tanto est perniciosior, quãto hominis partem inficit nobiliorem. Docet itaq; Christus hoc suo exẽplo & facto, prius animæ salutem quam corporis sanitatem esse quærendam. Passim etiã scriptura indicat plerisq; morbos ob peccata immitti , vnde prius radicem euellendam censebat Dominus & sic morbum sanan-

Digitized by Google

lauandum: Ita enim Pſalmiſta ait, *Propter iniquitatem corripuiſti hominem & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius*: Cum immitit Dominus tribulationem id facit nõ ad vexationem aut meram vltionẽ. ſed ad emendationem & emundationem. Quemadmodum Chriſtus etiã inſinuat, cum ad quẽdam quem in probatica piſcina ſanauerat, diceret, *Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare ne deterius tibi contingat.*

Pſalm. 38.

3 Est autem hoc loco magna benignitas Domini obſeruanda, quæ vota ſupplicum excedit, & plus ſubinde tribuit quam homo poſtulet. Nam quanquam nonnullos corporaliter tantum ſanarit, vt Malchum, & nouem leproſos, tamen quos filios vocat, ſicut hunc paralyticum, prius eorum animas quam corpora curabat, quia maioris dignitatis & neceſſitatis eſt ſalus & vita animæ quam corporis, melius eſt enim liberum eſſe à mala cupiditate quam à febri, & eſſe animo bonum quam corpore formoſum & animo fortem quam humeris robuſtum: licet nos potius ſanitatem corporis quam animæ ſalutem curemus. Quid enim non facit homo, quas opes non profundit, vt ſi auerſa valetudine laboret, ſanitatem conſequi poſſit? Si diuturna inedia corpus extenuandum ſit, extenuat: ſi à ſolitis voluptatibus & deliciis abſtinendum, abſtinet: ſi ferro & igne & inciſionibus opus ſit, ferrum patietur & ignem, vt minori corporis diſpendio maius redimat. Quæ igitur hæc inſania cum mortui corporis gratia tam multa faciamus, nihil propter animam immortalem pati velle? Hoc certe non aliunde prouenit quam quod cum Galaditis dextero oculo excœcati, cœleſtia & ſpiritalia, quę à dextris nobis eſſe debẽt quia optima ſunt, haudquaquam intelligimus. Dominus autẽ cum duo hęc officia ſibi haberet propoſita nempe curationem animorum quę fiebat per prædicationem, & curationem corporum quę fiebat per miracula, nam vt Lucas habet, *virtus Domini erat ad ſanandum omnes*, & vt Matth. ait, *Circuibat Ieſus omnes ciuitates & caſtella docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni & curans omnem languorem & omnem infirmitatem*: Potiſſimum tamen prædicationi vacabat, deinde ægrotos ſanabat, quia melior eſt anima quam corpus, & maior illius quam iſtius cura habenda.

1.Reg. 11.
Luc. 5.
Matth. 9.

III. Cur peculiariter fidei ſalus tribuatur & quomodo Chriſti diuinitas hic probetur.

1. EST & hoc aduertendum, quod tam ipſius paralytici, quam eorum qui eum portabant fidem reſpexerit Deus: Nam quanquam ſanitas corporalis conferri poſſet alicui à Deo, & collata ſit aliquando à Chriſto abſque fide, vt patet in Malcho cui auriculam reſtituit, aut etiam ſolo intuitu fidei alienæ, ſicut cum puellã ſuſcitarit: ſpiritualis tamen ſanitas quę in peccatorum conſiſtit remiſſione in adultis accipi non poteſt ſine propria fide. Poteſt tamen fides aliena ex caritate orans & operans alicui fidẽm à Deo impetrare qua ſaluatur: quo modo dicit *Aug.* Stephanũ impetraſſe fidem Paulo vt ex perſecutore fieret defenſor Eccleſiæ, quia contemplatione fidei alienæ Deus eam confert gratiam, quam eidem alias nõ erat collaturus ob fidei eius defectum, aut vitę demeritũ: quo modo Marcus dicit, *Non poterat ibi virtutem vllam facere propter incredulitatẽ eorum.* Marc. 6.

2 QVANTAM Deus in te cernit fidem, tantam præſtat & gratiam, *inquit Cyrill.* Nam vbi fides viget, viget & oratio, & deſiderium & labor acquirendæ ſalutis, vt patet in Magdalena, in muliere Cananæa, & in his qui portabant hunc paralyticum: & vbi illa deficit, deficit & oratio, & labor, ſic enim Iacob. ait, *vis ſcire ô homo quia fides ſine operibus mortua eſt.* Iacob. 2. Mortua autem dicitur fides quæ nec timore concutitur, nec amore ſuccenditur. Porro nomine fidei (quod variam habet ſignificationem) cum ei ſalus tribuitur non nuda credulitas intelligitur, qua credimus Chriſtum poſſe ſanare, neque ſola fiducia accipitur, pro qua fides interdum ſumitur, vt cum à Matthæo dicitur, *Si fœnum Deus ſic veſtit,* Matth. 6. *quanto magis vos modicæ fidei?* Sed vtrumque

... e intelligitur, & firmus assensus eorũ quæ de Deo Christoque credenda sunt, & fiducia ex Dei bonitate & misericordia, Christiq; meritis aliquid impetrandi cõcepta: Sicut & ibi cum de Centurione dicitur, *Non inueni tantam fidem in Israel*: vbi fides tribuitur Centurioni non tã propter fiduciam, quam habuit, aliquid impetrandi, quanquam & eam habuerit, quã propter credulitatem seu existimationem habuit de Christo, credens illum esse tantæ virtutis vt etiam absens ægrum sanare posset, tantæque dignitatis vt se eius præsentia & conspectu indignum reputaret. Et communiter fiduciæ magnitudo, quæ ex Dei misericordia ortum habet, sequitur fidei seu credulitatis perfectionem, qua certo credimus vera esse quæ de Deo dicuntur.

3. EXHIBVIT hic Dominus varia suę diuinitatis signa quibus se Deum esse comprobauit: *primo*, quia vidit cogitationes cordis eorum, quod solius Dei est: *secundo*, quia vidit fidem eorum quanta esset quantiq; accipere mereretur: *tertio*, quia remittit peccata, idq; propria auctoritate, non ex commissione vt faciunt alii sacerdotes, quod ex eo cõstat & probatur, quia solo iussu paralysim sanat: Quæ omnia solius Dei sunt cuius dicere est ipsius facere. Hæc omnia ea intentione fecit Dominus vt quantus esset omnib. innotesceret: quia enim vulgus Iesum non Deum, sed hominem solum suspicabatur, paulatim induci debebat vt & Deitatem eius agnoscerent, quę fides ad salutem consequẽdam omnibus erat necessaria. Et ad huius fidei cognitionem conatur Dominus etiam inimicos suos, pharisæos nimirum, adducere non tam auctoritate sua eos confundendo, quã aperta veritatis signa exhibendo. *Quid est*, ait, *facilius dicere, Remittuntur tibi peccata, an dicere surge & ambula?* Si hominis respicias potentiam, vtrũque est ei æq; impossibile, si Dei respicias virtutem, vtrumque est æque facile, quamuis in se difficilius sit remittere peccata & animæ sanare vitia, quam corporis morbos, quia hi etiam naturali virtute sanari possunt, animæ autem morbi nequaquam. Deinde cũ miraculum in rationis paralytici ediderit Dominus in confirmationem eius quod potestatem haberet remittendi peccata, efficaciter per hoc probat se illam habere quia miracula non possunt fieri in comprobationem erroris, sunt n. quasi sigillũ quoddã Dei quo Deus cõprobat aliquid esse verum: non potest autem Deus esse testis falsitatis: Hinc hæreticus in confirmationem sui erroris, nunquam verum potest edere miraculum. Et licet sanare paralyticum minoris sit potestatis quam peccata remittere, tamen quia notius est, & alterum sit inuisibile, posterius recte per prius probatur.

14. PORRO quia Deus cogitationes intuetur cordis, nihil audeas cogitare *ait Hier.* quod non audeas dicere: Si dũ iniqua voluis non erubescis nec per præsentiam Domini te intuentis, licet tu illum non intuearis, quia oculos mẽtis alio deflectis, pudore suffunderis, saltem eius iudicia metuas. Quod si nõ solũ omnẽ pudorẽ exueris, sed etiã sine omni timore fueris, nec sic tamen euaseris, quia de omni cogitatione mala, sicut & de omni otioso verbo rationẽ reddere cogeris.

PARS II.

Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto: & dixit Iesus paralytico: Confide fili remittuntur tibi peccata.

Matth. 9.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Sicut Deus omnium bonorum, ita diabolus omnium malorum est causa.*

II. *Homo magis auide appetit sanitatem corporis quam salutem animæ. Et de vtilitate afflictionis.*

III. *Preces aliorum non solum ipsis precantibus, sed iis pro quibus funduntur prosunt plurimum.*

IV. Deus scrutatur corda & renes.

ART. I.

Vt Deus bonorũ ita Diabolus malorum causa.

1. QVIA vita animæ Deus est, *inquit August.* quo modo cum ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem mobilitatem, officia membrorum, sic cũ vita eius Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatem, & iustitiam, charitatem veniente itaque verbo resurgit anima à morte sua ad vitam suam, hoc est, ab iniquitate, ab insipientia, ab impietate, ad Deum suum qui est illi sapientia, charitas & vita. Quapropter nos adhortatur in hũc modum Psalmista, *Accedite ad eum & illuminamini.* Accedite inquam ad eum, nõ vt multiplicet vobis annos vitæ, quandoq; finiendæ, *inquit idem*, nec vt vestram augeat pecuniã, aut vos faciat corporis virib. fortes, vel ad tempus incolumes, sed vt illuminemini. Quam fœlix anima, quam Dominus nõ solum dignatur visitare, sed & requiescere & in perpetuum habitare in illa, sicut scriptum est, *Et habitabo in illis.* Sicut econtrario quam infœlix est illa cõscientia, toto lachrymarum fonte lugenda, *inquit*, quæ se ita malis operibus cruẽtauit, vt in ea Christus non requiescere, sed diabolus incipiat dominari. Talis n. anima si medicamentum pœnitentiæ nõ cito subuenerit, à luce relinquitur à tenebris occupatur, vacuatur dulcedine, & impletur amaritudine.

Psal. 33.

Aug. in ps. 1. 8.

Aug. ser. 1. de temp.

2. DVM peccamus à Deo recedimus & elongamur ab eo, non loco quia Deus vbiq; est, sed affectu, voluntate, & animo: & quo longius ab eo recedimus, eo mens nostra obdurescit insẽsibilius *inquit Greg.* vt nullatenus damna nostræ destitutionis sentiamus, & miserando modo fit anima tanto securior quanto peior: cumq; vnde lapsa sit nõ meminit, & secutura supplicia quia non credit, non metuit, quantum lugenda sit nescit. In hoc enim incumbit diabolus vt hominem, cui dominatur, omnibus Dei donis priuet ac spoliet. Id quod nobis sub Parabola designat cũ ait cap. 1. *Gens ascendit super terram meam fortis & innumerabilis: dẽtes eius vt dentes leonis: posuit vineam meam in desertum, & ficũ meam decorauit, nudans spoliauit eam.* Per hanc gentem *Hieron.* explicans hunc locum ipsos dæmones intelligit qui & innumerabiles sunt & fortes viribus. Hi ascendunt super terram quando homini terreno præualent, eiusq; animam possident, quam spoliant omni virtutem virore, & ficum decorticant ita vt remaneant, albi rami eius, quia qui huic genti locum dederit, denudat eum ne habeat in se vlla spiritus sancti dulcissima dona: ideo n. homo ficui comparatur quia à Deo sic conditus est qui plenus esset dulcissimis fructibus, benignitate, pietate, pace, mansuetudine, charitate. Nec sufficit huic genti vineam disperdere, ficumq; confringere, nisi scrutans scrutetur eos, & quicquid in illis vitale fuerit, interficiat, vt omni virore consumpto aridi & emortui remanerent ramusculi eius.

Greg. li. 9. mor. c. 34.

Ioel. 1

3. CONQVERITVR & propheta David *psal. 7. pœnitent.* quod anima eius facta sit coram Deo *sicut terra sine aqua*: Sicut enim terra quæ imbre non perfunditur, nec herbis vestitur, nec floribus ornatur, neque frugibus abundat, *inquit Gregorius*, sic anima sine gratia non operitur virtutibus, non cogitat de cœlestibus, non insistit bonis operibus. vitiato namque in primo parente libero arbitrio iam nec velle quidẽ bonum possumus, nisi illius gratia adiuuemur à quo gressus hominis diriguntur. Omniũ namque bonorum affectum atque operum omniumque virtutum quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profitemur auctorem, *inquit Chrysost.* & non dubitamus ab ipsius gratia omnia hominis merita prouenire. Tanta est enim erga homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona. Agit quippe in nobis vt q vult & velimus & agamus. Deus n. est *qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate sua* vt Paulus ait. Et hoc Dei auxilio ac munere non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum de languido sanum, de imprudẽte

Greg. in hunc loc.

Chrys. ho. de Adam & Eua

ſit prouidum. Nec otioſa in nobis ea patitur quæ exercenda non negligenda donauit, vt & nos cooperatores gratiæ Dei ſimus. Atq; huius ſuæ gratiæ exhibitione quibuſdam prope, quibuſdam longe eſſe dicitur, longe enim à peccatorib. Nihilominus & S. Dauid dicit pſ. 118. *Vt quid Domine receſſiſti longe?* Sed vt *Ber. ait* a Sanctis pia diſpenſatione ad tempus & non ex toto, ſed iuxta aliquid aliquãdo longe ſe facit non in ira, vt à peccatoribus, ſed miſericordia. Quamobrem orat Deũ Sanctus & ait. *Ne declines in ira à ſeruo tuo*: ſciens quia & in miſericordia potuerit declinare.

ſerm. 65. in Cant.

4. A QVIBVS Deus in ira declinat atque recedit, venit diabolus & perdit eos, ſicut pulli qui longius à matre euagantur pereunt & venit accipiter & diripit eos. Ita legimus de Cain quod cum egreſſus eſſet à facie Dei, habitauerit in terra Naid, quod interpretatur fluctuatio ſeu commotio; qui n. derelinquit Deum ſtatim fit inſtabilis & fluctibus ſeculi agitatur, & in turbatione praui cordis verſatur, *inquit Orig.* Et ſicut filius prodigus abiens à patre in regionem longinquam adhæſit vni ciuium regionis illius qui miſit illum vt paſceret porcos, Ita qui Deũ deſerit, diabolo principi huius mundi adhæret, *ait Hier.* cuius cibus eſt ebrietas, luxuria & vniuerſa vitia, quia blanda ſunt & ſenſus voluptate, demulcent ſtatim ad ſui vſum prouocãt: quibus ideo luxurioſus adoleſcens non poterat ſaturari, quia ſemper voluptas famem ſui habet & tranſacta non ſatiat, vnde ait, *Ego autem hic fame pereo*: diabolus autem deceptoriis promiſſionib. peccatorem lactat vt ad peiora proficiat. De his ſic Paul. ad Eph 4 *Qui deſperantes ſemet ipſos tradiderũt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritia*, operantes nimirum quicquid libido ſuggeſſerit. Et cum nihil omnino prætermiſerint quod immundũ ſit, hoc totum fecere in auaritia dum nunquam luxuriando ſatiantur, nec terminũ habet eorum voluptas. Nam *vt Greg. ait* omnis qui vitæ viã deſerens in peccatorũ profundum ſe deiicit, ſemetipſum quaſi in puteum immergit: Si vero diutina perpetratione & conſuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad ſuperiora iã exurgere poſſit, quaſi anguſti putei ore coarctatur. Hoc metuens Dauid ſub nomine peccantium dicit Pſal. 68. *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Iam in puteum cecidit qui hoc quod diuina lex prohibet, perpetrauit, ſed ſi deſuper moles malæ conſuetudinis eum premat, puteus velut os ſuum claudit, vt etiamſi exurgere velit iam non poſſit: cogiturq; illud dicere, *Infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia.* Nam ſicut qui in puteum cadit, putei profundo retinetur: ita corruens quaſi in quodam fundi loco conſiſteret ſi ſemel lapſus in aliqua ſe peccati menſura retineret. Sed cum peccato in quod labitur non poteſt eſſe contentus, ſed quotidie ad deteriora relabitur, quaſi in puteo, in quem cecidit, fundum quo figatur aut in quo ſubſiſtat non inuenit. Eſſet fundus putei ſi eſſet menſura peccati & terminus peccandi, ſed dum peccare non ceſſat, fũdum vbi retineri poſſit non inuenit, *hactenus Gregorius.*

Hæc Bern.

hom. 2. in Ierem.

Hier. ep. 4. ad Dam.

Greg. l. 26. mor. c. 24.

II. Sanitatem corporis potius quam animæ plerique exoptant: & de vtilitate afflictionis.

1. QVANTO ſtudio homo corporis curet valetudinem declarat. *Hier in epiſt.* quadam ad amicum ſcripta vbi ſic habet, Si intemperate cibus ſumptus leuem corpori, febriculam concitauit, deiicimus animũ, affligimur, ſuſpiramus, nulla cura tunc eſt ſeculi nullarum villarũ, nemo de patrimonio cogitat, nemo de foro, omnes calũniæ, omnia lucra in periculis corporis conquieſcunt curritur ad medicos & pro remedio carnali promittuntur munera, aurum, argentum, interdum etiam pene totum patrimonium donatur vt conſulatur vitę quandoq; perituræ. Et pro æterna ſalute omnis propemodum homo admodum negligẽs eſt, *ait Hier.* illic omnis frugalitas largitoris conſtringitur animi tenacitate, & vbi promptior volũtas & copioſior largitio debet operari, nos ſic mũdum concupiſcimus & mundana amamus

quasi recedentes de seculo nobiscum auferre possimus. Nemo ad breuitatem temporis, nemo ad naturæ respicit conditionem, nemo cōsiderat vana esse omnia quę aliquo fine clauduntur. De his tantum sollicitudinem habere debemus & curā, quæ nobiscum transferre possumus. Ambiant terrena gentiles, quibus cœlestia non debentur, concupiscant præsentia qui futura nō credūt, Christianis diuitiæ & hæreditas sit diuinitas Christi, *hactenus Hier.*

Greg. 3. par. cur past. adm. 13. 2. Hoc vnice curandum, *inquit Gregor.* vt si incolumis fueris, sanitatem corporis exerceas ad salutem mentis, ne si acceptæ incolumitatis gratiam ad vsum nequitiæ inclinaueris, dono deterior fias, & postmodum supplicia maiora laus, *ne des crudeli annos tuos*, inquit Sapiens, *ne forte gemas in nouissimis.* Annos suos crudeli tradit, qui ad voluntatem male dominantis aduersarii diaboli accepta viuendi spatia expendit, & qui acceptam valetudinē corporis non exercendis virtutib. sed perpetrandis sceleribus, vtpote luxuriæ, superbiæ impendit. Sin autem aduersa corporis valetudine labores, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo argueris: *Quem enim diligit Dominus castigat, & flagellat omnem filium quem recipit,* teste Paulo, Si enim cœlestem patriā nostram esse credimus, in hac velut in aliena labores patiamur necesse est: quia hic lapides viui expoliuntur, vt in templum Domini postmodum sine mallei sonitu & disciplinæ percussione disponantur, sic fiet vt nobis diuinę correptionis pœna minus grauis sit futura, per quam & nunquam amittenda hæreditas percipitur, & semper mansura supplicia euitantur. Attēde quod corporis infirmitas sit animæ sanitas, hæc enim ad cognitionem sui mentem reuocat, quia hinc cui sit conditioni obnoxia recogitat. Insuper & hoc æger consideret quod molestia corporis, & admissa peccata diluat, & ea quæ admitti poterant compescit: vnde scriptum est Prouerb. 20. *Liuor vulneris abstergit mala*, quia flagellosum dolor nequitias perpetratas diluit,

Prou. 3.

Heb. 12.

inquit Greg. Meminerit æger vt patientiæ virtutem seruet, exemplo eius qui hinc sine flagello non exiit, qui hic tamen sine peccato vixit.

3. Qvod autem ægritudo corporis plena sit bonis fructibus & variis vtilitatibus satis apparet ex diuinis scripturis: nam vt Paulus ait ad Roman. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia, autem spem, spes vero non confundit.* Cæterū tribulationes iustorum non solum eas debemus accipere, *inquit Orig.* explicans hunc locum, quæ extrinsecus adueniunt ex damnis possessionum vel languoribus corporū, sed & ex eo quod etiam in requie positi semetipsos affligunt iusti. Tribulatio autem iusti nō angustat virtutem animi, sed potius dilatat, iuxta illud Pauli, *In omnibus tribulationem patiamur, sed non angustiamur.* Ea enim quæ nobis in hac vita inferuntur diuinitus supplicia, futurorum cruciatuum partem haud exiguam succidunt. Ideo namque Paulus fornicarium illum Satanæ tradidit in interitū carnis, *vt spiritus eius saluus fieret in die Domini.* Rursumque cum eosdem quod indigne sacra mysteria perciperent, admoneret ait, *Propterea inter vos, multi infirmi & dormiunt multi: Cum iudicamur autem à Domino corripimur vt non cum hoc mundo damnemur* vnde Chrysostom. *lib. 1. de prouidentia scribens ad Stagyrium Monachum arreptitium*, quem grādi infirmitate grauatum consolatur sic inquit, Dicis mihi in hoc morbo tuo, *primo*, ea te consideratione turbari, ac fere in desperationem præcipitari, quod cum priori tempore laxius & negligentius viueres, nihil huiusmodi perpessus sis, postquam vero te mundo crucifixisti, tunc demum te iste morbus inuaserit, *Secundo* quod quam plurimos noueris, dum delicate viuerent hac peste correptos, eos tamen paruo post tēpore ita ea infirmitate liberatos, vt perfectæ integritati restituti iucundissimam vitam ducerent; contra tu cum tantum tēpus ieiuniis, pernoctationibus, & vitæ austeritate contriueris, nullam ærumnarum tuarum liberationē hactenus inueneris:

2. Cor. 4.

hæc Chrysost. l. 1. de prouid. cur.

1. Cor.

Tertio

Tertio quod ita animum tuum incredibilis vis mœroris occupauerit, vt sæpius ad laqueum fere fluuiumue ac præcipitium proueharis: Ad hæc quod æquales tuos qui tecum sacram hanc cælestemque cõuersationem inierunt, tranquille agentes aspicis, te vero sæuissimæ procellæ expositum. Dura sunt profecto ista, & quæ animum maxime perturbare possint, sed animum remissum imperitum, ac desidem. At vere nos si cogitationes pacis admonere voluerimus, has omnes mœroris causas veluti tenuissimum puluerem excutiemus.

4. Cave autem putes me modo ista idcirco tanta facilitate polliceri quod extra dolorem hunc vexationemq; persistam. Nam quod non solum malis, sed & bonis
Psal. 118. humiliati salutare sit, docet Psalmista cũ ait, *Bonum mihi quia humiliasti me vt di-*
2. Cor. 12. *scam iustificationes tuas.* Beatus etiam Paulus ait, *cum infirmor tunc potens sum:* & alibi, *Datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ qui me colaphizet ne extollar, Propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Cupientibus itaque cœleste regnum ingredi angustam viam arripiendam iubet, quasi non aliter intrare liceat: Sic enim Abraham ad diuitem respondit, Luc. 26. *Fili recordare quia recepisti bona, in vita tua, & Lazarus mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris,* Memento quæso senis illius optimi, Demophilum dico, ex magna illustrique familia, qui iam quintum & decimum annũ agit, ex quo nihil agere plus potest quam mortuus, nisi quod tremit iugiter ita vt nec buccellam panis ori ingerere possit, sed ad hoc ministro vti cogatur. Præterea Aristonũ ex Bythinia cogita, quẽ diebus singulis & noctibus dolores adeo torquent, vt clamores illius ac gemitus lamenta parturientium superent. Et si omnes hominũ calamitates dinumerare velimus tẽpus narrationi haud sufficeret. Verum ne singulos, qui huiusmodi aduersis casibus affliguntur, enumerans fastidio sim legentibus, perge ad Xenodochium, & ibi iacẽtes variis morbis subiectos inspicias, & inuenies leuẽ esse mœrorem, quo tu detineris. Permittit autem Deus etiam Sanctos suos hic affligi, partim ne propter præsentis fœlicitatis spem putentur colere Deum quo modo diabolus criminabatur Iob, quod propter mercedem temporalem, quia tanta opulentia fruebatur, Deum coleret: partim vt ipsorum patientia exerceatur, & gloria cœlestis augeatur. Cum enim plurimi viri sancti perpetua infirmitate hic laborent, nec hic tamen vllam mercedem percipiant, aliam oportet esse vitam in qua ipsorũ merrita remunerentur. Sic enim Paulus ratiocinatur. *Si secundum hominem cum bestiis pugnaui Ephesi, quid mihi prodest si mortui non resurgunt?* Et iterum, *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus,* vnde patet quod Deus alteram vitam præsenti multo meliorem & iucundiorem paret suis amicis, *hactenus Chrysosto.* Ita vt recte dicat *Hieron. epist. ad Cypria,* quanto magis in hoc seculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentia, vel morborum cruciatibus, fuerimus afflicti, tanto post resurrectionem in futuro maiora præmia, consequemur. 1. Cor. 1

5. Svnt autẽ diuersæ probationes credentium, *inquit Ambro.* alius per ægritudinem alius amissione charorum, alius per damnum pecuniæ probatur, vt augmentum faciat meritorum si in necessitate stabilis inueniatur. Nam quod pendet ex maioris arbitrio non est in potestate subiecti, *inquit Hieron.* neque enim qui curandus est dicit medico qua lege curetur, nec seruus eligit quo verbere castigatur: ergo qui suprema regimur potestate, & inter mundi miserias multiformes corrigendi versamur, non est nostrum de potestate Domini plagas eligere, aut alia certamina quæ ferendo vincamus: Regis est onus imponere, & militis sustinere, quippe cum & ab ipso Rege nihil geratur iniustum, qui suis legionibus pro virium qua-

Ambro. in cap. 2. ad Phili.

Hieron. epist. ad amicum ægrorum. tom. 9.

qualitate bellicos ſudores imponens fortes mittit ad fortia, inferioribus competentia iubet, vt nec inferior contra proprias vires certamine potentioris arceatur, aut potentior inferioris certamine degradatis meritis humilietur. Aggredere igitur frater ſuſtinentiæ remedium quo valeas grauidam tentationibus ſarcinam leuigare, & pericula dũ pateris ſuperare. Ama medicum ſecantem, & cauterio vrentem, vrit enim vt curet & ſanet, & cum nõ de ſit in homine quod curetur, ferit vt curet Dominus, *hactenus Hieron.*

III. Quomodo preces Sanctorũ proſint aliis. Chryſoſt. hom. 5. in Matt.

1. HABENT quidem vim pro nobis, eamque maximam orationes Sanctorum, ſed tunc profecto, *inquit Chryſoſt.* cum nos quoque idipſum per pœnitentiam poſtulamus, & ad ſtudia meliora cõfugimus, vt otio non torpeamus. Nam quod orationes alienæ non proſint nobis, niſi propria virtute iuuentur docet nos Deus ipſe, cum per Ieremiam ca. 11. dicit, *Noli orare pro populo iſto, quoniam non exaudiam te: etiamſi ipſo Moyſes adeſſet: & Samuel me tamen eorũ pro talibus deprecantiũ non placaret oratio.* Non quod pro peccatoribus ſupplicandum eſſe Sanctis negemus, *inquit*, ſed ne noſmetipſos in otium ac deſidiam reſoluamus, & dormientes ipſi aliis tantummodo noſtra curanda mãdemus, & ex aliorum merita pendeamus. Quod ſi in vigiliis ipſi perſeueremus, iam non admodum fuerit opus alieno auxilio, quanquam interim etiam tum alienæ precis ſuffragio nobis ſit opus, quia ſemper in neceſſitate ſumus, *teſte eodem hom. vnica in epiſt. ad Theſſal.* Paulus aliorum preces emendicabat, etiam eorum qui ipſo indigni erant. Et tu dicis, Quid mihi opus eſt aliena precatione; vel ob hanc cauſam tibi opus eſt quod ſic ſtulte nihil exiſtimes tibi eſſe opus etiamſi Paulo æquandus venias, habes opus oratione. Audi Paulum dicentem, *Scio quod hoc mihi proueniet in ſalutem per veſtras orationes.*

Chryſoſt. Homil. in Ep. ad Theſſal.

2. Cor. 1.

2. PROINDE cooperatur quis alteri, atque auxilio eſſe ſolet, ſed ei qui impigre aliquid etiam per ſe conficit operis, Quod ſi perſtiteris ignauię affixus nihil iam magnopere iuuaberis: Alioquin ſi tantum obtinent virium preces aliorum, vt oſcitabundos ac neglectim per otium ætatem tranſmittentes valeant in regnum illud introducere, cur omnes gentilitiæ ſuperſtitioni addicti non amplectuntur Chriſtianiſmum? Nunquid non pro vniuerſo terrarum orbe ipſi etiam preces in commune effundimus? Nonne & Paulus hoc faciebat, vt quid qui flagitioſi sũt nõ redeunt ad meliorem vitæ frugem, niſi etiam per ſe aliquid adiecerint? Igitur non mediocriter iuuant aliorum preces, ſed tum cum nos etiam manum operi admouemus. Viſne noſſe quantum iuuerunt orationes Sanctorum? Audi Deum ipſum dicentem 4. Reg 19. *Protegam ciuitatem hãc propter me & propter David ſeruum meum:* Sed quando? tempore Ezechiæ Regis ſane quam iuſti. Rurſum ipſe Samuel pro Iſraelitis orauit 1. Reg. 7. *& votum conſequutus eſt.*

Sed quando id contigit? cum videlicet ipſi Deo placuerunt, tunc illorum hoſtes profligauit. Vt autem intelligas quam ſint neceſſariæ alienæ preces, audi Deũ ipſum ad amicos Iob dicentem, Iob. 42. *Ite ad ſeruum meum Iob, & ipſe orabit pro vobis, & dimittetur vobis peccatum:* qui tamẽ Iudæos exorare non potuit ne perirent, quando maior vis flagitiorum inualuerat, dicente Ezechiele, Si ſteterint Noe & Iob non liberabunt filios ſuos, *hactenus Chryſoſtom.* Eze. 14.

3. SÆPE contingit quod Deus merita ſupplicium excedat & vota. Petebant hunc paralyticum portantes eum à corporis paralyſi liberari, quod & factum eſt, ſed inſuper adiecit Dominus vt & peccatorum veniam conſequeretur. Petebat latro in cruce, *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum*: adiecit Dominus, *Hodie mecum eris in paradiſo*, vberior eſt gratia quam precatio, *inquit Ambro.* & addit, Semper enim plus Dominus tribuit quam rogatur. Imo vt Orig. docet *hom. 9.*

Ambro. in 23. cap. Luc.

m; in Numer.16. liberalitatẽ Dei largiorem inuenimus ipsis suis promissionibus: Ita enim legimus Numer. 16., *Et erit homo quemcumque elegero, virga eius germinabit.* Hoc est quod ibi promisit Deus, nimirum vt virga eius quem elegisset, germinaret, vbi vero ad rem venitur, vt quod promissum est impletum ostendatur, non solum germinauit virga Aaron, sicut promiserat Dominus, sed insuper & frondes, & fructus protulit. Rursum Ioan. 7. dicit Dominus. *Si quis sitit veniat ad me & bibat: Qui credit in me sicut dicit scriptura, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum:* Spiritum aquam vocat vt ablutionem & refrigerium, quibus fruuntur accipientes eum significet: & gratiam flumen vocat vt eius abundantiam denotet: & hanc aquam viuam, id est, semper operantem.

Quod facile quiuis deprehendere poterit, si Stephani sapientiam, Petri linguã, Pauli indefessum laborem considerauerit, quem Spiritus Sancti gratia leuem efficiebat. In pœnis autem infligendis non ita se Deus habet, *inquit Orig. loco supra citato.* Nam in comminatione quæ ad Dauid facta est, triduo pronunciata est futuræ mortis vastatio, & intra sex horas abbreuiatũ videtur esse tempus supplicii, inquit. Scribitur etiam Deus malis quidem reddens in tertiam & quartã generationẽ: bonis autem faciens misericordiam, non solum in tertiam & quartam progeniem, sed vt dicit scriptura in mille generationes. *hæc Origenes.*

IV. Deus est scrutator cordiũ & renum.

1. IESVS *vt vidit cogitationes eorum, dixit vt quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Dicitur Deus Psal. 7. scrutari corda & renes, quia *inquit August.* in hunc locum, videt omnium cogitationes, quæ nomine cordis significatę sũt, & delectationes, quę nomine renum significantur & intelliguntur: vbi videt quid quisque cogitet & quid quemque delectet, an gaudium cœleste, an fallax carnis delectatio: vt vbi perspexerit nos nõ acquiescere carni & sanguini, sed delectari in Domino, dirigat iustum in ipsa conscientia coram se, vbi nullus hominum videt, sed solus ille qui perspicit quid quisque cogitet & quid quemque delectet. Et hæc vel vnica ratio sufficere debet cur Christianus quisque cordis sui exactam curam habere debeat, quia illud intuetur Deus: Et quandoquidem actus externi nihil malitiæ addunt super internos (quod enim vere esset si vxor illius adulterio pollueretur, illud est Deo cogitatio adulterii cum consensu) hinc quisque non solum actiones omnes ad Dei voluntatem sic dirigat, vt cum psalmista dicere possit, *Prouidebã Dominum in conspectu meo semper,* tanquam dicat, Omnia mea quæ ago & cogito, sic ea facio tanquam Deus præsens esset.

Ex quo illud necessario sequi existimo, vt qui ita sit animatus is ne mandata quidem Domini ad gratiã hominum exequi possit. Neque enim est quisquam qui vbi vere præstantiorẽ adesse aliquem sibi persuasit, eo spreto se ad minus præstantem conuertat: Quin contra potius si aliquando inciderit vt quæ facit, eã & clarioris illius opinione ac iudicio approbemur, ab altero autẽ illo reprehendenda videantur, haud dubie ille sprera inferioris vituperatione, clarioris illius approbationem antiquiorem habebit. Quod si hoc in hominibus contingit, qui tandem putandum sit animum qui modo sanus sit, si vere Deum adesse sibi persuaserit, omissis his quæ placere intelligit Deo, conuersum iri ad aucupandam ac hominibus sui existimationem? aut neglectis Dei præceptis, hominũ esse consuetudini & ingenio seruiturũ? *hactenus Basilius.* in resp. quintæ interrog. quæ est de cohibenda mentis ad futiles cogitationes euagatione.

2. ET interrog. 21. vbi quærit, Quæ sit causa cur animus temere vagetur, & variis cogitationibus repleatur, *ait*, Sane inanis quæ solet esse mentis agitatio & euagatio, ea nascitur ex inertia ipsius, quandocumque scilicet in rebus necessa-

ius minime se occupat. Iners autem , ex eo efficitur mens , seque iusto plus dedit otiosæ securitati, quod Deum adesse non credit qui scrutatur corda & renes : Si enim hoc crederet , prorsus hoc faceret quod scriptũ est, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper*, quoniam a dexteris est mihi ne commouear. Qui vero hoc & quæ similia huic sunt facit, hic neque audebit vnquam , neque otii tantum super erit cogitãdi, ne eorum quidem quicquã, quæ etsi suapte natura bona sunt, ad fidei tamen ædificationem non pertinent, nedũ eorum quæ vetita sunt & Deo non placẽt. Etenim si Regis præsentia eousque valet, vt qui in æquali naturæ conditione constitutus sit, propter dignitatis tamen excellentiam, turbatũ alicuius animi motũ possit comprimere, qui non tandem hoc facilius futurum existimandum est, si alicui persuasum sit Deum cogitationes ipsius omnes inspicere? Siquidem longe melius qui scrutatur corda & renes Deus motiones animi peruidet quam homo ea quę oculis subiecta sunt.

August. in Psal. 39 3. Vox iniquorum est , *inquit August. non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*: quasi non attenderet Deus nec aduerteret vt sciat quemadmodum viuant, tanquam non curaret eos Deus. Infelix homo vt esses curauit, vt bene viuas non curat ? Sic diligenter diu noctuque semitas tuas considerat, veluti si totius creaturæ, cœli & terræ oblitus te tantum solum cõsideret & nihil sit ei curæ de aliis. Neque enim crescit ei lux incommutabilis visionis suæ si tantum vnum aspiciat , neque minuitur si innumera videat & diuersa, quia sicut vnum totum simul perfecte cõsiderat, sic singula quælibet , licet diuersa perfecte simul : sed sicut omnia sic vnum, & sicut vnum sic singula totus simul sine diuisione aut cõmutatione vel diminutione considerat. Sic Deus semper assistit præsens , vtpote perpetuus inspector omnium cogitationum , intentionum , delectationum , & omnium

hæc August. in solilo. operationum hominum omnium vt reddat vnicuique non solum secundum opera sua, sed etiam secundum cogitationes tuas. Cumq; hæc diligenter cõsidero Domine Deus meus terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna est indita necessitas iuste recteque viuendi , qui omnia facimus ante oculos iudicis cũcta cernẽtis, cuius oculi sunt super omnes filios Adam & super omnes vias eorum à die natiuitatis vsque ad diem exitus eorum , vt reddat vnicuique secundum opera eorum bona vel mala. *hæc. Augustinus in soliloquiis.*

4. Svnt plerique ita insipientes, inquit *Gregorius*, vt formidare nesciant, nisi quod corporaliter vident : vnde fit vt Deum quem non vident , nec etiam metuant. Quorum ea vox est, *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat sed circa cardines cœli perambulat*. Qui quia cœlo excelsior est, & super stellarum vertices sublimatur, ex longinquo eum nostra videre non posse arbitrantur, aut qui sublimioribus intentus minus ima perpendat. Contra quos sic Iob ca. 31. *Nonne ipse considerat vias meas & cunctos gressus meos dinumerat*: Sic enim summa regit vt ima non deserat, & sic imis præsens est vt à superioribus nõ recedat: sic vniuscuiusque considerat vias & actiones, & mentium motus, vt ne minutissimæ quidem cogitationes eius iudicio, neque verba tenuissima quę apud nos vsu viluerunt, indiscussa remaneant, *teste Greg.* Hoc enim est quod Ieremias ait *Fortissime & cogitatu incomprehensibilis, cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam , vt reddas vnicuique secundum fructum adinuentionum manuum eius.*

Gregor. 16. mor. cap. 3.

Iob. 22.

Gregor. lib. 21. cap. 4. moral.

Ierem. 32.

5. Vnde sancti viri vt misericordiã inueniant mentẽ quotidie suam discutiunt, vt quæ deliquerunt deprehendant: & semetipsos reprehendunt & iudicant vt coram iudice irreprehensibiles inueniri possint. Cum enim Deus mala hominum etiam cogitata non ignoret, & perpetrata non obliuiscatur, nisi ab eius oculis pe-

nitcn-

nitendo deleantur, ideo ea delere ſemper Sancti nituntur. Cum vero nos videri non credimus, in ſole oculos clauſos tenemus: illum namque qui lux eſt æterna omnia immobiliter perſpiciẽs, nobis abſcondimus, non nos illi, quanquam enim nos illum præ oculis non habeamus, ille tamen præſens eſt, & omnia noſtra conſiderat. Quod ſi radius ſolis fundit lumen ſuum ſuper omnem terram, vt etiã abdita penetret & ſecreta cõclauia illuſtret, quomodo non poteſt intelligibilis Dei ſplendor in cogitationes hominũ & corda ſemet, quæ ipſe creauit, inſerere? Sed impii, *ait Ambr.* nolunt ei dare occultorum ſciẽtiam, quia nolunt occulta ſua prodi. Noli *inquit*, ſicut cœcus oculis & auditu ſurdus, qui eo quod non poteſt videre neq; audire præſentes, ſolum eſſe ſe credit, & in plurimorum cœtum, dũ putat nullum eſſe præſentem, perpetrare facinus adoritur, quod arbitratur eſſe ſecretum. Similiter & tu mentis cœcatus oculis, noli æſtimare quod ſine teſte delinquas, quia hominis præſentiam declinare potuiſti, plures ſunt qui te intueantur & redarguunt, quam quos cauere potuiſti; Deus nimirũ ipſe, angeli, dæmones, denique conſcientia propria, qua fit vt etiamſi aliis negas, tibi negare non poſſis. Si quis victus libidine, vel aliis indulgens flagitiis, conuerſus huc atque illuc, neminem videat flagitii ſui teſtem, in facinus ruit & audacter perpetrat: Idem tamen quamuis inueniat paratam occaſionem potiendi libidine, dum diligenter explorat omnia, ſolicitus famæ, & erubeſcens teſtimonium erroris, qui non erubeſcit errorem, ſi quem forte ſpectatorem cognouerit facinoris ſui, ab eo ſe continet, & verecundia intemperãtiam ſequeſtrat: Quanto magis ſi mentis oculos alleuet atque attollat, conſiderans plena Dei & angelorum eius aut etiam dæmonum, eſſe omnia, nihil attentabit vnquam quod diuinam maieſtatem aut offendat, aut angelos contriſtet, aut dæmones lætificet, & ipſum peccantem omnibus hiſce in opprobrium det, & vilem ac contemptibilem & ſuppliciis dignum efficiat. *hæc fere Ambroſius.*

hæc Amb. lib. 1. offic. cap. 14.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

SIMILE *factum eſt regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias & nolebant venire. &c.* Matt. 22.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Magna animæ dignitas ſi ſit qualis eſſe debet.*

II. *Quidam vocati nolunt venire, alii negligunt venire tertii etiam contumeliis affectos occiderunt ſeruos.*

III. *Qui ſunt qui veſte nuptiali careant.*

IV. *De pœnis inferni, quæ & graues ſunt & variæ.*

PARS I.

SIMILE *eſt Regnum Cœlorum Homini Regi qui fecit nuptias filio ſuo.* Paulus loquens de ſacramento matrimonii in epiſtola ad Epheſios ait, *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in eccleſia*, quaſi dicat, quia res ſignificata magna eſt, ideo & ipſum ſignum cenſetur magnum. Non poſſet quid maius homini contingere, quam quod anima eius aſſumatur ad tantam dignitatem vt fiat ſponſa filii Dei. Honorificum quidem eſt eſſe ſeruum Dei: ſed magis glorioſum, eſſe amicum & filium Dei: omnium autem maximum animam hominis ſeu naturam humanam eſſe ſponſam Dei. Sponſus itaque harum nuptiarum Chriſtus eſt quatenus Deus: ſponſa vero humana natura diuinæ naturæ in vnitate perſonæ coniuncta. Poſtquam vero ſic eleuata eſt humana natura per Chriſti incarnationẽ, vt vtriuſ-

ART. I. Magna animæ bene conſtitutæ dignitas. Ephe. 5.

vtriuſque naturæ & diuinæ & humanæ, vna & eadem eſſet perſona, in eodem enim ſuppoſito diuino vtraq; natura ſubſtantialiter exiſtit, ea quæ Dei ſunt attribuuntur homini, & quæ hominis ſunt tribuuntur Deo: ſic Deus dicitur natus, circumciſus, flagellatus, paſſus, mortuus & ſepultus: homo vero dicitur creator, ſaluator, redemptor, ſuſcitare mortuos, & his ſimilia ſoli Deo propria facere. Hinc conſequenter factum eſt vt qui Chriſto per fidem & caritatem ſponſantur, iuxta illud Ozeæ, *Sponſabo te mihi in fide*; & incorporantur, fiant & ipſi omnium bonorum ſponſi & gratiarum Chriſti participes, iuxta illud Ioannis, *De plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia*, hoc eſt, pro gratia capitis quæ Chriſto data eſt, gratiam accepimus iuſtificationis, quinimo, *vt Thomas loquitur* factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus, hoc eſt, vt diuinitatis eius fieret particeps: Quod plene fiet poſt hanc vitam quando homo fiet vnus ſpiritus cum Deo, ſicut vir & mulier qui matrimonio iunguntur fiunt vna caro, & ſicut ignis vnitur ferro, vt ferrum ſit in igne, & ignis in ferro, ſic anima beata iungetur Deo, vt anima ſit in Deo, & Deus in anima, *teſte Bernardo*: id & ſcriptura teſtatur cum ait, *Qui manducat meam carnem, in me manet & ego in eo.*

Ozeæ 2. Ioan. 1. Ioan. 6.

2. QVÆ hæc animæ dignitas vt digna reperta ſit quæ nuberet filio Dei imo Deo ipſi: & ſic eleuaretur vt quo altius conſcenderet non haberet? eſt quidē humanæ naturæ quatenus à Deo creata eſt excellētia magna & dignitas eximia, ſed quia per lapſum Adami multum fuit deprauata, non iā ob ſuum decorē aut dignitatē, quibus eſt ſpoliata, ſed ob immenſam Dei miſericordiā eſt electa, non vt talis, qualis erat, permaneret deformis, ignobilis, obærata, pauper, immorigera, mala, rebellis, inobediēs, ſuperba, & incontinēs, ortū ducēs ab Adamo homine tranſgreſſore & legis Dei violatore, ita vt recte in eam quadret quod Ezechiel ait, *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Hethæa.* Nō itaq; eā Chriſtus adamauit, quia digna erat ſed vt digna fieret, nō quia talis erat eū nimis vilis eſſet aut talis permaneret, ſed vt eā decoraret, nobilitaret, ære alieno oppreſſam liberam redderet, humiliatā exaltaret, pauperē ditaret, eamq; ſibi mundā & glorioſam exhiberet, vt *Paulus ad Epheſios ait*: Tanquā ſi quis rudem arborem in ſylua conſpiceret quam amat & ſibi deligit, non quia talis eſt, aut vt talis permaneat, ſed vt inde ſibi imaginem egregiam ſculpat. Huius rei figura & in Moyſe præceſſit qui ſibi in vxorem iſtam Æthiopiſſam cepit, & in Sampſone qui alienigenam & incircūciſam duxit, Sed neque Moyſes amando ſuam æthiopiſſam dealbare potuit, ſicut Chriſtus ſuam eccleſiam mundauit neq; Sampſon incircumciſam ſuam ad verum Dei cultum perduxit, ſicut Chriſtus ex idololatris veros Dei cultores effecit, vti Paulus ad Corinthios ait, *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis in Chriſto Ieſu.*

Eze. 16. Ephe. 5. 1. Cor. 6.

3. MISIT ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias & nolebant venire. Inuitati erant Iudæi per legem & prophetas: ad hos miſit Dominus ſuos apoſtolos tam ante paſſionem, quam poſt ſuam reſurrectionem: vnde in ſecunda miſſione iuſſi ſunt dicere inuitatis, omnia ſunt parata: hoc in priori miſſione non dicebant ſed tantum inuitatos vocare iuſſi ſūt, quia poſt Chriſti paſſionē & reſurrectionem omnia fuerunt parata quæ ad ſalutem hominum & ſpiritualem eorum refectionem erant neceſſaria: ſua morte enim nos patri reconciliauit, gratiam & gloriam promeruit, ſacramenta quibus fructum paſſionis & gratiam conſequi poſſemus, inſtituit, legem & vitæ regulam præſcripſit, ſalutis ſcientiam per quam ad regnum cœlorum peruenire poſſemus, per ſuos apoſtolos nos docuit, & omnia media quibus & primam gratiam, & eius incrementum, caritatem & cætera ſpiritus ſancti dona percipere valeamus, nobis præſtitit. Et

quod

quod omnium præſtantiſſimum eſt hoc
nobis promeruit vt diuinus ille ſpiritus
mentibus noſtris illaberetur, cuius ſolius
virtus & præſentia adiumẽta omnia, qui-
bus ad beatitudinem promiſſam perueni-
re poſſimus, pleniſſime præſtat. Hunc in
ea plenitudi[illegible]on habebant patres ſub
priori teſta[illegible]o ſicut apoſtoli habue-
Ioan. 7. rũt, quia vt Ioannes teſtatur, ſpiritus ſan-
ctus nondum erat datus, quia Ieſus non-
dum erat glorificatus. Quid autem illi ad
ſalutem deeſſe poterit qui intra ſe ſalutis
& vitæ auctorem poſſidet? Quæ mens
concipere poſſet quibus ille deliciis ſuo-
rum mentes fidelium oblectet? qua illos
caritate incẽdat? qua luce perfundat? qua
virtute roboret? quam illis pacem omnem
ſenſum exuperantem tribuat? quo hono-
Pſalm. 35. re extollat? quo gaudio afficiat? Certe in
illis impletur quod Pſalmiſta ait, *Inebria-*
Iſa. 25. *buntur ab vbertate domus tuæ, & torrente*
voluptatis tuæ potabis eos: & quod Iſaias di-
cit, *Faciet Dominus exercituum omnibus*
populis in monte hoc conuiuium pinguium,
conuiuium vindemiæ, conuiuium pinguium
medullatorum, vindemiæ defecatæ. Tale
quid Paulo cõtigiſſe conſtat cum ad Co-
2. Cor. 7. rinthios ait, *Repletus ſum conſolatione, ſu-*
perabundo gaudio: Quod autem plerique
noſtrum ita exortes ſint dulcedinis ſpiri-
tus, & vitæ ſpiritalis, fit quia non ſatis
mundati ſunt ab omni inquinamẽto car-
nis & ſpiritus, nec ſatis ſitiunt ſalutarem
hunc fontem, ſed deſiderio ſpiritus lan-
guent & torpent.

II. 1. QVosdam nolle venire ſatis inſinuat
De voca- præſens Euangelium, quod ſic ha-
tis ad cõ- bet, *Illi autem neglexerunt & abierũt, alius*
niuium, *in villam ſuam, alius in negociationem ſu-*
ſed venire *am.* Inter inuitatos quidam ſunt qui no-
nolenti- lunt venire, qui nolunt fidem ſuſcipere,
bus. qui vt Iob ait, *dicunt Deo, recede à nobis,*
Iob. 21. *ſcientiam viarum tuarum nolumus*: qui
inſtar veſpertilionis lucem veritatis non
ferunt, quia eam ſuis cupiditatibus con-
trariam inueniunt. De quibus ſic Domi-
Ioan. 3. nus apud Ioannem, *Hoc eſt iudicium, quia*
lux venit in mundum, & dilexerunt homi-
nes magis tenebras quam lucem: erant enim
eorum mala opera. Omnis enim qui male a-
git, odit lucem & non venit ad lucem vt non
arguantur opera eius. Id mirum videri poſ-
ſet alicui, quomodo quis tenebras, quæ
nihil ſunt, diligere poſſit, & lucem quæ tã
eſt optabilis & amabilis, odiſſe: vt per te-
nebras intelligas errorẽ & veritatis igno-
rantiam: per lucẽ vero veritatis cognitio-
nem. Pro quo *notandum* quod tenebræ nõ
diligantur propter ſe, cum nihil ſint, ſed
quia operiũt opera mala, quæ quis facit &
diligit, ne videantur & redarguantur. Sic
odit quis lucẽ & veritatis cognitionem,
non propter ſe, quia omnis homo natura
ſcire deſiderat, ſed ne ab ea redarguatur &
ſcrupulis aut remorſu cõſcientiæ diuexe-
tur, dum ea opera, quæ diligebat & licita
putabat, per lucem & veritatis cognitionẽ
mala intelligit & deſerere cogitur. Et i-
ſtud mirum videtur quod qui male agit
lucẽ oderit, tanquam ſi ægrotus medicũ
fugiat, cum morbus ei cauſa eſſe debeat
cur medicum accerſat: ſic cum lux venerit
non ad damnandum ſed ad ſaluandum, o-
pera mala quæ patrabant, potius cauſa eſſe
debebant cur ad lucem venirent vt ſua o-
pera bene & bona facere poſſint. Qui ma-
le agit, opus malum, propter aliquam vo-
luptatem ſeu vtilitatem quã ex eo perci-
pit, diligit: lux autẽ & veritatis cognitio,
qua quiſq; rem ſicut eſt intelligit, huiuſ-
modi opera manifeſtant non ſolum ſecũ-
dum quod delectant, ſed etiam ſecundum
quod turpia ſunt & pœnam merẽtur, vn-
de oritur timor & conſcientiæ perturba-
tio & remorſus, & ideo qui amat opera
mala fugit veritatis cognitionẽ ne diue-
xetur aut perturbetur ab ea. Sic gentes,
inquit Cyrillus, quæ ebrietatem & carnis Cyril. li. 2.
vitia licita putabant, euangelicam prædi- cap. 55.
cationem huiuſmodi opera damnantem
recipere noluerunt, ſed ſuis opinionibus
licet falſis, quas tamen tanquã veras am-
plectebantur, inhærere malebant, & hoc
modo tenebras diligebãt, quibus mala o-
pera, quæ patrabant & licita putabant, oc-

cultabantur ne eorum malitia & turpitudo pateſceret.

2. SVNT alii qui venire negligunt eo quod bona ſpiritalia tanquam minus nota non tanti faciant vt propter ea conſequenda vllum laborem ſubire velint, ſed terrenis bonis & occupationibus ita ſunt inuoluti propter lucrum aut voluptatem captandam, vt ea quæ ſpiritus & Dei ſunt ſapere nequeant: Quanquam enim cæleſtia bona meliora ſint quam terrena, & Dei caritate frui ſeſeque oblectare ſuauius ſit & honeſtius, quam carnis voluptate pollui, tamen quia cœleſtia bona minus amantur quia minus nota, quam terrena habēt enim & infima bona ſuam ſpeciem & oblectationem, quibus homo cupidus dum allicitur & afficitur, decipitur: dum neglecto ſummo bono minus amato, infimo magis amato adglutinatur & adhæret, hinc fit quod bona cæleſtia, qualia ſunt caritas, pietas, ſapientia, & Deus ipſe minus quærantur, imo negligantur, quādo poſſideatur infima bona magis amata.

3. O STVPENDAM hominum cœcitatem qui tota animi alacritate ad hoc regale conuiuium properare debuiſſent, imo ipſum Deum toto cordis deſiderio ſupplices rogare vt venire poſſent, nullamque moram interponere, ſed omnia relinquere, & præ gaudio exilire, atq; immortales Deo gratias agere, quod ad tātorū bonorū communionē eos vocare dignatus ſit: Hi propter vilem carnis voluptatem, propter exiguum lucrū, labentis ſeculi amore irretiti negligunt omnia quæ ſuæ ſalutis ſunt bona, præferentes æternis caduca, creaturis poſtponentes Deum creatorem, & gaudia falſa veris anteponentes.

Ierem. 2. *Obſtupeſcite ſuper hoc cœli, & portæ eius deſolamini vehementer, Duo mala fecit populus meus inquit Dominus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas quæ non valent continere aquas.* Cum enim magna cupiditate tanquam acri quadam ſiti laborēt, & ad fœlicitatem & ſatietatem, velut ceruus ad fontes aquarum anhelent omnes, fontem aquæ viuæ, in quo pleniſſime ſitim & cupiditatem ſatiare poſſent deſerunt, & ad ea bona quæ ſitim & cupiditatem extinguere non poſſent, ſed prouocare & augere ſolent, confugiunt: dum enim fugitiuos honores, perituras diuitias, & pecorum voluptates ſectantur, quid aliquid faciūt quam quod Iſaias ait, *Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus vacua eſt anima eius*, Ita hi velut per ſomnia oblectantur ſed non ſatiantur, tranſit enim mundus & concupiſcentia eius. Quod autem plus homo creaturis afficiatur quam creatori, & plus terrenis bonis inhiet quam cœleſtibus, & carnalibus quam ſpiritualibus, fit quia cupiditas qua feruntur in bona viſibilia, maior eſt quam caritas qua ſpiritus fertur in Deum, & non fide aut ratione ſed ſenſu & affectu ſuam vitam moderantur. Si autem cupiditas fuerit magna quicquid non eſt quod amatur, nihil eſſe putatur, ſicut, filii Iſrael *pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*, vt pſalmiſta ait, & magis inhiabant cepis & alliis ægyptiacis, quā mannæ Pſal. 105. Num. 11. cœleſti omnem ſuauitatem in ſe habenti.

4. TERTII generis qui vocati non veniunt, ſunt ii qui ſeruos à quibus vocantur contumelia affectos occidunt. Et hi omnium peſſimi ſunt, qui tanquam phrenetici in ſuos benefactores inſurgunt, eoſq; odio proſequuntur: quæ malitia prorſus diabolica eſt, nā ſicut benefacere his qui oderunt nos opus eſt plane heroicum & diuinum, ita è diuerſo malefacere iis qui nobis bene volunt & qui nos diligunt, opus eſt prorſus diabolicum. Tales fuerūt Iudæi & crudeles illi tyranni qui eccleſiā Dei fuerunt perſequuti: Contra quos ſic Iſaias, *væ qui prædaris nonne & ipſe prædaberis? cum conſummaueris deprecationem deprædaberis.* Iſai. 33. Hæc cauſa cur Iudæi Chriſtum & apoſtolos eius oderint & occiderint, quia teſtimonium perhibebant de ipſis quod eſſent mala ipſorum opera: ſic & Ioannes baptiſta ab Herode occiſus eſt quia ab eo redarguebatur adulterii, *nō licet tibi*, inquit Ioannes, *habere vxorem fratris tui:*

& pro-

& profundius hoc verbum incidebat in cor Herodis & Herodiadis quam quiſquam cogitaret, nec illud concoquere poterant, niſi ſeſe morte Ioannis vindicaſſent.

Deut. 20. 5 PRÆCEPERAT olim Deus filiis Iſrael vt ſi ad expugnandam aliquam ciuitatem acceſſiſſent, primum ei pacem offerrent quam ſi ciues recepiſſent, cūctus populus qui in ea eſſet ſaluus relinqueretur: ſi vero eam accipere renuiſſent, oppugnari iubebat & interfici omne maſculinum in ore gladij. Sic Deus homini prius pacem & miſericordiam offert indebitam, quam qui non receperit, debitis ſuppliciis prout improbitas eius meretur, eum excipiet. Inter quæ duo hęc obſeruanda eſt diſtantia, quod miſericordia gratis impendatur, iuſtitia vero non niſi meritis irrogatur. Vnde miſericordia ex Deo eſt, eique proprium eſt miſereri & parcere: Iuſtitia autem quamuis Dei ſit, punire tamē quaſi opus à Deo peregrinum & alienum dicit Iſaias, quia nunquam punit Deus, niſi Iſai.23. peccator prius culpam commiſerit vindicta dignam. Proponit itaq; præſens hoc euangelium nobis & indebitam Dei erga nos miſericordiā, & ſeueriſſimam aduerſus miſericordiæ contemptores iuſtitiæ vindictam, quam non ſolum in Iudæos oſtendit, dum per Romanos eorum ciuitatem ſuccendit, verumetiam in ſeruum illum qui quia veſtem nuptialem non habebat, nuptiali conuiuio ſe indignum exhibuit, quem & propterea in tenebras exteriores proiici iuſſit.

III. De veſte nuptial. 1 PORRO veſtis iſta nuptialis ex varietate virtutum optime concinnatarū & iunctarum texitur, quibus animæ nuditas tegitur & mirum in modum ornatur: Inter quas tamen primas tenet partes ipſa Caritas, quæ ſponſæ & ſponſo conuenit & animam Deo iungit. Hac veſte carent ij qui neglecta caritate & interna pietate nomine tenus christiani ſunt, qui cum amicis quidem cōuiuio nuptiali interſunt dum ſacramenta participant, verbum Dei audiunt & ſcripturas ſacras legunt, è quibus tamen guſtum non percipiunt, neque nutrimentum capiunt, ſed externa quadam ſpecie ea quæ religionis ſunt dumtaxat faciunt. Intrauerat iſte in Eccleſiam, in domum conuiuij, haud dubie per fidem, quia in Chriſtum credebat & baptizatus erat, ſed inter fideles permixtus caritate & bonis operibus deſtitutus non egit vitam homine chriſtiano dignam. Neq; enim *omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt.* Multi etiamſi tota vita mundo & ventri ſeruierint, ad ſacramentorum remedia confugientes eorum virtute ſibi ſalutem pollicentur: Qui certe huius exemplo timere ſibi merito debent: erat enim & hic in conuiuio, & ad menſam ſedebat, particeps fidei, per quam intrauerat, particeps quoq; ſacramentorum & verbi Dei, quib. paſcuntur pij & ſancti, ſed quia veſte nuptiali & caritate caruit, neq; fides illum, neq; percepta ſacramenta iuuare aut ſaluare potuerunt.

2 FIERI quidem poteſt vt per ſacramentorum ſuſceptionem, caritatem conſequantur ij, qui bene præparati accedūt, quia ſacramenta nouæ legis vim habent ſanctificandi præparatos, efficiunt enim id quod ſignificant, niſi aliunde impedimentum interueniat: Sed an ſic ſe gerant hi, ſeſeque ita præparent vt ex attritis contriti fiant, incertum eſt. Quod enim non omnes per ea ſalutēm conſequantur patet manifeſte ex Paulo dum ad Corinthios ait, *Qui manducat indigne, iudicium ſibi manducat*, quaſi dicat tantum 1. Cor. 11. abeſt vt talis ex perceptione venerabilis ſacramenti ſanctior fiat, vt etiam peior euadat, & maiorem damnationē incurrat, & tutius foret non communicare quam indigne ſumere. Cur ergo talibus adminiſtrantur ſacramenta? reſpondet *Auguſt.* Aug. ho. loquens de iis, qui male vixerunt, & dum 41. de vita periclitantur, ad ſacramenta confugiunt, quia incertus ſum, *inquit*, an fructum conſecuturi ſint, ſi certus eſſem, eos

non communicarem, verumtamen dum
communicantur, ſi ipſi ſecuri ſint, ego ſe-
curus non ſum. Si & tu ſecurus velis eſſe,
age pœnitētiam dum ſanus & deſere pec-
cata dum peccare poſſes, elige certum &
dimitte incertum. *hæc Auguſt.* Hoc autem
tutiſſimum quando & ipſi ſacramenta ad-
miniſtranti conſtat ipſum pœnitentiam
digne ſumere ſacramentum, ne ſi promiſ-
cue quibuſvis adminiſtrauerit, peccatis
communicet alienis: nec tamen facile ne-
ganda ſacramenta ne etiam dignum repel-
las & Deum offendas.

IV. De pœnis inferni.

1. LIGATIS *manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores.* Significa-
tur hac allegoria impios in inferno violē-
ter detineri, nec effugere vllo modo nec
reſiſtere aut defendere ſeſe poſſe: Quin &
hoc nobis innuitur cum manibus operari
ſoleamus & pedibus progredi, vnde per
manus opera, per pedes affectus & deſide-
ria ſignificantur in ſcriptura ſacra, repro-
bos in malo ita fore obſtinatos vt nihil
boni aut velle aut facere poſſint, ibi con-
ſummata erit nequitia & perfecta damna-
torum malitia, in qua ſic erunt obdurati
vt mutari aut emendari nullo modo poſ-
ſint, ſicut nec ipſi dæmones poſſunt, iuxta
Eccl. 11. illud Eccleſiaſtæ, *lignum vbi ceciderit ibi
manebit ſiue ad auſtrum, ſiue ad aquilonem,*
hoc eſt, in quo quiſq; affectu morietur
ſiue bono, ſiue malo, in eo permanebit in
ſempiternum: ſi quis in affectu caritatis
mortuus fuerit cadens ad auſtrum, à cari-
tate nunquam excidet: Si vero in affectu
peccati mortalis moriatur cadēs ad aqui-
lonem, ſic in iſto affectu firmabitur & ra-
dicabitur vt non ſolum ab eo nunquam
ſit liberandus, ſed nulla in eo ſit remanſu-
ra benignitas, nulla humanitas, nullus a-
mor, nulla in quemquam amicitia, ſed
Pſalm. 111. plenus odio & inuidia, iuxta illud Pſal-
miſtæ, *Peccator videbit & iraſcetur, denti-
bus ſuis fremet & tabeſcet.* Et cum dam-
nati oderint omnes, maximo tamen odio
Deum proſequentur ipſos punientem,
quantum enim ſuam oderint pœnam &
damnationem, tantum oderint Deum,
inquit Auguſt. huiuſmodi pœnam ipſis in-
ferentem. Vnde Ioannes in ſua Apocaly- Apoc. 16.
pſi, *Æſtuauerunt homines æſtu magno &
blaſphemauerunt Dei nomen habentem pote-
ſtatem ſuper his plagas.* Deinde mutuis ſe
ſe inuicem maledictis proſcindent, qui in
præſenti vita ſibi mutuo cauſa fuerūt rui-
næ & damnationis æternæ. Nam ſicut in
beatis perfectiſſima erit caritas qua inui-
cem ſe diligent, maxime eos qui ipſi cauſa
fuerunt ſuæ ſalutis, ita in damnatis com-
pleta erit malitia, & conſummatum odiū
& inuidia qua non ſolum dolebunt de fæ-
licitate beatorum, verumetiam qua volēt
& optabunt omnes ſecum eſſe damnatos,
etiam parentes & propinquos ſuos, iuxta
illud Ezechielis quod ibi implebitur, *Filij* Ezech. 5.
*comedent patres ſuos, & patres comedent filios
in medio tui.* Hæc eſt enim natura odij
vt quem quis odit, ei male velit, & ſi poſ-
ſit malum inferat; vt patres comedere fi-
lios non ſit aliud, quam hos ſe inuicem
mordere, maledicere & mutuo odio pro-
ſequi.

2 SECVNDVM genus pœnarum inferna-
lium eſt profunda caligo, & palpabiles te-
nebræ exteriores, ita enim hic dicitur, *pro-
iicite eum in tenebras exteriores.* Vt quo
modo intus fuerunt excæcati reprobi ca-
rentes veritatis lumine, ita in huius igno-
rantiæ ac cæcitatis vindictam luce priuē-
tur externa: *per quæ quis peccat,* inquit
Sapiens, *per hæc & punitur:* lumen reficit Sap. 11.
& oblectat oculos, caligo & tenebræ
grauant & contriſtant animum. Et futu-
ras ibi tenebras exteriores & ſcriptura
manifeſte docet & ratio commonſtrat:
ſcriptura quidem quia ſic Iudas de impiis Iudæ.
ait, *Quibus procella tenebrarum ſeruata eſt
in æternum:* & Propheta Iob, *Dimitte me* Iob 10.
*vt plangam paululum dolorem meum, ante-
quam vadam ad terram tenebroſam & oper-
tam mortis caligine, terram miſeriæ tenebra-
rum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed
ſempiternus horror inhabitat.* Ratione au-
tem id commonſtratur hoc modo, Infer-
nus eſt carcer tenebroſus in medio terræ

& viſceribus eius ſitus, quo nec ſol, nec luna, nec aſtra ſuo lumine pertingere poſſunt. ignis vero infernalis non lucitus nec ſplendens erit, ſed turbidus, fœculentus, ſulphureus & fumoſus, *teſte Thoma*, in tantum tamen lucebit, teſte eodem, vt ſequaces ſuos ſecum in tormentis flamma illuſtrante reprobi ſint viſuri. Et Baſilius explicans illum verſum Pſalmi 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, dicit quod virtute Dei in vltima mundi purgatione ſeparanda ſit claritas ignis ab eius virtute aduſtiua, ita vt claritas cedat in gaudium beatorum, vſtiuum vero ignis in tormentum impiorum; vt ſicut omnis creatura beatis erit materia gaudij, ita dãnatis ſit omnis creatura futura cauſa ſupplicij, iuxta illud Sapientis, *Pugnabit cum illo orbis terræ contra inſenſatos.* Item Gregorius, Ignis infernalis, *inquit*, concremationem habet, ſed lumen non habet, flamma illa exurit, ſed tenebras non pellit.

S. Tho. 3. par. qu. 97 art. 4.

Sap. 5.

Greg. libr. 9 cap. 46. Moral.

Adfert *Thomas* inſuper & aliam rationem tenebrarum in inferno exiſtentium. nimirum ex commaſſatione corporum damnatorum, quæ præ multitudine ita replebunt locum inferni vt nihil ibi de aere quod eſt ſubiectum luminis remanere poſſit, & nihil ſit ibi de diaphano quod poſſit eſſe capax lucis aut tenebrarum, niſi oculi damnatorum qui erunt obtenebrati.

Thom. 3. part. q. 97. art. 4.

3 Corpora autem damnatorum, qui erunt concludendi in hoc carcere, fore ita iuncta & compacta, patet ex Iſaia, vbi ſic habet, *Congregabuntur congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere:* & apud Matthæum de zizaniis dicitur, *Alligate zizania in faſciculos ad comburendum*, per zizania autem reprobi & damnandi intelliguntur. Rurſum Propheta Dauid, *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Id autem dicitur non ſolum quia adulteri adulteris, homicidæ homicidis, ebrioſi ebrioſis, auari auaris ſunt coniungendi & veluti per certas claſſes in inferno collocandi & colligandi, iuxta illud Iſaiæ, *Illic congregati ſunt milui alter ad alterum*, per miluos intelligendo homines rapaces: verumetiam quia ita iunctim erunt compacti, vt ſe mouere non poſſint: hoc enim ſcriptura ſignificat cum ait, *ligatis pedibus & manibus proiicite eum in tenebras exteriores.* Cum enim *infinitus ſit ſtultorum numerus* teſte Eccleſiaſtico, tantam multitudinem, quanta damnatorum erit, infernus capere non poſſet, niſi inuicem ſibi iungerentur preſſius. *Dilatauit* quidem *infernus os ſuum abſque vllo termino*, vt Iſaias habet: & *Topheth ab Hert præparata à rege profũda eſt & dilatata*, vt idem ait, eſt enim immenſa concauitas in viſceribus terræ, vt continere valeat omnia damnatorum corpora: Tamen cum ibi claudantur damnati, ſicut facinoroſi homines in carcere concludi ſolent, vt luant quod meruerunt & ex acerbitate pœnæ intelligamus enormitatẽ culpæ, claudentur ibi & preſſe ponentur prout meruerint.

Iſai. 24. Matth. 13. Pſalm 48. Iſai. 34. Eccl. 1. Iſai. 5. Iſai. 30.

4 Tertium genus pœnarum hominum damnatorum ſicut & ipſorum dæmonum eſt ſupplicium ignis, iuxta illud Matth. *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis eius:* & iuxta illud Pſalmiſtæ, *Ignis, ſulphur, ſpiritus procellarum pars calicis eorum:* rurſum Ezech. *Ecce in igne zeli mei locutus ſum quia conflabo vos & ſuccendam vos in igne furoris mei & ſufflabimini in medio eius ſicut conflatur argentum in medio fornacis:* Cui conforme eſt quod Iſaias ait: *Præparata eſt à rege ab hort Tepheth, nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Deniq; Matthæus, *Paleas comburet igni inextinguibili*: paleæ ſunt homines leues & infrugiferi, nullius valoris, & nulla morũ grauitate conſtãtes. Aget autem hic ignis tanto acrius ac vehemẽtius in quemcũq; quanto amplius quiſq; in peccatis fuerit delectatus, iuxta illud Ioannis in ſua Apocalypſi, *Quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Quantum inhæſit amor tantum affliget dolor, *inquit Auguſt.* Et Gregor. vnus eſt

Matth. 25. Pſalm. 10. Ezech. 5. & 22. Iſai. 30. Matth. 3. Apoc. 18.

eſt quidem gehennæ ignis, ſed non vno modo omnes excruciat peccatores, ſed, tantum quiſq; ſentiet de pœna quantum exiget culpa. Nam ignis ille quamuis propriam vrendi vim habeat ac naturaliter agat, tamen quia aget tanquam inſtrumentum diuinę iuſtitiæ, ideo magis affliget vnum quam alterum. Ex quo etiam fiet vt non ſolum ipſa corpora ſit aduſturus, ſed & dæmones & animas à corpore ſeparatas: quamuis enim ſpiritus non ſit ſuſceptiuus corporeæ qualitatis vt poſſit dici aut frigidus aut calidus, tamen ſicut virtute diuina ignis egit in aquã, ſic enim
Sap. 10. Sapiens ait, *Quodam tempore in aqua ſupra virtutem ignis exardeſcebat vndique*: ita & ſupra virtutem affliget dæmones, vt quãuis ſpiritus non ſit capax caloris, capax ſit
Iob 24. tamen aduſtionis ſeu afflictionis caloris. Nec id mirum cum & corpora damnatorum qui trãſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium, hoc eſt, ex vehementiſſimo calore ad vehementiſſimum frigus, vt
S. Tho. 3. part. q. 97. art. 1. *Thomas* ait, alteranda ſint, non per tranſmutationem corporis à ſua priſtina & naturali diſpoſitione, ſicut nunc accidit, ſed per actionem ſpiritualem, ſecũdum quod ſenſibilia agunt in ſenſum imprimendo formas ſecundum eſſe ſpirituale & non ſecundum eſſe materiale: neq; enim albedo dum videtur, reipſa in oculo ſuſcipitur, ſed ſpiritalis forma illius. Ita calor ſuſcipitur in animabus damnatorum non ſecundum eſſe materiale, ſed ſecundum eſſe ſpirituale, quod non minus agit in dæmonem & animam damnatam, quam ſi calor ſuſciperetur in iis ſecundum ſuam ſubſtantiam ſeu ſecundum eſſe materiale.

5 PORRO quamuis ignis ſic ſpiritualiter agat, eſt tamen re vera ignis infernalis ignis corporeus qui videri poteſt & ſentiri, & eiuſdem ſpeciei atq; naturæ cum noſtro igne corporeo. Cum vero apud nos variæ ſint ſpecies ignis, terreſtris vnus ſicut carbo, qui terreſtri materia nutritur: aerius, ſicut flamma: ſulphureus, eo quod ſulphur ex principio interno naturam habeat ignis: exiſtit etiam ignis in ſua ſphæra in propria ſua materia abſq; alio nutrimento. Cui ex omnibus iſtis ſpeciebus ignis inferni comparari debeat quæri poſſet. Et imprimis ſemouendus hic eſt error Pythagoræ ſtatuentis inferni locum in ſphæra ignis: quod nullo modo ſcripturæ ſanctæ eſt conforme, quia dicitur *in lib. Num.* quod Dathan & Abiron diſrupta terra ſub pedibus eorum viui deſcẽderint Num. 16.
in infernum operti humo, ita vt certum ſit infernum eſſe ſitum in medio ſeu centro terræ, vnde & Chriſtus deſcẽdiſſe dicitur ad inferos. Dico itaq; probabile omnino eſſe quod ignis iſte ſit ſulphureus quia, ſic habet Iſaias. *Fletus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens Topheth.* Et Ioannes in ſua Iſai. 30.
Apocalypſi, *Si quis adorauerit beſtiam bibet de vino iræ Dei & cruciabitur igne & ſulphure, & fumus eorum aſcendet in ſecula ſeculorum, & non habebit requiem die ac nocte:* Apoc. 14
Rurſum ait Petrus, quod ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum ſubuertens Petr. 2. epiſt. c. 2.
Dominus exemplum eorum qui impie acturi ſunt poſuerit, *pluit autem Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem*, vt dicitur in Geneſi. Eſt autem ſulphureus ignis maxime aduſtiuus & penetratiuus, obſcurus & minime lucens. Gen. 19.
Quod inferno conuenit.

6 REFERT *Gregor. lib. 4. dial. cap. 36.* de quodã monacho cui nomen Petrus, quod defunctus & mortuus, ſed mox vitæ reſtitutus, inferni ſupplicia, atque innumera flammarum loca vidiſſe ſe teſtabatur: qui etiam quoſdam huius ſeculi potentes in iiſdem flammis ſe vidiſſe narrabat. Qui cum ductus eſſet vt in illas flammas & ipſe iam mergendus eſſet, ſubito angelum coruſci habitus apparuiſſe fatebatur, qui eũ in ignem mergi prohiberet. Cui dixit inſuper, Regredere & qualiter tibi poſthac viuendum ſit, vide: poſt quam vocẽ paulatim recaleſcentib. mẽbris à mortis ſomno euigilans, cuncta quæ circa illum fuerant geſta, narrauit, tantiſq; ſe poſtmodũ ieiuniis vigiliiſq; afflixit, vt inferni eum vidiſſe & pertimuiſſe tormenta, etſi taceret lin-

xet lingua, conuerſatio loqueretur. Non id mirandum, quod homines rigorem agnoſcentes & ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ, tam rigidam ſubiuerint pœnitentiam, minore enim pœna ſatagebant euadere maiorem, metuẽtes illud *Iſa.* 33. & ſemper ob oculos ſtatuentes, *Quis ex vobis habitabit cum ardoribus ſempiternis?* Sed hoc magis mirandum quomodo homines huius ſeculi, qui ſe mortales agnoſcũt tanta ſecuritate in peccatis vitam tranſigunt. Quod nõ aliũde niſi ex fidei defectu prouenit; aut quia non credunt, quæ ſcriptura de his tormentis commemorat: & qui non credit Moyſi aut Prophetis, etiamſi quis reſurgeret à mortuis, nec ei crederet, vt dicitur, *Lucæ* 16. Aut ſi credunt non niſi mortua fide credunt, quia quæ credunt ad memoriam nõ reuocãt, non morib exprimunt: de quibus ſic Moyſes Deut. 32. *Gens abſque conſilio eſt & ſine prudentia, vtinam ſaperent & intelligerent ac nouiſſima prouiderent.*

7. Quartum genus pœnarum eſt ſocietas dæmonum. Erit enim horribile tot dæmones in ſua deformitate conſpicere: nam ſi horrorem homini incutit homo à dæmone obſeſſus, vt nemo non eius vultum horreat, & conſortium fugiat, quanto magis horrebit quiſq; ſi ipſum dæmonem in ſe conſpiciat. Et non ſolũ ipſi dæmones, ſed vniuerſus damnatorũ cumulus viſu terribilis erit. Nã quemadmodum Sanctorum corpora fulgebunt ſicut ſol & florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante Dominum. Ita è diuerſo de cadaerib. damnatorũ aſcẽdet fœtor teſte
Iſa. 34. *Iſaia* & dabũtur in opprobriũ ſempiternũ: nam ſic ait Propheta Nahum ca. 3. *Ecce ego ad te dicit Dominus & proiiciam ſuper te abominationes, & oſtendam in regnis ignominiam tuam.*

8. Qvinto non ſolum pœnam ſenſus ſed & pœnam damni, quæ conſiſtit in carentia viſionis Dei, ſuſtinebunt damnati, vt autem videre Deum ſummum bonum eſt, ita ſumma miſeria eſt, *ait Chryſ.* priuari eius viſione. Pro quo *notandum* quod in quolibet peccato duplex malum reperiatur: eſt ibi auerſio à ſummo bono, & inordinata conuerſio ad bonum infimũ quod peccator plus amat quã ſummũ bonum quod Deus eſt: ſic peccator duplici punitur ſupplicio, & pœna damni, quæ reſpondet auerſioni & pœna ſenſus quæ retribuitur delectationi, tanto maior vel minor, quãto ipſa delectatio fuerit maior vel minor. His omnibus accedit quod omnium eſt infœliciſſimum, nullam damnandorum pœnam eſſe vnquam finiendam. Nã poſtquam eam perpeſſi fuerint per multa milia annorum, tunc demum incipient, vnde & deſperatio oritur, & in Deũ blaſphemia, iuxta illud, *Æſtuauerunt homines æſtu* Apoc. 16.
magno, & commanducauerunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus ſuis, & Iſa 66. *vermis eorum non morietur & ignis eorum nõ extinguetur*: per vermem intelligens rodẽtem conſcientiam & conſcientiæ remorſum, qui non parum affliget eos ibi. Quærit Greg. *lib.* 4. *dial.* quomodo Deus peccatum quod tam breui tempore committitur, pœna puniat æterna? & reſpondet, quod Deus reſpiciat nõ tam actum peccati trãſeuntis, quam affectũ peccantis, qui ſine fine voluiſſet peccare, ſi ſine fine potuiſſet viuere, iuxta illud Eccl. 11. *Lignum ſi ceciderit ad aquilonem, ibi manebit*, h. e. Homo ſi moriatur extra charitatem, eam nunquã recuperare poterit. Et æquum eſt vt nunquam liberetur à pœna, qui nunquam caret culpa.

Pars II.

Simile eſt regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio ſuo.

Matth. 22.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Cur Christus ſponſus, eccleſia ſponſa dicatur.*

II. *Cum anima Christiana Christo relicto alteri adhæret, adultera dicitur.*

III. *Synagoga reiecta congregatur ex gentibus ecclesia.*

IV. *Continet ecclesia bonos & malos.*

ART. I. Cur Christus sponsus Ecclesiæ sponsus dicatur.

1. QVEMADMODVM qui matrimonio iunguntur vna caro fiunt, iuxta illud Gen. 2. *Et erunt duo in carne vna*, imo teste Paulo, *Qui adhæret meretrici vnū corpus efficitur. Ita qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* Omnia n. quæ habet sponsus, si cōmunicabilia sint, cōmunicat sponsę: diues est nos in illo diuites efficimur: sapiēs est, etiam sponsam suam spiritu sapientię imbuit: ipse potens est, pōtest & ipsa in eo omnia. Nec hoc sponso sufficit si sponsam suam variis virtutib. tanquam carbunculis exornet, verū & ipsam sibi iungere cupit vt ipse in illa, illa in ipso sit, quo modo ait Bern. ignis est in ferro, & ferrum ignitum in igne, aut sicut lumen est in aere lucido, & aer in lumine, verum illud in futura demum complebitur vita quādo videbimus eum sicuti est. Fuit tamen in Christo homine etiam in hac vita impletum, quia simulatq; verbum diuinum vnione hypostatica humanam sibi copulauit naturam, anima Christi perfecte Deum vidit eiq; copulata est, vt Deus in ipsa, & ipsa in Deo fuerit, processitq; de vtero virginali tanquam spōsus de thalamo suo, *teste Dauide Psal.* 18.

2. MAVVLT autem Christus Dominus sibi assumere nomen sponsi, quam mariti, quo ergo sponsam suam maiorem declaret dilectionem, tūc n. amor solet esse vehementior & flagrantior: tempore n. procedente amor ipse cōponitur. Sponsus ergo noster vt magnitudinē insinuat sui amoris, qui tempore non decrescit, amicā suam sponsam appellat, eo quod illius amor semper nouus fit. Sed quia sponsæ etiā carnaliter diliguntur, vt in amore spōsi nostri nihil carnale sapias, ipsam sponsā suam sororem appellat: sic n. ait Can. 4. *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*, Vbi bis positum est, vulnerasti, *ait Ber.* quia non solum corpus vnus visibile in latere suscepit, sed & inuisibile vulnus corde passus est amoris. Et vtriusq; vulneris ipsa soror sponsa causa dicitur, quasi dicat sponsus, Quia zelo amoris tui vulnerasti me, lancea quoq; militis vulneratus sum, vt per vulnus visibile quod cor ipsum penetrasse videtur, vulnus inuisibile amoris videamus. *Hæc Bernard.*

hæc Bern. tra. de pas. Dom. ca. 3.

3. VERVM anima in sponsam Christi nō assumitur, nisi pristinā conuersationē derelinquat, ac deprauatos mores exuat, & nouū hominē qui secundū Deū creatus est in sanctitate & iustitia induat. Nā sicut Ruth illa ex alienigenis mulier, nisi prius reliquisset parētes, nisi domum contēpsisset & gentem, & patriam & cognatos, nūquam profecto tali fuisset nobilitata coniugio, vt Boos iungeretur in matrimonio: Ita Ecclesia etiam non ante amabilis efficitur sponso, quā priorē conuersationem relinquat. Et considera quæ in Ruth facta sunt, & inuenies nostri figuram fuisse: hæc n. erat alienigena & in extremam delapsa pauperiem, sed videns eam Boos, nec ob ipsius paupertatē despexit, nec ob impietatem gentis exhorruit, sed ipsi Boos matrimonio iūncta, magna est effecta, vt etiam mater fieret Regum & principum ex ipsius n. stirpe Dauid aliiq; Reges descēderunt. Hęc ecclesiæ figura fuit, quā Christus alienigenā & magna paupertate oppressā sibi copulauit vt ditaret, exaltaret, & sanctificaret. Non n. in morem carnalis sponsi qui integrā virginem carnali coniugio violat & mulierem facit ait *Basi. li. de virg.* animarum quoq; nostrarū spōsus incorruptā animā sua communione cōmaculat, sed inquinatā potius à diabolo per voluptates corporis, nactus eā ex muliere polluta immaculatam virginem efficit. Sic n. Paul. ait ad Eph. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* Ideo Iere. 3. sic eum interpellat, *Dux virginitatis meæ tu es.*

hæc Chrys. ho. 3. in Mat.

4. ETENIM sicut sponsus eius thronos & domi-

abominationes deserēs illi ratione mortalitatis adhæsit, vt vnū cū illa misericorditer factus, sua illā gloria & immortalitate donaret: Ita & ipsa ei, qui sua gratia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens propter nimiam vim amoris immortalitatis ratione inhærere debet, vt in cœlestem quoq; thalamum ad patrem ascēdēti conscendat. Neq; n. ideo descēdit Christus vt inhærēdo sponsę remaneret in terris, sed vt assumens eam atq; in meliora cōmutans ad cœlos reueheret ac gloriosā efficeret. Quod si pro sponsa sua seipsum tradidit sponsus Christus vt eam sanctificaret, debet & ipsa omnes occasiones quæ ipsam maculare possent longe cohibere, & ante omnia oportet sponsam virginem cogitationes suas puras, inuiolatasq; seruare, vt cogitet ea quæ Domini sunt. Anima quippe perdurante incorrupta, corpus quoq; impollutum seruatur. Porro si pessimis cogitationib. contaminetur anima, quamlibet corpus incorruptum manere videatur, non tamen munda censetur eius integritas, cū sordib. cogitationum inquinetur & vitietur. Serenum itaq; oportet esse sponsæ virginis animū, ac diuinis cogitationib. velut ex purissimo quodā fonte stagnantem, tranquillum, pacificumq; durare, vt neq; inuectis extrinsec⁹ per aures verbis agitetur, neque irruentibus per oculos formis, à statu illo suæ quietis fluctuās deuiet: ita enim velut in lucidissimo speculo & suam speciem & sponsi pulchritudinem intuens, illius amore charius ac germanius exsatiabitur. Quocirca necesse est virginem spōsam in hoc ęq; præclaro speculo nullam aliam intēdere faciem, nec illam quæ prius inerat, ipsa continuo subrepens deleat: nulliusq; nisi sponsi solius in se pręferat speciem, vt solus ille in ea propriam cernat imaginem, solamq; anima ipsius formam in speculo suo habeat lucentē, cuiusq; pulchritudine ornari iugiter appetat. Nullius igitur absentis, nullius præsentis hominis speculum sit virginis sponsæ anima, nisi sācti sponsi sui, nulla prorsus in ea alia quam sponsi inspiciatur forma: nullam aliam ob rem speculum animæ studiose ipsa detergat, nisi vt ille huic suæ pulchritudinis irradiās speciem, illam beatissimam faciat. *hactenus. Basil.*

5. QVAPROPTER caueat virgo sponsa ne aut aspectum, aut motum, aut sermonē suum affectu minus pudico in quempiam ferat, *ait*, motusq; omnes & animi & corporis in spōsi sui seruitium redigat, vbiq; n. ille eius intuetur cor, & motus omnes diligenter explorat. Nulla igitur ex parte mœchari conuenit virginē, nō lingua, nō aure, non oculo, non tactu, nō vllo deniq; sensu, multoq; minus animo, sed corpus quidem veluti delubrū quoddā, aut sponsi thalamū aptissime instruere atq; seruare animam v. nō hoc ipso vt sponsā nitidam ac purissimam sponsi amplexibus solicite iūgere curet: si solicite cogitat quomodo placeat Domino, nihil eorum præsumere debet quæ illi non placent. Quod si quia nullus hominum videt, fuerit vel verbo, vel nutu procacior, aperte deprehenditur ad sponsi sui contumeliam dignitatem, qui cū tentionū cordis testis sit intimus & arbiter, maxime auersatur huiusmodi fallacē, simulatamq; voluntatem. Et idcirco imprimis fucatam virginitatis speciē odit, ꝙ quę eiusmodi est, oculos hominum fallat, sponsamq; se illi iugiter exhibere putetur, cū neq; spōsa ipsius, neq; hominis aperte sit vxor sed dū opinionē virginitatis per exteriorē habitū ab hominib. captat in oculis sponsi adultera est: impieq; in eum contumeliosa est, quādo ante oculos hominum, ne existimationem suam fœdet, indecens aliquid agere non audet obtutibus qui semper præsto est sine vllo pudore gerit omnia *hæc Basilius.*

6. QVASI igitur præsente spōso, & inspectāte omnia & audiente virgo spōsa se habebit in omnib. Etsi n. adsit nemo ipso tamē sibi virgo adest, deberq; ꝑ omnib. seipsā reuereri, etiāsi sola sit: Deinde angelū custodē adstantē sibi: præ cunctis a. ipsum spōsū suū reuerebitur sibi vtiq; assistentē, angelorumq; infinitā multitudinē. Nullus enim ex his est qui non singula vbique

considerer: ex hac ergo ratione si latere virgo plures quærit, longe hos magis qui tales ac tanti sunt, quam homin[illegible]s rene-reri debet merito & quia pauescit multitudinis obrutus, hos autem vitare impossibile est, qui sunt infinita multitudo, nihil vnquam indecens faciet aut à proposito suo alienum. Nullus etiam seruus eo impietatis erumpat, vt sponsam Domini cõtingere audeat, nullus adeo insanus ac sacrilegus sit, vt immaculatam hostiam impudicis manibus tractet: Nullus adeo impius impuru'q; sit, vt non inanimata templi vasa, sed ipsum templum Domini, virgineum scilicet corpus, ipsamque animã omnium preti[illegible]ssimam in templo Dei sacrat[illegible] [illegible] vice locatam, libidinis [illegible] succendat, verum [illegible] virgo, sponsi fœde[illegible] esse, sa[illegible]lterat, cunctaq; sim[illegible]l & temp[illegible]a & dom[illegible]a, & charitatẽ spōsi perniciosa vol[illegible]ptat[illegible] g[illegible]atia calcate nitatur: [illegible] huiusmodi adscelus tu acquiescere, neq; re pecc[illegible] comm[illegible]nione commacules. Quod si qui dimissam à mortali viro ducit, adulter est & impius, qui immortalis viri sponsam nunquam dimissã violare præsumit, multo profecto funestior erit: Nam etiamsi ipsa velit, viuit tamen eius vir qui illam dimittere non vult. *Hactenus Basil. lib. de virginitate.*

II. Quando anima cẽseatur adultera.

1 SPONSA Christi neque abiecta neque polluta esse potest, sed virgo munda, incontaminata & incorrupta tũ fidei simplicitate, tum animi candore, tum actuũ puritate, & morum honestate, quia qui iungitur Deo, vnus spiritus efficitur cum eo: Cum igitur Deus purus, sanctus & impollutus sit, talem etiam spõsam requirit, vt ab eo concipiat spiritum salutis & pariat generosam progeniem pudicitiæ castitatis, mansuetudinis, patientiæ, charitatis ac cæterarum virtutum semina. Tunc in ea locum habebit quod Paulus ait, *Saluabitur mulier per filiorum generationem*, ait Orig. *hom. 22. in Leu.* Quod si adulterum diabolum admiserit, & ab eius inspiratione & suggestione conceperit semen nequam, pariet & ex eo spiritum superbiæ & inuidiæ, spiritũ iræ & impudicitiæ, & peccata ac scelera alia per quæ fiet in interitũ apta. Et quemadmodum in communi vita sunt quædam adulteræ quę mæchantur & adulterantur cum verecundia latere cupientes: Aliæ vero quæ non solum pudore delicta non celant, sed cum omni procacitate se prostituunt, quibus facta est frons meretricia vt erubescere nesciant: Sic fit & inter homines, *inquit Origen.* Qui enim vincuntur à peccato, & peccantes latere cupiunt, similia faciunt meretrici erubescenti. Qui vero omni pudore postposito cum procacitate delinquunt non curantes, nec Episcopum, nec quemuis alium, hi similes sunt publicis meretricibus, De quibus sic Ezechiel, *Fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ*: Talis erat & illa de qua Ierem. *Sub omni ligno frondoso prosternebaris meretrix*: quia nimirum instar meretricis omnibus prostituta erat, & omnibus patebat, ita vt intraret ad eam, modo quidẽ spiritus fornicationis, illo secedente mox succedit spiritus auaritiæ, post hunc venit spiritus superbiæ, inde iræ, & hinc inuidiæ. Hoc enim est quod Luc. 11. dicitur, *Cum immundus spiritus exierit ab homine, quærit requiem & nõ inuenit & dicit, Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit inuenit eam scopis mundatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se & ingressi habitant ibi.*

Orig. in c. 16. Ezech.

Ezech. 16.

2. IN eas competit & illud Ezechiel. 16. *Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis & donabas eis vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum.* Congregit mercedes fornicando, qui peccando fit diues *inquit Origenes*, & gloriam in hoc mundo conquirit, & prospere in omnib. agit. Quando hæc fiunt dantur mercedes meretrici: quando vero scelerate quis viuit, & non agit prospere in rebus secularibus, sed per hoc quod peccat infœliciter viuit, vt videre est in furibus, latronibus, sagis,

Orig. in c. 16. Ezech.

fagis maleficis, & similibus, insuper dat bona viri sui, vtpote iustitiam, castitatem, pietatem, caritatem & cætera bona spiritualia prostituit, tunc dat mercedem amatoribus suis, *inquit Origenes*, quia dum iis bonis eam spoliant dæmones, perdit ornamenta sua recedens à Domino.

August. hom. 1. de ser. Do. in mon.

Sed hic *notandum* ex *Aug.* in sacris litteris omnem malam cõcupiscentiam fornicationem vocari, quando anima neglecta superiore lege qua regitur, inferiorum naturarum turpi voluptate quasi mercede prostitura corrumpitur. Hoc malum digne deflere non valeo, inquit Aug. *tract.* 13. *in Ioan.* etiamsi totus in lachrymas conuersus fuero. Clamat Ioan. *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt.* Sicut enim si sponsus sponsæ suæ fecerit annulum, & illa acceptum annulum plus diligeret quam sponsum suum, Nonne, *inquit August.* in ipso dono sponsi, adultera anima deprehenderetur, quamuis hoc amaret quod sponsus dedit? si diceret, sufficit mihi annulus iste, iam illius faciẽ videre non appeto, quis hanc amentiam non detestaretur? Ad hoc tibi dat arrham & annulum sponsus vt in arrha sua ipse ametur. Si ergo dedit tibi Deus omnia ista, ama illum qui fecit & dedit ista, plus est quod tibi vult dare, id est, teipsum, qui fecit ista. Si deseris eum qui fecit ista, & amas illa quæ fecit deserto isto, adulter es, teste Iacobo qui ait cap. 4. *Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo?* Multos adulteros video, *inquit August.* qui etiam sponsam tanto pretio emptam, amatam fœdam vt pulchra fieret illo decoratore qui eam emit, possidere volunt, & id agunt verbis suis vt pro sponso amentur.

Augusti. tract. 2. in 1. cano. Ioan.

Origen. hom. 6. in Exo.

3. DICIT Dominus Exod. 20. *Ego Deus fortis & zelotes* Ideo *inquit Orig.* zelans dicitur Dominus, quia animam sibi desponsatam non patitur cum aliis commisceri. Nam quemadmodum zelando solent mariti vxorum pudicitiam custodire, ita potestatem & disciplinam Dei, qua fornicari animam impune non sinit, zelum Dei scriptura vocat. Est ergo dilectio in vindicante, diligitque Deus quos corripit, vt ait *Paulus* 1 *Cor.* 11. eo quod omnis tẽporalis vindicta infirmos animos terreat, vt enutritos sub disciplina erudiat, atq; à sempiternis & ineffabilibus suppliciis possit auertere, quia plus timẽt carnales homines quod in præsenti Deus vindicat, quam illud quod futurum minatur. Hic ergo Deus zelans si desiderat animam tuam adhærere sibi, si minatur vt à peccato te præseruet, si peccantem corripit, castigat, indignatur & irascitur, & velut zelotypia quadam erga te vtitur, spem tibi salutis esse agnosce. Si vero castigatus non resipiscis, correptus non emendaris, sed contemnis & peccatum peccato adiicis, time ne à te recedat zelus eius: Sicut Dominus Hierusalem minatur, Ezech. 16. dicens, *Propterea discedet zelus meus à te, & non irascar vltra super te.* Hoc est terribile & extremum malum, cum iam non corripimur nec flagellamur pro peccatis, sed permittit nos Deus agere quod libuerit & placuerit, tanquam si medicus desperans de salute ægroti manum abstrahat, & comedere quicquid voluerit sinat.

In proximo est vt qui talis fuerit, libellus repudii ei detur & dimittatur. De quo Isa. 50. *Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam?* In quem locum sic *Hiero.* Putatis mea duritia matrem vestram terrenam Ierusalem esse proiectam: & quod ego mentis rigidę dederim ei libellum repudii, & non potius quod verum est intelligitis, illam suo à me vitio recessisse? Dicente enim me ad eam, *Quiescite inique agere, discite bonum facere, audire me noluit, sed vertit contra me scapulam. Ecce in sceleribus vestris dimisi matrem vestram: quia veni & non erat vir, vocaui, & non erat qui audiret.* Vnde adulteram matrem vestram vltra tenere non potui, sed volentem abire permisi, vt sciatis non à me repudiatam matrem vestram, sed voluntate propria recessisse, quia vocaui & non erat qui au-

 diret,

ducet, vnde relictus prius dereliqui eam: hæc *Hieron.*

Hieron. explicans hunc locum.

4. DE muliere autem forti, casta & fideli, scriptũ est Prou. 31. *Confidit in ea cor viri sui.* Certissime sciens, *inquit Hiero.* quia nihil contra suam voluntatem agere, nulla adulterina cogitatione possit contaminari, cuncta pro suo amore etiam aduersa libenter tolerat, quoscumque valet ad suam amicitiam conuertere desiderat. Nouit enim spiritum gratiæ quem dedit, nouit virtutem caritatis quam eius præcordiis infudit. Ideoque non dubitat eam non solum à fidei suæ integritate nequaquam posse corrumpi, sed etiam perseuerantei insistere, vt plures ad eiusdem fidei congreget vnitatẽ. *Reddet ei bonum & non malũ omnibus diebus vitæ suæ.* Reddit quippe anima Christo bonum cum præceptis ab eo vitæ muneribus rectè viuendi respondet. Et bene addit, & non malum, quia sunt profectò qui fidem quam pro- hæc Hieronym. fessione seruant prauis operibus corrumpunt.

III. Synagoga reiecta ex gentibus congregatur Ecclesia. Chryso. hom. 21. in Gen.

1. ITE *ad exitus viarum & quoscumque inueneritis vocate ad nuptias.* Absurdissimũ, *inquit Chryso.* quod qui de terra in cœlum vocamur frigidas plerumque prætexamus causas, neq; nos promissorum magnitudo, neque visibilium rerum vilitas, neque quod momentaneæ sint, neque vocantis dignitas moueat vt vocanti obtẽperemus, sed ea quæ auolant antequam habeantur præferamus iis quæ nunquam finem sunt habitura. Ad pœnitentiam te vocat magni consilii angelus, quid aliena consilia prẹstolaris? Ab ore putei gehennæ eripior & cunctabor exire? *inquit Bernar.* Ad nuptias famelicus vocor & non propero. Sed mirum alicui videri posset, quomodo ad nuptias vocentur, cum alibi beatos prædicet eos Dominus qui lugent: & Isa. 22. in eo reprehẽdãtur homines, quod cum à Deo vocarentur ad fletum & planctum, ipsi è contra ad gaudium & lætitiam conuersi sint, occidere vitulos & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinũ, *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur: Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* An non est vox sanctæ ciuitatis Ierusalem quæ dicit, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte:* & alibi, *Gemitus meus à te non est absconditus:* & rursus. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam,* vnde dicit *August.* quod quanto quisque est sanctior, & desiderii sancti plenior, tanto sit eius in orando fletus vberior, vtique regio ista scandalorum est, & tentationum, & omnium malorum: nihil autem tam coniunctum miseriæ quam luctus, & nihil tam remotum & contrarium miseriæ quam gaudium, *hac August.* Hic notandum quod cùm diuina bonitas ad fletũ nos vocat, ad nuptias inuitet in quibus epulemur, luctu enim suo anima pascitur, quia ad superna gaudia flendo sublimatur, *inquit Gregor.* Iustorum enim gaudium hic inchoatur, *teste August.* perficitur autem in cœlo. Nam quanquam omnis disciplina in præsenti non videatur esse gaudii, sed mœroris, vt *Paulus ait ad Hebr.* postea tamen fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Etiam spes ipsa dulcis est, sed res dulcior erit: & homo non solum in futura vita comedet fructus laborum suorum, sed teste Psalmista, etiam in hac vita comedit labores suos: sic enim ait, *Labores manuum tuarũ manducabis beatus es,* scilicet nunc, & bene tibi erit, in futuro. Sic Apostoli gaudebant quia digni habiti sunt pro nomine Iesu cõtumeliam pati: sic & Psalmista ait, *Fuerunt mihi panes lachrymæ meæ die ac nocte,* quia teste *Augustino*, dulciores sunt lachrymæ orantium, quam gaudia theatrorum.

Aug. de ciui. lib. 20. cap. 2. & in 85. Psal.

Grego. libro. 5. mor. c. 7. Aug. in Psal. 118.

Psal. 118.

2. MITTVNTVR autẽ serui ad exitus viarũ vt clament & omnes vocent: Sicut Prouerb. 8. de sapientia dicitur, *Nunquid non sapientia clamitat? in summis excelsisque verticibus supra viã, in mediis semitis stãt*

iuxta

iuxta portas ciuitatis, in ipsis foribus loquitur, dicēs. O viri ad vos clamito, vsquequo paruuli diligitis infantiam & stulti ea quæ sibi sunt noxia capient? loqui Dei est inuisibiliter sine voce in mentibus sanctorum voluntatem suam atq; rectum intellectum inspirare, *inquit Hiero.* Sic prophetæ subito afflati spiritu sancto exclamabant dicentes, *Hæc dicit Dominus.* Loquitur etiam Deus interdum per angelum, sicut locutus est Abrahæ & Loth, interdum per hominem, sicut per apostolos & prophetas. Et nulla
Aug. l. 2. de ser. in mon. est anima tam peruersa *inquit Aug.* quæ tamen vllo modo ratiocinari potest, in cuius conscientia nō loquatur Deus. Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem nisi Deus? *Et alibi.* Dixit Do-
lib. 10. hom. 18. minus Eliæ, vade in Sarepta Sidoniorum, ibi enim mandaui viduæ mulieri vt te pascat. 3. *Reg.* 17. Quomodo mandauit Deus? Nunquid aliquis propheta missus est ad illam qui ei diceret, Hæc dicit Dominus, venturus est ad te seruus meus esuriens, ex eo quod habes ministra illi, inopiam noli metuere, ego supplebo q̄ dederis? Hoc ei dictum non legimus. Sed mandat Deus miris modis qui in cogitationib. loquitur, suggerendo in corde q̄ opus erat, & persuadēdo q̄ vtile erat rationali animæ viduæ mulieris. Et Gregor. *lib.* 5 *mora. ca.* 20. exponens illa verba ca. 4. Iob. *Et quasi furtiue suscepit auris mea venas susurrij eius,* sic venas diuini susurrii furtiue audire est occultos diuinæ inspirationis modos tenuiter & latenter cognoscere. Susurrium quippe occulti verbi est hæc ipsa locutio aspirationis internæ. Et non dicit, Suscepit auris mea susurrium eius, sed venas susurrii eius. Venæ susurrii dicuntur causarum origines quibus hæc ipsa aspiratio ad mentem ducitur. Quasi enim venas susurrij sui aperit, cum nobis Deus latenter insinuat quibus modis ad nostræ intelligentiæ aurem venit.

Aliquando enim nos amore allicit: aliquando terrore compungit: aliquando præsentia quam nulla sint ostendit, & ad æterna diligenda desiderium erigit: aliquando nobis aperit nostra mala, & ad hoc nos vsque extendit vt alienis etiam malis condoleamus, & quoties conscientia te torquet, cogita *Deum tibi loqui. hæc ille.*

3. Hoc notandum quod quando dicit Isaias. *plures filii desertæ magis quam eius quæ habet virum,* non penitus synagoga Isa. 24.
excludatur à partu, sed multitudo gentiū ei præfertur, quia plures ex gentibus quā ex Iudeis conuersi leguntur. Alias enim etiam ipsa in apostolis, & per apostolos primum populum genuit de Iudæis *inquit Hiero.* in 34. Isa. explicans illa verba, *lætare sterilis quæ non paris.* Synagoga enim quādiu virum habebat Deum, sermonemque diuinum, & legi iuncta erat, generabat Deo plurimos filios, inquit. Postquam vero accepit libellum repudii, & vocanti Deo noluit respondere, missi sunt serui qui vocarent bonos & malos, vt patris familias de quibuslibet implerent conuiuium, quia priores Iudæi venire noluerunt. Intellexit hoc mysterium Ionas propheta, quod populo gentili ad fidem conuerso incredula synagoga esset reprobanda. Ideo cum factum esset verbum Domini vt surgeret & iret in ciuitatem Niniuem & prædicaret in ea, *surrexit Ionas vt fugeret in Tharsis à facie Domini,* vt dicitur *Ionæ.* 1. Quem locum sic interpretatur *Hieron.* In condemnatione Israelis Ionas ad gentes mittitur, quod Niniue agente pœnitentiam, illi in malitia perseuerarent. Surrexit Ionas vt fugeret, quia sciebat propheta sancto spiritu ipsi suggerente, quod pœnitentia gentium ruina foret Iudæorum. Idcirco amator patriæ suæ non tam saluti inuidet Niniue, quam quod non velit perire populum suum. Timebat ne per prædicationis suæ occasionem, illis conuersis ad pœnitentiam, Israel penitus relinqueretur. Nouerat enim eodem spiritu, quo illi gentium præuium credebatur, quod quando nationes credidissent, tunc periret domus Israel: & quod aliquan-

aliquando futurum erat, hoc ne in suo tẽpore fieret, verebatur.

Gen.12. 4. CVM pareret Thamar, quæ conceperat ex Iuda, & haberet geminos in vtero, in ipso partu vnus protulit manum, & tulit obstetrix & ligauit in manu eius coccinum, dicens, Hic prior egredietur: cum autem retraxisset manum statim egressus est frater eius: & illa ait, *Quare diuisa est propter te maceria? Et vocauit nomen eius Phares, quod interpretatur diuisio. Et post hac egressus est frater eius in cuius manu erat coccinum, & vocauit nomen eius Zara, quod interpretatur semen.* Ostendit ergo populus senior in quo erat semen, antequam de gentibus Ecclesia nasceretur, manum suã in operibus, *inquit Hie. in ca. 3. Miche.* Et postea retraxit eam: quia postquam Christum occidit & clamauit, Sanguis eius super nos & super filios nostros, & coccinũ in manu ligatam habuit, ita vt de eo diceretur, quod Isaias habet c. 1. *Manus vestra sanguine sunt plena:* Tunc ille retraxit manum & à iustitiæ cessauit operibus; Et interim frater eius, hoc est gentium populus natus & egressus est per fidem: Et propter ipsum diuisa est maceria, quia Dominus destruxit parietem inter gentium & Iudæorum populum, vt sublata diuisione faceret pacem & vnum gregem, & quos æqualiter creauit & redemit ac regenerauit, omnes æqualiter patrem & Saluatorẽ vocarent. *Hactenus Hiero.* Et sicut Raab meretrix signum coccineum exposuit è domo sua per quod saluata est ab excidio ciuitatis, ita *inquit Orig.* nulli potest esse salus nisi in sanguine Christi, cuius formã gerebat istud coccineum. Si quis saluari velit, veniat in hanc domum, id est, in ecclesiam ex gentibus congregatam, quæ quondam meretrix fuit, sicut Raab: in illa enim sanguis Christi est in signum redemptionis, sicut apud Iudæos, qui dixerunt, Sanguis eius super nos, sanguis Christi est in ruinam & condemnationem propter ipsorum incredulitatem & contradictionem.

5. RVRSVM quemadmodũ ros prius cecidit in vellus Gedeonis, remanente tota terra sicca, postmodum in totam terram remanente vellere sicco. Ita *inquit August.* termo Dei de quo Deut. 32. *Fluat vt ros eloquium meum,* factus est prius ad populum Israel per legem & prophetas: postmodum propter incredulitatem Iudæorũ subtracta est eis ea gratia, sedent enim iam filii Israel sine lege & Rege sine propheta & sacerdote, *teste Ozea.* & data est gentibus per Apost. euangelium Christi per totum orbem seminantes, de quibus dicitur, Qui sunt hi qui vt nubes volant? magna enim celeritate portabant & effundebãt doctrinam Euangelicam per totum terrarũ orbem, sicut nubes volant portantes & effũdentes suas aquas. Et ecclesia sic ex gentibus congregata clamat ad eum de Seir. i. de locis terrenis, *Custos quid de nocte, Custos quid de nocte? Dixit custos: venit mane & nox,* Isai. 21. Quem locum explicans *Hieron. sic ait,* ò custos, Christum intelligens: quid de nocte consurgens versaris in tenebris? quid absque peccato versaris in carne peccatrice? qua de causa voluisti corpus humanũ assumere? *Respondit custos, venit mane & nox,* id est, gentium multitudini ortus est sol iustitiæ Iudæis obortæ sunt tenebræ: iuxta quod dicitur à Domino, Ego in iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & videntes cœci fiat, *hac Hieron.* August. ser. 108. de temp. Ozeæ. 3. Isai. 60.

IV. Ecclesia continet bonos & malos.

1. ET *egressi serui eius congregauerunt omnes, malos & bonos.* Quemadmodum arca cõtinebat munda animalia & immũda, sic in ecclesia versantur boni & mali, *inquit August.* Quod autẽ septena fuerint munda, & bina immunda, significatur nõ quod pauciores sint mali quam boni, sed quia boni sanctum spiritum, quem scriptura in septem suis donis commendat, acceperunt: Mali autem in binario numero ad schisma & diuisionem faciles & quodammodo diuisibiles ostenduntur. Quia vero gentiles diuersis errorum maculis deturpati erant, propterea citra delectum omnes vocare præcipit. Inter quos lib. 12. cõ Faust.

Digitized by Google

quos tamen aliqui boni, aliqui mali vocantur, non quod ante vocationem aliquis fuerit bonus, Omnes enim declinauerant, ſimul & inutiles facti erant, ſed quia, *teſte Hieron.* inter ipſos gentiles infinita eſt diuerſitas, & ſecũdum humanam conuerſationem quidam eorum boni dicuntur, ſicut multi philoſophi continentiam, iuſtitiam, fortitudinem, contemptum ſeculi ſectantes, vt Socrates, Plato, & ſimiles: alii multis ſceleribus erant contaminati.

2. Potest & ſic intelligi, vocate bonos & malos, vt per bonos intelligantur ii qui futuri ſunt boni & in bonitate perſeueraturi: per malos vero, qui mali ſunt permanſuri. Inter quos vnus erat, cui dicitur, *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem,* quia caritatem cum reliquis virtutibus non habuit. Quem tamen & amicum vocat, tum quia dum Chriſti nomen profitetur ſe amicum ſimulat, licet opere & moribus Chriſto aduerſarius eſſet: tum quia Dominus erga eum veræ amicitiæ oſtendat ſigna dum ad nuptias inuitat, & è tenebris ad fidei lumen vocat. Quod autẽ eum ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores proiici iubet, hoc facit non perſonæ odio ſed iuſtitiæ zelo, vt qui tenebras interiores amauit volens, iuſte ſuſtineat pœnas exteriores inuitus. In quas proiicitur ligatis manibus & pedibus: allegoria eſt qua ſignificatur impios in inferno violenter detineri, ne ſe inde aliqua ratione, vel manibus reſiſtendo, vel impedimenta rumpendo, vel pedibus fugiendo, poſſint liberare.

3. Non paruam pœnam exiſtimes, *inquit Chryſoſt.* in ignis fluuium, & pelagus impertranſibile intrudi, in quo ignei fluctus montium inſtar eriguntur, atque inibi in tanto dolore perſeuerabũt, quantum nec dicere homini eſt poſſibile. Putas autem conſolationem tibi inde futuram ſi vna cum multis puniaris? Minime certe. Podagricos tibi ante oculos pone, qui quando acutis cõpunguntur dolorum ſtimulis, etſi mille offerres vehementius dolentes, ne reſpicere quidem dignantur. Non enim patitur intenſus dolor, vt quaſi otioſi de cæteris cogitent, ac inde conſolẽtur: quanquam interim conſolatio quæ à malis aliorum originem trahit in mediocri afflictione locum habeat, non autem in vehementibus, quia licet in omnia loca reſpiciat anima damnata, nullus aderit qui conſoletur. Ibi dolor cruciabit & pauorem ſeu horrorem non fugabit: flamma comburet, ſed tenebras non diſcutiet: erit enim in igne obſcuritas, & in obſcuritate pauor, ſicut in combuſtione dolor. Nam ſecundum *Baſilium* ad verbum Domini diuidetur & intercidetur flamma ignis, iuxta Pſalmiſtam, Pſal. 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Sunt enim duo in igne, vis combuſtiua, & illuſtratiua, lucet enim ignis & vrit. Vis combuſtiua ad pœnas irrogandas repoſita eſt his, qui vſtione ſunt digni. Altera nempe illuſtratiua iis cedet qui claritate perfruentur perennis gaudii. Itaque reprobi ignibus inferni traditi in ſuppliciis dolorem ſentient, & in doloris anguſtia ſimul pauore & horrore ferientur, ſemper dolebunt & ſemper pauebunt. In huius vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, *inquit Gregor.* quia nequaquam mentem metus cruciat cum pati iam cœperit quod metuebat: in inferno autem & dolor excruciat, & pauor anguſtat, quia ibi ſempiternus horror inhabitat. Dicitur autem in ſingulari numero quod hominem viderit qui veſte nuptiali carebat, tum quia in illo vno ſignificantur omnes mali, ſecundum Auguſtinum, qui in vna ciuitate Babylonica ſunt vniti vt faciant mala: tum ne quis ſibi perſuadeat ſe vnicum latere poſſe in die iudicii in tanta hominum multitudine: erit enim exacta conſideratio Dei, ita vt nullus ipſius oculos effugere poſſit.

Chryſ. ho. 44. in Matth.

Baſil. ho. 5. in Pſalm.

Gregor. in 10. c. Iob.

DOMINICA XX.
POST PENTECOSTEN.

ERAT *quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audiisset quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum vt descenderet & sanaret filium eius, incipiebat enim mori. &c.* Ioan. 4.

Summa eorum quæ hic tractantur.

I. *Cur cum hoc regulo descendere noluerit Dominus, qui tamen cum principe Iairo descendit, licet vterque fide infirmus esset.*

II. *Ad quid miracula, quæ solus Deus facere potest conducunt.*

PARS I.

ART. I. Cur cum hoc Regulo Christus descendere noluerit. Matth. 8.

1 DOMINE *descende priusquam moriatur filius meus.* Descendit Dominus ad seruum Centurionis, vt *Matth.* refert & non descendit ad filium reguli, licet filius dignior esset quam seruus, & regulus quam Centurio, quia imperfectam in regulo cernebat fidem Dominus, quã cupiebat sanatam: putabat enim Dominum absentem non posse sanare filium: hanc fidei imperfectionem sustulit Dominus quando facto ostẽdit, quod etiam absens curare posset, vt simul & filio in carne, & patri in anima redderet sanitatem. Et maior Seruatori nostro animarum quam corporum cura erat, licet regulus magis de filii morbo vtpote magis noto, quam de propria infidelitate vtpote incognita, sollicitus esset: Dominus autem quia probe nouerat animæ morbum & grauiorem esse & periculosiorẽ, quippe qui animam lethaliter sauciabat, quam corporum, inordinatum putabat grauiori morbo prætermisso, corporis morbo succurrere prius. Et propter hãc fidei imperfectionem qua putabat Dominum sanare non posse absentem, corripiebatur regulus à Domino dicente, *Nisi signa & prodigia videritis non creditis*, vt correptus ad propriæ infirmitatis agnitionem deueniret & curaretur: Nam quanquam infirma esset fides huius reguli & imperfecta, eam tamen non reiecit qui linum fumigans non extinctum sed inflammatũ cupit. Porro fides Centurionis ad cuius seruũ descẽdit Dominus, quia consummata erat, aliis quoq; in exemplũ manifestanda erat: quod contigit per hoc quod Christo ad eum descendenti diceret, *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*: & protinus subiunxit Dominus, *non inueni tantam fidem in Israel.* Magna erat huius Centurionis fides, tũ quia credebat Christum etiam absentem solo verbo sanare posse, tum etiam quia cũ eius maiestatem & eminentiam agnosceret, se indignũ reputaret cuius domum Dominus intraret. Et ideo Dominus qui humilia respicit in cœlo & in terra, ad seruum Centurionis descendit quia id merebatur fides eius: ad filium autem reguli non descendit, quia cũ fide infirmus esset minus aptus erat cui honor iste tribueretur. Nam quanquã tãtæ dignitatis videretur cũ regulus esset, vt ei Christus merito hunc honorem tribuere deberet qui cum eo descenderet, tamen id non fecit, ne plus videretur tribuere seculari potestati, quæ per se nos Deo non commendat, quam merito fidei aut gratiæ Dei. Id quod præcipue in nobis spectat Deus vt succurrat, vt honoret, est consummata fides, perfecta caritas, humilitas, pietas & similia gratiarum dona nos Deo gratos facientia. Matth. 8.

2. EST & istud hic obseruandum quod Dominus cum hoc regulo nõ descendat, insuper & propter infidelitatem corripiat, licet aliquam fidem haberet sed imperfectã, quia credebat fide infirma Christum præsentem sanare posse suum filium sed non absentem, quod si nullam fidem habuisset, pro filio suo non orasset: Qui tamen cum isto principe *de quo Matth. 9.*

salutem.

autem pro filia sua orante descendit: sic enim ait, Domine filia mea modo defuncta est, sed veni & impone manũ super eam & viuet: Aduersus quem Christus nõ solum nihil dixit aspere, sed surgens sequebatur eum & insuper ipsum in fide vacillantem in itinere confirmauit: nam audita morte filiæ suæ ait Dominus ad eũ, Noli timere, crede tantũ & salua erit. Cur in tam simili causa tanta responsionis diuersitas? vterque Princeps erat, vterque salutem petebat, vterque in fide infirmus erat, vterque præsentiam Domini necessariam putabat: Et tamen vni obsequitur Dominus & cum eo descendit, & nutantem confirmat & consolatur: cum altero vero non descendit, sed insuper etiam increpat. Hic inprimis præmittendum diuinam libertatem non ita causis rerum alligari, vt ei liberum non sit in simili causa dissimilem ferre sententiam, illæsa tamen integritate iustitiæ. Interdum enim Deus non solum benemeritis, sed etiam nihil meritis, imo indignis ex sola bonitate instar liberalissimi principis ampla dona largitur, sicut inter duos latrones vnus ex patibulo vocabat ad paradisum, alter rapiebatur ad æternum gehennæ cruciatũ, & hoc absque vlla iniustitia aut personarũ acceptione, quia in gratuitis personarum acceptio locum non habet. Qui vndecima hora venerat accepit denarium sicut & illi qui portauerunt pondus diei & æstum: & aliis murmurantibus respõdit Dominus, *An non licet mihi facere quod volo? Miserebor cui voluero*, inquit Domi-
Exod. 33. nus in Exodo, *& clemens ero in quem mihi placuerit:* Hoc enim proprium & singulare eius est, qui nihil cuiquã debet, nullumque superiorem agnoscit. Ex hac diuina libertate & gratia prouenire potuit hæc disparitas, vt ex duobus principibus eodem infirmæ fidei morbo laborantibus alter fuerit misericorditer susceptus, alter merito reprehẽsus. Nec enim si è duobus eodem modo se habentibus vni fiat gratia, alteri propterea fit iniuria.

3. EST tamen verisimile quod in vno aliquid viderit Dominus, aut facto aliq fuerit, cur, licet vterque idem peteret & instanter peteret, vnum sequutus sit & nõ alterum, vtrumque tamen iuuerit & exaudierit, quia si filiã Iairi Principis quem sequebatur Dominus, absens à morte excitasset & viuificasset, miraculum hoc nõ ita innotuisset, putassent enim eam in animi deliquium incidisse & ex eo conualuisse. Sed hunc regulum sequi noluit ne eum in erronea sua opinione confirmaret qua putabat eum non nisi præsentem sanare posse: facto autem contrarium docuit dum absens filium sanauit, & patrem in fide vera stabiliuit. Ex *Luca etiam cap.* 8. constat, quod Iairus iste qui petebat vt Dominus descenderet & sanaret filiam eius, magis se humiliauerit, quam hic Regulus: quia cadẽs ad pedes Domini rogabat eum vt descenderet & sanaret filiã: tale quid nihil legitur de hoc regulo: quinimo impatiens moræ nec attendens ad ea quæ Christus dicebat, mox subiungebat, *Domine descende priusquam moriatur filius meus*, tanquam qui animi impatientia & amore filii victus dilationem & longiorẽ moram ferre non posset. Ex quo patet aliquid potuisse latere in ipsis animæ penetralib. vnius, propter quod Dominus iudicabat eum exaudiendum, & aliud quid diuersum in animo alterius, ob quod iudicabat Dominus cũ eo nõ descendẽdum quod oculos hominum latebat, & diuinis oculis cõspicuum erat, quo fiebat vt quãuis vterq; idẽ peteret, tamẽ vterq; eodem modo exaudiendus nõ esset, quia Dominus non tam ad verba orantis, quam ad animum illius attendit: nec tam attẽdit ad id quod petitur, quam ad modum & rationem qua quis quippiam obtinere nititur. Hinc discant quicunq; orationibus intẽti sunt, aut bonis operibus vacant non superbe sapere sed timere, ne forte quippiã in animo lateat quod Deo displicet & ob quod exaudiri non mereãtur, licet homo id non videat. Tale quid in animo huius Reguli latuisse ob quod & reprehensione seu correptione dignus esset, sicut & Do-

micus eum corripuit dicens, *Nisi signa & prodigia videritis non creditis*: & propter quod Dominus cum eo descēdere noluerit satis constat. Nā vt crederet & perfectius crederet quā credebat, ea sufficere debebant quæ viderat & audierat, etiamsi deinceps maiora miracula & prodigia non videret.

4. ET inprimis plerosque Iudæos peccasse qui Christo non credebant etiam ante eius miracula, ex eo patet quia Ioannes erat à Deo missus vt testimoniū perhiberet de lumine, vt omnes crederent per eum, sed qui Ioannem audiebant dicentem & testantem Christum esse Messiam & id credere nolebant grauiter peccabant, eo quod Ioannes licet nulla miracula faceret à Deo tamen sufficientē autoritatem acceperat vt ei credi deberet; quia omnes habebant eum tanquam prophetam & multi dubitabāt vtrū ipse esset Christus propter eximiam suā sanctitatē, doctrinam, vitæ austeritatem & similia: Multo igitur magis prædicatio Christi qui erat maior Ioanne Baptista, eos obligabat ad credendum etiam sine miraculis & non credentes peccabāt, quod constat ex eo quia dicit Dominus Ioannis 15. *Si nō venissem & locutus eis fuissem peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo*: Et rationem addit *Toletus*, quia Christus verus Deus & homo quando prædicabat non solum exterius sensus & aures mouebat, inquit, sed etiam diuino motu interius corda excitabat, ita vt qui vellent credere possent, nec eis deerat auxilium necessarium nisi libero suo repugnassent arbitrio.

In cap. 4. Ioan.

5. ET hæc est vna inter alias causa quod Dominus Samaritanos sine miraculo cōuertit, & discipulos atque credentes in eū aliquos habuit antequā vlla miracula fecisset, vt prædicationem suam sufficientē fuisse ad credendum, ostenderet, quodq; defectus non credendi non ex parte sua, sed ex Iudæorum malitia proueniebat. Verum quamuis à principio peccarint nō credentes in Christum post Ioannis testimonium, & post Christi prædicationem, longe tamen maius est & grauius peccatum fuit, postquā Dominus apertis miraculis suam prædicationem confirmauit, non credere: hæc enim erant argumenta diuina & Dei sigillum Christum verum Messiam ostendentia: Et hoc est peccatum infidelitatis toties à Christo reprehensæ. Hic Regulus autem corripitur à Domino ei dicente, *Nisi signa & prodigia videritis non creditis*, non quod omnino non crederet, nam si nullam fidem habuisset pro salute filii sui non orasset: sed quia pro ratione eorum quæ viderat in Christo & audierat de eo non satis plene credebat, nondum cōceperat illam fidem de Christo quod absens curare posset, & in eo reprehensibilis erat, sicut merito reprehenditur discipulus qui diu studuit & parum profecit.

6. PATET itaque ex hac Euangelica historia diuersos esse fidei gradus. Regulus enim iste *primo* rudem & informē & admodum imperfectam de Christo habebat fidem, nimirum Christum posse sanare filium suum si corpore præsens esset & ægroto adesset, nondum igitur credebat Christum esse Deum, qui sicut est vbique, sic vbique potest operari & sanare. *Secundo* postquam increpasset eum Dominus & dixisset ei, vade, filius tuus viuit, credidit Dominum quoque absentem sanare potuisse: ergo aucta fuit eius fides & plus Christo iam tribuebat quam prius fecerat. *Tertio* cum actu iam videret filium suum sanatum, subiūgitur, Credidit ipse & domus eius tota: hic alius & perfectior fidei gradus, quia non solū credidit Christo & verbis eius, sed credidit etiam in eū. Sunt autem hæc duo multū distincta, Christo credere, & in Christum credere, Deo credere & in Deum credere. Credit Deo etiam qui mortuam habet fidem, qua credit vera esse quæcumq; dicit Deus: verū hæc fides quamuis vera fides sit, nondum tamen ad salutem sufficit, quia deest caritas qua quis Deū supra omnes diligit. Credere in Deū dicitur qui fide viua Deo adhæret, dum

Digitized by Google

cum intellectus fide informatus Deum apprehendit & agnoscit vt summum bonum, eumq; supra omnia diligendum prędicat, cui voluntas accedit eūq; sic diligit. Et hæc est quæ ad salutem est necessaria, reperiturq; duntaxat in iis qui præcepta Dei obseruant. Catechumeni & pœnitentes qui nondum remissionem peccatorū sunt consecuti, habent ex parte hanc fidē, sed nondum plenam quia necdum sunt filij in gratiam recepti, tamē quia Deum vt omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt in proximo gradu sunt vt filij fiant. Talis fuit hic Regulus sanato filio.

7 QVI fide viua illustratus secundum eam instituit suam vitam, tanto studio animæ salutem quęrit, quanto studio prius corporis sanitatem quærebat, & tanto studio ad virtutis dignitatem aspirat, quanto prius ad peccati turpitudinem pergebat, & tanto ardore ad Deum properat, quanta hactenus cupiditate in diuitias aut voluptates ferebatur. Et id certe à nobis requirit Deus, vt quo desiderio & studio ægra corpora sanata cupimus, ea diligentia & animas ægras & malis suis cupiditatibus obnoxias sanare nitamur: sic enim nos hortatur in Isaia, *Conuertimini ad me sicut in profundum recesseratis.* Isai. 31. Si æstus libidinis feruet nihil nō facit homo carnalis quo eam expleat: si corpus febricitet nihil non tentat, quo febris sanetur: Habet & anima suas febres, dum vnus vritur æstu libidinis, alter auaritiæ, alius ambitionis, hic iræ, ille inuidiæ: pro his morbis animæ sanandis homo sollicitus sit oportet. Imo vbi quis diuini spiritus lumine collustratus spiritualium rerum dignitatem agnouerit, & vbi virtus euangelij quæ in salutem est omni credenti, mentem hominis sanauerit, & à carnis voluptate ac rerum terrenarum cupiditate abduxerit, tunc decuplo maiori studio ad diuina bona, quam olim ad terrena aspirat homo, iuxta illud Baruch, *Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo, sic decies tantum iterum conuertentes requiretis eum:* Bar. 4. quanto enim caritas Dei melior est & suauior quam cupiditas seculi, tanto plus instat qui eam gustauit vt illa fruatur, & istam expungat: cupiditate autem sublata, & animo hominis per caritatem sanato & immutato, fastidit ea homo quę prius deperibat, sic enim Paulus ad Philippenses, Cap. 3. *Omnia arbitratus sum vt stercora vt Christum lucrifaciam.* Quorum vero spiritus per peccatum in naturam carnis degenerauit, rerum spiritualium sensum quia amiserunt, earum dignitatem etiam nihili æstimant. Nam quamuis omnes fidei & rationis lumine illustrati, aperte intelligant animæ bona corporis bonis esse pręstantiora, tamen id non cognitione practica, sed speculatiua duntaxat, quæ res vniuerse solum considerat, iudicant: cognitione autem practica quæ singulares rerū circumstantias contemplatur, quæq; voluntatem in officio suo dirigit, inferiora hæc bona quæ manibus contrectant & oculis cernunt, quorum commodis vtuntur, & deliciis oblectantur, cœlestibus ac spiritualibus bonis quæ non videntur nec gustantur, sed nuda fide solum & speculatiua scientia apprehenduntur, præferenda iudicant. Alias nequaquam hoc voluntas amplecteretur, nisi præuio intellectus practici iudicio, sine cuius dictamine voluntas cæca amplecti nihil potest.

II. Ad quid miracula, quæ solus Deus facere potest conducāt?

1. IN miraculis duo possunt attendi, *vnum* quod fit, & illud excedit facultatem naturę creatæ: *Alterum* est id propter quod miracula fiunt, & sic dicuntur signa seu portenta quasi procul aliquid ostendentia. Sunt autem miracula, *teste August.* Augu. 22. de ciuit. cap. 8. ad nouam fidem persuadēdam necessaria: cum enim ea quæ sunt fidei humanam rationem excedat, nec per rationes humanas probari possint, oportet quod probentur per argumenta diuinę virtutis, vt dum aliquis facit opera quæ solus Deus facere potest, credantur ea quæ dicuntur esse à Deo profecta: sicut cum aliquis defert literas annulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse quod in illis continetur, sic miracula exhibentur ad fidei

dei confirmationem, & sunt vera testimonia eius ad quod probandum ind[illegible]cũtur.
Exod. 4. Vnde cum Moyses, mitteretur a Deo ad populum Israel educendum ex Ægypto, ac diceret *non credent mihi neque audient vocem meam,* non respondit Dominus, Debent credere, velint, nolint, sed dedit illi potestatem faciendi miracula, & ait, *vt credant quod apparuerit tibi Dominus. Proijce virgam in terram & proiecit & conuersa est in serpentem:* Et in nouo testa-
Matth. 1. mento cum Dominus diceret suis apostolis, *Euntes prædicate euangelium*, subiecit, *infirmos curate, dæmones eiicite.* Nam qui mittitur debet ostendere suam auctoritatem testimonio eius à quo mittitur confirmatam, alias nemo tenetur eum recipere, quia non oportet omni spiritui credere, sed probare an ex Deo sint, probatio autẽ sumitur ex miraculis: Sicut qui mittitur aut a Rege aut a b ordinario, debet ostendere literas sigillo Regis aut ordinarij munitas: qui vero mittitur immediate a Deo, debet ostendere sigillum Dei quæ sunt miracula eius: Sic enim dicitur Marci vltimo, *Illi prædicauerunt vbiq, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis:* & Paul. ad Hebræos, *Contestante*
Hebr. 2. *Deo signis & virtutibus.* Miraculum est sufficiens & efficax testimonium, vt vbi fuerit verum miraculum, ibi sit & vera fides & vera doctrina, in cuius confirmationem patratur miraculum. Cum n. miracula nõ possint fieri nisi à Deo, iuxta illud Psalm.
Psal. 135. *Qui facit mirabilia magna solus*, superant enim virtutem omnis creaturæ, quicquid miraculo confirmatur, Dei testimonio comprobatur. Deus autem nõ potest esse testis mẽdacij. Vnde ab hæreticis falsa docentibus nunquam possunt fieri vera miracula ad confirmationem suæ falsæ doctrinæ, quia Deus nõ potest esse falsus testis. Sæpe id quidem conati sunt vt suam doctrinam miraculis confirmarent, vt patet de prophetis Baal, quia ignẽ de cœlo
2. Reg. 18. deducere voluerunt per inuocationẽ Baal, nec tamen potuerunt, *vt patet in libris Regum.* Idem refert *Hieron. Bolsecus* in vita [illegible] Capit. [illegible]

tentaret, vere ex viuo, q[illegible] & mortuum, conductus ad hoc stipendio a Caluino promisso, simulauerat, mortuum effecit, & iusto Dei iudicio qui mortem simulabat in morte remansit. Negent hoc quantum velint Caluini mancipia, exploratum cognitumq; satis fuit, veritasq; rei probata satis, imo per ipsius mortui vxorem confirmata. *hæc ille.*

2 POSSVNT quidem quandoq; fieri miracula etiam à malis ad commẽdationem nominis Christi quod inuocant, vti dicẽt quidam inter reprobos in die iudicij, *Do-* Matt. 7.
mine nonne in nomine tuo prophetauimus & dæmonia eiecimus, sed non possunt adducere miracula in confirmationem falsæ doctrinæ. Dabit & Antichristus ac alij pseudoprophetæ signa & magna prodigia, *vt dicitur Matth.* 24. idq; in confirmationem suæ doctrinæ, *ita vt in errorem inducantur si fieri potest etiam electi:* Sicut & magi Pha- Exod. 7.
raonis per virtutem & cooperationem dæmonum veros fecerunt serpentes & ranas, & suis incantationibus conuerterunt aquam in sanguinem: quæ fuerunt vere talia facta & non phantasmata, *teste August.* Augu. 20.
non tamen fuerunt vera miracula, licet de ciu. 19.
hominib. talia fuerunt visa, quia vero miracula exuperãt omnem virtutem creatã. Dæmones autem seu magi dæmonum opera, dicuntur facere miracula quia faciũt ea quæ humanam facultatem excedunt, plus quippe dæmones quã homines possunt, siue per se, siue auxilio virtutis naturæ creatæ quam nos ignoramus & ipsi sciunt, neq; enim omnis virtus naturæ creatæ nobis nota est: Ideo cũ aliquid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notę per virtutem creatam nobis ignotam, videtur miraculum quo ad nos, sed non est simpliciter miraculum.

2 QVOD autem apostolus dicit *ad* 2. epi. c. 2.
Thessal. aduentum Antichristi futurum ad Thess.
secundum operationem Sathanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, dicit *August.* loco prædicto, Antichristi opera dici signa mendacia, tum quia mortales

tales ſenſus per phantaſmata decepturus eſt, vt quæ non facit facere videatur: tum quia licet aliqua ſint vera prodigia, ad mendacium tamen pertrahent & fallent credituros: vt cum faciet ignem de cœlo deſcendere, ſtatuas loqui, quoſdam morbos ſanari, quæ non excedunt virtutem naturæ creatæ, hæc realiter & vere faciet, ſicut magi Pharaonis veras fecerunt ranas. Poſſunt enim dæmones aut magi opera dæmonum adhibere quædam ſemina, quæ in elementis mundi inueniuntur ad huiuſmodi effectus producendos, *teſte Auguſtino*, ita vt omnes tranſmutationes rerum corporalium quæ poſſunt fieri per aliquas virtutes naturales ad quas pertinent prædicta ſemina, poſſint etiam fieri per operationem dæmonum huiuſmodi ſeminibus adhibitis, ſicut cum res aliquæ per putrefactionem tranſmutantur in ſerpentes aut ranas, quod naturaliter fieri poteſt, & Magos Pharaonis feciſſe legimus opera dæmonum. Sed tranſmutationes rerum corporalium quæ non poſſunt virtute naturæ fieri, nullo modo operatione dæmonum ſecundum veritatem perfici poſſunt, ſicut quod corpus humanum mutetur in figuram lupi, aut in aliquod aliud corpus beſtiale, quo modo fingũt poetæ ſocios Diomedis in aues fuiſſe conuerſos ſubmerſa naue, nullo modo crediderim, *inquit Aug.* hoc nulla ratione dæmonum arte vel poteſtate fieri poſſe aut potuiſſe: Et ſi aliquando tale quid operatione dæmonum fieri videatur, hoc non eſt ſecundum rei veritatem, ſed ſecũdum apparentiam.

Aug. lib. 3. de Trin. cap. 8.

Aug. lib. 18 de ciuit. cap. 18.

Quod quidem *dupliciter* poteſt contingere: *vno modo* ab interiori ſecũdum quod dæmon poteſt mutare phantaſiam hominis, & ſenſus corporeos, vt aliquid aliter videatur quam ſit mouẽdo interiores humores & ſpecies ſenſibiles, ſicut fit in ſomniantibus. *Alio modo* ab exteriori: cũ enim dæmon poſſit corpus formare ex aere cuiuſcumq; formæ & figuræ, vt illud aſſumens in eo viſibiliter appareat, poteſt eadem ratione circumponere cuicumq; rei corporeæ quamcumq; formam corpoream, vt in eius ſpecie videatur, ſic quidam homines videntur conuerſi interdum in formam lupinam, non re ipſa ſed apparentia duntaxat, modo ſupra dicto.

3 EA vero quæ à Deo fiunt contra ſolitum naturæ curſum vera miracula ſunt & dicuntur, *inquit Auguſt.* Quia omnem facultatem naturæ creatæ excedunt: non quod aliquid dicatur mirabile ſeu miraculum reſpectu potentiæ diuinæ, quia quodlibet factum diuinæ potentiæ cõparatum minimum eſt, ſecundum illud Iſai. *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momẽtum ſtateræ reputatæ ſunt.* Sed dicitur aliquid miraculum per comparationem ad facultatem naturæ creatæ quam excedit: & ſecundum quod magis excedit facultatem naturæ creatæ vel minus, ſecundum hoc maius miraculum dicitur vel minus. Excedit autem aliquid facultatem naturę *dupliciter, aut* quantum ad ſubſtantiam facti, vt quod corpus mortuũ reſuſcitetur, quod nullo modo natura facere poteſt: *aut* quantum ad modum faciendi, ſicut cum quis ſubito à febre curatur, aut cum aer ſubito in pluuias denſatur abſq; naturalibus cauſis, ſicut ad preces Samuelis & Elię factum legimus: aut cũ quis ſubito fit ſapiens vt Salomon: Hæc naturæ facultatẽ excedunt non ſimpliciter, poteſt enim naturæ vis & febrim ſanare, & pluuiam cauſare, & ſapientiam acquirere, ſed non ita ex tempore. Illud autem circa miraculum Chriſti obſeruandum eſt, quod communiter perfectiſſima opera faciebat, nam talia ſunt Chriſti miracula, *inquit Chryſ.* vt multo his quæ per naturam fiunt, ſint pręclariora, ac vtiliora: vnde Ioan. 2. dicitur, *Seruaſti bonum vinum vſque adhuc*, loquens de vino ex aqua facto: Et ſimiliter in inſtanti perfectam ſanitatem infirmis conferebat. Vnde ſuper illud Matth. 8. *Surrexit ac miniſtrabat illis*, dicit *Hieron.* ſanitas quæ cõfertur à Domino tota ſimul redit, quia virtutis diuinæ cuius eſt miraculum facere proprium eſt ſubito operari & perfecte idq; abſque adminiculo alicuius.

Augu. lib. 26. c. 3. cõtra Fau.

Iſai. 24.

Non

Non tamen semper subito curauit homines Dominus, quia dicitur *Marci* 8. Quod interrogauerit cœcum cui manus imposuerat, *si quid videret, & aspiciens ait, video homines velut arbores ambulantes:* deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & ita restitutus est ei visus vt clare videret omnia. Quem vno verbo totum simul curare poterat, *inquit Beda*, paulatim curat, vt magnitudinem humanæ cœcitatis ostendat, quæ vix & quasi per gradus ad lucem redit, & gratiam suam nobis indicet per quam singula perfectionis incremẽta adiuuat, quod potissimum in visu spiritali seu fide ac sapientia diuina fieri certo constat, quia nemo repente summus.

4 CHRISTI miracula & prodigiosa opera huiuscemodi erant vt iis & infirmitates corporeas sanaret & spiritales, hoc est, vt corpora curaret & animas: corpora quidem dum morbus sanaret corporeos: animas vero dum eiuscemodi operibus suam diuinitatem sufficienter manifestans eos ad sui cognitionem & amorem conuertere studebat, vt relicta infidelitate ad fidem peruenirent, & eius dilectionem, quæ magis sunt necessariæ quam sanitas corporis, sicut infidelitas magis est noxia quam corporis infirmitas. Quod fiebat in proposito huius euangelij exemplo cum pater sollicitus esset pro filio vt posset sanari à suo morbo, ignorans se maiore laborare animæ infirmitate, Christus autem prius de eius infirmitate sananda cogitaret: & ea de causa absentem filium sanabat, vt eum ab incredulitate liberaret & ad fidem perduceret. Eo itaque suis miraculis tendebat CHRISTVS, vt & fidem & hominum fauorem sibi conciliaret, & per fidem eos saluaret: Nam per operationem miraculorum credibilis erat sermo diuinus, secundum illud Marci vlt. *Sermonem confirmante sequentibus signis:* Naturale enim est homini vt veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat, sicut colligimus aliquem timere ex eo, quod expallescat. Vnde sicut ductu rationis naturalis homo peruenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales, Ita per aliquos supernaturales effectus, quæ miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionẽ credendorum homo inducitur, maxime Deo intus cor mouẽte & illustrante. Hinc Dominus apud Ioannem, *Opera quæ dedit mihi pater vt faciam, ipsa sunt quæ testimoniũ perhibent de me.* Vnde & dæmones visis miraculis ex quadam suspicione coniecerũt Christum esse filium Dei; id quod patet *Marci* 1. vbi sic exclamat dæmon, *Scio quod sis sanctus Dei.* Circa quem locũ *dicit Chrys.* Quod non certam neq; firmam aduentus Dei habuerint notitiã dæmones: sciebant tamen ipsum esse Christũ in lege promissum, vt patet *Luc.* 4. vbi sic dicitur, *Quia sciebant ipsum esse Christum*: Cum autem confiterẽtur ipsum esse filium Dei, magis ex quadam suspicione, quam ex scientiæ aut fidei certitudine id dicebant. Nam *vt Aug* Docet Christus tantum innotuit dæmonib. quantum voluit, tantum autẽ voluit quantum oportuit, Innotuit autẽ eis non sicut angelis sanctis per id quod est vita ęterna, sed per quædam tẽporalia suę virtutis effecta. Quod autẽ Paul. dicit ad Cor. *Si cognouissent nunquam Dominũ gloriæ crucifixissent:* non ideo Diabolus Iudęis Christum crucifigere persuasit, quia Christum Dei filium non esse putauit, sed quia se morte illius non præuidit esse damnandum. De hoc enim mysterio à seculis abscondito, videlicet, diabolum esse morte Christi vincendum, dixit Apostolus, *Quod nemo principum huius seculi cognouit, si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Ioan. 5.

Aug. lib. 9. c. 21. de ciuit.

1. Cor. 2.

5 PORRO quandoquidem Christus venerat saluare mundum nõ solum virtute diuina, sed etiam natura humana per incarnationis suæ mysterium, ideo frequenter in sanatione infirmorũ non sola potestate diuina vtebatur curando per modũ imperij, sed etiam aliquid ad humanitatem ipsius pertinens apponendo. Vnde super illud Luc. 4. (*Singulis manus imponens curabat omnes*) dicit *Cyrill.* Quamuis vt Deus potuis-

potuiſſet verbo ſolo omnes morbos pellere, tangit tamen eos oſtendens propriã carnem efficacem ad præſtandum remedia. Interdum tamen faciebat ſolo imperio, ac ſola poteſtate diuina, vt cum Luc. 4. dicitur, *Ieſus tranſiens per medium illorũ ibat.* Vbi dicit *Chryſoſt.* Quod ſtare in medio inſidiatorium, & non apprehendi, diuinitatis potentiam oſtendebat: Et Ioan. 8. *Ieſus abſcondit ſe & exiuit de templo.* Vbi *Auguſt.* dicit quod non ſe abſcondit in angulo templi timens, neque poſt columnam latens, ſed diuina poteſtate ſe inuiſibilem inſidiantibus conſtituens per medium illorum ibat. Quia vero de Chriſto credere oportet quod ſit Deus & homo, vt vtrumq; ſe eſſe ſufficienter demonſtraret, nunc opera faciebat quæ erant pure diuina, quæ ſufficiebant ad manifeſtandam ipſius diuinitatẽ, vt ſolo imperio ſuſcitare mortuos; curare leproſos, & illuminare cœcos, quæ omnem poteſtatem & virtutem naturæ creatæ tranſcendunt. Ita apud Lucã dicitur de illo, quod *virtus de Chriſto exibat & ſanabat omnes:* Per quod oſtenditur ſicut *Cyrillus* dicit, quod non accipiebat alienam virtutem, ſed cum eſſet naturaliter Deus propria virtute infirmos curabat, eaque coæquali virtuti patris iuxta illud Ioannis, *Quæcumque fecit pater hæc & filius ſimiliter facit.* Nunc quidam faciebat opera quę erant pure humana, vt comedere, triſtari, orare, flere, & ſimilia. Quędam partim diuina partim humana, vt ambulare ſuper aquas, nam ambulare hominis erat, dare autem aquis ſoliditatem erat Dei. Sic omnia miracula Chriſti erant opera Dei tanquam principalis agentis, & hominis vt inſtrumenti. Illa autẽ dicitur cauſa principalis ſeu propria quæ agit ex virtute ſua quam habet ex propria natura, verbi gratia quando Chriſtus curabat febres imponẽdo ægrotis manum, impoſitio manuum erat operatio propria & principalis humanitatis: at expulſio febris erat propria & principalis operatio deitatis. Nec oportet illas operationes confundere, tanquam vna & eadem operatio ſit proprie ac principaliter vtriuſq; naturæ, quod Eutychiani hæretici aſſerebant: vt enim diuerſæ ſunt naturæ in Chriſto, ita & diuerſæ earum operationes: Eſt bene eadem operatio vtriuſque naturæ, ſed vnius videl. Deitatis tanquam principalis agentis: alterius videl. humanitatis tanquam inſtrumenti. Tunc autem præcipue oportebat in Chriſto diuinitatem per miracula oſtendere, quando in eo maxime apparebat infirmitas humana: & quia in paſſione maior apparuit eius infirmitas, ideo maiora tunc exhibuit ſuę diuinitatis ſigna, cum ſol obſcuratus eſt & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram cum petræ ſciſſæ ſunt & alia fierent quæ refert *Matth. ca.* 27.

Luc. 6.

Ioan. 5.

6. NON ſolum Chriſtus in ſua perſona miracula & prodigia fecit, ſed etiam per ſuos apoſtolos, aliosque in ipſum credentes: Sic enim ait apud Ioannem, *Qui credit in me opera quæ ego facio & ipſe faciet & maiora horum faciet.* Ioan. 14. Suſcitarunt enim & Sancti Dei mortuos, & claudos ſanarunt, & alia multa fecerunt quæ Chriſtus fecit, nõ propria virtute, aut per aliquam qualitatem internam ipſis apoſtolis inhærentem habitualiter & firmiter: cum enim miraculorum cauſa ſit diuina omnipotentia, quę nulli creaturæ communicare poteſt, impoſſibile eſt, *inquit Thomas*, quod principium operãdi miracula ſit aliqua qualitas habitualiter manẽs in anima: Sed ſicut mens prophetæ mouetur ex inſpiratione diuina ad aliquid ſupernaturaliter cognoſcendũ dũ futura prædicit, Ita etiam cor miracula facientis mouetur ad faciẽdum aliquid ad quod ſequitur miraculũ quod Deus ſua facit virtute, homine autem tanquam inſtrumento vtitur, ſiue huiuſmodi miraculũ faciat ad preces ipſius hominis, ſicut cum Petrus Tabitam ſuſcitaret *ponens genua orauit*, inquit ſcriptura: ſiue non præuia oratione ſed Deo ad nutum ſeu dictum hominis operante, ſicut Petrus Ananiam & Saphiram morti tradidit. Vtrolibet autẽ modo fiat, Deus eſt qui principaliter operatur, homine vtens tanquam

D. Tho. 2. 2. q. 178. ar. 1.

Act. 9.

Act. 5.

quam inſtrumēto. Vnde Ioſue cum dixiſſet quaſi ex poteſtate, *Sol contra Gabaon nō mouearis*, ſubditur poſtea, *non fuit antea aut poſtea tam longa dies obediente Deo voci hominis.* Hinc factum eſt quod eccleſia omnib. ſeculis plurimis claruerit miraculis vt ex iis certo quiſq; intelligere poſſit & eam veram eſſe eccleſiam in qua reperitur hoc donum miraculorum; & illā verā eſſe fidei doctrinā quā tradit qui miracula facit. Nam ad hoc vt quis alium inſtruere poſſit reb. in diuinisq; captū ſuperant humanum, tria requiruntur. *Primum*, vt homo intelligat ea quæ vult alios docere, & hoc fit per donum ſapientiæ. *Secundum* eſt, vt poſſit probare & confirmare ea quæ docet, alias nō eſſet efficax eius doctrina: Confirmatio a. in his quæ ſubduntur rationi, eſt per argumenta & rationes quæ allegantur: in his autem quę ſunt ſupra rationem diuinitus reuelata, confirmatio eſt per ea quæ ſunt diuinæ virtuti propria, hoc eſt, per miracula quæ ſolus Deus facere poteſt. *Tertio* vt ea quæ concipit & intelligit, conuenienter auditoribus enunciare poſſit, quod fit per donum linguæ.

7. INTERDVM etiam fiunt miracula in teſtimonium ſanctitatis alicuius. Per teſtimonia enim miraculorum quib. multi ſancti claruerunt & in vita & poſt mortē, multi leguntur canonizati: quorum plerique certo quodam genere miraculorū excelluerunt, vt S. Rochus contra peſtem Sanct. Appollonia contra dolorem dentium certiora patrocinia præſtare conſueuerunt: Quamuis enim Deus poſſit ſi velit per quem libet Sāctorum omnia cōcedere, imo, ſine interceſſione Sanctorū omnia donare, interdum tamen vult vnius interceſſione miraculum aliquod operari, aliud vero interceſſione alterius, vti
Aug. ep. 137. docet *Auguſt.* Sic inquiens, vbiq; quidem Deus eſt & nullo cōcluditur loco: verūtamen quis poteſt eius conſilium perſcrutari quare in vno loco hæc miracula fiant, in aliis non fiant: Sicut n. apoſtolus dicit
1. Cor. 12. ad Corinth. *non omnes donum habent curationum*, ita nec in omnibus memoriis Sanctorū iſta fieri voluit ille qui diuidit propria vnicuiq; ſicut vult. *Hac ibi.* Non tamē ſemper qui ſanctiores fuerunt plura miracula ediderunt: Imo mali interdum miracula fecerunt, & boni ac ſancti facere non potuerunt: Quod ideo fit, *inquit Aug.* ne Aug. li. 83 q. 79.
errore decipiantur infirmi, æſtimantes in tal b factis eſſe maiora dona quam in operationib. iuſtitiæ quibus comparatur vita æterna cum prorſus maius opus ſit hominem impium iuſtificare, quam cœlum & terram creare, vt *Aug.* docet in Ioannem Aug. in Io. tr. 71.
tractans illud Ioannis 14. *Qui credit in me opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet:* quia cœlum & terra trāſeunt, prædeſtinatorum autem ſalus & iuſtificatio permanebit: & certe licet vtrūq; æqualis ſit potentiæ, hoc tamen maioris eſt miſericordię, hęc ibi. Et ea de cauſa dicit *Auguſt.* ſe merito teneri in eccleſia, in qua tot Aug. c. 17. de vtile. cred.
legit facta & fieri indies miracula. Et *Riccardus de S. Vict.* audet dicere, Domine ſi error eſt quod credimus, à te decepti ſumus Ric. 1. c. 2. de trinitate.
iſta enim in nobis iis & miraculis & prodigiis confirmata ſunt, quæ non niſi à te fieri potuerunt.

PARS II.

Erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur Caphernaum.

Ioan. 4.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Miſericorditer homines à Deo flagellantur vt corrigantur.*

II. *Non diuitias neque nobilitatem huius reguli reſpicit Dominus, ſed fidei integritatem in eo requirit.*

III. *Varijs fidei defectibus ſubiectus erat hic regulus.*

IV. *Magis pro ſanitate corporis ſui filij quam pro ſalute animæ ſolicitus erat hic regulus.*

ART. I.

Homines à Deo miſericorditer flagellantur, vt corrigantur.

1. FLAGELLIS quibus homines caſtigantur in hac vita, ſuam clementiam immiſcere ſolet Deus, ne immoderata pœna miſeri penitus intereant. Si autem vis agnoſcere vera eſſe quæ dicimus, *inquit Orig* Vide quid acciderit filiis Iſrael in captiuitatem Babylonicam abductis quam ob ſuam culpam ſuſtinuerunt: Miſit ſimul cum eis Danielem, Ananiam, & Ezechielem, & quoſdam alios iuſtos, non ob ipſorum culpã, ſed ob id ne peccatores q fuerãt iugo captiuitatis oppreſſi, omni ſubſidio & ſpirituali inſtructione carerẽt Sed & cũ Ægyptios fame premeret, ſi interficere omnino voluiſſet, neq; Pharaoni ſomnium immiſiſſet, neq; Ioſeph ſapientiã & ſcientiam illud interpretandi dediſſet, idq; in eum finem vt per Ioſeph etiam ipſis Ægyptiis contra ſeptennalem famem prouideret. Sed, inquies, quomodo pepercit & prouidit Ægyptiis cum alieni ab eo eſſent? propter propriam bonitatẽ & miſericordiam, ne quis arbitretur peccatores Deum deſerentes ab eo vlterius non gubernari, & ſemel in captiuitatem redactos per eius miſericordiam non curari amplius. Non enim ſolum miſericors Deus miſericordiam ſuppliciis miſcet dum filios caſtigat, verum etiam dum peccantes punit & impios flagellat. *hæc Origenes.*

2. QVOD ſi non eſſet vtile conuerſationi peccantium, adhibere tormenta peccantibus, nunquam miſericors & benignus Deus pœnis ſcelera puniret, *inquit idem:*

Orig. ſup.

Nunc autem quaſi indulgentiſſimus pater ad hoc corripit filiũ vt erudiat, & quaſi prouidentiſſimus magiſter ita ſeueritate frontis laſciuum diſcipulum caſtigat, ne amari ſe ſentiens pereat. Vnde rectè *Chryſ.* quod poſt peccatum Deo ita diſponẽte homo mox flagellum ſentiat, hoc diuinæ miſericordiꝗ maximum eſt argumentum. Nam ſi poſtquam homo mandatum præuaricatus eſt, integer illi manſiſſet honor haud facile à lapſu deſtitiſſet, quandoquidem cum obedientes & inobedientes pari dignitate fruuntur, malitiæ aſſueſiũt magis quam quod ab ea deſiſtant, iuxta illud Iſaiæ 26. *Miſereamur impio & non diſcet facere iuſtitiam* Puniens autem hominem ob inobedientiam ſuam dicebat ei: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Et ne ſudor & labor hic noſter intolerabilis foret, ſudoris moleſtias & laboris onus alleuiauit iumentorum auxilio, quæ vna nobiſcum laborant & moleſtias ferunt: Nam aſini onera portant, boues & equi terras ſulcãt.

Chryſ. ho. 5. in Gen.

Hic mos eſt Domini noſtri, inquit idem, vt puniens non minus quam benefaciens ſuam erga nos declaret prouidẽtiam, quia & hanc pœnam admonitionis gratia nobis irrogat. Quod ſi ſciſſet nos nõ peiores fieri impune peccando, neutiquam vltra puniſſet, ſed vt reprimat noſtrum ad deteriora progreſſum, & tollat malitiam vlterius graſſantem ſuam ſeruãdo miſericordiam punit; ita vt in ſingulis operibus miſericordiæ argumentum oſtendat, inquit, & ſingulæ pœnarum ſpecies bonitate plenæ ſint. Nam cum eiiceret Adamũ ex paradiſo in eo ſimul cum flagello miſericordiã oſtendit, ſicut & in eo quod habitare eum fecerit è regione horti deliciarum ſeu paradiſi, vt iugẽ dolorẽ haberet quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem ſtatum ſe coniecerit. Et quamuis grauiſſimi doloris ſpectaculũ erat, eſt tamen magnꝗ vtilitatis occaſio, vt dolens continuo aſpectu munitior & cautior eſſet in aliis, ne iterum in ea peccata incideret, qui hominis vt plurimum mos eſt. *hæc Chryſ.*

Chryſ. ho. 18. in Gen.

3. NEQVE enim ideo produxit hominũ genus vt puniret, ſed plane è diuerſo vt donaret nobis innumera dona quib. frueremur. Et propterea ipſum vbiq; videas moras nectentem in pœnis infligẽdis, inquit idem, longo enim tempore quam diluuium induceret, illud per Noe arcam fabricantem prædixerat: volebat enim illos qui tam grauiter peccauerant, fabricatione arcæ admoneri vt ſecum cogitarẽt quæ feciſſent, reſipiſcendoque indignationem quam meruerant non experirentur. Sed quia vlcera eorum incurabilia erant,

Chryſ. ho. 21. in Gen. & 24.

diluuio ſiſtere voluit malitiæ fluenta, ne ſe grauioribus pœnis obnoxios facerent ſi diutius viuerent. Et quid diuinam bonitatem, quæ ſe in omnia ſecula & in omnes homines effundit, in vnum tempus concludo? Manſuetus eſt & miſericors etiam inimicis ſuis, & prior occurrit vt concilietinimicos. *Hactenus Chryſoſt.*

4. Hic notandum quod Gregorius ait *lib.* 18. *mor. ca.* 13. quod omnis diuina percuſſio, aut purgatio in nobis ſit vitæ præſentis, aut initium pœnæ ſequentis. Electi dum percutiuntur, ſollicite prouident vt ante ad iuſtitiam redeant, quam ſeſe ira iudicis inextinguibiliter accendat, ne vltimo flagello deprehēſis ſimul finiatur vita cum culpa. Qui incorrigibiliter delinquunt, huic flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percuſſione perdurant, vnde per Moyſen ait Dominus, *Ignis ſucceuſus eſt in furore meo & ardebit vſque ad inferni nouiſſima*, quia eorum percuſſio hic cœpta, illic perficitur, vt incorrectis vnum flagellum ſit quod temporaliter incipit, & in æternis ſuppliciis conſummatur, quia in iis qui omnino corrigi renuunt, præſentium flagellorum immiſſio, ſequētium tormentorum fit inchoatio. Et hæc eſt viſio, quam *Iere. vidit c.* 1. cum primo virgam vigilantem vidit & poſtmodum ollam verſus aquilonem ſuccenſam, quia vt *Hier.* ait in eum locum, vigilat virga cūcta populi peccata conſiderans vt percutiat delinquētes. Iſta eſt virga de qua Dauid loquit. virga tua & baculus tuus ipſa me cōſolata ſunt. Ad hoc enim Dominus caſtigat vt emendet: Et quod modo nux vel amygdalum corticem habet amariſſimam ſed ea ablata fructum dulciſſimū, ſic omnis correptio amara quidem videtur ad præſens, ſed fructus parit dulciſſimos. *hæc Hier.*

5. QVI vero noluerint percutiente virga emendari mittuntur in ollam æneam atque ſuccenſam, *inquit idem*, quando igitur propter peccata corripimur, vigilat ſuper nos Deus & viſitat nos. Sic enim Daniel ait cap. 9. *Stillauit ſuper nos maledictio quæ ſcripta eſt in libro Moyſi ſerui Dei, quia peccauimus ei.* Nam totam in nos effudit iram, *inquit Hiero.* quam ferre non poteramus, ſed ſtillam furoris ſui, vt correcti in plaga reuerteremur ad eum. Et ſubiungit propheta, *Omne malum hoc venit ſuper nos, & non rogauimus faciem tuam Domine Deus noſter vt reuerteremur ab iniquitatibus noſtris.* Grandis duritia, *inquit Hieronymus*, vt & in plaga poſiti Deum non rogarent, nec reuerterentur ab iniquitatibus ſuis, vt his ceſſantibus Dei ceſſarent flagella. Ad Deum tuum refert flagellum tuum, *inquit Auguſtinus*, quia Aug. in pſ. 31. nec diabolus tibi aliquid facit niſi ille permittat, aut ad pœnam aut diſciplinam: ad pœnam impiis, ad diſciplinam filiis. Nam per ſcripturas duo iudicia inſinuantur, vnum occultum quod nunc agitur: & eſt pœna qua tunc vnuſquiſque Hæc Aug. in pſal. 9. hominum aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conuerſionem: aut ſi contempſerit correptionem Dei & diſciplinam, excœcatur ad damnationem. Iudicium occultum eſt quod homo tranſit de morte ad vitam per nonnullam afflictionem qua flagellat Deus omnem filium quem recipit. Ego noui quem curo, ait Dominus: Non mihi det qui ægrotat conſilium; tanquam emplaſtrum mordax vrit te quod apponitur, ſed ſanat te. Rogat læſus medicum vt tollat emplaſtrum: & non tollit niſi fuerit ſanatum vulnus. vleiſcitur Deus in omnes adinuentiones noſtras, non ſine flagello proficimus. Qui non corriguntur iſto occulto iudicio, dignum Dei iudicium experturi ſunt, vnde Sapiens dicit, Sap. 12. *Propter hoc tanquam pueris inſenſatis iudicium in deriſum dediſti.*

6. Hoc tēpus miſericordię eſt, illud iudicii erit: per iſta huius temporis flagella ſignificat quomodo tunc perſecuturus eſt qñ non parcens iudicat, qui ſic diſtricte modo percutit qñ parcit. Idcirco a. diuerſis nunc cladib. percutimur vt his correcti paratiores in iudicio inueniri valeamus. Vnde Dauid Pſ. 59. *Oſtendiſti populo tuo dura & metuentibus te ſignificationem dediſti, vt fugiant à facie arcus.* Nam vt recte

Grego-

Gregor. lib. 13. moral. cap. 12. *Gregorius ait*, æſtu & frigore, fame ſitique & morbis affici, quid ſunt hæc aliud quam flagella peccati. Sed ſunt nonnulli qui & flagella tolerant, & tamen mentem ad flagellantis metum minime reformant; Sicut dicitur Iob. 17. *Cor eorum longe feciſti à diſciplina*, quia etſi corpus ſub diſciplina eſt, cor ſub diſciplina non eſt, dum & flagellatur quiſque, & tamen ad humilitatem mentis non reducitur, vnde Chryſoſt. *hom. 41. in Act.* Nonne Deus ſuperiori anno concuſſit totã ciuitatem? Quid igitur? Nonne omnes ad illuminationem currebant? Nonne ſcortatores & molles & effœminati dimiſſis poſſeſſionibus & locis in quibus conuerſabantur, conuerſi ſunt & facti religioſi? vbi autem tres dies tranſierunt, iterum redierunt ad ſuam malitiam.

Et quid mirum ſi vbi tres dies tranſierunt, cũ ſcilicet & perpetuo manibus ſignis idem fit, vt in Sodomis: Dic oro, nũquid vicini propterea meliores facti ſunt; Minime. Quid & Noe filius Cham, Nonne idem permanſit etiã viſo diluuio? Pharao nonne ſtatim poſt flagella mutatus eſt & ad priſtinã malitiam recurrit? Et quid referuntur generalia & antiqua: quot incidunt in morbos, quot promittunt ſi ſurrexerint pœnitentiam ſe acturos, & illi iidem manẽt. Hoc etiam Hebræis contigit vt dicitur Pſal. 77. *Cum occideret eos quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum, Et rememorati ſunt: quia Deus adiutor eſt eorum, Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei: Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius.*

II. Non diuitias neque nobilitatẽ huius Reguli reſpexit Dominus, ſed fidei inte-

1. QVOD Deus in nobis præcipue reſpicit, propria virtus eſt, *inquit Chryſoſt.* non aliena: Cum autem regulus hic licet nobilis eſſet genere, minus nobili fuerit virtute, vtpote fide & aliis virtutibus infirmus, hinc minus dignus fuit cũ quo Dominus deſcenderet, qui tamen ad ſeruum Centurionis ad filiam Principis, *de quo Matth. 9.* ire non fuit dedignatus, quia hos magis humiles adinuenit. Neſcit religio noſtra perſonas accipere, *inquit Hiero.* nec conditiones hominum, ſed animos inſpicit ſingulorum, ſeruum & nobilem de moribus pronunciat. Summa apud Deum eſt nobilitas clarum eſſe virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilius Petro, qui piſcator & pauper fuit. Quid in fœminis Beata Maria illuſtrius, quæ ſponſa fabri deſcribitur, Cui certe nihil vtilitatis attuliſſet quod de regali ſtirpe exorta eſſet, imo quod mater Dei eſſet, *inquit Chryſoſt.* niſi bonitate & fide ac cæteris virtutibus præſtaret. Nam cum Domino diceretur, *Beatus venter qui te portauit:* ſtatim ſubiunxit, *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Quod ſi Mariæ nihil ſine virtute matris honorerat allaturus: *inquit Chryſoſt.* longe minus nobis patris, matris, aut filii bonitas proderit, niſi aliquid noſtrum afferamus: In nullo namque alio niſi in ſolis ſui ipſius virtutibus, poſt diuinam gratiam, de ſalute cuipiam ſperandum eſt. Multi Chriſti Domini cognati ſecundum carnem perierunt; licet longam progenitorum ſeriem & quidem clariſſimorum numerarent.

gritatẽ in eo requiſiuit.

Chryſo. hom. 20. in Ioan.

Hieron. epiſt. 14. ad Celam.

Chryſo. ſupra.

Hoc eis profuit nihil niſi & ſuorum virtutes imitari contendant, ſcientes aliorum opera nobis non modo nihil in futuro iudicio profutura, verum grauiter nos condemnatura, cum optimorum parentum liberi, & domeſticis exemplis eruditi nihil profecerimus: vt enim nihil nocet ei generatio humilis quem mores glorificãt, ita nihil prodeſt ei generatio clara quam ſordidant mores. Quid profuit Cham quod filius fuerit Noe; Aut quid nocuit Abrahæ quod patrem habuerit Thare luteorum Deorum cultorem? Non potuerunt gloriam eius euacuare paterni errores: Quid profuit Iudæis quod patrem habuerint Abraham cuius mores & fidem imitati non ſunt, hoc eos magis grauat quod ex tanti viri ſemine orti eo ſe indignos præbuerint.

2. NVLLI itaque te vnquam de generis nobi-

nobilitate præponas, *inquit Hieronym. ad Celan.* nec obſcuriores quaſque & humiliore loco natas te inferiores putes. Nam elegit Deus ignobilia & contemptibilia huius mundi, vt potentes ac nobiles ad humilitatem facilius adduceret. Nobilitatis ad hoc tantum memineris vt cum claritate generis morum ſanctitate contendas, & cum nobilitate corporis, animi virtute nobilior proficias, magiſque illa nobilitate glorieris, quæ filios Dei & cohæredes facit Chriſti. Omnis iſta præclari generis dignitas, & illuſtre auiti ſanguinis decus ad animum transferantur: Ille clarus, ille ſit nobilis, ille tunc in integram nobilitatem ſuam ſeruare ſe credat, ſi dedignetur ſeruire vitiis, ab iiſque non ſuperari. Quid enim hac ſeruitute indignius, quid turpius, quam cum in ea dominatur aut odium, aut ſuperbia, aut libido? Non eſt quod ſibi aliquis de nobilitate generis blandiatur ſi ex meliore parte ſit ſeruus, cum multo ſit indignius mente ſeruire quam corpore.

3. SOLENT homines beneficii loco ducere ſi potentibus & diuitibus aliquod obſequium præſtare poſſint: ſed & ipſi Principes ac diuites nobiles eo quod alte de ſe ſentiant plerumque, id fere ſibi perſuaſum habent, quod eis nihil denegandum videatur. Quapropter hic regulus quaſi mãdando rogaſſe videtur Dominum, vt deſcenderet cum eo & filium eius ſanaret. Neque enim legimus eum adoraſſe Dominum, ſicut ille princeps, de quo *Matth. 9.* qui adorabat eum dicens, *Domine filia mea defuncta eſt, ſed veni impone tuam manum ſuper eam & viuet: Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum.* Hic nihil tale legimus, ſed inſuper hunc Regulum increpauit Dominus, *quia humilia reſpicit Deus in cœlo & in terra, alta autem à longe cognoſcit.*

Quapropter neque propter nobilitatem, neque propter potentiam aut diuitias ſic honorandum putauit Dominus vt cum eo deſcenderet, quia veræ diuitiæ, quæ hominis inopiæ ſubueniunt, ac vera nobilitas ſunt animi bona, ac ſpiritualia dona, Sapiẽtia, Pietas, Fortitudo, Caritas, in ſua integritate inuenta, hæc enim vere nobilem efficiunt hominem, ac filium Dei conſtituunt. Diuitiæ, nobilitas carnis, nõ talia ſunt bona quæ hominem efficiunt bonum, ſed vnde homo aliis faciat bene, *teſte Auguſt.* vnde *Hiero.* Diuitiæ, *inquit,* & ſanitas corporis & rerum omnium abundantia, & his contraria paupertas & infirmitas & inopia etiam apud philoſophos ſeculi nec inter bona reputantur nec inter mala, ſed appellantur indifferentia, & talia qualis eſt animus ea poſſidentis; vt enim impedimẽta ſunt improbis, ita bonis ſunt adiumẽta virtutis; Et Stoici qui noſtram religionem proxime accedunt, *inquit Hiero.* ſolã virtutem vocant bonam, eo quod afficiat hominem bonum, & ſolum vitium malum eo quod efficiat hominem malum. Vnde cum diues ille Luc. 12. diceret, *Anima habes multa bona repoſita in plurimos annos, bibe & epulare: dicit Hiero.* quod mali & boni ſcientiam non habuerit. Nõ quod culpabile ſit habere iſta, ſed ea amare & ſpem in eis ponere, & ea præferre aut etiam conferre ſapientiæ, iuſtitiæ, bonæ conſcientiæ, caritati Dei & proximi, quibus omnibus anima pia diues in ſecretis ſuis coram oculis Dei, ſunt enim hæ opes Chriſtianorum, quibus qui abundat vere opulentus eſt ſecundum interiorem hominem, etiamſi foris pauper ſit.

Hieron. in c. 11. Iſa.

Hieron. in c. 6. ad Gal.

4. NOLVMVS tamen offendere diuites, *inquit Ambro,* in illud Lucæ, *Ecce vir nomine Zachæus, & hic diues,* qui volumus ſi fieri poteſt ſanare omnes. Diſcant non in facultatibus crimen hærere, ſed in his qui vti neſciunt facultatibus non cenſus ſed affectus eſt in crimine. Et *Auguſt. in Pſal. 51.* Non deſperandum de hominibus qui purpuram gerunt & Remp. terrenam regunt, & negotiis ſecularibus implicati ſunt. Neque rurſum continuo gratulandũ hominibus, qui cœleſtia agere negotia dinoſcuntur, cum plerumque illi qui negotiis

gotiis ſecularibus implicati ſunt, cor ſemper ſurſum habeant, ſi chriſtiani ſint, contemnentes ea in quibus ſunt, & ſperant in quibus nondum ſunt: de quo genere fuit illa ſancta mulier Eſther, quæ *ca*. 14. ait ſibi fuiſſe illa ornamenta regalia, ſicut pannum menſtruatæ: Iſti autem qui cœleſtia ſemper prædicant, cor ſæpius habeant in terra defixum. *hac Aug*. Diuitiæ quæ in poſſeſſione auri & argenti ſitæ ſunt, ſolis iniquis diuitiæ ſunt, qui in eis conſtituunt ſpem & copiam beatitudinis ſuæ, *teſte Aug*. qui fœlicitatem ſeculi diligunt, nec aliam vitam præter iſtam in qua inaneſcunt, amant, qui *beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*, cuius *prōptuaria plana eructant ex hoc in illud. Quorū dextera, dextera iniquitatis*, quia cū hæc tēporalia bona primo loco habeant & maximi pendant boniſque æternis præferant, recte dextera eorum dicitur, *dextera iniquitatis*, quia in hoc inique agunt quod bona temporalia, dexteræ loco, id eſt, primo loco ponant quę ad ſiniſtram poni debent. Qui autem infirmiores ſunt, & terrenis bonis, quamuis ea non præponant Chriſto, aliquantula tamen cupiditate illis adhærēt, quantum hæc amando peccauerint, perdendo ſentiunt, *inquit Auguſt*. quantum enim dolent perdendo quæ poſſeſſa amant, tantum ea amauerunt, & amando peccauerunt.

Auguſt. lib. 2. q. Euange.

Auguſt. lib. 1. de ciuit. ca. 10.

5. DICIT Gregor. ſanctos viros magis in hoc mūdo proſpera quam aduerſa formidare: nam cum valde occulta ſint iudicia diuina, fit interdum vt bonis ſit male, & malis bene, quia & boni ſi quæ deliquerunt hic recipiunt vt ab ęterna plenius liberentur damnatione: & mali bona quę in hac vita faciunt, vt ad ſola poſtmodum pertrahantur tormenta. At cum bonis bene hic eſt, & malis male, incertum eſt vtrum boni idcirco bona accipiant vt prouocati ad melius creſcant, an iuſto latenti iudicio hic ſuorum operum remunerationem accipiant, & pręmiis vitæ ſequentis decidant & inaneſcant: Timent ne quod diuina iuſtitia latēs in eis vulnus aſpiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans ab intimis deſtituat. Vnde fit vt ſancti viri in hoc mundo proſpera magis quam aduerſa formident. *hæc ille*.

Lib. 5. Mor. c. 1.

1. DOMINE *deſcende priuſquam moriatur filius meus*. Multiplici defectu laborabat hic Regulus: Inprimis quia putabat Chriſtum abſentem non poſſe ſanare: tum quia exiſtimabat eum mortuum non poſſe ſuſcitare: Ergo diuina Chriſti potētia non erat ei ſatis nota: Tum etiam quia Chriſto modū ſanandi præſcribebat, Rogabat enim vt deſcenderet & ſic ſanaret filium eius: tanquā ſi ægrotus medico præſcriberet medicinam qua curandus foret: Denique quia perſuaſum ſibi habuiſſe videtur, quod titulo nobilitatis & regiæ dignitatis hæc gratia ſibi deberetur, quod Chriſtus cum eo deſcenderet, & ſic ſanaret filium eius. Quapropter merito increpationem merebatur hic Regulus, vt in cognitionem ſui ſuorumque defectuum deueniret. Nam neque ob nobilitatē generis hunc Regulum audiuit Dominus, quippe cum nobilitas vana ſit ſi vera virtute careat: Neque tantæ fidei erat vt de eo dici poſſet, *Fides tua te ſaluum fecit*, imo ſecundum fidem ſuam merebatur non exaudiri. Nihilominus Dominus, qui linum fumigans non extinguit, nec calamum quaſſatum confringit, eius orationem non penitus repulit, ſed quia aliqualem fidem in eo cernebat, credebat enim Chriſtum, ſi præſens adeſſet, ſanare poſſe filiū ſuum, eam non extinguere ſed excitare & adaugere cupiebat, ſicut & adaucta fuit. Raro enim contingit quod in initio perfecta fides inueniatur, cum & apoſtoli orauerint dicētes, *Domine adauge nobis fidē*.

III. Variis defectibus ſubiectus fuit hic Regulus.

2. DICIT Dominus Luc. 17. *Fides tua te ſaluum fecit*: ruſum Math. 17. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, Tranſi hinc illuc & tranſibit*. Hæc eſt fides quæ etiam apud eos qui bene credunt, difficile perfecta inuenitur. Vnde *Hiero. in dialo. aduerſus Lucif.*

Hanc

Hancego vocem audire nolo, *inquit*, Fiat tibi ſecundum figem tuam. Si enim ſecũdum fidem meam fiat mihi, peribo, *inquit*. Et certe credo in Deum patrem, credo in Deum filium, credo in Deum ſpiritum ſanctum. Sed ſæpe venit inimicus homo & inter dominicam meſſem zizania interſerit: verbi gratia ad orationem aſſiſto, non orarem ſi non crederem, ſed ſi vere crederem, & perfecta fides mea foret, illud cor quo Deus videtur, mundarem, manibus pectus tunderem, genas lachrymis rigarẽ, corpore inhorreſcerem, ore pallerem, ad Domini mei pedes iacarem, eoſque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certe trunco crucis, nec prius omitterem quam miſericordiam impetrarem. Nunc vero creberrime in oratione mea aut per porticus deambulo, aut abductus vna vel turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcẽda ſunt, gero. Vbi eſt fides, cũ perfecta fides & Dei maieſtatem plenius intueatur, vnde reuerentia erga eam ſuſcitatur: & Dei miſericordiã penitius introſpiciat, vnde magna fiducia exoritur: & hominis infirmitatẽ ac peccati turpitudinem clarius videat, vnde humilitas & pudor prodit. Conueniat quiſque cor ſuum & inueniet quam rarum ſit perfectam fidem inueniri.

IV. Magis pro ſanitate corporis quam animæ filii ſui ſolicitus erat hic Regulus. Chryſoſt. ho. 32. in Matth.

1. DOMINE *deſcende priuſquam moriatur filius meus.* Si quis tam præſentis vitæ quam futuræ conditione probe perſpectam haberet, facile aduerteret, *inquit Chryſoſt.* mortẽ filiorum non eſſe nimis lugendam neque metuendam: Nam hanc vitam aranearum eſſe telam atque vmbrã, illam vero immobilem atque æternam facile intelliget, proinde qui hinc migrat ab omni mùtatione ad ſtatum immortalem, & à miſeria ad beatitudinem transfertur. Quod ſi in peccato mortuus ſit, finem tamen peccandi moriendo adinuenit. Nam ſi pœnitẽtiam fuiſſet acturus, *inquit Chryſoſt.* Deus cui omnia parent, non antea quã eam egiſſet, rapuiſſet. Si vero iuſtus deceſſerit, euaſit iam pericula & tutus beatitudinem poſſidet: Si vero hic manſiſſet, probus ne an reprobus futurus eſſet, in ambiguo verſaretur, *hactenus Chryſoſt.*

2. Hæc prima parentum cura eſſe debet, non vt nati ab ipſis diu viuant, ſed vt bene viuant, non vt eos diuites efficiant ſed vt eos ab infantia Deum timere doceant & in pietate ac omni virtutum genere educent. A quo plurimum commendatur Abraham *Gene* 18. vbi ſic legimus, *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam: & in ipſo benedicendæ ſint omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus ſit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam domini & faciant iudicium & iuſtitiam.*

Ei tanquam intimo ſuo amico aperit ſecreta ſua. Sed & propheta Iob potiſſimum ſollicitus erat pro ſalute animæ filiorum ſuorum: De quo ſic legimus Iob. ca. 1. *Cumque in orbem tranſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta per ſingulos. Dicebat enim ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.* Quem locum explicans *Orige.* ſic ait, Pro occultis peccatis expiandis ſolicitus erat, quia manifeſta ſcelera quę verbis committuntur aut opere ab eis aliena fuiſſe videntur, quippe qui à patre in timore Domini educati ab infantia fuerint. Sed corde & animo facile quis labitur, vt ſi impura cogitatione coinquinetur aut illicita meditatus fuerit, aut radix aliqua amaritudinis & iræ ſurſum pullulans exulcerauit, aut quid aliud aduerſus Deum cogitauerit. Et hoc faciebat non ſemel aut iterum, neque vno anno aut duobus, ſed ſic faciebat Iob cunctis diebus filiorum ſuorum, quo ſic eos tanquam viua ſacrificia immaculatos & inuiolatos Deo offerret, & regno cœlorum aptos redderet. *hæc Origenes.*

3. FILII *tibi ſunt, erudi illos & curua illos à pueritia illorum. Filiæ tibi ſunt, ſerua corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem* Eccle. 7.

faciem tuam ad illas, inquit Eccleſiaſticus.

Chryſ.ho. 35. in Gen. Vnde *Chryſoſt.* Illud veſtram charitatem rogauerimus, *inquit*, vt & vos virtutis curam geratis, & cōtinentiam filios veſtros doceatis. Nā ſi ſemel à malitia fuerint occupati, quaſi in captiuitatem eſſent abducti, quoquo diabolus iuſſerit, eunt: ille enim eis imperat, pernicioſa eis dat mādata quæ iuuenes libēter perficiunt, præſentem tantum voluptatem ſpectantes & futurum dolorem non cogitantes. Quod ſi inſuper & malitiæ conſuetudo proceſſu tēporis inualeſcēs eos præoccupauerit, tātum faciunt malū, vt poſtea nō poſſint aliqua vinci admonitione. Ideo oro vt præbeatur manus pueris noſtris, vt ne etiā pro his quæ illi peccauerunt, pœnas ſuſtineamus. An neſcitis quid ſeni Heli acciderit cū non debite emendaret filiorū delicta? neq; pro peccatorū qualitate caſtigaret nimia viſus lenitate? Admonebat quidē atq; à peccatis iſtiuſmodi diſcedere cohortabatur, ſic dicens, *Quare facitis res huiuſcemodi quas ego audio res peſſimas ab omni populo? Nolite filii mei quia non eſt bona fama quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini. Si peccauerit vir in virum placari poteſt ei Deus: ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* verum quia non eum quem par erat aduerſus ipſos animi zelum præ ſe tulit, ſecuta ſunt ea mala quæ prædixit Dominus 1. Reg. 3. cum ait, *Ecce ego faciam verbum in Iſrael, quod quicumque audierit tinnient ambæ aures eius.* vno enim & eodem die in prælio trucidati occubuerunt & arca capta eſt, & Heli miſerabili admodum exitu vitam finiuit: Et hoc propter filiorum ſcelera, *inquit Baſili. in proœmi. libr. de mori. to. 1.* Neque enim quod ad ipſum nominatim pertinet, in vita vnquam ſua reprehenſus eſt. *ſic Baſili. & Chryſ.*

4. CAVE ne filius tuus qui eſt templum Dei, fiat ſpelunca latronum, *inquit Chryſ. homi. de Anna & Samuelis educat.* Fit autem ſpelunca latronum, *inquit*, cum patitur ſeruiles concupiſcentias & immundas cogitationes intrare ſedemq; figere in animo ſuo. Tales enim cogitationes grauiores & pernicioſiores ſunt latronibus, quæ puerorum ingenuitatem vertunt in ſeruilitatem, vndique confodientes illos, ac mentem illorum multis implentes vulneribus. Exerceamus igitur ad virtutem & pietatem molles filiorum animos: honores, dignitates, opima beneficia, diuitias & ſimilia ſecundo loco quæramus, *inquit idem hom. 9. in epiſt. 1. ad Timo.* quia ſi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ aut diuitiæ proderunt: Sin autem probi, etiāſi tenuis ſubſtantia illis fuerit, nihil in deteriori loco erunt quam hi qui plurima poſſident, iuxta illud pſalmiſtæ, *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas.* Quod ſi improbi fuerint etiamſi illis infinitam ſubſtantiam relinquas, non illi cuſtodes reliquiſti, ſed longe deteriore conditione feciſti quam ſi ad extremam deueniſſent inopiā. Et vide quātæ ſit dementiæ, *inquit Chryſ.* illis dum viuimus facultatum noſtrarum dominium permittere non audemus, ab obitu vero noſtro magnam iuuentutis leuitati licētiam relinquere non reformidamus, cum tamen dum viuimus, ipſi poſſumus eos ad rationis calculos vocare facultatibus non recte vtentes & emendare ac cohibere, vita vero functi ſi vna cum orbitate ac iuuētute opū quoque abundantiam addiderimus, fiet profecto vt in infinita præcipitia miſeros illos impellamus, oleum foco inſtillantes.

5. NON igitur parui eſt meriti indultos nobis à Deo liberos ad virtutem ipſiuſque militiā exercere, eiq; ab ipſis infantiæ pānis dedicare. Eſt enim iuuentus fera, plurimiſq; indiget magiſtris, qui nihil eos agere permittant ex iis, quę noxie iucunda ſunt, neq; illis vt pueris indulgeamus, ſed admoneamus, corripiamus, terreamus, & modo iſtud, modo illud faciamus, *ait idem* Chryſ.ho. 9. in 1. epiſt. ad Tim. Dominus cū à filiis Iſrael ſibi ſeruire vellet eos ex Ægypto in ſolitudinē eduxit, in ſignum quod qui Deo ſeruire volunt, mūdum hunc deſerere debeāt, non vtiq; corporis ſubtractione vt ii faciunt qui mona-

ſticam amplectuntur diſciplinam, ſed ne in eorum animis regnet cupiditas, libido, auaritia, ſuperbia, inhumanitas & cætera quæ ſunt mundi huius vitia, quia nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Vnde *Hier. epiſt. 7. quæ eſt ad Lætam* inſtruens eã quomodo filiam ſuam Chriſtianis moribus informare debeat, *ſic ait*: Adhuc tenera filia tua nihil aliud diſcat audire, nihil loqui niſi quod ad timorẽ Domini pertinet: turpia verba nõ intelligat, cãtica mũdi ignoret, difficulter eraditur quod rudes animi imbiberunt. Caue ne aures eius perfores, nec ceruſſa, nec purpuriſſo cõſecrata Chriſto ora depingas, nec capillũ irrufes, nec caput gemmis oneres. Prætextata quõdam nobiliſſima fœmina iubente viro Hymertio, qui patruus Euſtochii virginis fuit, habitũ eius cultumq; mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit, vincere cupiens & virginis propoſitum & matris deſiderium. Et ecce eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe angelum terribili voce minitantem pœnas & hæc verba dicentem: Tune auſa es viri imperium præferre Chriſto? Tu caput virginis Dei tuis attrectare ſacrilegis manibus? quæ nunc iam areſcent, vt ſentias excruciata quid feceris. Et ita factum.

DOMIINCA XXI. POST PENTECOSTEN.

DIXIT *Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc, Simile eſt regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. &c.* Matth. 18.

Summa eorum quæ hic explicantur.

I. *Magna Dei miſericordia, & quis ea dignus ſit.*
II. *An peccata dimiſſa redeant.*
III. *Magnum eſt hominis debitum.*
IV. *Remitte proximo vt tibi remittat Deus.*

PARS I.

ART: I. Magna Dei miſericordia, & quis ea dignus.

1. MISERTVS *Dominus ſerui illius dimiſit eũ, & debitum dimiſit ei.* Proprium eſt Deo miſereri ſemper & parcere ſicut natura ignis eſt calefacere & illuminare: Cum n. Deus natura ſua bonus ſit, imo bonitas ipſa, ab eo profluũt beneficia, quomodo ex pleno mari deriuantur & emanant flumina, non quidem naturaliter aut neceſſario, ſed libera ſua ac benigna voluntate, *Facit ſolem ſuũ oriri ſuper bonos & malos*, inquit Dominus, *& pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* (Matth. 5.) Neque enim amicis ſolũ aut iuſtis, ſed & impiis & peccatorib. benefacere conſueuit Deus. An non miſericordia ſua nos ſuſtinet cum quotidie peccare nos videat, interea tamen nõ puniat? Et licet poſt multa beneficia ab eo defecerimus, *peccauimus enim cũ patribus noſtris, iniuſte egimus, iniquitatẽ fecimus*, ſicut Daniel orat ca. 9. non tamen nos deſerit, ſed ad ſe reuocat: quin & alios ſubſtituit qui pro nobis orent, quatenus quę neceſſaria ſunt donet: id quod in Moyſe factum eſt, (Exod. 32.) cui dicebat Dominus, *permitte me & delebo illos*: Non quod voluerit illum ab orando ceſſare, hæc dicebat, *inquit Chryſ.* ſed vt eum ad ſupplicandum pro populo magis incitaret, nam ſalutem eorum plurimum cupiebat: (Chryſ. ſer. 14. in epiſt. ad Rom.) Propterea & Ieremiæ dicebat, ca. 11. *Ne ores pro populo iſto quoniam non exaudiam te*: vt diſcas, *inquit Chryſoſt.* quod iſta non ideo dixerit quod ceſſare illum, ſed quod magis ad orandũ ſollicitare voluerit: audi quid ſubiungat, *inquit*, An nos vides quid iſti faciant? non vt in deſperationem coniiciat, hæc dicit, ſed vt ad pœnitentiam agendam permoueat: Id quod propheta non ignorans ab oratione non ceſſabat. *Hæc Chryſ.* vnde & apud Ezechielem conqueritur Dominus, (Ezech. 13) quod non fuerit qui opponeret ſe murum pro domo Iſrael, vt eam defenderet, *non aſcendiſtis ex aduerſo*, inquit, *neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael vt ſtaretis in prælio in die Domini.*

2. MISERICORDIA attribuitur Deo non ſecundum paſſionis affectum, vt miſericors dicatur quaſi miſerũ cor habẽs, quia nimirum triſtitia afficitur ex miſeria alterius, non enim conuenit triſtari Deo, ſed tribuitur ei miſericordia ſecundum effectum, quia Deo competit ſubuenire alterius miſeriæ. Quod facit non ſolum quando indulget & peccanti parcit eiuſque culpam remittit, verumetiam dum corripit ac tribulationem immittit, conſulens non ipſius voluntati, qua ſibi ipſi qui peccat inimicus inuenitur, ſed vtilitati ac ſaluti. Sicut Moyſes dum veniam populo in idololatriam lapſo impetrat apud Deum, & tamen poſt veniam impetratam 23. milia trucidari mandat, *vt dicitur in Exodo*, non ſolum miſericors fuit dum veniam exorat, verumetiam dum peccatores caſtigat, ne pluribus peccantibus impune, tota gens pereat. Nam ſi ea quibus Deus offenditur vehementer, vlciſci negligimus, *inquit Auguſt.* ad iraſcendum vtique Dei patientiam prouocamus: quod certe multo eſt horribilius quam ab homine puniri, aut propria ſpõte pœnitentiam ſubire, quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.

Exod. 32.

3. PORRO dum parcit Deus & miſeretur ac culpam condonat, non contra ſuam iuſtitiam facit, ſed aliquid ſupra iuſtitiam operatur, & plus facit quam iuſtitia exigit ſicut ſi alicui debeam mille renenſes, & alter non ſolum hos mihi remittat; ſed inſuper & alios mille adiiciat, nemini iniuriam facit, ſed miſericordem ac liberalem animum declarat: Sic Deus quia eſt ſupremus Dominus poteſt facere quod vult abſq; omni iniuſtitia, & culpam abſque pœna remittere ſi velit, quia huiuſmodi offenſæ remiſſio nõ eſt aliud quam quædam donatio, iuxta illud Pauli ad Epheſios, *Donate inuicem ſicut & Chriſtus donauit vobis*: huiuſmodi miſericordia non tollit iuſtitiam, ſed eſt quædam iuſtitiæ plenitudo, iuxta illud Iacobi, *Miſericordia ſuperexaltat iudicium.* Ita iudex qui clemẽs eſt, & pœnas ſecundum rigorem iuris inferendas ob certas cauſas temperat aut relaxat, non contra rationem nec iuſtitia violetur facit, ſed ſecũdum rationem, quia videlicet aut nocẽs iam humiliatur & meliora proponit atque promittit, aut quia inſcius in hanc noxam incidit qui antea ſemper probus fuit. Sic Deus quamuis abſque pœna non tamen ſine cauſa culpam remittit, mouet enim eum aut pœnitentia, aut humilitas, aut ignorantia ipſius peccantis cur ei pœnam remittat. Et ideo ſi miſericordiam Dei experiri velimus, noſipſos prius miſericordia dignos præbeamus oportet, *ait Chryſ.* Nec n. temere obtingit quibuslibet, nec offertur iis qui brutis ſunt affectibus qui non ſentiunt ſe egere miſericordia Dei. Quamuis enim immẽſum ſit diuinæ miſericordiæ pelagus, vt nullum ſit peccatũ quantumcumque graue quod illius miſericordiam vincat, modo pœnitentiã quis agat & veniam petat, tamen, vt idẽ ait, niſi quis ſe miſeretur, non miſerebitur illius Deus. Hinc nos monet Eccleſiaſticus, *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Qui nec ſui nec proximi ſui miſeretur, ab eo Deus duram exigit rationẽ, vt patet in præſenti parabola. Itaque in noſtra poteſtate ſitum eſt, *inquit Chryſ.* vt Dei miſericordiæ conſortes ſiamus. Si enim quæ digna ſunt ipſius benignitate fecerimus, miſerebitur noſtri Deus, ſi veniam à Deo culpæ commiſſæ cupis impetrare, ignoſce & tu in te delinquenti, tales ſimus erga proximum, qualẽ Deum erga nos eſſe cupimus: Scriptum eſt enim, *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

Ephe. 5.

Iaco. 2.

Chryſ. ho. 2. in epiſt. ad Corint.

Chryſ. ho. 19. in Geneſ.

Eccle. 30.

Chryſ. ho. 9. in epiſt. ad Theſ.

Matth. 5.

4. HANC quanto quiſque penitius perſcrutatus fuerit, ſiue quæ in Deo eſt, ſiue quam in ſe excitare cupit, tanto facilius vim eius percipiet: Nam ſicut aromata quanto magis atteruntur digitis, tanto maiorem natura ſua fragrantiam reddũt, ita & in miſericordia viu venit, quanto quis illam familiarius intuetur, tãto plures inde pcipiet fructus. Quod ſi Dei miſericordiã credim⁹ & approbamus, nec tamen imitari conamur, ſimiles ſum⁹ otioſis

hiſtrionum ſpectatoribus, qui quæ vidēt laudant, ſed poſt certamen nulla corona, nulla mercede gaudent, eo quod in certamine non laborent. Itaque nos hortatur Dominus vt Deo ſimiles euadere conemur, *Eſtote perfecti, inquit, ſicut & pater veſter cœleſtis eſt, & benefacite his qui oderūt vos.* Aut ſi id ſublimius putemus & viribus noſtris impar vt Deum imitemur, Sanctorum ſaltem exempla non reformidemus, vt iis conſideratis & mentem contra paſſionem firmemus, & actus noſtros iuxta virtutis modū ac normam cōponamus. Contra iræ impetum exemplo Moyſis per māſuetudinem mentē firmare ſtudeamus: Quid enim Moyſe manſuetius qui cōmiſſi ſibi populi ſeditionē ſuſtinens etiam iraſcentem Deum pro eiſdem ſuis perſecutoribus rogat. Et quid Samuele benignius qui de principatu regendi populi deiectus ſucceſſorē ſuum humiliter inungit, quem vnctum mox perſequutorē tolerat, & eundem etiam vſque ad indignationē Domini aſſidue deflet & deplorat. Neque dixeris, Illi ſancti fuerunt & fortes, ego infirmus ſum & ſanctus non ſum, & iniuriam ferre non poſſum: quaſi vero quia infirmus es, ſanari non debeas, & ſanctorū exempla imitando, vires paulatim recuperare non poſſes: *Nunquid reſina non eſt in Galaad,* inquit Dominus per ſuum prophetam Ieremiam, *aut medicus non eſt ibi? quare ergo nō eſt obducta cicatrix filiæ populi mei*: Quod homo ita infirmus permaneat, iſtud ex torpore & negligentia eſt, quia peccatis reſiſtere tœdet, virtutes exercere non lubet.

Matth. 8.

Iere. 8.

5. PORRO vt anima ſana ſit & ſancta, plurimæ ad hoc ei ſunt virtutes neceſſariæ, eaſque non titulo tenus velut ſepulchra dealbata, ſed intus in corde eas poſſidere neceſſe eſt: ad quod nos Paulus hortatur cum ait, *Induite vos ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ, benignitatem, modeſtiam, patientiam.* Et quibuſdam virtutibus ac gratiis eget quidem homo vt in ſe rite componatur, aliis vero vt ad actiones ſuas ſapienter & potenter progrediatur. Tunc autem anima hominis rite diſponitur in ſe ipſa, quando & bonis fruitur & nullis malis turbatur, vt ſi caritate in Deum, & dilectione in proximum, & amore feratur in bonum, quo ſi perfruitur gaudium ſubſequitur. Ad operationem autem anima diſponitur, primo quantum ad voluntatem benefaciendi, & ad id benignitas datur qua quis fertur & mouetur vt proximo benefaciat: Deinde manſuetudo qua æquanimiter tolerantur mala à proximis illata: hinc miſericordia qua quis mouetur vt proximo in miſeria conſtituto ſuccurrat: hæc temperari debet rigore iuſtitiæ quæ malum præſertim proprium aut etiam ſubditorum non relinquat impunitum.

Coloſſ. 3.

VERVMENIMVERO non ita quis ſibi blandiatur de diuina miſericordia vt Dei iudicii obliuiſcatur, erit enim & iudicium. Cum benignitas Dei peccātibus parcit & ſpatium pœnitentiæ tribuit, qui duri ſunt & inſulſi *ipſi ſecundum durittem cordis ſui theſaurizant ſibi iram in die iræ Dei*, vt Paulus loquitur ad Roman. *qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Vnde in hac parabola Dominus exigit vniuerſum debitum à ſeruo cui illud antea dimiſerat, eo quod noluiſſet miſereri cōſerui ſui, quia qua menſura quiſque menſus fuerit, eadem & ei remetietur. Sed hic quæſtio moueri ſolet, *An peccata ſemel dimiſſa redeant?* hoc videtur *Auguſt.* dicere contra Donatiſtas *vbi ſic habet*, Nam redire dimiſſa peccata vbi fraterna caritas non eſt, apertiſſime docet in Euangelio de illo ſeruo Dominus, quem cū inueniſſet debitorem decem millium talentorū, deprecāti omnia dimiſit: ille autē conſeruum ſuum qui ei debebat centum denarios cū miſeratus non eſſet iuſſit eum Dominus reddere quæ dimiſerat: videtur ergo iuxta ſententiam Auguſtini quod redeant peccata ſemel dimiſſa. Sed notandū *Auguſt.* non aſſerendo ſed quærendo & aliorum ſententiam & opinionē referendo id dixiſſe. Et agit ibidem *Auguſt.* de eo qui fictus

II. An peccata dimiſſa redeant.

Rom. 2.

Aug. con. Donat. lib. 1. cap. 12. to. 7.

fictus ad baptiſmum accedit: cui quamuis videantur dimiſſa peccata tamen dimiſſa non ſunt, ſed tunc, *inquit*, ei ad ſalutem incipit valere baptiſmus, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia perſeuerante peccatorũ ablutionem non ſinebat fieri. Itaq; *ſecundum Auguſt.* ficte ad baptiſmum accedenti peccata non remittuntur, ſicut nec illi qui fratri non remittit. Hunc autem ſeruum non remiſiſſe fratri ſuo quod ei debebat, patet ex eo quia dicitur, *Egreſſus autem ſeruus ille inuenit vnum de conſeruis ſuis qui debebat ei centum denarios*. Quod ſi ei dimiſerat, non iam debebat, quia vero dicitur, debebat, manifeſtum eſt quod non dimiſerat.

2. ET HÆC ſæpe contingunt in Eccleſia, *inquit Auguſt.* vt homo habeat inimicum quem iniquiſſime oderit, cum tamen inimicos inimicos diligere iubeamur. Subito autem periculo mortis incipit perturbari & poſcit baptiſmum, quem tanta feſtinatione accipit vt neceſſariam interrogationem paucorum verborum vix periculi tempus admittat, quanto minus ſermonem longiſſimum vt illud odium pellatur corde, etiamſi baptizanti ſit cognitũ. Quid ergo dicimus, Dimittuntur peccata huic homini an non dimittuntur? *hæc Aug.* Certe qui metu pœnæ conuertitur ſæpe non ſyncere conuertitur, quia non habet mutatum affectum, vt peccatum ei diſpliceat, ſicut hic ſeruus nequam occultum gerebat odium in fratrem. Talis cum venit ad baptiſmum aut confeſſionem, veram remiſſionem non obtinet quia obicẽ ponit dum fratrem odit. Hinc iuſte ab eo exigitur omne debitum quia non fuerat condonatum niſi ſpecie tenus. Et ſic intelligitur quod dicitur, *omne debitũ dimiſi tibi quia rogaſti me*: Deus enim remittit quantum in ſe eſt, dum ſacerdos abſoluit aut baptizat.

Aug. lib. 1. con. Donatiſt. ca. 13.

3 REPETET Deus omne debitum non remiſſum, potiſſimum in die mortis cuiuſque, *quia cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium*, inquit Eccleſiaſtes: & *Paul.* ait, *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; prout geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum ſiue malum.* Et quomodo in præſenti parabola conſerui videntes ea quæ fiebant à ſeruo nequam, narrauerunt Domino ſuo omnia quę facta ſunt, ita in particulari cuiuſque iudicio aſtabunt angeli boni & mali ipſis animabus iudicandis, mali vt accuſent & omnia mala perpetrata in medium adducant ad maiorem cumulum damnationis. Sic legimus in reuelationibus S. Brigittæ lib. 6. diabolum quandam animam acerrime accuſaſſe coram Deo, quam putabat in peccato mortali mortuam: Cui miſeræ animæ cum B. Virgo ſubueniret, impio dæmoni dixit, præcipio tibi vt mihi reſpõdeas, num hominum corda intueri valeas: quo reſpondente quod non, oſtendit B. Virgo quod anima illa in fine vitæ ſuæ ſuorum peccatorum pœnitentiam magnam habuerit. Aſſiſtunt & angeli boni vt contra accuſationem dæmonum opera bona per homines etiam impios facta in media adducãt, per quæ eos iuuant quantũ poſſunt, aut vt non damnentur, aut vt mitius puniantur. Quamuis enim impij & potiſſimum infideles qui non credunt, nihil meriti habeãt quo digni ſint vita æterna, imo qui non credunt iam iudicati ſint, *teſte Ioanne*, tamen aliqua bona opera fecerunt, quibus fit vt minus puniantur quam ij qui ea non fecerunt.

Eccl. c. 12.

Ioan. 3.

4. ET QVANQVAM Deus neq; teſtibus egeat neq; accuſatoribus, tamen cum homine humano agit more, ſecũdum quem in iudicio & accuſatores & teſtes audiri ſolent. Vnde in *Apocalypſi* dicitur, quod & liber ſit apertus ex quo omnes iudicantur, & quod libri ſunt aperti: *Et iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum*. Per librum intelligit *Auguſtinus* Dei vim, atque virtutem cognitiuam qua in omnium deducit notitiam ea omnia quæ occulta erant. Per libros vero conſcientiæ intelliguntur ſingulorum, iudicandorum ſcilicet hominum, angelorum defendentium & dæ-

Apoc. 20. cap.

monum accuſantium. *Accuſantibus*, inquit Paulus, *aut etiam defendentibus cogi-* Rom.2. *tationibus ſingulorum, & teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum in die cum iudicabit Dominus occulta hominum.* Cumque impeſcrutabilia ſint diuina iudicia, eorũ profunditatem nec angeli quidem ſancti intelligunt, niſi quantum eis diuinitus reuelatur: Idcirco non agnoſcunt ſemper quid vnicuique homini debeatur ſecundum diuinam diſpoſitionem & ſecundum iudicium Dei quouſq; eis deſuper reueletur. Eſtq; omnino probabile ac veriſimile quod angeli ſancti cuſtodes infidelium ſingulorum comitentur animas ſibi commiſſas vſq; ad Dei iudicium, vt ad dæmonum accuſationes, eas quantum poſſunt releuent, excuſando vel defendendo, & bona quæ egerunt pro ipſis allegando. Interim Dei ſententiam præſtolantur, & quicquid iudicauerit Deus volunt & approbant.

5 DVBIVM moueri ſolet, An examen iſtud quo quiſque rationem tenetur reddere, fiat extra corpus, poſt mortem ſcilicet, an anima exiſtẽte in corpore. Quamuis Innoc. in *lib. de miſeria hum. condit.* putet quod animę dũ adhuc in corpore ſunt, iudicentur à Domino, magis tamẽ eſt veriſimile quod iudicentur ſtatim poſt mor-

Hebr. 9. tem, quia dicit Paulus ad Hebr. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.* Tunc animæ Chriſto præſentantur tanquam iudici, non quod eum videant ſecundum diuinam ſuam eſſentiam, ſed vt veriſimile eſt ſecundum aliquam externam ſpeciem humanã Chriſti naturam repræſentantem: ibiq; clare conſpiciunt momento temporis, ſicut ſol momento temporis illuminat aerem, cuncta quæ fecerunt & bona & mala, & quã pænam ſeu gloriam pro ea meruerint. Ibi iudex ſequendo iuris rigorem, pœnam peccatis debitam infliget & nouiſſimum quadrantem exiget, eritque *horrendum incidere in manus Dei viuentis*, vt Paul. ad

Hebr. 10. Hebræos ait. Nec tamen crudelis erit Deus, ſed ſeuerus & iuſtus iudex: Crudelitas exceſſum importat in puniẽdo. Crudeles enim vocamus qui puniendi quidem cauſam habent ſed modum non ſeruant: Qui vero pœnis hominum delectantur etiam ſine cauſa, feri dicuntur, tanquam affectum humanam non habentes.

III. Magnum eſt hominis debitum.

1 OBLATVS *eſt ei vnus qui debebat ei decem millia talenta.* Dum exacte vita hominis diſcutitur, quo modo in die mortis diſcutietur, *Omnia* enim *quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato ſiue bonum ſit ſiue malum*, inquit Eccleſiaſtes: Eccl.12. & *Iſaias*, qui ſic ait, *Ego autem opera eorum* Iſai.66. *& cogitationes eorum venio vt congregem, dicit Dominus*: tunc demum manifeſte videbitur quam ingens ſit illud debitum quod homo peccator debet Deo. Si quis ſciret, *inquit Bernardus*, quam multa debeat, quantum damni & ſibi, & iniuriæ Deo inferat peccando, videret profecto quam ſit exiguum quod bene operando exoluit: quia enim, teſte Iacobo, *in multis offendimus omnes*, multis quoque & magnis debitis obnoxij ſumus, nec vnquam totaliter extra debitum eſſe poſſumus, quamdiu hic viuimus, quia etiam in ipſis precibus, quibus culpas exoramus, culpas committimus, dum nobis non ſolum inſciis, ſed etiam aduertentibus, multæ oboriuntur cogitationum diuerſarum ac mentis diſtractiones: Ita vt vix vllo tempore homo poſſit eſſe ſine peccato: ſic enim Ioannes ait, *Si dixerimus quia peccatum non habemus noſipſos ſeducimus*: Et 1.Ioan.1. propheta Iob, *Scio quod non iuſtificetur ho-* Iob 9. *mo compoſitus Deo ſi voluerit contendere cum eo non poterit reſpondere ei vnum pro mille: etiamſi ſimplex fuero hoc ipſum ignorabit anima mea, & ſi me iuſtificare voluero, os meum condemnabit me, & ſi fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinget me, & abominabuntur me veſtimenta mea.* Rurſum propheta Dauid. *Si ini-* Pſal.129. *quitates obſeruaueris Domine Domine quis ſuſtinebit?* Non ait, *inquit Auguſt.* ego non ſuſtinebo, *ſed quis ſuſtinebit?* quamlibet pius &

pius & iuſtus ſit, quis ſuſtinere poterit? Nam, *vt idem ait*, væ etiam laudabili hominum vitæ ſi remota miſericordia iudicetur. Hinc Sanctorum vita non niſi aſſidua pœnitentia qua peccata quę quotidie committunt, quotidie puniunt & exorāt, ipſorumq; iuſtitia magis conſtat, *teſte Auguſt.* remiſſione peccatorum quam perfectione virtutum. Fieri tamen poteſt vt qui ſine peccato viuere nequit, abſque peccato moriatur, *inquit idē*, ſi adimpleat quod ſequitur, *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt Deus vt remittat nobis peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate.* Et hęc cauſa vna cur Deus non exigat ſtatim pœnam peccatis debitam, ſed delinquenti ſpatium pœnitendi, ſatisfaciendi, & pœnam deprecandi concedit, vt interim homo ſui rationem habeat, & pœnitentiam peccatis condignam agat: quam ſi homo negligat plus Deo per huiuſmodi negligentiam, quam per culpam commiſſam diſplicet, *inquit Chryſoſt.* Hinc Paulus ad
2.Cor. 5. Corinthios, *Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo.*

2 POTEST etiam & in hac vita fieri vt homo ſit ſine omni peccato, ſaltē ad breue tempus, *teſte Auguſtino*, qui enim caritate
Aug. ca. 2. de ſpiri. & liter. Dei ſuccenſus fuerit, & ſpiritu Dei agitur, ſicut Moyſes cum Deo loquens in monte ſicut amicus cum amico loqui ſolet ex cuius colloquio mirum in modum fuit illuſtratus & caritate accenſus, ſicut & Paulus in tertium cœlum raptus, & S. Franciſcus cum ſtigmata ſuſciperet, & quotquot fuerunt illuſtres viri diuina contemplatione ſublimati, tantum abeſt vt hi in quolibet ſuo opere bono peccauerint, ſicut aſſerunt hæretici docentes omnia noſtra opera eſſe peccata, vt etiam per huiuſmodi opera ſi quas prius maculas habuerint, eluerint & purgauerint. In hoc igitur ſedulo incumbet quiſq;, vt quamuis peccatum omne euitare nequeat, illud tamen quam poſſit minime committat, & quod committit, exorare nō ceſſet: Nam vt *Auguſt.* ait, ille ſanctiſſimus, eſt
Eccl. 7. non qui non peccat, quia teſte Eccleſiaſte *non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum & non peccet*, ſed qui quam minime peccat, & in quo peccat, illud ſe humilians exorat, Verum pro his leuioribus & quotidianis delictis non exiſtimo quempiam debitam contrahere decem millium talentorum, quod vſqueadeo ingens erat vt qui illud debebat, ſoluendo non eſſet, pro leuioribus autem delictis homo ſatisfacere poteſt. Sed qui lethifera committit peccata ingens debitum contrahit, quia æternam per ea meretur gehennæ pœnam, quam neque ſatisfaciendo, neq; patiendo exoluere poteſt vnquam, quod æternum eſt æquari non poteſt niſi ab eo qui æternus eſt: vnde nemo neque in cœlo, neque in terra, Chriſto excepto, tantum hoc debitum exoluere potuit: Id quod nobis Ioannes innuit cum in Apo- Apoc. 5.
calypſi ait, *Nemo poterat neque in cœlo neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum neque reſpicere illum*, hoc eſt, nemo poterat intelligere & implere diuinam diſpoſitionem circa redemptionem generis humani: *Et ego flebam multum quia nemo inuentus eſt dignus aperire librum: Et vnus de ſenioribus dixit mihi, Ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum*, per victoriam crucis ſcilicet.

3 ISTVD hominem fallere ſolet, vt peccatum non ita graue exiſtimet, nec debitam pœnitentiam ſubeat, quia actum peccati qui ſubito tranſit, ſolum attendit, & damnum quod inde ſequitur, & iniuria quæ Deo irrogatur, non perpenditur nec intelligitur, quia non ſenſu aut ratione ſed lumine fidei examinantur & percipiuntur ea quæ ſpiritalia ſunt. Poteſt tamen à ſimili aliqualis eorum cognitio haberi: Actus homicidij facile committitur, damnum tamen quod inde ſequitur, non facile reparatur, imo prorſus irreparabile eſt. Tanto autem peior eſt & pernicioſior mors animæ morte corporis, quanto ipſa anima melior eſt corpore, & vita ſpiritus eminentior quam ſit vita carnis. Niſi magnum malum eſſet ipſum peccatum, non præci-

præcipitaret hominem Deus in infernum & cruciatum æternum : ex magnitudine autem pœnæ debemus intelligere magnitudinem culpæ, quia Deus cum ſeuerus & iuſtus iudex ſit infligens pœnam culpæ debitam, crudelis non eſt vt peccantem grauius puniat quam mereatur, neq; ſæuus aut ferus eſt qui pœnis delectetur. Nam eum non velle *mortem peccatoris ſed magis vt conuertatur & viuat* prout iurat Ezechielis 33. patet ex eo quod hunc ſeruum iuſſerit venundari & vxorem eius & omnia quæ habebat. ea enim intentione tam acerba minatur, vt ſeruus terrore cõcuſſus ad miſericordiam poſtulandã confugeret: promptior eſt enim Deus ad miſerendum quam ad puniendum cum parcere ſupplicanti, & benefacere indigenti Deo ſit naturale: punire autem à ſua natura alienum eſt, nec id ex ſe facit ſed hominum iniquitate adactus: ſic enim Iſaias de
Iſai. 28. ipſo ait, *Sicut in monte diuiſionũ ſtabit Dominus, ſicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur vt faciat opus ſuum, alienum eſt opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.* Hoc eſt, effundet Deus iram ſuam & de vobis ſumet ſupplicium, ſicut olim iratus fuit & dure tractauit hoſtes veſtros in monte diuiſionum, *de quo 1. Regum ca. 5.* & in valle Gabaon tempore Ioſue quando percuſſit quinque Reges Amorrheorum, *de quo Ioſue cap.* 10. ſed cum id facturus eſt, quodammodo inuitus faciet & præter ſuam naturam, quia peccata veſtra illum ad hoc impellunt & cogunt.

4 PATIENTIAM *habe in me, & omnia reddam tibi.* Hic homo territus, cum tam ingens periculũ ſibi imminere videret, plura promittit quam præſtare poſſet : Sic ſolet homo terrore mortis concuſſus non vulgarem promittere pœnitentiam & vitæ emendationem. Verum vbi periculum iſtud imminens euaſerit, omnium quæ timuit, quæque perpeſſus eſt & quę promiſit, obliuiſcitur, ac ſi omnia illa nocturnæ viſionis ſomnia extitiſſent : Paſſim id videre eſt homines qui inſtante mortis hora admiranda quædam proponunt, vbi à morbo conualuerint, infecta omnia quę facere cœperant, relinquunt omniaq; quę propoſuerant, obliuiſcuntur: vis enim inueteratæ conſuetudinis tanta eſt vt eos alios mores induere, aliamq; viam quam cõſuetam ingredi minime patiatur: Quos Pharaoni non abſimiles quis dixerit, qui cum populi dimiſſionem & morum mutationem vrgentibus diuinis plagis, polliceretur, vbi requies data eſſet, rurſus ad ingeniũ crudele redibat. Quocirca extremam illam eorum pœnitentiam qui ſemper ſcelerate vixerunt admodum ſuſpectã & periculoſam eſſe dicit *Aug.* qui ſic ait, Aug. ho. 41.
Si quis poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere pœnitentiã & accipit, & mox reconciliabitur & hinc vadit, fateor vobis nõ illi negamus quod petit, ſed non pręſumimus quia bene hinc exit. Fidelis bene viuẽs ſecurus hinc exit: baptizatus ad horam, ſecurus hinc exit. Ag.ns pœnitentiam & reconcil a:us dum ſanus eſt & poſtea bene viuens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitẽtiam ad vltimum & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Nunquid dico damnabitur? non dico: Sed dico etiam, liberabitur? nõ, quid ergo dicis? neſcio, vis te de dubio liberare, & quod incertum eſt euadere? Age pœnitentiam dũ ſanus es. Quare tunc ſecurus es? quia egiſti pœnitentiam eo tempore quo & peccare potuiſti. Si autem vis agere pœnitentiã tunc quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Sed vnde ſcis, inquis, ne forte Deus dimittat mihi? Neſcio, nam ideo tibi do pœnitentiam quia neſcio. Nam ſi ſcirem tibi nihil prodeſſe, nõ tibi darem, Item ſi ſcirem tibi prodeſſe non te terrerem. Duæ res ſunt, aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur, quid horum tibi futurum ſit neſcio. Ergo tene certum, dimitte incertum, *hactenus Aug.* Pœnitẽtia ſera ſimilis eſt frequenter promiſſioni metu mortis extortæ, quę quia libera non eſt, nec ſyncera eſt.

IV. Dimittẽdam, vt nobis dimittat Deus.

1 SIc *& pater meus faciet vobis ſi non remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo.* Ea de cauſa hanc adduxit parabolam Dominus vt oſtendat qua menſura quiſque menſus fuerit, quod eadem remetietur & ei: ſi in fratrem in te peccantem & poſtmodum pœnitẽtẽ miſericors nõ fueris, & veniã deprecanti ignoſcere non volueris, nec Deus ignoſcet tibi teſte Eccleſiaſtico qui ait, *Homo homini reſeruat iram & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam & à Deo petit propitiationem? Memento nouiſſimorum & deſine inimicari: relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.* hæc ille.

Eccl. 29.

2. SED hic cauendus ſcopulus, & error quorumdam declinandus, qui qualiacũque vel quantacumque ſint eorum peccata, etiamſi quotidie perpetrentur, nec ab eis vita diſcedat in melius cõmutata, per eleemoſynam venia non negata, remitti ſibi poſſe præſumũt, eo quod ſcriptum ſit, *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Qui ergo fecerit miſericordiam, inquiunt, quamuis non correxerit perditos mores, ſed nefarie ac nequiter inter ipſas ſuas eleemoſynas vixerit, cum miſericordia futurum eſt illi iudicium, vt aut non damnetur omnino, aut poſt aliquod tempus à damnatione nouiſſima liberetur. Et ſicut nullus eſt dies inquiunt, quo à chriſtianis oratio dominica non dicatur, ita nullum eſt quotidianum peccatum qualecumq;, quod per illam non dimittatur, cum dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra*: ſi quod ſequitur facere curemus, *Sic & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Non enim ait Dominus, inquiunt, Si dimiſeritis peccata hominibus, dimittet vobis peccata veſtra parua quotidiana pater veſter, ſed dimittet vobis peccata veſtra, inquit. Certe non quæuis eleemoſyna quibuſuis ſceleribus eluẽdis ſufficit cũ ſcriptũ ſit, *Facite fructus dignos pœnitentiæ,* quos nõ facere conuincuntur, qui cum plurima diripiant per exigua pauperibus ex eis largiendo, Chriſtum ſe ad hoc paſcere exiſtimant vt licentiam malefactorum ab illo ſe emere credentes, ſecuri damnabilia tanta committant. Qui ſi pro vno ſuo ſcelere omnia ſua diſtribuerent in pauperes Chriſti, niſi deſiſterent à talibus factis habendo charitatem *quæ non agit perperam*, nihil eis prodeſſe poſſet, ſicut Paulus ad Corinthios ait. Et vtique intuendum eſt & iſtud quod Eccleſiaſticus inquit. *Fili peccaſti, ne adiicias iterum, & de præteritis tuis deprecare vt dimittantur tibi.* Valent quidẽ eleemoſinæ, inter quas refertur, proximo peccanti ignoſcere, vt priora peccata deleantur, non autem vt licentia malefaciendi per eleemoſynas comparetur. Et quomodo poteſt proximo facere eleemoſynam qui in ſeipſum crudelis eſt? cum ſcriptum ſit, *Qui ſibi nequã cui bonus erit.* Non itaq; propterea Dominus ait, *Si dimiſeritis peccata hominibus, dimittet vobis & pater veſter peccata veſtra*, vt de hac oratione confiſi, ſecuri quotidiana ſcelera faceremus, vel potentia qua non timeremus hominũ leges, vel aſtutia qua ipſos homines falleremus: ſed vt per illam diſceremus, non putare nos eſſe ſine peccatis, etiamſi à criminibus eſſemus immunes, & nec parua peccata, multo minus magna, nobis dimittenda orantibus, niſi fiat quod ibi dicitur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Si enim minima peccata, *inquit Auguſt.* ſine quibus non eſt etiam iuſtorum vita, aliter non remittuntur: quanto magis multis & magnis criminibus inuoluti, etiamſi ea perpetrare iã deſinant, nullam indulgentiam conſequuntur, ſi ad remittendum aliis, quod in eos quiſque peccauerit, inexorabiles fuerint: cum dicat Dominus, *Si autem non dimiſeritis hominibus peccata,* neque pater dimittet vobis.

hæc Aug. li. 21. de ciu. ca. 28.

Eccl. 21.

2. PORRO quia ægre, *ait Bern.* quamdiu in hac fragilitate viuimus, poſſumus eſſe prorſus immunes à ſcandalis, facile n. aut alios turbamus, aut ab iis turbamur: Ideo ſicut qui offenſus eſt facilis eſſe debet vt pœnitenti ignoſcat, ita & qui offendit, hu-

humilis ſit vt veniam roget: Magis namque conſiſtit hic pax noſtra in humili ſufferentia, quam in non ſentiendo contraria Et inter opera miſericordiæ, quibus Dei miſericordiam promereri poſſumus, hoc vel præcipuum eſt, ignoſcere in te peccanti, eſtque illud maioris apud Deum meriti, quam pauperi qui in te non peccauit, ſtipem porrigere. Sunt qui ignoſcunt quidem hactenus, quia facto vindictam non requirunt, attamen corde à proximo iniuriante auerſi manent, nec videre eum nec loqui volunt: Certe hi ex toto corde non remittunt: meminerint qui tales ſunt quid dicant cum orant. *Dimittite nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Inſuper & alio morbo non minus periculoſo laborat homo: ſi quid iniuriæ ei ab alio fiat, grauiſſimum ſcelus id arbitratur, idem ſi aliis faciat, iuſte ſe id

Prou. 20. poſſe putat: *Pondus & pondus vtrumq; abominabile eſt apud Deum*: quod non aliunde prouenit quia amore proprio excœcati, nos noſtraq; magni facimus, alios autem & alia nihil pendimus.

PARS III.

Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

Matth. 18.

Summa Articulorum huius Partis.

I. *Cur venia iniuriam inferentibus concedenda.*

II. *Quæ vtilitas ab amicis & iniuriam inferentibus capienda.*

III. *Quomodo verum ſit quod nemo lædatur niſi à ſeipſo.*

ART. I.

Cur iniuriam inferenti & veniam roganti ignoſcendum.

1. QVAM debet eſſe promptus vt q læſit alterum ab eo veniam poſtulet, tam debet eſſe facilis vt qui læſus eſt, veniam roganti ignoſcat. Qui fuerit iniuria laceſſitus, *inquit Chryſoſtomus*, non modo memor non infigat pectori, ſed quam primum eam obliuioni prorſus mandet, ſicut ſcriptum eſt, *Non ſis memor iniuriæ ciuium tuorum: vehemens enim ira affectus eſt & omni flamma nocentior*: Quare nobis celeritate opus eſt vt hunc ignem extinguamus, iræ enim morbus niſi mox ſedetur, non ſolum pacem & veteres conſuetudines diſſoluit ſed etiam plurima damna inferre conſueuit. Quamobrem huic indomitæ beluæ nolimus habenas remittere, ſed præduro freno, metu ſcilicet diuini iudicii eam cohibeamus. Quotieſcumq; dolore aliquo amicus te vel familiaris affecerit, ad iramque concitauerit, veniat in mentem quæ tu contra Deum commiſeris, & ſi à proximo iniuriam æquo animo toleraueris, lenius in te Dei inditium prouocaueris, *Dimittite* inquit Dominus *& dimittetur vobis*. Iſtud præterea animo frequenter volutes, quod multo ſit laudabilius iram vincere quam ab ea vinci. victoria autem contra iram eſt & quidem maxima non cum vlciſcimur iniurias, ſed cum eas cum animi tranquillitate & æquo animo toleramus: aſſimulatus in hoc Deo qui dum blaſphematur, non turbatur nec animo iraſcitur.

Chryſ. ho. 3. in ca 10.

2. At inquies, Irridebunt me homines ſi iniuriam illatam vltus non fuero, meque velut ignauum & degenerem vilipendent. Vtinam me ſic irridenti contingat, *inquit Chryſoſt.* vt dum ab hominibus irrideor, à Deo glorificari merear. Vis intelligere glorioſius eſſe iram cohibere quam te vlciſci: Vide quantum mali adferat iracundia, dum quiſpiam rixatur, (neq; enim in temetipſo facile hãc poteris deprehendere turpitudinem) videbis iratos non ſecus ac inſanos os & oculos totamq; faciẽ torquere, & turpiter præcipites ferri, multa incondite proloqui, & furere & inſanire. Et cum hæc faciunt tanquam amentes, ratione tenebris inuoluta nihil ſentiunt, nihil intelligunt, ſed cum ad ſe reuertuntur, dolore ſimul anguntur & metu: cum autem in furore ſunt & ab ira vincuntur, tunc

tunc maxime viciſſe ſe arbitrantur, & cum à diabolo innumeris plagis vulneribuſq; acceptis miſere proſtrati iaceant, victoriam reportaſſe ſe contendunt. Sed & qui læsit læſum ſuperare videtur, verum perniciosa ſibi victoria vincit, *ait Chryſoſt.* quia non tantum damni læſus patitur in bonis, in fama aut in corpore, quantum lædens in anima, ille fortaſſis perdit pecuniam aut corporis ſanitatem, hic vero animi patientiam & proximi dilectionem, quod peius eſt. Læſus autem ſi magno animo perferat iniuriam quáquam victus videatur ab hominibus, apud Deũ tamen coronã ſplendidã meretur & adipiſcitur. Hoc enim modo mundum martyres vicerunt & gloriam adepti ſunt, *viſi ſunt oculis inſipientium mori,* inquit Sapiens, *illi autẽ ſunt in pace.* Quis eos nõ miſeros tunc exiſtimaret, cum contumeliis opprobriis, perſecutionibus, flagellis, plagis, carceribus, catenis, lapidationibus excruciari cerneret? Nec illi ipſi perſecutores ſæuirent in eos, niſi putarent eos miſeros fieri perſecutionibus ſuis. Verum illi eos ex ſua infirmitate iudicabant, *inquit Aug.* non ex firmitate quam intus abſconditam habebant: de qua ſic Pſalmiſta Pſal 138. *Non eſt occultatũ os meum* (id eſt firmitas mea, quia in oſſibus firmitas conſiſtit) *quod feciſti in occulto.* Hoc os, hanc fortitudinem qua firmos eos fecerat Deus, qui habebant, etiam in tribulationibus non ſolum non dolebant ſed & gaudebant. Fit enim interdum *vt Orig. ait,* quod vir iuſtus ad tantam animi conſtantiam deueniat, vt iniurias ſibi illatas aut vix aut omnino non ſentiat: aſſimulatus in hoc quantum humanitus fieri poteſt, ipſi Deo, qui cum iniuriis laceſſitur, nec dolet nec triſtatur, ſed & benefacit iis qui oderunt eum. Talis Paulus fuiſſe videtur, qui 1. Cor. 4. *Maledicimur & benedicimus, blaſphemamur & obſecramus.*

Chryſ. ho. 35. in Mar.

Aug. in pſ. 138.

Orig. ho. 1. in pſ. 38.

3. INFELICES nos, *inquit Hiero.* qui linguam noſtram continere non poſſumus. Si quis nos offenderit, etiamſi vultum oſtendamus pacatum, cor tamen intus habet inimicitiæ venenum, quam dum contra fratrẽ fouemus fruſtrà Deum oramus eo quod ſcriptum ſit. *Niſi remiſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter qui in cælis eſt remittet vobis peccata veſtra.* Et rurſum, *Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum, & vade recõciliare fratri tuo.* Vide q̃d dicat, *inquit Hier.* Non dixit, Si habes aliquid contra fratrem tuum, ſed *ſi frater tuus habet aliquid contra te.* Ne dicas, Ego nihil habeo contra illũ, ſi ille habet ad me quid pertinet? Nihil habes contra illum? Audi quid Dominus dicat, *Si frater tuus habet aliquid contra te, vade & reconciliare ei.* Si amas ſalutem eius, roga eum ne ille contra te habeat aliquid vt ſaluari poſſit. Sed oſtendis quia non diligis eum, qui ſaluari non vis eum; rogando autem eum ad pœnitentiam conuertetur & excoques malitiam eius. *hæc Hiero.* Vitam animæ quidẽ quælibet culpa polluit, *inquit Grego.* ſed ſeruatus contra proximum dolor & auerſio animi, occidit: Menti namque vt gladius infigitur, & mucrone ipſius ipſa viſcerum occulta perforantur? Qui ſcilicet à transfixo corde ſi prius non educitur, nihil in precib. diuinæ opis obtinetur: quia & vulneratis membris ſalutis medicamina imponi nequeũt, niſi ferrum è vulnere extrahatur. Quid contra te enſem vt inſanus & furens ſtringis? Qui centum denarios non dimiſit, non conſeruum ſed ſeipſum læſit, *inquit Chryſoſt.* & tot milibus talentorum quæ ſibi dimiſſa erant obnoxiũ reddidit. Quid culpa tua futura gloria fraudaris? quã non conſequeris niſi iniuriã remittas & inimicũ diligas. Alii vigilando, in nuda humo dormiẽdo carnẽ aſſiduis laborib. macerando delent peccata, Tibi facilior via datur, inimico ſcilicet ignoſcẽdo. Qualẽ Deũ habere volueris erga te, talẽ te exhibe fratri tuo: *Qua enim menſura menſus fueris, remetietur tibi.* Hinc *Aug.* Si debitor es Deo, q̃ neceſſario futurũ eſt, gratulare te habere debitorẽ, vt remiſſione modici tui debiti, remiſſionẽ acci-

Hier. in pſ. 119.

Matth. 5.

Greg. li. 10. mor. c. 12.

Chryſ. ho. 38. in Io. 1.

Aug. ſer. 170. de temp.

accipias 10000. talentorum peccatum ꝙ contra hominem committitur quantumuis graue videatur centum denariis comparatur, quia reſpectu eorum quæ in Deum committuntur, exiguum leue reputatur. Nam in numero decem millium talẽtorum, non ſolum multitudo, ſed & magnitudo & enormitas deſignatur delictorum, quæ quanta ſit, nemo in hac vita ſatis intelligit.

4. QVAPROPTER nihil non faciamus vt inimici animum ſedemus, *inquit Chryſoſt.* Nec illud inquiramus vtrum merito an immerito maleuolum animum erga nos gerat, ſed hoc vnicum ſpectemus, qui fieri poſſit vt nobis inimicus eſſe deſinat. Sic enim de Dauide legimus cuius vita nobis debet eſſe viuendi regula, quod cum Saulem in ſpelunca inueniſſet, non id animo voluit, quomodo Saulem tolleret, ſeſeque de ſuo inimico vindicaret, ſed cogitabat quod ideo Deus illum tradiderat in manus ſuas, vt ipſi maiores occaſiones probandæ virtutis ſuppeditaret. Ideo nec prę teritorum memoria, nec futurorum metus eius tranquillam mentem contra hoſtem mutauit, ſed adamantis inuicti more perſtitit moderationis legem ſeruans. Ne quis mihi dicat, *ait*, inimicum habeo ſceleſtum & incorrigibilem, vt iniuriam ab eo mihi factam condonare nequeã. Quicquid dixeris non eſt tamẽ Saule deterior, qui ſemel & ſæpius à Dauide ſeruatus, cũ ipſe mille modis ipſi ſtruxiſſet inſidias, tamen pro tot beneficiis acceptis perſeuerauit in ſua malitia. Quid ergo tu habes ꝙ incuſes inimicum, quod tua pręter ius occupau[it], quod ad paupertatem redegit? At nondum eripuit, vitam quod molitus eſt Saul: quod ſi & vitam eripere conatus eſt, at id non toties quoties Saul: quod ſi ſæpius hoc tentauit, at non tot affectus abs te beneficiis. Et Dauid quidem cum tanta à Saule paſſus eſſet, non id animo reuoluit, quomodo ſe vlciſceretur, ſed quomodo Regem placaret: exclamans n. dicebat 1. Reg. 24. *Quem perſequeris Rex Iſrael, quem perſequeris? canem mortuum perſequeris & culicem vnum.* Quæ verba tetigerunt cor Saulis & ex hoſte fecerunt amicũ & ex tyranno patrem. Dixit enim Saul vox iſta tua fili mi Dauid. Et leuauit Saul vocem ſuam & fleuit. Ecce qui nec proprio nomine eum cenſuerat dignum, vocans filium Ieſſe, iam victus manſuetudine Dauidis, appellat eum filium, quia teſte Sapiente *reſponſio mollis frangit iram.* Quod ſi leonẽ, quo nihil ſęuius manſuetum reddunt homines arte naturam ſuperante, quid excuſationis habebimus, *inquit Chryſoſt.* ſi cum feras manſuetas reddimus, homines negauerimus placari beneuoloſque erga nos reddi poſſe, pręſertim quidem cum beſtię præter naturam ſit eſſe manſuetum, homini vero præter naturam ſit feritas ipſa. *hæc Chryſoſt.*

Chryſ. ho. 1. de Dau. to. 1.

Chryoſ. vt ſupra.

Prou. 25.

5. NE itaque dixeris, non poſſum ei placari, neq; condonare cum tam inique mecum vixerit. Certe tota animi alacritate his qui nos læſerunt, remittere iniuriam debemus, vt & nos remiſſionem conſequamur. *Homo homini iram ſeruat,* inquit Sapiens, *& à Deo medelam quærit?* oportet furioſum hũc animi motum ſanctorum exemplum memoria comprimere & impetum eius ad homicidam diabolum transferre, qui iſtum impulit vt te iniuriis laceſſeret: Fratri vero condole, propterea quod ſi in peccato manſerit, vna cum diabolo tradetur igne æterno, *inquit Baſili.* Quod ſi aliquis præ phrenesi de mente motus verba ignominiæ plena loqueretur, miſerabilem potius ducis quam odio dignum: Talem crede eum qui verba in te protulit contumelia & iniuriis plena, *hac ille.*

hæc Baſ. ho. 10. ex 29. to. 1.

6. DOMINVS itaque oſtendere volens quantam in remittendis iniuriis fratribus curam habeat, ait: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater cœleſtis peccata veſtra.*

Si a. non dimiſeris conſeruo tuo, nec Deus remittet tibi. Hic Dominus ipsũ Reũ Dominum facit ſuę ſententię, quaſi dicat, ſic fiet tibi ſicut feceris aliis. Et poſſet quidẽ Deus etiã abſq; hac cõditione tibi tua con-

condonare peccata, ſed noluit, quia voluit te clementiæ ac manſuetudinis ſuæ participem fieri, vt extincta beluina ira qua flagras, clementem te proximo exhibeas, ſicut tibi Deum clementẽ fieri poſtulas. Profitemur profeſſionem periculoſã, *inquit Chryſo.* cũ Deo dicimus. *Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Diſcute cõſcientiam tuam an ex corde dimittas ita vt nulla ibi remaneat memoria iniuriæ tibi factæ, vt & tibi dimittatur. Quod ſi infirmior ſis qui hoc minime poſſis, dic cum Pſalmiſta *Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatum eſt cor meum intra me, & formido mortis cecidit ſuper me.* Metuebat enim dum ab inimico exerceretur & iniuſte multa pateretur, quod dilectionẽ quæ eſt animæ vita, amitteret, & in odium inimici, quod eſt mors animæ, incideret, *inquit Auguſt.* Qui vero perfectior fuerit facilius ignoſcit & omnem iniuriæ memoriam cito deponit.

Chryſo. ho. 9. in Matth.

Pſal. 54.

II. Quæ vtilitas ab inimicis capienda.

1. INTER eos qui Deo ſeruiunt, quidam perfectiores ſunt, qui omne gaudium exiſtimant, cum in varias tentationes inciderint, non quod perſecutio aut tentatio per ſe optanda ſit, ſed quia per eas conſtantiores, patiẽtes magis, humaniores & manſueti magis euadunt, dũ etiã inimicis non iraſci ſed compati & condolere didicerunt. Talis erat is qui dicebat *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Hoc non eſt omnium, *inquit Ambro.* in hunc locum: Nam plurimorum eſt contriſtari ſi quam ab aliquo patiantur iniuriam.

Pſal. 118.

At vero qui fortior eſt non proprium damnum aut ſuam contumeliam dolet, ſed aliena peccata & in ſua iniuria lapſum alterius ingemiſcit: hoc conſiderans quod ſi in peccato vſque in extremum durauerit cum ipſo dæmone æterno tradendus ſit igni. Horum munus eſt eos, qui illis male afficiuntur & iniuriam inferunt, diligere & aſſiduitate officiorum ſibi animos eorũ conciliare & animi manſuetudine ac morum humanitate afflictas eorum animas curare & ex inimicis amicos efficere, cõplentes illud quod ſcriptum eſt, *Si inimicus tuus eſurierit cibum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput illius,* vt te iam diligere incipiat qui prius oderat. Nemo enim ita rabidus inuenitur, *inquit Origenes,* qui aſſiduitate officiorum & animi manſuetudine non emolliatur, quod enim aqua eſt igni, hoc manſuetudo eſt furori, vt enim aqua ignem extinguit, ita animum ira inflammatũ & camino magis exardeſcentem extinguit & ſedat verbum cum manſuetudine prolatum.

Orig. in c. 12. ad Rõ.

Hæc. Chryſo. hom. 52. in Gene.

Et duplex hinc nobis lucrum accreſcit, tum quod nos manſuetudinem declaremus & animi patientiam adaugeamus, tum quod fratris indignationem mitigemus & ceſſare faciamus.

2. SVNT alii infirmiores, quibus amarulentum verbum vulnus inflixit, & dolẽt ac triſtantur dum perſecutionem patiuntur: In quos competit quod ſcriptum eſt Pſal. 38. *Contriſtatus ſum in exercitatione mea, ſilui à bonis & dolor meus renouatus eſt,* ſed non euſque vt ſermonem proferat corde turbato, ſed per ſilentium intus in corde comprimit & decoquit. Dominus autem qui ſupra humanam naturam nos erigere conatur, non ſolum id à nobis requirit vt non oderimus eos qui oderunt nos, ſed & diligamus inimicos noſtros, hoc inquam vult, nõ ſolum vt malum pro malo non reddamus, ſed etiam vt benefaciamus his qui nos affligunt & iniuriam inferũt, hoc enim eſt in bono vincere malum. Vnde Dominus *Marci.11.* in ficulnea fructus quærebat etiamſi nõ eſſet tempus ficorum. Quem locum exponens Orig. *hom.11. in Matth.* ſic ait, Fructus ſpiritus ſunt caritas, pax, benignitas gaudiũ in ſpiritu ſancto. Hi aliquando redduntur tempore ſuo; nimirũ quando non eſt difficile fructum reddere caritatis, diligere diligẽtes ſe. Si quis autem exerceatur iniuriis & inſidias patiatur ac perſecutiones & ad odium excitetur, & nihilominus in dilectio-

ctione inimici perſeueret, is dat fructũ in non tempore ficorum. Qui enim iniuriis irritatur & mille modis ad puſillanimitatem prouocatur, vt ſuccũbat triſtitia plenus, is autem non ſolum non deiicitur animo, ſed gaudet in tribulationibus, talis dat fructum etiam tum quando non eſt tempus ficorum. *hac Orig.*

Chryſo. hom. 2. in Matth. 3. PERSPICE, *inquit Chryſoſt.* quantũ lucri facias, ſi æquo animo tuleris oppreſſiones inimicorum? *Primo* quod maximũ eſt, remiſſionem cõſequeris peccatorum tuorum, eo quod ſcriptum ſit, *Si dimiſeritis aliis in vos peccantibus peccata eorũ, dimittet vobis pater cœleſtis peccata veſtra:* Deinde patientiam, laudabilem perſeuerantiam, humanitatem, manſuetudinem huiuſcemodi exercitiis exercebis & augebis, ita vt procul ab ira ſemper animo tranquillo viuas, & continue gaudens ſemper animi bonis, vt pote pace, humanitate, caritate perfruaris. Nã qui neſcit aduerſus inimicos iraſci, multo minus amicis aduerſabitur. *Tertio* augebis hinc gloriam & coronam tuam, vt quo magis perſeuerant perſecutores tui, eo maiori gloria coronãdus ſis. Quod ſi arduũ & vltra vires tuas hoc tibi videatur, quãquam ſtudioſo difficile non ſit, imitare Dauidem qui ſic ait,

Pſal. 13. *Qui inquirebant mala mihi dolos tota die meditabantur: Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuũ.* Tanquam ſurdus non audiebam, ne iniuriis irritatus malum redderem pro malo, *inquit Origen.* in hunc locum, & ſic me gerebam ac ſi nihil mali audiuiſſem, memor præcepti tui Domine, Non vos vindicãtes cariſſimi.

4. QVINIMO & gentiles ſæpenumero nihil magni ex iniuriarum remiſſione expectantes facilitate animi inimicis pepercerunt, ſicut Cicero extollens mores Cæſaris dicebat, nihil obliuiſci ſolere niſi iniurias. (Hæc Chryſo.) Et tu hinc qui ad tantum præmium peruenire potes, tardas & torpeſcis & quod tempore ipſo conficietur, id tu propter legem non prius conficies? ſed expectabis vt ſine præmio ac laude tua perturbatio hæc animi extinguetũr, quam tu cũ magno præmio deponere potes? præſertim cum certiores ſimus, ſi tẽporis beneficio indignatio animi ceciderit, non paruos nobis imminere cruciatus, quia quod in nobis tempus efficit, id mandata Dei facere nequiuerunt. Sed dicis, valde me ille irritauit, magno ille me damno affecit, quis tãtas poſſet obliuiſci remittere iniurias? Tunc oportet te philoſophari, *inquit Chryſoſt.* non quomodo te vindices aut malum malo rependas, ſed quomodo in bono mlaum vincas, & animi tui benignitate alterius mitiges malitiam. Qui malum malo rependit, non vincit ſed vincitur, non malum euadit ſed in peius incidit, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis:* Ille decidit nõ qui malum patitur ſed qui malum pro malo retribuit, is enim in peius ruit. Si enim ſolummodo quieſcimus quando nemo irritat, in quo beluas præſtabimus? Nam & feras manſuetas eſſe videmus quando non irritantur. Cogita quod non ſit apud ſe qui calumniatur: diabolum enim habet ſeſſorem à quo agitur, & ira atque furore tanquam pernicioſo quodam dæmone detinetur. Dæmoniaci autem & phrænetici dũ nos verberant, non ſolum non mouemur, verumetiam eos deflemus. Nam huiuſmodi furor quo quis incitatur vt alteri cõtumelias inferat, voluntarius dæmon eſt, & talis ægrotatio vt non egeat lõgo tempore ad perdendũ hominem, vellem poſſe oſtendere, qualis quidẽ ſit qui calumnias infert, & qualis qui tranquillo animo ſuſtinet, & nudum vtriuſque animum diducere in medium, videres alterum intẽpeſtuoſi maris inſtar fluctib. exagitari, alterum tranquillo & perlucido fonti ſimilem eſſe.

5. CAVENDVM itaque ne vindicandi cupiditate amittatur, vt nihil aliud dicam *inquit Auguſtin.* ipſa patientia, quæ pluris eſt habenda quam omne quod poteſt etiam inuito inimicus auferre. (Auguſt. epiſt. 5.) Ideo paratus eſſe debet homo iuſtus patienter eorum mali-

malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos quærit, vt numerus creſcat potius bonorum, non vt pari malitia ſe quoque numero addat malorum. *hæc Auguſt.* Sed inquies, Si ſemet ipſum vindicare non licet, quid ergo ait Dominus Exod. 21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente,* vbi Dominus vindictam iuſtam declarauit. *Matth. autem* 5. quaſi iſta damnans ait, *Audiſtis quia dictũ eſt antiquis, Oculum pro oculo, Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in vna maxilla præbe ei & alteram.* Ob has & ſimiles ſcripturas dicebant olim Manichæi hæretici ea quæ in Euangelio Chriſtus docuit contraria eſſe his quæ in veteri pagina tradita ſunt, teſte Aug. *lib. con. Adiman Manichæi diſcip.* Reuera in prædictis duabus ſententiis & ſimilibus duorum teſtamentorum differentia demonſtratur, ſed amborum tamen ab vno Deo conſtitutorum. Nam quoniam primo carnales homines ardebant multo amplius ſe vindicare, quam erat illa iniuria de qua querebantur, conſtitutus eſt eis primus ſanitatis gradus, vt iniuriæ acceptæ menſuram nullo modo dolor vindicantis excederet: ſic enim & donare aliquando poſſet iniuriam, qui eam primo non ſuperare didiciſſet. At Dominus iam per Euangelium ad ſummam pacem populum deducens huic gradui ſuperædificauit alterum, vt qui iam audierat non ampliorem vindictam quam quiſque læſus eſſet, reddere, placata mente totum ſe donare gauderet. Ex quo intelligitur & menſurã vindicẽdi recte carnalibus cõſtitutam, & omnimodam iniuriæ remiſſionẽ in nouo teſtamento eſſe præceptam. Rurſum dicit Dominus Numer. 25. *Sentiant Madianitæ vos hoſtes, quia & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos:* In nouo autem teſtamẽto dicitur Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros.* His reſpondens *Aug.* ait, Intelligant Manichæi ſine odio eſſe poſſe vindictam. Hoc perfectorum eſt vt non oderint in peccatoribus niſi peccata, ipſos autẽ homines diligant, & cum vindicant, nõ vindicent acerbitate ſæuitiæ, ſed moderatione iuſtitiæ ne ipſa relaxatio peccati plus noceat peccatori quam pœna vindictæ. Neque tamen hoc fecerunt iuſti homines niſi auctoritate diuina, quemadmodum vindicauit Petrus auaritiã Ananiæ & Saphyræ, *Act.* 5. ne arbitrarentur paſſim ſibi eſſe permiſſum iudicio perſequi, aut pœnis quibuslibet affligere. *hactenus Aug.*

6. Hoc itaque veri Chriſtiani eſt præparare ſe non ad vltionem, vti olim prædixit Michæas ca. 4. *Non ſumet gens aduerſus gentem gladium, & non diſcent vltra belligerare,* ſed ad patientiam, & ad iniuriæ donationem imitantes in hoc Dominum ſuum decem milia talenta remittentem. Et quia homo vt patienti animo iniuriam illatam perferat, non tam autoritate premi, aut imperio cogi, quam ratione duci debet, hoc ſibi perſuaſum habeat qui fert iniuriam, vt facile iniurianti ignoſcat, cũ ſibi ipſi plus damni inferre, quam illi qui iniuriam patitur: Nam vt huic nihil noceat ſi patienti animo perferat, ſed etiam coronam adaugeat, fieri poteſt: vt autem iniuriam inferens ſibi ipſi non noceat fieri nõ poteſt. Hoc pulchra ſimilitudine nobis inſinuat Dauid, cum Pſal. 117. ait, *Circundederũt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Qua comparatione vſus eſt ad ſignificãdũ dãnũ ab inimico illatũ qualecumque illud ſit, modo animam non tangat aut lædat, ſimile eſſe illi quod ab ape patitur homo, quod modicum eſt, & interim illa aculeum infigens moritur: Sed qui aculeos aduerſariorum inuicto animo perfert, non ſolum nihil damni inde patietur, ſed etiam à ſpinis & punctionibus malarum paſſionum liberabitur, ſicut ignis qui ardeſcit in ſpinis, eas abſumit. Sic Dauid ſeruans humanitatẽ & manſuetudinem in ſpelunca erga Saulẽ, mactato irrationabili animi motu qui eſt iracundia, egreſſus eſt ex ſpelunca tanta cum gloria, *inquit Chryſoſt.* cum quãta tres pueri egreſſi ſunt camino ardente. Nam ſicut illos non exuſſit ignis, ſed glorioſos effecit, ita hic non conflagrauit iræ incendio, meam tunc hunc ignem variis modis incen- Chryſo. hom. 2. de Dauid.

incendere niteretur ipſe dæmon, & ab inimici conſpectu, & ab exhortatione militum, a facilitate perficiendi cædem, a pretiorum memoria, a futurorum periculorum metu, quæ omnia poterant maiorem excitare flammam iracundiæ, tamen non exarſit Dauid, ſed purus & illæſus exiuit. *hac Chryſoſt.*

Baſili. hom.10. ex 29.v. 7. QVI talibus rationibus & hac philoſophia animum munierit, *inquit Baſil.* alterius inſaniam propriæ virtutis faciet occaſionem. Cum tibi conuitiorum tentatio mota fuerit, & aliquis te obſcurum dixerit & filium terræ, cogita tecum quod terra ſis & quod in terram reſolueris, & puta teipſum probari, vtrum per longanimitatem accedas ad Deum ei ſimilis effectus, an per iram & vindictæ cupiditatem decurras ad aduerſarium. Et illum quidem pœnitebit aliquando conuitiorum, te vero nunquam pœnitebit virtutis & manſuetudinis tuæ: Et illi quidem conuitium regnum cœlorum concludit, tibi vero patientia & ſilentium aperit ac præparat: Neque enim contingunt coronæ citra aduerſarios, qui dum tibi inſidiantur, dolum ſicut nouacula acuta faciunt. *Pſalmiſta Pſal.51.* Vnde capillos radant, non vnde caput incidant. Quare dolum aduerſarii nouaculæ comparat? *inquit Aug.* quia non admittitur niſi ad ſuperflua noſtra, ſicut capilli in corpore noſtro, tãquã ſuperflui videtur, & ſine detrimẽto carnis radũtur? Sic quicquid poteſt tibi facere inimicus, inter ſuperflua tua numera. Nunquid tollit diuitias tuas? Minime, inquit, quia diuitiæ tuæ in corde tuo ſunt: Superflua tua potuit tollere, damno te potuit afficere permiſſus, etiam vſque ad lædendum corpus, ſed & vita iſta cogitantibus aliam vitam inter ſuperflua eſt deputanda. *hac Auguſt.*

Auguſt. ſer.6.de ver.Dei.

Pſal.34. 8. AVDI quid Pſalmiſta dicat, & ſic audi vt & tu idem facias, *Retribuebant mihi mala pro bonis,* inquit: *Ego autem cum mihi moleſti eſſent induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam,* quaſi dicat cum inimici mei quibus benefeceram, me perſequerentur & mala pro bonis retribuerent, cogitabam hęc mihi ob mea peccata accidere. Vnde iniuriarum oblitus de placando Deo ſolicitus eram, & ieiunio ac ciliciis ipſi me reconciliare ſatagebam, vt eo placato inimici a propoſito nocẽdi deſiſterẽt. Quod ſi patiens iniuriam memet ipſum vindicarem de inimico, non ſolum non tollerem cauſam perſecutionum, verum hoc nouo peccato potius diuinam contra me indignationem amplius prouocarem, dum malum quod inimico deteſtor, ipſe facere non reformido. Hoc itaque cogitare expedit iniuriam & perſecutionem patienti, Deum eſſe qui huiuſmodi permittit, aut vt purget aut vt probet.

Id aduertens iuſtus Iob, dixit, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, Sit nomen Domini benedictum.* Deo gratias agit etiã pro perſecutionibus in eum excitatis tanquã pro beneficiis acceptis, ſciens quod & illæ ad maiorem ei ſeruirent gloriam patiẽter tolerata.

III Nemo læditur niſi a ſeipſo.

1. HANC ſententiam tanquam veriſſimam & a philoſophis deſumptam ad vſum explicat Chryſoſt. *hom. 9. ex 16. variis to. 5.* licet vulgo prima fronte ea videatur abſurda & falſa, cum tam multos innocentes ab impiis & ſceleratis opprimi videamus, ita vt nonnulli eo proruperint audaciæ, vt hinc etiã diuinã prouidentiam aut culparent aut negarent dũ vident impiũ conculcare iuſtiorẽ ſe. Hoc vt melius intelligatur, *notandum,* quod quicquid eſt in rerum natura aliquid habeat vbi corrũpi, & lædi poſſit, morbus nocet corpori, rubigo abſumit ferrum, grando lædit vineam, lupus deuorat ouem, & ſic de cæteris. Bonum itaque hominis in quo ſi lędatur, vere ipſe homo lęditur, non ſunt diuitiæ, ne timeas paupertatem, non ſunt honor & fama, ne timeas ignominiam, non eſt ſanitas corporis, ne timeas ipſum morbum, non eſt captiuitas ne timeas ſeruitutem, imo non eſt vita hęc communis, ne timeas mortem, nam in tam multis malis proba-

probatus fuit Iob, & non ſolum nihil læſus eſt, verum & clarior per hæc ac illuſtrior euaſit. Quid ergo qui calũniis circumuẽtus proſcribitur & amittit vniuerſam ſubſtantiam viuens in extrema paupertate & miſeria, non eſt læſus? Non, inquit, ſed ſi vigilauerit, inde etiam multum lucri reportabit.

2. QVID enim apoſtolos læſit penuria omnium rerum dum in fame & ſiti & nuditate degerent, nonne hinc clariores effecti ſunt & apud Deum & apud homines? Quid Lazaro nocuit extrema miſeria, nonne hinc apud Deum in magna gloria fuit? Mors denique ipſa, dic mihi quid iuſtiſſimo Abel obfuit? nõne ob hoc in omni orbe terrarũ celebris eſt effectus? Cum ergo hæc mala iuſtis iniuſte inferũtur ne conſideres eorum qui inferunt iniquitatem, imo nec eorũ qui patiuntur calamitatem, ſed eorum quæ pro his retribuentur perpende gloriam. Patet ergo nõ ſolum neminem lædi ab his qui iniurias inferunt, ſed illos tantummodo lædi à quibus irrogantur iniuriæ, quia neque diuitiæ, neque libertas, neque ſanitas aut alia huiuſmodi propria hominis bona ſunt, ſed ſola animi virtus, in qua qui læditur non ab alio læditur, quia eam homini inuito nullus ne quidem dæmon ipſe auferre poteſt, ſed ſolus ipſe homo qui eam poſſidet perdere poteſt, ideo non læditur niſi à ſeipſo: quia læditur quiſque non dum mala patitur, modo patientiam & cor illæſum ſeruet, ſed dum male agit, *Anima enim quæ peccauerit ipſa morietur.* Sic Auguſt. in Pſalm. 36. exponens illum verſiculum, (*Gladius eorum intret in corda ipſorum*) Facile eſt, *inquit*, vt gladius inimici perueniat ad corpus tuum, ſicut peruenit gladius perſecutorum ad corpora martyrum, ſed percuſſo corpore cor manſit illæſum, dum patientiam ſeruat & dilectionem. Illius autem cor qui gladium eduxit in corpus iuſti, non manſit illæſum, quia dicit *Pſalmiſta*, quaſi dicat, *gladius eorum intret* non in corpus eorum ſed *in cor ipſorum.*

In corpore occidere voluerunt, in anima moriuntur tanquam ſi vellet aliquis per corpus ſuum ferrum traicere vt concideret tunicam alterius: illius concidiſti veſtem, tuam carnem. Conſtat ergo plus eſſe quod ſe lædunt iniqui, & quod ſibi nocent, quam quod ſibi videntur nõcere illis quos oderunt & perſequuntur. Nam qui perſecutionem iniuſte patiũtur, modo patientiam ſeruent, gloriæ coronam percipient, qui autem iniuſte perſequuntur, gehennæ pœnam promerentur.

3. IDEM in Pſal. 92. exponens illa verba, *Indutus eſt Dominus fortitudinem & præcinxit ſe*, ſic habet, Qui detrahant nobis, aliquando nobis abſentibus faciunt, aliquando coram in faciem, ſicut Domino faciebant pendenti in cruce. Non opus habes fortitudine quando tibi aliquis detrahit abſenti, quia non audis, nec ſentis: ſi autem in faciem tibi dicat, opus eſt vt fortis ſis. Quid eſt vt fortis ſis? vt trãquillo animo & illæſo corde feras: Ne ideo te putes fortem cum audieris, quia percutis pugno, victus conuitio. Non eſt ipſa fortitudo ſi conuiciatus percutias, quoniam ab ira victus es. Et valde ſtultum eſt hominem victum fortem dicere, cum dicat ſcriptura, *Melior eſt qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium.* Habes ergo aduerſarium magnum in teipſo: cum audito conuitio ira cœperit ſurgere vt reddas malum pro malo, recordare verba Apoſtoli; *non reddentes malum pro malo*: Si his verbis frangis iram, tenes fortitudinem, eaque præcinctus es. Ponite vobis ante oculos hominem iniquum, commotum animo, trucem vultu, flammantibus oculis, ſcintillantibus verbis, ferri in hominis necem in iniurias, in contumelias, non ſe capere, non ſe tenere: alterum patienter excipere verbera, quicquid ille inferre voluerit, & percutienti maxillam parantem alteram: cum videris hinc furias, inde lenitatem: hinc iram, inde patientiam, hinc flammas, inde tolerantiam, quis putas eorum ardet, pœnamque patitur? Ille cuius corpus vexatur, an cuius animus affli-

Prou. 16.

1. Pet. 3.

affligitur? An putas quia iniuſtitia quæ procedit ex homine ad lædendũ alterum hominem, illi ad quem procedit nocet, & illi de quo procedit non nocet? Vnde fieri poteſt? Facula ſi viridi ligno apponatur, fieri poteſt vt nil noceat, vt autem ipſa ardens non conſumatur fieri non poteſt. Sic inimicus tuus dum tibi nocere parat fieri poteſt vt tu integer permaneas & tibi nihil noceat ſi viride lignum fueris, vt autem iniuſtitia ipſi non noceat, fieri non poteſt. Propterea enim Iſaias dixit cap. 26. *Et nunc ignis aduerſarios comedet.* Quid eſt nunc? *inquit Auguſt.* Antequam veniat magnus iudicii dies, iam furore ſuo ardent, qui poſtea ſempiterno illo igne arſuri ſunt, *hæc Auguſt. in Pſalm. 96. ad illa verba, Ignis ante ipſum præcedet.*

4. SI malum eſſet iniuriam pati, nunquam Chriſtus beatos prædicaret *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, ſi malum eſſet iniuriam accipere, nunquam id nobis Deus præcipiſſet, vt percutienti maxillam, præbeamus & alteram. Deus enim mala non præcipit. Sed dices, perdidi mea omnia & tacere præcipis, calumnia ſum grauatus & me æquo animo ferre admones? & quanam ratione potero? Facile poteris, *inquit Chryſoſt.* ſi cœlum ſuſpexeris, ſi quid tibi pollicetur Deus, modo generoſo animo iniurias perferas, attenderis: ſi cogitaueris quod per hoc ſedenti ſuper Cherubin factus ſis ſimilis, qui contumeliis affectus, verberibus cæſus vicem non reddidit, ſed innumeris beneficiis proſecutus eſt eos qui huiuſmodi iniurias in eum machinati fuerant. Si frater tuus iniuria te afficit, lachrymare non ob tuam iniuriam, ſed ob illius exitium, ſicut & Chriſtus lachrymatus eſt. Hæc Chryſ. *homil 8. ad Rom.* Quemadmodum qui febricitans vas aqua plenum ab alio ſurripit, ex qua hic bibens febres auget & in mortem incidit, non illam ſed hunc deflendum cenſemus.

Hæc Chryſ. ho. 16. in 1. ad Corint.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

TVNC abeuntes Phariſæi conſilium inierunt vt caperent eum in ſermone. Et mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis dicentes, Magiſter ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces, &c. Matt. 22.

Summa Articulorum huius Partis.

I. *Adulantur multi vt decipiant.*
II. *Tributum quando Cæſari ſoluendum quando non.*
III. *De furto & rebus inuentis.*
IV. *Reditus qui liciti, qui non.*

PARS I.

MAGISTER *ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces.* Non vt veritatem inueſtigent, aut viam ac ſcientiam ſalutis addiſcant, Chriſtum adeunt, ſed vt eum, ſi quid aliter quam deceret, diceret, carperent & traducerent, inſidias enim ſtruunt vt quem ſua autoritate cõpeſcere & cohibere non poterant, propriis eum ſermonibus illaquearent. Hinc quæſtionem tunc temporis admodum odioſam & inter Iudæos multum exagitatam proponunt, *An liceat Cæſari dare cenſum?* qui dabatur in recognitionẽ ſubiectionis & ſignum dominii: Iudæi autem Deo videbantur irrogare iniuriam & ſubtrahere obedientiam, ſi alium præter Deum recognoſcerent Dominum. Vnde cũ, teſte Ioſepho, ſub Auguſto Cæſare Iudæa eſſet facta tributaria, fuiſſe quidam Iudas refertur ex ſecta phariſæorum, qui ſimul cum multis aliis phariſæis docebat & aſſerebat illicitum eſſe vt populus Dei aliũ præter Deum agnoſceret Dominum, ſeruituremque profiteretur cum eſſet liber, & præter decimas ac primitias quæ Domino ſecundum legem pendebat, hominibus

ART. I. Multi adulantur vt decipiant.

Ioſep. lib. 18. antiq. ca. 1. 2.

nibus etiam tributa in ſignum ſubiectio-nis exſolueret, præſertim Romanis qui per tyrannidem primo Iudæam occupauerant. Cum igitur Chriſtus ſe rigidum legis obſeruatorem & vindicem exhiberet, cui putabant contrariari tributi exolutionem, ſperabant eum dicturum quod non liceret tributa dare Cæſari. Id ſi diceret, apud Præſidem eum tanquam hominem ſeditioſum & Cæſari rebellem deferrent ac traducerent, & tanquam capitis reum damnandum cenſerent: quemadmodum ea de cauſa Iudas ille Galilæus cum ſuis ſectatoribus perierat.

2. HAC de cauſa ei adulantur ac honeſtis titulis honorant dicendo quod verax ſit Magiſter qui viam Dei in veritate docet: non quod eum iſto honore dignum cenſerent, quem tanquam ſeductorem & legis violatorem habebant, vnde eos & hypocritas vocat Dominus, qui aliud intendebant quam ſimulabant: ſed vt eũ adulationibus delinitũ facilius in ſuã ſententiam pertraherent, & aliquid quod nõ oporteret in Cæſarem diceret: facile enim fit vt qui laudis eſt auidus dum adulationibus delinitur, ea dicat quæ alteri, à quo laudatur, grata fore ſperat. Vnde Dominus in veteri lege populo Iudaico eſum cygni inhibuit, cuius plumæ cum ſint cãdidiſſimæ caro tamen admodũ eſt fuſca & veluti ſubnigra & eſui minus apta: huic ſimilis eſt adulator, qui foris pacẽ ſimulat, intus autem & in corde malum cogitat, qui quem laudat fraudat: Huius cygni eſus tibi interdicitur, vt non te oblectes laude & honore qui tibi offertur ab adulatore, neq; tam ad ipſius blanda verba, quibus te falſo elogio delinire cupit, intendas, quã ne quid fraudis ſubſit reſpicias, vt caute ambules nec te decipi ſinas. Quinimo etiãſi vera ſint quæ de te prædicat, ſicut vera erant quæ de Chriſto hic prædicabant, nec ſic tamen laude paſcaris humana, ne exinaneſcas & animi maturitatem deperdas: vt enim fides cytharæ ſi plus iuſte intendatur, frangitur, ſin laxetur minus ſonora efficitur & inepta redditur in qua ludatur, ſic dum emollitur animus hominis ſiue voluptate, ſiue humana laude, amiſſa conſtantia & virtutis vigore minus fit idoneus qui aut tentationibus reſiſtat, aut ardua virtutum opera apte peragat.

Leu. 11.

3. EA quæ hic de Chriſto dicuntur quod viam Dei in veritate doceat, nec hominum perſonam reſpiciat, vera ſunt, vt enim veritas ei plene atque perfecte perſpecta erat, vt nulla in re aut erraret aut dubitaret; ita & ea quæ dicebat aut docebat veriſſima erant, nec de iis quiſquam iure dubitare poterat, eo quod Chriſtus ipſa veritas eſſet, licet id omnibus non pateret, quia cum lux in tenebris luceret, tenebræ eam non comprehenderunt, ſicut cum ſol ſuos radios in oculos cæcorum immittit, cæci tamen ſolem non vident.

Dicitur autem Chriſtus *lux*, quia lucet de ſuo, ſicut ſol, Ioannes vero non lux ſed lucerna dicitur, quia lucet lumine aliunde accepto, ſicut luna aut lucerna. Dicitur inquam Chriſtus lux nõ proprie, ſed metaphorice, quia quod facit lux iſta vera in corporibus, id verius atque perfectius ille in animis hominum facit, magis enim & verius ille animum illuminat vt rem intelligat ſicut eſt, quam ſol iſte corporeus illuminat & manifeſtat corpus quod videt & videtur. Illuminat autem Chriſtus docendo, in quantum homo: fidem inſpirando & veritatem manifeſtãdo inquantum Deus, verum quamuis veriſſima ſint quæ Chriſtus dicit & docet, poteſt tamen homo ex veris non intellectis falſum eruere ſenſum & haurire errorem, ſicuti hæretici ex ſcripturis falſo intellectis ſuas hæreſes hauriunt adulterãtes, ſicut Paulus loquitur, verbum Dei, 2. Cor. 4.
quia ſicut adulter nõ fructum nec prolem quærit, ſed voluptatẽ in ſuo adulterio, ſic hæretici dum annunciant verbũ Dei propter delectationẽ humanæ laudis vel terreni lucri, admixtione falſitatis veritatem corrũpunt, loquentes ea quæ populo placent, non fructum bonorum operum nec

bonam vitam quærentes, eaque docentes non quæ auditorum conducunt ſaluti, ſed quæ eorum ſubſeruiunt voluptati & curioſitati.

4. SIC Lutherus hanc ſcripturam in ſe quidem veriſſimam, ſed ab eo falſa interpretatione corruptam ſuis auditoribus tradidit, *Iuſtus meus ex fide viuit*: & alibi. *Fides tua te ſaluum fecit*: hinc colligens & inferens hominem ſola fide iuſtificari & ſaluari etiamſi nulla habeat bonorum operum merita, etiamſi lapſus nullam pœnitentiam agat, modo inquit credat ſe iuſtum & ſaluandum per Chriſtum, certo ſaluabitur. Sic docebat, quia populo id gratum ſciebat, & hoc modo fauorem & laudem captabat, & perſonas hominum reſpiciebat vt loqueretur non quod decebat ſed quod placebat. Nihil eſt enim aliud perſonam hominum reſpicere, quam aliquid alicui tribuere ſeu adimere propter aliquã qualitatem ob quã ei tale quid non debetur, vt ſi Chriſtus adiudicaſſet Cæſari tributum dãdum propter eius potentiam ſolam, metuens, ne ſi aliud diceret, eum offenderet, nec iuſtum titulũ tributi dandi conſideraſſet, recte diceretur perſonã hominis reſpexiſſe. Habet autem perſonarum acceptio locum proprie in debitis non autem gratuitis donis. Vnde ſi Deus inter duos reos vnum eligat ad gloriam & alterum reprobet, non eſt perſonarũ acceptio, quia in gratuitis locum habet illud Matthæi, *an non licet mihi facere quod volo?* etiamſi vni fiat gratia, non propterea alteri fit iniuria. Nos facile perſonam hominum & externam eorũ qualitatem reſpicimus, vt quo quiſq; fuerit aut ditior aut potentior, aut formoſior, eo putetur & melior, & ſanctior & ſapiẽtior, quia interna, quæ inſpicere nõ poſſumus, externis correſpondere putamus, hinc tam ſunt incerta hominum iudicia.

II. De Tributo Cæſari ſoluendo.

1. REDDITE *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Quod Princeps iuſte tributa, vectigalia, aliaq; regalia iura exigat, ex hoc loco patet vbi Dominus ait, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*, Nõ dicit, date, ne quis gratuitum putet quod Cæſari donat, ſed reddite: quia debitum eſt quod ſoluitur ex accepto cauſatum: hoc enim eſt ius Regis vt ad Remp. regẽdam, aut bella ſi quæ exurgant, pro ſalute Reip. gerenda, ea ſubminiſtrentur quæ ad hoc ſunt neceſſaria: *Quis* enim vt Paulus ait, *militat ſuis ſtipendiis vnquam?* Ideoque qui communitati ſeruiunt de cõmunibus bonis viuere debẽt, vel per reditus ad hoc deputatos, vel ſi huiuſmodi inſufficientes fuerint ad decentem Principis ſtatum ſuſtinendum, & bonum publicum defendendum, per ea, *inquit Thom.* ſcribens hac de re ad Duciſſam Brabantiæ, quæ de nouo imponũtur & à populo colligũtur. Cum enim nouus emergit caſus in quo oportet multa expẽdere, puta ſi hoſtes patriam inuadant, vel ſimilis aliquis grauis caſus emergat, ad quod proprii reditus vel conſuetæ exactiones non ſufficiunt tum præter cõſueta vectigalia poſſunt Principes pro Rep. defendenda nouam imponere exactionẽ. Et qui tum Principes iuſtis ſuis vectigalibus defraudant, præterquam quod in animæ iudicio mortalẽ culpam contrahant, inſuper etiam ad reſtitutionem tenentur, modo hæc tributa iuſta ſint & ob exceſſum tyrannidem non ſapiant. Quapropter ſicut Principes ſibi cauere debent ab iniuſtis exactionibus quibus populum deglubunt; Ita ſubditi curare debent vt iuſta tributa fraude aut arte Principibus non ſubtrahant, *Reddite* inquit Paulus ad Romanos, *omnibus debita, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem*, vnde Dominus ipſe quamuis liber eſſet à tributo dando, eo quod filius eſſet ſummi Regis, tamen ne alios ſcandalizaret Didrachma ſeu cenſum dari iuſſit pro ſe & Petro, *Matthæo teſte.*

1. Cor. 9.

Rom. 13.

Matth. 17.

2. HINC infertur eos qui fraude contrahunt aut merces in ciuitatem occulte inuehunt aut euehunt, qua publicanos effugiant, ipſoſq; debitis iuribus ac vectigalibus defraudent, peccare mortaliter, & teneri ad integrã vectigalium reſtitutionẽ, etiamſi vectigalia non petantur. Nam

hi quã

hi qui merces inuehunt& euehunt tenentur eas per viam publicam & conſuetam tranſmittere & non occultare: Quinimo qui tranſmittit merces per loca conſueta, ſi ibi nullus ſit cuſtos aut portitor qui vectigal exigat, & abſq; vectigalis ſolutione tranſigat & tranſeat mercator cum ſuis mercibus, tenetur ad ſolutionem & redditionem vectigalis, quia creditore ignorante pecunia eo inuito detinetur: Niſi forte alicubi conſuetudinis eſſet quod vectigalia non ſoluantur donec fuerint petita, tunc enim in animæ iudicio non tenebitur quis ad vectigalium ſolutionem ante publicanorum petitionem modo nulla fuerit fraus facta ad hoc, vt occulta ſit venditio, vel vt publicanos lateat mercium tranſmiſſio: tenetur enim venditor cuiuſque rei ex qua Regi certa pars pretij competit, publicano notam facere illam venditionem, quia qui non denunciat damnum ei infert circa rem publicano debitam, quam ob ignorantiam petere omittit.

3 QVI defraudat iniuſtas gabellas ſeu exactiones non peccat nec tenetur ad reſtitutionem, niſi forte ratione ſcandali: quod ſi cautelis aliiſve modis earum ſolutionem omittere poſſit, in animæ iudicio intus & abſq; labe peccati immunis erit. Sunt autem eæ iniuſtæ exactiones, *inprimis* quæ inducuntur ab eo qui non habet ius indicendi ſicut qui non eſt Princeps legitimus ſed tyrannũ agit. *Secundo* quando exactiones imponuntur pro iniuſtis cauſis, vt ſi bellum inſtituatur contra fidẽ, vel ad ludos, aut ad prodige conuiuandũ, aut ſimiles exceſſus vltra decentiam ſtatus faciendos. Tunc huiuſmodi collectæ non ſunt aliud quam rapinæ. *Tertio* quando non ſit illud propter quod conſtat & certum eſt gabellas eſſe inſtituas, vel vbi ſubditi nimis grauantur huiuſmodi exactionibus abſq; iuſta neceſſitate. Tunc nõ tenetur quis ex conſciẽtiæ iudicio huiuſmodi ſoluere, modo abſq; ſcandalo poſſit id omittere. Sed gabella iuſta quæ iſta eſt, vtpote quæ non violenter extorta eſt, ſed ſponte ab omnibus aut ſaltem à saniore parte conceſſa, idq; ob iuſtam neceſſitatem: aut etiam quæ eiuſmodi eſt, vt de eius initio memoria non extet, quę legitima & iuſta cenſeri debet, eo quod ei nunquam contradictum fuit, ſed ſemper inuiolabili obſeruantia obſeruata, ſub peccato mortali exolui debet, quia tũ iniuſte ſubtrahitur Principi quod eius eſt. Hinc Paulus ad Roman. *Ideo & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes, ideoque neceſſitati ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Rom. 13.

4 SVNT Doctores quidam qui putant nõ teneri hominem ad ſolutionem vectigalis antequam exigatur, potiſſimum illius quod datur ex rebus venditis, modo non occulte vendat nec abſcondat merces, ſitq; paratus ſoluere, ſi moneatur & exigatur vectigal. Ita Nauar. *ca. 17. n. 102. & cap. 23. num. 26.* & Sa, & Angelus *verbo pedagia, §. 6.* Quorũ opiniones veræ ſunt ſi Rex ſua culpa ærarium exhauſerit ludis, cõuiuiis, profuſis largitionibus, bellis inconſultis, tunc enim publica vrgente neceſſitate nõ poteſt imponere noua tributa, inquit Medina *qu. 13.* modo aliqua alia ratione poſſit ſuccurri, vt mutuo accepto, vel rebus quibuſdam ſuis obligatis aut diuenditis, tunc enim ſibi imputare debet, quod inopia pecuniæ laboret, neq; ſubditos idcirco grauare põt. Si tamen alia ratione non poſſit publicum malum depellere, tunc poteſt nouum tributum imponere quatenus neceſſitas poſtulat, non in priuatum commodum ſed propter publicam neceſſitatem: Et tenetur quiſque huiuſmodi tributum quod cõſtat eſſe iuſtũ, in conſcientia ſoluere etiam antequam exigatur, Sic Couuar. & Petrus Nauarra *lib. 3 cap. 1 num. 231* Ratio eſt quia tributa in genere ſuo indeterminate accepta debentur Principi iure naturæ, ſicut decimę debentur Eccleſiæ: quamuis determinatio vt detur tantum vel tãtum ex hiſce vel illis bonis poſitiua ſit & ex Principis decreto. Facta tamen ſemel hac determina-

tione ex iuſtitia debetur vectigal determinatum, ita vt fraudator contra iuſtitiã peccet dum non ſoluit: ſicuti facta determinatione iuſti pretij frumenti, illud pretium ex iuſtitia tũc eſt debitum: Ita & in decimis & in tributis legitime cõſtitutis, tanquam legitimo pretio officij Principis, & earum rerum quę ad ipſius officium neceſſariæ ſunt ex iuſtitia debentur ante omnem exactionem: niſi conſuetudo præſcripſerit & contrarium induxerit, vt ſaltem maior pars non ſoluat niſi exacta. Et hoc cõfirmatur ex eo q̃ ait hic Dominus, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari:* Et ex eo Rom. 13. quod Paulus ait ad Romanos, *Ideo & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes, reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum.*

5 Hoc tamen obſeruandum quod ſi dubium ſit, an tributum ex integro ſit iuſtũ, quamuis ſatis conſtet ex parte iuſtum eſſe, tunc ex ea parte de qua probabile dubium eſt, non teneris ſolutionem offerre, imo neque redemptori indicare, aut exactum ſoluere, ſi commode poſſis declinare, quia in dubio melior eſt conditio populi ſuam pecuniam poſſidentis. Sed quando euidens eſt vectigalia eſſe iuſta, quicunque ea fraudant tenentur ad reſtitutionem, quia debita ſunt ex iuſtitia: verum ſi dubium ſit an ſint iuſta, & probabiles quis habeat rationes ob quas videntur iniuſta, non tenetur in conſciẽtia ad reſtitutionem: ita Caiet. *verbo, vectigal, in principio*: Syluest. *Gabella. 3 nu. 9.* & ratio eſt, quia in dubio nemo tenetur ſe ſpoliare re ſua, melior eſt enim conditio poſſidentis: modo ſit verum dubium & nitatur rationibus probabilibus: vnde non eſt hoc relinquendum iudicio cuiuſq;, ſed piorum & peritorum, quia amor proprius facile in hac re decipit. Et qui incipiunt dubitare, debent diligẽtiam pręſtare, vt cognoſcant veritatem, conſultis viris piis & doctis, quam vbi inuenerint, & deprehẽſum fuerit ea fuiſſe iuſta, ſoluere tenentur pręterita quæ fraudarunt, quia ex parte rei erãt vere obligati quamuis ignorauerint, & hęc obligatio adhuc manet cum ſit perſonalis. Sed vtrum teneantur ſoluere interim donec diligentiam debitam adhibuerint, quamuis Soto *lib. 4. q. 5. art. 4.* dicat quod ſic, verius tamen eſt eos non teneri, modo tamen primo quoq; tempore diligentiam adhibeant vt veritatẽ cognoſcant. Quando vero timetur ſcandalum, ſeditio, vel aliud graue malum ex recuſatione tributi, non poteſt tunc ſubditus ſine peccato ſolutionem negare, etiamſi tributum iniuſtum eſſet, quia licet tunc ex iuſtitia non teneatur, tenetur tamen ex charitate.

6 EA QVÆ dicta ſunt de tribus dubiis nõ ſolum de nouis ſed etiam antiquis intelligenda ſunt: quanquam antiqua ordinarie iudicentur iuſta, quia etiamſi in initio non fuiſſent omnino inculpata, tamẽ tanto temporis tractu, quia exciderunt à memoria hominum, poſſunt legitime præſcribi, ſi bona fide interim exacta fuerint, quam præſumere debemus poſſeſſoribus non defuiſſe, & ipſum tributum initio debitis conditionibus non caruiſſe, poſſeſſio enim tanti temporis eum meretur fauorem. Noua autem quorum initij extat memoria frequenter a Doctoribus cenſentur parum iuſta, ac proinde in iudicio animæ minus debita: Quod confirmatur *ex cap. Quanquam de cenſibus in 6.* Vbi dicitur, Pædagiorum exactiones tam iure ciuili quã canonico regulariter ſunt merito damnatæ. Quod Doctores de nouis tributis intelligunt, non antiquis. Quod autem iura regulariter præſumant hæc iniqua eſſe, ratio eſt quia tam multa requiruntur ad iuſtitiam vectigalium vt difficile ſit omnes rationes ſimul concurrere, præſertim cum Principibus iam olim debita ſint ſtipẽdia aſſignata, & tam multa paſſim imponantur noua vt ſuſpecta merito poſſint eſſe: Non tamẽ ſtatim hoc ipſo quod tributũ nouum eſt, ſuſpectum debet eſſe, quia poteſt Princeps iuſta moueri neceſſitate ob patriæ defenſionem vt noua tributa imponat quando antiqua non ſufficiunt.

7 QVOD ſi Princeps debeat alicui qui ab eo non poteſt conſequi ſolutionem, & vectigal non ſit elocatum alteri, ſed Princeps ipſe per ſuos famulos illud immediate recipiat, tunc licite fieri poteſt compenſatio, vt tantum Principi detrahat de vectigali quod ab eo exigitur, quantum ipſe ei debet. Si vero vectigal ſit alteri elocatum vt communiter fit, qui certam ſummam Principi pendit vt totum emolumentum ad ſe recipiat, tunc poſſet eſſe dubium. Putant tamen quidam etiā tunc licitam eſſe compenſationem, vt Syluest. *Gabella.3.q.31.* quia redemptores ſeu conductores verum damnum non percipiūt, cum longe minoris redimant quam valeant, idq; ob plurimas ſubditorum fraudes, quas ipſi norunt interuenire, vnde in contractu cenſentur eſſe parati talia incommoda ſubire. Deinde quia Princeps non transfert dominium ſui iuris in redemptorem ſeu conductorem vectigalis, ſed retinet dominium directum, & elocat vſumfructum. Itaq; cum ius ipſum apud Principem maneat, poſſum in eo facere compenſationem quātum debitum ipſius erga me ſe extendit: ſecus eſſet ſi Princeps omne ius ſuum à te alienaſſet, tunc enim in re aliena non poteſt fieri huiuſmodi compenſatio.

III. De Furto, & reb. inuentis.

1 FVRTVM fit non ſolum quando res aliena tollitur inuito Domino, ſed etiam quando inuito Domino detinetur, quādo quis monitus id quod alteri debet ſoluere non vult etiamſi poſſit: quod ſi nō poſſit & ſolueret ſi haberet, voluntas pro facto reputatur, & impotentia excuſatur. Monet autem *Auguſt.* ſedulo & ſerio in ſuis epiſtolis, ea quæ fraude vel dolo, vel vi aut rapina quæſita ſunt, omnino eſſe reſtituenda. (Auguſt. epiſt. 56.) Si res aliena, *inquit*, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitētia ſed fingitur, ſi autem veraciter agitur non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum: Reſtituatur inquam animo ſtatim, quia nunquā licet nec ad momētum temporis prauum animum rem alienam detinendi habere aut fouere actu, ſed confeſtim oportet ab illo animo ceſſare, deliberando conſtanti animo reſtitutionem facere prima data oportunitate. Vnde Leuit. 19. *non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane.* Et Tobias ad filium ſuum, (Tob. 4.) *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* Et Paulus ad Rom. (Rom. 13.) *Nemini quicquam debeatis niſi vt inuicem diligatis.* Poteſt tamen iuſta de cauſa reſtitutio interdum aut differri aut etiā non fieri, vtpote ſi rem alienam detineas eaq; vtaris Domino rei ſciente & cōſentiente, & hoc vel expreſſe, vt qui mutuo dat alteri, vel implicite, quia iuſte præſumis eum dilatione ſolutionis eſſe contē-tum, vt quia nec te monet, nec dies pro homine interpellat.

2 SECVNDO excuſatur quis à reſtitutione propter inopiam & paupertatem, *teſte Auguſt. epiſt. 54.* Nemo enim ad moraliter impoſſibile obligatur, nec tenetur ad id quod proprias vires excedit. Neceſſitas vero ſeu paupertas iſta quæ à reſtitutione excuſat, varia eſt: interdum enim extrema eſt & tanta, vt niſi homo alienū vel detineat, vel tollat, in grauē infirmitatem præ fame aut frigore lapſurus ſit: aut mendicare cogatur vir honeſtus, niſi re aliena ſuæ neceſſitate ſubueniat: Talis nequaquam aut fur aut raptor cenſeri debet, quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia: ſiquidem iure naturæ res inferiores ſubſeruire debent hominis neceſſitati propter quē creatæ ſunt. Quāobrem diuiſio rerum quæ poſt inſtitutionem iuris naturalis facta eſt, nō derogat rationi naturali, quæ dictat ex rebus temporalibus ſubueniendum eſſe hominum extremæ neceſſitati. Eſurientium panis eſt, *inquit Ambroſius*, quem tu detines, (Ambroſ. ſer. 81.) nudorum indumentum quod tu recludis, & miſerorum redemptio eſt pecunia quam tu in terra defodis. Ex quo patet furtum non committi etiamſi Domino inuito res auferantur, quia cum viget extre-

extrema neceſſitas, res illæ quæ proprium Dominum habere videantur, communes ſunt non alienæ, nec quicquam impedit contraria poſſeſſionis voluntas, quippe quæ in ordinata ſit & iniqua.

3 QVOD ſi extrema neceſſitas non ſit, ſed aliquanto remiſſior, qua neceſſitate pauperes communiter premuntur, eo caſu peccatum committit qui rem alienam accipit. Vnde *in d cap. Si quis.* Si quis propter neceſſitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem vel pecus, pœniteat hebdomades tres, & ſi reddiderit non cogatur ieiunare. In hac neceſſitate non quidem extrema, ſed tamen graui, ſi debitor habita ratione ſtatus & dignitatis grauem pateretur ex reſtitutione iacturam, poterit differre alienæ rei reſtitutionem, modo non niſi leue detrimentum ex ea dilatione immineat creditori, verbi gratia, ſi oporteret res ſuas ad reſtitutionem faciendam vili pretio vendere, nec ex hac dilatione creditori læſio fiat, ſic docet Scotus *in 4. ſententia. diſt.* 13. Hic tamen ſyncero iudicio opus eſt ad diſcernendum graue debitoris nocumentum à leui creditoris iactura, vt hinc licita dicatur debitæ reſtitutionis dilatio, inordinataque cenſeatur creditoris petitio. Nam ſeruus iſte Euangelicus apud

Matth. 18. Matth. quia miſereri nolebat conſerui ſui, ſed quia non ſtatim ſoluebat in carcerem eum coniici fecit, reuocatus à Domino ſuo duram hanc ſententiam audiuit, *Serue nequam, nonne omne debitum dimiſi tibi quia rogaſti me, ergo oportuit & te miſereri conſerui tui ſicut & ego tui miſertus ſum. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoaduſq; redderet ei vniuerſum debitum.*

4 CONTINGIT interdum quod quis teneatur ad reſtitutionem non quidem ratione iniquæ acceptionis, ſed ratione rei alienæ apud ipſum inuentæ: ſicut qui rem bona fide poſſidetquę furto ſublata eſt, ſiue eam emerit, ſiue dono acceperit, ſimul atq; cognoſcit rem eſſe alterius, non poteſt eam retinere, ſed Domino ſuo reddere, etiamſi bona fide emerit & poſſederit: nec tenetur Dominus rei, pretium in emptione expoſitum refundere, *teſte Thoma.* S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 6. Similiter qui rem inuentam detinet, nec Domino reddit cuius eam ſcit eſſe, furtũ committit, iuxta illud *Auguſtini.* Si quid inueniſti & non reddidiſti, rapuiſti. Nec poteſt ſuæ inuentionis pretium aut mercedem poſtulare, niſi forraſſis aliquem laborem in ea quærenda impenderit. Poteſt tamen datum ob rei inuentæ reſtitutionẽ recipi & retineri modo probabili coniectura appareat Dominum id libera dediſſe voluntate. Qui vero dubitat an ſit res aliena quam habet, non tenetur ſtatim eã à ſe abdicare, ſed de veritate inquirere, & modo animũ habeat eam reſtituendi vero Domino ſi alienam eſſe compertũ fuerit, poteſt eam poſſidere, & etiã alienare aut vẽdere, modo emptorem admoneat huius dubij quod habet, alioquin ſi non admoneat tenetur ad damnum quod ex hac emptione emptori ſuperuenerit, cum videatur fraude vitium rei tacuiſſe. Si cõtingat præmiſſa diligenti inquiſitione minime compertum eſſe quis ſit rei inuẽtæ Dominus, tunc dicit *Thomas* rem pauperib. eſſe erogandam in vtilitatẽ Domini rei, cuius ea præſumitur mens eſſe, vt ſi ea nõ poſſit proprio Domino reſtitui, expendatur quidem ſed in eius vtilitatem. Sunt tamẽ qui putant rem inuentam poſſe iuſte retineri ab inuentore, qui præuia diligenti inquiſitione non potuit ſcire quis rei inuẽtæ ſit Dominus: Sed altera ſententia tutior eſt & communior, videlicet vt expendatur in pios vſus, nimirum in vſus pauperum, aut fabricam Eccleſiæ, aut ſimiles.

Augu. ſer. 19. de verb. Dom.

S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 3. ad 3.

5 PORRO qui mala fide rem furtiuam emit, aut alio titulo poſſidet, & non reſtituit, particeps eſt furti ſecundum *Thomã*, & ſi res ſubſiſtat tenetur eam reddere etiã non recuperato pretio: & ſi conſumpta fuerit, tenetur ad iuſtã eius æſtimationẽ. Vnde patet quanto periculo ſe exponant, qui pignora apud vſurariũ depoſita emũt euoluto depoſitionis anno, cum enim huius pignoris dominium non ſit penes vſurarium

S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 7.

ſarium, vendendo non poteſt illud in emptoré transferre, vnde emptor ratione rei quæ aliena eſt, tenetur ad reſtitutionem. Hinc etiam patet comedentem ſimul cũ fure res furto ſublatas, agnos, oues porcos gallinas, oua & ſimilia eſculenta, modo id ſciens faciat & mala fide, teneri in animæ iudicio ad reſtitutionem, ſeu æſtimationem illius partis quam comedit, non tamen in ſolidum, quia criminis particeps non fuit. Si quis autem certo ſciens rem furtiuam eſſe, eam emerit dato certo pretio, eo quidem animo vt rem ita conquiſitam vero Domino reſtituat, qui alias eã habere non poſſet, quaſi re Domini vtiliter geſta, pretium expoſitum repetere poterit à Domino, cui res eſt reſtituẽda. Qui etiam alteri mutuat ſub ſpe recipiendi aliquid vltra ſortem, alias non mutuaturus animo eſt vſurarius, etiamſi nullum pactum aut expreſſum aut implicitũ interceſſerit: & ob prauam intentionem debet agere pœnitentiam coram Deo, licet id quod recepit vltra ſortem reſtituere non teneatur, modo ſciat illud ſibi libere & ſponte donatum eſſe: Quod ſi conſtet mutuarium nec gratis nec libero animo dare, ſed coacte ratione mutui, tenetur mutuans ad reſtitutionem eius quod vltra ſortem recepit. Quando vero dubius es an dederit libere, inducendus eſt huiuſmodi mẽtalis vſurarius ad reſtitutionem, non tamẽ compellendus. *Sic Couar.*

Scotus in 4. diſt. 15.

IV.

Reditus quinam liciti, qui non.

1. PORRO quemadmodum quæ Cæſaris ſunt Cęſari reddere oportet, ita & iis quibus cenſus ſeu redditus debemus ex contractu licito, ſiue ii tales fuerint, ſiue perpetui ſint. Vt autem huiuſmodi cõtractus cenſuarius ſit licitus, quædam conditiones requirũtur partim iure naturali partim iure Pontificio vbi id receptũ eſt. Martinus enim *V. anno* 1423. & Calix III. 1455. *in ſuis Extrauagan. tit. de empt.* varias conditiones ponunt: quas ad 8. reducit Nauar. *in comment. de vſuris.* quem ſcripſit *in cap. Si fœneraberis* 14. *quæſt.* 3. quas tamen hi Pontifices non requirunt vt neceſſarias ad iuſtitiam cenſus, vt quidam opinantur, ſed reſpondentes ad id quod rogati erant dicunt cenſus eos qui haſce conditiones habent iuſtos eſſe & licitos: vnde ex hiſce *Extrauag.* non poteſt ſtatui quæ ſint neceſſariæ ad iuſtitiam cenſuum. Imo *Dominicus Soto* cenſet nullam illarum eſſe neceſſariam præter illam iuſti pretii, & ne venditor cogatur ad redemptionem cenſus. Conditiones autem poſitæ à Martino & Calixto ſunt iſtæ. *Prima* vt venditor certam rem immobilem & fructiferam deſignet cui cẽſum imponat: *ſecunda* vt illa ſola maneat obligata ſolutioni cenſus, non autem ipſius perſona aut alia bona: *tertia*, vt pretium iuſtum ſtatim præſenti pecunia ſoluatur: *quarta* vt venditori liberum ſit cenſum eodem pretio redimere, ſiue totum ſimul ſiue per partes: *quinta* vt venditor ad redimendum non obligetur, *ſexta* vt re pereunte ſuper qua conſtitutus eſt cenſus, ipſe quoq; pereat: *ſeptima* vt non ſuperet æſtimationem fructuum ſuæ hypothecæ.

Soto. 6. de iuſt. q. 5. a. 1.

2. PIVS V. vero anno 1569. edita conſtitutione varias requirit conditiones quas iubet ſeruari in contractu cenſuali, ſine quibus decernit ipſum contractum irritũ & fœneratitium habendum? vt patet ex Nauar. *comment. de vſuris, num.* 84. *Prima* eſt vt cenſus conſtituatur ſuper re immobili, aut quę pro immobili habeatur natura ſua fructifera & certis finibus deſignata, & nullo modo aliter, quia & cenſus ipſe habetur pro re immobili. Requirit autem Pontifex vt certis finibus deſignetur, ne cenſus ſuper omnia bona cõſtituatur. Adueres hic excludi omnes cenſus perſonales & etiam mixtos in quibus obligantur res & perſona. Item in quibus omnia bona obligantur vt patet ex Nauar. *de vſuris, nu.* 84. 85. *& ſequentibus. Aliam* ponit conditionem idem Pontifex, vt cõuentiones directe vel indirecte obligantes ad caſus fortuitos eum qui ex natura contractus tenetur obligare nõ valeant, verbi gratia, ſi emptor obliget vẽditorem vt hypotheca pereunte, quamuis caſu, nihilominus

teneatur ſoluere penſionem Item ponit & hanc conditionem, vt re in totum vel partem perempta vel effecta infructuoſa pro rata pereat cenſus: Quod intelligendum eſt de re quæ in perpetuum perit, vel infrugifera redditur ſiue tota ſiue ex parte: ſi enim ad tempus ſolum, non ideo ad tempus perit cenſus: ſic *Nauar. n.* 117. Attamẽ ſi res deſtructa, v.g. domus, molendinũ inſtauretur, non eſt cenſui ſuppoſita, niſi de nouo ſupponatur. ſic *Nauar. n.* 118. & rationẽ addit, quia eſt diſtincta à priori. *Plures* habet ibidem conditiones *Nau*, *à Pio. V* præſcriptas, contra quas quicquid expreſſe vel tacite dari, remitti aut dimitti contigerit à fiſco vindicari poſſe, ita habet bulla. Verum hæ conditiones nõ obligãt vbiq;, niſi vbi bulla Pii V eſt publicata & recepta, maxime quando tam neceſſarias conditiones continet quæ ſæpe non poſſunt ob conditionem prouinciarum ſeruari: hic autem in Belgio huiuſmodi conditiones nequaquã obligant, tũ quia nunquã hic ſunt promulgatæ, tũ quia cõtrarius vſus hic ſemper perſeuerauit. Sed in regno Siciliæ obligant, cui conceſſum eſt à Gregorio XIII. vt conſtituatur cenſus ſuper re aliqua certa vna vel plurib. & ꝙ poſſit addi generalis obligatio omnium bonorum. Itaq; vbi hæc bulla non eſt recepta, ſeruandæ ſunt leges, & conditiones ibidem vſitatæ, modo tamen legi diuinæ vel naturali non repugnent: vbi autẽ nulla eſt certa conſuetudo quæ habeat vim legis, ſatis eſt ſeruare legẽ naturalem, quæ tantummodo requirit æqualitatem inter cenſum & pretiũ. Vnde fit vt ſtando intra limites iuris naturalis licitũ ſit vendere & emere cenſus perſonales, ſecundũ Soto li. 6. q. 6. a. 1. quia ſicut res eſt fructifera, ita ipſa perſona ratione artificii vel induſtriæ: Vnde *Deut.* 12. præcipitur filiis Iſrael vt offerant decimas & primitias manuũ ſuarũ ꝙ nihil erat aliud quam cenſum perſonalẽ imponere. Inſuper licitũ eſt etiam in cenſu perſonali conſtituere hypothecam generalem vel ſpecialem, quo fit vt huiuſmodi cenſus etiam ad hæredes tranſeat.

PARS II.

Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.

Matth. 22.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Conſilium malum conſultori peſſimum.*
II. *Adulatio occultum & noxium malum, ideo adulatores fugiendi.*
III. *De conditionibus & proprietatibus hypocritarum.*
IV. *Cum homo ſit imago Dei hanc exornet & non deturpet neceſſum eſt.*

ART. I. Conſiliũ malum conſultori peſſimũ.

1. TVNC *abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent eum in ſermone: Et mittunt ei diſcipulos ſuos cũ Herodianis* Multum inter ſe diſſidebant Herodiani & Phariſæi, quia Phariſæi tributa, eorumq; collectores execrabantur: Docebant n. illicitum eſſe ipſis Iudæis tributum ſoluere, qui hac libertate à Deo donati erant qui aliũ Dominum præter Deum non agnoſcerẽt: dando autem tributum huic libertati præiudicarent, & in hanc ſeruitutem deuenirent, qui alium Dominum præter Deum ipſo facto profiterẽtur. Eam autem libertatem tanti faciendã prædicabant, vt cuiuis potius periculo, etiãſi mors ſubeunda foret, ſeſe exponere deberent quam libertate priuari: Sicut pridem ea de cauſa perierat Iudas ille Galilæus cũ multis aliis, qui exiſtens de ſecta Phariſęorũ aſſerebat illicitum eſſe tributum dare Cæſari, hancque ſeruitutẽ cõtra libertatem à Deo ipſis cõceſſam, ſubire. Et ideo non quærunt hic, An liceat tributa negare, ſed ſi liceat ſoluere, ſic n. aiunt, *licet cenſum Cæſari dare an nõ?* quaſi damnum pecuniæ nihili facientes, ſolum ſoliciti ſint de ſecuritate cõſciẽtię.

2. QVÆSTIO hęc de tributo dando multum tunc temporis erat controuerſa. Herodiani namq; qui erant ab Herode, qui tũc tetrarcha erat Galilææ, ad hoc conſti-

tuti vt tributa colligerent, dicebant cenſum Cęſari eſſe dandū: Id ſi negaſſet Chriſtus & cenſum non ſoluēdum dixiſſet, eū tanquam ſeditioſum traducerent & veluti Cæſari rebellem perderent. E contra Phariſæi docebant cenſum non eſſe dandum, ne libertatem perderent. Si itaq; Chriſtus dixiſſet tributum Cæſari dandum, apud populum eum calumniarentur tanquam qui libertati aduerſaretur, & Principibus adularetur, quorum metu à veritatis doctrina deuiaret, nec honoris diuini ſtudioſum zelatorē eū eſſe, ſed ſubuerſorem. Verum quamuis Herodiani & Phariſæi ab inuicem iudicio & animo diuiſi eſſent, in hoc tamen colligantur ſicut vulpes Samſonis & cōueniunt vt malum alteri inferant & Chriſtū circūueniant, verum dum conſiliū cōtra Dominū in eūt vt eū in ſermone caperent, inde capti ſunt vnde eum capere moliebātur. Sic & diabolus laqueo quē Domino ſtruxit ipſe captus eſt, crucifixus in eo quē morte crucis extincturum putabat, *inquit Baſ.* Si vero Princeps mundi primus, maximus & inuiſibilis mundanæ ſapientiæ Sophiſta ſuis ipſius cōmentis capitur & in extremā reuoluitur inſipientiam, multo magis illius diſcipuli & æmulatores, etiāſi innumera commnicātur, ſapiētia ipſorum in inſipientiā delabetur.

Baſ. ho. 11. ex variis tom. 2.

Sic Iudæi conſilium contra Dominum ſibiipſis exitioſum commenti ſunt dicētes, Si dimittimus eum ſic, omnes credent in illum, & venient Romani & tollent noſtrū locum & gentem. Hoc conſilio necem Chriſti aggreſſi quaſi gentē & locum ſeruaturi, ſuo ipſorum conſilio vtrumq; perdiderunt? Sic non eſt prudentia, nō eſt cōſilium contra Dominum.

3. RECTE nos monet Eccleſiaſticus ca. 37. *A conſiliario ſerua animam tuam, prius ſcito quæ ſit illius neceſſitas. Omnis conſiliarius prodit quidem conſilium, ſed eſt conſiliarius in ſemetipſo. Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia, cum impio de pietate, & cum timido de bello, cum ſeruo pigro de multa operatione, non attendas his in omni conſilio*, hæc ille. Stulte à talibus conſilium petitur, non enim id tibi conſulent, quod erit æquum & rationi cōſonum, ſed quod ſibi commodum & vtile, cum enim impio pietas diſpliceat, & bellum timidum exanimet, non facile ex aliis ineunda ſuadebunt aut conſulent. Animum omni ira, metu, amore, odio, inuidia, cupiditate, & aliis prauis affectionib. vacuū conſiliarius habeat neceſſe eſt. Cū n. prauæ affectiones ſint feraciſſimæ noxiorum deſideriorum & malarum cogitationum, ſuggerent perſuadebuntq; tibi, nō ꝙ ratio aut æquitas poſtulat, ſed quib. iis ſatisfiat. Ira vindictæ cupiditatem vt ſe vlciſcatur, hocq; modo animum ſedatum reddat: Metus etiam minima pericula exaggerat, vnde & fugienda cenſet: amor omne id quod amat, etiamſi vile fuerit, eximium & optimum putabit, vnde & ſummis votis exoptandū, & nulli labori parcendū quo id aſſequaris vt eo habito frui poſſis, facile perſuaſerit. Eſtq; is qui prauis ſuis affectib. ſubiectus fuerit ab iiſq; obrutus, ſimilis illi qui per rubrū vitrū quippiā cōſpicit, quicquid per illud viderit ſimili modo rubrum exiſtimabit. Cū itaq; Phariſæi, qui hic conſilium incunt pleni forent odio & inuidia in Chriſtum, quicquid in medium adferebant, odium & inuidia ſuggerebat, quib. & ipſa ratio ſubſeruiebat, q̄ rationes & argumenta adinueniebat, quib. ſibi perſuadebant id quod in perniciem Chriſti moliebantur iuſtum & æquum eſſe.

II. De adulatione & adulatoribus.

1 MAGISTER *ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces, nec reſpicis perſonam hominū.* Aug. exponens illum verſiculum Pſ. 14. *Qui loquitur veritatē in corde ſuo & nō egit dolū in lingua ſua, linguis ſuis doloſe agebāt*, ait, quia aliud lingua loquebant aliud corde volutabant. Nōnulli n. in labiis habent veritatem, & in corde nō habent: ſicut qui dicunt, *Magiſter ſcimus quia verax es.* Neque enim veracem eum habebant ſed ſeductorē. Non reſpicis perſonā hominum, vt ſcilicet propter potentiam alicuius, aut nobilitatē, aut diuitias, aut formam, aut ſexum & id genus alia à

vero declines. Hanc æquitatem & iuſtitiæ regulam ita ſtricte obſeruãdam mandat Deus, vt neq; ꝓpter munera neq; propter Principum fauorem aut gratiam neque propter quodcumq; aliud ab ea ſit declinandum. vnde Dominus Exod. 23. ne quidem pauperis in iudicio miſerendum dicit: ſic enim ait, *Pauperis non miſereberis in iudicio*, credens ſcilicet illi ob ſuam paupertatem contra æquitatem ſubueniendum eſſe In iudicio, namq; non perſonas ſed cauſas & merita reſpicere oportet.

2. QVANQVAM vera ſint quę hic de Chriſto prædicant Phariſæorum diſcipuli, iis tamen nihil profuit quia aliud corde volutabant quam lingua perſonabãt, lingua laudes perſonabat, & animus cogitabat. Eſt ſane grande & ſubtile artificium laudare alterum aut in commẽdationem ſui, quodq; hoc vitio maxime agi ſolet fictas laudes certo pretio vendere, aut decipiẽdo animum ſibi obligare decepti. Hinc

Hier. ep. 14. quæ eſt ad Celan.

Hieron. Adulatorum aſſentationes, *inquit*, & noxia blandimenta fallacię velut quaſdam peſtes animæ fuge. Nihil eſt quod tã facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat vnde & quidam Sapiens ait, *Verba adulatorum mollia, feriunt autem inferiora ventris.* Et Dominus per prophetã. *Popule meus qui te beatum prædicant illi te decipiunt.* Nam vt Sapiens ait Prou. 27. *Qui benedicit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens maledicenti ſimilis erit.* voce grãdi benedicit proximo tuo, *inquit Hier.* exponens hunc locum, qui cũ fauore ſuperfluæ laudis extollit, vel malis actibus eius contra iuſtitiam fauẽdo, vel bona plus iuſto laudando. Sed hic maledicenti aſſimilatur, quia plurimum lædit eum, cui laudando ſiue in mala actione confidentiam tribuat ſiue in opere recto ſimplicitatẽ puri cordis minuat, vt bonum quod intuitu mercedis æternę inchoauerat, tranſitorię laudis amore conſummet.

3. QVAPROPTER recte Bernard. *epiſt. ad Ramal. Fumaſcen: Abbatem.* Tu itaq; dilectiſſime ceſſa iam indebitis me honoribus magis obruere quam attollere, alioquin cœtui te inimicantium mihi amica licet voluntate commiſces. Ipſi ſunt de quibus ſoleo ſoli Deo ita conqueri in orationib. *Et qui me laudabant, aduerſum me iurabant.* Ad quam meam querimoniam Deum audio reſpondentem mox & atteſtantem quod verax ſit: vere, inquit, qui te beatificant in errorem te mittunt. Et ego: *Auertantur* ergo *erubeſcentes qui dicunt mihi Euge, Euge.* Precor itaque vt quicumq́ue exiſtimant de me ſupra id ꝙ vident in me aut audiunt aliquid ex me, auertantur, id eſt, à laudibus meis, in quas ignari nimie feruntur, ceſſent & reſiliant, donec plenius quem immoderatius laudant, cognoſcant, & conſequenter erubeſcant vel errorem ſuum vel amici deprehenſam inutilitatem. Et hoc modo vtrumq; nocentium genus, & illi ſcilicet qui volunt mihi mala, & hi qui adulatorie cõmendant me & nocent licet innocenter dum beneuole quidem ſed nimie laudant, auertantur retrorſum & erubeſcant, hoc eſt, tam vilis & abiectus eis appaream, quatenus pudeat eos talem ita laudaſſe, & ſic deſinant indiſcrete laudare. *hæc Bernardus.*

4. IN multis maxime hoc tẽpore regnat hoc vitium adulationis, *inquit Hieronym.* Hier. ep. 14. tom. 1.
quodque eſt grauiſſimum humanitatis & beneuolentiæ loco ducitur: eo fit vt qui adulari neſcit aut inuidus aut ſuperbus putetur. Subtile artificium laudare alterum aut in commendationem ſui, aut in deceptionem laudati & certo pretio ſic fictas vẽdere laudes. Ea q̃ hæc animi leuitas & ſtupiditas, relicta propria conſcientia alienam opinionem ſequi & quidem fictam atque ſimulatam, rapi vento falſæ laudationis, gaudere ad circumuentionem ſuam & illuſionẽ pro beneficio accipere? Tu ergo ſi vere laudabilis eſſe cupis, laudem hominum ne requiras, illique præpara conſcientiam tuam, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & tunc laus tibi erit à Deo. Quid mihi prodeſt ſi me continuis laudibus totus mundus attollat, *inquit Aug.* & veritas criminis conſcien-

ſcientiam mordeat? Ita nec malam conſcientiam ſanat præconium laudandis, nec bonam vulnerat conuiciantis opprobrium.

5. SVNT enim vt *Auguſt. ait in pſal. 6.* duo perſecutionum genera vituperantium vnum, & adulantium alterum. Et plus inquit perſequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris, quia illa occultum magis & mollius infigit vulnus: Et dum de perſecutione loquitur ſcriptura ſic ait, *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus: & ſicut holocauſti hoſtiam accepit eos.* Sed & lingua adulantium talis eſt probatio: ſic enim ait Sapiens Prouerb. 27. *Quomodo probatur argentum in conflatorio & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantium.* De vtroque te ſaluum exire oportet. Fregit te repræhenſor, factus es in fornace tanquam vas fictile: ſi te firmet ignis tribulationis, efficeris vas probatum & vtile quia id quod formatum eſt, oportet vt coquatur igne & firmetur. Rurſus ſi lauderis ab adulantibus & aſſentantibus & annueris iis, erit caminus fracturæ tuæ etiam os laudantium te: Et ſine his non poſſumus, neceſſe eſt enim vt intremus in hæc & exeamus inde intremus in vituperationem malorum, intremus & in aſſentionem aliquam adulatorum, ſed exire inde oportet. Rogemus eum de quo dictū eſt, Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, vt intres integer, & ſic exeas integer. *hæc Auguſt.*

6. SVNT qui mala perpetrantibus adulantur, & malefacta hominum quæ redarguere oportebat, laudibus extollunt: Sic
Pſal. 9. enim Pſalmiſta ait, *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquis benedicitur:* hac laude adulantium quaſi lacte ſuauiter enutritur & educatur peccator. Sed *væ illis qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis,* inquit Ezech. cap. 13. Ad hoc puluillus ponitur, *inquit Gregor.* vt melius &
Gregor. lib. 18. moral. c. 5. mollius quis quieſcat. Quiſquis ergo malè agenti adulatur, puluillum ſub capite iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quieſcat.

Hinc & ab eodem dictum, Ipſi ædificabant parietem, illi autem liniebant eū. Parietis, qui nos à Deo diuidit, nomen peccati duritiem deſignat, vt ędificare parietem idem ſit quod interſtitium & obſtaculum, quo ſeparamur à Deo, ponere & erigere. Sed parietem liniunt qui peccata perpetrantibus adulātur, vt quod illi peruerſe agētes ædificant, hoc ipſi adulantes quaſi nitidum reddant & laude dignum. Ora Dominum vt eruat animam tuam à lingua doloſa quæ dū te fallaciter laudat, decipit. Quærit vlterius Pſalmiſta, *Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguā doloſam?* quaſi dicat, Quid tibi vis dari ꝗ apponas linguæ doloſæ & quo te tuearis contra eam? Et reſpondet, *Sagittæ potentis acutæ,* ſcilicet mihi dentur, hoc eſt, detur, mihi verbum Dei quod inſtar ſagittæ cor meum transfigat aut amore, aut timore, aut humilitate, vt dum adulatores mihi aſſentantur & dicunt *Euge, Euge,* ego dicam verbo tuo iuſtructus, *Ego vero egenus & pauper ſum.* hæc fere Auguſtinus.

1. QVID me tentatis hypocritæ? Dicit Hypocrita cū Euripide, Cupio bonus videri magis quam eſſe. Dic ito mihi hypocrita, Si bonum eſt eſſe bonum, vt quid nō vis eſſe quod vis apparere? Si vero malum eſt, eſſe malum, vt quid vis eſſe quod non vis apparere? Nam quod turpe eſt apparere, turpius eſt eſſe: quod autem pulchrum eſt apparere, pulchrius eſt eſſe. Ergo aut eſto quod appares, aut appare quod es. Primi parētes nudati, apertis oculis cōſcientiæ ad videndū quā inhoneſti atque indecori remāſerant, folia, ſed ſine fructibus cōtexuerunt vt nuditatem ſuam tegerēt: ſic hypocritæ, *inquit Auguſt.* ſine fructu bonorū operum bona verba cōtexunt, vt male viuentes quaſi bene loquendo contēgant turpitudinē ſuam. Magnifice quidē virtutem laudat hypocrita & in mediū de ea longos ſermones facit, priuatim ve- III. De hypocritis. Aug. 12. de Trinit.

ro voluptatem temperantiæ præfert, & rē male partam iuſtitia potiorem habet. Huiuſmodi hominem ſimilem ego dixerim, *inquit Baſil.* hiſtrionibus qui in ſcena fabulas agunt, & vt Reges ac Principes ſępenumero ingrediuntur cum Reges non ſint, ſed peracta ſcena nudi apparēt, ſic hypocrita clarus apparet, quādius aſſiſtit ſpectantiū multitudo, quę cor intueri nequit, pietatē ſimulat, ſed virtutē eius abnegat, vnde recte Domin⁹ hypocritas ſepulchris dealbatis ſimiles dicit, quod ſicut ſepulchrū quamdiu clauſum eſt, pulchrum videtur à foris ſi vero fuerit apertum, horribile eſt & fœtore plenum: Sic hypocritæ & ſimulatores bonorum, quādiu quidem non cognoſcuntur, laudabiles videntur, cum autē cognitifuerint, quod fit in die mortis & in die iudicii erūt abominabiles: Nā vt Sapiens ait, *In fine hominis denudatio operum illius.* & alibi, *Nihil operum quod non reuelabitur.* & Paulus ad Cor. *Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

Baſilius hom.24. ex variis. — Matt.23. — 1.Cor 4.

2. HOC habet hypocrita, *inquit Gregor.* ſtatim vt bene agere incipit, pręſentis mūdi gloriā, vt ab omnibus honoretur, quærit: puto quod ad illud reſpexerit quod ait Dominus, Omnia ſua faciunt vt videātur ab hominibus, amplius enim quærūt gloriam hominum quam gloriam Dei, vnde Dominus ad Phariſæos, *Quomodo vos poteſtis credere qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriā quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?* Nulli dubium eſt eos Chriſto ſeruire nō poſſe qui hominibus optant potius quā Chriſto placere: ſic enim Paulus ait ad Galat. 1. *Ego ſi hominibus placerem Chriſti ſeruus non eſſem.* Cū enim homo cor videre nō poſſit, & alius propterea aliquid recte faciat, aut bonum ſimulet vt hominibus placeat, ſi non attenditur niſi vt homo laudet, qui quoniam cor videre non poteſt, poterit *inquit Auguſt.* etiā falſa laudare. Qui autē tranſcendit humanas laudes, & illum ſolū intuetur cum recte viuit, vt ei placeat, qui ſolus conſcientiæ eſt inſpector, de cuius conſcientiæ puritate quicquid procedit, tanto eſt laudabilius, quanto humanas laudes deſiderat minus, nō prohibet Dominus vt bona faciat coram hominibus, ſed ne ob id fiant, vt laudemur ab iis, & ibi finem noſtri propoſiti collocemus.

Gregor. lib.8.c.28. moral. — Ioan.6. — Aug.13.de Trinit.

3. NAM & Apoſtolus ait, *Si adhuc hominibus placerem Chriſti ſeruus non eſſem.* Ne igitur eorū laudibus delectemur, qui non alios quam ſibi ſimiles laudare conſueuerunt. Difficile imo impoſſibile eſt placere omnibus, nec tanta vultuum quāta ſententiarum diuerſitas eſt, ita vt fieri nō poſſit, quod quis bonus ſit & omnibus placeat, quia teſte Sapiente *non recipit ſtultus verba ſapiētiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde eius*, quaſi dicat, vt malis placeas, ea quę ipſi approbant approbare debes, vnde quidam dicebat, Quomodo poteſt hic eſſe bonus qui & malis gratus eſt & bonis? Ne tamen quis exiſtimet huic contrarium eſſe quod Paulus ait 1. Cor.10. dicens, *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis vt ſalui fiant* qui alibi dicit, *Si hominibus placerem Chriſti ſeruus non eſſem*: Nam cum ſe dicit non placere hominibus, hoc vult, quod nō ideo recte faciat vt placeat hominibus, ſed vt Deo, ad cuius amorem volebat corda hominum conuertere eo ipſo quo placebat hominibus. Itaque & non ſe placere hominibus recte dicebat, quia in eo ipſo vt Deo placeret, intuebatur. Et placēdum eſſe hominibus recte præcipiebat, non vt hoc appeteretur tanquam merces recte factorum, ſed quia Deo placere non poſſet, qui non ſe iis quos ſaluos fieri vellet, præbuerit imitandum, Imitari autē illū qui ſibi nō placuerit, nullo pacto quiſquā poteſt, *inquit Auguſt.* Sicut nō abſurde loqueretur qui diceret. In hac opera qua nauem quæro, nō nauē quæro ſed patriam: Sic Apoſtolus conuenienter dicebat, In hac opera qua hominibus placeo, nō hominib. ſed Deo placeo, quia ad id refero vt me imitētur quos ſaluos fieri volo.

Galat.

4. PER omne id quod hypocritę faciūt, *inquit*

Greg. 2. moral. ca. 28. & 30. *inquit Gregor.* in factis ſuis arbitros requirunt, quia operaturi nō niſi laudes ſuas cogitant. Si vero eorū operibus teſtes deeſſe cōtingat, aut recte operari ceſſant, aut narrant ipſi quæ geſſerunt, cumq; efferri fauoribus cæperint, ſæpe eiſdem ſuis operibus, quę egiſſe ſe referunt, mentiendo aliquid adiungunt. Sin autē vera referant, hæc referendo aliena faciūt, quia quæſitis remunerati fauoribus ab eorū intima retributione vacuantur. In eo enim quod bona ſua patefaciūt, oſtēdūt malignis ſpiritib. quaſi inſidiantibus, hoſtib. quæ prædētur, & quia celari in ſuis virtutibus nolūt, bona ſua oſtēdēdo hoſtibus, amittūt. Hinc Pſal. 77 dicitur, *Tradidit in captiuitatem virtutes eorum & pulchritudinem eorum in manus inimici*, virtus quippe & pulchritudo arrogātiū inimici manibus traditur, inquit Gregor. quia omne bonum quod per cōcupiſcentiā laudis oſtēditur, occulti aduerſarii iuri mācipatur. Nā hoſtes ad rapinā prouocat qui ſuas eorū notitiæ diuitias denudat. Qui ergo in itinere deprædari formidet, abſcondat neceſſe eſt bona quæ patrat. O miſeri qui affectantes laudes hominum in ſemetipſis diſſipant fructus laborum, *hactenus Gregorius*.

5. ET quid quæſo vita eſt hypocritæ, niſi quædā viſio phantaſmatis quæ hoc oſtendit in imagine: quod non habet ex veritate, vnde recte de ea Iob ait cap. 20. velut ſomnium auolans nō inuenietur, ſicut viſio nocturna tranſiet. Recte ſomnio cōparatur vita hypocritæ: quia teſte Greg. ab eo omnis laus & gloria, dū teneri putatur, amittitur: Sæpe namq; in nocturna viſione nonnulli pauperes factos ſe diuites admirantur, deferri ſibi honores aſpiciūt, diuitiarum copiam obſequentiū multitudinem, pulchritudinem veſtium, abundātiam ciborum ſibi adeſſe ſomniant. ſed repente dū euigilant, inueniunt quā falſum fuerit quod adeſſe gaudebant, eoſque euigilaſſe pœnitet, quia vigilātes inopia vera tenet. Sic hypocritæ dū aliud eſt quod agunt, aliud quod intendūt, laudes de ipſa ſanctitatis oſtentatione recipiunt, & in æſtimatione hominū dū multis melioribus præferuntur, & intus apud ſe dū tacita cogitatione ſuperbiunt, foris ſe humiles demonſtrant: Et dū foris ab hominibus immoderate laudantur, tales ſe intus & apud Deum eſſe putant: ſed cum aperientur oculi mentis in die mortis, tunc videbunt quia virtutum æſtimatione diuites in ſomnis fuerunt. *hæc Grego.*

Greg. l. 15. Mor. c. 4.

IV. De Imagine Dei homini impreſſa.

1. CVIVS *eſt imago & ſuperſcriptio hæc?* His verbis ſignificare voluit Dominus, quòd ſicut numiſma Cæſaris quia eius imagine inſignitum erat, Cæſari dādum erat, Ita & homo qui ad ſimilitudinem Dei factus eſt, in quo regia imago illius continetur, totū ſe debet Deo. Hanc benedictionē ſibi impendi poſtulant iuſti, cum Pſal. 66. dicunt ei, vt *illuminet vultū ſuper eos*, quaſi dicat, *inquit Auguſt.* explicans illum locū, Impreſſiſti nobis vultum tuū, feciſti nos ad imaginē tuam, ſed non debet imago tua in tenebris manere, Mitte radiū ſapientiæ tuæ, repellat tenebras noſtras, & fulgeat in nobis imago tua, cognoſcam' nos imaginē tuā. Hoc ergo poſtulant iuſti vt in ſe cognoſcant imaginē Dei, quā iniuſti in ſe nō cognoſcunt. Appareat vultus tuus, & ſi forte appareat per me aliquātulū deformatus, à te reformetur quod à te reformatū eſt. Sicut mulier illa quæ *Luca. 15.* drachmam perdiderat incenſo lumine & verſa domo inuenit eam, poſtquā domū ſuā ſordibus & immūditiis, quas lōgi tēporis ignauia cōgeſſerat, emūdauit. Sic intra te eſt drachma, *inquit Orig.* cui Deus ſuā imaginē impreſſit, ad quam fecit hominem. Hæc in te videri non poterat quamdiu domus tua tenebroſa & ſordida remanebat, immundis & terrenis cogitationibus repleta, quæ faciebant in te imaginem terreni.

Orige. hom. 13. in Gen.

2. NVNC autem accenſo lumine fidei, & per verbum Dei infuſa ſuiipſius notitia, mole terrena purgatus homo imaginem cœleſtis in ſe ſplendeſcere facit. Et tu caro noli impedire animæ tuæ reformationē, *inquit Bernard.* patere vt anima nunc pro ſe laboret, magis etiā tu ei collabora, quia ſi

Bern. ſerm. 6. d. Adu.

ſi compateris & conregnabis. Quantum autem impedis eius reformationem & reparationem, tantum impedis tuam quæ ante reparari non poterit, donec ſuam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hoſpitem habes ô caro, & tota ſalus tua pendet de eius ſalute. Attende quid tibi hoſpitis huius præſentia largiatur, ipſe eſt qui tribuit oculis viſum, auribus auditũ, ſi quid vitæ, ſi quid decoris, ſi quis motus in te eſt, huius hoſpitis beneficium cognoſce, quia diſceſſus eius probat quid præſentia conferebat, vt quid ergo quali delectatione contriſtas & lædis hoſpitem iſtum, quam nec ſentire quidem vllo modo poteris niſi per ipſum? Ad hæc ſi tantum tibi confert exul, & inimicitiarũ cauſa à facie Domini ſui eiectus, quantũ tibi præſtabit reconciliatus? Noli ô caro impedire recõciliationem & reformationem illam, quoniam grandis inde paratur tibi gloria Ipſe Dominus virtutum, & Rex gloriæ deſcendet ad reformanda corpora noſtra, configuranda corpori claritatis ſuæ. Quanta erit illa gloria & exultatio, quando Creator vniuerſitatis, qui pro iuſtificandis animabus humilis venerit, pro te glorificanda ô miſera caro ſublimis veniet & manifeſtus, non iam in infirmitate, ſed in maieſtate ſua, quando deſcendet cum plenitudine luminis præcurrentibus angelis, & turbæ concentu excitantibus de puluere corpus inops, & rapientibus illud Chriſto obuiam in aera. Sic enim Paulus ait, *Saluatorem expectamus D. N. Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpora noſtra configurata claritati corporis ſui.* hactenus Bernar.

1. Cor. 15. 3. DVPLICI imagine poteſt inſigniri homo, aut terrena aut cœleſti: De qua ſic Paulus, *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* Sunt qui portant imaginem terreni, de quibus ſcriptũ eſt Pſal. 72. *In ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges*: quia ſi quis exierit ex hoc mundo & tulerit ſecum imaginem terreni, vt ſit aut auarus, aut ebrioſus, aut iracundus, aut incontinens, aut ſuperbus, aut odio vel inuidia plenus, propter huiuſcemodi imaginem in ciuitate illa Dei ad nihilum redigetur, nec conſequetur partem inter ciues cœleſtis illius ciuitatis, ſed audiet vocem, Neſcio vos. *hæc Auguſt. in Pſal.* 58. Perſcrutetur vnuſquiſque ſe & cordis ſui arcana diligenter inquirat quas ibi imagines depingat & circumferat. Si inuentus fueris habere ibi formas diaboli, & imaginem Sathanæ, & characterem beſtiæ, quod tibi erit vitæ refugiũ aut mortis effugium? quis miſerebitur tui, cum de intimo conclaui cordis tui diabolica imago & beſtiæ character proferetur? Quoties aliquid turpe aut loquimur aut facimus, aut cogitamus, toties Dei imaginem in qua creati ſumus, ſordidamus, & characterem beſtiæ imprimimus, ita vt omne quod agitur à nobis per ſingulas horas imaginem aliquam deformet, teſte Orig. *hom. 2. in pſal.* 38. aut pingat. Qui enim acceperunt characterem beſtiæ, vt & canes ob impudentiam dicantur, & equi ob libidinem vocentur, ſicut Ieremias teſtatur cap. 5. dicens, *Equi in fœminam inſanientes, vnuſquiſque vxori proximi ſui adhinniebat*: & aſini appellentur ob ſtupiditatẽ: & aſpides propter latens malitiæ venenũ: & lupi propter rapacitatem: & vulpes ob fraudulentiam: leones propter crudelitatẽ. Cũ igitur libidine incenſus hinnis vt equus: ira præoccupatus mordes vt ſerpẽs: ſubdole inſidiaris vt vulpes: veneno malitiæ armaris vt vipera: aduerſus fratres crudelia bella ſuſcipis quaſi diabolus: Qua ratione in fidelium te poſſum collocare numero, nullam in te cernens Dei imaginem in qua conditus es, imo qua ratione in hominum poſſum te numero reponere, *inquit Chryſoſt.* nulla in te videns humanæ ſigna naturæ. Hæc Chryſo. hom. 4. in Matt.

4. O rem plenam doloris atque lachrymarum, cum nec inter homines & feras quod ſit diſcrimen inuenio, *inquit idem.* Quinimo quid te feram appellare debeo? cum illa vnico aliquo horum vitio teneatur, tu vero ſimul in te omnia colligendo, longe ferarum irrationale ſtultumque

tranſ-

tranſgrediaris. An diabolum te potius appellem? inquit: Sed ille nec pecunias concupiſcit, nec tyrānidi ventris obſequitur. Cum igitur plura in te vitia ſint (*ſunt verba Chryſoſtomi*) quam in beſtiis aut dæmonibus, dic obſecro vnde te poſſum inter homines computare? Nam quemadmodum in theatralibus ſcenis vnus atque idē hiſtrio nunc Herculē agit, nunc mollis in venerem frangitur, Ita & nos, *inquit Hier.* tot habemus perſonarum ſimilitudines quot peccata.

Epiſt. ad Marcel. tom. 7.

5. PERGIT *Chryſ.* Quin & vitioſus quiſq; omni beſtia comprobatur immanior: illæ namq; quanquā mirabiliter ſæuiant, ſi humana tamen arte palpentur, plerumq; māſueſcūt. Tu aūt qui illorū profecto naturalem feritatē in eā, quę contra naturā eſt, manſuetudinem ſæpe cōmutas, tuam māſuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ eſt inimica, cōuertis, & leonē quidem mitigas, reddiſq; tractabilem, furorē vero animi tui omni prorſus efficis leone ſæuiorem: qui naturam vincis in beſtiis, cur in temetipſo beſtiales non vincis motus? Et illis quidem donas ſupra ſuam aliquid habere naturam, tibi vero nec naturales quidem affectus reſeruas: & qui feras beſtias prouehis ad manſuetudinis dignitatem, temetipſum de honore regali deiiciens, beſtiis efficis ſimilem, quin & peiorem. Quem igitur honeſtum reperies excuſationis colorem? Non hoc de nobis meruit Deus vt in nobis imago ipſius per malas concupiſcentias iniuriam patiatur. Si in tabula faceres imaginem tuā, & aliquis impudens homo vellet eā imaginem aut lapidibus frangere, aut ſordibus inquinare, velim ſcire ſi contra eum nō moueretur animus tuus? *inquit Aug.* Rogo te ſi imaginem tuam pictam in tabella mortua ſic zelaueris, putas qualem iniuriā patitur Deus, quādo in nobis imago ſua per peccatum ſordidatur? Et ideo ſi nobis nō parcimus propter noſmetipſos, parcamus nobis vel propter imaginem Dei ad quam facti ſumus. *hæc Auguſt.*

Aug. ſer. 244. de tempor.

6. ADVERTE quod Geneſ. 1. ſcriptum eſt, *Creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.* Quis maior honor homini potuit eſſe, quam vt ad ſimilitudinē ſui factoris conderetur, & eiſdem virtutū veſtimentis ornaretur quibus & cōditor? De quo legitur Pſ. 92. *Dominus regnauit decorem indutus eſt.* Id eſt, omnium virtutum ſplendore, & totius bonitatis decorē ornatus. Aut quod maius poteſt homini eſſe dedecus, aut infœlicior miſeria, quā vt hac ſimilitudinis gloria ſui conditoris amiſſa ad informē & irrationabilem brutorū delabatur ſimilitudinē? Quapropter quiſq; diligentius attendat primæ conditionis ſuæ excellentiā, honoremq; ſimilitudinis diuinæ ad quā creatus eſt, vt nobilitate morum, & exercitio virtutū, & dignitate meritorum, habere contendat, vt quando apparet qualis ſit, tunc ſimilis ei appareat qui eum ad ſimilitudinem in primo Adamo cōdidit mirabiliter, & mirabilius in ſecundo reformauit. Tunc autē imago Dei in te reperietur integra & perfecta, ſi bonus, ſi iuſtus, ſi ſapiens, ſi miſericors fueris, & cætera ſanctarum virtutum inſignia habueris: Quas virtutes quanto plures quiſque in ſe habuerit, tanto propinquior Deo eſt, & perfectiorem ſui conditoris gerit ſimilitudinem, vt ſi miſericors fueris & non ſolum amicis benefacias, ſed etiam inimicis bona pro malis reddas, ſimilis eris patri tuo cœleſti, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos.* Quod ſi Dei imago in te reperta fuerit perfecta, & à te quæratur, Cuius eſt imago hæc? dicetur, Dei. *Reddite ergo quæ ſunt Dei Deo.* Sin autem diaboli imago in te perfecta fuerit, quæretur & tunc à te, Cuius eſt imago hæc? Si diaboli: Reddite quæ ſunt diaboli diabolo. Quemadmodum ergo ſtatua obtrita iam & obtuſa, amiſſa illuſtri Regis figura, denuo à ſapiente artifice reparatur, vt priſtino ſplendori reſtituatur. Ad iſtum modum & nos propter diuini præcepti tranſgreſſionem deprauati, ad priſtinam imaginis Dei gloriam reuocamur ad quam facti eramus, vt quemadmodum cera ſculpturæ typo

Vide Ambro. lib. de dign. human. ca. 5.

hæc Baſil. hom. 2. de baptiſm.

mandata figuram eam quæ ſculpturæ ineſt, perfecte exprimit, Ita & nos typo Euangelicæ doctrinæ noſipſos tradentes intus figuremur.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

IN illo tempore: loquente Ieſu ad turbas, ecce Princeps vnus acceſsit, & adorabat eum dicens, Domine filia mea modo defuncta eſt, ſed veni impone manum tuam ſuper eam & viuet, &c. Matt. 9.

Summa Articulorum Primæ Partis.

I. *Cur hunc Principem potius quam Regulum Ioan. 4. ſequutus ſit Dominus.*

II. *Multa conditiones huius mulieris peccatoribus ſunt imitanda.*

III. *Magna virtus fidei, modo ea vera ſit & perfecta.*

IV. *Certiora ſunt licet obſcuriora quæ fide creduntur quam quæ oculis cernuntur.*

PARS I.

ART. I. Cur hunc Principem potius quam Regulum ſequutus ſit Dominus.

1. ECCE *Princeps vnus acceſsit & adorabat eum dicens. Domine filia mea modo defuncta eſt, ſed veni & impone manum tuam ſuper eam & viuet*, Non adorat eũ tanquam Deum aut verum mundi Saluatorem ſeu Meſſiam, nõdum ad eam fidẽ peruenerat: ſed adorat & honorat Dominum tanquam inſignem aliquem Prophetã & ſingularem Dei amicum, qui potens ſit in opere & ſermone, prout viderat & audierat: Et ideo talem ei exhibet honorem & reuerentiam Princeps iſte procidens in terram ante pedes Domini, *vt Lucas habet*, idque nõ priuatim in domo aut angulo aliquo, ſed publice coram tota turba, qualem nec Regibus exhibere ſolemus: Idque non adulando, tanquam qui ei iſtum impenderet honorem, non quod eo ipſum dignum putaret, ſed vt ei placeret & aliquid ab eo obtineret, ſicut adulatores ſolent, ſed quia Chriſtus apud eum tantæ erat dignitatis & autoritatis quem merito tanto honore dignum indicaret. Eſt enim honor teſtimonium excellentiæ illius quem honoramus, vnde quo quiſque excellentior fuerit, eo maior ei honor debetur: & quia Deus eſt omnium excellentiſſimus, ideo ſummus ei honor debetur, qualis nulli angelorum aut hominum exhiberi poteſt, vt cum eum adoramus & honoramus genua flectendo aut in terram vſque nos inclinando & procumbendo, quamuis idem actus ſit exterior fortaſſis qui Deo exhibetur & Regi, animo tamen longe diuerſo id faciamus: Nam Deum adoramus & honoramus tãquam cuius maieſtas & eminentia & dignitas immenſa ſit & infinita, tanquã qui ſit α & ω, principium & finis omnium rerum creatarum, à quo omnis eminentia & omnis dignitas emanat in cœlo & in terra. Et quia eius maieſtas & dignitas eſt infinita, ideo digno honore nunquã eum ſatis proſequi poſſumus, *Glorificate eũ quãtum poteſtis*, inquit Eccleſiaſticus, *adhuc ſuperualebit, benedicentes Dominum exaltate eum quantum potueritis, adhuc maior erit omni laude: ne laboretis, non enim comprehendetis, quia terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius & magnificentia eius*, hæc ibi. Hunc tantum honorem nulli Principum aut angelorũ impendere poſſumus, ſed vnumquemque ſecundum gradum dignitatis eius honorare oportet.

Lucæ 2.

Eccl. 43.

2. ITAQVE licet imperfectior eſſet fides huius Principis, quod ex eo patet quia putauit corporalem Domini præſentiam ad ſanandam filiam eſſe neceſſariam, tamen quia pro tempore illo ſufficiebat, cũ ex ea Chriſtum vt magnum prophetam honoraret, ſeſeque ita humiliaret, accepta Chriſto fuit, qui cum linum fumigans extinguere non ſoleat, *teſte Iſaia*, ſed quod

conce-

conceptum eſt educet & ad incrementum perducat, ſurgens ſequebatur hunc Principem vt eius fidem corroboraret & ad maiorem perfectionē perduceret, qui tamen regulum non ſequebatur, *de quo Ioan.* 4. ſed abſens eius filium ſanauit. Dominus in precibus aliorum exaudiendis, aut in miraculis edendis, non ſemper eandem ſequutus eſt rationem, ſed interdū ſe difficiliorem præbuit, vt in Chananæa illa, *Matth.* 15. interdum etiam non rogatus auxilium præbuit, vt cum filium viduæ ſuſcitaret, *Luc.* 7. interdum abſens, interdum præſens curabat, prout vtile & neceſſarium iudicabat. verbi gratia, filiam huius Principis præſens à morte ſuſcitauit, ne, ſi abſens id feciſſet, non à morte per diuinā potentiam, ſed è profundo ſomno per naturalem virtutem eam ſuſcitatam & excitatā putaſſent: atq; hoc modo virtus Chriſti non fuiſſet patefacta, nec aliis ad fidei incrementum quicquā profeciſſet. Regulum iſtum, *de quo Ioan.* 4. nō fuit ſequutus, ſed inſuper corripuit acriter dicens, *Niſi ſigna & prodigia videritis non creditis*: quia non ſatis humiliter ſupplicabat pro dignitate Chriſti & arduitate negotii, ſed moræ impatiens cum diceret, Deſcende prinſquam filius meus moriatur, eius precatio videbatur quodammodo præceptio, Ita vt quamuis vterque idem peteret & hic Princeps ſanitatem pro filia, & iſte Regulus ſanitatem pro filio, non tamen vterque ſimilem venerationem exhibebat, nec ſimilem animum adferebat, quia Princeps iſte magis humilis Chriſtum adorabat, *procidens*, vt Lucas habet, *ante pedes eius*, idque coram tāta hominum multitudine: tale quid nihil de iſto regulo legitur: Solet autem externus honor ſignū eſſe reuerentiæ interioris, vt quamuis per ſe nude ſpectatus Deum non moueat, tamen quatenus ab animo reuerenti & humili proficiſcitur, Deo placeat & gratus ſit: In rebus namq; ſpiritualib. eneruata animi virtus externis & corporalibus incitamentis, vtpote genuflexione, adoratione, pectoris tonſione, manuum eleuatione, & ſimilib. indiget, aut vt animi noſtri vigor ſuſcitetur aut quantopere ſuſcitatus ſit, & ſpirituali operi inſtet, ſignificetur.

4. PORRO ad hanc animi ſubmiſſionē & humilitatem deuenerat hic princeps occaſione morbi & mortis filiæ ſuæ: hoc n. pręſtat homini calamitas & afflictio vt eū humiliet, niſi omnino obduruerit & reprob. ſit, mentemq; ad Deū erigat & ad eius opē implorandā excitet. *Hinc Bern.* dicit humiliationem eſſe viā ad humilitatē, ſicut ſtudiū ad ſapientiā: Quocirca quiſquis ad humilitatē aſpirat, humiliationē non fugiat, eſt n. humilitas fructus humiliationis, ſicut ſapientia fructus eſt ſtudii & laboris. *Qui in labore hominū non ſunt & cū hominib. non flagellantur, eos tenet ſuperbia*, teſte Pſalmiſta, *illi operti ſunt impietate & iniquitate ſua.* Pſal. 72. Ne autē afflictio ſeu humiliatio hominē deiiciat, & nō humilem, ſed puſillanimē efficiat, protinus eſt animus hominis in Dei opē implorandā excitandus, qua confirmetur & in ſpē erigatur: Sic enim cū Pſalmiſta dicere poterit, Pſal. 118. *Bonum mihi quia humiliaſti me vt diſcam iuſtificationes tuas*: quia qui iactura bonorum tēporalium quæ in tribulatione poſitus amittit, per patientiam acquirit bona æterna, aut dum infirmus eſt corpore, animo fit potens, hoc namq; modo qui humiliantur diſcant iuſtificationes quia iuſtificantur, is non damnū patitur, ſed magnū lucrū facit, tanquā ſi quis acerba medicina ſanitatem corporis recuperet: propter quod Paulus ait ad Corinthios, 2. Cor. 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in cōtumeliis & perſecutionibus pro Chriſto*: cum enim infirmor tunc potens ſum, nouo videlicet diuinæ gratiæ ſubſidio atq; ſolatio: nam vt idem ait alio in loco, 2. Cor. 1. *Sicut abūdant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum conſolatio noſtra*, Et vt qui perfectiores ſunt in Chriſto, per tribulationem perueniunt ad conſolationem, propterquod optabat Ignatius Parens & Auctor Religioſorum de Societate Ieſu, vt duris duriora, (Ribadie. in vita Igna.) ſuccederent. Ita qui fide & animo puſil-

lus eſt per tribulationē deuenit ad humilitatem, qua diuinam cogitur implorare opem: ſicut hic Princeps: Qui quo magis ad miſericordiam prouocaret Dominum dixit, Filia mea modo defuncta eſt, non quod putaret eam mortuã, quia cũ famuli id ei renunciarent, extimuit, ſed vt citius opem impetraret: Eſt enim rogantibus conſuetudo, *inquit Chryſoſt.* augere verbis propriam calamitatem vt magis promoueant. Cum domo diſcederet animam agebat, ideo *Marcus* dicit eum dixiſſe, *Filia mea in extremis eſt*: metuens autem ne interea temporis mortua foret, dixit quod Matthæus habet: Ita vt hi duo Euãgeliſtæ quamuis diuerſa dicant, inuicem tamen ſibi contrarii nõ ſunt, ſed quod vnus ſubticet, hoc alter ſupplet: id quod frequens eſt in Euangeliſtis. Nam Marcus dicit eũ dixiſſe, *Filia mea in extremis eſt.* hoc haud dubie vel animo dixit, vel prius verbis protulit: poſtmodum ea dixit quæ Matthæus ſubiungit, *Filia mea modo defuncta eſt*, non quod ſic ſentiret, ſed propter cauſam ſupra dictam. *Lucas* vero ait, *Et hæc moriebatur*, etiam hoc verum erat. Hinc patet Marcũ & Lucã ſcripſiſſe id quod res erat: Matthæum vero retuliſſe id quod Princeps pater puellæ, dixit. Et ideo omnes verum dicebant, & Matthæus cum diceret: *Filia mea modo defuncta eſt*, non quod mortua eſſet, ſed quia verum erat patrem hoc dixiſſe. Lucas ſcribit id quod res erat.

II. Multæ conditiones mulieris huius peccatoribus imitandæ. Eccl. 28.

1. ECCE *mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur.* Quemadmodũ ſunt quidã morbi corporales qui nulla medicorũ ope curari poſſunt, ſicut infirmitas huius mulieris, quæ teſte Luca c. 8. *in medicos erogauerat omnẽ ſubſtantiam ſuam*, nec ab vllo potuit curari: alii vero naturali virtute ſanari poſſunt, nã teſte Eccleſiaſtico, *Altiſſimus creauit de terra medicinã, & vir prudens non abhorrebit illam.* Ita ſunt quidã animi morbi & ſæculi cupiditates quæ lõga conſuetudine ſic inoleuerunt & inualuerunt vt iis vix quis reſiſtere poſſit: ſunt inquã quidam qui eo miſeriarũ deuenerunt vt dicant ſe nõ poſſe ſuis cupiditatibus imperare, eaſq; rationis imperio cohibere eo quod ab ingenita rationalis creaturæ nobilitate ita degenerauerint, vt pecudũ more non rationis ductũ, ſed cupiditatis impetum ſequantur: Sic ſæpe deprehendimus homines vſqueadeo capitali odio inflammatos, alios tanto libidinis ardore incenſos hos ſuperbiæ tumore inflatos, illos auaritiæ ſtimulis agitatos, alios aliis vitiis corruptos, vt nullis rationibus, nullis philoſophorũ diſciplinis, nullis diuini iudicii minis, nullis ſuppliciis ab his ſuis cupiditatibus reuocentur: vera eſt n. maximeq; metuenda illa *Bern.* ſententia: Poſtquam aliquod vitiũ in conſuetudinẽ fuerit verſum, niſi ineffabili diuinæ gratiæ miraculo ei non reſiſtitur. De nemine tamen quãtumuis corrupto deſperare oportet, quamuis enim ope humana talis ſanari & emendari nequeat, neq; ſic lapſi ſuis viribus reſurgere valeant, ſalutis tamen beneficiũ virtute Chriſti conſequi poterũt, ſi ea fide, deuotione ac religione, ea humilitate, verecundia & pudore, eo animo & flagranti deſiderio Chriſtũ accedant, qua fide & animo hæc mulier tetigit fimbriam veſtimenti eius.

2. SVNT autem in hac muliere multæ cõditiones bonæ ipſis peccatorib. obſeruãdæ & imitandæ. *Primo* quod acceſſerit retro: præ pudore enim & verecundia ante conſpectum eius venire non audebat: nec tamen præ verecundia ſic retro manſit vt non acceſſerit, ſed neceſſitate compulſa & præ nimio ſalutis deſiderio ſanitatis beneficium veluti furto clam ſurripuit. Ita vt homo peccator ſanetur, verecundus & veluti pudore ſuffuſus, ac humilis ſit neceſſe eſt: Nequaquã n. conuenit vt ſe impudenter ingerat, & tanquã nihil peccauerit, corã oculis diuinæ maieſtatis ſe inuerecunde exhibeat, ne pro gratia quã expectat, iratũ animũ magis prouocet: Ne tamen præ nimia verecũdia & pudore puſilanimis fiat, & in eã animi anxietatẽ deueniat vt omnino venire nõ audeat, à tergo, & veluti clã hoc cõſequi nitatur, quod tanto-

tantopere eius ſaluti expedit: vt enim impudentia Deo diſplicet, quippe quæ eius maieſtatem non digne ſatis honorat, ita vitioſus pudor & nimia animi anxietas atq; puſillanimitas Deo haud quaquam placet, eo quod de eius bonitate & miſericordia non ſatis, vt decet, confidat.

3 Secvndo eſt id obſeruandũ in hac fœmina, quomodo non corpus Domini, ſed fimbriam & extremam partem veſtimẽti eius tãgere cupierit, & id ſibi ſufficere putauerit: ſic enim intra ſe dicebat, *Si tetigero tantum fimbriam eius ſalua ero.* Chriſtum enim credidit tam ſanctum tamq; ſaluificum, vt qui vel eatenus ei appropinquaret vt ſaltem fimbriã eius contingere poſſet ipſum ſalutem conſequuturam crederet. An tamẽ propterea quoq; hæc mulier potius fimbriam eius quam reliquam veſtimenti partem tangere cupiuerit, quia apud Iudæos fimbria erit ſanctitatis & religionis nota externa, qua Iudæi diſtinguebantur à cæteris nationib. *vt dicitur Nu.* 15 *& Deut.* 22. ſicut circumciſio erat nota interna: quomodo & hodie religioſis certũ veſtitus genus deputatum eſt à religionũ fundatoribus: quæri poſſet. Quicquid id ſit hoc nobis ſignificatur, quod ſi mulier fimbriam non ſine fructu tetigerit, quãto magis qui ea fide & deuotione, ea religione & fiducia, eo animo & reuerẽtia Chriſtum tangit in ſacramento Euchariſtiæ velatũ, ſaluabitur & ſanabitur à fluxa ſua cupiditate: quia inter mirabiles huius ſacramẽti virtutes & effectus præcipue numeratur fomitis mitigatio, à quo fomite prauæ cupiditates deriuantur. Id tamen quiſq; caueat ne cum turba Chriſtum cõprimat, ne irreuerenter & irreligioſe accedat: tum n. haud quaq̃ ab ipſo virtus exibit quæ ipſius ſanet infirmitates. Et hanc puto cauſam cur multi æque in ſe ſentiant impetus iracundiæ, libidinis & ſuperbiæ, poſt Euchariſtiæ frequentationem ac ante, quia ſpiritu & deuotione, pia fiducia & reuerentia eũ non tangunt, ſed arida conſuetudine, frigidis precatiunculis eum premunt: In quos ſic Iſaias, *Eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me cor autem eius longe eſt à me, ideo, Ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, peribit enim ſapiẽs de ſapientibus eius.*

Iſai. 25.

4 Hoc loco damnatur error eorum qui dicunt ſuperſtitioſum eſſe venerari ſanctorum reliquias, oſculari mortuorum oſſa, atq; eorum contactu deſideratam ſperare ſalutẽ: ſi enim mulier non ſine fructu fimbriam Chriſti tetigit, quanto magis ſimilia fieri poſſunt ad ſãctorũ reliquias pie & religioſe viſitatas & honoratas? Quinimo *vt Bern.* ait, nequaquam conuenit homini peccatori vt per ſeipſum accedat ad Chriſtum, ſed tangat fimbriam eius, hoc eſt, inquit, conſideret hominem quem viderit in eccleſia, quę eſt veſtis Chriſti, humiliorem & ſanctiorem, hunc ſi tetigerit pio affectu ad compatiendum ſibi, iuuabitur.

III. Magna fidei vis, ſed veræ & perfectæ.

1. Fides *tua te ſaluam fecit.* Impetrando ſcil. & promerendo ſalutem: ſic enim ſolum, & non efficiendo dicitur fides ſaluum facere: effectiue autẽ ſolus Deus eſt auctor ſalutis noſtræ: Fidei tamen tribuit Dominus ſalutem noſtram, idq; ſæpius, quia quantum vas fidei afferimus, *inquit Cypr.* tantum inũdantis gratiæ haurimus: eſt n. bonitas Dei velut inexhauſtus fons omnium bonorum, è quo plus haurit qui capacius vas fidei attulerit, tribuuntur n. dona Dei vnicuiq; ſecundum menſuram ſuæ fidei, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos quemadmodũ ſperauimus in te.* Quando igitur ſalutẽ noſtram toties fidei tribuit Dominus, cauſam innuit cur hi tot donis beentur; illi vero omnib. deſtituantur, cuius rei cauſa eſt, non ipſe Deus quaſi aut non poſſit aut non velit iuuare, *Ne dixeris,* inquit Eccleſiaſticus, *per Deum abeſt:* ſed ideo te minus iuuat Dominus, quia in te fidem, humilitatem, pium deſideriũ & reliqua neceſſaria deſiderat, quia inquam hæc tibi deeſſe videtq; aliorum donorum fundamentũ ſunt & origo. Mira hic fidei virtus atq; fi-

Pſalm. 32.

Eccl. 15.

duciæ eius comitis cõmendatur, non inanis illius & falſæ fidei, qualis eſt perſuaſio hæreticorum, qua certo credunt ſibique perſuadent ſe exaudiri dum quippiam orant: ſed iſtius fidei laus eſt prædicãda, ſecundum cuius præſcriptum homo vitam ſuam inſtituit, eaque media amplectitur quæ fides præſcribit neceſſario amplectẽda ad quippiam impetrandum: Sicut hæc mulier ſedulo peregit omnia quæ fidei ſpiritus ei ſuggeſſit, nam cũ bona fiducia ad Chriſtum acceſſit: præ humilitate & verecundia retro & à tergo venit: induſtriam & laborem adiunxit, dum perturbas ſe ingeſſit vt vel fimbriam tangeret: cum pudore & timore ad pedes Domini procidens omnem veritatẽ confeſſa eſt.

2 PORRO quemadmodum in rebus aliis quædam veræ ſunt, quædam apparentes tantum, eſt enim verum aurum, eſt & ſimulatum ſeu falſum: eſt vera amicitia, eſt & fictus amicus. Ita eſt & vera fides, eſt & falſa atq; ſimulata. Ita enim infælices gratis noſtiæ hæretici fœtido ſuo ore hæc duo nomina, fides & fiducia conſpurcarunt, & ſacrilego ſuo dogmate à genuina ſua ſignificatione ad ſua figmenta detorſerunt, vt horreat propemodum bonus quiſq; has virtutes fidelib. commendare: Perinde enim hæc nomina quibuſdam piis inuiſa ſunt atq; ſuſpecta, vt pretioſos
Ezech. 24 cibos vbi canis ore fœdati fuerint, faſtidire ſolemus. *Aquam purambibebatis*, inquit Dominus, *ſed turbaſtis eam pedibus veſtris.* Nec tamen propterea committendum eſt vt propter falſas hæreticorum expoſitiones, has virtutes negligamus, ſed ipſorum fraudulentas interpretationes deuitãtes, fidem viuam & verã quæ Chriſtianæ religionis fundamentum eſt, & veram fiduciam qua miſericordiam Domini impetramus, & ipſa protegente tranquillam & placidam vitam ſine vlla inani formidine tranſigamus, amplectamur.

3 EA autẽ eſt illa fides quæ per dilectionem operatur, talis enim fides omniũ virtutum radix eſt & fundamentum: & fiducia ex ea orta modo perfecta ſit totũ impetrat quod ſperat & poſtulat, etiãſi montes transferre neceſſe ſit, Domino dicẽte,
Quicquid orantes petitis credite quia accipietis & fiet vobis. Neq; hoc incredibile videri debet, quoniam nunquam homo certiſſimam hanc ſpem atq; fiduciam viuam de diuina voluntate concipiet, niſi diuino ſpiritu ad hoc actus fuerit & excitatus: nunquam autẽ hic ſpiritus veritatis mentem hominis ad hoc certiſſime ſperandũ inſtigabit, niſi id etiam præſtare velit, cuius illi ſpem atq; fiduciam inſpirat, vnde *Gregorius Turonenſis* Epiſcopus, precibus montem tranſtulit qui ei in templi ſtructura impedimento erat: ſed vt id peteret quod & impetrauit, à ſpiritu excitatꝰ fuit. Quo fit vt ſpes hæc incredibilem homini pio trãquillitatem & pacem ab omni terrore & animi anxietate immunem præſtet, quia Deum ſuum protectorem & ſalutis auctorem habet: & qui talem habet patronum, non eſt quod metuat. *Dominus*
protector vitæ meæ, inquit Pſalmiſta, *à quo* Pſalm.
trepidabo? verum hæc virtus vt eſt præſtãtiſſima, ita eſt & rariſſima, & in iis inuenitur qui bonis operibus id impetrarunt vt Deum in omnibus & protectorem & adiutorem paratum habeant.

4 ATQVI fides laudatur in ſcriptura diuina non ea tantum parte qua de myſteriis religionis quis recte ſentit, ſed & ea parte qua per fidem, Dei maieſtatem ſuamque vilitatem viuaciter conſiderans ſe humiliat, ſibiq; vileſcit homo: Sic Centurionis fidem commendauit Dominus cum ait,
Non inueni tantam fidem in Iſrael: hinc & Luc. 7.
mulier Chananæa commendatur Matt. 15 cum Dominus ait, *O mulier magna eſt fides tua fiat tibi ſecundum fidem tuam*: Quod aſſiduo clamore impetrare non poterat humili confeſſione promeruit, dum etiam ſe cani cõparãdam agnoſceret. Laudatur ergo ab humilitate fides & magna prædicatur, maxime ſi conſideratione omnipotentiæ ac miſericordiæ diuinæ fiduciam fortem, preces deuotas & ſimilia concipiat. Neq; enim Centurio aut mulier iſta Trinitatis myſterium agnoſcebant aut

crede-

credebant, quod poſt reſurrectionē Chriſti Apoſtolis manifeſtum eſt, ſed humilitas & ſimplicitas mentis, anima Chriſto deuota, & pia fiducia approbata eſt. Hæc eſt fides quæ etiam apud eos, qui alta fidei myſteria ſic ſatis intelligunt, difficulter inuenitur perfecta, vt audire quis mereatur, Fiat tibi ſecundum fidem tuam. Qui fide infirmus eſt, ſi fieret ei ſecundum fidē ſuam vix exaudiri mereretur, vix quicquā impetrare poſſet. Nam dum ad orationē aſſiſtit, aut de lucro cogitat, aut abductus turpi cogitatione etiam quę dictu erubeſcēda ſunt animo voluit. Vbi eſt fides quæ Dei maieſtatem hominis vilitatem conſiderat? & tamen credit quia ſi non crederet non oraret: ſed ſi vere crederet, illud cor quo Deus videtur & quod Deus videt, mundaret, lachrymis genas rigaret, nec prius deſiſteret quam miſericordiam impetraret.

5. Sed hic aduerte fidem *dupliciter* ſumi poſſe, *aut* pro actu fidei, vt cum dicitur Marci vltimo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit*: aut pro habitu à Deo infuſo, vt cum Paulus ad Corinth. ait, *Nunc manent tria hæc fides ſpes, charitas*. Fides ſecundum quod habitus eſt, ſimpliciter ad ſalutē neceſſaria eſt, ita vt nemo aut Deo placere poſſit, aut ſalutem aſſequi, qui fide caret ſicut infideles qui nunquam quicquam audiuerūt de Chriſto; quia vt Paul. ad Hebræos ait, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: Neq; enim homo per naturalem Dei cognitionem & legis obſeruationem ſaluari poteſt, alias fruſtra factus eſſet homo Chriſtus, teſte Paulo qui ad Galatas ait, *Si ex operibus legis iuſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*: patet hinc etiam falſum eſſe quemlibet in ſua fide ſaluari poſſe, quia ſi vnius fides ſit vera, alterius qui contrarium ſentit debet eſſe falſa, ſed falſa fides non eſt fides: ſine fide autem non eſt poſſibile placere Deo. Actus fidei præcipitur tempore ſuo, quando euidens neceſſitas aut magna vtilitas poſtulat: quodlibet enim præceptum affirmatiuum tempus ſuum habet quo obligat, nimirū

1. Cor. 13.

Heb. 11.

Galat. 2.

cum neceſſitas vrget, vt ſi tempore perſecutionis à iudice quis rogetur cuius ſit fidei, tenetur confiteri, iuxta illud Lucæ, *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua*: hac enim erubeſcentia ſua innuit ſe pluris facere ſeipſum quam Chriſtum, vitam propriam, quam gloriam Chriſti. Similiter ſi quis in odium fidei Chriſtianæ te cogat edere carnes in quadrageſima aut in die veneris, & niſi comedas mortem tibi minatur, tunc haud dubie teneris fidem cōfiteri, nec licet tibi comedere carnes, quia comedendo fidem abnegas: vnde Eleaſarus ille, de quo *Machab. 2.* cum aperto ore compelleretur māducare carnes porcinas, glorioſiſſimam mortem magis quam odibilem vitam complectens voluntarie præibat ad ſupplicium, deſtinans non admittere illicita propter vitæ amorem. In hiſtoria autem de quadraginta martyribus refertur quod ex eo cenſebatur vnus apoſtataſſe a fide, quia frigus non ferens in balneum vicinum eſſet ingreſſus, eo quod tyrannus poſuiſſet iſtud tanquam ſignum abnegationis fidei. Si abſq; præſcripto illo aquam exiſſet & balneum intraſſet, fidem hoc facto non abnegaſſet: ſicut nec is qui edit carnes die veneris extrema neceſſitate compulſus, quia non facit in proteſtationem abnegationis fidei ſicut prior.

Lucæ 9.

2. Mach. 6. cap.

1 EA quæ fide creduntur, firmiora ſunt & certiora quam quæ aut ſenſu percipiuntur, aut ratione demonſtrātur: ſenſus enim falli poſſunt & ſæpius falluntur: & quæ ſciuntur poſſunt ſe aliter habere quia mutabilia ſunt: Sed quæ fide diuina creduntur, certiſſima ſunt tum quia æterna & immutabilia, tum quia diuinæ veritati, quæ nec falli nec fallere poteſt, ea reuelāti innituntur. Quo fit, *inquit Aug.* vt in his quæ fidei ſunt, dicere non liceat, forte: poſſumus dicere, *inquit*, forte Beata Virgo talem habuit faciem, qualis à Luca depingitur, ſed nō licet dicere, forte Beata Maria fuit virgo, quia iis quæ fidei ſunt, cum

IV. Certiora ſunt quæ fide credimus, quā quæ oculis cernimus.

Aug. 8. de Trin. ca. 5.

cum formidine non adhæremus ſed certo & infallibiliter, quia Deus neminē fallere poteſt: hinc Dominus apud Lucam, *Cœlum & terra tranſibunt, verba autē mea non tranſibunt*. Quib. verbis declaratur maior eſſe certitudo in iis quæ Chriſtus aſſerit, quā ſit in vniuerſa creatura. Ea quæ aut ratione demonſtrantur, aut ſenſu percipiūtur, ſunt quidē certiora quo ad nos, quia euidentiora: in quibus interdum tanta euidētia eſt atq; certitudo, vt homini quādam inferant aſſentiendi neceſſitatem ne aliter ſentire poſſit, vt cum dicitur, Omne totum eſt maius ſua parte. Sed tamen ea quæ fidei ſunt in ſe & ſecundum obiecti ſubſtantiam certiora ſunt & firmiora, ob cauſas dictas, vnde fit vt qui circa ſcientiā dubitant, minus ſint culpandi, quam qui circa fidē: & turpius eſt Deo nolle credere aliquid aſſerenti, quā rationi non credere aliquid demonſtranti. Neq; enim hęc certitudo fidei prouenit ex pertinacia credētium, quo modo Manichæi olim Catholicis improperabant, dicentes temerariū eſſe aliquid firmiter credere quod nō fuerit euidens, eo quod ſe homo periculo erroris exponeret. Quibus reſpondet *Augu.* Si prudētis ſit credere homini fide digno, longe magis decens & tutum fuerit credere Deo aliquid aſſerenti: ſi enim fidem tollas, ſuſtuleris ſimul commercium tam humanum quam diuinum.

Luc. 21.

Aug. ca. 1. de vtilit. creden-di.

2 AT inquies: Satis quidem id intelligitur, quod quando conſtat aliquam enunciationem eſſe Dei verbum, eam firmiſſimo aſſenſu abſque vlla hæſitatione eſſe amplectendam, quia Deus cum ſit veritas ipſa fallere non poteſt. Sed in eo eſt tota difficultas, quomodo veritas prima reuelet ea nobis quæ ſunt credenda, cum tamen ſint obſcura omnia, non ſolum ea quæ ſunt fide ſuſcipienda, verbi gratia, quod Deus ſit trinus & vnus: quod CHRISTVS ſit in venerabili ſacramento, & ſimilia: ſed etiam ipſe reuelans obſcurus eſt, & ita obſcure reuelat interdum, vt homo cui ſit reuelatio vix percipiat eam: Sic enim Iob ait. *Si venerit ad me non videbo eum, & ſi abierit non intelligam.* Eſt quidem reuelatio manifeſta quæ fit ſanctis in cœlo, quia quę nos credimus ea ipſi manifeſte vident: Fuit etiam ſatis nota quæ facta eſt apoſtolis & prophetis non quod clare viderentur quę credenda proponebantur, habuerunt enim & Apoſtoli fidem, non claram eorum viſionem, ſed quia reuelans ipſe ita erat eis manifeſtus, vt Deum in ſe loquentem experirentur: Sicut legimus de Samuele in *libris Regum*, vbi ſic dicitur, *Dominus reuelauerat auriculam Samuelis, ante vnum diem quam veniret Saul dicens, Hac ipſa hora quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te & vnges eum ducem ſuper Iſrael*: Ita ſæpe fiebat verbum Domini ad Prophetas, & annunciabant illud non tanquam verbum ſuum, ſed tanquam verbum Domini, dicentes, *Hæc dicit Dominus*: Et Paulus ad Galatas, *Notum vobis facio Euangelium fratres, quod non didici ab homine, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Et neceſſe fuit à principio ea quæ ſunt fidei à Deo immediate reuelari angelo & homini, alias nūquam potuiſſent ſciri aut credi, quia ſuperant omnem intellectum creatum. Verum non ſolis Apoſtolis aut Prophetis reuelauit Deus ea quæ ſunt fidei, ſed etiam eorum auditoribus, ſicut in Actis dicitur de Lydia purpuraria, cuius *Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.* Non tamen omnes fideles habentes huiuſmodi Dei reuelationē internam, Prophetæ, ſunt aut Apoſtoli, quia reuelatio quæ ipſis fit obſcurior eſt, non ſolum ex parte rei reuelatæ, cum de ratione fidei ſit quod ſit obſcurum lumen, verumetiam ex parte reuelantis, quem vix ſentiunt aut percipiunt, quam quæ facta fuit Apoſtolis aut Prophetis.

Iob 9.

1. Reg. 9.

Galat. 1.

Act. 16.

3 PORRO quanquam de iis quæ fidei ſunt dubitare nullo modo liceat, neq; de veritate dicentis ſeu reuelantis Dei ambigere quis poſſit, tamen cum ea quæ fidei ſunt obſcure ſæpe proponantur, dubitare interdum

cerdum licet quo ſenſu ea ſint accipienda quæ dicuntur. Hinc tanta varietas expoſitionum circa obſcuras Prophetias & Apocalypſin Ioannis, quorum oracula nõ
1. Cor. 13. videntur aliud quã ænigmata. Hinc Paulus, *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate:* Ænigma valde obſcurum eſt, de cuius veritate potius coniicimus, quã quod clare ſciamus, & inquirendo, ſtudendo, orãdo oportet veritatem eruere. Et cũ diuerſimode obſcura aliqua ſcriptura à diuerſis exponatur, interdum fit vt omnes verũ dicant, & idipſum dicant, quod is intendit qui prophetis huiuſmodi oracula inſpirauit & aperuit, qui vnico oraculo diuerſos ſępenumero complectitur ſenſus; interdũ fit vt licet verum dicant, tamen id non dicant quod per eam prophetiam intendit qui auctor prophetiæ fuit. Prouenit autẽ huiuſmodi ęnigmatica obſcuritas partim ex infirmitate intellectus noſtri, partim ex difficultate rei reuelatæ: Neq; fuiſſent huiuſmodi ænigmata in primo ſtatu, vbi primus homo per ſpeculum quidem, id eſt per ſimilitudinem rerum creatarum contemplatus fuiſſet ea quæ ſunt fidei, ſed nõ ita in ænigmate, quia de nulla re dubitaſſet, vt modo: Vnde *Hugo de S. Victo.* Homo
Hug. li. 1. de ſac. par. 6. c. 14. in primo ſtatu nouerat creatorẽ ſuum nõ ea cognitione quæ foris auditu ſolo percipitur, ſed ea quæ intus per inſpirationẽ miniſtratur, non ea qua Deus modo à credentibus abſens fide quæritur, ſed ea qua per præſentiam contemplationis manifeſtius cernebatur, licet nec ei ita præſens eſſet ſicut beatis per lumen gloriæ.

4. CVM aliquid proponitur fide credẽdum, cuius aſſenſus non ſolum probabilis eſſe debet, qualis eſt opinionis, ſed firmus & certus ita vt excludat omnem formidinem de oppoſito, quia id quod fide diuina creditur, ita debet credi eſſe verum vt oppoſitum certo ſciat eſſe falſum; debet euidenter conſtare non ſolum eſſe credibile id quod proponitur credendum, ſed etiã à Deo profectum & reuelatum eſſe, alias ſi homo leuiter credat, periculo erroris ſe exponit, eo quod & Sathan qui transformat ſe in angelum lucis, oracula Apollinis tanquam à Deo profecta, hominibus proponere & perſuadere poſſit. Idcirco voluit Deus ſignis & miraculis confirmare quæ credenda propoſuit, iuxta illud Marci, *Domino ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: vt euidenter conſtaret res Marc. 16.
propoſitas non ſolum eſſe credibiles, ſed etiã à Deo profectas & reuelatas, ita vt excuſationem non habeant qui aut fidem ſuſcipere nolunt, aut ab ea ſemel recepta recedũt: Sic enim Dominus apud Ioannem dicit: *Si opera non feciſſem quæ nemo alius fecit excuſationem haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Conſtat Ioan. 15.
autem aliquid euidenter eſſe credibile, etiamſi non conſtet euidenter illud eſſe verum: euidentia enim veritatis oritur ex clara cognitione & viſione rei cognitæ: Euidentia autem credibilitatis oritur ab extrinſeco, ex miraculis & prodigiis quæ nemo niſi ſolus Deus facere poteſt, ex vitæ ſanctitate, ſana doctrina, & auctoritate eius qui huiuſmodi doctrinam credendam proponit. Quæ ſunt fidei, *inquit* Aug. ep. 112. c. 4.
Auguſtin. quodam mentis intuitu videmus ſecundum teſtimonia magis, quam ſecundum ipſarum rerum præſentiam ſeu viſionem. Et quia veritas rei credendæ non eſt euidens in [illegible] fidei, ideo ad aſſenſum fidei requiritur infallibilis auctoritas diuina qua fidelis nitatur, vt non ſolũ probabiliter credat ea eſſe vera, ſed certo & infallibiliter: Aſſenſus quo exiſtimo tãtum probabiliter eſſe credibile id quod proponitur, ita vt metuam etiam oppoſitum poſſe eſſe verum, non patitur vt illud credam tanquam dictum à Deo: Ipſa autẽ credibilitas eſt euidens etiam antequam quis fidem habeat, quia aſſenſus credibilitatis non nititur diuina authoritate ſicut fides, ſed argumentis euidentibus, vtpote miraculis, vitæ ſanctitate, dicentis auctoritate & veritate, quia nõ ſolum fides facit res credibiles, ſed etiamſi alia quæ fidem præcedunt. Et poſita euidẽtia credibilitatis, poteſt voluntas imperare intellectui vt aſſentiatur rei propoſitę. Iudęi viſis Chriſti

sti miraculis & audita eius prædicatione, credere nolebant, cum tamē credere possent, non quidem fide diuina quam nondum habebant sibi infusam, sed ex huiusmodi argumentis credibilitatis acquisita quæ euidenter conuincunt non tantum esse credibiles res fidei, sed etiā à Deo dictas & reuelatas: Et ideo fides ex iis orta quamuis diuina seu diuinitus infusa non sit, ita tamen certa est vt merito excludere debeat omnem formidinem de opposito. Et quia Iudæi hanc fidem ex euidētia credibilitatis ortum habentem reiiciebant, & motiua hanc euidentiam credibilitatis facientia perpendere nolebant, quia Christum oderant, ideo ad fidem diuinam seu diuinitus infundendam non peruenerūt. Fides autem diuina seu habitus fidei cum infunditur multum confert ad euidentiā credibilitatis rerum fidei ex apta dispositione ipsius credentis, sicut per habitum temperantiæ homo melius disponitur vt rectius iudicet de rebus moderatis. Et omnibus itaq; argumentis istis simul coniunctis, quibus clare probantur credibilia esse, quę obscurius creduntur, motus psalmista dixit; Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psal. 92. Cum enim voluntas non possit imperare intellectui vt credat, pro suo libito sed illustrari debēt intellectus & moueri aliqua ratione cur credat potissimum res supernaturales esse veras, quia tanta est obscuritas rerum credendarum vt non conuincant intellectū, quam sua euidentia obiecti necessitas intellectum ad assensum. Ideo tot requiruntur argumenta ad credendum.

PARS II.

Cum vidisset Iesus tibicines & turbam tumultuantem dicit illis, Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.

Matth. 9.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Plus diuino adiutorio quam subsidio humano tribuendum.*

II. *Mortui moderate non autem immodice deflendi.*

III. *De consolatione super morte amicorum suorum.*

ART. I.

Plus subsidio diuino quam humano tribuendum.

1. QVOD Princeps hic accesserit Dominum, eumque adorauerit, maioris fidei videtur fuisse quam Regulus ille, de quo *Ioan.* 4. quem Dominum pro filio suo rogasse, non item adorasse legimus. Quo quis Christi bonitatem ac potentiam plenius, ac Dei maiestatem cognoscit perfectius, eo & maiorem reuerentiā ac timorem erga Deum ostendit, & seipsū profundius humiliat & demittit magis. Hinc fit vt summus in gloria angelus inter suos sit humillimus: Et vt *Origenes* ait quanto magis inspici potuerit oculis spiritualibus quod bonus & decorus sit sponsus, tanto speciosior inuenitur & pulchrior: & non solum illius species & pulchritudo apparebit mirabilis, verum inspiciēti atq; intuēti eam decus ingens & species formæ noua ac mirabilis orietur. Cum itaque Princeps hic Christum adorauerit, seseq; ad terram vsq; inclinando humiliauerit, quasi indignum reputans qui staret erectus in conspectu Domini satis inde elucet maioris fidei hunc fuisse Principem, pleniusq; & Christi maiestatem & suā vilitatem agnouisse, quam Regulus ille de quo *Ioan.* 4. & ideo non hunc sed illum secutum fuisse. Hom. 3. in Cant.

2. CVM Christus surgens hunc Principem sequeretur, ecce mulier in via à profluuio sanguinis sanatur: Quod non sine causa factum existimo vt mulier in via sanaretur à sanguinis profluuio, filia autem in domo à morte suscitaretur, quia in hac vita quæ via est ad mortem oportet nos liberari de sanguinibus, hoc est, de peccatis per sanguinem significatis; iuxta illud Ozæ. 4. *Sanguis sanguinem tetigit*, vbi denotatur inundatio peccatorum quibus terra cooperta fuerat: vt sit sensus, Peccata peccatis addiderunt & sociarunt. & Zachar 9.

Aufer

Auferam sanguinem eius de ore eius, & abominationes de medio dentiũ eius hoc est, delebo scelera eorum, Nam per sanguinem & abominationes idem significatur. vnde *Leu.* 10 dicit Dominus. *Homo quilibet de domo Israel & de aduenis qui peregrinantur inter vos, si comederit sanguinem obfirmabo faciem meam contra animam illius & disperdam illum de populo suo*: Comedere sanguinem est peccatis frui & delectari. & *Leuit.* 15. Mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur immunda erat, & qui eam tetigisset, vestimenta sua lauare debebat, & ipse lotus aqua immundus erat vsque ad vesperã. Qua ceremonia significatur quod coinquinetur non solum qui peccatum cõmittit, sed & qui consentit. Sanguis enim velut instrumentum videtur quo iniquitas perpetratur, siue quis libidine æstuet, siue ira succendatur, sanguis quasi bullire hominemque sic agitatum quasi in facinus impellere videtur. Cæterum cum ad terminum peruenerimus, mundati & liberati de sanguinibus à Christo perfectam vitæ restitutionem, quam suscitatio puellæ significat, expectamus, quando mortale hoc induerit immortalitatem, quando domestici Dei omnes vestientur duplicib. *vt dicitur Prou.* 31. quia gloriæ animæ etiam accedet gloria corporis.

Luc. 8. 3. HÆC mulier vt Lucas testatur erogauerat omnem suam substantiã in medicos nec ab vllo potuit curari. Hic latenter duo dogmata nobis insinuantur: vnum quod spiritum attingit: alterũ quo docemur qualiter in necessitate constituti subsidio humano vti oporteat. Et quantum ad illud quod spiritualem sensum concernit, attinet, hoc obseruandum quod sicut naturali virtute medicamentorum & arte medica mulier hæc sanari non potuit à profluuio sanguinis. Ita q̃ peccatis sunt defœdati & sanguinolenti, nulla aut Philosophorum doctrina, aut veteris legis cognitione, aut vllo subsidio humano emũdari potuerunt, sed sola virtute Dei. Sic enim Dominus *Sapien.* 16. testatur sub figura eorum qui à serpentibus in deserto percussi fuerant *Etenim neq; herba, inquit, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo qui sanat omnia.*

4. QVO ad alterum, etiã humana subsidia sunt adhibẽda vt quis iis iuuetur neq; n. frustra suis creaturis virtutem medẽdi indidit Deus: Sed si ea minus sufficiunt ad Deum confugere oportet. Sic Iacob vt fratrem suum Esau sibi placatum redderet ei munera mittit, & humanitate atq; omni obsequio quo potuit eum placare studuit: Sed quia hęc minus sufficere existimauit, ad Deum confugit, simul deprecans eum vt ipsum de manu fratris sui Esau erueret, quem valde metuebat. Non igitur media humana sunt negligẽda, sed discrete adhibenda, ita nimirum ne quis iis nimium confidat. Nam propterea legimus Deum iratum contra Asa Regem Iuda, 2. *Paral.* 16. quod cum dolore pedum vehementissimo laboraret, nec in infirmitate sua quæsiuerit Dominũ, sed magis in medicorum arte confisus sit. Non merebatur indignationẽ Domini quia arte medicorum vtebatur, sed quia totam suam fiduciam in medicorum industria reposuerat. Magis enim ad Deum quam ad pręsidium humanum confugiendum.

5. NAM vt recte August. ait *in Psal* 45. explicans illa verba. *Deus refugium nostrũ & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis*. sunt quædam refugia vbi non est virtus, quisque cum fugerit, magis infirmatur quam confirmetur. Sunt enim qui confidunt in virtute sua & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Fiducia hæc omnino periculosa est & stulta, *inquit Bernardus* cum enim vita pręsens fragilis sit & incerta, simile necesse est quicquid fundatur in ipsa. Quis enim super fragile fundamentum stabile credat ædificium? Est alius qui confugit ad aliquem qui in seculo potens sit simul & malus, vt faciat eum sibi amicum, refugium videtur, sed fragile & incertum. Tanta enim huius seculi in incerto sunt, & ita potentum ruinæ quotidianæ crebrescunt, vt cum ad tales confugeris, plus tibi timere Bern. in ps. 50.

ne vt honores discedentem: Tu autem cõducis eos qui nostra condemnant. Quid hac inductione turpius: Confundimini: si autem non vultis, nos non patiemur amplius talia mortifera introduci. Nam propter mortuos immodeste plangere eorum est, inquit, qui spem resurrectionis aut futuræ vitæ nõ habent. Nam animus resurrectionis ignarus merito mortuos tanquã perditos plangit. Imo nec hi immoderate lugendi, quia facta non licet rescindere, aut luctibus emendare. Quanto minus ij luendi sunt qui à labore transeunt ad requiẽ, & ex hac vita tãquã tumultuoso mari procellis plena transuehuntur in portum quietis ac salutis. Nam hac de causa Paulus mortuos vocat *dormientes*, tanquã ab opere diurno quiescentes. Et hos tu luges?

Chryso. hom. 6. ad Thes. sal.

Paulus ad Thes.

Hæc Chryso.

3. SED inquies cum homines simus, de morte hominis non dolebimus? Et quomodo potest non dolere qui filium, qui maritum, vel vxorem amisit? Nunquid hoc ego prohibeo inquit: non lugere sed immodice & impudenter lugere veto: nõ sum ita inhumanus, cum & Christus super Lazaro lachrymatus fuerit. Eius sequere exemplum, & lachrymare, sed moderate & leuiter & cum Dei timore. Si hac ratione lachrymas fundes, non resurrectionis diffidentiæ argueris, sed ægre ferre carissimi seiunctionem videberis: Nam & peregre proficiscẽtes lachrymis prosequimur non tamẽ vt mortuos, ita & tu lugeas tãquam præmiseris peregrinum quo & tu venturus es. Quod si peccator fuerit is qui mortuus est, nitere quantum potes vt iuuetur, non lachrymis, nihil enim illæ adferũt vtilitatis, sed eleemosynis, precibus, oblationibus. Non enim temere hoc excogitatum est, nec frustra memoriã mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro istis agnum illum peccata mundi tollentem deprecantes, sed vt his consolatio hinc aliqua sit. Nec temere qui altari assistit inter horrenda mysteria clamat, Pro omnibus in Christo quiescẽtibus. Nam si filios Iob victima patris purgauit, quid dubites à nobis quoque si pro dormientibus offeramus, solatii quiddam illis accessurum? Non igitur lugendũ etiã si peccator mortuus sit, quin in hoc lætandum, *inquit Chrysost.* quod malitia eius abscissa sit, finemque peccandi fecerit. Quod si iustus mortuus sit, rursum lætandũ quod in tuto collocatur, quod liberatus est futura formidine: Si iuuenis quod è medio malorũ ereptus est: Si senex quod eo diutius vsus sis & quod vitæ satietate, quod maxime desiderabile videbatur, hinc migrauit. *hac Chrysost.*

Chryso. hom 98. in Ioan.

Chryso. hom. 21. in 1. ad Corint.

4. ET quomodo non lugebit, inquies quæ maritum amisit, & se iam solam omni subsidio destitutam inuenit? Hoc non est cur dicas, *inquit Chrysost.* Nam amittere Rectorem Deum, nisi velis, non potes: quantisper hunc habes coniuge', patre, filio, affine quouis præstabit, vt qui superstitibus etiam his faciebat omnia. Dic igitur cum Psalmista, *Dominus protector meus à quo trepidabo?* quandoquidem tu pater orbis, iudex viduis es? Sed filiũ amisi baculum senectutis meæ: Non amisisti, ne dicas, somnus ea res est, non mors: transitus non interitus, peregrinatio ab humili loco ad altissimũ suscepta. Si in morte mariti vel filij cogitaueris quis sit ille qui abstulit, & fortiter id tuleris, voluntatem istam sacrificiũ exhibebis Deo, & euadere procellam istam facile poteris, si quod tẽpus solet, id tu ratione efficias & philosophia: Quod si in lachrymas diffluas tota cessabit nihilominus cum tempore dolor, & præmium tu nullum reportabis. Caue irrites Deum, sed propitium tibi redde: si feras generose magnũ tibi ex ea re, & mortuo ipsi solatium erit: si feceris cõtra, magis diuinam iram accendes. Caue igitur faxis, orans potius age, quomodo illã tristitiæ nubem dispergat. Dic', *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Si cogitaueris Deum abstulisse illum, quem mortalem filium aut maritũ habebas; mox consolaberis. Homo natus & mortalis, quid doles quod secundum naturam contigit? Mortalis natus es, noli te

[illegible] affligere, sed ama quæ communiter omnibus statuta sunt.

Hæc Chryso. hom 21. in Acta.

5. Dic oro, *inquit idem*, si sedentib. nobis mittat Rex quempiam vocans in regna, plorandum ne erit? Nequaquam, inquies. Neque enim si tu amico ad regnũ vocato coronatoque lachrymeris, pectus tundas, capillos vellas, amicum esse te coronati quisquam credet, sed inimicum & hostem. Angeli à cœlo veniũt illinc missi ab ipso Rege vt conseruum suum vocent, & tu ploras? Domo sua relicta pergit anima, & ad suum festinat maritũ & Dominum, & tu luges? vadit ad aliam lucẽ, soluitur quasi à vinculo, è carcere liberatur & quasi a certamine egreditur. Nescis quod sicut sol mundus ascendit, Ita & anima relinquẽs corpus cum pura conscientia fulget clare? Intellige quæ animæ tũc & quãta fælicitas obueniet, in quanto tunc honore, ne dicam stupore, sit futura, in quãta admiratione & voluptate. Quid igitur tu luges? Ego vero non illũ sed meipsum doleo inquies. Atqui ne hoc quidem amantis est, ad istam sollicitudinem reuocari illum, aut huic miseriæ subiectum in mari fluctuantem propter te esse velle, cui coronari & in ipsa quiete lætari licet. Cogita quot sint qui æquius suam sortem ferunt, qui nunquam liberos susceperunt. Cogita rursum quot sint parentes quibus liberi sui vitam acerbam & iniucundam reddiderunt? Quid ergo alios non videbis generosos? video sane: verumetiã his rectius filius tuus habet. Sint enim in pretio licet atque incertus finis est. *hactenus Chrysost.*

Hæc. Chryso. ho. 6. ad Thessal.

6. Dic ergo quare lamentaris virum mortuum si credis eũ resurrecturum, si in pace eum quiescere iam credis? Dicis propterea plango, quod auxilio destituta sim & tutorẽ ac consolatorem amiserim. Multa rerum turba ingruit, quibus suis iniuriam inferre volentibus exponor, domestici qui ante metuebant, nunc contemnunt nunc insultãt: si quis mali aliquid à marito perpessus est, conceptam iram in me effundit. Ista me meam viduitatem lugere faciunt. Quomodo ergo tales solabimur? *inquit Chrys.* quid dicemus? Primũ eas cõuincere tentatio tẽtationẽ nõ [illegible] ex his quæ dicta sunt, sed animi affectione immoderata. Si enim ista luges, oportebit vt perpetuo lugeas mortuũ. Si anno elapso obliuisceris illius, nõ secus ac si nihil huius accidisset, non luges amissam tutelam. Sed & ob idipsum plerumq; & maritum & filiũ aufert Deus, ne admodum illum alligata sis, vt spem tuam ab illis auferas. Æmulator est Deus & vult à nobis omnium potissimum adamari, idque ea ratione quos nos admodum vehementer amet. Quia igitur mariti vxores plus amant quam Deum, *inquit Chrysost.* & vxores maritos suos Deo præferunt, horum gratia nos & inuitos quoq; ad amorem suum trahit. Ne virum plus ames quam Deum & viduitatem non senties vnquam: Habes enim tutorẽ immortalem qui magis te amat: si Deum magis amas, ne lugeas. Si virũ haberes qui iuxta animi tui sententiam cuncta faceret, celebrem & illustrem, vbique splendidum & gloriosum apud omnes, prudentem, sapientem, & qui te ita adamaret, vt beata illius nomine reputareris, & deinde ex eo filiũ pareres qui morte decederet antequã ad maturam ætatem perueniret, an luctũ sentires? Non puto, maritus enim plus amatus amorem & luctum filii superaret & obscuraret. Et nunc si Deũ amas plusquã maritum, etiamsi maritus morte abreptus fuerit, luctum etiam non senties. Quid dicis, ô mulier, maritus tutor tuus, Deus vero nulla tui cura tenetur? liberos educaturus est Deus qui illos dedit. Quot tibi filios possum ostendere qui à viduis educati celebres facti sunt? & qui sub patribus suis vixerunt, perierunt.

7. Et filium defunctũ quid luges? Quia inquies, hæredem & bonorum successorẽ non habeo. Ideo luges? Et quid malebas eum tuorum an cœlestium hæredem fieri? Quid vero cupis eum pereũtia suscipere, quæ paulo post esset dimissurus, an permanentia & immobilia? Non hæredem eũ habuisti, sed ipsum pro te Deus habet.

Præ-

Digitized by Google

Chryso. hom. 69. ad pop.

Præter hæc autem & illud cogita, quod licet nos non audias, inquit *Chrysost.* omnino tibi tempore persuadebitur, sed nulla tibi tūc merces? ex dierum namq; multitudine consolatio accedit. Si vero nunc fide & ratione te regere velis, duo maxima lucraberis: Nam & te malis in medio positus absolues, & à Deo præclaram accipies coronam, ærumnam æquanimiter tolerans. Ne consideres illud quod non amplius domū reuertetur, sed quod paulo post & ipse ad eum ibis. Ad hæc & illud cogita quod non immortalem genuisti, & nisi nunc mortuus fuisset, hoc paulo post sustinuisset. Quis quæso mortalium mortē euadere potuit? Egredere ad mortuorū sepulchra, & vide ibi obsecro mysteria, videbis dilapsam naturā ossa corrosa, corpora putrefacta. Considera ibi quis sapiens, & quis prudēs, dic mihi quis hic Rex, quis seruus, quis Dominus, Vbi pulchritudo illic adolescentiæ vbi gratiosus aspectus, vbi oculi speciosi, vbi fragrantia labra, vbi frons radians. An non omnia cinis, Nonne omnia puluis, Nonne omnia vermis & putredo. Hæc animis inserentes, & extremum diem in animo collocantes, operemur bonum dum dies est, & dum tempus habemus conuertamur ad Dominum.

Chryso. ser. 1. ex 65 variis.

Hæc. Chryso.

III. De consolatione super morte amicorū suorum.

Hom. 4. in Ep. ad Hebr.

1. IAM mortem minus quam olim metuere oportet, quia teste Paulo ad Hebræos 2. *Christus liberauit nos quotquot timore mortis per omnem vitam obnoxii eramus seruituti.* Quē locū explicans *Chrysost.* sic ait. Quid times mortem quæ iam cōdemnata est? & nullius momenti facta. Prius quidem timore mortis per omnem vitam obnoxii erant homines seruituti, quia qui mortē timet, seruus est & omnia patitur ne moriatur, ita vt cum perpetuo timore viuerent semper se mori expectātes nullum voluptatis sensum capere poterant hoc timore apud eos manente. Vnde Iulius Cæsar dicere solet se semel malle mori, quam perpetuo mortis metu torqueri. Ab hoc metu Christus liberauit quia moriendo mortem vicit & destruxit, iuxta illud Ozeæ cap 13. Ero mors tua ô mors, quia in suis electis post resurrectionē perfecte vicit & occidit mortem Christus. Nam teste Paulo *cum mortali hoc induerit immortalitatē tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria.* Nam, quod occidimur, agimus vt penitus nō sit, quia ergo in electis suis funditus Dominus mortē occidit, mors mortis extitit, *inquit Augu.* Hoc ergo incepit impleri in die resurrectionis Christi, quādo eduxit patres ex limbo tūc fuit Christus morsus inferni, partē inde auferens, & partē relinquēs, sed perfecte implebitur, in die iudicii, quādo penitus occidetur mors in electis, Ab hoc metu mortis liberati liberius degunt etiāsi persecutionē patiantur & omnibus bonis suis spolientur, quā qui in deliciis constituti per omnem vitam sub timore mortis agūt, ab hoc enim timore illi liberati mortē derident, *inquit Chrysost* quam alii horrescunt.

1. Cor. 15.

August. ser. 137.

2. HINC Hieron, *in epist. ad Thyrasi. to. 9.* quem consolatur in morte filiæ, sic ait, Resurgere credimus mortuos & plangimus? Quid faceremus si tantumodo sine spe resurrectionis hinc nos eriperet Deus? Quod dederat abstulit, quod ad tēpus acceperas, repetiit. Commodauerat vt haberes quantocumque tempore voluisset, vt cum vellet rursum auferret: Nihil abstulit tuum qui dignatus est recipere proprium. Nemo lugere debet cum aliquid reddiderit alienum. Plangimus Domini beneficia, dum plangimus de seculo recedentes. Periclitari adhuc volebat qui dolet aliquem dormientem, & inter fluctus vitæ præsentis videre cupiebat miserum laborare. Nunc autem raptus est ne malitia mutaret intellectum. Multa enim in hac vita nobis obiiciuntur salutis impedimenta, tam à dæmone quam à mundo & carne, quæ cūcta sustulit mors dum hominem peregrinum transfert in propriam patriam. Ex quo fit vt bonis amicis gratulemur, & cum mors eorum nos cōtristet, ipsa nos certius cōsoletur, quoniam

duciæ eius comitis cõmendatur, non inanis illius & falſæ fidei, qualis eſt perſuaſio hæreticorum, qua certo credunt ſibique perſuadent ſe exaudiri dum quippiam orant: ſed iſtius fidei laus eſt prædicāda, ſecundum cuius præſcriptum homo vitam ſuam inſtituit, eaque media amplectitur quæ ſi res præſcribit neceſſario amplectēda ad quippiam impetrandum: Sicut hæc mulier ſedulo peregit omnia quæ fidei ſpiritus ei ſuggeſſit, nam cū bona fiducia ad Chriſtum acceſſit: præ humilitate & verecundia retro & à tergo venit: induſtriam & laborem adiunxit, dum perturbas ſe ingeſſit vt vel fimbriam tangeret: cum pudore & timore ad pedes Domini procidens omnem veritatē confeſſa eſt.

2 PORRO quemadmodum in rebus aliis quædam veræ ſunt, quædam apparentes tantum, eſt enim verum aurum, eſt & ſimulatum ſeu falſum: eſt vera amicitia, eſt & fictus amicus. Ita eſt & vera fides, eſt & falſa atq; ſimulata. Ita enim infælices ætatis noſtræ hæretici fœtido ſuo ore hæc duo nomina, fides & fiducia conſpurcarunt, & ſacrilego ſuo dogmate à genuina ſua ſignificatione ad ſua figmenta detorſerunt, vt horreat propemodum bonus quiſq; has virtutes fidelib. commendare: Perinde enim hæc nomina quibuſdam piis inuiſa ſunt atq; ſuſpecta, vt pretioſos cibos vbi canis ore fœdati fuerint, faſtidire ſolemus. *Aquam puram bibebatis*, inquit Dominus, *ſed turbaſtis eam pedibus veſtris.* Ezech. 24 Nec tamen propterea committendum eſt vt propter falſas hæreticorum expoſitiones, has virtutes negligamus, ſed ipſorum fraudulentas interpretationes deuitātes, fidem viuam & verā quæ Chriſtianæ religionis fundamentum eſt, & veram fiduciam qua miſericordiam Domini impetramus, & ipſa protegente tranquillam & placidam vitam ſine vlla inani formidine tranſigamus, amplectamur.

3 EA autē eſt illa fides quæ per dilectionem operatur, talis enim fides omniū virtutum radix eſt & fundamentum: & fiducia ex ea orta modo perfecta ſit totū impetrat quod ſperat & poſtulat, etiā ſi montes transferre neceſſe ſit, Domino dicēte, *Quicquid orantes petitis credite quia accipietis & fiet vobis.* Matt. 11. Neq; hoc incredibile videri debet, quoniam nunquam homo certiſſimam hanc ſpem atq; fiduciam viuam de diuina voluntate concipiet, niſi diuino ſpiritu ad hoc actus fuerit & excitatus: nunquam autē hic ſpiritus veritatis mentem hominis ad hoc certiſſime ſperandū inſtigabit, niſi id etiam præſtare velit, cuius illi ſpem atq; fiduciam inſpirat, vnde *Gregorius Turonenſis* Epiſcopus, precibus montem tranſtulit qui ei in templi ſtructura impedimento erat: ſed vt id peteret quod & impetrauit, à ſpiritu excitat⁹ fuit. Quo fit vt ſpes hæc incredibilem homini pio trāquillitatem & pacem ab omni terrore & animi anxietate immunem præſtet, quia Deum ſuum protectorem & ſalutis auctorem habet: & qui talem habet patronum, non eſt quod metuat: *Dominus protector vitæ meæ*, inquit Pſalmiſta, *à quo trepidabo?* Pſalm. 26. verum hæc virtus vt eſt præſtātiſſima, ita eſt & rariſſima, & in iis inuenitur qui bonis operibus id impetrarunt vt Deum in omnibus & protectorem & adiutorem paratum habeant.

4 ATQVI fides laudatur in ſcriptura diuina non ea tantum parte qua de myſteriis religionis quis recte ſentit, ſed & ea parte qua per fidem, Dei maieſtatem ſuamque vilitatem viuaciter conſiderans ſe humiliat, ſibiq; vileſcit homo: Sic Centurionis fidem commendauit Dominus cum ait, *Non inueni tantam fidem in Iſrael*: Luc. 7. hinc & mulier Chananæa commendatur Matt. 15 cum Dominus ait, *O mulier magna eſt fides tua fiat tibi ſecundum fidem tuam*: Quod aſſiduo clamore impetrare non poterat humili confeſſione promeruit, dum etiam ſe cani cōparādam agnoſceret. Laudatur ergo ab humilitate fides & magna prædicatur, maxime ſi conſideratione omnipotentiæ ac miſericordiæ diuinæ fiduciam fortem, preces deuotas & ſimilia concipiat. Neq; enim Centurio aut mulier iſta Trinitatis myſterium agnoſcebant aut crede-

credebant, quod poſt reſurrectionẽ Chriſti Apoſtolis manifeſtum eſt, ſed humilitas & ſimplicitas mentis, anima Chriſto deuota, & pia fiducia approbata eſt. Hæc eſt fides quæ etiam apud eos, qui alta fidei myſteria ſic ſatis intelligunt, difficulter inuenitur perfecta, vt audire quis mereatur, Fiat tibi ſecundum fidem tuam. Qui fide infirmus eſt, ſi fieret ei ſecundum fidẽ ſuam vix exaudiri mereretur, vix quicquã impetrare poſſet. Nam dum ad orationẽ aſſiſtit, aut de lucro cogitat, aut abductus turpi cogitatione etiam quę dictu erubeſcẽda ſunt animo voluit. Vbi eſt fides quæ Dei maieſtatem hominis vilitatem conſiderat? & tamen credit quia ſi non crederet non oraret: ſed ſi vere crederet, illud cor quo Deus videtur & quod Deus videt, mundaret, lachrymis genas rigaret, nec prius deſiſteret quam miſericordiam impetraret.

5 SED hic aduerte fidem *dupliciter* ſumi poſſe, *aut* pro actu fidei, vt cum dicitur Marci vltimo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit:* aut pro habitu à Deo infuſo, vt cum Paulus ad Corinth. ait, *Nunc manent tria hæc fides ſpes, charitas*. Fides ſecundum quod habitus eſt, ſimpliciter ad ſalutẽ neceſſaria eſt, ita vt nemo aut Deo placere poſſit, aut ſalutem aſſequi, qui fide caret ſicut infideles qui nunquam quicquam audiuerũt de Chriſto; quia vt Paul. ad Hebræos ait, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: Neq; enim homo per naturalem Dei cognitionem & legis obſeruationem ſaluari poteſt, alias fruſtra factus eſſet homo Chriſtus, teſte Paulo qui ad Galatas ait, *Si ex operibus legis iuſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt:* patet hinc etiam falſum eſſe quemlibet in ſua fide ſaluari poſſe, quia ſi vnius fides ſit vera, alterius qui contrarium ſentit debet eſſe falſa, ſed falſa fides non eſt fides: ſine fide autem non eſt poſſibile placere Deo. Actus fidei præcipitur tempore ſuo, quando euidens neceſſitas aut magna vtilitas poſtulat: quodlibet enim pręceptum affirmatiuum tempus ſuum habet quo obligat, nimirũ cum neceſſitas vrget, vt ſi tempore perſecutionis à iudice quis rogetur cuius ſit fidei, tenetur confiteri, iuxta illud Lucæ, *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua*: hac enim erubeſcentia ſua innuit ſe pluris facere ſeipſum quam Chriſtum, vitam propriam, quam gloriam Chriſti. Similiter ſi quis in odium fidei Chriſtianæ te cogat edere carnes in quadrageſima aut in die veneris, & niſi comedas mortem tibi minatur, tunc haud dubie teneris fidem cõfiteri, nec licet tibi comedere carnes, quia comedendo fidem abnegas: vnde Eleaſarus ille, de quo *Machab.* 2. cum aperto ore compelleretur mãducare carnes porcinas, glorioſiſſimam mortem magis quam odibilem vitam complectens voluntarie præibat ad ſupplicium, deſtinans non admittere illicita propter vitæ amorem. In hiſtoria autem de quadraginta martyribus refertur quod ex eo cenſebatur vnus apoſtataſſe a fide, quia frigus non ferens in balneum vicinum eſſet ingreſſus, eo quod tyrannus poſuiſſet iſtud tanquam ſignum abnegationis fidei. Si abſq; præſcripto illo aquam exiſſet & balneum intraſſet, fidem hoc facto non abnegaſſet: ſicut nec is qui edit carnes die veneris extrema neceſſitate compulſus; quia non facit in proteſtationem abnegationis fidei ſicut prior.

1. Cor. 13.

Heb. 11.

Galat. 2.

Lucæ 9.

2. Mach. 6. cap.

IV.

Certiora ſunt quæ fide credimus, quã quæ ocu-lis cernimus.

1 EA quæ fide creduntur, firmiora ſunt & certiora quam quæ aut ſenſu percipiuntur, aut ratione demonſtrãtur: ſenſus enim falli poſſunt & ſæpius falluntur: & quæ ſciuntur poſſunt ſe aliter habere quia mutabilia ſunt: Sed quæ fide diuina creduntur, certiſſima ſunt tum quia æterna & immutabilia, tum quia diuinæ veritati, quæ nec falli nec fallere poteſt, ea reuelanti innituntur. Quo fit, *inquit Augu.* vt in his quæ fidei ſunt, dicere non liceat, forte: poſſumus dicere, *inquit*, forte Beata Virgo talem habuit faciem, qualis à Luca depingitur, ſed nõ licet dicere, forte Beata Maria fuit virgo, quia iis quæ fidei ſunt,

Aug. 8. de Trin. ca. 5.

cum

cum formidine non adhæremus ſed certo & infallibiliter, quia Deus neminē fallere poteſt: hinc Dominus apud Lucam, *Cælum & terra tranſibunt, verba autē mea non tranſibunt.* Quib. verbis declaratur maior eſſe certitudo in iis quæ Christus aſſerit, quā ſit in vniuerſa creatura. Ea quæ aut ratione demonſtrantur, aut ſenſu percipiūtur, ſunt quidē certiora quo ad nos, quia euidentiora: in quibus interdum tanta euidētia eſt atq; certitudo, vt homini quādam inferant aſſentiendi neceſſitatem ne aliter ſentire poſſit, vt cum dicitur, Omne totum eſt maius ſua parte. Sed tamen ea quæ fidei ſunt in ſe & ſecundum obiecti ſubſtantiam certiora ſunt & firmiora, ob cauſas dictas, vnde fit vt qui circa ſcientiā dubitant, minus ſint culpandi, quam qui circa fidē: & turpius eſt Deo nolle credere aliquid aſſerenti, quā rationi non credere aliquid demonſtranti. Neq; enim hęc certitudo fidei prouenit ex pertinacia credētium, quo modo Manichæi olim Catholicis improperabant, dicentes temerariū eſſe aliquid firmiter credere quod nō fuerit euidens, eo quod ſe homo periculo erroris exponeret. Quibus reſpondet *Augu.* Si prudētis ſit credere homini fidedigno, longe magis decens & tutum fuerit credere Deo aliquid aſſerenti: ſi enim fidem tollas, ſuſtuleris ſimul commercium tam humanum quam diuinum.

Luç. 21.

Aug. ca. 1. de vtilit. credendi.

2 AT inquies: Satis quidem id intelligitur, quod quando conſtat aliquam enunciationem eſſe Dei verbum, eam firmiſſimo aſſenſu abſque vlla hæſitatione eſſe amplectendam, quia Deus cum ſit veritas ipſa fallere non poteſt. Sed in eo eſt tota difficultas, quomodo veritas prima reuelet ea nobis quæ ſunt credenda, cum tamen ſint obſcura omnia, non ſolum ea quæ ſunt fide ſuſcipienda, verbi gratia, quod Deus ſit trinus & vnus: quod CHRISTVS ſit in venerabili ſacramento, & ſimilia: ſed etiam ipſe reuelans obſcurus eſt, & ita obſcure reuelat interdum, vt homo cui ſit reuelatio vix percipiat eam: Sic enim Iob ait. *Si venerit ad me non videbo eum, & ſi abierit non intelligam.* Eſt quidem reuelatio manifeſta quæ fit ſanctis in cœlo, quia quę nos credimus ea ipſi manifeſte vident: Fuit etiam ſatis nota quæ facta eſt apoſtolis & prophetis non quod clare viderentur quę credenda proponebantur, habuerunt enim & Apoſtoli fidem, non claram eorum viſionem, ſed quia reuelans ipſe ita erat eis manifeſtus, vt Deum in ſe loquentem experirentur: Sicut legimus de Samuele in *libris Regum*, vbi ſic dicitur, *Dominus reuelauerat auriculam Samuelis, ante vnum diem quam veniret Saul dicens, Hac ipſa hora quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te & vnges eum ducem ſuper Iſrael*: Ita ſæpe fiebat verbum Domini ad Prophetas, & annunciabant illud non tanquam verbum ſuum, ſed tanquam verbum Domini, dicentes, *Hæc dicit Dominus*: Et Paulus ad Galatas. *Notum vobis facio Euangelium fratres, quod non didici ab homine, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Et neceſſe fuit à principio ea quæ ſunt fidei à Deo immediate reuelari angelo & homini, alias nūquam potuiſſent ſciri aut credi, quia ſuperant omnem intellectum creatum. Verum non ſolis Apoſtolis aut Prophetis reuelauit Deus ea quæ ſunt fidei, ſed etiam eorum auditoribus, ſicut in Actis dicitur de Lydia purpuraria, cuius *Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.* Non tamen omnes fideles habentes huiuſmodi Dei reuelationē internam, Prophetæ, ſunt aut Apoſtoli, quia reuelatio quæ ipſis fit obſcurior eſt, non ſolum ex parte rei reuelatæ, cum de ratione fidei ſit quod ſit obſcurum lumen, verumetiam ex parte reuelantis, quem vix ſentiunt aut percipiunt, quam quæ facta fuit Apoſtolis aut Prophetis.

Iob 9.

1. Reg. 9.

Galat. 1.

Act. 16.

3 PORRO quanquam de iis quæ fidei ſunt dubitare nullo modo liceat, neq; de veritate dicentis ſeu reuelantis Dei ambigere quis poſſit, tamen cum ea quæ fidei ſunt obſcure ſæpe proponantur, dubitare interdum

terdum

terdum licet quo ſenſu ea ſint accipienda quæ dicuntur. Hinc tanta varietas expoſitionum circa obſcuras Prophetias & Apocalypſin Ioannis, quorum oracula nõ videntur aliud quã ænigmata. Hinc Paulus, *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate:* 1. Cor. 13. Ænigma valde obſcurum eſt, de cuius veritate potius coniicimus, quã quod clare ſciamus, & inquirendo, ſtudendo, orãdo oportet veritatem eruere. Et cũ diuerſimode obſcura aliqua ſcriptura à diuerſis exponatur, interdum fit vt omnes verũ dicant, & idipſum dicant, quod is intendit qui prophetis huiuſmodi oracula inſpirauit & aperuit, qui vnico oraculo diuerſos ſæpenumero complectitur ſenſus; interdũ fit vt licet verum dicant, tamen id non dicant quod per eam prophetiam intendit qui auctor prophetiæ fuit. Prouenit autẽ huiuſmodi ænigmatica obſcuritas partim ex infirmitate intellectus noſtri, partim ex difficultate rei reuelatæ: Neq; fuiſſent huiuſmodi ænigmata in primo ſtatu, vbi primus homo per ſpeculum quidem, id eſt per ſimilitudinem rerum creatarum contemplatus fuiſſet ea quæ ſunt fidei, ſed nõ ita in ænigmate, quia de nulla re dubitaſſet, vt modo: Vnde *Hugo de S. Victo.* Homo in primo ſtatu nouerat creatorẽ ſuum nõ ea cognitione quæ foris auditu ſolo percipitur, ſed ea quæ intus per inſpirationẽ miniſtratur, non ea qua Deus modo à credentibus abſens fide quæritur, ſed ea qua per præſentiam contemplationis manifeſtius cernebatur, licet nec ei ita præſens eſſet ſicut beatis per lumen gloriæ. Hug. li. 1. de ſac. par. 6. c. 14.

4. CVM aliquid proponitur fide credẽdum, cuius aſſenſus non ſolum probabilis eſſe debet, qualis eſt opinionis, ſed firmus & certus ita vt excludat omnem formidinem de oppoſito, quia id quod fide diuina creditur, ita debet credi eſſe verum vt oppoſitum certo ſciat eſſe falſum; debet euidenter conſtare non ſolum eſſe credibile id quod proponitur credendum, ſed etiã à Deo profectum & reuelatum eſſe, alias ſi homo leuiter credat, periculo erroris ſe exponit, eo quod & Sathan qui transformat ſe in angelum lucis, oracula Apollinis tanquam à Deo profecta, hominibus proponere & perſuadere poſſit. Idcirco voluit Deus ſignis & miraculis confirmare quæ credenda propoſuit, iuxta illud Marci, *Domino ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: vt euidenter conſtaret res propoſitas non ſolum eſſe credibiles, ſed etiã à Deo profectas & reuelatas, ita vt excuſationem non habeant qui aut fidem ſuſcipere nolunt, aut ab ea ſemel recepta receſſerũt: Sic enim Dominus apud Ioannem dicit: *Si opera non feciſſem quæ nemo alius fecit excuſationem haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Marc. 16. Ioan. 15. Conſtat autem aliquid euidenter eſſe credibile, etiamſi non conſtet euidenter illud eſſe verum: euidentia enim veritatis oritur ex clara cognitione & viſione rei cognitæ: Euidentia autem credibilitatis oritur ab extrinſeco, ex miraculis & prodigiis quæ nemo niſi ſolus Deus facere poteſt, ex vitæ ſanctitate, ſana doctrina, & auctoritate eius qui huiuſmodi doctrinam credendam proponit. Quæ ſunt fidei, *inquit Auguſtin.* quodam mentis intuitu videmus ſecundum teſtimonia magis, quam ſecundum ipſarum rerum præſentiam ſeu viſionem. Aug. ep. 112. c. 4. Et quia veritas rei credendæ non eſt euidens in [illegible] fidei, ideo ad aſſenſum fidei requiritur infallibilis auctoritas diuina qua fidelis nitatur, vt non ſolũ probabiliter credat ea eſſe vera, ſed certo & infallibiliter: Aſſenſus quo exiſtimo tãtum probabiliter eſſe credibile id quod proponitur, ita vt metuam etiam oppoſitum poſſe eſſe verum, non patitur vt illud credam tanquam dictum à Deo: Ipſa autẽ credibilitas eſt euidens etiam antequam quis fidem habeat, quia aſſenſus credibilitatis non nititur diuina authoritate ſicut fides, ſed argumentis euidentibus, vtpote miraculis, vitæ ſanctitate, dicentis auctoritate & veritate, quia nõ ſolum fides facit res credibiles, ſed etiamſi alia quæ fidem præcedunt. Et poſita euidẽtia credibilitatis, poteſt voluntas imperare intellectui vt aſſentiatur rei propoſitæ. Iudæi viſis Chriſti

sti miraculis & audita eius prædicatione, credere nolebant, cum tamē credere possent, non quidem fide diuina quam non dum habebant sibi infusam, sed ex huiusmodi argumentis credibilitatis acquisita quæ euidenter conuincunt non tantum esse credibiles res fidei, sed etiā à Deo dictas & reuelatas: Et ideo fides ex iis orta quamuis diuina seu diuinitus infusa non sit, ita tamen certa est vt merito excludere debeat omnem formidinem de opposito. Et quia Iudæi hanc fidem ex euidētia credibilitatis ortum habentem reiiciebant, & motiua hanc euidentiam credibilitatis facientia perpendere nolebant, quia Christum oderant, ideo ad fidem diuinam seu diuinitus infundendam non peruenerūt. Fides autem diuina seu habitus fidei cum infunditur multum confert ad euidentiā credibilitatis rerum fidei ex apta dispositione ipsius credentis, sicut per habitum temperantiæ homo melius disponitur vt rectius iudicet de rebus moderatis. Ex omnibus itaq; argumentis istis simul coniunctis, quibus clare probantur credibilia esse, quę obscurius creduntur, motus psalmista dixit; Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psal. 92. Cum enim voluntas non possit imperare intellectui vt credat, pro suo libito, sed illustrari debēt intellectus & moueri aliqua ratione cur credat potissimum res supernaturales esse veras, quia tanta est obscuritas rerum credendarum vt non conuincant intellectū, quam sua euidentia obiecti necessitas intellectum ad assensum. Ideo tot requiruntur argumenta ad credendum.

PARS II.

Cum vidißet Iesus tibicines & turbam tumultuantem dicit illis, Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.

Matth. 9.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Plus diuino adiutorio quam subsidio humano tribuendum.*

II. *Mortui moderate non autem immodice deflendi.*

III. *De consolatione super morte amicorum suorum.*

ART. I. Plus subsidio diuino quam humano tribuendum.

1. QVOD Princeps hic accesserit Dominum, eumque adorauerit, maioris fidei videtur fuisse quam Regulus ille, de quo *Ioan.* 4. quem Dominum pro filio suo rogasse, non item adorasse legimus. Quo quis Christi bonitatem ac potentiam plenius, ac Dei maiestatem cognoscit perfectius, eo & maiorem reuerentiā ac timorem erga Deum ostendit, & seipsū profundius humiliat & demittit magis. Hinc fit vt summus in gloria angelus inter suos sit humillimus: Et vt *Origenes* ait (Hom. 3. in Cant.) quanto magis inspici potuerit oculis spiritualibus quod bonus & decorus sit sponsus, tanto speciosior inuenitur & pulchrior: & non solum illius species & pulchritudo apparebit mirabilis, verum inspicienti atq; intuēti eam decus ingens & species formæ noua ac mirabilis orietur. Cum itaque Princeps hic Christum adorauerit, seseq; ad terram vsq; inclinando humiliauerit, quasi indignum reputans qui staret erectus in conspectu Domini satis inde elucet maioris fidei hunc fuisse Principem, pleniusq; & Christi maiestatem & suā vilitatem agnouisse, quam Regulus ille de quo *Ioan.* 4. & ideo non hunc sed illum secutum fuisse.

2. CVM Christus surgens hunc Principem sequeretur, ecce mulier in via à profluuio sanguinis sanatur: Quod non sine causa factum existimo vt mulier in via sanaretur à sanguinis profluuio, filia autem in domo à morte suscitaretur, quia in hac vita quæ via est ad mortem oportet nos liberari de sanguinibus, hoc est, de peccatis per sanguinem significatis: iuxta illud Oseæ. 4. *Sanguis sanguinem tetigit*, vbi denotatur inundatio peccatorum quibus terra cooperta fuerat: vt sit sensus, Peccata peccatis addiderunt & sociarunt. & Zachar. 9.

Ausfe-

Digitized by Google

Auferam ſanguinem eius de ore eius, & abominationes de medio dentiũ eius hoc eſt, delebo ſcelera eorum, Nam per ſanguinem & abominationes idem ſignificatur. vnde *Leu.* 10 dicit Dominus. *Homo quilibet de domo Iſrael & de aduenis qui peregrinantur inter vos, ſi comederit ſanguinem obfirmabo faciem meam contra animam illius & diſperdam illum de populo ſuo*: Comedere ſanguinem eſt peccatis frui & delectari. & *Leuit.* 15. Mulier quæ fluxum ſanguinis patiebatur immunda erat, & qui eam tetigiſſet, veſtimenta ſua lauare debebat, & ipſe lotus aqua immundus erat vſque ad veſperã. Qua ceremonia ſignificatur quod coinquinetur non ſolum qui peccatum cõmittit, ſed & qui conſentit. Sanguis enim velut inſtrumentum videtur quo iniquitas perpetratur, ſiue quis libidine æſtuet, ſiue ira ſuccendatur, ſanguis quaſi bullire hominemque ſic agitatum quaſi in facinus impellere videtur. Cæterum cum ad terminum peruenerimus, mundari & liberari de ſanguinibus à Chriſto perfectam vitæ reſtitutionem, quam ſuſcitatio puellæ ſignificat, expectamus, quando mortale hoc induerit immortalitatem, quando domeſtici Dei omnes veſtientur duplicib. *vt dicitur Prou.* 31. quia gloriæ animæ etiam accedet gloria corporis.

Luc. 8. 3. Hæc mulier vt Lucas teſtatur erogauerat omnem ſuam ſubſtantiã in medicos nec ab vllo potuit curari. Hic latenter duo dogmata nobis inſinuantur: vnum quod ſpiritum attingit: alterũ quo docemur qualiter in neceſſitate conſtituti ſubſidio humano vti oporteat. Et quantum ad illud quod ſpiritualem ſenſum concernit, attinet, hoc obſeruandum quod ſicut naturali virtute medicamentorum & arte medica mulier hæc ſanari non potuit à profluuio ſanguinis. Ita q̃ peccatis ſunt defœdati & ſanguinolenti, nulla aut Philoſophorum doctrina, aut veteris legis cognitione, aut vllo ſubſidio humano emũdari potuerunt, ſed ſola virtute Dei. Sic enim Dominus *Sapien.* 16. teſtatur ſub figura eorum qui à ſerpentibus in deſerto percuſſi fuerant *Etenim neq; herba*, inquit, *neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo qui ſanat omnia.*

4. Qvo ad alterum, etiã humana ſubſidia ſunt adhibẽda vt quis iis iuuetur neq; n. fruſtra ſuis creaturis virtutem medẽdi indidit Deus: Sed ſi ea minus ſufficiunt ad Deum confugere oportet. Sic Iacob vt fratrem ſuum Eſau ſibi placatum redderet ei munera mittit, & humanitate atq; omni obſequio quo potuit eum placare ſtuduit: Sed quia hęc minus ſufficere exiſtimauit, ad Deum confugit, ſimul deprecans eum vt ipſum de manu fratris ſui Eſau erueret, quem valde metuebat. Non igitur media humana ſunt negligẽda, ſed diſcrete adhibenda, ita nimirum ne quis iis nimium confidat. Nam propterea legimus Deum iratum contra Aſa Regem Iuda, 2. *Paral.* 16. quod cum dolore pedum vehementiſſimo laboraret, nec in infirmitate ſua quæſiuerit Dominũ, ſed magis in medicorum arte confiſus ſit. Non merebatur indignationẽ Domini quia arte medicorum vtebatur, ſed quia totam ſuam fiduciam in medicorum induſtria repoſuerat. Magis enim ad Deum quam ad pręſidium humanum confugiendum.

5. NAM vt recte Auguſt. ait *in Pſal* 45. explicans illa verba. *Deus refugium noſtrũ & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis*. ſunt quædam refugia vbi non eſt virtus, quiſque cum fugerit, magis infirmatur quam confirmetur. Sunt enim qui confidunt in virtute ſua & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. Fiducia hæc omnino periculoſa eſt & ſtulta, *inquit Bernardus* cum enim vita pręſens fragilis ſit & incerta, ſimile neceſſe eſt quicquid fundatur in ipſa. Quis enim ſuper fragile fundamentum ſtabile credat ædificium? Eſt alius qui confugit ad aliquem qui in ſeculo potens ſit ſimul & malus, vt faciat eum ſibi amicum, refugium videtur, ſed fragile & incertum. Tanta enim huius ſeculi in incerto ſunt, & ita potentum ruinæ quotidianæ crebreſcunt, vt cum ad tales confugeris, plus tibi timere incipi- Bern. in pſ. 50.

ne vt honores discedentem: Tu autem cõducis eos qui nostra condemnant. Quid hac inductione turpius: Confundimini: si autem non vultis, nos non patiemur amplius talia mortifera introduci. Nam propter mortuos immodeste plangere eorum est, inquit, qui spem resurrectionis aut futuræ vitæ nõ habent. Nam animus resurrectionis ignarus merito mortuos tanquã perditos plangit. Imo nec hi immoderate lugendi, quia facta non licet rescindere, aut luctibus emendare. Quanto minus ij luendi sunt qui à labore transeunt ad requiẽ, & ex hac vita tãquã tumultuoso mari procellis plena transuehuntur in portum quietis ac salutis. Nam hac de causa Paulus mortuos vocat *dormientes*, tanquã ab opere diurno quiescentes. Et hos tu luges?

Chryso. hom. 6. ad Thessal.

Paulus ad Thes. Hæc Chryso.

3. SED inquies cum homines simus, de morte hominis non dolebimus? Et quomodo potest non dolere qui filium, qui maritum, vel vxorem amisit? Nunquid hoc ego prohibeo inquit: non lugere sed immodice & impudenter lugere vero: nõ sum ita inhumanus, cum & Christus super Lazaro lachrymatus fuerit. Eius sequere exemplum, & lachrymare, sed moderate & leuiter & cum Dei timore. Si hac ratione lachrymas fundes, non resurrectionis diffidentiæ argueris, sed ægre ferre carissimi seiunctionem videberis: Nam & peregre proficiscẽtes lachrymis prosequimur non tamẽ vt mortuos, ita & tu lugeas tãquam præmiseris peregrinum quo & tu venturus es. Quod si peccator fuerit is qui mortuus est, nitere quantum potes vt iuuetur, non lachrymis, nihil enim illæ adferũt vtilitatis, sed eleemosynis, precibus, oblationibus. Non enim temere hoc excogitatum est, nec frustra memoriã mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro istis agnum illum peccata mundi tollentem deprecantes, sed vt his consolatio hinc aliqua sit. Nec temere qui altari assistit inter horrenda mysteria clamat, Pro omnibus in Christo quiescẽtibus. Nam si filios Iob victima patris purgauit, quid dubites à nobis quoque si pro dormientibus offeramus, solatii quiddam illis accessurum? Non igitur lugendũ etiã si peccator mortuus sit, quin in hoc lætandum, *inquit Chrysost.* quod malitia eius abscissa sit, finemque peccandi fecerit. Quod si iustus mortuus sit, rursum lætandũ quod in tuto collocatur, quod liberatus est futura formidine: Si iuuenis quod è medio malorũ ereptus est: Si senex quod eo diutius vsus sis & quod vitæ satietate, quod maxime desiderabile videbatur, hinc migrauit. *hæc Chrysost.*

Chryso. hom 98. in Ioan.

Chryso. hom. 21. in 1. ad Corint.

4. ET quomodo non lugebit, inquies quæ maritum amisit, & se iam solam omni subsidio destitutam inuenit? Hoc non est cur dicas, *inquit Chrysost.* Nam amittere Rectorem Deum, nisi velis, non potes: quantisper hunc habes coniuge, patre, filio, affine quouis præstabit, vt qui superstitibus etiam his faciebat omnia. Dic igitur cum Psalmista, *Dominus protector meus à quo trepidabo?* quandoquidem tu pater orbis, iudex viduis es? Sed filiũ amisi baculum senectutis meæ: Non amisisti, ne dicas, somnus ea res est, non mors: transitus non interitus, peregrinatio ab humili loco ad altissimũ suscepta. Si in morte mariti vel filij cogitaueris quis sit ille qui abstulit, & fortiter id tuleris, voluntatem istam sacrificiũ exhibebis Deo, & euadere procellam istam facile poteris, si quod tẽpus solet, id tu ratione efficias & philosophia: Quod si in lachrymas diffluas tota cessabit nihilominus cum tempore dolor, & præmium tu nullum reportabis. Caue irrites Deum, sed propitium tibi redde: si feras generose magnũ tibi ex ea re, & mortuo ipsi solatium erit: si feceris cõtra, magis diuinam iram accendes. Caue igitur faxis, orans potius age, quomodo illã tristitiæ nubem dispergat. Dic, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Si cogitaueris Deum abstulisse illum, quem mortalem filium aut maritũ habebas; mox consolaberis. Homo natus & mortalis, quid doles quod secundum naturam contigit? Mortalis natus es, noli-

Chryſo. hom. 69. ad pop.

Præter hæc autem & illud cogita, quod licet nos non audias, *inquit Chryſoſt.* omnino tibi tempore perſuadebitur, ſed nulla tibi tũc merces? ex dierum namq; multitudine conſolatio accedit. Si vero nunc fide & ratione te regere velis, duo maxima lucraberis: Nam & te malis in medio poſitus abſolues, & à Deo præclaram accipies coronam, ærumnam æquanimiter tolerans. Ne conſideres illud quod non amplius domũ reuertetur, ſed quod paulo poſt & ipſe ad eum ibis. Ad hæc & illud cogita quod non immortalem genuiſti, & niſi nunc mortuus fuiſſet, hoc paulo poſt ſuſtinuiſſet. Quis quæſo mortalium mortẽ euadere potuit? Egredere ad mortuorũ ſepulchra, & vide ibi obſecro myſteria, videbis dilapſam naturã oſſa corroſa, corpora putrefacta. Conſidera ibi quis ſapiens, & quis prudẽs, dic mihi quis hic Rex, quis ſeruus, quis Dominus, Vbi pulchritudo illic adoleſcentiæ vbi gratioſus aſpectus, vbi oculi ſpecioſi, vbi fragrantia labra, vbi frons radians. An non omnia cinis, Nonne omnia puluis, Nonne omnia vermis & putredo. Hæc animis inſerentes, & extremum diem in animo collocantes, operemur bonum dum dies eſt, & dum tempus habemus conuertamur ad Dominum.

Chryſo. ſer. 1. ex 65 variis.

Hæc. Chryſo.

III. De conſolatione ſuper morte amicorũ ſuorum.

Hom. 4. in Ep. ad Hebr.

1. IAM mortem minus quam olim metuere oportet, quia teſte Paulo ad Hebræos 2. *Chriſtus liberauit nos quotquot timore mortis per omnem vitam obnoxii eramus ſeruituti.* Quẽ locũ explicans *Chryſoſt.* ſic ait. Quid timetis mortem quæ iam cõdemnata eſt? & nullius momenti facta. Prius quidem timore mortis per omnem vitam obnoxii erant homines ſeruituti, quia qui mortẽ timet, ſeruus eſt & omnia patitur ne moriatur, ita vt cum perpetuo timore viuerent ſemper ſe mori expectãtes nullum voluptatis ſenſum capere poterant hoc timore apud eos manente. Vnde Iulius Cæſar dicere ſolet ſe ſemel malle mori, quam perpetuo mortis metu torqueri. Ab hoc metu Chriſtus liberauit, quia moriendo mortem vicit & deſtruxit, iuxta illud Ozeæ cap 13. Ero mors tua ô mors, quia in ſuis electis poſt reſurrectionẽ perfecte vicit & occidit mortem Chriſtus. Nam teſte Paulo *cum mortale hoc induerit immortalitatẽ, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoria.* Nam quod occidimur, agimus vt penitus nõ ſit, quia ergo in electis ſuis funditus Dominus mortẽ occidit, mors mortis extitit, *inquit Augu.* Hoc ergo incepit impleri in die reſurrectionis Chriſti, quãdo eduxit patres ex limbo tũc fuit Chriſtus morſus inferni, partẽ inde auferens, & partẽ relinquẽs, ſed perfecte implebitur, in die iudicii, quãdo penitus occidetur mors in electis. Ab hoc metu mortis liberati liberius degunt etiãſi perſecutionẽ patiantur & omnibus bonis ſuis ſpolientur, quã qui in deliciis conſtituti per omnem vitam ſub timore mortis agũt, ab hoc enim timore illi liberati mortẽ derident, *inquit Chryſoſt* quam alii horreſcunt.

1. Cor. 15.

Auguſt. ſer. 137.

2. HINC Hieron, *in epiſt. ad Thyraſi. to.* 9. quem conſolatur in morte filiæ, ſic ait, Reſurgere credimus mortuos & plangimus? Quid faceremus ſi tantumodo ſine ſpe reſurrectionis hinc nos eriperet Deus? Quod dederat abſtulit, quod ad tẽpus acceperas, repetiit. Commodauerat vt haberes quantocumque tempore voluiſſet, vt cum vellet rurſum auferret: Nihil abſtulit tuum qui dignatus eſt recipere proprium. Nemo lugere debet cum aliquid reddiderit alienum. Plangimus Domini beneficia, dum plangimus de ſeculo recedentes. Periclitari adhuc volebat qui dolet aliquem dormientem, & inter fluctus vitæ præſentis videre cupiebat miſerum laborare. Nunc autem raptus eſt ne malitia mutaret intellectum. Multa enim in hac vita nobis obiiciuntur ſalutis impedimenta, tam à dæmone quam à mundo & carne, quæ cũcta ſuſtulit mors dum hominem peregrinum transfert in propriam patriam. Ex quo fit vt bonis amicis gratulemur, & cum mors eorum nos cõtriſtet, ipſa nos certius cõſoletur, quoniam

Digitized by Google

niam malis caruerunt. Et in *Epist. 3. ad Heliidor. to. 1.* quem consolatur super morte Nepotiani nepotis sui, *sic ait*, Ne doleas q̃ talem amiseris cuius tu semper virtute lætatus es, sed gaudeas quod talem habueris. Vince quantum potes, imo plusquam potes, mollitiem animi tui, & vbertim fluentes lachrymas reprime, ne grandis pietas in nepotem apud incredulos desperatio putetur in Deum.

3. DESIDERANDVS est tibi quasi absens non quasi mortuus, vt illum expectare non amisisse videaris. Verum quid ago medens dolori, quem iam reor & tempore & ratione sedatum, & non potius repeto tibi nostri temporis calamitates, vt non tam plangendus sit qui hac luce caruerit, quam gratulandum ei qui de tantis malis euaserit. Et tamen viuere volumus, eosque qui his carent flendos potius quam beatos putamus. Xerxes ille Rex potentissimus, qui subuertit montes, flumina & maria constrauit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem & innumerabilem vidisset exercitum, fleuisse dicitur, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus ascendere speculam de qua vniuersam terram sub pedibus nostris cerneremus, iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regna collisa, alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad seruitutem trahi: hic nuptias, ibi planctum, illos nasci, istos mori, alios affluere delitiis, alios extrema paupertate premi, & non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc viuunt, in breui spatio defuturos.

Redeamus igitur ad nos & paulisper nostra videamus: Satisne obsecro te, quãdo infans, quando puer, quando iuuenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis? Quotidie morimur, & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum q̃ dico, quod scribo, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur, & cum instar fluminis, cuius impetum nemo impedire potest dilabamur omnes, in eodẽ statu nos permanere putamus.

4. LACHRYMAS pro amico defuncto immoderatas effundere res est non amoris, *inquit Chrysost.* sed turbationis & animi parum sapientis. Nã si defunctũ diligeres, gauderes profecto, quia fluctus præsentis vitæ enauigauit. Fuisse quidã ferũtur populi, *inquit Ambro.* qui ortus hominũ lugerent, obitusque celebrarent: Neq; imprudenter, Eos enim qui in hoc vitæ stadiũ venissent mœrendos putabant, tanquã qui variis miseriis subiiciendi forent: Eos vero qui ex mundi istius procellis & fluctib. emersissẽt, nõ iniusto gaudio prosequẽdos arbitrabantur. Nos quoque ipsi natales Sanctorũ obliuiscimur, & eũ quo obierint diem celebri solennitate renouamus. Nã mors iustorũ mala nõ est, quia iã pericula euaserũt, & tuti beatitudinẽ possident: Est enim mori ipsis sanctis ærumnarum omnium malorumq; perfugiũ, & fida statio securitatis ac portus quietis. Quas non procellas tẽpestatesq; patimur in hac vita? Cuius parcitur meritis? S. Patriarcha Iacob profugus patria domum paternam exilio mutauit, odium fratris sustinuit, stuprum filiæ pertulit, alia crimina pessima de filiis audiuit. Sic Dauid filios amisit duos, vnum incestum alterum parricidã, vt nemo sibi aduersi aliquid accidisse indigne ferat, & contra meritũ suum se queratur afflictum.

Chryso. hom. 32. in Matth.

Amb. in ora. de fide resurrect.

5. DOLES quod amicus carissimus occiderit, verũ hoc nobis cõmune non solũ cũ hominibus, sed etiã cũ integris ciuitatib⁹, quas plurimas videmus subuersas & dirutas, imo cũ ipso mũdo ac elemẽtis nobis hæc cõmunia sunt, quia ad tẽpus credita in perpetuũ seruare non possumus. Gemit terra sub aratris vt fructus annuos fœta pariat, & cũ se vario flore vestierit, exuitur proprio & spoliatur ornatu. Quantos hæc raptores habet, nec fructum suum quærit amissum, quoniam ideo generauit vt amitteret, neque in prosterum negat quod sibi nouit auferẽdum. Quid gratius luce, quid sole iucundius, scilicet & hic quotidie

Hæc Ambrosius.

Digitized by Google

tidie occidit, & tamen deceſſiſſe à nobis non moleſte ferimus, quia repræſumimus, *inquit Ambroſius* & doceris in his quam in tuis debeas exhibere patientiam, vt ſi ſuperiora occidunt nec dolori ſunt, cur ſi humana occiderint doleatur. Quid enim mirabile & inauditum factum eſt? An nō eadem quotidie reuolui videmus? diem nox extrudit, nocti decedenti dies ſuccedit. Et hæc quidem ſemper eadem. Mala vero alia atque alia indies: Et alia quidem mala iam ſubeunda, alia vero timenda ne ſubeamus. Et non poteris vnquā dicere, quod quis poſſit longū iſtius vitæ pelagus abſque dolore, metu, triſtitia, aut cura nauigare. Et in tantam malorum abyſſum rurſum ingredi defunctū tuum cupis? Ad hæc etiā illius tibi rationis memoria veniat non immortalem te genuiſſe, ſed ſi nunc diem ſuum non obiiſſet, paulo poſt certe ad hoc ipſum perueniſſet. Quod ſi etiam tam præſentis vitæ quā futuræ conditionem intellexeris, hāc quidem aranearum eſſe telam & vmbram, illam vero immobilem & æternam reperies. Nunc vero filius tuus ab omni mutatione rerum ereptus eſt.

6. ITA, inquies, ſi vitam poſſideat æternam. Quod ſi maculis inquinatum abiiſſe metuis, da ſibi ſua vt illis ſe à maculis detergat: magnificas ædes quas ei viuenti relicturus eras, agros, cæteraque bona terrena multo tutius illi poſt mortem relinques, *inquit Chryſoſtom.* quam ſi viueret. Quod ſi multa barbaræ gentes vna cum defunctis res eorum cremare ſolent, quanto æquius defuncto filio tuo tua tradere potes, non vt in cinerem redigantur, ſed vt glorioſum illum magis reddāt dum in eleemoſynas erogantur. Quod ſi etiam crimini obnoxius fuerit mortuus finem tamen peccandi fecit. Nam ſi pœnitentiam fuiſſet acturus, Deus cui omnia patent, non antea quam eam egiſſet, ipſum rapuiſſet, *inquit Chryſoſt.* Itaque depone mœrorem ſi potes, reprime & include ſi non potes, *inquit Ambr.* aut abſorbendus omnis, aut deponendus eſt dolor.

Chryſ. ho. 32. in Matth.

Ambr. vt ſupra.

Cur enim triſtitiā tuam non ratio potius, quam dies leniat? Nam quod obliteratura eſt temporis ſeries; melius prudentia mitigabit. Lyciorum feruntur eſſe præcepta, quæ viros iubeant muliebrem veſtem induere, ſi mœrori indulgeant eo quod mollem & effeminatum talem iudicarent. *hæc Ambroſius.*

DOMINICA VLTIMA
POST PENTECOSTEN.

CVM videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat, tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, &c. Matt. 24.

Summa eorum quæ hic explicantur.

I. *Explicantur priores huius Euangelii partes.*

II. *De Antichriſto & ſignis aduentus eius, de doctrina, miraculis, & perſecutione eius.*

PARS I.

ART. I. Explicantur quædā partes Euangelii.

1. *CVM videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, tunc qui in Iudæa ſunt fugiant ad montes.* Per abominationem deſolationis non idem intelligunt omnes, ſed diuerſimode illud exponūt, ſicut fieri ſolet in obſcuris ſcripturæ locis, quæ diuerſos admittit ſenſus & interpretationes: Et fieri poteſt quod Spiritus ſanctus, qui eſt auctor ſacræ ſcripturę, eadem ſententia omnes iſtos ſenſus intenderit etiā primo & principaliter, eo quod ſcriptura ſancta ſæpe diuerſos admittit ſenſus literales, *teſte Auguſtino*, quorum vnus ab vno interprete explicetur, alter ab al-

ab altero, vt quamuis diuersa dicant, non tamen inuicem sibi contrarientur, quia quod vnus prætermittit, hoc alter exprimit & contra. *Irenæus* itaque, *Hilarius*, & *auctor imperfecti* hoc loco, hoc ad finem mundi referunt & ad tempora Antichristi, quem per abominationem desolationis intelligunt, qui in templo Dei sessurus dicitur, *ostendens se tanquam sit Deus*, inquit Paulus ad Thessal. *qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus aut colitur.* Estque omnino verisimile quod hoc loco etiam ad tempora Antichristi respexerit Christus: quanquam & de Ierosolymitana vastatione locutus sit Dominus, quia de ea prius interrogauerant apostoli, occasione huius dicti, *Non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur*, & dicunt Apostoli, *Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui & consummationis seculi?* Hic patet quod de vtroque rogauerint Apostoli, de vastatione templi, scilicet, & consummatione seculi. Quapropter *Augustinus* in suis epistolis, & Petrus apud Clementem, *lib.* 5. referunt abominationem desolationis, hoc est, abominabilem desolationem, vt sit Hebraismus, ad vastationem templi & Hierusalem: sic enim Petrus loquitur ibidem ad Iudæos, Et vos quoniam non vultis agnoscere emensum esse tempus hostias offerendi, ob hoc & destruetur templum, & abominatio desolationis statuetur in templo & loco sancto, quasi dicat, cum videritis abominandam illam vrbis templiq; desolationem à Daniele prædictam, esse impletam, intelligetis sublatum esse sacrificium, actumque prorsus de populo Iudaico, ita vt non amplius quemadmodum post Babylonicum exilium acciderat, vrbs templumque sint reædificanda, nec amplius sacrificia sint restauranda, sed legem ac sacrificia penitus esse abrogata: sic enim Daniel prædixit, *Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.*

Irenæus lib. 5. ca. 2. con. hær.

2. Thess. 2.

August. epist. 80.

Ioseph. de bel. Iudai. lib. 4. 5. & 6. c. 1. 2.

2. REFERT *Iosephus* quod ante obsidionem à Tito factam, excitata fuerit seditio inter Iudæos à Zeloticis qui ad templum confugerant, quod abominandis sceleribus polluebant. Ita vt hanc colluuiem seditiosorum hominum nonnulli hoc loco abominationem desolationis vocitent, quæ ipsis Iudæis Christianis in signum deuastandæ ciuitatis data fuerit, vt qui tunc temporis Hierosolymis agebant inde recederent & fuga sibi in montibus consulerent: Nam *ibidem* subiicit *Iosephus*, verus quidam sermo ferebatur, tunc demum ciuitatem captam iri, sancta quoque flammis exurenda esse lege belli, cum seditio esset exorta, phanumque Dei propriæ manus ante violassent. Non facile hominem aut nationem deserit Deus, nisi eo iniquitatis processum fuerit, vt abominatio desolationis stet in loco isto, nisi eo malitia excreuerit vt spes emendationis futuræ nulla supersit: cum vero quis ita abominabilis factus fuerit vt emendationis vix vlla spes superesse videatur, tunc imminet ruina & desolatio eius. Sic legimus in *Genesi*, quod cum multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tẽpore, pœnituerit Deũ quod hominem fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, dixerit, *Delebo hominem quem creaui à facie terræ, pœnitet enim me fecisse eum.* Quamdiu vero spes est emendationis futuræ, parcit, & locum pœnitentiæ tribuit, quod si temporis interea resipiscat homo, ignoscet Deus. vnde Sapiens, *Quod si inimicos seruorum tuorum & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione & liberasti, dans tempus & locum per quæ possent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicasti filios tuos.*

Gen. 6.

Sap. 12.

3. TVNC *qui in Iudæa sunt fugiãt ad montes.* q. d. cum audieritis prælia & præliorũ opiniones, & cum videritis abominationẽ desolationis, quæ sunt signa futuræ deuastationis, tunc qui sunt in Iudæa fugiãt ad montes, vt illa particula, tunc referatur ad omnia quæ prius fuerunt dicta: quia sicut Iudæis consulebatur vt cum viderẽt

abo-

Digitized by Google

abominationem desolationis, fugerēt ad montes & ibidem se saluarent, ita & cæteris suadetur vt cum audiunt prælia & vident imminere grauem aliquam calamitatem, similiter sibi prospiciant, sicut Loth suaserunt angeli, vt dum interiret Sodoma, ipse ad montem cōfugeret. Scribit *Euse.* Christianos qui imminente Ierosolymitana calamitate in vrbe erant, diuinitus admonitos, vt inde effugerent ad loca montana vltra Iordanem, in quibus morabatur Agrippa Iudæorum amicus & Romanorū socius, vbi seruati fuerunt qui eo confugerant. Ita enim Deus amicis suis prouidere solet, vt cū in grauem aliquam calamitatem qua purgari vel probari debent, incidunt, simul & refugium & consolationis asylum illis præparet, verbi gratia, cū familia Iacob fame premeretur, Ioseph in Ægyptū præmisit vt ibidem ab eo sustineretur: cum ipsum Ioseph fratres eius occidere vellent, mouit cor Ruben & Iudæ vt per eos à morte eriperetur: cum tempore Eliæ orta esset fames magna, coruo præcepit qui pasceret Eliam Dei seruū: sic tempore obsidionis Hierosolymitanæ certa præparauit Dominus suis refugii loca vt ibi saluarentur. Porro cæteri Iudæi qui non solum in Christum non crediderant, sed eū etiamnum persequebantur, non modo admoniti non sunt, verū ex omni Iudæa, partim metu, partim festi Paschalis causa in vrbē adducti, in eaque conclusi, quasi victimæ mactabantur: Circumduxerāt enim murum Romani circum ciuitatem Hierosolymam vt nulli pateret effugium: Et ideo quod hic dicitur, *Fugiant ad montes*, intelligitur dictum ante obsidionem à Tito factam, præcesserat enim quædā alia obsidio à Sexto Floro facta, qua monebātur Christiani vt inde recederent & fuga sibi consulerent: quam obsidionem postea soluit Florus.

Euseb. lib. 3. c. 5. eccl. histor.

4. OPORTET & nos dum in graui aliqua calamitate cōstituti sumus, ad mōtes cōfugere, ad eximios sanctos oculos attollere, iuxta illud Psalmistæ, *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi:* idque duplici de causa, aut vt ipsorū exēplis prouocati discamus & nos in tribulationibus constituti fortes fieri: Nihil est enim quod infirmos animos ita confortat atque sanctorum exempla: vnde Iacobus, *Exemplum accipite fratres, exitus mali laboris & patientiæ, prophetas qui locuti sunt in nomine Domini: Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt: sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quod misericors Dominus est & miserator.* Rursum Paulus ad Hebræos, *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Neque enim sufficere nobis debet si quoquo modo iusti fuerimus, sed perfectionem exempla imitando, perfecti & stabiles etiam ipsi esse nitamur, quo sic inter peruersos exorta persecutione illæsi persistamus. Ad hoc nos exhortatur Petrus cum ait, *Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur.* Secundo modo oportet vt ad montes fugiamus, & oculos mentis ad sanctos Dei tollamus, vt qui propriis meritis saluari non possumus, eorum precibus iuuemur & liberemur. Sunt enim non pauci in ecclesia Christi, neque tam mali vt rāquam inimici à Deo perdi mereantur, neq; tam boni aut sancti vt propriis meritis saluētur, sed aliorum egent patrocinio & intercessione vt quod propriis precibus obtinere non valent, aliorum meritis & orationibus impetrent. Quos adhortatur Dominus vt sibi faciant amicos de mammona iniquitatis, vt sanctos promereantur, *Et ego vobis dico*, inquit, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.*

Psal. 120. Iacob. 5. Hebr. 1. epist. cap. 3. Luc. 16.

5. QVI *in tecto sunt non descendant aliquid tollere de domo sua.* Cætera quæ sequūtur, si literā spectes, significant ingentē & repētinā futuram calamitatem, quam vt quis effu-

Digitized by Google

effugiat omnem remoram abrumpere debet, adeo vt res etiam alioquin necessarias potius relinquere oporteat, quam vt si eas saluare velit se periculo pereundi exponat, quia nihil debet homini tam esse charum, non aurum non opes, non vxor, nō proles, quā salus propria, adeo vt si calamitas ingruat potius saltu ex tecto eam effugiat, quā quod in domo est conseruare & secū auferre volēs, hoc modo moras nectendo se perditioni exponat. Quid n. profuerit homini *si vniuersum mundū lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* vnde mercator exorta tempestate ea ipsa è naui eiicit & perdit, pro quibus cōquirēdis se prius periculis subiecit. Quapropter viri sancti dū sapienter huius mūdi interitū prospiciunt, quem nobis & pestis, & fames, & bella indies minantur & prænunciant, id summo studio agunt, nō vt hæc tēporalia bona cōgregent aut cōseruent, sed vt animas suas pie, sobrie & iuste viuēdo, saluas faciant. Et ideo dū in tecto sunt & altius conscenderint vt relictis terrenis, meditationi ac contēplationi rerū cœlestium animum iā intendere cōsueuerint, hoc vnice agunt vt retro nequaquam respiciant, nec spiritu aut virtute, redeundo ad bona terrena quæ deseruerunt, deficiāt aut minores fiant, descēdit enim qui deficit, ascendit qui proficit. Similiter dū in agro sunt, vt se instar agri diligenter excolant qui fructus bonorum operum proferre queant, non reuertātur tollere tunicā suam, non deserant virtutū exercitia propter bona terrena quantūuis necessaria, quia minori dispendio oportet redimere maius, vt fruct⁹ spirituales colligas, æquo animo rerum terrenarū dispēdia sustineas. Si damnum sustines, cogita tecum, tanti venit tranquillitas, tanti cōstantia, gratis nihil acquiritur. Quis vero aureis ærea nō permutet? Quis maxima animi bona rerū externarum iactura non redimat? Si simul res externas & animi tranquillitatē seruare nequeas, potius illarum quam huius damnum subeas, multum enim perdit qui animi mansuetudinem & cordis pacem amittit. Hinc Dominus apud Matthæum, *Et qui vult tecum contendere in iudicio, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.*

Lucæ 9.

Matth. 5.

6. ORATE *ne fiat in hyeme fuga vestra aut sabbato.* Quia sicut duo illa fœminarū genera, prægnantium & nutrientium, ita duo hæc tempora hyems & sabbathum minime ad fugam sunt apta: hyems quia frigore horrida, lutosa & pluuiosa; sabbathum quia religione Iudæi prohibebātur vltra mille, aut vt alii volunt, bis mille passus procedere: Ita *Augustinus* in quæstionibus Euangelicis. Loquitur hic Dominus ex Iudæorum consuetudine & opinione, qui etsi non debebant prædicato Euangelio iā sabbathum obseruare, tamē illud obseruaturi erant etiā tempore excidii Ierosolymitani: bis reprehendendi & quia superstitione tenebantur, & quia ea impediti mortem effugere non poterant. *Hilarius* prædicta allegorice explicat hoc modo, videte ne in illo die in peccatorum sordibus, aut frigore, vel in otio bonorū operum reperiamini. Hyems est dum quis ita frigidus est vt nullam in se sentiat caritatis scintillam, ita obduruit vt ad Deū nullum sentiat pietatis affectum, ita cor habet oppletum variis turbationibus & passionibus, quibus tanquam quibusdam tempestatibus huc illuc que impellitur, vt vix vllam vnquam in se sentiat conscientiæ tranquillitatem. Solet qui variis agitatur turbationibus & passionib. vel potissimum tunc optare mortem, hoc sibi persuasum habens quod per mortem euasurus sit omnem afflictionem, & non prȩuidet quod in maiorem incidet, teste Amos, qui dicit, *Væ desiderantibus diem Domini; ad quid eam vobis? dies Domini tenebræ & non lux: quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus.* Poti⁹ homini turbationibus pleno spatium pœnitētiæ postulandū, donec hyems transeat, & passio omnis sopiatur & sanetur. Sic orandū ne quis sabbatho fugere cogatur, ne dum otio torpet, & præ ignauia nullos bonorum operum fructus congregat, hinc abripiatur

Aug. lib. 1. c. 37. q. Euangel.

Amos 5.

Digitized by Google

cipiatur, quia *omnis arbor qua non fert fructum bonum excidetur & in ignem mittetur:* Neq; enim vult Deus vt quis in eius conDeut. 16. spectu appareat vacuus, *vt dicitur in Deu.* Non vult Dominus aut remissos esse aut otiosos, sed bonis operibus intentos, vt omni tẽpore nos possit inuenire paratos. Sed neq; vinculis cupiditatum nostrarũ vult nos constringi, aut eas vllo modo vult nos fouere aut enutrire; ideo dicit, *Væ prægnantib. & nutrientibus in illis diebus.* vt enim illæ vteri, hæ lactentium infantum onere, grauatæ fugere non possunt, aut non poterunt persecutionis tempore, ita qui amore rerum terrenarum, tanquã graui onere inuenientur impediti effugere non poterunt superuenturam futuri seculi calamitatem. Solet autem Deus futuras calamitates prædicere & minari, ne cogatur eas peccatori inferre si impœnitens permaneat, vult autem vt sibi tẽpori prouideat ne in eas incidat: vnde sic apud Zach. 2. Zachariam, *O, O fugite de terra Aquilonis dicit Dominus, ô Sion fuge, qua habitas apud filiam Babylonis.*

II. De Antichristo, & signis aduentus eius, &c. 1. TVNC *si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere.* Quãdo tempore persecutionis, de fidei veritate quæstio exoritur, solent tunc plurimi pseudochristi & pseudoprophetæ exurgere, venditantes se veritatis doctores & saluatores: hoc enim propriũ Christi munus, ab errore liberare & saluare, vnde & Saluator dictus. Fuerunt autem diuersi pseudochristi, qui se Messiam in lege promissum dicerent: sicut ille Barchochoba Eufeb. lib. 4. c. 6. eccl histor. de quo apud *Eusebium*, sub quo Iudæi Romanis se bellãtes in Bethara oppido vnico Ierosolymis, quod sibi in Metropolim delegerant, post longam obsidionem, in qua fame & siti grauiter fuerunt afflicti, tandẽ cum suo Duce à Rufo Iudæa præside penitus fuerunt extincti. Fuit inter eos & Mahumetes vnus, Turcarũ Messias, qui cũ se Christum esse multis persuasisset, omnib. suis affeclis in ipsum credentibus magnã fœlicitatem in diuitiis, honoribus & voluptatibus consistentem adduxit & promisit. Sed & hoc tempore Lutherus, Caluinus, Mennon & similes hæresiarchæ, quamuis se Christum esse non asserant tamen in sola sua congregatione synceram Christi fidem esse asseuerant: idq; quantum possunt signis confirmant. Inter quæ illud censeri potest quod inter Anabaptistas refertur euenire, vt qui apud eos rebaptisati fuerint, post calicis cuiusdã potionem, mox cum omnium admiratione, scripturas sacras firmius memoria tenere dicantur, quam qui in eis assidue fuerint versati: & in alios homines veluti mutati etiam mortem pro suæ sectæ defensione intrepide subeãt, omnesq; suas facultates in commune libenter conferant. Sed omnium maxime se pro Christo vẽditabit qui cõmuni vocabulo Antichristus dicitur, *cuius est aduẽtus*, teste Paulo ad Thess. 2. Thess. 2. *secundum operationem Sathanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt vt salui fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio.*

2. HIC dicitur Antichristus quia Christo contrarius: & contrarius non quomodocumq;, sed ita vt cum eo de sede & dignitate Christi certet, ita vt velit haberi Christus, deiecto & reiecto eo qui vere est Christus. Multi veteres animaduertentes suorum temporum malitiam suspicati sunt tempora Antichristi imminere, ita vt temporibus Apostolorum putauerint & Thessalonicenses instare diem iudicij. Item *Cyprianus sic ait*, Scire debetis & Cypr. libr. 4. epist. 6. pro certo credere & tenere pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum seculi, atq; Antichristi tempus appropinquasse *Gregorius*, qui amplius quam trecẽ- Greg. ho. 6. in Euãg. tis annis vixit post Cyprianum dicebat suo tempore mũdi finem instare. Sed istæ suspiciones erant non errores, non enim Sancti Patres certum tempus definire ausi Lactãtius lib. 7. c. 25. sunt: *Lactantius* tamen audacius loquens certum tempus constituit dicens, Omnis diuina. instit.

Digitized by Google

expectatio non amplius quam ducentorum videtur annorũ. Ibi docet Antichristum fuisse venturum & mundum finiendum ante annum ducentesimum à sua ætate, ipse vero vixit temporib. Constantini anno Christi CCC. vnde patet eum aberrasse. Deinde fuit semper celebris opinio multorum asserentium mundum duraturum sex millibus annorum: Ita Hilar. *in c.17 Matt.* & Hier. *in Psal.89.* Et cum secundum veram Chronologiam sint elapsi à mundo condito vsq; ad hoc tẽpus 1606. anni plus minus quinquies mille sexcenti, sequitur post 400. annos mundum finiẽdum. Quam sententiam vt probabilem
Aug. libro 10. de ciuit. cap. 7. sequutus aliquando videtur *Aug.* Sed neque id certum est quamuis probabile videatur, quia dicit Dominus non esse nostrum *scire tempora & momenta quæ pater posuit in sua potestate.* Act. 1.

3 SCIENDVM spiritum sanctum in diuinis literis sex certa signa aduentus Antichristi nobis dedisse: *duo præcedentia* ipsum Antichristum, nempe prędicationem Euangelij in toto orbe: Et imperij Romani desolationem seu deuastationem. *Duo comitantia*, videlicet prædicationem Enoch & Eliæ, & persecutionem grauissimam, ita vt publica sacra, & omnia nostræ religionis exercitia sint cessatura: *Duo subsequẽtia*, videlicet interitum Antichristi post tres annos cum medio; & finem mundi, quorum nullum adhuc existit. Primum signum probatur *Matt.24.* vbi sic dicitur, *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio.* Sed iam hoc nostro tempore inuentæ sunt in Oriente & Occidente regiones vastissimæ in quibus nulla extat memoria Euangelij prædicati. Quod vero Paul. ait ad Rom. quod tempore suo exiuerit in omnem terrã sonus Apostolorum, *Aug. epi. 80.* dicit hic Paulũ accepisse prӕteritũ pro futuro, sicut & Dauid, cui⁹ illa sunt verba quæ Paulus allegat. Et cum Paul. ait Euã-
Coloss. 1. gelium esse in vniuerso mundo, non hoc vult quod sit actu, sed virtute: quia nimirũ iactum fuerat per Apostolos semen verbi diuini, quod paulatim crescendo repleret vniuersum mundum, quomodo aliquis qui ignem supposuisset diuersis partibus ciuitatis, vere diceretur totam illam vrbẽ succendisse. *Secundum signum* erit omnimoda desolatio Romani imperij: *Sciendũ* est enim Romanum imperium tandẽ diuidendum in decem Reges qui simul regnabunt, & ita inter se diuident Romanũ imperium, vt illud penitus destruant: Quanquam enim omnes occupaturi sint aliquas prouincias Romani Imperij, sicut modo Rex Hispaniæ, Rex Galliæ, Regina Angliæ, nullus tamẽ eorũ erit vel dicetur Rex Romanorum.

4 QVOVSQVE aũt hoc non fuerit factum, non veniet Antichristus: hoc enim *Paul.* innuit cum ad Thess. ait, *Et nunc quid detineat scitis vt reueletur in suo tempore, tantũ vt qui nunc tenet teneat donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus*, vbi Paulus prudẽter scripsit de euersione Romani imperij, quod tamen aperte corã illis explicuerat: & sensus est, Scitis quid impediat aduentum Antichristi, dixi enim vobis Romanum imperium impedire, quia non sunt adhuc impleta eius peccata, & non ante veniet Antichristus, qui hoc imperium propter sua peccata tollet è medio: Ideo qui nunc tenet Romanum imperiũ, teneat, id est, regnet donec de medio fiat, id est, donec aboleatur & tũc reuelabitur ille iniquus: Ita exponit *Chrys.* hunc locũ, *& August.* Quod autem hoc signum nondum sit impletũ patet, quia adhuc manet successio & nomen Imperatorum Romanorum: & mirabili prouidentia Dei quãdo defecit imperium in Occidente, mansit incolume in Oriente, & cum imperiũ per Turcas in Oriente destrueretur, vt nunc factum videmus, iterũ illud ex parte erexit per Carolum magnum in Occidẽte, quod Imperium adhuc durat. 2. Thess. 2. Aug. li. 20 cap. 19. de ciuit.

5 DANI. 2. describitur successio præcipuorum regnorum vsq; ad finem mundi, per quandam statuam, cuius *caput aureum* significat regnum Assyriorum, pectus argenteum regnum Persarum: vẽter æneus regnum

Digitized by Google

regnum Græcorum: *Tibia ferrea*, regnum quartum, ſcilic. Romanorum, quod quaſi bipartitum erat quia vnus imperabat in Oriente & alter in Occidente. Et ex duabus tibiis oriebantur decẽ digiti, & in eis tota illa ſtatua terminabatur, quia Romanum imperium tandem in decem Reges erit diuidendum, quorum nullus erit Rex aut Imperator Romanorum, ſed deſtruẽt Romanum imperium. Dicitur autem Romanum imperium, ſiue Romanus Imperator, non quod Romę ſemper reſideat, ſed quia ſuccedit alteri Romano Imperatori in eadem dignitate & poteſtate, ſiue plures ſiue pauciores prouincias ſub imperio ſuo habeat: alioquin nec Arcadius, nec Theodoſius iunior, nec Carolus magnus, neq; eius ſucceſſores qui Romæ nũquam reſederunt, vnquam Imperatores fuiſſent, quod falſum eſſe ex eo patet, quia hac ſola de cauſa Imperator qui nunc eſt præcedit omnes Chriſtianos Reges etiam ſe alioqui maiores & potentiores. Et negari non poteſt quin adhuc duret Romanum imperium, quia habet Germania Principes electores Imperij. Et Oroſius *lib. 2. c. 4.* comparans Babylonicum Imperium cum Romano, dicit Deum lõge mitius egiſſe cum Romanis quam cum Babyloniis: Nam poſt M.C LXIV. annos ex quo Babylon condita erat, vno die capta eſt Babylon caput Imperij, necatus eſt Imperator, & imperium deſtructum & deſolatum eſt: ſed cum Roma eſſet capta à Gothis poſt totidem annos M. C. LXIV. ex quo fuerat condita, incolumis remanſit Imperator Honorius qui tunc rebus præerat, & ſaluum permãſit Imperium vſq; in hodiernum diem.

Aug. c. 13. de pecca. Orig.

6 TERTIVM ſignum deſumitur ex aduentu Enoch & Eliæ qui adhuc viuunt, & ad hoc viuunt, vt venienti Antichriſto ſe opponant, & electos in fide conſeruent, & tandem Iudæos conuertant. De qua re ſic loquitur Malachias, *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & conuertet corda filiorum ad patres eorum*: Per hoc quod dicitur, Mittam vobis, ſignificatur propter Iudæos pręcipue Eliam mittendum. Et Apocal. 11. *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta: & cum finierint teſtimonium ſuũ, beſtia occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ vbi Dominus eorum crucifixus eſt, & corpora eorum non ſinent poni in monumentis: & poſt tres dies & dimidium ſpiritus vitæ intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt, & aſcenderunt in cœlum in nube.* Hic dicit Ioannes illos duos teſtes reſurrecturos ante diem vltimum, durante nimirum adhuc ſtatu huius mundi. Et vno menſe antequam Antichriſtus peribit, occidendi ſunt Enoch & Elias. *Quartum ſignum eſt* Antichriſti perſecutio quæ erit omnium grauiſſima, *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi neque erit*, vt dicitur Matth. 24. Tunc enim ſoluetur Sathan, *vt dicitur Apoc. 20.* qui omnibus ſuis & ſuorum viribus impugnabit Eccleſiam, & ideo martyres qui tunc fient erunt illuſtriores omnibus pręteritis, teſte Cyrillo *cathe. 15.* Dicitque *Auguſt.* quod omnes prorſus impij ſimul ſint futuri in exercitu Antichriſti, qui aperto marte Eccleſiã oppugnabunt ceſſabitq; propter atrocitatem perſecutionis quotidianum Eccleſiæ officium & ſacrificium, ſaltem publicum, vt patet *Danielis 12.* vbi ſic dicitur, *A tempore vbi ablatum fuerit iuge ſacrificiũ dies M.CC.XL.* vnde patet hæreticos eſſe Antichriſti præcurſores, cum nihil ardentius optent quam Miſſæ ſacrificium & diuinum cultum penitus abolere. Dabitque ſigna magna prodigia, partim vera; ſicut cum faciet ignem deſcendere de cœlo, *vt dicitur Apocal. 13.* & ſimilia: partim falſa & illuſoria per faſcinationem ſenſuum, ſicut cum videbitur mortuos ſuſcitare: vera miracula, quæ non fiunt niſi virtute Dei, & exuperant omnem virtutem creatam, facere non poterit, quia Deus nõ poteſt eſſe teſtis erroris: Et ideo nullus hæreticus in confirmationem ſui erroris

Malach. 4

Aug. li. 20 de ciuit. c. 12

Digitized by Google

erroris potest facere vera miracula. Solebat Lutherus dicere, quia miracula edere non poterat, cum sæpius id frustra tentasset, maximum suæ doctrinæ miraculum esse, quod tot sectatores tam breui tēpore haberet. Cui sapienter respondit *Thomas Morus*, Ad propositum vitæ libidinosæ licentiam populum ruere, id habet tanti miraculi speciem, quam saxa deorsum cadere: Sicut Callistæ meretrici respondit Socrates, iactante enim illa ac dicēte, Tu neminem à me abalienare potes ex amatoribus meis, Ego cum volo omnes tuos ad me pertraho: Mirum hoc nō est, inquit alter, Tu enim ad voluptatem pertrahis & perdis, ego ad arduum virtutis iter inuito & saluare conor.

7 QVANTVM ad generationē Antichristi: Quædam sunt falsa: quędam probabilia: quædam vera. Falsum est quod nascetur ex virgine opera diaboli, sicut Christ⁹ natus est de virgine opera Spiritus sancti. Hoc enim solius Dei est: potest quidem diabolus mira facere applicando celerrime actiua passiuis, sed supplere causarum naturalium virtutem actiuam, vt Deus, non potest, & ideo non potest sine semine viri hominem producere, sed semen à viro acceptum potest in vterum mulieris iniicere, & eo modo hominem gignere, *teste August. lib. 11. ca. 23. ciuit.* Est istud falsum Antichristum fore diabolum incarnatum, quomodo per incarnationē Christus est Deus incarnatus. Hunc errorē refellit Hieron. *in 7. c. Daniel.* Quia assumere humanam naturam in vnitatem suppositi cum spirituali, exuperat omnem creatā virtutem, & est opus solius Dei, sicut efficere quod vnus simul sit brutum & homo. Probabile tamen est Antichristū de fornicaria muliere nasciturum, nō ex legitimo thoro, teste *Damasceno*, sed non est certū: probabile & id eū nasciturū ex tribu Dan, *teste Aug. qu. 22. in Iosue.* Hoc autem certū Antichristum præcipue propter Iudæos venturum, & ab eis tanquam Messiam recipiendum, vt patet, & ex gente Iudæorū esse nasciturum, & circumcidendum, &

Damas. li. 4 cap. 28. Ioan. 5.

sabbathum seruaturum saltem ad tempus. Et sicut Christus primo ad Iudæos venit quibus erat promissus, & à quibus expectabatur, & deinde etiam sibi gentes adiunxit. Ita Antichristus primū ad Iudæos veniet à quib. expectatur, & deinde paulatim omnes gentes sibi subiiciet.

8 ET in principio quidem ex humili loco prodibit per dolos regnum Iudæorum adipiscens: Ita enim dicitur Daniel. 11. *Stabit in loco eius despectus & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam & obtinebit regnum in fraudulentia.* Quem locum *Hier.* de Antichristo interpretatur. Deinde Iudæorum regnum adeptus pugnabit cum tribus Regibus, nimirū Ægypti, Lybiæ & Æthiopiæ, quibus deuictis eorum regna occupabit. Sic enim de eo loquitur Dan. cap. 7. *Considerabam cornua & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius*: hic dicitur cornu paruulum Antichristus, propter ipsius vile & obscurum principium. Et c. 11. explicans qui sint illi tres Reges quos humiliabit, sic ait, *Mittet manum suam in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur thesaurorum eius: per Lybiam quoq; & Æthiopiam transibit.* Postremo subiiciet sibi septem Reges alios & eo modo monarcha totius mundi euadet, & cū innumerabili exercitu toto orbe Christianos persequetur, *vt dicitur Apoc.* 20. de Gog & Magog vnde Hier. *in cap. 7. Dani.* Dicamus, *inquit*, quod oēs scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi quando regnum est destruendum Romanorum, decem futuros reges qui orbem Romanum inter se diuident & vndecimum esse surrecturum Regem paruulum videlicet Antichristum, qui tres Reges de decem superaturus sit, id est, Ægyptiorum, Africæ & Æthiopiæ, quib. interfectis etiam alij septem Reges victori colla submittent. *hæc Hier.* Asserit & *Chrys.* Antichristum monarcham futurum, & successurum Romanis in monarchia, sicut Romani successerunt Græcis, Græci Persis, Persæ Assyriis. Constituet autem

Chrys. in 2. Thes. 2.

Digitized by Google

autem Antichristus sedem regni sui in Ierusalem in qua regnabit tanquam Rex Iudæorum & templum Salomonis reædificabit in quo tanquam Deus sedebit & coli & adorari volet, teste Ireneo *l. 5.* & Hilar. *can. 25. in Matthæ.* & ita interpretatur illud Matthæi. *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Et Damascenus illud Pauli ad Thess. *Ita vt in templo Dei sedeat*, per templum intelligit templũ Iudaicum. *Chryſ.* vero in hunc locum sic ait. Iubebit seipsum pro Deo coli & in templo collocari non Hierosolymitano solum sed etiam in templis Christianorum vbiq; per orbem terrarum.

Damas. li. 4. c. 28.

9. Qvo ad doctrinam eius. Imprimis oppugnabit omnia Saluatoris nostri instituta, cum nõ fuisse verum Messiam docebit, omnia sacramẽta & ceremonias ecclesiæ & sacrificium Missæ tollet: docebitque nõdum cessasse circumcisionem, sabbathum, & legis ceremonias: & hoc modo facilius pertrahet in suam doctrinam ipsos Iudæos dicet se esse Christum in lege & prophetis promissum, ostendet se tanq̃ sit Deus, teste Paulo, & pro Deo coli volet, tũc scilicet quando rerũ omniũ potietur & se solum Deum dicet: oppugnabitque tam Deum verum, quam Deos falsos, eorumque idola subuertet. Sic enim Paulus ait 2. Thess. 2. *Qui extollit se super omne quod dicitur Deus aut colitur. Faciet omnes pusillos cum magnis habere caracterem in dextera manu, aut frondibus suis, nec quisquam poterit emere aut vendere nisi habeat characterem bestiæ.* Vt dicitur in Apocalyp. Characterẽ habebit quo sui à cæteris distinguãtur, sicut magni Principes insignia solent habere quibus suas obsignant literas: & Christus habet signum crucis. Qualis autẽ sit futurus iste character nescitur: nisi quod Ribera scribens *in 13. Apocalyp.* dicat quendam dixisse diuinitus sibi fuisse reuelatum, talẽ eum fore in quo totum Christi nomen compendio includatur: quo charactere suam dignitatem indicari volet.

Apoc. 13.

10. Dicit vlterius Paulus ad Thess. q; *aduentus Antichristi erit secundum operationem Sathanæ*, quia omnes patres afferunt Antichristum futurum insignem magũ, imo diabolum ab infantia in ipso Antichristo habitaturum, & per eum quæuis mala perpetraturum signa & prodigia operaturũ: Quæ omnia vocat Paulus signa mendacia, quia plurima erunt præstigiæ & illusiones dæmonum: & licet aliqua futura sint vera, sicut quod faciet imaginem bestiæ loqui & similia, tamen dicuntur & hæc signa mendacia, quæ ad mendacium credentes inducent, finis enim eorum miraculorum seu prodigiorum erit ostendere Antichristum esse Deum & Christum, sicut Christus veris miracaulis suam diuinitatem ostendit. Et quia Antichristus magus est futurus qui multorum oculos fascinabit, sicut cum simulabit se mortuũ & resurgere, quod fiet per præstigias, ideo more aliorum Magorum occulte diabolum, cuius ope mirabilia faciet, est adoraturus. Hinc Danie. ca. 11. dicitur ab Antichristo colendus *Deus Maozin*, id est, fortis & potens auro & argento: sed non palam id faciet, sic enim neminem Deorũ curabit, sed se tanquam Deum ab omnibus adorandum exhibebit.

Damas. li. 4. c. 27.

11. Postqvam regnauerit Antichristus 42. mensibus, *vt dicitur Apo. 13.* hoc est tribus annis cum medio, loquendo de eo tẽpore quo pacifice regnabit, nam plus temporis quam tres annos cum medio absumet in stabilienda sua Monarchia: Tunc Christus in monte Olíueti, vnde in cœlũ ascendere volet ipse Antichristus, occidet eum spiritu suo, iuxta *Hier. in c. 11. Daniel* post cuius mortem finis mundi [illegible] quod est sextũ signũ & vltimum [illegible] cium. Quando autem id fit futurum [illegible] quadraginta quinq; dieb. post mortẽ Antichristi, vt quidam volunt, quod non videtur verisimile, eo quod scriptũ sit Math. 24. & Marc. 13. *De die autem illa nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius, nisi solus, pater:* an vero diutius differendum, quod quasi certum habeo, donec plenitudo gentium introierit, & omnis Israel saluus factus

Digitized by Google

factus fuerit, hoc est, donec completus fuerit numerus electorum. Eritq; secundus Christi aduentus non occultus sicut primus fuit, sed gloriosus & omnibus manifestus: *Sicut enim fulgur exit ab oriēte & paret vsque in occidentem. Ita erit & aduentus filij hominis*, inquit Dominus Matth. 24. Fulgur quidem venit subito & inexpectato, verum clare micat & manifeste apparet omnibus, Sic erit & aduentus filii hominis.

PARS II.

Cum videritis abominationem desolationis, qua dicta est à Daniele propheta, stantem in loco Sancto, tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes.

Summa eorum quæ hac parte tractantur.

I. *De nomine, origine & profectu ipsius Antichristi.*

II. *Imperium eius per totum pene dilatabitur orbem.*

III. *Haberi volet ab omnibus & adorari tanquam Deus.*

IV. *De fine & obitu eius & pseudopropheta illius.*

ART. I. De nomine, origine & profectu antichristi. Iren. lib. 3. c. 2. con. hæres. 1. Ioan. 2.

1. QVANDOQVIDEM *Irenæus, Hilarius* & plures alii per abominationem hic Antichristum intelligunt, ideo de eo hoc loco agendum. Antichristus itaque bifariam sumitur: interdū analogice & communiter Antichristus dicitur omnis qui Christo aduersatur: Sic enim Ioannes ait. *Nunc Antichristi multi sunt*: participatione scilicet malignitatis, violentæ persecutionis, fraudulentæ seductionis. Sic Tyranni qui persequuntur Ecclesiam Hæresiarchæ & hæretici Antichristi dicuntur, inchoant quod ille perfecturus est, vt quo modo Ioannes Baptista præcursor Domini viam eius muniuit, & animas hominum ab impietate aliisq; flagitiis auocauit, & in eis cognitionem & diuinum timorem, pietatis & iustitię studiū inchoauit, per quæ idonei redderentur ad Dominum recipiendum, quæq; ipse Dominus sua præsentia ad perfectam sanctitatis formam perduceret: Sic hæresiarchæ & tyranni Ecclesiam persequentes disponunt animos hominum ad Antichristum recipiēdum. *Alio modo* sumitur hoc nomē Antichristus proprie pro singulari persona quæ sit Christo aduersa, quæ præ cæteris acrius se Christo opponet, tollens legē eius, & ceremonias, sacramenta & sacrificia, suaq; in ipsorum locum substituens. Et hic erit Antichristus proprie dictus, quem Iudęi in fine mundi tanquam suum Messiam & Saluatorem recipient, iuxta illud Ioan. 5. *Veniet alius in nomine suo & illum recipietis.*

2. APOCAL. 13. dicitur quod hic Antichristus nomen sit habiturus, cuius numerus sit sexcentorum sexaginta sex. Hunc autem numerum spiritus sanctus eo fine reuelauit, vt cum Antichristus venerit, ex nomine possit à sapientiorib. Ecclesię certo deprehendi, deprehensus caueri, & alii possint præmoneri vt caueant. Si nomen habuerit cuius literæ hunc numerū adęquate explent, id signum certum signū fore hunc esse Antichristum. *Sic Iren.* qui censet probabile esse nomen Antichristi fore τειτὰν aut λατεῖνος quorum nominum litteræ summam illam conficiunt iuxta Græcorum cō, utum, qui elemer tis & litteris innumeris suis designandis vtuntur. Iren. lib. 5. c. 30. de hær. Sed hæc incerta sunt, agitur enim hic de nomine proprio ipsius Antichristi, non de cōmuni, qualia sunt prædicta, ex quo nihil certi de singulari psona colligi potest. Qui habet intellectum computet numerum bestię, numerus enim hominis est, ne quis eum de Sathana, vel satanica aliqua secta loqui existimet. Prophetico more Ioannes in sua Apocalypsi ænigmatice insinuauit, sed non expressit quodnam Antichristi propriū nomē sit futurū: Et voluit Deus nomen Antichristi occultū esse, donec ipse mundo reueletur, tunc fideles

Digitized by Google

numerum nominis eius facile deprehendent, eumq; inde agnoscent. Et à suo nomine omnes vocari constituet, sicut nunc à Christo omnes fideles dicuntur Christiani. Propter fideles enim qui tunc erunt tempore Antichristi ænigmatice prophetauit atq; prædixit Ioannes nomen eius.

3. ORIGINEM habiturus est Antichristus vilem & humilem: sic enim de eo legimus Daniel. 7. *Et ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorũ*, quam sententiam de Antichristo interpretantur Doctores, & id patet ex textu satis. Oriundus enim erit ex tribu Dan, quæ & propterea in Apocalypsi cum saluandis non enumeratur, quæ & abiecta est præ cæteris tribubus, quinimo omnes Iudęi abiecti sunt modo sedentes per totum orbem dispersi sine lege & Rege. Sed *teste Damasceno*, repente consurget, & in initio per fraudulentiam Principatum obtinebit, *vt dicitur Dan.* 11. Cum enim ingẽtes thesauros habiturus sit, iuxta illud Dan. loco prædicto, Dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnib. pretiosis Ægypti: & *teste Anselmo in suo Elucidario*, Omnis pecunia occulta, siue in mari, siue in reconditis finib. terræ erit ei p manifestationẽ dæmonis cognita & manifesta: Quo fiet vt suis promissionib & largissimis donis, infinitã hominum potissimũ Iudęorũ, auide suum Messiam, quẽ se esse dicet, expectantium, multitudinem ad se pertracturus sit. Cũq; Babylone primo regnare incipiet, vbi plurimi sunt Iudæi qui post captiuitatem ibidem remanserunt, vnde & oriundus putatur, inde progredietur debellaturus ante omnes, tres Reges potentissimos, Regem Æthiopiæ, Ægypti, & Lybiæ seu Aphricę, quorũ regna inuadet nõ iam p fraudulentiam, sed per vim & potentiã. His tribus regnis tanquam sibi viciniorib. ita expugnatis sibiq; subiectis, debellabit vlterius sibiq; subiiciet septẽ alios Reges, eorũq; regna occupabit. Sicut de eo legimus Dan. 7. *Cornua decem ipsius regni decem Reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & sermones cõtra excelsum loquetur.* Quę scriptura haud dubie *teste Hier.* de Antichristo est intelligenda: Cui & tres priores Reges, & septẽ reliqui, (siue illi in hoc certo numero futuri sint, siue per illos vniuersitas Regum & Principum significetur) subdẽdi erunt ac tandem vniuersum orbem sibi subiugabit.

Damas. c. 27. li. 6.

4. DICES, Quomodo poterit Antichristus tam breui tempore vniuersum orbem sibi subiicere? Respondeo quamuis tempus Antichristi post monarchiam comparatam, quod erit proprie tempus persecutionis Ecclesiæ, futurum sit breue, vtpote duraturum duntaxat, vt Daniel loquitur c. 7. *per tempus & tempora & dimidium temporis*, hoc est, per tres annos cum medio, tamen tempus eius quo bella geret, diutius durabit. Deinde cum dicitur regnaturus in vniuerso orbe, nõ est necesse intelligi de omnib. prouinciis totius mũdi, sed de veteri Imp. Romano. Et etiamsi omnes mũdi puincias dicat quis ei subiugandas, non aberrabit, forte nec id impossibile erit, quia non est necesse ipsum Antichristum per seipsum omnia regna subiugaturum, aut totum orbem peruasurum, sed per Duces & Principes suos. Quinimo vt colligitur ex *Dan. c.* 7. & 11. & *Apoc.* 17. nõ erunt ei necessaria bella ad omnia regna subiuganda, sed subactis trib. primis Regibus, multi alii ipsius fama & potentia territi, vltro se dedent & seruient ei: potissimum quia tunc soluetur Satanas, vt & potentia & fraudulentia faciat quod voluerit, qui seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ hoc est, toto terrarum orbe, & congregabit Gog, & Magog in prælium, quorum numerus erit sicut arena maris: Et videtur hi præcipui duces futuri ipsius Antichristi, ferocitate & multitudine cæteris superiores, qui & summo studio Antichristi partes promouebunt, educturi Scythas, Tartaros, Moscouitas, Iberos aquilonares, Liuones, Danos, Norwegios, Germanos, Persas, Turcas ac reliquos populos. De Gog & Magog loquit Ezech. c. 38. & 39.

Digitized by Google

II. De Imperio Antichristi.

1. HIs ita transactis & omnibus regnis Antichristo subactis, quanquam primo inchoaturus sit suum regnum in regione Babylonis, vbi plurimi Iudæi habitant, pauci n. ex captiuitate redierunt, prout obscure innuit *Zacharias ca.* 5. cum dicitur, *Et leuauerunt amphorã, in qua erat impietas inter cœlum & terram: Et dixi ad angelum qui loquebatur in me, Quo istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me, vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur & ponatur ibi super basin suam.* Quibus verbis insinuantur impietatem & excœcationẽ Iudaicam duraturam vsque ad illud tempus, quo ædificabitur ei domus seu regnũ in terra Sennaar, hoc est, Babylonis: quod fiet quando Antichristus regnare incipiet, & à Iudæis in Messiam recipietur. Tunc impietas dominabitur, & erit supra basin suam id est, Antichristum, locata, qui regnum suum in regione Babylonis inchoabit. Postea tamen transferet sedem regni in Iudæã, eritq; Metropolis Imperii ipsius Ierosolyma, quam reædificabit sicut & tẽplum ipsum, in quo residebit tãquã Deus: Iudæi autem audita fama Antichristi, & quod à suis receptus sit tanquam Messias, & quod Ierusalem & templum reædificet, ex vniuerso orbe confluent Ierosolymam, seu in eam regionem vbi potissimum Antichristus imperabit. *Figet autem tabernaculũ suum in Apadno:* vt dicitur Dani. 11. Apadno vero est in Iudæa vbi montana incipiũt, iuxta Nicopolim, quæ olim Emaus dicta, *teste Hier.* Et vt se non solum Iudæum declaret, verumetiã de progenie Dauid esse videatur, sedem regni sui in Iudæa constituet, vt diuinas promissiones de futura illius terræ & populi fœlicitate & imperio in totum orbem implere videatur.

2. CVM Ioannes *Apoc.* 13. Antichristum describat per bestiam habentem capita septem & cornua decem, septem capita designant septem Reges, qui erunt capita regnorum & exercituum sub Antichristo, hic enim futurus est supremus Rex eorum cui se submittent. Cornu potentiã & Principem potentem designat, solent enim feroces bestiæ cornibus, in quib. est sita earum fortitudo, alios inuadere, ventilare & in album proiicere. Decem cornua sunt regna decem Regum, in quæ orbis tunc erit diuidendus (sub quib. vt est verisimile & Turcicum imperium comprehẽdetur,) qui orbem terræ non ad regendum, sed ad consumendum partiantur, *inquit Lactant.* qui Imperium Romanum penitus destruent & Romã euertẽt, idq; paulo ante monarchiã ipsius Antichristi. Tũc repẽte aduersus eos hostis potentissimus orietur, qui tribus ex eo numero deletis, Rege nimirum Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ, Princeps omnium constituetur. hæc *Lactan.* Lact. lib. 7. c. 13. diui. Inst. Cui conformis est Hieron *in c. 7. Dan.* vbi sic ait, Dicamus quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi quando regnum destruẽdum est Romanum, decem futuros Reges, qui orbẽ Romanum inter se diuident, & vndecimum surrecturum esse Regẽ paruulũ, qui tres Reges de decẽ Regib. superaturus sit, id est Ægyptiorum Regem, & Lybiæ seu Africæ & Æthiopiæ, quibus interfectis etiam septem alii Reges victori colla submittent. *hæc Hier.* Et illam Pauli scripturam 2. Thess. 2. *Quoniam nisi venerit discessio primum, &c.* alioqui interpretantur Antichristum nõ antea in mundum venturum, nisi venerit primum discessio, hoc est, nisi omnia regna discesserint à Romano imperio quæ prius subdita erant. Constat enim ex Scripturis & Patrib. decẽ illos Reges, in quos imperium Romanum diuidetur qui Antichristo suam potestatem tradent, eique se submittent fore impiissimos & crudelissimos, & ideo erunt prodromi & præcursores Antichristi, qui viam eius præparabunt.

3. HIS consentanea est visio statuæ, *Dan.* 2. cuius tibiæ ferreæ designant monarchiam Romanam, quæ sicut tibiæ geminæ sunt, ita multis seculis gemina fuit, Orientalis & Occidẽtalis. Desinunt hę tibię in pedes partim ferreos, partim fictiles quia posteriorib. seculis Monarchia ista futu-

Digitized by Google

futura erat ex parte solida, ex parte infirma. Nam aliquot seculis pars Orientalis fuit solida, pars Occidentalis infirma: deinde aliis aliquot seculis contra se res habuit: Nam Occidentalis potens fuit, Orientalis infirma. Nunc vero hæreticorum factionibus rursus Occidentalis infirma est, & Orientalis sub Turca, qui se Orientalē scribit Imperatorē, valde potens. Denique hi pedes desinunt in decē degitos, partim ferreos, partim fictiles, quia vltimo desinet totum imperium istud in decē Reges, qui potentissimi quidem erunt, sed breui tempore regnabunt, Antichristo omnia eorum regna occupante. Tunc lapis percutiet statuam in pedibus, quia Christus delebit extrema istius Monarchiæ iam ad Antichristum translatæ, & deinde subsequetur æternum Christi regnum.

III. Haberi & adorari volet Antichristus vt Deus.

1. QVEMADMODVM Christus Mosaicæ legi finem imponendo veterem sacrificandi ritum sustulit, & noui testamenti sacrificium in sui corporis & sanguinis oblatione surrogauit: Ita & Antichristus finem Euangelio imponere volens, ablato iugi Christianorum sacrificio, quod nusquam offerri palam sinet, ablatis & reliquis sacramentis, nemo enim baptisari palam poterit, in eorum locum alia sacramenta surrogabit, abominationem suam execrabilem adorandam substituet: *Ita vt extollatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, & in templo sedeat ostendens se tanquam sit Deus.*

2. Thess. 2.

2. TALIS est futurus Antichristus, *inquit Cyril. Ierosol. cate.* 15. vt omnes qui ante illum impii & scelerati fuerint, malitia, & crudelitate, & fraudulentia excessurus sit, talisque est futura ipsius vita, etiam ab eo tēpore, quo vsum rationis habere incipiet, vt videatur Deus omnem licentiam dedisse dæmoni, qui totā suā malitiā in ipsum transfusurus sit. Adueniet enim instructus tota diaboli potestate, iuxta illud Pauli 2. Thessal. 2. vbi sic ait, *Cuius aduentus est secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis, & prodigiis mēdacibus.* vnde & ibidem ait Paulus, quod iniquus ille sit homo peccati & filius perditionis. Verum quanquam ab ineunte ætate flagitiosissimus sit futurus & crudelissimus, quippe qui semper & in omnibus diabolū habebit directiorem etiam ab infantia sua, quem tanquam templum suum & propriū domiciliū sit inhabitaturus. Et quem Antichristus, licet publice se gerat pro Deo cum ab omnibus adorari volet, priuatim tamen in arce aliqua colet & adorabit tāquam Deum suum, iuxta illud Dan. 11. *Deū autem Maozim in loco suo venerabitur.* Non tamen sic obsessurus eum, sicut arreptitii obsidentur, tunc enim iudicio & libertate priuaretur, ac proinde in suis actibus non peccaret: Quod est contra id quod Paulus ait, 2. Thessal. 2. vbi dicitur *Antichristus homo peccati:* sed quia per eum omnem operabitur iniquitatem, suamque exequetur potentiam ac malitiam: *Soluetur enim tūc diabolus,* vt dicitur Apocalyps. 20 *dabiturque ei potestas nocendi ac sæuiendi, quantū potuerit, & voluerit:* qui iam ligatum dicitur per mille annos, hoc est à tempore Christi vsque ad finem seculi, quia modo nocere non potest, nec quantum vult, nec quantum valet, sed duntaxat quantum ei permittitur.

3. IN principio tamen se mansuetum, humanum, pium & legis obseruantem simulabit, bonique specimen de se præbebit, quo sic plures potissimum Iudæos ad se trahat atque pelliceat. Sic enim fraudulenter Principatum obtinebit, vt dicitur *Dan.* 11. & sese profitebitur Iudæorū Messiam in lege promissum. Et quia se tanquā Messiam venditabit, præcipuum munus eius erit populum docere, miracula patrare non quidem vera, sed apparētia, quia mirabilia, & ea munera obire quæ Christus dum in terris esset, fecit & obiuit. Notat autem *Anselmus in suo Elucidario,* quod Antichristus suę superstitionis doctrinam persuasurus sit hominibus quatuor præcipue modis: *Primus* erit, persuasione & eloquētia: Erit enim à dęmone instructus &

edoctus in rebus omnibus, erit sapientia & eloquentia incredibili, *teste eodem Anselmo*, & omnes artes & scripturas memoriter sciet. *Secundus modus* erit per liberalē elargitionem munerum & diuitiarū, erit enim diues valde & multum liberalis, suaque liberalitate multos ad se pertrahet. *Tertius* erit per terrores, minas & tormenta, quia nullus poterit emere aut vendere nisi habuerit characterem bestiæ. *Quartus* denique per signa & prodigia hominibus admiranda, *ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* vt dicitur *Matth.* 24.

4. SICVT enim Christus miracula edidit in confirmationem suæ doctrinæ & veritatis, Ita ipse signa faciet mendacia in confirmationem falsitatis suæque superstitionis: Et sicut Christus faciebat virtute Dei, ita Antichristus faciet virtute Sathanæ, non quidem vera miracula, sed tamen apparentia & mirabilia, quæ à veris miraculis difficillimum erit discernere. Adueniet nāque Antichristus instructus & munitus tota diaboli potestate, vti Paulus innuit, cum 2. Thessal. 2. ait, *Cuius aduentus est secundum operationem Sathanæ in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus.* Mēdacia vocat duplicem ob causam, aut quia non erunt vera miracula, sed præstigiæ & veræ illusiones oculorum: aut quia mirabilia illa quæ facturus est, ad deceptionem & mendacia inducent: Illusio erit quando vnum ex capitibus Antichristi seu Regibus eius, videbitur mori & ab Antichristo excitari: aut enim non erit vere mortuus, aut non vere suscitabitur, sed apparenter dumtaxat & illusorie. Et ideo dicitur Apocal. 13. *Et vidi vnum de capitibus suis, seu de septem illis Regibus, quasi occisum in mortem,* quia finget se mortuum *Et plaga mortis eius curata est*, nempe à bestia seu Antichristo, *& admirata est vniuersa terra post bestiam, & adorauerunt draconem*, hoc est, diabolum qui operabatur in Antichristo, & quem putabant numen esse diuinum, qui dedit potestatem bestię, & adorauerunt bestiam dicentes, *Quis similis bestiæ? & quis poterit pugnare cum ea? Et datum est ei os loquens magna.* Dicet enim Antichristus seu bestia, se Deum esse & hominem, & naturam humanam esse assumptam à diuinitate in vnionem hypostaticam, vt in Christo factum legimus. Itaque vtrumque adorabunt, & draconem & bestiam tanquam quid vnum ex vtroq; compositum, sicut nos in Christo Deum adoramus & hominem.

5. ET ideo tentatio illa erit omnium grauissima propter multitudinem & magnitudinem prodigiorū, vt annotat *Greg.* Gregor. 32. moral. c. 12.
Et non solum per seipsum faciet huiusmodi prodigia, sed & per suos ministros, potissimum per istum pseudoprophetam, de quo *Apo.* 19 qui faciet terram, hoc est, Apoc. 19.
terrenos homines, & habitātes in ea adorare bestiam primam, id est, Antichristū. Eriget enim imaginem Antichristi, & coget homines vt eam adorent. Et inter cætera faciet & signum hoc vt imago bestiæ loquatur: sicut olim occulta dæmonis virtute inter idololatras, & arbores, & aues, & fluuii, & aquæ locuta leguntur. Quinimo etiā ipsi fideliū tortores signa faciēt & prodigia. Pēssimus, *inquit Gregorius*, quę humanæ mētis erit tētatio, quādo is qui flagris cruciat, signis coruscat: vt nō sine causa dixerit Christus, *Surgēt pseudoChristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Tunc enim antiquus hostis sæuire permittetur contra Dei ecclesiam & virtute & fraude, *inquit Gregor.* virtute per potentiam, fraude per signa & prodigia, vnde & per Dauid dicitur psal. 9 Insidiatur in occulto quasi leo in speluca sua: insidiatur per miraculorum speciē, & vt leo propter fortitudinem & potentiā secularē: vt enim eos qui iniq; sūt aperte, ad se pertrahat, secularē potentiā ostēntat: vt vero iustos etiā falla, signis & prodigiis sanctitatem simulat. *hæc Gregor.* Gregor. ca. 13. & 24. lib. 32.

6. OMNIBVS regnis ab Antichristo subactis & subiugatis vt iā pacifice quasi toti terrarum orbi dominari videatur, cum Metropolis imperii sui sit futura Ierosolym-

Digitized by Google

lyma ab ipso restaurata, tunc in Ierosolymitano templo ab ipso exædificato sedebit tanquam sit Deus & adorabitur. Ita enim Paulus testatur 2. Thessal. 2. *Homo peccati & filius perditionis qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus.* Quod de templo

Iren. lib. 5. cap. 25. Ierosolymitano exponunt *Iren. Cyril Hieron.* Nam templum Dei tẽpore Pauli quasi per antonomasiam dicebatur templum Ierosolymitanum Cum enim tunc nondũ essent erecta & dicata Christianorum tẽpla, solum Ierosolymitanum singulariter dicebatur templum D[illegible] Et sic videtur intelligendus hic locus Dani. 9. & Matth. 24. *Et erit in templo desolationis abominatio.* Abominationem enim vocat Antichristum propter abominanda ipsius scelera. Et dicitur hic locus sanctus *Matth. 24.* à primæua sua institutione & dicatione, quia in templum Dei electus & erectus, licet postmodum fuerit prophanatus, & ad solam superstitionem Antichristi & idololatriam destinatus.

7. POSTQVAM verò potitus fuerit Antichristus, & in templo sederit adorandus tanquam sit Deus, tunc acerbius & crudelius persequetur electos Dei, quam vllo vnquam tempore afflicti fuerint, iuxta il-

Matth. 24 lud Matthæi. *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo neque fiet.* Et hæc tribulatio durabit *vsque ad tempus & tempora & dimidium temporis* Dani. 8. cogentur enim diris suppliciis & exquisitis Deum & Christum abnegare, nullique numini cultum vllum exhibere poterunt, præterquam vni homini omniũ hominum flagitiosissimo Antichristo. Et vbi is in sua persona præsens non fuerit, cogentur fideles eum adorare in sua imagine sibi erecta. Et hoc modo Antichristus qui per se, suamque personã sedebit in templo Ierosolymitano, per sui imaginem sedebit adorandus tanquam sit Deus in omnibus templis christianorum. Sic enim *Ioan Apoc.* 13. dicit se vidisse aliam bestiam hoc. [illegible], aliquem Tyrannum Antichristo subditum, qui faciet vt quicumque nõ adorauerit bestiam occidatur.

8. ET hæc persecutio præterquam quod futura sit grauissima, erit etiam vniuersalissima, vtpote per totum orbem longe lateque grassatura. Sic enim legimus Apoc. 13. & 20. *Ascendent super latitudinem terræ, & circuibunt castra Sanctorum*, id est, Ecclesiam Dei. Ex quo loco notat August. 20. *ciuit cap.* 9. omnes prauos homines, Iudæos, Turcas hæreticos, paganos & id genus alios Antichristo esse iungendos, vt vbique fideles persequantur. Et per hanc tantã persecutionẽ maior pars fidelium à Christo deficiet. Sic enim legimus Dani. 7. *Ecce cornu illud faciebat bellum aduersus Sãctos & prævalebat eis.* Prævalere autẽ dicitur non quia corporaliter occidet, tales enim si spiritu cõstantes maneant, propriè non vincuntur, eo quod per passionem in gloriam euehantur: Sed iis prævalet quã per afflictionem à fide deficiũt & pereunt. Vnde Christus ad exaggerãdam multitudinem eorum qui à fide deficient, dicit, *cũ venerit filius hominis putas inueniet fidem in terra?* Et 2. Thess. 2. *Nisi venerit discessio primum.* Quem locũ quamuis plerique interpretentur de defectione Romani imperii, Luc. 12.
tamen aptissime quoque intelligitur de defectione à fide Christi. Nã verbum græcũ est apostasia, quod significat defectionem à fide: Et ita interpretatur *August.* Quamuis enim sæpe contigerint in Ecclesia defectiones à Christo propter Tyrannorum persecutiones, illa tamẽ quæ futura est sub Antichristo, quasi per antonomasiã apostasia dicitur, quia erit maior & vniuersalior cæteris. Nõ tamẽ penitus Ecclesia extinguetur, quia scriptum est, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. In montibus & speluncis perseuerabunt multi cõfessores qui superstites manebunt post mortẽ Antichristi, & in iis nõ deficiet vsus sacramentorum & sacrificii Missæ, sed occulte & in locis abditis, licet nõ publice, eorũ exercitia habebunt. Quinimo tẽpore Antichristi in fer[illegible] christianorum persecutione, cum prædicaturus sit Enoch

Aug. 20. ciuit. c. 19

Digitized by Google

& Elias, iuxta illud Matth. 17. *Elias venturus est & restituet omnia*, plurimos Iudæorũ ad fidem Christi conuertent, si non omnes saltem eos qui in libro vitæ scripti sunt & ab æterno ad salutem destinati: Iuxta illud Danielis 12. *In tempore illo saluabitur populus tuus omnes qui inuentus fuerit scriptus in libro*. Et quanquam non omnes Iudæi sint tunc conuertendi, quia tamen aliquid speciale illo tempore promittitur, verisimile est maiori ex parte Iudæos tunc fore conuertendos, partim viuentibus & prædicãtibus Elia & Enoch, partim post mortẽ eorũ: Occidentur enim vno mense ante mortẽ Antichristi & iacebunt corpora eorum in plateis Ierusalẽ per tres dies & dimidium, post quos spiritus vitę intrabit in eos & steterunt super pedes suos & ascenderunt in cœlum in nube, *vt dicitur Apoca.* 11. Tunc Iudæi ex huiusmodi signis & aliis mirabilibus quæ cõtingent in morte Antichristi, videntes se per eum deceptos conuertentur ad fidem maiori ex parte.

Dan. 12.

Apoc. 11.

IV. De fine & obitu Antichristi.

1. EXPLETO tempore ipsius Antichristi à Deo constituto, sensim incipiet Deus suæ iustitiæ gladiũ aduersus impios exercere, partim vt & cæteri terreãtur & ad pœnitentiam festinent, partim ne fideles tantis persecutionibus diutius continuatis succumbant & à fide deficiant. Et imprimis Gog & Magog primarii & potentissimi Duces exercitus Antichristi diuina vltione & cœlesti igne delebuntur cum suis agminibus super montes Israel. Ita enim de iis legimus Apoca. 20. *Et descendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos:* Et loquitur de Gog & Magog & exercitu eorum. Item dicitur de iisdem Ezech. 39. *Et immittam ignem in Magog. Super montes Israel cades tu & omnia agmina tua, & populi tui qui sunt tecum, feris, auibus, omnique volatili, & bestiis terræ dedi te ad deuorandum.* Ipse vero Antichristus & eius pseudoprophetæ viui mittentur in stagnum ignis & sulphuris. Ita enim de iis legimus Apoca. 19. *Et apprehensa est bestia*, hoc est, Antichristus: *& cum ea pseudopropheta, qui fecit signa corã ipso*, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ. *Et viui missi sunt in stagnum ignis & sulphuris.* Apprehensi sunt, nempe iussu Domini, à dæmonibus diuinæ iustitiæ ministris: Et missi viui in stagnum ignis, terra nimirũ dehiscente. Nõ tamen est verisimile quod viui peruenient vsq; ad stagnũ ignis, sufficit vt viui illuc rapiantur, sicut Dathan & Abiron dicuntur viui descendisse in infernum, quos tamen in immenso illo præcipitio prius mortuos fuisse antequã ad terminum peruenirent, ex eo patet, quia *statutũ est omnibus hominibus semel mori*, teste Paulo: & ratio quoque suffragatur, quia hiatus terræ se [...]x claudebat vt superuiuere nõ posset. De Antichristo etiã loquitur *Paul. 2. Thess.* 2. quod eũ *Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*, hoc est, *inquit Chrysost.* explicãs hunc locum, efficaci & potenti imperio suo, quo omnis creatura illi seruit ad vindictam impiorum: Interficientur igitur Antichristus & pseudopropheta illius intra ipsam terram antequam perueniant ad gehennam. Num. 16.

2. EST probabile omnino Iudæos post cõuersionẽ suã, mortuo iã Antichristo, ceteris fidelibus christianis cõiunctos, reliquos Antichristi socios eiusq; cõfœderatos, qui superstites reperiẽtur, è medio sublaturos spatio 45. dierũ post interfectionẽ Antichristi, & tunc in toto orbe christiano persecutiones fideliũ cessaturas: extinctisq; christiani nominis hostibus in summa tranquillitate ac securitate fideles pietatis exercitiis iterum vacaturos. Vnde beati prædicantur *Danie.* 12. qui expectant & perueniunt vsque ad dies 1335. quia videlicet tunc fideles quiete & pace obtẽta absque vllo metu & impedimento ritu solito Deo viuo & vero seruient & sacrificabunt, ac reliqua christianæ religionis exercitia habebunt. Quin & officiis vitæ humanæ necessariis vacabunt, vt plantent, ædificẽt, emant & vendant, quod prius tẽpore Antichristi fidelibus interdictũ erat, cũ nemo vendere aut emere posset nisi qui haberet characterẽ bestię. Et hac fœlicitate temporali multi abutentur, *& comedent* Dan. 12. Matth. 24.

&

Digitized by Google

& bibent, sicut in diebus Noe, & tunc eis subitaneus superueniet interitus, & non effugient.

PARS III.

Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio vsque modo, neque fiet. Matt. 24.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Diabolus cum sit osor Dei & hominis nil nisi bellum quærit quo hominem interimat.*

II. *Hæc pugna non vno atque altero die, sed toto vitæ nostræ tempore durat.*

III. *A minimis incipit, & ad impia quæque paulatim deducit.*

ART. I. Diabolus ex odio Dei & hominum nil nisi bella quærit. Iob. 39.

1. PVLCHRE admodum describit nobis Iob sub parabola equi, fortitudinem, audaciam, pugnandi auiditatem ipsius diaboli, cum ait, *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Gloria narium eius terror: terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. Contemnit pauorem nec cedit gladio, vbi audierit buccinam, dicit vah. procul odoratur bellum.* Quem locum exponens *Hiero.* dicit, Hunc equum aduersariam potestatem arbitror posse intelligi, qui *Apoc. 6.* Rufus describitur, cruore hominum respersus scilicet cui datum est atq; permissum tollere pacem de terra, quia totus in hoc est vt excitet discordias inter homines etiam vsque ad sanguinis effusionem. Cum autem dicit Iob, *Nunquid præbebis equo fortitudinem?* quasi dicat, vt ego: *Aut circundabis collo eius hinnitum?* quo scilicet præ superbia tumeat contra Deum & blasphemiam loquatur: Qui dum à Deo permittitur, præberi ei fortitudo dicitur: *Et dicitur gloria narium eius terror*, quia spiritus furibundus etiam ipso anhelitu terret & in hominis necẽ anhelat. *Terram vngula fodit*, quia homines terram sapientes conculcat, & cum eos contriuerit, sibique subiecerit facit eos ea contritos contritione, qualis est contritio & infelicitas in viis eorum qui in Deum sunt impii. *Exultat audacter*, quia gaudet superbus præsumptionis audaciæ quousque ad perniciem pugnet contra omnes. *In occursum pergit armatis*, quando scilicet arcem mentis expugnare moliens aduersus murum virtutum arietes obiicit vitiorum. De quo Psalmista, *Quousque irruitis in hominem? interficitis vniuersi vos tanquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ?* paries inclinatus quia parum firmus facile ariete deiicitur, sic homo infirmus facile vincitur. *Contemnit pauorem, nec cedit gladio, quia* si ad contumaciam & voluptatem illius iniquissimã ac procaciter impudentissimam attendamus, intrepidus non terretur, non erubescit etiamsi gladio Dei territus fuerit & fugatus, reuertetur iterum, nec confutatus abscedit, feruens ac fremens in hominẽ furore inuidiæ, vt iam absorbeat illecebris peccatorem, & deuoratum in corpus perditæ congregationis suæ trãsferat, vti insinuat Psalmista cum ait Ps. 123. *Nisi quia Dominus erat in nobis cum exurgerẽt homines in nos forsitã viuos deglutissent nos. Cum audierit buccinam dicit, vah, procul odoratur bellum. Buccinam* prædicatores intelligit cohortantes vt contra aduersarium suum stent fortes in bello: *Stupenti animo dicit, vah*, quasi dicat, quid audio. Hac quisquam præsumit audacia vt contra me cogitet bella constituere? Subtilis & vigilantissimus inimicus cum senserit signa aliqua in homine, quomodo ei eiusq; vitiis resistendum sit, præuenire contendit, ne sumptis sanctitatis armis contra diabolũ se defendat homo. *hactenus Hier.*

2. INTER diabolum & mulierem, & semen vtriusq; diuina auctoritate sunt positæ atq; firmatæ inimicitiæ, sic n. legimus Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuũ & semen mulieris*, vt exinde homo cognoscat sociare cum hoste

Digitized by Google

amicitias non debere. Nunquã enim cõtracta impune iunguntur, nec diuersa sine pernicie copulantur. Neque enim lupus agnum, aut hœdum pardus patitur. Et diabolus serpens antiquus cum nos cum parentibus nostris occiderit, nec vlli nostrum aliquando pepercerit, cur cum inimico fœdera illicita cõmiscemus? Quod si dũ separamur ab illo, nocet, qualis erga nos esse poterit, si ei cõtra edictũ Domini copulemur? Sed etsi nunquã nobis hostilis malitiæ nocuisset audacia, Domini tamen fuerant obseruanda præcepta. Nunquam n. cum hoste iũgitur concordia, nisi Imperator proprius offendatur, vnde qui se amicitiis cõiunxerit diaboli, renunciat amicitiæ Christi. Recordare vocis illius, quam dum sacris instituereris, emisisti, *Renuncio tibi Satan, & omnibus operib tuis.* Sine hoc verbo nunquam in forum prodeas, *ait Chrys.* sed cum es ianuæ vestibulã transgressurus, hoc prius loquere verbum, Renuncio tibi Satana, & coniungor tibi Christe. Nec vnquam absq; hac voce exeas, hæc erit tibi baculus, hæc armatura: cũ hoc verbo & crucem fronti imprime, vt sis miles paratus, & contra diabolum trophæum erigens iustitiæ coronam accipias. *hæc Chrys.*

Chrys. c. 21. Gen. & ho. 21. ad pop. Ant.

3. QVANDOQVIDEM vero Satan aduersus Deum rebellis est effectus, quem prius odio habuit, repugnauit & contẽpsit, hinc & osor hominis est factus. Cum enim alienatus esset à Deo, vbi vidit hominem ad ipsius imaginem factũm, cum non posset in auctorem ipsum, quem ante omnes lædere cupit, in eius imaginem suam exercuit malignitatem: veluti si quis homo, quando Regẽ inimicum attingere nõ valet, eius simulachrum cæderet. Vidi ego, *ait Basil.* & res certa est inter animalia hominibus inimicissima, pardulũ quandoq; in stadiis hominis oculos præter iouadẽtem. Qui feræ quærunt deludere furorem hominis imaginem ei ex charta ostendũt: illa statim furibunda eam concerpit atq; dilacerat. Hoc argumento satis ostendẽs quanta sit eius aduersus hominem inimicitia. Sic itidem & diabolus ipse in Dei imagine, quo sit erga Deum odio, ostẽdit, quãdo Deum ipsum attingere nequit: sic & contra nos bellum ipsius satis ostendit Dei aduersarium illum esse, & ante omnia Deũ petere. Et patũ est crudelissimo huic hosti nostro si bona nostra diripiat & corpus affligat, vt ipsi Iob fecit, sed id potissimũ intendit, vt per impatientiam & blasphemiam animã perdat. Id quia non potuit in Iob, dicit Dominus ad Satan, *Tu autẽ commouisti me aduersus eum vt frustra eum affligerem.* Et cur frustra? nimirũ quia Satan nõ id assecutus fuit quod intendebat. Nitebatur n. Iob inducere in animi impatientiam & Dei blasphemiã. Et tantũ abest vt id effecerit vt hinc Iob fortior & constantior euaserit, & laudẽ Dei magnificauerit, dicens, *Dominus dedit Dominus abstulit, Sit nomen Domini benedictum.* Et ideo nõ frustra quo ad intentionẽ Dei, & profectum ipsius Iob. Hoc enim Deus intẽdebat vt quia Iob in misericordia, liberalitate, iudicio & sapientia bene exercitatus multũ profecerat, eundem in alio etiam virtutis genere exerceret, nimirum vt per afflictionem & calamitatem, animi robur, fortitudinem, & patientiam adipisceretur, quod & adeptus est, ideo nõ frustra sustinuit hanc calamitatem.

Basilius hom. 21. ex variis.

II. Hic est perpetua pugna, & nunquam perfecta victoria.

1. GRANDE bellum sustinent iusti à dæmone, carne, & mundo: in quo certamine quia acriter pugnandũ est, dicitur regnum cœlorũ vim pati & ꝙ violẽti rapiant illud. Nã sicut filii Israel terram promissionis possidere non potuerũt, nisi inde eiectis & deuictis hostibus filiis gigantum, in quorũ conspectu populi Dei quasi locustæ videbantur. *Num. 13.* Ita ait *Orig.* elect. Dei in regnum cœlorũ intrare non poterunt nisi deuictis hostib. suis dæmonibus, qui inde eiecti sunt, vt eorũ loca possideant, quorũ intuitu ipsi quasi locustæ videntur, & hi gigantes, quia viribus fortes sunt atq; potentes, ita vt etiã Deo resistere & aduersari audeant. Et hac de causa permittit Deus aduersarias virtutes

Orig. ho. 7. in Nu.

Orig. ho. 15. in Ioſ.

tutes exire aduerſus nos in prælium, *ait Origen.* vt victoriam reportemus & coronam promiſſam promereamur, iuxta illud Apocal. 2. *vincenti dabo manna abſconditum quod nemo ſcit niſi qui accipit.*

2. EST autem ingens contrariarum virtutum numerus, vt propterea Paulus in plurali numero dixerit. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates & principes, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum:* Eſt enim alius ſpiritus fornicationis, alius ſuperbiæ, alius auaritiæ, alius erroris, & alius diſcordiæ, & ſic de aliis per totum mundum diſperſis: quanquam vnus ſit Princeps horum omnium qui nequitia & ſcelere cæteris præeminet, qui huius nefandæ militiæ Dux ſit atque magiſter, cui cæteri in hoc officio parere debeant, *teſte Origene,* Contingit interdum vnum ac eundẽ hominem variis exagitari ſpiritibus, & diuerſis ſuccumbere vitiis, dum vnus alteri ſuccedit, & vndequaque hominem expugnare nituntur: Hoc enim eſt quod Iob ait c. 20. *vadent & veniẽt ſuper eum horribiles.* Quot n. vitiis decedentibus & ſuccedentibus premitur, tot malignis ſpiritibus, qui per horribiles hic intelliguntur,

Gregor. li. 15. moral. cap. 26.

teſte Greg. eius animus quaſi euntibus & redeuntibus vaſtatur. Sæpe namq; videas iniquum in terrena poteſtate conſtitutũ graui furore cõmoueri, quicquid ira ſuggerit, exequi, & cum furor abſceſſerit, mox eius mentem luxuria deuaſtat, cum luxuria ad tempus intermittitur, elatio protinus quatenus de conſcientia in eius cogitatione ſurrogatur. Ita vt de eo recte dicatur quod Iob 40. ſcriptum eſt, *Omnes beſtiæ agri ludent ibi:* quia ſuperborum cor ad omne vitium ſternitur, & cuilibet maligno ſpiritui, per beſtias ſignificato, praua cogitatione præparetur. Beſtiæ in her-

Gregor. li. 33. moral. cap. 2.

bis ludunt, *ait Gregor.* cum reprobi ſpiritus humana corda ad illicitas cogitationes pertrahunt. An non ab immundis ſpiritibus illuditur, cuius mens modo ficta promiſſione decipitur, modo vacuis terrorib. irridetur, modo ei tranſitoria gaudia quaſi manſura proponuntur, modo manſuras pœnas quaſi tranſitorias alleuiat ſpiritus erroris. Harũ procul dubio beſtiarum illuſionem pertimeſcebat qui dicebat, Deus meus in te confido non erubeſcam, neque irrideant me inimici mei. *hac Gregorius.*

3. HAC de cauſa ait Hieron. *epiſt. 1. ad Heliodor. tom. 1.* Erras frater erras, ſi putes vnquam Chriſtum perſecutionem non pati. Tunc maxime oppugnaris ſi te oppugnari neſcis. Aduerſarius noſter tanquam leo rugiens aliquẽ deuorare quærens circuit, & tu pacem putas? Inde perſequitur ſpiritus luxuriæ, inde ſpiritus iracundiæ conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus eſſe pro Chriſto, compellit libido vt habitãtem in me ſpiritum ſanctũ fugem, vt tẽplum eius violem: perſequitur me hoſtis cui mille nocendi artes, & ego infelix victorem me reputabo dum capior? Stadium eſt hæc vita *inquit*, hic Epiſt. 11.
contendimus vt alibi coronemur: nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur: magnis inimicorum circundamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia. Tu pacem arbitraris in terra quæ tribulos germinet & ſpinas, caro fragilis pugnat ſola cum pluribus, nulla eſt certa victoria: *aduerſarius noſter diabolus tanquã leo rugiens circuit quærens quem deuoret:* Non quærit homines infideles, non eos qui foris ſunt quos iam pacifice poſſidet: ſed vt propheta ait, Eſca eiꝰ electa eſt, Iob deuorare cupit, apoſtolos cribrare expetit, ac cæteros de eccleſia rapere feſtinat. Quoties ego ipſe, *ait*, in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridũ monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis ſedebã ſolus quia amaritudine repletus erã, horrebant ſacco mẽbra deformia, & ſqualida, cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus. Ille igitur ego qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram

by Google

puellarum, pallebant ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat, in frigido corpore libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus ad Ieſu iacebam pedes, rigabar lachrymis, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Si hoc ſuſtinent illi qui exeſo corpore ſolis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella quæ deliciis fruitur? nempe illud Apoſtoli, viuens mortua eſt. Quapropter recte nos monet Michæas cap. 7. *Ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui* Quem locum explicans *Hier. ſic ait*, Per hanc quæ dormit in ſinu aliam non poſſumus intelligere, niſi carnē, vt non facile credamus carnis deliciis aut blanditiis, nec virilis conſtantia animi, illius edomita molleſcat illecebris.

[margin: Hier. epiſt. & ad Euſtach.]

4. CVM Satan ait, Iob cap. 1. *Circuiui terram & perambulaui eam*) ſignificatur, *inquit Gregor.* quod carnalia corda perſcrutetur, & vniuſcuiuſque complexionem inueſtiget vt ſecundum hoc tentationis laqueos ponat. Alius namque lætis, alius triſtibus, alius timidis, alius elatis moribus exiſtit. Quo ergo occultus aduerſarius facilius capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat, & quia lætitiæ voluptas vicina eſt, lætis luxuriam proponit & quia triſtitia in iram facile labitur, triſtibus poculū diſcordiæ propinat: & quia timidi ſupplicia formidant, timidis pauores intentat. Singulis igitur hominib. vitiis conuenientibus inſidiatur, vt vndecumq; occaſionem accuſationis inuenire poſſit. Et non tranſuolaſſe ſed perambulaſſe ſe aſſerit, quia quē tētat, nequaquam velociter deſerit, ſed vbi molle cor inuenerit, ibi pedem miſeræ perſuaſionis figit vt immorando actionis prauæ veſtigia imprimat, & vbi cogitationes malas ingerit, verbū vitæ è memoria tollat & quos iuſtitiæ luce eniteſcere cernit, eorū mentes illiciti, deſideriis inflammare contendit, qui *teſte Gregorio*, plus ſe vrgeri tentationibus ſentiunt, quam tunc cum lucis internæ radios non videbant.

[margin: Greg. lib. 2. c. 24. & li. 29. c. 12. moral.]

[margin: Greg. 20. mor. c. 12.]

5. VNDE Bernar. *ſer. 2. in feſto Andreæ.* Hoc fratres, quod me vehemētius terret, quod & inter tāta pericula minus timorati, minus exercitati, minus quam neceſſe ſit ſolliciti videamur. Siquidem vnū ex duobus hæc noſtra negligentia probat, aut omnino traditos nos hoſtibus, & neſcire: aut ſi inter hæc conſeruamur, ei qui tuetur nos, ingratos inueniri. Heu mihi, vndique bella video, vndique tela volant, quocumque me verto nulla ſecuritas, & quæ mulcent & quæ contriſtant, & quæ moleſtant, & quæ adblandiuntur, omnia timeo: eſuries & refectio, ſomnus & vigilia, labor & quies pugnant contra me, nec minus proſpera vereor quam aduerſa, proſpera incautum me faciunt, aduerſa timidum. Et cum Pſalmiſta ait, *Scuto circundabit te veritas eius*) ſignificat *inquit Bernardus* quod vndique circundatus es tentationibus: Et vndique bella, ita vndique ſint & præſidia: ſic ſunt diabolus & angeli eius quaſi milui, ſub illius gallinæ alis ſimus quæ nos protegit, & nos non poterit contingere, quia hæc licet infirma ſit propter nos, fortis tamen eſt in ſe. *inquit Auguſt. in Pſal. 62.*

[margin: Serm. 5. in Pſalm. 90.]

6. HOSTIS noſter, inquit *idem* in Pſal. 30. nunc leo dicitur, nimirum cum aperte ſæuit, nunc draco cum occulte inſidiatur: Sicut autem aduerſus leonem opus eſt fortitudine & patientia, ſic opus eſt aduerſus draconem vigilantia. Perſecutio autem ſiue à leone, ſiue à dracone in Eccleſia nunquam ceſſat, & magis metuendus eſt cum fallit, quam cum ſæuit, quia apertum malum fremitus leonis à longe auditur, à longe cauetur, ſed lubricus draco occultis lapſibus & ſerpens leni contactu ſurrepens aſtuto ſibilo immurmurat & venena diffundit. Hoc igitur agit ſerpens antiquus vt blandimentis, leo vero vt ſuppliciis hominem à ſemita iuſtitiæ & rectæ fidei ſubuertat. Cuius vt crudelitas & fraudulentia notior fiat, duo memoriæ cauſa exempla ſubiiciam, quæ *Hieron.* refert in epiſtola de vita Pauli primi Eremitæ, *vbi ſic habet:* Multas apud Ægyptum & Thebaidem eccleſias tem-

pestas

geſtas ſæua populata eſt: Et perſeuerantē in fide martyrem, & inter equuleos laminasq; victorem iuſſit melle perungi & ſub ardentiſſimo ſole ligatis manibus poſt tergum reſupinari, ſcilicet, vt muſcarum aculeis cederet, qui ignitas ſartagines ante ſuperaſſet. Alium iuuenili ętate florentem in amœniſſimos hortos præcepit abduci ibiq; inter lilia candentia & rubentes roſas, cum leni iuxta murmure aquarum ſerperet riuus, & molli ſibilo arborum folia ventus præſtringeret, ſuper extructum plumis lectum reſupinari: Et ne ſe inde poſſet excutere, blandis ſerico nexibus irretitum relinqui. Quo cum recedentibus cunctis meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis ſtringere collum complexibus. Quid ageret miles Chriſti, & quo ſe verteret neſciebat: quem tormenta non vicerant, ſuperaret voluptas. Tandem cœlitus inſpiratus præciſam morſu linguam in oſculantis ſe faciem expuit, vt ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo ſuperaret. Quapropter etſi ad ſummum virtutis apicem pertigerimus vigilare oportet ſemper, & quāto magis ſpirituales noſtræ diuitiæ creſcunt, tanto & vigiliæ noſtræ intendantur, quia ſi non manifeſte poſſit ſalutem noſtram impedire, clanculo id faciet, & quādo videt nos à manifeſtis vitiis abhorrere, tunc alium comminiſcitur dolum quo opera noſtra faciat inutilia: Quos enim videt contemnentes diuitias & delicias, & ieiuniis ac precibus vacare, facit vt bonis operibus inflentur, & ad humanam ſpectent gloriam, quo ſcilic. à vera eos gloria faciat excidere.

7 Hoc manifeſtum nobis facit Dauid cum ait Pſalm. 90. *Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.* Quid eſt timendum in nocte, & quid in die? inquit *Auguſt in Pſalm. 90.* Cum quiſq; ignorans peccat, tanquam in nocte peccat: cum autē ſciens peccat, tanquam in die peccat. Tentatio nem quæ fit leuis in ſcientibus, ſagittam volantem per diem appellauit. Quæ ſunt leues tentationes? quæ non ſic vrgent vt cogant, ſed poſſunt cito declinatæ tranſire. Eadem rurſum fit grauis ſi perſecutor inſtet & vehementer terreat ignorantes, id eſt, nondum firmos in fide, nec ſcientes quod ad hoc ſunt chriſtiani vt futuram vitam ſperent. Cum cœperint terreri de malis temporalibus, putāt quod deſeruerit illos Chriſtus, & ſine cauſa ſint chriſtiani. Non enim norunt quia ad hoc ſunt chriſtiani vt præſentia ſuperent & futura ſperent.

8 SVNT autem quidam qui nouerunt ad futuram ſpem vocatos, quia quod nobis promiſit Deus non eſt de iſta terra: vnde omnes iſtæ tentationes tolerandæ ſunt vt illud acquiramus quod nobis promiſit Deus in æternum. Norunt iſta ſed quando cœperit perſecutor inſtare vehementer, agitare minis, pœnis vrgere & tormentis, aliquando cedunt, & ſcientes tanquam in die cadunt. Quare autem in meridie? quia multum feruet perſecutio. Dæmonium meridianum dicit propter ęſtum vehemētis perſecutionis. Quicumq; ergo Imperatorum perſecutione ſæuiente noluit feriri, & ideo negauit ſe eſſe chriſtianum, ſciens quod male faceret, peruenit ad illum ſagitta volās per diem. Qui vero non curauit præſentem vitam, ſed certus ſperauit futurum declinauit ſagittam volantem per diem: Cum vidiſſent inimici quod multi feſtinarent ad martyrium, & fideles crederent fortius & creſcerent, dixerunt, Quicumq; confeſſus fuerit nomen Chriſti, non occidatur, ſed torqueatur, & tamdiu torqueatur, quouſque neget ſe eſſe chriſtianum, ſi negauerit dimittatur. H c dæmonium eſt meridianū. *hæc Aug.*

9 CVM diabolus totus ſit ſordidus & fœtidus, *teſte Hieron.* nunquam malitiæ ſuæ ſordes aperte in hominum transfundet. ſed ſicut venena non dantur niſi melle circumlita, ſic vitia non perſuadet niſi ſub ſpecie vmbraq; virtutum, eaq; quadam delectatione obducit, quo facilius fallat: **In c. 1. Iob.**

vt si immoderata ira zelus iustitiæ putetur, & incautus timor humilitas existimetur, efficitur ita vero superbia libertas iudicetur. Et hoc modo vitia virtutum specie palliata facile simplicibus persuadentur, & hac fraude dæmones vt cum suadere nobis iniqua non possunt, ca sub virtutū specie nostris obtutibus opponant, & ne in sua malitia nudi conspiciantur, blande nobis sua proponunt, dum ostensa vtilitate mentem mulcent, & abscondita iniquitate corrumpunt. Siquis, v.g qui rebus propriis contētus decreuit nullis huius mūdi occupationibus implicari, valde formidans suæ quietis commoda perdere & cum peccatis lucra cumulare. Talem in hunc modum tentat diabolus dicens, *inquit Gregorius.* Deerit cito etiam quod habes, si sollicitudo prouida cesset parare quod deest: An non & terrena actio potest peragi & tamen in actione culpa declinari? Hinc interim blandiendo insinuat, & seorsum iam in negotio terreno quod prouidit peccati laqueum absc ondit. Sic insidiosi inimici dum quasi cōsulunt, occulta suggestione vitium cupiditatis in mētem ingerunt: & dum sollicitudo prouida cura, & tenacia parcitas putatur, & dum virtus creditur accepta retinere, cum graue sit vitium sua non elargiri, inde quasi expectat præmia, vnde dignus est inuenire tormenta, *inquit Greg.* Sæpe malorum pertinacia constantia dicitur, & dum mens à prauitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur. — Grego. 31. mor. c. 17.

10 SÆPE pigritia quasi quietis solatium appetitur, & cū grauis culpæ sit recta studiose non agere, magnæ virtutis meritum creditur à praua tantum actione cessare. *Hactenus Gregor.* cui conforme est quod *Bernard.* Proficientium sanctioribus studiis minime quidem sese opponere contrariæ virtutes aperte audent, sed ex occulto insidiari, & sagittas suas in pharetris parare, hoc est, ex scriptura secundum literam quæ occidit, accepta, in qua tanquā in pharetra occultatur sagitta & gladius verbi Dei. Vidi ego hominem, *inquit Bern.* bene currentem, & ecce cogitatio quidni tentatio fuit? quam multi, inquit, bonum hoc quo solus fruor, si essem in patria, impertiri possem fratribus, cognatis & amicis. Quid ni vado illuc vt saluem multos ex illis & me pariter: multo melius ibi degam vbi fructuosius. Quid plura? It & perit miser, non tam exul ad patriam quam canis ad vomitum, vnde se perdidit infœlix, & suorum acquisiuit neminem. — Ber. ser. 64 in Cant.

Quomodo prædicabunt enim nisi mittantur? Et scimus monachi officium esse non docere sed lugere. Bona visa est sua cogitationibus, sed rei exitus indicauit eam nō diuinitus inspiratā sed a diabolo sese in angelum lucis transformantem fuisse immissam.

11 Sic cogitent superbi supplentare gressus nostros, & narrauerunt vt absconderent laqueos & dixerunt quis videbit eos? quia enim subtilis sunt huiusmodi tentationes dum sub spec e virtutum vitia occultant & persuadent, ideo haud facile videri & agnosci possunt, proinde nec caueri, nisi duntaxat à perfectis & exercitatis qui illuminatos habent oculos & discretionem spirituum, qui cum apostolo possunt dicere, Quia non ignoramus astutias Sathanę. Ideo Deus meus illumina oculos meos vt non impingā in laqueos istos. Quis enim euadet eos nisi viderit, & quis videbit eos nisi tu illumines tenebras nostras? Sic enim scriptum est Iob 41. *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* quasi dicat, nisi ego qui seruorum meorum mentibus gratiam discretionis spirituum inspiro, vt reuelata malitia ipsius Leuiathan faciem eius nudam videant, quam coopertam ille sub habitu virtutis occultat. Hic dicit Iob velatam faciem diaboli, *inquit Hier.* quia transfigurat se in angelum lucis cum sub specie virtutum vitia persuadet. Reuelatur autem facies à Domino cum artes nequitiarum illius deteguntur. — Psalm. 63.

1 VETA-

d by Google

VII. A minimis incipit tentator, & paulatim ad impia quæq; deducit.

1. VETERATOR malorum diabolus cum sit magna malitia infectus, vt & hominem inficiat sibiq; similē efficiat, à minimis plerumq; incipere solet, *inquit Chrysost.* quod intueri hoc modo licet, Studebat Cain in homicidij fraterni reatum inducere, verum nō confestim cædē fratris illi suggessit, ne magnitudine sceleris commotus tam scelestum facinus abominaretur, sed prius persuasit deteriora offerre, nullum id esse peccatum dicēs, deinde inuidiæ veneno eum succendit, nihil etiā hinc mali subsequuturum persuadens, ita sensim in eam lapsus, postmodum ad cædem fratris & ad negationem sceleris eum impulit. Sic nemo repente ad extremam improbitatem impellitur: habet enim anima quendam insitum atq; innatum pudorem, quem subito proiicere non potest, sed sensim atq; paulatim ex negligentia perit. Prima itaq; serpentis suggestio mollis est & tenera, & facile repellitur, sed si hæc præ negligentia inualescere permittitur, ita roboratur vt in fine vix vinci possit, *inquit Greg.* & violenta consuetudine ita hominem stringit & ligat, vt vix liberari queat. Hinc tāto quisq; debet initia tentationis fugere celerius, quanto finem eius intelligit difficilius solui posse.

Chrys. ho. 27. in Mat.

Gregor. 3. mor. c. 16.

2. ITAQVE qui in hac lucta perfectam vult obtinere victoriam initia tentationum obseruet necesse est, iuxta illud Psalmistę, *Beatus qui tenet & allidit paruulos tuos ad petram:* qui tenet inquam, ne scilicet vlterius progrediantur, & id quod conceptum est allidit & conterit ad petrā Christum. Conuenienter autem cum adhuc paruulę sunt huiusmodi tentationes allidi eas mandat Dominus, dum enim cogitatio mala in initiis est, facile è corde eiici potest. Quod si frequenter iteretur & diu permaneat, adducet animam sine dubio ad consensum, *inquit Origenes*, & post consensum intra cor suum confirmatum, certum est, quia ad peccati tendit effectum, & cum adulta fuerit huiusmodi cogitatio mala, & consuetudo inueterata, iam vix poterit expelli. Hinc de muliere, inter quam & serpentem proclamatum est bellum, *Genes. 3.* dicitur, *Et ipsa cōteret caput tuum.* Caput serpentis, *inquit August.* est initium malæ suggestionis illius: quando incipit male suggerere, tunc repelle, antequam surgat perniciosa delectatio & sequatur consensio. Hoc est opus nostrum in hac vita, hæc malitia nostra, *inquit August.* actiones carnis spiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frenare, interimere. Quando delectat peccatum & non ei consentitur, mortificatur, si vero iam non delectet quod prius delectabat, mortificatum est, *inquit August.* In hoc agone dum confligimus, Deum habemus spectatorem, in hoc agone dum laboramus Deum poscimus adiutorem, si enim nos ipse non adiuuet, non dico vincere sed nec pugnare poterimus. *hæc Augustinus.*

Orig. ho. 4. in Cant.

In Psal. 48.

Ser. 13. de Verb. Apost.

3. ADVERSARIVS noster semper paratus est in nos irrumpere, & cum locum ei dederimus ingreditur. Solet autem antequam veniat & antequā ingrediatur quędam iacula præmittere & præcursorem aduentus sui facere cogitationem: Sicut enim Deus stat ad ostium & pulsat vt introeat, & si quis eum intromiserit, ingreditur & cœnat cum eo, qui ipsum receperit: Ita diabolus stat & pulsat ostium cordis nostri malam cogitationem immittēdo, quam si quis in corde susceptā nutrierit intrinsecus, & crescere fecerit, cum in nobis prolem suam auctam viderit, audebit & ipse intrare & ibi commorari, paulatim hominem corrumpens sibiq; similem eum efficiens, verbi gratia in cor Iudæ primam iecit sagittam vt traderet Saluatorem: quam si exceptam ille miserabilis non fouisset, neq; nutriuisset, nunquam post intinctum panem introisset in eum Sathanas. Et cum quæso post intinctum panem in eum introisset dicitur quē iam antea possideat? nisi quia iam plenius eum vt suum mancipium sibi vsurparet, perfectiusq; dominium in eum cōquire-

quireret: antea enim velut extrinsecus Iudam oppugnabat malas cogitationes immittēdo, quas facile potuisset repellere. Iam vero intrinsecus eum inhabitabat, vnde & ad maiora scelera eum impellebat, non solum vt Christum venderet & traderet, sed etiam vt seipsum ex desperatione interimeret atq; suspenderet, neq; enim cessabat nisi hominem ad extremū malorum perduxisset. Et diligenter attendēdum quod in conuiuio Saluatoris post intinctam panem Satanas introiret in Iudam, quia tunc vel maxime in potestatem dęmonis homo traditur, quando nec humanitate, nec clementia, nec mansuetudine Dei vincitur, sed indigne eum odit à quo non nisi beneficia accipit: vt enim summæ bonitatis indicium est odienti se benefacere & bonum pro malo repēdere, Ita extremæ malitiæ argumentum est diligentem se odisse & malo bonum remunerare. Hinc notanter dicitur, *inquit Hier.* quod post intinctum panem Iudæ à Christo porrectum in eum introiuerit Satan, quia beneficia Christi spernens pleniori iure à Satana possidebatur vt iam cum eo ageret quod vellet. In cap. 6. Eph.

PARS IV.

Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Matth. 24.

Summa eorum quæ hic tractantur.

I. *Cur Deus hominem impugnari sinat, & quos diabolus potissimum impugnet.*

II. *Deus pugnantes adiuuat, ideo in hac pugna diabolus non est metuendus.*

III. *Quæ arma in hoc prælio sint assumenda.*

IV. *Non est hic perfecta victoria, miseri tamen sunt qui in hoc prælio succumbunt.*

ART. I. Cur Deus hominem impugnari sinat.

1. PERMITTIT Deus etiam sanctos suos impugnari, quin & interdum labi, idq; ea de causa, aut quia ipsa vetusti aduersarij astutia & impugnatio vtilitati suffragatur iustorum, vt dum sanctorum animas ad interitum tentat & impugnat volens, ad regnum cœlorum impugnādo transmittat nolens: impugnādo inimicos, aut in humilitate conseruat: quomodo Paulus stimulis carnis agitabatur, ne magnitudo reuelationum extolleret eum. Qui elatus perire poterat, tentatus est ne periret, *inquit Gregor.* Sic antiquus hostis occultis Dei dispensationib. seruiens, vnde impugnat vt perdat, agit inde ne percāt sācti, quia impugnati aut magis humiles, aut magis probati redduntur. Grego. 31. moral. c. 11. Cæterum quia iusti ad imitandum nobis sunt positi, ideo curatum est *inquit Ambr.* vt & ipsi aliquando laberentur. Nam si in offensum à vitiis inter tot lubrica, huius seculi curriculum peregissent, dedissēt nobis infirmiorib. occasionem æstimandi ne virtutibus egregij plusquam homines crederētur, & cuiusdam diuinæ fuisse naturæ, vt culpæ consortium habere non possent: Quæ opinio vtiq; vt extra sortem nos illius substantiæ, ab impossibili imitatione reuocaret. Ergo dum lapsus eorum lego, *inquit Ambr.* consortes etiam illos infirmitatis agnosco, & sicut innocentiæ ita & pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumamus, vt nos docerent quemadmodum admissum possimus emēdare delictum. *hæc ille.* Ambr. lib. de apol. Dauidis

2 QVANQVAM ab initio mundi bellum sit proclamatum inter serpētem & mulierem, semen huius & illius, *vt patet Genes. 3.* potissimum tamen illud sæuiet tempore Antichristi, quanto Satanas soluetur vt totis suis suorumq; viribus sæuiat quantum voluerit, *inquit August.* Iam alligatus dicitur *Apoc. 20.* quia non permittitur exercere totam malitiam & tentationem quam posset vel vi, vel dolo, cogendo violenter homines in partes suas, vel fallendo fraudulenter. Quod si permitteretur Augu. 20. de ciui. c. 8.

in tam

in tam longo tempore & tanta infirmitate multorum, plurimos tales quales Deus id perpeti non vult & fideles deiiceret, & ne crederent impediret, quod ne faceret alligatus eſt. Tunc autem ſoluetur ad breue tempus, nimirum tribus annis cum medio, & permittetur ſæuire quãtum voluerit & potuerit: & tales erunt cum quibus belligerabit, vt vinci tanto eius impetu inſidiſque non poſſint. Si autem nũquam ſolueretur, minus appareret maligna eius potentia, minus ſanctæ ciuitatis fideliſſima patientia probaretur, minus quoque perſpiceretur quam magno eius malo tam bene fuerit vſus omnipotens Deus, qui cum nec omnino abſtulit à tentatione Sanctorum, quamuis ab eorũ interioribus hominibus, vbi in Deum creditur, foras miſſum, vt forinſecus eius oppugnatione proficerent. Et ſoluetur in fine, vbi quam fortem aduerſarium Dei ciuitas ſuperauerit, cũ ingenti gloria ſui Redemptoris, adiutoris, liberatoris aſpiciat.

3. In eorum ſane qui tunc futuri ſunt ſanctorum atq; fidelium comparatione quid ſumus? quandoquidem ad illos probandos tantus ſoluetur inimicus, cũ quo nos ligato tãtis periculis dimicamus. *Sed ſi ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper*
Eccleſ. 10. *te locum tuum ne dederis ei*, inquit Eccleſ. Ille ſuperbus & temerarius vult aſcendere, ſed etiam ſi te oppreſſum putauerit, & ſe extulerit, tu ne dederis locum. Poteſtas quippe diaboli non in temeritate illius atq; iactantia, ſed in tua eſt voluntate *in-*
Hier. in c. 6. Eph. Aug. li. 2. ad impli. *quit Hier*. Et vt Aug. docet, ſicut mala voluntas qua quis nocere appetit, non eſt à Deo, ſic non eſt poteſtas niſi à Deo: quanquam n. ſit in cuiuſq; poteſtate quid velit non tamen eſt in eius poteſtate vt poſſit vel facere cuiquã, vel à quoquã pati. Nam & filius Dei dicenti Pilato quod poteſtatem haberet crucifigendi & dimittendi eum, reſpondit, *Non haberes in me poteſtatẽ, niſi tibi deſuper data eſſet*. Diabolus etiam volens nocere Iob, nocendi quidem volũtatem habebat ſed tamen à Domino poteſtatem petebat, dicens, *Mitte manum & tange carnes eius* quo ſignificabat quod etiam ipſam permiſſionem à Deo petebat ſine qua volebat perficere non poterat, *hæc Auguſtinus*.

4. Sed dicet aliquis, Si ligatus eſt Satan quare adhuc tantũ præualet? Multũ præualet, *inquit Aug* ſed tepidis & negligentib. & Deum in veritate non timentib. Al- Aug. ſer. 197. de té.
ligatus eſt n. tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere niſi illum qui ſe ei mortifera ſecuritate coniunxerit. Iam videte quam ſtultus ſit ille, quẽ canis in catena poſitus mordet. Tu nec te illi per voluptates & cupiditates ſeculi noli coniungere, & ille ad te non præſumet accedere: latere poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem: non n. cogendo ſed ſuadendo nocet nec extorquet à nobis conſenſum ſed petit. Cur ergo qui multũ timidus es, times vbi non eſt timor? non autem times vbi magis eſt timendum? Times aduerſarium & non times offendere Deum, & dum times eum ſuperaris ab eo: Reſiſte diabolo & te fugiet: fugientem vincere facile.

5. Hieronymus ſcribẽs ad Demetriad. virg. *ſic ait epiſt.* 1. Ab eo tempore quo primum per virginitatis profeſſionẽ Domino es conſecrata, aduerſarii in te creuit odium & qui aliena lucra pro ſuis damnis habet, ſe amiſiſſe ducit quicquid te poſſeſſuram dolet: Grandi tibi opus eſt vigilantia, grandiq; cura, & tanto ſollicitius cauendus eſt inimicus, quanto apud Deum ditior eſſe cœpiſti. vacuus viator & nudus non timet latronis inſidias, ſecurus à nocturnis furibus dormit. Diuiti vero latronis inſidiæ ſemper ſuſpectę, & iugi ſollicitudine noctium ſomnum adimunt. vnde tuæ quoq; diuitiæ cœleſtis theſaurus, iſta cautione indigent atque cuſtodia & quanto ditior es, tanto debes eſſe vigilantior, qui enim plus poſſidet, plus debet timere ne perdat, inuidere non ceſſat auctor inuidiæ, & qui ſemel à Deo eſt proiectus, tanto liuore maiore torquetur, quãto aliquem apud eum videt clarioreme

Digitized by Google

& Elias, iuxta illud Matth. 17. *Elias venturus est & restituet omnia*, plurimos Iudæorũ ad fidem Christi conuertent, si non omnes saltem eos qui in libro vitæ scripti sunt & ab æterno ad salutem destinati: Iuxta illud Danielis 12. *In tempore illo saluabitur populus tuus omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Et quanquam non omnes Iudæi sint tunc conuertendi, quia tamen aliquid speciale illo tempore promittitur, verisimile est maiori ex parte Iudæos tunc fore conuertendos, partim viuentibus & prædicãtibus Elia & Enoch, partim post mortẽ eorũ: Occidentur enim vno mense ante mortẽ Antichristi & iacebunt corpora eorum in plateis Ierusalẽ per tres dies & dimidium, post quos spiritus vitę intrabit in eos & stererunt super pedes suos & ascenderunt in cœlum in nube, *vt dicitur Apoca.* 11. Tunc Iudæi ex huiusmodi signis & aliis mirabilibus quæ cõtingent in morte Antichristi, videntes se per eum deceptos conuertentur ad fidem maiori ex parte.

Dan. 12.

Apoc. 11.

IV. De fine & obitu Antichristi.

1. EXPLETO tempore ipsius Antichristi à Deo constituto, sensim incipiet Deus suæ iustitiæ gladiũ aduersus impios exercere, partim vt & cæteri terreãtur & ad pœnitentiam festinent, partim ne fideles tantis persecutionibus diutius continuatis succumbant & à fide deficiant. Et imprimis Gog & Magog primarii & potentissimi Duces exercitus Antichristi diuina vltione & cœlesti igne delebuntur cum suis agminibus super montes Israel. Ita enim de iis legimus Apoca. 20. *Et descendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos:* Et loquitur de Gog & Magog & exercitu eorum. Item dicitur de iisdem Ezechi. 39. *Et immittam ignem in Magog. Super montes Israel cades tu & omnia agmina tua, & populi tui qui sunt tecum, feris, auibus, omnique volatili, & bestiis terræ dedi te ad deuorandum.* Ipse vero Antichristus & eius pseudoprophetæ viui mittentur in stagnum ignis & sulphuris. Ita enim de iis legimus Apoca. 19. *Et apprehensa est bestia*, hoc est, Antichristus: *& cum ea pseudopropheta, qui fecit signa corã ipso*, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ: *Et viui missi sunt in stagnum ignis & sulphuris.* Apprehensi sunt, nempe iussu Domini, à dæmonibus diuinæ iustitiæ ministris: Et missi viui in stagnum ignis, terra omnirũ dehiscente. Nõ tamen est verisimile quod viui peruenient vsq; ad stagnũ ignis, sufficit vt viui illuc rapiantur, sicut Dathan & Abiron dicuntur viui descendisse in infernum, quos tamen in immenso illo præcipitio prius mortuos fuisse antequã ad terminum peruenirent, ex eo patet, quia *statutũ est omnibus hominibus semel mori*, teste Paulo: & ratio quoque suffragatur, quia hiatus terræ se [illegible] claudebat vt superuiuere nõ possẽt. De Antichristo etiã loquitur *Paul. 2. Thess.* 2. quod eũ *Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*, hoc est, *inquit Chrysost.* explicãs hunc locum, efficaci & potenti imperio suo, quo omnis creatura illi seruit ad vindictam impiorum: Interficientur igitur Antichristus & pseudopropheta illius intra ipsam terram antequam perueniant ad gehennam.

Num. 16.

2. EST probabile omnino Iudæos post cõuersionẽ suã, mortuo iã Antichristo, ceteris fidelibus christianis cõiunctos, reliquos Antichristi socios eiusq; cõfœderatos, qui superstites reperiẽtur, è medio sublaturos spatio 45. dierũ post interfectionẽ Antichristi, & tunc in toto orbe christiano persecutiones fideliũ cessaturas: extinctisq; christiani nominis hostibus in summa tranquillitate ac securitate fideles pietatis exercitiis iterum vacaturos. Vnde beati prædicantur *Danie.* 2. qui expectant & perueniunt vsque ad dies 1335. quia videlicet tunc fideles quiete & pace obtẽta absque vllo metu & impedimento ritu solito Deo viuo & vero seruient & sacrificabunt, ac reliqua christianæ religionis exercitia habebunt. Quin & officiis vitæ humanæ necessariis vacabunt, vt plantent, ædificẽt, emant & vendant, quod prius tẽpore Antichristi fidelibus interdictũ erat, cũ nemo vendere aut emere posset nisi qui haberet characterẽ bestię. Et hac fœlicitate temporali multi abutentur, *& comedent &*

Dan. 12.

Matth. 24.

Digitized by Google

& bibent, sicut in diebus Noe, & tunc eis subitaneus superueniet interitus, & non effugient.

PARS III.

Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio vsque modo, neque fiet. Matt. 24.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Diabolus cum sit osor Dei & hominis nil nisi bellum quærit quo hominem interimat.*

II. *Hæc pugna non vno atque altero die, sed toto vitæ nostræ tempore durat.*

III. *A minimis incipit, & ad impia quæque paulatim deducit.*

ART. I. Diabolus ex odio Dei & hominum nil nisi bella quærit. Iob. 39.

1. PVLCHRE admodum describit nobis Iob sub parabola equi, fortitudinem, audaciam, pugnandi auiditatem ipsius diaboli, cum ait, *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Gloria narium eius terror: terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. Contemnit pauorem nec cedit gladio, vbi audierit buccinam, dicit vah, procul odoratur bellum.* Quem locum exponens *Hiero.* dicit, Hunc equum aduersariam potestatem arbitror posse intelligi, qui *Apoc. 6.* Rufus describitur, cruore hominum respersus scilicet cui datum est atq; permissum tollere pacem de terra, quia totus in hoc est vt excitet discordias inter homines etiam vsque ad sanguinis effusionem. Cum autem dicit Iob, *Nunquid præbebis equo fortitudinem?* quasi dicat, vt ego: *Aut circundabis collo eius hinnitum?* quo scilicet præ superbia tumeat contra Deum & blasphemiam loquatur: Qui dum à Deo permittitur, præberi ei fortitudo dicitur: *Et dicitur gloria narium eius terror*, quia spiritus furibundus etiam ipso anhelitu terret & in hominis necē anhelat. *Terram vngula fodit*, quia homines terram sapientes conculcat, & cum eos contriuerit, sibique subiecerit facit eos ea contritos contritione, qualis est contritio & infelicitas in viis eorum qui in Deum sunt impii. *Exultat audacter*, quia gaudet superbus præsumptionis audaciæ quousque ad perniciem pugnet contra omnes. *In occursum pergit armatis*, quando scilicet arcem mentis expugnare moliens aduersus murum virtutum arietes obiicit vitiorum. De quo Psalmista, *Quousque irruitis in hominem? interficitis vniuersi vos tanquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ?* paries inclinatus quia parum firmus facile ariete deiicitur, sic homo infirmus facile vincitur. *Contemnit pauorem, nec cedit gladio*, quia si ad contumaciam & voluptatem illius iniquissimā ac procaciter impudentissimam attendamus, intrepidus non terretur, non erubescit etiamsi gladio Dei territus fuerit & fugatus, reuertetur iterum, nec confutatus abscedit, feruens ac fremens in hominē furore inuidiæ, vt iam absorbeat illecebris peccatorem, & deuotatum in corpus perditæ congregationis suæ trāsferat, vti insinuat Psalmista cum ait Ps. 123. *Nisi quia Dominus erat in nobis cum exurgerēt homines in nos forsitā viuos deglutissent nos. Cum audierit buccinam dicit, vah, procul odoratur bellum. Buccinam* prædicatores intelligit cohortantes vt contra aduersarium suum stent fortes in bello: *Stupenti animo dicit, vah*, quasi dicat, quid audio. Hac quisquam præsumit audacia vt contra me cogitet bella constituere? Subtilis & vigilantissimus inimicus cum senserit signa aliqua in homine, quomodo ei eiusq; vitiis resistendum sit, præuenire contendit, ne sumptis sanctitatis armis contra diabolū se defendat homo. *hactenus Hier.*

2. INTER diabolum & mulierem, & semen vtriusq; diuina auctoritate sunt positæ atq; firmatæ inimicitiæ, sic n. legimus Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuū & semen mulieris*, vt exinde homo cognoscat sociatē cum hoste amici-

amicitias non debere. Nunquã enim cõtraria impune iunguntur, nec diuersa sine pernicie copulantur. Neque enim lupus agnum, aut hœdum pardus patitur. Et diabolus serpens antiquus cum nos cum parentibus nostris occiderit, nec vlli nostrum aliquando pepercerit, cur cum inimico fœdera illicita cõmiscemus? Quod si dũ separamur ab illo, nocet, qualis erga nos esse poterit, si ei cõtra edictũ Domini copulemur? Sed etsi nunquã nobis hostilis malitiæ nocuisset audacia, Domini tamen fuerant obseruanda præcepta. Nunquam n. cum hoste iũgitur concordia, nisi Imperator proprius offendatur, vnde qui se amicitiis cõiunxerit diaboli, renunciat amicitiæ Christi. Recordare vocis illius, quam dum sacris instituereris, emisisti, *Renuncio tibi Satan, & omnibus operib. tuis.* Sine hoc verbo nunquam in forum prodeas, *ait Chrys.* sed cum ianuæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum, Renuncio tibi Satana, & coniungor tibi Christe. Nec vnquam absq; hac voce exeas, hæc erit tibi baculus, hæc armatura: cũ hoc verbo & crucem fronti imprime, vt sis miles paratus, & contra diabolum trophæum erigens iustitiæ coronam accipias. *hæc Chrys.*

Chryſ. ca. 1. Gen. & ho. 21. ad pop. Ant.

3. QVANDOQVIDEM vero Satan aduersus Deum rebellis est effectus, quem prius odio habuit, repugnauit & contẽpsit, hinc & osor hominis est factus. Cum enim alienatus esset à Deo, vbi vidit hominem ad ipsius imaginem factum, cum non posset in auctorem ipsum, quem ante omnes lædere cupit, in eius imaginem suam exercuit malignitatem: veluti si quis homo, quando Regẽ inimicum attingere nõ valet, eius simulachrum cæderet. Vidi ego, *ait Basil.* & res certa est inter animalia hominibus inimicissima, pardulũ quandoq; in stadiis hominis oculos præ ira inuadẽtem. Qui feræ quærunt deludere furorem hominis imaginem ei ex charta ostendũt: illa statim furibunda eam concerpit atq; dilacerat. Hoc argumento satis ostendẽs quanta sit eius aduersus hominem inimicitia. Sic itidem & diabolus ipse in Dei imagine, quo sit erga Deum odio, ostẽdit, quãdo Deum ipsum attingere nequit: sic & contra nos bellum ipsius satis ostendit Dei aduersarium illum esse, & ante omnia Deũ petere. Et patũ est crudelissimo huic hosti nostro si bona nostra diripiat & corpus affligat, vt ipsi Iob fecit, sed id potissimũ intendit, vt per impatientiam & blasphemiam animã perdat. Id quia non potuit in Iob, dicit Dominus ad Satan, *Tu autẽ commouisti me aduersus eum vt frustra eum affligerem.* Et cur frustra? nimirũ quia Satan nõ id assecutus fuit quod intendebat. Nitebatur n. Iob inducere in animi impatientiam & Dei blasphemiã. Et tantũ abest vt id effecerit vt hinc Iob fortior & constantior euaserit, & laudẽ Dei magnificauerit, dicens, *Dominus dedit Dominus abstulit, Sit nomen Domini benedictum.* Et ideo nõ frustra quo ad intentionẽ Dei, & profectũ ipsius Iob. Hoc enim Deus intẽdebat vt quia Iob in misericordia, liberalitate, iudicio & sapientia bene exercitatus multũ profecerat, eundem in aliis etiam virtutis genere exerceret, nimirum vt per afflictionem & calamitatem, animi robur, fortitudinem, & patientiam adipisceretur, quod & adeptus est, ideo nõ frustra sustinuit hanc calamitatem.

Basilius hom. 21. ex variis.

II. Hic est perpetua pugna, & nunquam perfecta victoria.

1. GRANDE bellum sustinent iusti à dæmone, carne, & mundo: in quo certamine quia acriter pugnandũ est, dicitur regnum cœlorũ vim pati & q; violẽti rapiant illud. Nã sicut filii Israel terram promissionis possidere non potuerũt, nisi inde eiectis & deuictis hostibus filiis gigantum, in quorũ conspectu populi Dei quasi locustæ videbantur. *Num.* 13. Ita ait *Orig.* electi Dei in regnum cœlorũ intr. oi re non poterunt nisi deuictis hostib. suis dæmonibus, qui inde eiecti sunt, vt eorũ loca possideant, quorũ intuitu ipsi q̃asi locustæ videntur, & hi gigantes, quia viribus fortes sunt atq; potentes, ita vt etiã Deo resistere & aduersari audeant. Et hac de causa permittit Deus aduersarias virtutes

Orig. ho. 7. in Nu.

Digitized by Google

Orig. ho. 15. in Ioſ. tures exire aduerſus nos in prælium, *ait Orige.* vt victoriam reportemus & coronam promiſſam promereamur, iuxta illud Apocal. 2. *vincenti dabo manna abſconditum quod nemo ſcit niſi qui accipit.*

2. EST autem ingens contrariarum virtutum numerus, vt propterea Paulus in plurali numero dixerit. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus poteſtates & principes, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum:* Eſt enim alius ſpiritus fornicationis, alius ſuperbiæ, alius auaritiæ, alius erroris, & alius diſcordiæ, & ſic de aliis per totum mundum diſperſis: quanquam vnus ſit Princeps horum omnium qui nequitia & ſcelere cæteris præeminet, qui huius nefandæ militiæ Dux ſit atque magiſter, cui cæteri in hoc officio parere debeant, *teſte Origene.* Contingit interdum vnum ac eundẽ hominem variis exagitari ſpiritibus, & diuerſis ſuccumbere vitiis, dum vnus alteri ſuccedit, & vndequaque hominem expugnare nituntur. Hoc enim eſt quod Iob ait c. 20. *vadent & veniẽt ſuper eum horribiles.* Quot n. vitiis decedentibus & ſuccedentibus premitur, tot malignis ſpiritibus, qui per horribiles hic intelliguntur, Gregor. li. 15. moral. cap. 16. *teſte Greg.* eius animus quaſi euntibus & redeuntibus vaſtatur. Sæpe namq; videas iniquum in terrena poteſtate conſtitutũ graui furore cõmoueri, quicquid ira ſuggerit, exequi, & cum furor abſceſſerit, mox eius mentem luxuria deuaſtat, cum luxuria ad tempus intermittitur, elatio protinus quatenus de conſcientia in eius cogitatione ſurrogatur. Ita vt de eo recte dicatur quod Iob 40. ſcriptum eſt, *Omnes beſtiæ agri ludent ibi:* quia ſuperborum cor ad omne vitium ſternitur, & cuilibet maligno ſpiritui, per beſtias ſignificato, praua cogitatione præparetur. Beſtiæ in herbis ludunt, Gregor. li. 33. moral. cap. 2. *ait Gregor.* cum reprobi ſpiritus humana corda ad illicitas cogitationes pertrahunt. An non ab immundis ſpiritibus illuditur, cuius mens modo ficta promiſſione decipitur, modo vacuis terrorib. irridetur, modo ei tranſitoria gaudia quaſi manſura proponuntur, modo manturas pœnas quaſi tranſitorias alleuiat ſpiritus erroris. Harũ procul dubio beſtiarum illuſionem pertimeſcebat qui dicebat, Deus meus in te confido non erubeſcam, neque irrideant me inimici mei. *hæc Gregorius.*

3. HAC de cauſa ait Hieron. *epiſt. 1. ad Heliodor. tom. 1.* Erras frater erras, ſi putes vnquam Chriſtum perſecutionem non pati. Tunc maxime oppugnaris ſi te oppugnari neſcis. Aduerſarius noſter tanquam leo rugiens aliquẽ deuorare quærens circuit, & tu pacem putas? Inde perſequitur ſpiritus luxuriæ, inde ſpiritus iracundiæ conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus eſſe pro Chriſto, compellit libido vt habitãtem in me ſpiritum ſanctũ fugem, vt tẽplum eius violem: perſequitur me hoſtis cui mille nocendi artes, & ego infelix victorem me reputabo dum capior? Stadium eſt hæc vita *inquit*, hic Epiſt. 22. contendimus vt alibi coronemur: nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur: magnis inimicorum circundamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia. Tu pacem arbitraris in terra quæ tribulos germinet & ſpinas, caro fragilis pugnat ſola cum pluribus, nulla eſt certa victoria: *aduerſarius noſter diabolus tanquã leo rugiens circuit quærens quem deuoret:* Non quærit homines infideles, non eos qui foris ſunt quos iam pacifice poſſidet: ſed vt propheta ait, Eſca eiꝰ electa eſt, Iob deuorare cupit, apoſtolos cribrare expetit, ac cæteros de eccleſia rapere feſtinat. Quoties ego ipſe, *ait*, in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridũ monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis ſedebã ſolus quia amaritudine repletus erã, horrebant ſacco mẽbra deformia, & ſqualida, cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus. Ille igitur ego qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram

Digitized by Google

puellarum, pallebant ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat, in frigido corpore libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus ad Ieſu iacebam pedes, rigabar lachrymis, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Si hoc ſuſtinent illi qui exeſo corpore ſolis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella quæ deliciis fruitur? nempe illud Apoſtoli, viuens mortua eſt. Quapropter recte nos monet Michæas cap. 7. *Ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui.* Quem locum explicans *Hier. ſic ait*, Per hanc quæ dormit in ſinu aliam non poſſumus intelligere, niſi carnē, vt non facile credamus carnis deliciis aut blanditiis, nec virilis conſtantia animi, illius edomita molleſcat illecebris.

[margin: Hier. epiſt. & ad Euſtach.]

4. CVM Satan ait, Iob cap. 1. *Circuiui terram & perambulaui eam*) ſignificatur, *inquit Gregor.* quod carnalia corda perſcrutetur, & vniuſcuiuſque complexionem inueſtiget vt ſecundum hoc tentationis laqueos ponat. Alius namque lætis, alius triſtibus, alius timidis, alius elatis moribus exiſtit. Quo ergo occultus aduerſarius facilius capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat, & quia lætitiæ voluptas vicina eſt, lætis luxuriam proponit & quia triſtitia in iram facile labitur, triſtibus poculū diſcordiæ propinat: & quia timidi ſupplicia formidant, timidis pauores intentat. Singulis igitur hominib. vitiis conuenientibus inſidiatur, vt vndecumq; occaſionem accuſationis inuenire poſſit. Et non tranſuolaſſe ſed perambulaſſe ſe aſſerit, quia quē tētat, nequaquam velociter deſerit, ſed vbi molle cor inuenerit, ibi pedem miſeræ perſuaſionis figit vt immorando actionis prauæ veſtigia imprimat, & vbi cogitationes malas ingerit, verbū vitæ è memoria tollat & quos iuſtitiæ luce eniteſcere cernit, eorū mentes illiciti deſideriis inflammare contendit, qui *teſte Gregorio*, plus ſe vrgeri tentationibus ſentiunt, quam tunc cum lucis internæ radios non videbant.

[margin: Greg. lib. 2. c. 24. & li. 29. c. 12. moral.]

[margin: Greg. 20. mor. c. 12.]

5. VNDE Bernar. *ſer. 2. in feſto Andreæ.* Hoc fratres, quod me vehemētius terret, quod & inter tāta pericula minus timorati, minus exercitati, minus quam neceſſe ſit ſolliciti videamur. Siquidem vnū ex duobus hæc noſtra negligentia probat, aut omnino traditos nos hoſtibus, & neſcire aut ſi inter hæc conſeruamur, ei qui tuetur nos, ingratos inueniri. Heu mihi, vndique bella video, vndique tela volant, quocumque me verto nulla ſecuritas, & quæ mulcent & quæ contriſtant, & quæ moleſtant, & quæ adblandiuntur, omnia timeo: eſuries & refectio, ſomnus & vigilia, labor & quies pugnant contra me, nec minus proſpera vereor quam aduerſa, proſpera incautum me faciunt, aduerſa timidum. Et cum Pſalmiſta ait, *Scuto circumdabit te veritas eius*) ſignificat *inquit Bernardus* quod vndique circundatus es tentationibus: Et vndique bella, ita vndique ſint & præſidia: ſic ſunt diabolus & angeli eius quaſi milui, ſub illius gallinæ alis ſimus quæ nos protegit, & nos non poterit contingere, quia hæc licet infirma ſit propter nos, fortis tamen eſt in ſe. *inquit Auguſt. in Pſal. 62.*

[margin: Serm. 5. in Pſalm. 90.]

6. HOSTIS noſter, inquit *idem* in Pſal. 30. nunc leo dicitur, nimirum cum aperte ſæuit, nunc draco cum occulte inſidiatur: Sicut autem aduerſus leonem opus eſt fortitudine & patientia, ſic opus eſt aduerſus draconem vigilantia. Perſecutio autem ſiue à leone, ſiue à dracone in Eccleſia nunquam ceſſat, & magis metuendus eſt cum fallit, quam cum ſæuit, quia apertum malum fremitus leonis à longe auditur, à longe cauetur, ſed lubricus draco occultis lapſibus & ſerpens leni contactu ſurrepens aſtuto ſibilo immurmurat & venena diffundit. Hoc igitur agit ſerpens antiquus vt blandimentis, leo vero vt ſuppliciis hominem à ſemita iuſtitiæ & rectæ fidei ſubuertat. Cuius vt crudelitas & fraudulentia notior fiat, duo memoriæ cauſa exempla ſubiiciam, quæ *Hieron.* refert in epiſtola de vita Pauli primi Eremitæ, *vbi ſic habet:* Multas apud Ægyptum & Thebaidem eccleſias tem-

peſtas

Digitized by Google

pestas sæua populata est: Et persecutante in fide martyrem, & inter equuleos laminasq; victorem iussit melle perungi & sub ardentissimo sole ligatis manibus post tergum resupinari, scilicet, vt muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset. Alium iuuenili ætate florentem in amœnissimos hortos præcepit abduci ibiq; inter lilia candentia & rubentes rosas, cum leni iuxta murmure aquarum serperet riuus, & molli sibilo arborum folia ventus perstringeret, super extructum plumis lectum resupinari: Et ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quo cum recedentibus cunctis meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere collum complexibus. Quid ageret miles Christi, & quo se verteret nesciebat: quem tormenta non vicerant, superaret voluptas. Tandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, vt sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superaret. Quapropter etsi ad summum virtutis apicem pertigerimus vigilare oportet semper, & quanto magis spirituales nostræ diuitiæ crescunt, tanto & vigiliæ nostræ intendantur, quia si non manifeste possit salutem nostram impedire, clanculo id faciet, & quando videt nos à manifestis vitiis abhorrere, tunc alium comminiscitur dolum quo opera nostra faciat inutilia: Quos enim videt contemnentes diuitias & delicias, & ieiuniis ac precibus vacare, facit vt bonis operibus inflentur, & ad humanam spectent gloriam, quo scilic. à vera eos gloria faciat excidere.

7 Hoc manifestum nobis facit Dauid cum ait Psalm. 90. *Non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* Quid est timendum in nocte, & quid in die? inquit *August. in Psalm. 90.* Cum quisq; ignorans peccat, tanquam in nocte peccat: cum autē sciens peccat, tanquam in die peccat. Tentatio nem quæ fit leuis in scientibus, sagittam volantem per diem appellauit. Quæ sunt leues tentationes? quæ non sic vrgent vt cogant, sed possunt cito declinatæ transire. Eadem rursum fit grauis si persecutor instet & vehementer terreat ignorantes, id est, nondum firmos in fide, nec scientes quod ad hoc sunt christiani vt futuram vitam sperent. Cum cœperint terreri de malis temporalibus, putāt quod deseruerit illos Christus, & sine causa sint christiani. Non enim norunt quia ad hoc sunt christiani vt præsentia superent & futura sperent.

8 SVNT autem quidam qui nouerunt ad futuram spem vocatos, quia quod nobis promisit Deus non est de ista terra: vnde omnes istæ tentationes tolerandæ sunt vt illud acquiramus quod nobis promisit Deus in æternum. Norunt ista sed quando cœperit persecutor instare vehementer, agitare minis, pœnis vrgere & tormentis, aliquando cedunt, & scientes tanquam in die cadunt. Quare autem in meridie? quia multum feruet persecutio. Dæmonium meridianum dicit propter æstum vehemētis persecutionis. Quicumq; ergo Imperatorum persecutione sæuiente noluit feriri, & ideo negauit se esse christianum, sciens quod male faceret, peruenit ad illum sagitta volās per diem. Qui vero non curauit præsentem vitam, sed certus sperauit futurum declinauit sagittam volantem per diem: Cum vidissent inimici quod multi festinarent ad martyrium, & fideles crederent fortius & crescerent, dixerunt, Quicumq; confessus fuerit nomen Christi, non occidatur, sed torqueatur, & tamdiu torqueatur, quousque neget se esse christianum, si negauerit dimittatur. Hic dæmonium est meridianū. *hæc Aug.*

9 CVM diabolus totus sit sordidus & fœtidus, *teste Hieron.* nunquam malitiæ suæ sordes aperte in hominum transfundet, sed sicut venena non dantur nisi melle circumlita, sic vitia non persuadet nisi sub specie vmbraq; virtutum, eaq; quadam delectatione obducit, quo facilius fallat: vt si In c. 1. Iob.

Digitized by Google

vt si immoderata ira zelus iustitiæ putetur, & incautus timor humilitas existimetur, effrenata vero superbia libertas iudicetur. Et hoc modo vitia virtutum specie palliata facile simplicibus persuadentur, & hac fraude dæmones vt cum suadere nobis iniqua non possunt, ea sub virtutũ specie nostris obtutibus opponant, & ne in sua malitia nudi conspiciantur, blande nobis sua proponunt, dum ostensa vtilitate mentem mulcent, & abscondita iniquitate corrumpunt. Si quis, v.g qui rebus propriis contẽtus decreuit nullis huius mũdi occupationibus implicari, valde formidans suæ quietis commoda perdere & cum peccatis lucra cumulare. Talem in hunc modum tentat diabolus dicens, *inquit Gregorius.* Deerit cito etiam quod habes, si sollicitudo prouida cesset parare quod deest: An non & terrena actio potest peragi & tamen in actione culpa declinari? Hinc interim blandiendo insinuat, & seorsum iam in negotio terreno quod prouidit peccati laqueum abscondit. Sic insidiosi inimici dum quasi cõsulunt, occulta suggestione vitium cupiditatis in mẽtem ingerunt: & dum sollicitudo prouida cura, & tenacia parcitas putatur, & dum virtus creditur accepta retinere, cum graue sit vitium sua non elargiri, inde quasi expectat præmia, vnde dignus est inuenire tormenta, *inquit Greg.* Sæpe malorum pertinacia constantia dicitur, & dum mens à prauitate sua flecti non patitur, quasi ex recti defensione gloriatur.

Grego. 31. mor. c. 17.

10 SÆPE pigritia quasi quietis solatium appetitur, & cũ grauis culpæ sit recta studiose non agere, magnæ virtutis meritum creditur à praua tantum actione cessare. *Hactenus Gregor.* cui conforme est quod *Bernard.* Proficientium sanctioribus studiis minime quidem sese opponere contrariæ virtutes aperte audent, sed ex occulto insidiari, & sagittas suas in pharetris parare, hoc est, ex scriptura secundum literam quæ occidit, accepta, in qua tanquã in pharetra occultatur sagitta & gladius verbi Dei. Vidi ego hominem, *inquit Bern.* bene currentem, & ecce cogitatio: quidni tentatio fuit? quam multis, inquit, bonum hoc quo solus fruor, si essem in patria, impertiri possem fratribus, cognatis & amicis. Quid non vado illuc vt saluem multos ex illis & me pariter: multo melius ibi degam vbi fructuosius. Quid plura? It & perit miser, non tam exul ad patriam quam canis ad vomitum, vnde se perdidit infœlix, & suorum acquisiuit neminem. Quomodo prædicabunt enim nisi mittantur? Et scimus monachi officium esse non docere sed lugere. Bona visa est sua cogitatio sibi, sed rei exitus indicauit eam nõ diuinitus inspiratã sed a diabolo sese in angelum lucis transformantem fuisse immissam.

Ber. ser. 64 in Cant.

11 Sic cogitant superbi supplantare gressus nostros, & narrauerunt vt absconderent laqueos & dixerunt quis videbit eos? quia enim subtiles sunt huiusmodi tentationes dum sub specie virtutum vitia occultant & persuadent, ideo haud facile videri & agnosci possunt, proinde nec caueri, nisi duntaxat à perfectis & exercitatis qui illuminatos habent oculos & discretionem spirituum, qui cum apostolo possunt dicere, Quia non ignoramus astutias Sathanę. Ideo Deus meus illumina oculos meos vt non impingã in laqueos istos. Quis enim euadet eos nisi viderit, & quis videbit eos nisi tu illumines tenebras nostras? Sic enim scriptum est Iob 41. *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* quasi dicat, nisi ego qui seruorum meorum mentibus gratiam discretionis spirituum inspiro, vt reuelata malitia ipsius Leuiathan faciem eius nudam videant, quam coopertam ille sub habitu virtutis occultat. Hic dicit Iob velatam faciem diaboli, *inquit Hier.* quia transfigurat se in angelum lucis cum sub specie virtutum vitia persuadet. Reuelatur autem facies à Domino cum artes nequitiarum illius deteguntur.

Psalm. 63.

III. Aminimis incipit tẽtator, & paulatim ad impia quæq; deducit. Chryſ. ho. 17. in Mat.

1. VETERATOR malorum diabolus cum ſit magna malitia infectus, vt & hominem inficiat ſibiq; ſimilẽ efficiat, à minimis plerumq; incipere ſolet, *inquit Chryſoſt.* quod intueri hoc modo licet, Studebat Cain in homicidij fraterni reatum inducere, verum nõ confeſtim cædẽ fratris illi ſuggeſſit, ne magnitudine ſceleris commotus tam ſceleſtum facinus abominaretur, ſed prius perſuaſit deteriora offerre, nullum id eſſe peccatum dicẽs, deinde inuidiæ veneno eum ſuccendit, nihil etiã hinc mali ſubſequuturum perſuadens, ita ſenſim in eam lapſus, poſtmodum ad cædem fratris & ad negationem ſceleris eum impulit. Sic nemo repente ad extremam improbitatem impellitur: habet enim anima quendam inſitum atq; innatum pudorem, quem ſubito proiicere non poteſt, ſed ſenſim atq; paulatim ex negligentia perit. Prima itaq; ſerpentis ſuggeſtio mollis eſt & tenera, & facile repellitur, ſed ſi hæc pra negligentia inualeſcere permittitur, ita corroboratur vt in fine vix vinci poſſit, *inquit Greg.* & violenta conſuetudine ita hominem ſtringit & ligat, vt vix liberari queat. Hinc tãto quiſq; debet initia tentationis fugere celerius, quanto finem eius intelligit difficilius ſolui poſſe.

Gregor. 3. mor. c. 16.

2. ITAQVE qui in hac lucta perfectam vult obtinere victoriam initia tentationum obſeruet neceſſe eſt, iuxta illud Pſalmiſtę, *Beatus qui tenet & allidit paruulos tuos ad petram:* qui tenet inquam, ne ſcilicet vlterius progrediantur, & id quod conceptum eſt allidit & conterit ad petrã Chriſtum. Conuenienter autem cum adhuc paruulę ſunt huiuſmodi tentationes allidi eas mandat Dominus, dum enim cogitatio mala in initiis eſt, facile è corde eiici poteſt. Quod ſi frequentius iteretur & diu permaneat, adducet animam ſine dubio ad conſenſum, *inquit Origenes*, & poſt conſenſum intra cor ſuum confirmatum, certum eſt, quia ad peccati tendit effectum, & cum adulta fuerit huiuſmodi cogitatio mala, & conſuetudo inueterata, iam vix poterit expelli. Hinc de muliere, inter quam & ſerpentem proclamatum eſt bellum, *Geneſ.* 3. dicitur, *Et ipſa cõteret caput tuum.* Caput ſerpentis, *inquit August.* eſt initium malæ ſuggeſtionis illius: quando incipit male ſuggerere, tunc repelle, antequam ſurgat pernicioſa delectatio & ſequatur conſenſio. Hoc eſt opus noſtrum in hac vita, hæc malitia noſtra, *inquit Auguſt.* actiones carnis ſpiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frenare, interimere. Quando delectat peccatum & non ei conſentitur, mortificatur, ſi vero iam non delectet quod prius delectabat, mortificatum eſt, *inquit Auguſt.* In hoc agone dum confligimus, Deum habemus ſpectatorem, in hoc agone dum laboramus Deum poſcimus adiutorem, ſi enim nos ipſe non adiuuet, non dico vincere ſed nec pugnare poterimus. *hæc Auguſtinus.*

Orig. ho. 4. in Cant.

In Pſal. 48

Ser. 13. de Verb. Apoſt.

3. ADVERSARIVS noſter ſemper paratus eſt in nos irrumpere, & cum locum ei dederimus ingreditur. Solet autem antequam veniat & antequã ingrediatur quędam iacula præmittere & præcurſorem aduentus ſui facere cogitationem: Sicut enim Deus ſtat ad oſtium & pulſat vt introeat, & ſi quis eum intromiſerit, ingreditur & cœnat cum eo, qui ipſum receperit: Ita diabolus ſtat & pulſat oſtium cordis noſtri malam cogitationem immittẽdo, quam ſi quis in corde ſuſceptã nutrierit intrinſecus, & creſcere fecerit, cum in nobis prolem ſuam auctam viderit, audebit & ipſe intrare & ibi commorari, paulatim hominem corrumpens ſibiq; ſimilem eum efficiens, verbi gratia in cor Iudæ primam iecit ſagittam vt traderet Saluatorem: quam ſi exceptam ille miſerabilis non fouiſſet, neq; nutriuiſſet, nunquam poſt intinctum panem introiſſet in eum Sathanas. Et cum quæſo poſt intinctum panem in eum introiſſe dicitur quẽ iam antea poſſideret? niſi quia iam plenius eum vt ſuum mancipium ſibi vſurparet, perfectiuſq; dominium in eum cõ-

quire-

Digitized by Google

in tam longo tempore & tanta infirmitate multorum, plurimos tales quales Deus id perpeti non vult & fideles deiiceret, & ne crederent impediret, quod ne faceret alligatus est. Tunc autem soluetur ad breue tempus, nimirum tribus annis cum medio, & permittetur sæuire quãtum voluerit & potuerit: & tales erunt cum quibus belligerabit, vt vinci tanto eius impetu in fidusque non possint. Si autem nũquam solueretur, minus appareret maligna eius potentia, minus sanctæ ciuitatis fidelissima patientia probaretur, minus quoque perspiceretur quam magno eius malo tam bene fuerit vsus omnipotens Deus, qui eum nec omnino abstulit à tentatione Sanctorum, quamuis ab eorũ interioribus hominibus, vbi in Deum creditur, foras missum, vt forinsecus eius oppugnatione proficerent. Et soluetur in fine, vbi quam fortem aduersarium Dei ciuitas superauerit, cũ ingenti gloria sui Redemptoris, adiutoris, liberatoris aspiciat.

3. IN eorum sane qui tunc futuri sunt sanctorum atq; fidelium comparatione quid sumus? quandoquidem ad illos probandos tantus soluetur inimicus, cũ quo nos ligato tãtis periculis dimicamus. *Sed si spiritus potestatem habentis ascenderit super te locum tuum ne dederis ei*, inquit Eccles. Ecclef. 10. Ille superbus & temerarius vult ascendere, sed etiam si te oppressum putauerit, & se extulerit, tu ne dederis locum. Potestas quippe diaboli non in temeritate illius atq; iactantia, sed in tua est voluntate *inquit Hier.* Et vt Aug. docet, sicut mala voluntas qua quis nocere appetit, non est à Deo, sic non est potestas nisi à Deo: quanquam n. sit in cuiusq; potestate quid velit non tamen est in eius potestate vt possit vel facere cuiquã, vel à quoquã pati. Nam & filius Dei dicenti Pilato quod potestatem haberet crucifigendi & dimittendi eum, respondit, *Non haberes in me potestatẽ, nisi tibi desuper data esset*. Diabolus etiam volens nocere Iob, nocendi quidem volũtatem habebat sed tamen à Domino pote-

Hier. in c. 6. Eph.
Aug. li. 2. ad impli.

statem petebat, dicens, *Mitte manum & tange carnes eius* quo significabat quod etiam ipsam permissionem à Deo petebat sine qua volebat perficere non poterat, *hæc Augustinus*.

4. SED dicet aliquis, Si ligatus est Satan quare adhuc tantũ præualet? Multũ præualet, *inquit Aug.* sed tepidis & negligentib. & Deum in veritate non timentib. Alligatus est n. tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere nisi illum qui se ei mortifera securitate coniunxerit. Iam videte quam stultus sit ille, quẽ canis in catena positus mordet. Tunc te illi per voluptates & cupiditates seculi noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere: latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem: non n. cogendo sed suadendo nocet nec extorquet à nobis consensum sed petit. Cur ergo qui multũ timidus es, times vbi non est timor? non autem times vbi magis est timendum? Times aduersarium & non times offendere Deum, & dum times eum superaris ab eo: Resiste diabolo & te fugiet: fugientem vincere facile.

Aug. ser. 197. de tẽ.

5. HIERONYMVS scribẽs ad Demetriad. virg. *sic ait epist.* 1. Ab eo tempore quo primum per virginitatis professionẽ Domino es consecrata, aduersarii in te creuit odium & qui aliena lucra pro suis damnis habet, se amisisse ducit quicquid te possessuram dolet: Grandi tibi opus est vigilantia, grandiq; cura, & tanto sollicitius cauendus est inimicus, quanto apud Deum ditior esse cœpisti. vacuus viator & nudus non timet latronis insidias, securus à nocturuis furibus dormit. Diuiti vero latronis insidiæ semper suspectę, & iugi sollicitudine noctium somnum adimunt. vnde tuæ quoq; diuitiæ cœlestis thesaurus, ista cautione indigent atque custodia & quanto ditior es, tanto debes esse vigilantior, qui enim plus possidet, plus debet timere ne perdat, inuidere non cessat auctor inuidiæ, & qui semel à Deo est proiectus, tanto liuore maiore torquetur, quãto aliquem apud eum videt clariorem

Qui inuidit Euæ paradiſum, quanto magis inuidit tibi regnum cœlorum? Cuncta mihi crede, ille nunc circuit vt B. Petrus ait deuorandi te cupidus. Verũ enimuero quanquam per totum annum chriſtianorum populus multis fluctibus calliditate diaboli infeſtetur, appropinquante tamẽ paſchali ſolennitate maiore impetu contra fideles quoſq; ſe præparare conſueuit, *inquit Auguſt.* & grauioribus ſtimulis corda noſtra impugnare & inquietare contendit. Sicut enim in diebus iſtis ad ſimilitudinem diaboli & angelorum eius, Pharao & Ægyptiorum populus perſequebatur filios Iſraelitarum, dum ex Ægypto egrederentur: Ita & hoc tempore imminẽte paſchali ſolennitate, quia veros Iſraelitas qui baptiſandi aut communicandi ſũt, dolet diabolus de ſuo exercitu & poſſeſſione diſcedere grauiores conſtituit tribulationes immittere, maiora ſcandala concitare. *hæc Auguſt.*

Aug. ſer. 85. de tẽp.

6. SED dum de perſecutione agimus nõ niſi bonorum loquimur. *inquit Aug.* quia malos perſequi diabolus non conſueuit, ſunt enim amici illius qui ſemper faciunt voluntatem eius, & in tantum eos nõ perſequitur, vt etiam per illos alios perſequatur, vt enim Deus per homines bonos tãquam per miniſtros ſuos agit quod bonum eſt. Ita diabolus per homines malos tanquam per ſuos ſatellites operatur quod malum eſt. Diabolus per malorum auaritiam veſtitos expoliat, Deus per homines bonos nudos veſtit: diabolus per impios lites diſſeminat, Deus per pacificos diſcordes conciliat. Omnes enim qui plena intentione ea quę Dei ſunt ſectantur, leuiathan contra ſe ſuſcitant, *inquit Gregor.* & eius malitiam ſancta ſua conuerſatione inflammant. Qui autem eius voluntati ſubiecti ſunt, quaſi quieto ab illo iure poſſidentur: Sed cum vniuſcuiuſq; ſpiritus ad conditoris ſui deſiderium recaleſcit, & torporem deſidię deſerit igne ſancti amoris ſuccenſus, cum libertatis ingenitę meminit, & teneri ab hoſte ſeruus erubeſcit, & cum diabolus videt ſe deſpici, & vias Dei teri, dum dolet contra ſe captum reniti, mox zelo accenditur, mox ad bellũ mouetur, & contra renitentem infinitas tentationes ſuſcitat. Ii ſunt enim de quibus Iob. 3. dicitur. *Qui parati ſunt ſuſcitare leuiathan*: quia cum diabolus quaſi ſopitus in prauo corde quieſceret, & veluti dormiret, poſtquam per conuerſionem impii ius peruerſę dominationis amiſerit, ad prouocationem certaminis excitatur, & piorum mentes illicitis deſideriis inflammare contendit. Sanctis enim nunquam infeſtationes, nunquam inſidiæ deerũt, *inquit Bernardus.* quia teſte Eccleſiaſte ca. 4. *vbi multa ſunt opes multi ſunt qui comedunt eas.* Et ideo vir ſapiens non minus erit ſolicitus ſeruare vineam ſuam, quam eam excolere, quia vt Poeta ait, *Non minor eſt virtus quam quærere parta tueri:* Et dum fortius inſtat hoſtis vt collectus gratiarũ diuitias diripiat maiori cura ſe obſeruet qui eas poſſidet neceſſe eſt.

Greg. 4. mora ca. 1.

Bern. ſer. 63. in Cãt.

7. NEC eſt quod animos frangat iuſtorũ multiplicitas certaminum & tentationũ, quia *qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, qui etiam cum tentatione facit prouentum, vt perfectiores non modo glorioſiores, ſed numeroſiores paret ex hoſte triumphos. Iuxta quod ſcriptum eſt. *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dexteris tuis.* Vbi per duo latera, dexteram & ſiniſtram *Ber.* intelligi putat infirmos & fortes, carnales & ſpirituales. Solent autem ſpiritales & fortiores & abundantiore malignitate & numeroſiore manu oppugnari, quam infirmi, & acrius impugnari ſpiritales quã carnales. Vnde mirum nõ eſt quod maior ſit gloria vbi perfectior fuerit victoria perfectior a. eſt victoria vbi cadũt decẽ millia, q̃ vbi ſolũ mille. Eia ſurge miles Chriſti, & ad præliũ, q̃ aut detrectas, aut vnde fugiſti, reuertere, fortius poſt fugã præliaturus & glorioſius triumphaturus.

Bern. ſer. 7. in pſ. 90.

8. AN qua fugiſti ex acie, *inquit Bernar. epiſt. 2. qua eſt ad Robertum*, putas te manus hoſtium euaſiſſe? Libentius te inſequitur aduerſarius fugientem quam ſuſtineat repu-

Digitized by Google

pugnantem, & audacius insistit à tergo, quam resistat in faciem. Securus nûc proiectis armis capis matutinos somnos, & ignoras quod exarmatus & tu timidior & hostibus minus timendus sis? Armatorum multitudo circumuallarunt domum & tu dormis? Et quidem solent fortissimi milites audita buccina ante congressum trepidare, sed vbi ad prælium ventum fuerit, spes victoriæ & timor ne vincantur reddit intrepidos. Quid vero tu trepidas quem dux bellli Christus præibit suos animans ad victoriam, & dicens, *Confidite ego vici mundum.* Si Christus pro nobis quis contra nos? Securus potes pugnare vbi securus es de victoria. O vere tuta pro Christo & cum Christo pugna, in qua etiamsi pugnando moriaris, moriendo tamen victoriam & coronam perdere non potes, quia mortuus mox coronaberis. *hæc Bern.* Quanquam vt *idem ait serm. 67. ex variis* quantũuis homo sit iustus, nunq̃ tamẽ tutum vt sit in hac vita securus, sed semper humilis caueat, & semper Deus vires diaboli restringet ne tantum noceat quantũ nocere cupit. Hoc enim est quod Paulus ait. *Non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Cũ Iacob descensurus esset in Ægyptum, dixit ei Dominus corroborans & cohortans eum. *Nolite timere descendere in Ægyptum, quia illuc ego tecum descendam & faciam te in gentem magnam. Ægyptus inquit Orig.* rectores tenebrarum harum designat, aduersus quos est nobis colluctatio contra quos cũ in certamẽ descendimus, timere non oportet quia nobiscum Dominꝰ, cũ eius imperio in certamẽ descendimus. Hinc moris Sanctorum est vbi aduersarius vincitur, Domino vt cantent & gratias agant, *inquit Orig.* tanquam qui sciant non sua virtute sed Dei gratia victoriam factã. Sic enim Maria soror Moysi ait. *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est equum & ascensorem proiecit in mare.* hæc Orige.

Hom. 15. in Genes.

Hom. 6. in Genes.

II.

Deus pugnantes adiuuat, ideo in hac pugna diabolus non est metuendus.

Origi. hom. 12. in Iosu.

1. LEGIMVS *Iosue 10.* quod cum defenderet Gabaonitas, dixerit Iosue, *Sol non mouearis contra Gabaon: steteruntq; sol & luna donec se gens vlcisceretur de inimicis suis.* Bella quæ per Iosue gesta sunt, *inquit Origenes,* & Regum atque hostium strages, cœlestium vmbra & typus dicenda sunt eorum bellorum quæ Dominus noster Iesus cum suo exercitu, id est, credentium populis & ducibus contra diabolum & eius angelos præliatur. Et quoniam nisi æqualis fuerit certantium virtus, non erit iusta palma vincentis nec iuste culpabitur victus, *teste eodem,* propterea quã-uis non permittat tentari Dominus, non tamen supra id quod possumus, *vt Paulus testatur,* sed facit etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere. vt vero hoc quo posse nobis ipsa dedit vel strenue, vel segniter impleamus in nobis est, inquit. Dubium enim non est quin in omni tentatione adsit nobis tolerandi virtus, si tamen nos competenter vtamur virtute concessa. Hinc Paulus ait, *vt possitis sustinere,* quia ea virtute quæ data est vt vincere possimus secundum liberi arbitrii facultatem aut industrie vtimur & vincimus, aut segniter, & superamur. Si autem à Deo detur vt omnino vincamus, & nullo modo vinci possimus, nullum iam videbitur esse certamen, nec vlla merendi ratio ei qui vinci non potest. Aut etiam quod palmæ meritum, vbi repugnãdi adimitur vincendique facultas? Si vero vincendi possibilitas præbeatur, in nostra autem positum sit potestate, quomodo hac potestate vti velimus, vel industrie vel segniter, iusta erit vel victi culpa, vel palma victoris. Et quia inimici mei viuunt & cõfirmati sunt super me, ea gratia supplico & rogo ne derelinquas me Domine, solum n. me tot inimicis resistere non fuerit possibile. Tu igitur Deus meus ne discesseris à me, verum adsis mihi adiutor custos salutis meæ.

Orig. li. 3. c. 2. per.

2. ITAQVE vt Iosue orauit ne sol moueretur donec sese vlcisceretur de inimicis

Digitized by Google

suis, eosq; sibi subiiceret, sicut & dum nos bella gerimus aduersus inimicos nostros, aduersus carnem & sanguinē & aduersus Rectores tenebrarum harum, Sol iustitiæ Christus indesinenter nobis assistit, nec deserit vnquam nisi desertus, quia ipse dixit, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, donec expugnauerimus vsque ad internecionem aduersarios nostros, quorum possidebimus regionem si vicerimus. Hoc n est quod Iosue suis promisit ca. 1. *Omnis locus*, inquit, *quem calcauerit pes vester, vester erit*. In quibus verbis, quid nobis repromittatur, videamus *inquit Orig.* Sunt quædam aduersariæ potestates aduersus quas certamē nobis est incundū: quantascunq; ergo ex iis in certamine vicerimus & pedibus nostris subdiderimus, earū regiones & regna, Iesu nobis distribuente, capiemus. Fuerunt enim illi aliquando angeli in regno Dei magnifici, quos si nobis subiecerimus, cōsequēter locum ipsorum accipere in cœlis merebimur, si non putemus quia in hanc hæreditatem per otium & negligentiam oscitantes & dormitantes intrare possumus. Sed inquies Quomodo has vniuersarias potestates nobis, pugnando subiicere poterimus? Intra nos sunt, *inquit Origin.* gentes istæ vitiorum quę animam indesinenter oppugnant, intra nos sunt Iebusæi, Chananei, &c. monstra scilicet vitiorum superbiæ, furoris, iræ, luxuriæ, libidinis, auaritiæ, & omne genus nequitiæ, quorū incentores sunt ipsi dæmones & aduersariæ potestates, impugnāt enim nos per ea quæ in nobis sunt mala, quæ nisi superaueris, & de terra tua exterminaueris, ac penitus vsque ad internecionem deleueris, terram repromissam lacte & melle manātem possidere non poteris. Vide igitur qualiter nobis laborandum qualiter vigilandum est, vt omnibus istis vitiorum monstris in terra nostra seu carne deletis, tandem cesset terra nostra à bellis. sicut sub Iosue cessasse dicetur terra à prælijs non sub Moyse, quia Christus pacem adducit non lex.

hæc Orig. ho. 1. in Iosue.

3. RECTE ait *Chrys. ho. 16. in Mat.* vti Deus facilem facit esse virtutem cooperando nobis, nosque semper in bonis actibus adiuuando, vbi nos aliquid exiguum præstiterimus. Ita & in pugna hac propterea vult & te aliquid laborare, vt tua quoque possit esse victoria: Tanquam si Rex aliquis filium suum in acie velit versari, & in hostem iacula torquere, vt illum habeat consortem triumphi, licet ipse totum bellum gubernet ac peragat. Ita Deus quoque in hoc prælio quod aduersus diabolum gerimus facit. Vnum à te quærit solum vt aduersus hostes veras inimicitias pro honore Regis, & tuæ salutis necessitate suspicias. Itaque si ei istud obtuleris, omne iam bellum ipse conficiet: Et si vel iracundiæ passione, vel pecuniæ cupiditate inflammaris, vel ab alijs vitiis quasi immanissimis hostibus obsideris, aderit profecto si te sibi præparatum viderit. Vt ergo superemus hic omnem fornacem illicitæ voluptatis, illic gehennæ incendia fugiamus, hæc quotidie curemus & orationum frequentia beneuolentiam Dei nobis reconciliemus.

4. TVNC implebitur in nobis quod Amos ait ca. 3. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ, sic eruentur filij Israel qui habitant in Samaria.* Pastor ille Christus est: Leo diabolus: Ouis quæ deuoratur, populus: per duo crura & extremum auriculæ, ii intelliguntur qui securo pede Dominum sequi & tutis auribus verba eius audire valent: Hi è faucibus diaboli eruuntur & saluantur, reliqui deuorantur: Ideo idē propheta subiungit: *Legatum ad gentes misit. Surgite consurgamus aduersus eum in prælium*, Legatus ille ad gentes missus, Christus homo est, *inquit Hieron.* qui hæc loquitur. *Surgite consurgamus in prælium aduersus eum.* Et ne forte grauis vobis & insolita pugna videatur. Me, inquit, primum habetis in acie, ego ero dux præliorum. Quid fortius, quid pulchrius quam Christum stare armatum pro suis Sanctis? *Scuto circundabit te veritas eius*: Scutū vocās diui-

nam

Digitized by Google

nam protectionem. Siue ergo hic vbi cum vitiis noſtris domandis, minuendiſque confligimus, ſiue vbi omni hoſte carebimus, id nobiſcum ſalubriter agitur, vt qui gloriatur in Domino glorietur, vt ei demus gloriã, qui nobis dedit victoriam, aut frenando vires diaboli, ne tantum noceat tentando quantum vellet, aut vires tentati adaugendo.

5. ITAQVE quamuis inimicus noſter diabolus & crudelis ſit & pernicioſus, potens ac venenoſus, vt propterea modo leo, modo draco, modo baſiliſcus, modo ſerpens dicatur, eſt enim beſtia multiplex, multæque virtutis, qui omnia perturbat, omnia ſurſum deorſum voluat, non tamen ideo metuẽdus, quia in eos qui Chriſto adhærent, non poteſt plus quam Deus ei permiſerit. In eos autem quos in poteſtatem accepit, furit ac fremit, inhians miſerorum ſuppliciis nec tormentis eorum ſatiatur vnquam. Et hoc eſt quod per ſimilitudinem dicit Habacuc cap. 1. *volabunt quaſi aquila feſtinans ad prædam, velociores ſunt lupis veſpertinis, & leuiores pardis, qui dum non ſperatur cito de longe veniet:* attamen non niſi ad menſuram permittitur tentare, ne ſi tantum permittatur quantum vult, non aliquis iuſtorum remaneret.

6. NVNC autem licet nobis aduerſetur qui eſt fortiſſimus & coacta manu & perditorum exercitu comparato de omni munitione rideat, vt Iob loquitur, & quicquid fuerit euertere nitatur, non tamen metuendus eſt, quia dicit Iacobus, *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis:* vnde patet inquit *Auguſt.* quid poſſit his nocere quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus ſit, qui ſolis præualere non reſiſtentibus poteſt. Quod ſi forte in hac militia Chriſti te viribus inferiorem ſenſeris, & non æquum tibi aduerſus crudelitatem tyranni per fragilitatem corporis videtur eſſe certamen, fugere licet ne corruas. Sic enim loquitur *Hieron. lib. contra Vigilant.* Fateor imbecillitatem meam, non ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam: Si fugero, gladium deuitaui: ſi ſtetero aut vincendum mihi eſt aut cadendum. Quid autem eſt certa dimittere, & incerta ſectari? Aut ſcuto aut pedib. mors vitanda eſt. Tu qui pugnas & ſuperari potes & vincere. Ego cum fugero non vincar in eo quod fugio, ſed ideo fugio ne vincar. Nulla ſecuritas eſt vicino ſerpente dormire, poteſt fieri vt non mordeat, poteſt etiam fieri vt me mordeat. Et idcirco vrbium frequentias declinamus, ne forte compellamur quæ nos non tam natura cogit facere quam voluntas. *hæc Hieron.*

Iacob. 4.

III.

Quę arma in hoc pręlio ſint aſſumenda

Ephe. 6.

1. CVM Paulus ad Epheſios ait, *Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare, induti loricam iuſtitia, ſumentes ſcutum fidei, galeã ſalutis, gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei:* Armorum verbo vſus oſtendit & bellum quoque graue imminere, vt ſemper armatus ſis & ſcias te in caſtris Domini militare. Et cum pugna noſtra ſpiritualis ſit & inuiſibilis, armis quoque ſpiritualibus, & inuiſibilibus conficitur, fide, ſpe, caritate ac reliquis virtutibus quæ ſimul & ornamenta ſunt animæ quibus quis placeat Deo, & monumenta quibus ſe armet contra diabolum.

Sed quærendum eſt illud quomodo aduerſus eos quos nõ videmus pugnare poſſimus & vincere. Ne putẽt ſtulti aduerſus aerem debere nos certare, dicit Apoſtolus 1. Corint. 5. *Non ſic pugno quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte aliis prædicans ipſe reprobus efficiar.* Deum ſic corpus caſtigaret, carnem in ſeruitutem redigebat & vincebat, ne per illicitas & pernicioſas delectationes ſpiritui dominetur. Satis hic indicat quomodo pugnandum ſit, nimirum vitioſas carnis cupiditates mortificando, frenando, imminuendo, quod dum facimus etiam ipſos dæmones vincimus, qui per ea vitia quæ in nobis ſunt nos impugnant & vincunt, dum ſuis ſuggeſtionibus concupiſcentiam inflammant, ſuperbiam exci-

Digitized by Google

rant, auaritiam adaugent, odium ſuſcitāt, & rixas ac diſcordias ſeminant.

2. GRAVIS quidem nobis eſt inimici tentatio, ſed longe grauior illi noſtra oratio, *inquit Bernar.* lædit nō iniquitas eius, (ſerm. 3. in ded. Eccl.) ſed multo amplius noſtra eum benignitas & miſericordia torquet, humilitatem noſtrā non ſuſtinet, cruciatur diligētia & obedientia noſtra. Si impugnet & expugnet humilitatem noſtram, aut pacem & concordiam, & efficimur inanis gloriæ cupidi, aut rixoſi, dum ſic nos vincit, gloriatur ipſe, nobiſque noſtra delicta exprobrat, & dicit, *inquit Origen.* (Origen. hom. 2. in pſal. 38.) Ecce hic Chriſtianus dicebatur, & ſigno crucis Chriſti ſignabatur in fronte meam autem voluntatem perficiebat & gerebat in pectore, Ecce iſte, qui mihi & operibus meis renunciauit in baptiſmo, meis rurſus operib. ſe inſeruit, meiſq; legibus paruit ſuſcepto baptiſmo. Tunc in eum competit quod Pſalmiſta ait, *Opprobrium inſipienti dediſti me.* (Pſal. 38.) Cenſetur autem Deus dare hominem opprobrium inſipienti diabolo non proprie ſed quaſi ex occaſione: cum enim exercitii & profectus noſtri cauſa certamen inter nos & dęmones cōſtituerit De⁹, qui in hoc certamine vincitur, opprobrium & irriſio fit parti aduerſæ. Et ideo bonū eſt, *inquit Origen.* eo tempore cum aduerſum nos cōuitiorum vel probrorū tela iaciuntur, nos huius verſiculi meminiſſe qui ait Pſal. 38. *Cum cōſiſteret peccator aduerſum me, obmutui & non aperui os meū, quia tu feciſti.* Quid eſt quod dicit *Quia tu feciſti?* nec tamē adiunxit quid fecerit: ſed ordo nos docet, *inquit Origen.* quid fecerit: Quoniam enim velut agonem quendam inter nos & peccatorē deſcribit, inſinuat quod Deus hunc agonum noſtri profectus cauſa inſtituerit, vt ſit ſenſus, Quia tu feciſti, hoc eſt, tu nobis hæc exercitia patientiæ præparaſti. Cum itaque meus aduerſarius ad iracundiam me prouocaret, & me conuitiis laceſſeret, ne patientiæ lineas excederem, & verbū aliquod quod tibi non placeat, proferrem, obmutui & tacui. Si vero perfectiorem victoriam obtinere voluero, non ſolum obmuteſcam & os meum non aperiam, benedicā inſuper cum maledicor, & cum Paulo blaſphematus deprecabor. Tūc fruſtra nos impugnauerit dæmon: quomodo Dominus ad Satan ait Iob. 2. *Tu autem commouiſti me fruſtra aduerſus eū:* Fruſtra, *inquit Origen* quia nō obtinuerat Satan quod volebat, nitebatur enim ſuis afflictionibus Iob inducere in animi impatientiam & Dei blaſphemiam: Et econtra Iob inde fortior & clarior euaſit: ideo non fruſtra quo ad ipſum Iob.

1. CVM Paulus ad Rom. ait, *velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio,* oſtendit nō eſſe perfectam victoriam iuſtis in hac vita, quia hoc eſt perficere bonū, vt nec concupiſcat homo, imperfectum eſt autem bonum, quando cōcupiſcit, etiamſi concupiſcentiæ non cōſentiat ad malum. Sic autem captiuantem dixit legem motione non conſenſu, igitur mente ſeruio legi Dei, non conſentiendo ſcilicet legi peccati ſeu cōcupiſcētiæ: carne autem legi peccati concupiſcendo ſcilicet, non cōſentiendo. Dicit itaque Paulus, *Perficere bonum non inuenio,* quia nec concupiſcentiæ perficiūtur in malo, quādo eis non accedit noſtræ voluntatis aſſenſus: Nec noſtra voluntas perficitur in bono, quādiu illarum, qui nō cōſentimus permanet motus. Et in hoc cōflictu velut in agone decertant etiā baptiſati, quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, vbi & ſpiritus facit bonum opus non conſentiendo concupiſcentiæ malæ, ſed non perficit quia ipſa mala deſideria non abſumit. Et caro facit malum deſideriū, ſed nec ipſa perficit, quia non ſibi conſentiente ſpiritu & ipſa ad opera damnanda non peruenit. *hæc Auguſt.*

(IV. Non eſt perfecta victoria, miſeri tamen qui ſuccūbunt.)

(Aug. lib. 3 con. Iul. tom. 7)

2. ITAQVE ſi concupiſcentia quæpiam mala nos adoriatur, illam nec admittere, ſed nec penitus extinguere quis poteſt, Si vero iſtud poſſibile nō fuerit, *inquit Chryſoſt.* vel luctando ſemper illam cohibeamus: Quod ſi luctando hinc receſſerimus, vicimus, inquit. Nō enim hic res ſe habet quemadmodū apud athletas: nam (Chryſo. ſerm. 11. ad Eph.)

illic

Digitized by Google

illic quidē niſi deieceris, non viceris: Hic vero viceris ſi deiectus nō fueris, rite deieceris aduerſariū, ſi deiectus non fueris. Illic ambo certantes vincere ſtudent, & ſi alter deiectus fuerit, alter coro: Hic vero nō ita, ſed diabol⁹ huc laborat, vt vos inferiores reddat & vincat quando igitur illi hoc quod ſtudet, abſtulero, vici: qui vero illū conculcauerit, manifeſtā habet victoriā. Quod ſi ſæuiamus aduerſus eū, ipſe ſæuus non erit, ſi nos manſueti fuerimus, tunc ipſe ſæuus erit. Itaque ſemper inimicus eſto aduerſus eū: ſi diabolū impugnauerimus pacē habebimus cū Deo. Sed hoc obſerua q̄ nō ſolū virtute ac fortitudine opus aduerſus diaboli potentiā; ſed & prudētia & aſtutia aduerſus eius inſidias. *Abſcondunt enim laqueos nobis & dicunt, Quis videbit eos*, Pſalm. 93. Sicut pueri terra laqueos, ſic diabolus vitę voluptatibus peccata circūtegit, *inquit Chryſoſt.* Vt ſi lucrū occurrat, nō aſpicias lucrū ſolū, ſed conſidera diligēter anne peccatū intra lucrū ſit abſconditū, ne dū lucrū quæris, iniuſtitiā committas. Et ſi ſolum vnus laqueus foret, aut duo facilis eſſet cuſtodia, nunc autem ipſorum multitudinem oſtendere volens Sapiens dicit, *Agnoſce quod in medio laqueorum perambulas.*

Hom. 25. ad pop.

3. BELLVM eſt præſens vita: in bello nemo delicias quærit, *inquit Chryſoſt.* vnicum dumtaxat intuetur quomodo ſuperet hoſtem. Hoc & nos curemus ſi vicerimus, & cum victoria redierimus, cum magna gloria excipiemur. Hoc tamen obſeruet qui victoriā vnā atq; alterā obtinuerit, quod nō remiſſior in conſeruandis quā in conquirendis virtutibus eſſe debeat, quia hoſtis ſemel atq; iterū deuictus non ideo deſiſtet. Nā quātūuis quis fortiter aduerſus aerias cateruas tueatur, nunquā tamē plane quādiu durat hæc vita ab iis liberabitur. Sicut enim filii Iuda eiicere Iebuſæū de Ieruſalē nō potuerūt vſq; in hodiernum diē, vt dicitur, *Ioſue* 15. Ita inquit *Orige. ho.* xv. *in Ioſue* qui Chriſtū qui eſt pax noſtra (Hieruſalē enim viſio pacis interpretatur) ita in corde ſeruat, & ita ſtabilis ac fixus eſt in hac viſione pacis, vt nunquā alia cogitatione mala aut turbetur, aut inquinetur, ſi hoc ita fieri poſſit, recte talis ex Ieruſalē Iebuſæū eieciſſe dicetur: Et ſicut Iudæi habitatores Harita percuſſerunt, vt nec vnū relinquerēt viuū, ſic ex dæmonibus quorū chaos eſt habitatio, nullū penitus relinquimus, ſed omnes interimimus, *inquit Origen.* non ipſam eorū ſubſtantiam perimentes, ſed opus eorū ac ſtudiū, quo peccare faciunt homines (hæc n. eſt eorū vita ſi nos peccemus, & ſi nō peccemus ſine dubio eorū eſt interit⁹ & mors, inquit) deſtruētes ac ſubuertentes, dū omni diligētia ſeruamus cor noſtrū, ne de eo cogitationes malæ procedāt, & os noſtrū, vt omnis ſermo malus nō procedat ex eo: Tūc dici poterit illud Ierem. 50. *Quomodo cōfractus eſt & contritus malleus vniuerſæ terræ? quomodo verſa eſt in deſertū Babylō in gentibus?* Malleus vniuerſæ terræ eſt diabolus, *inquit Orige.* qui inſanabili plaga percutit omnes terrenos homines, qui cōfringitur cū relicta impietate & malitia ad iuſtitiam & ad Deū cōuertimur, ſed cōteritur, dum ad virtutū plenitudinē deuenimus: tunc & Babylō vertitur in deſertū, quia omnis cōfuſio exterminatur de anima noſtra, ita vt nec mors filii aut vxoris me turbet aut cōfundat cū nō eſt qui me ad triſtitiā aut irā prouocet, dū inter ēptis omnib. animę noſtræ hoſtibus, qui ſunt peccata, & omnib. malis cupiditatibus amputatis, efficimur ſtabiles & perfecti. Nūc vero quātumuis quis profecerit, & ſummis ſemetipſum ſtudiis excoluerit, nō tamē puto tantū pacis cuiquā euenire poſſe, vt nunquā aduerſæ cogitationis contagione maculetur, *inquit Origenes*, quia domeſticum hoſtem carnem noſtram quæ pugnat aduerſus ſpiritum inteſtino bello & periculoſa lucta circumferre cogimur, quem nec fugere nec fugare poſſumus, & quem interimere non licet, ſed quod eſt periculoſius & miſerabilius hoſtē noſtrum cogimur ſuſtentare & enutrire. Vide ergo quā ſolicite te cuſtodire neceſſe ſit ab ea quæ dormit in ſinu tuo: & hoc curandum vt licet

Chryſo. hom. 44. ad pop.

Origen. hom. 8. in Ioſue.

Origen. hom. 3. in Iere.

hæc Bernar. ſer. 5. de fragmē in miſeria.

Digitized by Google

licet Iebuſęus hic nõ eiiciatur tamen ſubiiciatur.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Hodie huic domui *ſalus facta eſt.* Luc. 19.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Quomodo ſe ipſum quiſque Deo in templum præparare debeat.*
II. *Spirituale Dei templum nos eſſe oportet.*
III. *Quomodo hoc templum ſi collapſum ſit, reſtaurari debeat.*
IV. *Templum cur oleo liniatur.*

PARS I.

ART. I. Quilibet ſeipſum Deo in templum præparare debet.

1. QVANDOQVIDEM ea quæ in templis manufactis fiunt & aguntur viſibiliter, in nobis, qui *teſte Paulo* templum Dei ſumus, ſpiritualiter perfici debent, ſecundum *Auguſt.* ideo diligenter conſiderare oportet, quidnam in templo Salomonis & in tabernaculo Moyſi factum legatur, quia hæc figura fuerunt corũ quæ ſunt in nobis implẽda. Et ęgre poteſt quis præſertim qui rudis eſt & qui primum incipit, opus ſuum reddere perfectum, cuius nullũ exẽplar aut memoriȩ ſit impreſſum, aut ob oculos poſitũ, vnde & Moyſi tabernaculum Dei extructuro mãdabat Dominus vt faceret ſanctuariũ iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi quod oſtenſum fuerat ei. Sic enim ait, *inſpice & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* Nam qui ſe in templum Dei erigere cupit, à populo rudi ſegregatus eſſe & perfectiores intueri debet, *inquit Ambroſius*, cum & Pythagoras philoſophus diſcipulos ſuos communem atque vſitatam populo prohibuerit ingredi viam, & hoc vnde ſumpſerit nõ eſt incognitum, *teſte eodem Ambroſio*, legerat enim in Exodo, Moyſi diuino oraculo fuiſſe præceptum, *Solue calceamentum* [illegible] *tuorũ*, vt videlicet detritæ & popularis viæ deponeret puluerẽ qui viam Domini ambulare deſiderat: legerat præceptũ eidẽ Moyſi, *Fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.*

August. ſer. 252. de tem. — Exod. 25. — Ambro. lib. 1. epiſt. 8. — Exod. 3.

2. EXEMPLAR itaque quod nobis in mõte proponitur inſpiciẽdũ & imitandũ, vita ſanctorũ eſt, ſiue in eccleſia militante per tabernaculum Moyſi in deſerto extructum, ſignificata, ſiue in triumphante per tẽplũ Salomonis adũbrata, exiſtentium: vt ad quorũ conſortium & ſocietatem tendimus, ipſorũ quoque vitam imitari ſtudeamus: dignitas enim chriſtiana ſeriã vitam, & ſobriã à turbis grauitatẽ, *inquit Ambr.* & morũ pondus ſibi vendicat ſingulare, in qua nihil plebeiũ, nihil cõmune cũ vſu & moribus inconditæ multitudinis reperiatur. Quomodo enim obſeruari poteſt à populo, qui nihil præclari habet à populo? quid in te miretur, ſi ſua in ſe recognoſcat opera, ſi nihil in te aſpiciat quod vltra ſe inueniat, ſi quę ſe erubeſcit, in te quem reuerendũ arbitratur offendit? Declinemus igitur detritæ viæ orbitas & quæramus nobis viam inacceſſam ſermonibus inſolentium, inuiã operibus imperitorum, reſpiciamus ad exemplar nobis in monte propoſitũ, *hactenus fere Ambroſius.* Dicit quidquam, Altius ibit qui ad ſumma contendit dũ te in viuũ Dei templum erigi cupis, SS. atque perfectorum vitam tibi imitandam propone, tunc enim proficies magis: quemadmodum pueris, quos docemus formare litteras, exemplaria abſolutiſſima proponere ſolemus. Ne tamen plus velis quam poſſis, & in ſuperbiæ laqueum incidas dum ſupra vires ambulas, in ſanctorum vita imitanda diſcretionem adhibeas oportet, ne velis eſſe nimium iuſtus, & præſumens, aut de gratia Dei, aut, quod peius eſt, de viribus propriis, ſanctos protinus adæquare velis. Neque enim in eum finem exemplar ſanctorũ proponitur, ſed

Digitized by Google

vt imitando facias quod poſſis, & pro eo quod nō potes te humilies, gratiam quęras, eamque donec acquiras patienter expectes.

3. HINC Moyſes in Exodo 35. *Quiſquis veſtrum ſapiens eſt, veniat & faciat quod Dominus imperauit tabernaculum.* Non ſatis eſt ſeipſum in Dei templum erigere, ſed opus eſt vt cum ſapientia id fiat: quid enim prodeſt tibi ſi ædifices & imperite id facias, ſi multa facias ſed imprudenter
Exo.36. in iis te geras? Dicitur notanter *in Exodo.* de Beſeleel & Ooliab tabernaculum Dei ædificantibus, quod iis dederit Dominus ſapientiam & intellectum vt ſcirent fabre operari. Quod ſi ars & prudētia in tabernaculo materiali faciendo fuerit requiſita, ne ſi abſque arte fieret, nihil fieret, quanto magis in tabernaculo viuo, quod eſt ipſe homo, vt erigatur in tēplum Dei, ſapientia erit neceſſaria? Neque enim à ſeculi hominibus huius artis imperitis decet fieri tabernaculum Dei, *inquit Bernardus, de vita ſolitaria*, ſed ipſi quibus in altitudine montis oſtenditur exemplar veri decoris domus Dei ipſi ædificent ſibi: ſed & omnis ſcriba doctus in regno cœlorum, cum ea quæ in litteris Sanctis de Fide Catholica, vel pia actione didicerit, & ipſe diligenter ea, quæ ſcit, exequi, & alios docere præcipitur, inſpicit intente exemplar monſtratum & ſecundum hoc ad inferiora rediens facit, quando ea quæ per ſublimitatem diuini ſermonis intus credenda, ſiue agenda intelligit, ſedulo horum exemplar auditoribus ſuis & executione recti operis, & verbo doctrinę ſalutaris oſtendit. In omni enim quod foris agimus ad Dei legem atq; ordinationem vbique reſpiciamus. *hac Bernardus.*

4. PRIMARIVS huius tabernaculi architectus Deus eſt, de quo ſcriptum eſt. *Niſi*
Pſal.126. *Dominus ædificauerit domum in vanū laborauerunt qui ædificant eam*: Quædam enim Deus ſubminiſtrat homini ædificādo ſolus per ſemetipſum, ſine hominis cooperātis adiutorio, vt fidem per quā fundator domus Dei, fraternitatis amorem per quā compingitur, caritatē per quam incremētum facit virtutis & ſanctimoniæ: Nā fidē dare, fraternitatis amorē & caritatem & reliqua intrinſeca incrementa, excedit, *inquit Aug.* humanam humilitatem, an- tract.80.
gelicam ſublimitatem, & non pertinet niſi in Ioan.
ad agricolam Trinitatem. Quædam vero operatur ſed cooperantibus nobis: Ædificatur enim domus Dei per doctrinā ſalutarem, per inſtructionem, per prædicationem verbi diuini, per ſanitatem vitæ per orationem & his ſimilia: In quibus homo externum adhibet miniſterium, ſed Deus internū & occultū ſubminiſtrat adiutoriū, ipſe linguā concionatoris dirigit, memoriam confortat, verba ſuggerit, modū dicendi conuenienter intus dat & docet:
Et quid aliud Euangeliſta innuit cū dicit. Mar.10.
Ipſi vbiq; prædicauerunt Domino cooperante, quam Deum eſſe primarium operatorem? hominem vero eius eſſe miniſtrum ac veluti inſtrumentum, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Lingua mea calamus ſcribæ.*

5. PORRO quemadmodum in veteri lege ad conſtructionem tabernaculi, ſinguli pro ſua qualitate quę habebant, offerebāt, qui diuites erant offerebant aurum, argentum, purpuram, byſſum, lapides pretioſos & ſimilia: Qui vero tenuioris erāt fortunæ offerebant pilos caprarum, pelles arietum & alia quæ craſſa erant, & vilia ad cooperiendum tabernaculum & pluuias & pulueres arcendum: Ita enim legi-
mus in Exodo, *Omnis voluntarius & pro-* Exod.35.
no animo offerat aurum, argentum, æs & hyacinthum, purpuram & byſſum, coccum bis tinctum, pilos caprarum, pelles arietum, ligna Sethim, & oleum ad luminaria concinnanda, lapides onychinos & gemmas. Ita vt conſtruatur viuum Dei tabernaculum, ſinguli pro ſua qualitate quippiam promte offerant, nemo in conſpectu Dei ap-
pareat vacuus. Nā vt *Aug. ait in Exodum,* qu. 173. in Exod.
non eſt putandum aliquid fuiſſe in tabernaculo ſine magno rei alicuius ſacramento, cuius cognitio fidem pietatemque ædificet. Et dum hic materia præſcribitur & præparatur ex qua tabernaculum confici

cõfici debebat, voluit illud Deus pulchris & pretiosis rebus statui & ornari ad miraculum vsque: quo rudi & curioso populo augustius & honoratius haberetur, quo minus gentilium superstitionum pompa & ornatu seduceretur. Habet enim hoc humanus affectus, vt ea quæ communia sunt & non distincta ab aliis minori cum reuerentia suscipiat & habeat: Quæ autẽ præclara sunt & pretiosa, veneretur & amet. Hinc propheta Dauid exclamat, *Quam dilecta tabernacula tua Domine: concupiscit & deficit anima mea in atriis Domini, cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Psalm. 83.

II. Quomodo te in Spirituale templum ædifices.

1. SED hæc in figura contigerunt eis quæ secundum spiritum in nobis cõpleri debent. Si Deus in auro, argento, bysso, gemmis & lapidibus pretiosis mirabilem suæ potentiæ ac sapientiæ vim indidit atque impressit, quanto magis in rebus ipsis spiritalibus per res corporeas significatis? Si ita candet byssus in corporeo filo, qua exornatur exterior homo, quanto magis ipsa castitas qua anima decora redditur & caro? Iustum est itaque, *inquit Orig.* vt in tabernaculo Domini inueniatur vnusquisque habere quod ei offerat: Si gloriosum est audire, aurum istud quo ornatur casula, huius vel illius est: purpura qua Pontifex ornatur istius est: quanto erit gloriosius audire, ille in vnum Dei tabernaculum intulit sapientiam, iste caritatem: hic illius opera factus est fidelis, ille castus. Sed indecorum plane, *inquit idem*, si Dominus veniens nihil muneris tui inueniat in tabernaculo suo, nihil à te cognoscat oblatum, sic indeuotus, sic infidelis vixisti vt neque teipsum neque proximum erexeris in tabernaculũ Dei. Sicut enim Princeps huius mundi venit ad vnumquemque nostrum, & quærit si quid de suis actibus inueniat in nobis, & si inuenerit, sibi nos vendicat: Ita Dominus si quid sui in te tanquam suo tabernaculo repererit quod à te oblatum sit, te sibi vendicabit.

Orig. ho. 13. in Exo.

2. AT inquies, quod munus ei offerre potero vt eius esse inueniar? Si iuuenis es, *ait Greg.* offeras byssum retortam, hoc est, castitatem magno labore & artificio & lõgo exercitio conquisitã: vt enim byssus magno labore & longo exercitio de viridi colore ad candidum perducitur, sic caro nostra vt ad virtutem decoremq; castitatis perueniat, arctis se necesse est ieiuniis, vigiliis, orationibus, & totius continentiæ laboribus subigat, quibus ingenitas delectationes exiccare, atque ad castitatis candorem peruenire valeamus. Si aurum habes diuinæ sapientiæ, vel argentum eloquentię, vel hyacinthum, qui cœlestis est coloris, hoc est, cœlestem meditationẽ: vel purpurã sanguineæ passionis, aut coccũ bis tinctũ geminæ dilectionis, Dei scilicet & proximi, quicquid istorum fuerit, Deo offeras: vnusquisq; ex iis quæ habet, offerat & Deo fructificet. Quod si ita pauper sis vt nihil horum offerre valeas, deest continentia & castitas, deest fortitudo & patientia per purpuram significata, deest aurum sapientiæ, argentum eloquentiæ, coccus geminæ dilectionis: saltem pilos caprarum, aut pelles arietum, aut saga cilicina proferre non negligas: conferunt enim & ista ad tabernaculi structuram, quia iis tegebatur tabernaculum à cœli iniuria, vt nullus salutem desperet. Ne expectes vt aliquid offeras donec bon⁹ iustusq; fueris, sed iã bonus fieri incipias: idoneus enim es nisi omnino ineptus remanere velis, qui saltem pilos caprarum offeras, & pœnitentiam in cilicio aspero, quod ex pilis caprarũ cõfici solet, subeas: nã huiusmodi genus animalis in lege pro peccato offerri iubebatur vt sensum peccati & delectationẽ eius in te mortifices, & in mẽbris tuis vltra viuere aut regnare peccatũ nõ sinas, & hoc offeras & re ipsa præstes quod potes. *hæc Greg. Nazia.*

3. NON de nihilo est quod & cortinæ tabernaculi, & vestis sacerdotalis, & velũ, Exod. 26.
ex quatuor coloribus contexta fuerint, & 28.
nempe ex purpura, coccoque bis tincto, bysso retorta & hyacintho: quia eminentiores

ctiores quique, quales ſunt ſacerdotes: quique eccleſiæ ſunt ornamento, ſicut cortinæ tabernaculum exornabant, quales ſunt religioſi, qui intus ſe continent piis meditationibus & orationibus intenti & foris per actiones non vagantur: quique perfectos ab imperfectioribus diuidunt, ſicut loca tabernaculi velis ab inuicem diuidebantur, templi atrium nimirũ, in quo pecora mactabantur, à ſancto, in quo ſacerdotes ſuo fungebantur miniſterio & officio, & ſanctum à ſancto ſanctorum in quod ſummus ſacerdos ſemel ingrediebatur in anno cum ſanguine: Hi, inquam, qui eminent in Eccleſia, non vnius generis virtute ſed pluribus præditi ſint oportet. Et quidem purpura quæ eſt ſanguinei coloris, exornãtur, qui fortitudine & patiẽtia, quæ totius vitæ quaſi baculus quidã eſt, quo in aduerſis reb. quib. hæc vita referta eſt, ſuſtinemur, conſtãtes ſunt etiã vſq; ad mortem ſi neceſſitas poſtulet. Cocco autẽ bis tincto rubent, quãdo gemina caritate ſcintillant, quia mandatũ habemus à Domino vt qui diligit Deum, diligat & proximum ſuum. Byſſo candent qui caſtitate nitent: quæ retorta eſſe debet quia nemo illibatã diu caſtitatem ſine carnis afflictione & maceratione retinere poterit: quia vt Sapiens ait, *qui delicate enutrit ſeruum ſuum, ſentiet eum poſtea contumacem.* Prou. 29. Ridiculum certe inter varias carnis delicias carnis puritatem conſeruare velle. Ideoque non mirum ſi mundus ardet libidinibus, quia quiſque quantum poteſt carnis indulget deliciis. Et qui ſine carnis maceratione, carnis vult ſeparare laſciuiam, *inquit Climachus,* ſimilis eſt ei qui panem proiiciens, canem à ſe abigere nititur. Poſtremo colore hyacinthino refulgent qui neglectis terrenis cœleſtia meditantur: eſt enim hyacinthus cœleſtis ſeu cærulei coloris.

4. ERANTQVE huiuſmodi cortinæ, veſtes ſacerdotes, & vela, opere plumario & polymito pulchra varietate contexta, quibus omnis generis virtutes deſignantur & varia gratiarum dona ad mirum decorem ipſius hominis interioris ſeu animæ facientia: vt enim Sapiens dicit in Prouerbiis. Prou. 31. *Mulier fortis ſtragulatam veſtem fecit ſibi, byſſus & purpura indumentum eius:* Propter quod Dauid in Pſalmis ſic ait, Pſal. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Si ornatus templi externus paſcit & afficit intuentes, multo magis paſcit & afficit diuinæ maieſtatis oculos decor ſanctorum internus: vt enim *iuſtus Dominus noſter & iuſtitias dilexit*, teſte Pſalmiſta. *Ita decorem indutus eſt*; Pſalm. 10. & concupiſcet Rex decorem tuum, ſi fuerit gloria filiæ regis ab intus in fimbriis Pſalm. 44. aureis, circumamictæ varietatibus. Et Eſther. cap. 4. quemadmodum non erat licitum indutum ſacco aulam regis intrare, ita nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum: diſplicent ſordes & ſordidi Deo & homini. Cum enim Deus qui eſt puritatis amator ſanctus ſit, ſanctos etiam & mundos quærit, *Sancti,* inquit, *eſtote quoniam ego ſanctus ſum.* Leui. 19.

III. Spirituale templum collapſum quomodo reſtaurari debeat.

1. CVM Iudas Machabæus videret templum deſertum, altare prophanatum, portas exuſtas, in atriis virgulta nata ſicut in ſaltu, prout legimus 1. Machab. 1. Mach. cap. 4. *planxerunt planctu magno, & ſciderunt veſtimenta ſua, & impoſuerunt cinerem ſuper caput ſuum, & ceciderunt in faciem ſuper terram, & clamauerunt in cœlum. Tunc elegit Iudas ſacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mundauerunt ſancta: & acceperunt lapides integros ſecundum legem, & ædificauerunt altare nouum, & ædificauerunt ſancta & ædem & [illegible] ſanctificauerunt.*

Sic & in primo libro *Eſdræ* legimus 1. Eſdr. 3. quod plurimi de ſacerdotibus & leuitis, & principes patrum & ſeniores qui viderant templum prius, & fundatum eſſet hoc templum in oculis eorum, fleuerint voce magna: Et rationem huius fletus reddit propheta Aggæus dicens, Aggæ. 2. *Quis in vobis eſt derelictus* (hoc eſt, quis veſtrum adhuc viuit & ſupereſt) *qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima*

dddd 2 (hoc

Digitized by Google

(hoc eſt, in ea magnificentia quam habebat antequam a Chaldæis deſtructa eſſet) *& quid vos videtis hanc nunc? Nun quid non ita eſt quaſi non ſit in oculis veſtris?* Hoc dicit Propheta quia templum iſtud poſterius nullius videbatur eſſe decoris reſpectu templi prioris a Salomone conſtructi. Nam quanquam domus Domini poſterior nondum plene eſſet extructa, ex conſideratione tamē eius quod iam fuerat inceptum, patere potuit quod etiam domus iſta cum ad complementum veniret, primo templo nullatenus eſſet æquanda, quippe cum hæc vilis & exigui pretii fuerit, altera vero pretioſa admodum & valde magnifica.

2. SED cum omnia in figura iis contigerint, videndum eſt quid hic ſignificetur. Sunt inter Chriſtianos (qui viuum ſunt
1.Cor. 3. Dei tēplum *teſte Paulo,* qui ad Corinthios ait, *Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos*) non pauci qui ita ſeipſos negligunt tanquam in vanum animam accepiſſent: De
Prou. 24. quibus ſic Sapiens, *Per agrum hominis pigri tranſiui & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ.* Si enim corda talium hominum paterent, & quæ intus voluunt & reuoluunt, in apertum prodirent, nil niſi vrticas concupiſcentiæ & ardorem libidinis, nil niſi pungentes paſſionum ſpinas in iis cerneres, in iis tanquam in quodam ſaltu horrida, dumoſa, & inculta videres omnia. Quapropter ſicut Iudas totus in hoc erat vt ſacerdotes eligeret qui ſancta mundarent, vt in iis Deo preces cōdignas & ſacrificia offerre poſſent; Ita huiuſmodi homines ope ſacerdotum in planctu & corde contrito a labe peccati mundari debent: ne horribilis illa ſententia, quam Paulus pronūciat, in eos incidat,
1.Cor. 3. *Si quis templum Dei violauerit diſperdet illum Deus:* Id quod patet in notiſſima illa Vdonis hiſtoria.

3. QVOD autē fleuerint qui prius tēplum viderant, eo quod ſecundum priori non adæquaretur, nobis denotat hominē relapſum cum renouari & per verā pœnitētiā reſurgere & quaſi reædificari incipit, non ſtatim peruenire ad priſtinā ſuam dignitatem & decorē vnde elapſus eſt, præſertim ſi eum compares ad primam illam dignitatem & integritatē in qua primus homo & nos omnes in eo cōditi fuimus.
Nam quanquam filius prodigus ad patrē Luc. 15. reuerſus & ſtolam primam receperit, & annulus in digito datus ſit, per quæ fides, caritas & ſimilia dona intelliguntur, quibus relapſus in filium Dei adoptatur: Tamen ea non ſtatim in ſua integritate recipiuntur, in qua erant cum iis primus homo decoraretur: Id quod patuit non ſolū
in Adamo, ſed & in Dauide, qui lapſus & Pſal. 50. iam remiſſionē cōſequutus, lachrymabili voce Deum deprecabatur vt amplius à ſua iniquitate lauaretur, vt Deus in eo cor mundum crearet, & ſpiritum rectum in viſceribus eius innouaret. Sed hoc relapſos conſolatur quod Aggæus *prædicto* Agg. 2.
cap. ſubiūgit, *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum:* quia dum reædificatur & reſtauratur lapſus homo eam paulatim poteſt conſequi gratiæ plenitudinem quæ priorem ſtatum vnde lapſus eſt, nō ſolum adęquet, ſed etiam dignitate ſuperet. Hoc Aug. li. 18. cap. 40. de ciuit.
potiſſimum implebitur in futura vita, in qua eccleſia triumphans vincet gloria & gratia non ſolum eccleſiam hic militantē, ſed etiam primi hominis decorem & dignitatē. Interim donec hoc fiat neceſſe eſt, vt ſicut reædificātes Hieruſalem poſt
captiuitatem Babylonicam, vna manu te- 2. Eſdr. 4.
nebant gladium quo ſtabāt parati ad prælium, & altera manu tenebant trullā qua faciebant opus; Ita qui ſeipſos reædificāt poſt lapſum in viuum Dei templum, habeant gladium verbi Dei, quo ſe aduerſus hoſtes & dæmones ſtructuram impedire volentes, tueantur, & alia virtutū inſtrumenta atque exercitia quibus opus iuſtitiæ promoueant & ad optatum finem perducant: quia non ſufficit à peccatis emundari, oportet & virtutibus exornari, & perfici.

4. IN huius rei ſignum diuidebatur in

tria distincta loca ipsum Salomonis templum; quorum primus dicebatur Atrium, secundus Sancta tertius Sancta Sanctorũ. In atrio erat altare & lauacrum. In Sanctis erant sacerdotes, suumq; ministerium exercebant. Tertium solus summus Pontifex semel in anno cum sanguine intrabat. Quibus designantur tres status fidelium, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. In atrio erat altare æneum holocaustorũ: & lauacrum vt sacerdotes sacra peracturi manus pedesq; abluerent ne sacra irreuerenter tractarent. Quibus significatur quod incipientium officium potissimum versetur circa ablutionem delictorum & mortificationem membrorum: ibi mactatur taurus duræ ceruicis quando pertinacie eliditur: hircus fœtidus, quando libido & carnis concupiscentia extinguitur. Ibi manus pedesq; lauantur, quando opera nostra, & cordis affectus lachrymis purgantur. Et bene hic locus incipientibus deputatur, qui præcipue in eo sunt occupati vt se à suis peccatis purgent & liberent: non quin etiam bonis operibus insistant: Obseruare debet enim etiam rudis populus decem præcepta, quæ sunt veluti fidelis populi rudimẽta à quibus primo incipere debent, & sine quibus salui esse non possunt. Sed cum rudi modo plebs communis & huiusmodi incipientes præcepta obseruent & multa delinquant præcipuum eorum munus in eo situm est vt se à peccatis purgent.

5 SECVNDVS locus dicebatur Sancta simpliciter: eratq; velo ab atrio diuisus, in quo sacerdotes simplices sua officia peragebant: eratque ibi mensa aurea quæ habebat panes propositionis ad aquilonem: & ex opposito candelabrum aureum septem lucernarum in austro collocatum vt ad aquilonem respiciat. Hic locus significat statum Proficientium, quorum munus potissimum versatur in executione virtutum, qui in hoc beati sunt quod recentes panes eis sæpius proponantur, quia labores manuum suarum manducãt, & opera virtutum quæ exercent, siue dum in orationibus suis feruentes sunt, siue dum sunt in tribulationibus patientes, siue dum proximi necessitati subueniunt, ignorantes docendo, mœstos consolando, nudos vestiendo; siue dum sapientiam scribunt & veritatem inuestigant, scripturas legendo & scrutãdo: huiusmodi inquam opera sunt eis loco panis quo sustentantur & instar fructuum quib. reficiuntur. Quod autem candelabrum sit hic positum respiciens versus aquilonem, significatur quod vigilanti corde respicere atque obseruare oporteat ipsum tentatorem ne nos seducat, & ab eo sibi quisq; caueat, quia ab aquilone venit omne malum.

6 TERTIVS locus dicebatur Sancta sanctorum, in quem summus sacerdos introibat solus cum sanguine semel in anno: In isto loco erat arca testamenti, & vrna mannæ: & ante oraculum erat aureum altare thymiamatis, in quo singulis diebus mane & vesperi incendebat summus sacerdos aut alius thymiamata quæ erant suauissimi odoris, in remedium fœtoris qui proueniebat ex effusione sanguinis occisorum animalium. In quo eorum vita exprimitur qui maiori mẽtis perfectione in Deum ascendunt, eiq; sua vota feruentis orationis, ignitæ meditationis & diuinæ contemplationis offerũt, qui suauissimum illud manna, Christum nimirũ, cœlestem panem & angelorum escam in se continent & manducant. Postquam enim per pœnitẽtiam affectus prauos mactauerimus in altari holocaustorum: & in loco sacerdotum qui dicitur Sancta, constanter diuinum officium peregerimus, virtutumq; officia exercuerimus, nouus introitus ad cœlestia bona nobis offertur, vt Deo magis familiares effecti feruenti eius amore incendamur, quia quo magis proficimus magisq; ad Deum appropinquamus, eo maioribus bonis perfrui meremur. Hæc loca velis diuidebãtur: & quẽadmodum velum illud quod erat ante ostium oraculi, significabat clausum esse cœlum, & abscõdita esse ab oculis hominum

Sancta tribulationibus, neq; virtus polienda aut perficienda exercitiis, sed sicut in templo Salomonis non fuit auditus neq; malleus, neq; securis, vt dicitur 1. *Regum ca.6.* præparatis nimirum extra Ierusalem cunctis lapidibus & lignis, Ita in futuro regno, cuius figura fuit Salomonis templum, non erit amplius neq; luctus, neq; labor, neq; vllus dolor.

2 CVM tabernaculum esset plene extructum & altaria erecta omnia oleo inungebantur, & sic inuncta sanctificabantur & Deo consecrabantur, *vt patet Exod.*30.& dinino cultui deputabantur. Qua inunctione nobis significatur quod si Deo dicari, & dedicari velimus, spiritus suauitate & gratiæ diuinæ per oleũ significatæ dulcedine imbui debeamus, quia ea quæ Dei sunt cultumq; diuinum concernunt, non humano sed diuino administranda sunt spiritu; *Quid enim oremus sicut oportet*, inquit Paulus Rom.8. *nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quanta vero huius vnctionis virtus sit, quidq; in homine, vncto operetur, exempla nos docent scripturæ sacræ: Postquam Dauid à Samuele vnctus esset, testatur scriptura primo libro Regum c.16. quod directus sit spiritus Domini in Dauid à die illo, & deinceps. Saul quoq; licet

Cap. 10. à Domino postea reprobatus fuerit, ea tamen die qua à Samuele olei lenticula perfusus est, mutatus in alium virum postquam ad cuneum prophetarum peruenisset, insiliente in ipsum spiritu Dei, cœpit prophetare in medio eorum, ita vt dicerent ad inuicem qui prius nouerant eum,

4. Reg. 9. *Num & Saul inter prophetas?* Sed & Iehu, postquam per puerum prophetæ Elizæi vnctus est in regem super Israel protinus à cæteris Principibus pallia sua instartribunalis ei substernentibus, Rex proclamatus & salutatus est: Quanquam enim externa illa ceremonia vnctionis olei, si nude spectetur, nullius sit virtutis aut efficaciæ, tamen quatenus à Deo instituitur & significandi & efficiendi gratia id significat & efficit, quod Deus, qui indit vim rebus, per eam fieri & significari voluerit. Refert & *Greg.* quod cum Romæ Ecclesiam quandã Libr. 3. Dial. c. 30. quæ Arrianorum fuerat, ipse Greg. illatis Sanctorum reliquiis recõciliasset, diabolus in specie horrendæ suis exierit, & nubes lucidissima super altare descẽderit, & simul ingens suauitas odoris in omnem locum effusa fuerit, lampadesque omnes diuinitus accensæ sint: vt hinc intelligere possis vim consecrationis Ecclesiarum.

3 POSTQVAM locus aliquis ita Deo fuerit consecratus & dedicatus, tunc soli diuino officio subseruire debet, & nullã vsui prophano accommodari potest, quia iam non alterius sed solius Dei est huiusmodi locus, vnde Dominus, non so- Marc. 11. lum eiecit ementes & vendentes è templo, & mensas nummulariorũ subuertit, veruметiam non sinebat vt quisquam vas transferret per templum: Est enim domus non negotiationis sed orationis, ibi Deo Opt. Max. pro beneficiis acceptis gratias agere, pro accipiendis eum deprecari, verbum eius annunciare & audire, sacrificium pro viuis & defunctis offerre, sacramenta administrare & id genus alia spiritalia officia facere oportet: Si enim forensi iudicio certus deputetur locus vbi causæ tractentur seculares & ciuiles, ad quẽ qui eas decidi cupiunt omnes conueniant, multo magis vbi causæ agantur spiritales & diuinæ: Nam quanquam Deus vbiq; sit & vbiq; adorari possit, peculiariter tamen in quibusdam locis adorari & honorari cupit: id quod experientia patet dũ in quibusdam locis miracula facit, quæ alibi nõ vidimus fieri. Id hauddubio propter vtilitatem facit & salutem hominum, vt hi habeant quo incitẽtur, moneãtur & instruantur: mouent n. & instruũt ceremoniæ, cantus, ornatus, officiũ diuinũ & similia quæ in tẽplo cũ solennitate fieri videmus. Et ab eo in scriptura diuina singulariter commendatur Dauid, ꝙ cum tanta solennitate fieri fecerit & instituerit officium diuinum: & Salomoni promisit Deus ꝙ in loco isto sibi deputato & consecrato exauditurus esset preces supplicãtiũ in eo:

Et in-

Digitized by Google

Et in signum istius quod Deus singulariter hunc sibi deputauerit locum, exponitur ex turri vexillum eius, tempore dedicationis, sicut Reges capta ab hostibus ciuitate ex mœnibus sua exponere solent in signum victoriæ & triumphi, sicut Christus quia homines ex quibus Ecclesia eius constituitur, eripuit è potestate dæmonum sibique eos vendicauit in signum huius victoriæ & triumphi vexillum eius quod est vexillum crucis exponitur & erigitur: vt deinceps sub eius vexillo militemus, & capitaneũm nostrum sequamur.

PARS II.

De Templo Salomonis, & Tabernaculo Moysi, & mystica eius significatione.

Cogitaui vt ædificarem domum in qua requiesceret Arca fœderis Domini: Deus autem dixit mihi, Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator & sanguinem fuderis: sed Salomon filius tuus ædificabit domum meam. 1. Paralip. 28.

Summarium.

I. *De Tabernaculo Moysis.*
II. *De Muris, Atriis & Gazophylacis Templi.*
III. *De Gradibus, & Fenestris Templi.*

ART. I. De Tabernaculo Moysi.

1 SICVT Moysi dictum est, Exod. 25. *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est:* vbi Moysi præcipitur vt tabernaculum faciat ad exemplar istius quod fuerat ei in monte ostensum: Ita Dauid dedit Salomoni filio suo descriptionem & formã templi ędificandi non humano ingenio excogitatam, sed à Deo sibi traditam: Sic enim legimus 1. Paral. 28. *Dedit Dauid Salomoni filio suo descriptionem templi, & domus propitiationis, nec non & omnium quæ cogitauerat atriorum & exedrarum per circuitum: Omnia,* inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerẽ vniuersa opera exemplaris.* hæc ibi. Quapropter nihil fuit in templo Salomonis, sicut nec in tabernaculo Moysis, quod iubente Deo constructum est, sine magno alicuius rei sacramento, *teste August.* cuius cognitio fidem pietatemq; plurimũ ædificet. Et haud dubie si omnia recte & vt par est explicarentur, & latẽtia in singulis mysteria plene detegerentur, hoc vnicuiq; nostrum eueniret, quod de regina Saba legimus, 3. *Reg.* 10. quæ cũ videret sapientiam Salomonis, & domum quã ędificauerat, spiritũ vltra nõ habebat.

2 NON hoc existimet quisquam quod propter indigentiam suam sibi templum erigi voluerit Deus. Non enim vt Paul. ait Act. 17. *in templis manufactis habitat Deus indigens aliquo:* Neq; corporis cultus propter se acceptus est Deo; Et ideo compescebantur Iudæi ne passim & vbiq;, aut tẽpla erigerent, aut sacrificia offerrẽt, sed in veteri lege vnicum duntaxat fuit templũ, & in vnico solum loco sacrificia offerre licebat, quẽ elegisset Dominus, *vt dicitur Deut.* 12. idq; propter mysterium, *inquit Thomas,* quo significabatur & vnitas Ecclesiæ, & firmabatur fides vnius Dei: Gentiles vero diuersis diis diuersa erigebant templa. Antequam templum extrueretur vtebantur Iudęi tabernaculo à Moyse cõstructo, quod fixerunt in Silo postquam venerunt in terram promissam, vt patet *Iosue* 18. Distat autem Silo tribus leucis à Ierusalem, vt ait *Brocardus* in descriptione terræ sanctæ, in sorte tribus Ephraim de qua erat Iosue Princeps populi, Num. 13. ibidemq; mansit vsq; ad vltimum annũ Heli sacerdotis, *vt patet* 1. *Reg.* 4. Namq grauissimo bello Palæstinorum ingruente misit populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis: Et ascendebant filij Israel statutis diebus de ciuitatibus suis vt sacrificarent Domino in Silo, sicut fecisse leguntur parentes Samuelis. 1. *Reg* 1.

S. Tho. 2. 2. qu. 111. art. 4.

3 CVM

zed by Google

3. Cvm in hoc bello arca à Philistæis esset capta & in terram Israel post septem menses rursum remissa, Dauid confirmato iam regno ex Cariathiarim eam reduxit in superiorem partem Ierusalem, quæ ciuitas Dauid dicta est, ibidemq; ei aliud construxit tabernaculum ab eo quod cõstruxerat Moyses in deserto, *vt patet 2. Paral* 1. Ita Abulen. *q. 41. in cap. 1. li. 3. Reg.* Tabernaculum autem quod Moyses construxerat, translatum est de Silo cum arca esset inde educta. De quo sic Ieremias ca. 7. *Ite ad locum meum in Silo vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quid fecerim ei propter malitiam populi mei Israel.* Vbi *Hie*. ait locum istum in ruinam & cineres fuisse collapsum, iuxta illud Psalm. 77. *Et repulit tabernaculum Silo.* Inde itaq; translatũ est in Nobe ciuitatem sacerdotum, vbi erat cum Dauid fugeret Saulem. 1. *Reg.* 21. Inde venit Gabaon ciuitatem. 1. *Paral.* 21. vbi sic dicitur, Tabernaculũ autẽ Domini quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum ea tẽpestate erat in excelso Gabaon. Ibi mansit donec cum arca illatum est à Salomone in templũ. 3. *Reg.* 8.

4. Hinc intelligitur cur dictum sit. 3. *Reg.* 3. *Abiit Salomon in Gabaon vt immolaret ibi, illud quippe excelsum erat maximum,* hoc est, præferebatur omnibus excelsis, ꝙ in eo esset tabernaculum à Moyse factum 2. *Par.* 1. Nã in loco in quo erat tabernaculum Moysis offerebat populus sacrificium & alibi non licebat sacrificium offerre citra peculiarem Dei dispensationem. Sic n. scriptum legimus Deut. 12. *Caue ne offeras holocausta in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus.* Quod autẽ Samuel immolauerit in Ramatha, & in Galgalis, 1. *Reg.* 7. 10. & 11. Elias in Carmelo, 3. *Reg.* 18. Dauid in area Ornan Iebusæi, 1. *Para.* 21. per diuinã dispensationẽ dicit id factũ Abulensis, *quæst. 2. in cap. 2. lib. 3. Reg.* Nam in eo notatur Salomon. 3. *Reg.* 3. quod in excelsis immolauerit, vbi dicitur. *Dilexit Salomon Dominum ambulans in præceptis patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, & thymiama accendebat.* In his excelsis locis seu montibus constituebantur altaria, in quibus non quidem idolis, sed Deo vero immolabant, nihilominus id Deo displicebat, quia *Leuit.* 17. hostia iubebatur immolari ante ostium tabernaculi & non alibi. Hinc & Iosaphat Rex alioquin bonus. 3. *Reg. vltim.* notatur quod excelsa non abstulerit: adhuc enim populus veterem consuetudinem retinens Deo vero in excelsis immolabat quod vitiosũ erat & Deo ingratum. Commendantur a. in eo Ezechias 4. *Reg* 18 & *Iosias* 4. *Regum* 23. ꝙ excelsa abstulerint & dissipauerint. Ex his intelligi potest locus iste Ecclesi. 49. alias satis obscurus, vbi dicitur, *præter Dauid & Ezechiam & Iosiam omnes peccatum commiserunt, nam reliquerunt legem altissimi Reges Iuda & contempserunt timorem Dei.*

II.

De Muris, Atriis, & Gazophylaciis templi.

1. Ædificavit Salomon domum Domini in Ierusalẽ in monte Moria, qui demonstratus fuerat Dauidi in area Ornan Iebusæi, 2. *Paral* 3. Eratq; mons iste Moria in quo Abraham olim Dei iussu offerre parabat filium suũ Isaac, *Gen.* 22. qui teste *Ioseph. 15. anti.* ita excelsus erat vt in latere meridiano vallẽ habuerit ita in immensum dehiscentem vt despicientiũ caligarent oculi. Estq; Moria pars montis Sion: quo recte Christus significatur qui propter suam celsitudinem omnib. præeminet principib. & Regibus: super quem Ecclesia per templum Salomonis significata, fundatur & super omnia regna eleuatur, *Daniel* 2 & *Isa* 2. Ædificatur autem in area Ornan Iebusæi: Ornan interpretatur exultans, Iebusæus conculcatus dicitur. Per quem gentilis populus recte designatur, qui prius cum dæmoniis seruiret, vilis & despectus erat: sed accepta Dei gratia in Ecclesiam Christi constructa exultauit in Deo salutari suo.

2. Hic mons in quo templum fuit extructum triplici muro fuit cinctus, *teste Iosepho*: Eratq; ipsum ædificium totum in spatio quadrato situm, *prout Ezechieli c. 40.* fuit ostensum, (quanquam ibidem

Ezechiel magis de spirituali quam materiali templo agat, de allusione tamen facta ad templum materiale) cuius vnum latus recta respiciebat ad Orientem, & hoc erat anterius, oppositum vero ad Occidentē, & hoc erat posterius: Alia duo etiam opposita, vnum ad Septentrionem, alterum ad Meridiem. Anterior itaq; pars templi fuit ad Orientem, in qua parte magnā portam habebat, per quam tempore æquinoctiali sine vllo impedimento solem Orientem excipiebat, eiusq; lumine totum perfundebatur, teste *Ioseph 8. anti. cap. 2.* Sol Oriens Christus est qui illustrat suam Ecclesiam ex parte in hac vita, sed perfectissime in futura. Sanctū sanctorū vero versus Occidētem erat teste Thoma, ita vt adoratio Iudæorum in templo fieret ad Occidentē, idq; in detestationem idololatriæ, quia omnes gentes in reuerentiam Solis ad Orientem adorabant *Sic Thom.*

Tho. 16. 2. q. 102 ar. 4. ad 5.

3. ÆDIFICIVM hoc tres muros habebat: vnde exteriorem qui in quadrum dispositus totum ambiebat ædificiū: habebatq; latera æqualia, quorum vnum quodque tria millia cubitorū cōtinebat in longitudine, ita vt totum ædificium habuerit in circuitu duodecim millia cubitorum, sic *Hector Pintus in c. 40. Ezech.* Murus medius minor erat; tertius vero minimus: Et intra vnumquēq; murum erat atriū, cuius pauimenti longitudinem inter duas portas aquilonares muri secundi & tertii dicit *Ezechiel ca. 40.* fuisse centum cubitorum. *Et mensus est*, inquit, *à porta vsque ad portā centum cubitos*: Erant enim in quolibet muro, primo scilicet secundo & tertio, tres portæ, vna ad Orientem, altera ad aquilonē, tertia ad austrū: Ita vt in his tribus muris nouem portę fuerint, tres ad Orientem, seispas directe respicientes: totidem & eodem modo ad aquilonē & meridiem: Erantq; tres istę portæ ita disposite vt qui esset in exteriori videret alias duas & portam templi: habebat enim & templum tres portas murorū portis corespōdētes, ita vt in toto fuerint duodecim portæ: In parte vero occidētali nulla erat porta, quia ibi erat Sanctum sanctorum quod nemo intrabat nisi summus sacerdos, & nō habebat introitum nisi per templum.

4. ATRIVM inter exteriorem & medium murum appellabatur locus vulgi, seu atrium immundorum, quoniam illuc poterant etiam gentiles introire ad Deū colendum & adorandum, *vt patet, 3. Reg. 8. & Ioan. 12.* vbi dicitur quod quidam gentiles ascenderint vt adorarēt in die festo. Neq; totum ipsum atrium intra exteriorem & medium murum positum ex omni parte fuit tectum, sed à lateribus duntaxat vbi porticus erant, medium spatiū quod erat extra porticus erat sud dio & in medium impluebat, variis lapidibus stratū, ita vt ad porticus quæ tectæ erant in laterib. positas se populus reciperet cū plueret aut æstus vrgeret. Secundū atriū erat inter murum secundum & tertium procedendo ad templum: & dicebatur atrium seu fanum mundorum altius primo, & certis gradibus ad illud descendebatur: Et non nisi Iudæis atq; iis quidem castis seu mundis & nullam habentibus iuxta legē immundiciam, patebat: Erat enim distinctum ab exteriori atrio quodam muro cum inscriptione græca & latina quę vetabat transgredi alienigenā sub interminatione pœnæ capitis, sic Ioseph. *lib. 15. anti.* Hinc intelligitur quod Actor. 21. de Paulo legimus, vbi sic dicitur, *Dum autem septem dies consummarentur, ii, qui de Asia venerāt Iudai, cum vidissent eum in templum introisse, concitauerunt omnem multitudinem & iniecerunt ei manus clamātes, viri Israelita adiuuate, Hic est homo qui aduersus populum & legem & locum hunc omnes vbique docens, insuper & gentiles induxit in templum & violauit sanctum locum istum.* In hoc templo fere facta sunt omnia quæ legimus in Euangeliis Dominum fecisse in templo hic docebat, hinc ementes & vendentes eiiciebat, quia domus orationis erat, neque permittebat, vt quisquā transferebat vas per templum, *Marc. 11.* Neq; enim transire vlterius Dominus poterat, vsque ad templum sacerdotum cum nō esset veteris legis

gis ſacerdos. Erat tertium atrium quod ſolis patebat ſacerdotibus & leuitis, ad quod à ſecundo fano quibuſdam gradib. aſcendebatur, eratq; murus diuidens ſacerdotes à laicis tres cubitos altus, *inquit Abulenſis q.21.* vt laici videre poſſent ſacerdotes & ſacrificia: eratq; hoc atrium inter templu & intimum murum poſitum, habens portam ad Orientalem plagam, ad quam vſque populus hoſtias ſuas & ſacrificia inferebat, inde ſuſcipienda à ſacerdotibus & ad altare perferenda.

5. PRIMVM iſtud atrium quod erat inter exteriorẽ & mediũ murum in omnib. ſuis lateribus duplices porticus habebat, quas terni columnarũ ordines efficiebant, quæ columnæ quinis & vicenis cubitis altæ erant, & omnes centum ſexagintaduę fuerũt, vniuſcuiuſq; craſſitudo quãtum poſſent tres homines conſertis inter ſe complecti brachiis, vnaquęq; porticus huius atrii triginta pedes latitudinis habebat, altitudinis vero pluſquam quinquaginta, ſtadium ſeu centum viginti quinq; paſſus longitudinis, ſuperius tecta. In muro ſecũdo & tertio porticus erant in qualitate ſimiles, & in quantitate æquales: in hoc tantummodo differentes, quod porticus muri ſecundi erant ab interiori parte muri ſui, porticus vero muri tertii erãt à parte exteriori. & hæc porticus proprie dicebatur porticus templi quia erat ante faciẽ templi, habens viginti cubitos longitudinis, ita vt longitudo porticus & latitudo templi eandem habuerint menſuram, nimirũ cubitos viginti ab aquilone ad auſtrum: latitudo porticus erat decem cubitorum ab Oriente ad Occidentem. Erant autẽ hæ porticus ſimplices non duplices vt primi fani, cõſtratæ ante gazophylacia.

6. GAZOPHYLACIA, quæ apud Ezech. cap. 40. vocantur thalami, erant cellaria ſeu cubicula in quibus pecuniæ oblatæ ſeruabantur ad templum reficiendum. Nã Græco ſermone φυλάττειν ſeruare dicitur, & gaza lingua Perſica diuitiæ vocantur. Gregorius *hom. 18 in Ezech.* per gazophylacia ii intelliguntur, *inquit,* qui pleni ſunt ſpiritualibus diuitiis, pleni ſapientia & ſcientia Dei, vt n. Sapiens ait Prou. 21. *Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis.* Eſt n. magna diſtantia inter terrenas & ſpiritales diuitias, quia ſpiritales diuitiæ eo excepto quod ad ęternas diuitias ducant, etiam erogatæ augentur: Terrenæ autem diuitiæ dum erogantur minuuntur, dum retinentur inutiles fiunt. Et recte huiuſmodi gazophylacia ab Ezechiele thalami dicuntur, quia in thalamo *inquit Gregor.* ſponſus & ſponſa fœderantur ſibique in amore iunguntur, ſic corda eorum qui amore Chriſto iunguntur aduentui ſponſi præparãtur, vt in iis requieſcat & vnus ſpiritus cum eo fiant. Et illi deplorantur 1. *Machab.* 4. quando dicitur, *vt viderunt paſtophoria*, hoc eſt, thalamo diruta, *sciderunt veſtimenta ſua & planxerunt planctu magno*, quia iſtud ſummopere deplorandum quando etiam viri ſpirituales ad ruinam deueniunt.

7. IN primo atrio quod erat inter exteriorem murum & medium quod appellabatur locus vulgi ſeu atrium immundorum, quia illuc etiam gentiles intrare poterant, nullum erat gazophylacium: In ſecundo atrio quod dicebatur mundorum inter ſecundum & tertium murum ſitum erant triginta gazophylacia, quindecim in latere auſtrali. & quindecim in aquilonari. In intimo atrio quod dicebatur atriũ ſacerdotum inter tertium murum & tẽplũ ſitum, erant quatuor gazophylacia, duo cãtorum, & duo ſacerdotum qui per hebdomadas ſucceſſiue in templo miniſtrabant. Seruabantur quoq; in gazophylaciis inſtrumenta ſacerdotũ & cantorũ miniſterio neceſſaria, vt thuribula, gladii ad occidendũ victimas, phialę, cytharę, tympana, tubæ & ſimilia: veſtes quoq; ſacerdotales, cũ n. ſacerdotes veſtib. ſacris induti diuino cultui dedicatis gazophylacia ingrederentur, cũ illis ad populum exire non poterant, ſed eas in gazophylaciis exuebant, & propriis induti ad populũ prodibant. Dicit Ezech. ca. 40. quod inter thalamos ſeu gazophylacia ſpatiũ interceſſerit

Digitized by Google

quinq; cubitorum: *Inter thalamos*, inquit, *quinque cubitos menſus eſt*. Ex quo patet ipſos thalamos non fuiſſe contiguos.

8. Hic notandum quod Chriſtus apud *Ezechielem cap* 40 architecto comparetur in cuius manu & funiculus lineus & calamus menſuræ cernitur: vt enim architectus his duobus vtitur inſtrumentis, corda ſcilicet ſeu funiculo lineo & calamo ſeu regula architectoria, vt recto ordine lapides & cætera in ædificio diſponantur: Sic Chriſtus dum ſuam ædificat eccleſiã certo ordine ſecundum iuſtitiæ & rectitudinis lineam quoslibet electos tanquam lapides bene politos ſuis coaptat locis, tribuens vnicuiq; ſecundum opera ſua, & ſingulorum merita diſcutiens ac remunerans. Et ſicut nihil erat in templo quod nõ metiretur architectus ille, metiebatur n. & longitudinem & latitudinem & altitudinem templi & ſancti ſanctorum, & thalamorum ſeu gazophylaciorum, portarũ, veſtibulorum & cæterorum omnium: Ita omnis vitæ noſtræ actio & mentis cogitatio debet eſſe ad normam Chriſti directa, quia debet eſſe conformis regulæ & legi Dei. Menſus eſt omnia ait *Hier. in ca. 40. in Ezech.* vt ſciamus Deo notam eſſe omnem noſtram conuerſationem, & nihil in templo Domini reperiri quod abſque menſura & ſapientia conſtitutũ ſit. Hæc omnia in latitudine menſurantur, quando charitas eorum qui per ea ſignificantur, examinatur quantum in ea profecerint: Per latitudinem n. charitas recte deſignatur, quia ea cor dilatat, vt omnes ii qui diliguntur, ſiue amici ii fuerint ſiue inimici, latum locũ & amplum in eo inueniant, nec facile offẽditur. Longitudo, teſte *Aug.* perſeuerandi deſignat longanimitatem: Si vis habere longitudinẽ habeto in bonis ope ib. perſeuerantiam vſq; in finem, quia non ſufficit breui aliquo tẽpore Deo ſeruire. ſed qui perſeuerauerit, vſq; in finem hic ſaluus erit. Altitudo v. in ſupernorum expectatione præmiorum conſiſtit: vt ſic latitudo charitatem deſignat, ita altitudo ſpẽ denotet futuræ retributionis, cuius intuitu & bene operamur, & infima quæq; ſiue proſpera ea fuerint quæ demulcent, ſiue aduerſa quæ cruciãt, tranſcendimus, & nihili pendimus, ſic Beda *cap. 6. de templo Salomon.*

ſerm. 7. de verb. Ap.

9. Describitur autem longitudo tẽpli fuiſſe ſexaginta cubitorum, latitudo viginti, altitudo triginta, quia quiſquis erigi vult in templum Dei, has menſuras in ſe compleat neceſſe eſt. Sexagenarius numerus fit ex denario per ſenarium multiplicatio: denarius plenitudinẽ ſignificat quia omnes numeros continet, ſi quidem vſq; ad decem numeramus, & poſt decem non nominantur noui numeri ſed illi repetuntur qui nominati fuerant: Senarius numerus operum importat perfectionem inquit Beda, quia ſex dieb. operari oportet ſicut & Deus in mundi creatione legitur fuiſſe operatus. Cum n. opera ſex dierũ diriguntur ad normam decem præceptorũ, recte dicitur quod longitudo templi ſit ſexaginta cubitorum. Quod v. latitudo tẽpli 20. cubitorum fuiſſe dicitur, id ſignificatur quod charitas per latitudinẽ ſignificãta omniũ bonorum operum erga Deũ & proximũ amplitudinem complectatur numerus n. vicenarius in ſe includit numerum denarium duplicatum. Altitudo templi 30. cubitos habuiſſe dicitur 3. *Reg.* 6. qui numerus ex denario ter multiplicato conficitur, quia qui ſpe erigitur in altũ ad ſuperna præmia & in fide Trinitatis & in bonis operibus exercitatus ſit neceſſe eſt.

10. Hic obſeruandum quod Sanctum ſanctorum habuerit 20. cubitos longitudinis, & 20. cubitos latitudinis, & 20. cubitos altitudinis vt tanta fuerit eius altitudo quanta & latitudo, quia quantũ quiſq; in charitate per latitudinem ſignificata proficit, tantum ad celſitudinem euehitur gloriæ, & tãta eſt ipſius longitudo quãta eſt eius latitudo, quia quantũ fuerit cor dilatatũ per amorẽ, tantũ erit & patiens per longanimitatem & tantũ quiſq; tolerat proximum quantum amat, quem minus diligimus, minus etiam toleramus. 3. Reg. 6.

hæc

hæc Gregor. hom. 15. in Ezech. Sanctum sanctorum igitur in quadro fuit positũ, sicut & ciuitas illa de qua Ioan. in *Apocalyp. cap.* 21. in quadro fuit posita, quia cœlestis Ierusalem, quæ per prædicta fuit significata, quadrata est propter stabilitatẽ, quã quadrata figura habet, semper enim sibi similis est, neq; aliquid suscipit varietatis. Est & istud hic notandum, quod cum lõgitudo templi dicitur fuisse 60. cubitorũ, per templum intelligatur solum locus sacerdotũ, in quo orabant & psallebant: non Sanctũ sanctorum, neque atrium sacerdotum. Et cum 2. *Parali*. 3. altitudo templi dicatur esse centum viginti cubitorum, hoc loco autem dicitur esse solum triginta cubitorum. Hoc loco describitur altitudo templi vsque ad primam cõtignationem: *in Paralip.* vero vsque ad extremam seu supremam.

III. De gradibus & fenestris templi.

1. CVM templum ædificaretur erant septuaginta millia eorum qui onera portabant & octoginta millia latomorum in monte, & tria millia trecenti ex his qui operariis præerant, vt dicitur 3. Reg. 5. qui omnes lapides adaptabant & quadrabant in monte ipso vnde excidebantur, ita vt malleus & securis & omne ferramentum non fuerint audita in domo Dei cum ædificaretur, quia lapides ita adaptati in templum aduehebantur, vt nullo ferramento opus esset, quia præpositi latomorum omnes parietum & lapidum & angulorum mensuras tenebant, vt apte inter se cohærerent. Hic tamen notat Abulensis *quæst.* 12. *in cap.* 6. *lib.* 3. *Reg.* quod cum dicitur ca. 6. *& malleus & securis non sunt audita in domo cum ædificaretur*: scripturam tantum loqui de ferramentis, quibus ligna & lapides adaptabantur, non autem quibus alia efficiebantur, nãcum in eodem cap. 6. dicatur, *Et affixit laminas clauis aureis*, hoc sine ferramentis & sonitu fieri non potuit. Cæterum quoniam in figura hæc contigerunt, videndum quæ sit res significata.

Quod malleus & securis nõ fuerint audita in domo cum ædificaretur, significatur, *inquit Beda*, quod electi Dei tanquam lapides viui solo amoris glutino in cœlesti Ierusalẽ inuicẽ sibi sint cõiungẽdi, nec ibi amplius dolãdi, quippe qui in hac vita tunsionibus & pressuris perfecte fuerint expoliti, ibi cessabit omnis castigatio & tribulatio, ibi nullus amplius perficietur, sed perfectus suo loco coaptabitur, iuxta, quod canimus in hymno ecclesiastico in dedicatione templi cantari solito, Tunsionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis per manus artificis, Disponuntur permansuri sacris ædificiis. lib. de Templo. Sal.

2. EST & istud hic obseruandum, quod iuxta *Ezech. cap.* 40. à portis exterioribus ascendebatur ad portas interiores certis quibusdam gradibus, nimirum ab atrio mundorum ad atrium sacerdotum & sic deinceps. Et ad secundam portam quæ erat ante atrium sacerdotum ascendebatur ab atrio mundorum quindecim gradibus, quos conscendit beatissima Virgo cum trima in templo est oblata sacerdotibus, nec vlterius mulieribus transire licebat, sed ad illam vsque sacerdotes prodibant, aut victimas ab eis accepturi aut aliud acturi quod vsus postularet. Quid sint gradus portarum, inquit Gregorius, nisi incrementa virtutum: siue enim in cognitione Christi, siue in scientia diuini eloquii, siue in ipsa fide & caritate proficiamus, quibusdam quasi gradibus ad altiora incrementa peruenimus: nemo enim repente fit summus. Homil. 15. in Ezech.

Alia sunt virtutum initia, aliud profectus, aliud perfectio: si enim & ipsa fides incrementum non caperet, & quibusdam quasi gradibus ad perfectionem non duceretur, nõ dixissent apostoli, Adauge nobis fidem. *hæc Gregor.* Notanter autem dicitur quod ab atrio mundorum, ad quod vulgus conueniebat, ascendebatur ad atrium sacerdotum, quia maior requiritur virtutum profectus in sacerdotibus quam in communi plebe.

3. INSVPER 3. *Reg. 6.* legimus quod ædificauerit Salomon parietes domus intrinsecus tabulis cedrinis à pauimẽto domus vsque ad summitatem parietum, ita vt nullus omnino lapis in pariete appareret: Erantque tabulæ omnes torno expolitæ, habentes suas cælaturas eminentes, quia sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species & anaglypha valde prominentia, & texit ea auro, nihilque erat in templo quod nõ auro tegeretur: ita 3.Reg.6. vt sculpturæ auri eædem essent cum cælaturis tabularum, hoc est, eædem figuræ apparerent in auro quæ sculptæ prius fuerãt in tabulis. Similia & in ostiolis oraculi & in portis tẽpli sculpta legimus: sic enim *Ezechiel refert cap.* 40. quod portæ respicientes Aquilonem, Austrum, & Orientem cælatas palmas habuerũt in frõtibus suis, vnam hinc & alteram inde. Quæ omnia partim propter ornatum, partim propter mysticam significationem facta leguntur.

Nam teste Gregor. *hom. 19. in Ezech.* id nobis significatur, quod æque peccatoribus conuersis qui per aquilonarem portã veniunt, atque iis qui in innocentia permanent, & ab Oriente veniunt, aut etiam feruentibus qui portam australem prodeunt, ad palmam quæ signum est victoriæ contendendum sit: Quæ palmæ ab vtroq; latere conspiciuntur portarum, dextero scilicet & sinistro: vt palmã à dextero habeat, quem prospera non deiiciunt. *hæc Gregorius.* Insuper q̃ tabulæ omnes torno fuerint expolitæ, & ita inuicem sibi insertæ vt non diuersæ sed vna tabula viderentur, hoc significatur quod sancti Dei qui templum Dei efficiunt, nihil habere debeant informe aut impolitum, sed omnia ad artem diuinæ sapiẽtiæ composita. Cherubim insculptos habent, quando angelicam puritatem imitantur, vt moribus iis similes euadant cum quibus in cœlo in æternum viuere cupiunt. Anaglypha sculpturam vocat eminentem & signis asperam, varias videlicet imagines rerum, non planas sed eminentes, siue ea palmæ fuerint, quæ sunt insigne victoriæ, siue cherubim, siue flores, siue quid aliud: quibus varia virtutum opera significantur & gratiarũ dona, non latentia sed extra prominentia & exemplo alios prouocantia: iuxta illud Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videntes opera vestra bona glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Et hæc omnia laminis aureis teguntur quia caritas ornamentum est omnium virtutum & bonorum operum. Hæc omnia imperfecte quidem implentur in hac vita, & tanto perfectius ab vnoque quanto in virtutibus profecerit magis. plene autem & perfecte implebuntur in futura.

4. FECIT *fenestras obliquas in templo.* 3. Reg. 6. Non quod reuera essent obliquæ, *inquit Abulensis*, sicut exiguæ fenestræ quę fiunt in quibusdam arcibus, sed quod cum extrorsum essent angustiores, introrsum vero latiores, lineæ laterum illarum non erant parallelæ quæ æqualibus spatiis ab inuicem dirimebantur, sed ab inuicem semper elongabantur sicut latera trianguli: Istud autem fiebat: ad hoc vt lux multa intraret per illas, quod non fieret si essent fenestræ æquales intus & extra. Dicuntur igitur fenestræ obliquæ eo quod lumen non recta ingrederetur sed oblique propter decliuitatem ipsarum: radii solis enim venientes ab extra intersecabant se in superficie fenestræ vbi est loc' strictior, & deinde dilatabantur & intrabat lux in templum per modum pyramidis euersæ, sic ille.

Has fenestras obliquas mystice interpretatur Gregorius *homil. 17. in Ezech.* in hũc modum. In fenestris obliquis, *inquit*, pars illa per quam lumen intrat, angusta est, quia obscurum & imperfectum est hic lumen scientiæ sed pars interior quæ lumẽ suscipit, lata, quia mentes contemplantiũ & veritatem suscipientium, aliquid primo tenuiter de vero lumine vident, sed in semetipsis dilatantur intus dum ipsa scientia in animis suscipientium augetur: Foris quidem angustiantur, *inquit Beda cap.*

7 de

7. *de templo Salom.* quia ad externa non effunduntur, & vix quid foris agatur attendunt: sed intus dilatantur, dum ad maiora capessenda sinum cordis aperiunt, & vt scientia veritatis intus multiplicetur & augeatur meditando & ruminando, in id toti incumbunt. Voluit autem Deus veritaté obscuro modo nobis tradere, & humilitas & studium exerceatur discentis, & superbia elidatur eorũ qui plus sapere volunt quam oportet. Et in veteri lege emũctoria aurea adesse debebant, quibus mũgebantur lucernæ dum non satis lucerent: Sic dum doctrina scripturarum obscura videtur, emũctoria adhibere oportet, hoc est, disputationes & scripturæ sanctæ expositiones, quibus lux veritatis clarius splendeat. Debent autem & emunctoria esse aurea, vt nimirum scripturæ expositio veritati correspondeat, & non quilibet quod sibi rectum & verum videtur obtrudat.

5. CVM templum à Salomone iam esset constructum & perfectum, intulit in illud omnia vasa & instrumenta, de quibus *Exod.* 25 & 27. quæ prius fuerant in tabernaculo, vt patet 3. *Regnum* 8. fuitque templum ædificatum septem annis vt dicitur 3. *Regum.* 6. quanquam ex eodem capite constet illud ædificiũ fuisse septem annis & sex mẽsibus: sed more scripturæ & humanarum historiarum, annus cœptus sæpe non numeratur, perfectum autem fuit cũ omnibus vtensilibus suis mense demum octauo anni septimi: nihilominus dedicatũ fuit Deo & consecratũ mense septimo, vt dicitur *cap.* 8. Noluit enim Salomon differri dedicationem templi in mẽsem octauũ quo plene omnia essent absoluta, quoniam mensis septimus plurimas habebat solemnitates, scilicet Tubarum, Expiationum, & Tabernaculorum. *vt patet Leuit.* 23. Atque ideo eo mense Israeliticus populus conuenire debebat in domum Dei, *vt patet Exod.* 23. & 34. Ne igitur populus grauaretur nimis si bis venire cogeretur, maluit mense septimo dedicare & simul vtrumq; fieri, sic Abulensis *quæst.* 2. *cap.* 8. Mystica significatio hæc est quod Ecclesi[illegible] per templum Salomonis figurata a[illegible]tur per totum tempus huius vitæ quod [illegible]ptem diebus deuoluitur: Inter quos sex diebus operari oportet, septimo autẽ die quãdo est quies & sabbatum Domini, [illegible]dicatur Deo: quia homo post opus suum completum septimo die ad quietem perueniet quando secundum animam se Deo dedicabit: Et octauo demũ die qui erit in die iudicii, quãdo dies æternitatis incipiet, omnia erunt perfecta, cum vniuersus numerus electorum per diuersa instrumẽta significatus, cum omnibus suis virtutibus & meritis erit expletus & absolutus, sicut octauo mense consummatum est tẽplum in omni opere suo & in omnibus vtensibilibus suis.

PARS III.

Filius qui nascetur tibi, ipse ædificabit domum nomini meo. 1. Paralip. 22.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Cur non à Dauid, sed Salomone sibi Dominus voluerit extrui templum: & de Atrio populi.*

II. *De Atrio Sacerdotum & altari aneo.*

III. *De templo & iis quæ in ipso erant.*

IV. *De oraculo seu Sanctuario: & de templo Herodis.*

NOLVIT Dominus suum templum extrui à Dauide, *eo quod multa bella gessisset, & multum sanguinem fudisset,* vti dicitur, *lib.* 1. *Paralip.* 22. sed *Salomon*, inquit, *qui pacificus erit, ipse ædificabit domum nomini meo:* Sic Christus qui est pax nostra, eo quod & nos Deo Patri reconciliauerit, & vtraque vnum fecerit, vt dicit Paulus *ad Ephes.* 2. ecclesiam suam ex gentibus & Iudæis collectam exædificauit & congregauit, sibique subiecit, non vi armorum, quomodo Alexander Magnus, Romani, & similes tyrãni, sibi regna compararũt, gentesq; ac populos sibi subiecerunt, nõ mansuetudine sed furore, nõ bene- ART. I. Cur non à Dauide sed Salomone Dominus voluerit extrui templum.

beneuolentia sed potentia, nō animi trāquillitate, sed bellorum strepitu. De Christo autem dicitur Psal. 75. *In pace factus est locus eius*, vbi edocemur non solum qualis, cuiusue conditionis debeat esse locus seu animus ille, quem inhabitet Christus, pacificus nimirū & tranquillus, quia fruitio Dei, quatenus in hac vita haberi potest, non percipitur nisi ab animo pacato & trāquillo, & a passionibus, turbationibus & cupiditatibus libero, vnde *Tertullian.* vehementer dehortatur Christianos à spectaculis gentilium frequētandis, eo quod necesse sit animū eius qui spectaculis fruitur aut intentus est, tacita sui spiritus passione vel indignatione, aut vana & inepta lætitia vel cupiditate, ex iisdē variis modis commoueri, eumque Spiritussancti, qui pro bono suæ naturæ tener est & delicatus, qui quauis commotione facile inquietatur, contubernio fraudari. Sed insuper dicitur in pace factus locus eius, quia dum hominē præparat vt fiat templū Dei, id mira suauitate & tranquillitate actitat, neq; enim in commotione Dominus, sed
3. Reg. 19. in operatio eius velut sibilius auræ tenuis: suauiter enim & summo silentio operatur opus nostræ salutis, *inquit Bernardus.* Expoliūtur quidem lapides viui huius templi tunsionibus & pressuris, & per manus artificis suis coaptātur locis, sed licet gladiis cædantur more bidentium, non tamē murmur resonat, nō querimonia, sed corde tacito mens bene conscia cōseruat patientiam: Et hoc est quod dicitur 3. Reg. 6. *Cum ædificaretur domus Domini, malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in ea*: absque violentia enim & sine tumultu ac strepitu exædificatur & erigitur homo in viuum Dei templum.

2. In templo Salomonis varia erant & distincta loca diuersis personis appropriata, neque enim quiuis quemlibet locum adire aut intrare poterat, sed alia laicis, alia sacerdotibus, alia summo Pontifici erant attributa. Erant ibi Sancta sanctorum, hoc est locus sanctissimus, quem solus summus Sacerdos ingredi poterat, cæteris Iudæis siue is plebeius esset siue sacerdos, sub pœna capitis erat interdictum ne quis ingrederetur in Sancta sanctorū, teste Philone *in libro de legatione ad Caium.*

Secūda pars templi dicebatur Sācta, eratque hic locus ipsis sacerdotibus appropriatus: latus viginti cubitis sicut Sancta sanctorum, & longus quadraginta cubitis. Ante huius ianuā quæ versus Oriētem patebat, porticū siue vestibulū exstruxerat Salomon, cuius longitudo latitudini tēpli respondebat, Erat autem templi, quod dicebatur Sancta, latitudo viginti cubitorum, vestibuli quoque longitudo viginti cubitos continebat, latitudo vero decem, altitudo 120. Tertius locus in templo Salomonis dicebatur Atrium sacerdotum. Dicuntur autem Atria latæ areæ conclusæ quidem muris sed aperto cœlo. Appellabatur autem Atrium sacerdotum propterea quod in illo sacerdotes sacrificia Deo offerebant, eratque post vestibulum seu porticum cōstitutum ad Orientalem plagam pro foribus templi. Præter Atrium sacerdotum fuit & alterum populi, ante Atrium sacerdotum versus Orientem, ex quo qui mūdi erāt de populo Deum adorabāt. Et istud Atrium late patens 2. *Paral. cap.* 4. dicitur grandis Basilica, his verbis. Fecit Salomon Atrium sacerdotū, & Basilicam grandē: diuidebaturque in duas partes, quarū vna viros cōtinebat, altera mulieres: fœminis locus erat destinatus ad partem Orientalem, muroq; ab Atrio virorū separatus: post fœminarū locū propinquior Atrio sacerdotum locus erat virorum. Postremo erat & Atriū immundorum in quod etiam Ethnicis licuit intrare, & ex eo Deum adorare, quod tamen non à Salomone sed ab Herode exædificatū dicitur. Templū enim ab Herode cōstructū quatuor Atria habuit, testis est Iosephus, & quatuor porticus in circuitu: Et in exteriorē omnibus licuit ingredi, etiā alienigenis: In secūdā vero porticū cūcti Iudæi ingrediebantur non solum viri sed etiam fœminæ si modo mūdæ essent, quia mulieres

tres menstruatæ transire prohibebātur: Et fœminæ quidem in suo Atrio manebant, viri vlterius ad suum atrium transibant. In quartam vero porticum seu in quartum atrium sacerdotes introibāt stolis induti sacerdotalibus, teste Iosepho *lib. 2. cont. Appion.*

3. AB atrio gentium siue immundorum ad Atrium Iudæorum mundorum quatuordecim ascēdebatur gradibus: & qua ab atrio gentium ad atrium Iudæorum mūdorum ibatur, septum erat saxeis cancellis ad tres cubitos altis, titulū habens qui prohibebat alienigenas ingredi in locum sanctum, morte interminata, teste Iosepho *lib. 6 ca. 6. de bello Iuda.* Eratque supra istos 14. grad⁹ porta Corinthia, sic dicta ab ære Corinthio, quæ in *Actis Apost. ca. 5.* speciosa appellatur propter pulchritudinem, per quam non solum viri sed etiam fœminæ si mundæ essent ingrediebantur ad Atrium mundorum, eratq; prima porta Orientalis in Atrio mundorū. Erat & altera porta interior Oriētalis, in muro qui Atrium populi ab Atrio sacerdotum diuidebat, fabricata, ad quam per quindecim gradus ascendebatur, teste Iosepho, quod B. Virgo cum in templo præsentaretur, ascendisse dicitur. Hoc atriū populi, quod & Basilica dicitur, in principio commune erat viris & fœminis: sed tēporis progressu, ait *Genebrardus in chronol.* in duo atria muro non prealto diuisum est, quorum vnum viros, alterum fœminas exciperet. Effecta igitur sunt non a Salomone, sed post Salomonis tempora ex vno duo atria, virorum vnum, quod vicinius erat atrio sacerdotum, mulierum alterum. Immundis autem & Gentibus atrium extruxisse Salomonem non cōstat: quod si immundi adorare Deum in tēplo vellent, legalem immunditiem expiabāt; sin minus tam ipsi quam ethnici foris extra atria preces fundebant.

Ioseph. li. 6. ca. 6. de bel. Iud.

4. ISTVD Atrium populi dici non potest, ait Iosephus, quam fuerit mirandum: in medio aream admodum latā habebat, quę magnam populi exciperet multitudinem ad latera vero Porticus, quibus æstus & imbres vitari possent, habuisse amplas & duplices, hoc est, quas terni columnarum ordines efficerent, constat Et quia Porticus Atrium populi, seu Basilicā magnam circundabant, a pręcipua parte etiā ipsum Atrium Porticus appellatur, ita vt Porticus Salomonis, & Atrium populi, siue Basilica idem significet. Hæc est opinio *Vatabli* Actor. 3. Porticum, *inquit* Salomonis appellabant Iudæi tēporibus Apostolorum, quæ Atrium populi, siue Basilica grandis dicebatur: Est etiam opinio *Ribera libro 1. de fabrica templi cap. 16.* Cum itaque *Ioan.* 10. mentio fiat Porticus Salomonis, *Ambulabat inquit Iesus in templo in Porticu Salomonis:* Et Actor. 5. de Apostolis dicitur. *Erant vnanimiter omnes in Porticu Salomonis:* non de Porticu intelligitur quæ erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, de qua 3. *Regum ca. 6.* quia Porticus illa ante templum extructa, templi erat vestibulum, propinquius ipsi templo, quam Atrium sacerdotum. Si ergo in Atrio sacerdotum nemini qui Sacerdos aut Leuita non esset, versari licuit in illa quoque Porticu vel templi vestibulo, nemini versari aut ambulare fas fuit, qui ex his ordinibus non esset. Per Porticum igitur Salomonis in qua ambulabat Iesus, & in qua orabant Apostoli, intelligitur Basilica ipsa. In hac Basilica seu atrio populi concionabatur Christus, ex hac eiecit ementes & vēdentes. In hac Basilica siue Atrio populi collocauit Salomon basim quandam æneam: de qua 2. Parali. 6. sic scribitur. *Fecerat Salomon basim aneam & posuerat eam in medio Basilica, habentem quinque cubitos longitudinis & quinque latitudinis, & tres cubitos altitudinis, stetitque super eam.* Videtur basis hæc locus fuisse Regi in templo destinatus, ex qua tanquam ex quadam cathedra concionatus videtur fuisse Christus. Etiam hoc Atriū populi circumcinxisse templū docet Iosephus *lib. 8. Antiq. cap. 3.* his verbis. Extra septum, id est, extra atrium sacerdotum, erat fanum porticibus magnis

Ioseph. 8. Antiq. c. 3.

ac latis cinctũ, & portis altis patens, quarum ſingulæ ſingulos ventos ſpectabant. Quod ſi ſingulæ portæ ſingulos ventos ſpectabant, cum ſint quatuor venti, quatuor videtur habuiſſe portas, quæ Orientem, Occidentem, Auſtrum & Septentrionem ſpectarent.

II. De atrio Sacerdotum.

1. POſt hoc atrium populi ſequebatur atrium ſacerdotum ſic dictum quod in eo ſacerdotes ſacrificia Deo offerrēt: eratq; humili muro ſeptũ altitudinis 3. cubitorũ, quo, teſte Ioſepho, excludebatur prophana multitudo, quæ atriũ ſacerdotũ ingredi non poterat. Dubium eſt an hoc atrium ſacerdotum tēplum omni ex parte Occidentali, Aquilonari, Oriētali & Auſtrali circumcinxerit, ſicut atrium populi: *Lyranus* & *Beda* dicunt quod ſic: *Abulenſis* vero & *Ribera* id negant: & vt apparet nō ſine ratione, Nā atrium ſacerdotum propterea extructum eſt vt in eo ſacerdotes ſacrificia offerrēt Deo: ſacrificia aũt ante templi portam Orientalem, vbi altare holocauſtorũ fuit locatum, offerebãtur. Sed veriſimilior eſt *Lyrani* ſententia & *Bedæ*, præſertim cum hoc & *Ioſephus* aſſerat *li. 8. antiquit. c. 3.* quanquam hoc atrium circa vtrumque latus templi non adeo diffuſum fuerit, ſtrictius vero ad Occidētem, ita vt ibidem fuerit inſtar grandis plateę: per quadrũ autē præ foribus templi ad Orientem plurimum extendebatur, nimirũ ad 150. cubitos, ſi verum ſit quod *Arias Montanus dicit*. Et ideo præcipue appellatum fuit atriũ ſacerdotũ, quod erat ante Orientalem templi portam, vbi victimæ Deo immolabãtur. Erat n. ibi ſub dio altare æneũ, quod holocauſtorũ appellatur, à præcipuo ſacrificij genere, id eſt, holocauſto. Latum iſtud erat altare viginti cubitos, totidem longum, decem vero altũ, *vt patet 2. Paralip. 4.* ad quod aſcendebatur non per gradus, quia illud prohibetur *Exo. 20.* vbi ſic dicitur, *Nō aſcendes per gradus ad altare meum ne reueletur turpitudo tua*: ſed aſcendebant ſacerdotes per accliuē terræ tumulum inſtar collis paulatim aſcendentem. Ita Abulenſis 2. *Paralip. 4. q. 7.* In hoc altari immolabantur hirci, tauri, oues & boues, in ſignum quod & corpora noſtra veluti victimas Deo gratiſſimas immolemus, dum libidinē veluti fœtidum hircum, & iracundiam veluti furētem taurũ mactamus & immolamus. Ad quod nos hortatur Paulus cũ ad Romanos 12. ait, *Obſecro vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuentem, ſanctam, Deo placentē.* Neque n. aliter poteſt eſſe corpus ſanctũ & Deo placens, niſi huiuſmodi vitiorum monſtra in nobis mactare ſtudeamus.

2. NOTANDVM hic quod altare tabernaculi Deus extrui voluerit concauũ, & ſi lapideum foret illud fieret de impolitis ac rudib. lapidibus: ſic n. dicitur Exo. 27. *Non ſolidum ſed inane & cauũ facies illud intrinſecus*: & c. 20. *Altare de terra facietis mihi: quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus.* Merito quidē inane & cauum erat altare intrinſecus, quoniã ſacrificia veteris legis vacua erant & inania, nullam gratiam cōferentia, aut continentia, ſed impolita erant & rudia omnia ipſorum ſacramenta & ſacrificia. In iſto altari holocauſtorum ignis perpetuo ardebat quo incendebantur victimæ: & ſacer dicebatur ignis iſte, quia diuinitus datus & è cœlo emiſſus, *vt patet Leuitici 9.* Hic ignis perpetuo fuit ſeruatus & in deſerto, & in templo Salomonis vſque ad trãſmigrationem Babylonis, *teſte Theodoreto qu. 9. in Leuit.* Et probatur *ex c. 9. Leuit.* vbi ſic dicitur & præcipitur, *Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies.* Item, *Ignis iſte perpetuus qui nunquam deficiet in altari.* Et quanquam *Abulenſis* extinctum fuiſſe putet, eo quod Iſraelitæ victimas in ſolitudine non immolarent: Si enim nulla ſacrificia incendebantur, non erat opus igne, inquit. Nihilominus dicendum ignem fuiſſe conſeruatum, & per ſolitudinem delatum, eo quod à Deo fuiſſet datus & è cœlo emiſſus; Et ſacrificia aliqua etiam in ſolitudine obtuliſſe ſacerdotes, non eſt à veritate alienum. Sacer

hic

Digitized by Google

hic ignis caritatis fuit typus, quæ de cœlo demittitur in corda filiorum Dei: Sic enim Paulus ait, *Caritas Dei diffuſa eſt in corda noſtra per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Alienus ignis eſt mundi amor, & carnis voluptas, quem qui thuribulo cordis imponunt, vt filii Aaron nobis præfigurant, *Leuitici* 10. cupiditatum flammis incenſi male pereunt. Cæterum vt ſacer iſte ignis, hoc eſt, caritas diuina ſemper ardeat in altari cordis noſtri, & nunquam extinguatur, ſubiice ligna mane per ſingulos dies, hoc eſt, talem materiam animo reuolue, quæ caritatem ipſam & conſeruet & adaugeat: huiuſmodi ſunt memoria beneficiorum Dei, quia naturale eſt diligere benefactorē, memoria paſſionis Chriſti, Cum n. ſerio quis cogitat, ꝙ Chriſtus eum tantopere dilexit, vt etiam pro ſalute eius in mortē ſe traderet, amātem & ſic amantem non poterit nō redamare: item lectio ſacræ ſcripturæ, exempla Sanctorum, bona opera & ſimilia.

3. Inter Sancta & atrium ſacerdotum erat porticus ſiue veſtibulum, cuius lōgitudo latitudini templi reſpondebat: Erat autem templi latitudo viginti cubitorū, veſtibuli quoq; lōgitudo viginti cubitos continebat: latitudo vero decem, altitudo 120. In hoc veſtibulo ante fores templi erāt duæ iſtæ præclaræ columnæ magna & pulchra mole collocatæ, vna ad dexterā, altera ad ſiniſtrā, illi quæ ad dexterā partē ſita erat, nomē impoſuit Salomon, Iachin, quod ſignificat, firmabit, ſtabiliet: alteri vero quæ ad ſiniſtrā erat collocata, nomē indidit, Boos, quod ſignificat Fortitudo in eo: quaſi optando templi ſtabilitatē & perpetuitatem, quaſi dicat, vtinā confirmet ac ſartam tectā ſeruet Dominus hāc domum. Iſtarum columnarum ſæpe fit mentio in ſcriptura ſancta: *vt Ieremiæ* 52. vbi dicitur quod earum altitudo fuerit octodecim cubitorū: *& 2. lib. Paralip. cap.* 3. vbi habetur, quod habuerint 35. cubitos altitudinis. Quæ loca ſic conciliantur, Columnarum ſcapus ſeu ſtipes decem & octo cubitos habuit: ſed ſi tota columna cum capitellis & baſibus conſideretur, habuit 35. cubitos. 3. *Reg. c.* 7. dicitur linea ſeu funiculus duodecim cubitorū ambiuiſſe ſeu circuiſſe vtramque columnam: quo ſignificatur quod circumferentia ſeu craſſities ipſarum columnarum fuerit duodecim cubitorum, hoc eſt, craſſitudo cuiuſque columnę tanta erat, quantam poſſent tres homines conſertis inter ſe complecti brachiis.

III. De templo Sacerdotum.

1. Veſtibulo coniunctus erat locus qui dicebatur Sancta, qui medius erat inter veſtibulum & Sancta ſanctorū, latus viginti cubitis, ſicut Sācta ſanctorū & longus quadraginta cubitis: Hic locus templū dicitur in ſcripturis, vt cū dicitur, 3. Reg. 6. *Porticus erat ante templum* 20. *cubitorum longitudinis, iuxta menſuram latitudinis templi*: Rurſum cum eodem capite paulo poſt dicitur, *Porro quadraginta cubitorum erat ipſum templum pro foribus oraculi*: Et iterum eodem capite, *Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur*: Tamen mare æneum, & altare æneum, non fuerunt auro tecta, ſed hæc fuerunt nō in templo, ſed in atrio ſacerdotum, in templo ſeu in iſto loco qui dicitur Sancta, erat aurea menſa propoſitionis panū, erat cādelabrum aureum, erat & aureum altare thymiamatis Mēſa ex lignis Sethim, hoc eſt, ex lignis cedrinis fabricata, & auri laminis contecta, vnde & aurea dicebatur, longa duos cubitos, *vt dicitur Exo.* 25. cubitum vnum lata, & cubitū ac ſemiſſem alta, duodecim panes propoſitionis cōtinebat, quibus ſolis ſacerdotibus veſci licebat, & ſingulis ſabbathis renouabantur. Sed hoc hic obſeruandum quod in tabernaculo Moyſis vnica tantum fuerit menſa, & vnicū candelabrum. Sed in templo Salomonis erāt menſæ decem, & totidem candelabra, quinq; ad parietem aquilonarē, & quinq; ad auſtralem, *vt dicitur* 2. *Paral. c.* 4. Cum n. tabernaculū Moyſis typus fuerit ſynagogæ, Tēplū vero Salomonis, Eccleſiæ, in ſynagoga pauciores fuere, in eccleſia vero plures mēſę ſternūtur. In ſynago-

Digitized by Google

nagoga terreni cibi, hoc eſt, terrena præmia, vinum, oleum, triticũ & ſimilia proponuntur & promittuntur obſeruantib. legem: Sed in Eccleſia deliciæ ſpirituales, ꝑmia cœleſtia, gratiæ dulcedo, ſacramenta, præſertim ſacramentum Euchariſtiæ, quod in ſe cõtinet omnem ſuauitatem, & omnis gratiæ auctorem. Abunde n. & variis deliciis ſuos amicos reficit Deus, ſed in abſcondito, & in cordis ſecreto, quod nemo ſcit niſi qui accipit, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ quam abſcondiſti timentibus te.*

2. CANDELABRUM menſæ adiungatur neceſſe eſt, quia ſi fidei lumẽ abſit, nemo viuum panem ſibi appoſitum videre aut cognoſcere poterit: Igitur dũ menſã Euchariſtiæ accedis adhibe lumen fidei, & diligenter animo perpẽde, quis ſit ille qui ſub ſpeciebus panis & vini latet abſconditus. Cæterum quia in templo ceræ non fuit vſus, ſed olei, cãdelabra hæc non cereos aliquos, ſed lucernas, quarũ lux infuſo alebatur oleo ſuſtinebat. Obſeruauit hoc *Hier.* Mel, *ait*, non offertur in ſacrificiis Dei, & cera quæ dulcia continet, nõ lucet in tabernaculo, ſed oleum quod de oliuæ profertur amaritudine. hæc ille. Ideo in calamis candelabri ſcyphi ſeu calices erãt quibus oleũ infundebatur: Quibus *Greg.* mentes hominum putat ſignificari replẽdas doctrina & luce veritatis & oleo miſericordiæ: Lilia candelabri caſtitatẽ deſignãt apoſtolorum, & eorũ qui alios illuminant: Globuli ſeu ſpherulę in ipſo candelabro, rotunditatem mundi, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum.

Hier in epiſt. ad Fabiolam de 40. manſionibus manſione 40. Greg. hom. 6. in Ezech.

3. ERAT inſuper in hoc loco etiam altare thymiamatis, altitudinis duorum cubitorum, & latitudinis atq; lõgitudinis vnius cubiti, quadratum ſcilicet: quod conſtructum ex lignis Sethim ſiue cedrinis totũ laminis aureis erat tectũ, vt ꝓpter hoc & aureum dicatur, *Exod.* 40. Hoc altare thymiamatis poſitum erat nõ in Sanctis ſanctorũ, vt quidã putãt, quia eo ſacerdotes, qui quotidie thymiama incendebant, intrare non poterãt: ſed in Sanctis ante velũ oraculi, *teſte Greg.* Ita vt dũ thymiama incẽdebatur, ſuffitus ſeu odor bonus etiam Oraculum ſeu Sancta Sanctorũ ingrederetur. Incendebatur autẽ iſtud thymiama quod ſuauiſſimi erat odoris, cõtra malos odores, qui ex occiſione animaliũ, quæ in atrio tẽpli in altari æneo indies offerebãtur, exoriebatur. Hoc thymiamatis altare in domo Dei locatum, cor præfigurat viri Chriſtiani cœleſtibus deſideriis inflãmatum: ſic n. Greg. *ait hom. vlt. in Ezech.* Altare aureum in quo thymiama incenditur, eſt ante velum, quia Sanctorũ corda quæ Dei amore ſuccenſa ſunt, per ſanctum deſiderium in illo ardent, quem adhuc reuelata facie videre non poſſunt. *hæc Greg.* Et ſicut Sancta ſanctorum penetrabat odor thymiamatis incẽſi, ſic penetrat cœlũ electorũ oratio cordis amore ſuccẽſi: Id quod petebat Pſalmiſta cum ait. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Notanter dicitur 3. *Reg.* 6. quod nihil fuerit in templo, quod nõ auro tegeretur, nõ menſa, nõ candelabrum, non altare, nõ parietes, deniq; non ipſum pauimentum. Sic n. ibidẽ dicitur, *Parietes templi,* iam ſc. dicti, *cedrinis tabulis, in quibus cælatura eminebant, veſtiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete: & vlterius ipſas tabulas auro cooperuit & veſtiuit Salomon puriſſimo:* Quinimo & ipſum pauimentum domus texit auro extrinſecus & intrinſecus, vt dicitur 3. *Reg.* 6. id eſt, pauimentũ interioris domus & exterioris. Cuius rei ſignũ hoc eſt, quod qui ſunt viuũ Dei templum, caritate fulgeant & emineant quæcumq; ab ipſis ex caritate fiunt, quod perfecte completur, in futura vita.

Gregor. ho. vlt. in Ezech.

4. QVANDOQVIDEM vero ſacerdotes & Leuitę, ea hebdomada qua ſacerdotales & leuiticas obibãt functiones in tẽplo morabantur, nec domũ redire poterant; *teſte Theoph.* dicẽte; quãuis Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ domũ Ieroſolymis habuerit, non tamen ei licuit extra ambitũ templi per tempus vicis ſuæ exire: Ideo circũ Atria templi tam ſacerdotes quam Leuitæ domos habebant in quibus tẽpore vicis

In cap. 1. Luc.

eis ſuç morabantur. Et quia plurimi erant miniſtri qui per hebdomadas templo inſeruiebant, eo quod in ſolemnitatib. plurima ſacrificia offerentur, hinc plures fuerũt huiuſmodi domus, quæ & Exedræ dicuntur, quia ibi reſidebant, & paſtophoria in lib. Machabæorum nominantur, à paſtu & foris, *inquit Abulenſis*, eo quod Iudæi foris venientes ibi carnib. ſacrificiorum, quæ obtulerant, veſcerentur. Erant & aliæ domus theſauris templi aſſeruãdis deſtinatæ, quæ dicebantur gazophylacia, à gaza ſeruanda: Ibi enim reponebantur ornamenta templi, aurea & argentea vaſa, muſica inſtrumenta & alia plurima. Erant & cellæ in parietibus domus per circuitũ templi & oraculi à Salomone exædificatę, idq; in triplici ordine, quarũ infimus ordo quinq; cubitorum erat in latitudine, ſecundus ſex, tertius ſeptem, altitudinẽ vero habebant ſingulæ quinq; cubitorum, *vt patet 3. Reg. 6.* quas *Ioſephus*, 30. numero fuiſſe ſcribit, erantq; inter ſe peruiæ, ita vt ex vna in alterã ingreſſus pateret. Eratq; in templi parte dextera oſtium & cochlea per quam ad has cellas aſcendebatur, vt patet 3. *Reg* 6. vbi tabulata dicuntur, non quod fuerint deambulacra circum templum extructa, ſed tabulata dicuntur huiuſmodi cellæ, quoniam nõ ex lapidibus, ſed ex tabulis tantummodo erãt extructę. Putant nonnulli virgunculas quæ Deo offerebantur, inter quas virgo Maria fuit vna, huiuſmodi cellas inhabitaſſe. Sed hoc non eſt veriſimile, quia ſolis ſacerdotibus iſta loca in tẽplo ſita, intrare licebat. Habebant alias cellas huiuſmodi virgunculæ iuxta atrium fœminarum.

Quæſt. 20 3. Reg. 6.

Lib. 8. antiq. c. 3.

IV. De Sancto Sanctorũ.

1. ERAT poſtremus, Occidẽtem verſus, in templo Salomonis locus, Sancta ſanctorum, hoc eſt, locus ſanctiſſimus dictus, ſic dictus non tam ſui ratione quam ſignificatione: præfigurabat enim locum ſanctiſſimum, hoc eſt, cœlum ipſum, propter varias figuras cœli proprietates ſignificantes. Erat n. locus quadratus, longus ſcil. 20. cubitos, totidem latus & altus: ſic cœleſtis Hieruſalem quadrata eſt, iuxta illud Apoc. *Ciuitas in quadro poſita eſt*, quia hæc figura ſtabilitatem, conſtantiam, ac perpetuitatem ſignificat: nã corpus quadratum quamcumq; vertatur in partem, ſemper ſtat firmum: in ſanctis nulla iam inconſtantia, nulla inſtabilitas. Et huic loco merito conuenit hoc nomen Sancta ſanctorum, de quo Paul. *Chriſtus introiuit ſemel in Sancta ſanctorum*, hoc eſt, in cœlũ ipſum, quia nullus in eo eſt qui nõ ſit ſanctiſſim⁹. Fores habebat ex olea inauratas, atq; egregie cœlatas, eaſq; velo obtectas, quia per miſericordiã Chriſti, & per propria noſtra miſericordiæ opera, tanquam per oſtium, aditus patet nobis in cœlum, adumbrat enim oliua miſericordiam: & hic locus velo fuit obtectus, quia cœleſtia latent, oculus enim nõ vidit quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Erant in oſtiis oliuarum inſculptæ palmæ & Cherubim, quia per vitam angelicã & victorias per palmas ſignificatas, contra voluptates carnis & cætera vitia in cœleſtem gloriã intrare oportet. Hic locus continebat arcam fœderis, habentem in ſe duas tabulas legis, vrnam mannæ & virgã Aaron: Hæc arca adumbrat Chriſtum, *teſte Gregor.* qui dicitur arca fœderis, quia fœderis & pacis inter Deũ & nos initæ ipſe Chriſtus auctor eſt: tabulas legis cõtinet, tũ quia legẽ eximie dilexit, iuxta illud Pſal. 38. *Legem tuam in medio cordis mei:* Manna continet & virgam, quia in hac arca cœleſtem gratiam qua paſcit hominem repoſuit Deus: Cum manna virgam, id eſt iuſtitiã coniũctã eſſe voluit, vt qui cibo cœleſti paſcitur ſub diſciplina contineatur ne inſoleſcat. Hic De⁹ ſuper Cherubim, id eſt, ſuper alas Cherubinorum veluti in ſolio ſedere dicitur, ita vt pedes ſuper arcã, ſiue ſuper operculum arcæ habeat; quæ & propterea ſcabellum pedũ eius dicitur, quia in cœlo ſolium habeat altiſſimum ſuper oẽs choros angelorũ, & ſuper hominem Chriſtũ, cumq; ſit incomprehenſibilis, ſuperat omnem ſcientiam ipſorũ Cherubim, quod ſignificat ſcientiæ multitudinem, iuxta Dionyſ. *ca. 7. de cœleſt. hierar.*

Ad Heb. 9

Greg. ho. vlt. in Eze.

ffff 3 HAC

2 HAC arca cum Cherubim destitutum fuit secundum templum à Iudæis post captiuitatem extructum, vnde & oraculis quæ Deus edere solet in primo templo ad propitiatorum caruit, & Spiritu S. qui olim prophetas afflabat hac ex parte destitutum erat: nam à Malachia vsq; ad Ioannem Baptistam nulli prophetæ extitere: Igne insuper sacro, qui de cœlo descendẽs holocausta comburebat, caruit: nũquam enim comparuit ex quo in puteum à sacerdotibus, ne in impiorum manus deueniret, absconditus fuit.

2. Mach. 1.

3 SED nec in templo ab Herode extructo arca fuit, neq; tabulæ legis, neq; Cherubim, *teste Iosepho*. Herodes ille primus qui regnabat cum Christus nasceretur, aliud templum, secũdo destructo, magno sumptu & singulari arte atq; industria & eximia structura exædificauit: vnde Mat. 13. *Ecce quales lapides & quales structuræ.* Refert Iosephus *in fine lib. 15. Antiq.* toto tempore quo templum extruebatur, nunquam interdiu pluisse, noctu tantum imbribus descendentibus, ne interrumperetur ædificatio. Inchoauit autem Herodes hoc structuræ opus anno decimooctauo sui regni, & nouem annis cum dimidio absoluit, *inquit Iosephus*, quinto ante Christi natiuitatem, qui natus dicitur Herodis anno 38. & exterior facies templi nihil quod animus non miraretur habebat. Crustis enim grauissimis aureis vndiq; tecta sub primos solis ortus, frons namq; templi Orientem spectabat, igneum euibrabat fulgorem.

Ioseph. lib 6. ca. 6. de bel. Iudaic.

SECVN-

Digitized by Google

SECVNDI TOMI
PARS ALTERA
DE FESTIS
à
FESTO SS. TRINITATIS AD ADVENTVM
vſq; occurrentibus.

IN FESTO S. IOANNIS Baptiſtæ.

ELIZABETH *autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.* &c. Luc. 1.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Cur natiuitas Ioannis potius celebretur quam aliorum ſanctorum.*

II. *De mirabili eius in eremo conuerſatione.*

III. *Quomodò Ioannes profecerit vt ætate, ita & ſapientia ac reliquis virtutibus.*

PARS I.

I. CVM Eccleſia in feſtis Sanctorum non dies illos quibus in hanc vitam ingreſſi ſunt, ſed quibus in alteram demigrarunt, ſolenni ritu honorare ſolita ſit, eoſque natales eorum appellare, in quibus per glorioſam mortem ad immortalem & beatam vitam fælicisſime ſunt renati: inquiſitione dignum eſſe videtur, cur Eccleſia maiori ſolennitate Natiuitatem S. Ioannis celebret qua in

ARTI. Cur Natiuitas S. Ioan. potius celebretur quã aliorum Sanctorum.

hanc

hanc vitam infinitis pene miſeriis curiſq; refertam eſt natus? Ad quod reſpondetur, Eccleſiam in Ioannis feſto non illud inſpexiſſe quod illi commodius & glorioſius fuit, ſed quod vniuerſo orbi ſalutarius erat. Quid enim ſalutarius aut iucundius annunciari mundo potuit, quam quod is aduentum agni cœleſtis & mundi Saluatoris poſt Beatam virginem & primus agnouit adhuc exiſtens in vtero, & iam natus primus oſtendit dicẽs, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hoc enim vno verbo & malorum omnium remedium, & bonorum omnium cumulum mundo allatum eſſe teſtatus eſt.

2. DEINDE quia Ioannes ſingularibus & variis fuit priuilegiis dotatus antequam natus: & in primis tantam gratiam in naſcendo meruit, *inquit Ambr.* vt præter cõ-
Serm. 63. munem hominum natiuitatem ex repromiſſione generatus fuerit: ſicut enim Mariam ſuſpicimus quod virgo peperit, ita in Eliſabeth miramur quod anicula procreauerit, & quod talem virum procreauerit, de quo angelus hoc teſtimonium dedit, Hic erit magnus coram Domino: magnus, *inquit Ambr.* non corporis mole, ſed animæ magnitudine, quæ deſumitur
Ambr. lib. 1. cap. 1. ex magna virtute: adhuc enim exiſtens in vtero materno repletus fuit ſpiritu ſancto, vnde & Ioannis nomen ei ab angelo inditum antequam haberemus natum: Ioannes autẽ gratiam ſignificat, vt ipſum ſuum nomen gratiæ diuinæ magnitudinem, quę in illum conferenda erat, declararet. Stupendum enim quid cernere erat in puero iam prius concepto, quod ad ſalutationem Mariæ exultauerit infans in vtero, & ſuum nec dum genitus recognouit Dominum, qui necdum agnouerat ſeipſum, *inquit Bern.* nec impar miraculum in eius natiuitate viſum, quando linguæ paternæ vinculum non ſolum ſolutum, ſed ad eum velut audientem & intelligentem Zachariæ prophetantis ſermo cõuertitur dicens, *Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.*

3 SED nec iſta Ioannis infima laus eſt quod à iuſtis parentibus ſit prognatus, quorum meritis magnus, licet maior propriis: vt enim Eccleſiaſticus ait, *Gloria ho-* Eccleſ. 3.
minis ex honore patris ſui, & dedecus filij, pater ſine honore: Et Sapien. cap. 4. *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt: Confringentur enim rami inconſummati & fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum & ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filij qui naſcuntur teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua.* hæc ibi. Dominus autem ab vtero vocauit Ioannem & *poſuit os eius vt gladium acutum & ſicut ſagittam electam*, vt dicitur Iſai. 49. Gladio vtimur cum prope eſt hoſtis, ſagitta diſtantem vulneramus: Et vocat eũ *ſagittam electam*, quia ad hoc ſpecialiter elegit eum Dominus, vt fœlici & vitali vulnere percuteret & interimeret carnales hominum cupiditates, etiam in profligatiſſimis peccatoribus, vt iis mortificati Deo viuant.

1. QVI ita ſingulari Dei priuilegio fuit II.
conceptus, ſanctificatus & natus, De cõuer-
non neceſſe habuit vt iam natus à parte ſatione e-
nutriretur, ſed adhuc puerulus teneris ſub ius in ere-
annis, omnibus corporis ſui non ſolum mo.
commoditatibus ſed & neceſſitatibus deſpectis, in vaſtam eremi ſolitudinem ſe contulit, & admiranda vitæ aſperitate ſanctiſſimam carnem ſuam afflixit ne aut indulgentia peccaret, aut ſi quæ leuiora peccata commiſiſſet, in ſe vindicaret. Fugiens itaque vrbium tumultum & populi frequẽtiam, vbi fere tot cernis vitia quot capita, abiit in deſerta vt ibidem familiarior Deo effectus, commodius & vacaret orationib. ac diuinis contemplationibus, & cum angelis eſſet conuerſatio illius. Et ibidem cum beſtiis agens foris quidem pauper, intus foret diues, & dum corpus ieiuniis extenuaret, anima deliciis afflueret, & dum caro forinſecus mortificaretur, intrinſecus vegetior ſpiritus fieret. Sciebat n. quia ſicut peccatoribus, vt ſanctiſi-

Digitized by Google

cti fiant, sic Sanctis vt sanctiores euadant, necessariam esse disciplinæ seueritatem: Qui & propterea tantæ virtutis, tantæq; sanctitatis extitit, vt Dominus ipse hoc de eo testimonium tulerit, quod *inter natos mulierum nõ surrexit maior Ioanne Baptista*, qui & cognitione diuinorum mysteriorũ & charitatis ardore & cæteris prærogatiuis excelluit omnes. Et quidem si eius prærogatiuæ considerentur, nõ dubium quin fuerit maior & patriarchis & prophetis & apostolis. Nam prærogatiuæ eius fuerunt quod angelico fuerit promissus oraculo, quod conceptus miraculo, quod sanctificatus in vtero, quod ab ineunte ætate familiaris angelis & Deo, quod Dominum suum baptizauerit, & primo agnitũ Christum aliis digito demonstrauerit, quod à prophetis promissus angelus sit dictus, quippe qui velut angelus in humano corpore latens vitam transegerit non tam humanam quam angelicam. Nam *vt Chrys.* ait erat illi impræparata mensa, facilis amictus, & habitatio amictu facilior: Neq; enim vel tecto indiguit vel lecto, aut mẽsam requisiuit, vel aliquid huiusmodi, sed angelica quadam vita, vtpote diuinarum rerum cõtemplatione gratiarum actione, spiritali gaudio & pace quæ exuperat omnem sensum, diuina charitate & feruore, mortali in corpore resplenduit. Nec obstabat ætatis infirmitas quam diuina fœcundabat maiestas.

Chrys. ho. 10. in Mat.

2. MIRA conuersatio, *inquit Bernardus* vix mundum intrauerat, & iam mundi gloriam fugiebat, & seculi cupiditates nõ solum obliuiscebatur, sed nesciebat, perpetuum cum Deo & angelis eius habens consortium. Propterea etiam vestimentum, non de lana cameli, *inquit auctor imperfec. ho. 3. in Matt.* ne ipsa mollicies vestimenti delicata faceret membra, & animũ virilem, & fortitudinis ac patientiæ virtutem emolliret, sed vestimentum de pilis & asperioribus setis cameli habuit, vt ipsa asperitas ad virtutem fortitudinis & patientiæ ipsum animũ exerceret. Et animalis vilissimi satiatur edulio, nihilq; coctũ accipit ieiunantis asperitas, vt ostenderet medicamentum vulneri, & peccatori pœnitentiam ac veniam.

Bern. in priuileg. S. Baptist.

3. HINC factus Ioannes magnus, nõ corporis mole, sed virtutis magnitudine, qui carebat & pueritiæ errore & lubricum adolescentiæ animæ maturitate non sensit. Ipse erat lucerna ardens & lucens. Magnum testimonium, *inquit Bernardus.* Est enim tantum lucere vanum, teste eodem: tantum ardere parum: ardere & lucere perfectum, lucere tãtum, vanum inquam non donum repello, sed bonum eius vsum requiro, luna splendet, sed sine ardore & feruore, modo plena, modo exigua, modo vlla videtur: Sol simul lucet & ardet, & semper in eodem statu permanet. Quid hoc ad propositum? inquies; Audi quid Eccles. dicat *vir sensatus permanet in sapientia sicut sol, stultus autem vt luna mutatur*, quia nunquã in eodem statu permanet mutuatum lumen, sed crescit, deficit, extenuatur, adnihilatur, væ nobis, si luxerimus tantũ: Dũ lucemus, magnificamur quidem ab hominib. sed mihi pro minimo est vt ab humano iudicer die, *ait Ber.* Qui cõscientias suas in alienis labiis posuerũt, modo magni, modo parui sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At vero solis splendor igneus est, & cum feruet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus, foris lucet, & si non datur ei vtrumq;, curat semper ardere magis, quia Dominus feruorem ab omnibus exigit, splendorem vero non ita. Sic enim ait Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Hoc nempe commune mandatũ, hoc est quod exigitur ab vniuersis, nec vlla si deesse cõtigerit, admittitur excusatio.

Bern. ser. de Ioan. Baptist.

Eccl. 27.

4. CÆTERVM singulariter apostolis & apostolicis viris, nimirum tanquam vehementer accensis, dicitur Matth. 5. *luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, glorificent patrem vestrũ qui in cælis est.* Cum enim ita spiritu sancto pleni essent intus in anima, simul & opera

pera coniungere debebant externa, hoc enim necessum est, vt qui Deo placere cupit, spiritui interno externa opera coniūgat. Dictum est & Ioanni Zachariæ filio, Luc. 3. *& factum est verbum Domini super eum in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Sed apostoli in aure audierunt, Ioannes in spiritu tanquam angelus eruditur: Neque enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit spiritus in vtero suæ matris, vere ardens & vehementer accensus, quem sic præoccupauit flamma cœlestis, vt iam sentiret Christi aduentum, qui necdum sentire poterat vel seipsum: nimirum nouus ille ignis, qui recens elapsus è cœlo per os Gabrielis in aurem intrauerat virginis & per matris aurem introiuit ad paruulum infantem, vt ab ea hora vas electionis suæ spiritus sanctus impleret, & lucernam Christo Domino pararet. Notandum & hoc, *inquit Bern.* loco prædicto quod Ioannes dicatur lucerna ardens & lucens, & non ait lucens & ardens, quia Ioannis ex feruore splendor, non feruor prodiit ex splendore. Sunt enim qui non eo lucent quia feruent, sed magis feruent vt luceant, qui feruent non charitatis ardore sed cupiditatis vanæ gloriolę feruore. Ardebat Ioannes sibi, nobis lucebat: exultare volebant Iudęi ad horam in luce eius, ipse vero potius gaudebat in feruore charitatis. Quicquid in nobis est minus feruoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Fidelis est Deus, si miserias nostras exponamus, si non excusemus infirmitates nostras, dimittet nobis iniquitates nostras. *hæc fere Bernar.*

II.

De profectu Ioãnis. 1. HÆc est vera illa iustorum prudentia, vt quid animæ nostræ dignitati, quid corporis vilitati debeamus agnoscentes vtriusq; curã pro dignitate & qualitate geramus. Quisquis igitur ad Ioannis fœlicitatem & gloriam si non æqualẽ saltem similem peruenire cupit, is hoc mortalitatis corpore neglecto, & in spiritus seruitutem redacto totum studium suum in anima sua cunctis virtutum & gratiarum opibus excolenda, ponat: corporis vero solicitudinem quantum necessitas sanitatis postulat, habeat. Nam virtus, quæ est vera animæ sanitas, incessanter quærenda, vt in ea proficiamus sẽper. Neque enim sine causa scriptum de Ioanne Baptista, Lucæ cap. 1. *Puer autem crescebat & confortabatur spiritu*, quia nimirum sicut ætate, ita & sapientia & gratia proficiebat, vt enim natura incessanter hoc agit in corpore, vt assidue crescat, nisi impedimentum interueniat, donec ad iustum complementum perueniat. Ita spiritus Dei, qui opus salutis nostræ mira subtilitate & insensibili quasi operatione in corde peragit, *teste Bernardo* (ita vt *Augustinus* quodam in loco dicat, An inter ea quæ ago proficiam, & quantum proficiam, discernere non valeo, vt enim inter arbores an crescant non videmus, sed eas creuisse cernimus, sic & in profectu virtutis) hominem assidue, nisi impediatur, ad vlteriora promouet. Hoc enim scriptura nobis innuit, quæ Ezech. cap. 1. ait, *vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent.* Nemo quippe *mittens manum suam ad aratrũ, & respiciens retro aptus est regno Dei*, ait Dominus Lucæ 19.

2. MANVM autem ad aratrum mittere, *inquit Gregorius*, est quasi per quendam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro respicit qui post exordia boni operis ad mala reuertitur quæ reliquit, vnde Dominus Lucæ 19. sic instruxit suos, *Mementote vxoris Loth, quæ mandatum ab angelo acceperat ne retrorsum respiceret.* Genes. 19. sed mulier impositam legem transgrediens, in statuam salis versa est. Putamusne *inquit Orig.* tantum sceleris in hoc esse commissum, vt quia post se respexit, interitum, quem diuino beneficio effugere videbatur, incurreret: Sed quæ contingebant antiquis, in figura contingebant illis. Hoc dicitur, vt intelligamus exeunti de Sodo-

Greg. ho. 3. in Eze.

Orig. ho. 5. in Gen.

Sodoma & de hoc ſeculo nequam timẽdũ eſſe exemplum vxoris Loth, cui quia ſapientia defuit, in ſtatuam ſalis reſpiciẽs retro conuertitur: Sal quippe ſapientiæ nota eſt, vt cum ipſa inſipiens eſſet in ſtatuam ſalis conuerſa, aliis exemplum ſapientiæ fieret, ne ſi & ipſi retro reſpiciant, tale quid eis contingat. vitæ ſanctæ ratio proceſſu gaudet, & quotidianis ac recentibus virtutum incrementis. Quamdiu ſumus in hoc corpore, nũquam nos ad perfectum veniſſe credamus. Tamdiu non relabimur retro, *inquit Hieron.* quamdiu ad priora contendimus. Si apoſtolus Paulus qui ita Chriſtum induerat vt diceret, *viuo autem iã non ego viuit vero in me Chriſtus:* adhuc tamẽ ſe extendit ad priora obliuiſcens quæ retro ſunt, ad Philip. 3. quid nos facere debemus, quibus optandum eſt vt in fine noſtro Pauli principio comparemur? *inquit Hier.*

Hier. ep. 1. ad Demet.

3. In omnibus mundi ſtudiis profectu non ſatiantur homines, inquit Hieron. *epiſt. 2. ad Demetri. virgi. to. 9.* & in virtute tantum cœpiſſe ſufficiet: Feruentiſſimi in terrenis, frigidiſſimi in cœleſtibus; Diuitiarum amor inſatiabilis eſt, expleri neſcit honorum cupido, celerem habituræ res finem ſine fine quæruntur: nos diuinam ſapientiam cœleſtes diuitias immortales honores, pigra quadam diſſimulatione negligimus, & ſpirituales diuitias aut ne attingimus quidem, aut ſi leuiter deguſtauerimus, continuo nos putamus ſatiatos eſſe. Aliter nos diuina ſapiẽtia ad ſuas inuitat epulas cum Eccle. 24. ait, *Qui edit me, adhuc eſuriet. & qui bibit me, adhuc ſitiet.* Nullus vnquam talibus expletur epulis, nec aliquando patitur de ſatietate faſtidium: tanto vnuſquiſque capacior, tanto auidior erit, quanto inde plus hauſerit. Ita vult Dominus nos deſiderare iuſtitiam, vt in fame velic ſiti cibus deſideratur ac potus. Sic enim ait Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*, vult nos eſurire hic ſemper ac ſitire iuſtitiam, vt in futuro iuſtitiæ retributione ſatiemur: tempus famis eſt modo, *inquit Auguſt. in pſal. 72.* tempus ſaturitatis erit poſt hanc vitam. Sic tamen hic eſuriatur iuſtitia, vt præ fame non tabeſcat anima, quod ſibi accidiſſe conqueritur & dolet Dauid cum pſal. 101. ait. *Aruit cor meum quia oblitus ſum comedere panem meum.* Homo enim non comedendo paulatim eo deuenit, *teſte Auguſtino* vt tandem comedere non poſſit. Itaque ſic eſuriatur iuſtitia, vt interim ſi non impleatur & ſatietur, ſaltem diuinis cogitationibus, humili oratione, & ſapida lectione enutriatur & confortetur famelica anima.

4. Sed dicet aliquis, *inquit Bernardus,* Quid ſi morte præuentus fuerit homo nec dum iuſtitia completa, necdum ſpirituali ædificio conſummato? Dicemus de hoc inquit, illud quod ſcriptum eſt Sap. 4. *Cõſummatus in breui expleuit tempora multa.* Quomodo enim non expleuit omnia tempora, qui tranſit ad æternitatẽ? Quãta ſane tempora non longæuitate ſed longanimitate, non annorũ ſerie, vel dierum numero, ſed mentis deuotione, & inextinguibili ſemper proficiendi deſiderio percurrere potuit, tanta ſibi in meritis nõ immerito vendicauit, retinet quippe virtute quod amiſit in tempore. Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit, Satis eſt, ſed ſemper eſurit & ſitit iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper quantum in ſe eſt iuſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum inſtar mercenarii, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui iuxta illud Pſalm. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in omni tempore. Proinde iuſtitia eius manet non aliquanto tempore, ſed in ſeculum ſeculi. Et licet in breui conſummetur iuſtus pro tempore, iudicatur tamen expleuiſſe tempora multa pro virtutis perpetuitate. Et quo pacto temporis breuitas bonorum præiudicet perpetuæ deuotioni, quæ pertinacem reproborum malitiam excuſare non ſufficit? Ob hoc enim procul-

Bern. ep. 254.

 dubio

est, hic animæ decor & mentis pulchritudo, quæ super omnia bona animæ diuinos oblectat aspectus. Cum autem decoris huius claritas abundantius intima cordis repleuerit, prodeat foras necesse est tanquam lucerna lucens sub medio latere nescia: Porro effulgentem, & veluti quibusdam suis radiis erumpentem mentis simulachrum corpus excipit, & diffundit per membra & sensus, quatenus omnis inde reluceat actio, sermo, aspectus, incessus, risus grauitate plenus. Horum & aliorum profecto actuum, sensuumque motus cum apparuerint puri, & modesti, pulchritudo animæ palam erit, si tamen non sit in spiritu eius dolus, potest enim fieri vt simulentur omnia hæc, & non ex abundantia cordis taliter moueantur. In eo itaque quod honestum est, animæ decor consistit: de honesto autem exterior interrogetur conuersatio, non quod ex ea honestum prodeat, sed per eam, Nam in conscientia & habitatio eius & origo. Et vt magis eluceat is animæ decor, ipsum honestum definiatur mentis ingenuitas solicita seruare cum conscientia bona famæ integritatem, vel iuxta apostolum 2. Cor. 8. *prouidere bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus*, hactenus Bernardus.

7. CÆTERVM cum scriptura ait Isai. 58. *Quare ieiunauimus & non aspexisti? humiliauimus animas nostras & nescisti?* Docet virtutem non ficte & exterius tantum, sed pia mente rectoque animo operari oportere, *inquit Hiero.* vt Deo placeat. Qui enim exteriora virtutum opera interno spiritu vacua Deo offerunt, Deo mentiuntur, quia cor eorum nõ est rectum cum eo, diligunt eum in ore suo & lingua sua mentiuntur ei, dicunt enim, Omnia quæcumque mandauit nobis Dominus faciemus, & nihil minus faciunt. Cum enim labiis hoc dicunt, cor eorum longe est ab eo: quia intus pleni sunt rapina & dolo, impudicitia & auaritia. Hinc Dominus hypocritas eos vacat Matth. 23. cum ait, *Hypocrita munda prius quid intus est, vt fiat id quod foris est mundum* Hic sermo nos instruit, vt serio intendamus esse iusti non apparere, qui enim studet, vt appareat iustus, quæ à foris sunt, mundat, & quæ videtur curat, cor autem suũ & cõscientiã negligit: quo fit vt intus impleatur, auaritia, lasciuia, malitia, superbia, odio & inuidia, & cæteris plurimis malis. Quorũ & alia temeritas, quia cum ita pleni sint intus omni iniquitate, & foris se gerant tanquam gens quæ fecerit iustitiam & iudicium, fiducia bonæ conscientiæ iudicium postulant iustum, imitantes Sanctorum verba dicentiũ, *Iudica me Domine, quoniã ego in innocentia mea ingressus sum*, vt enim seipsos iustos existimant propter externa opera bona in quibus gloriantur, & internam suam iniquitatem, quam amant, non cognoscãt vnde eam nec malam putant: simile iudicium & Deum prolaturum confidunt, tanquã quod ipsis placet, Deo placeat, & quod ipsi malum iudicãt, Deus idem iudicaturus sit: Cõtra quod sic Psalmista, *Existimasti inique quod ero tui similis, arguam te & statuam cõtra faciem tuã.* Hoc valde iniquum & præposterum, quod tamen hominibus huius seculi valde commune est, vt Deum ex nobis ipsis iudicare velimus.

Psal. 25.

Psal. 25.

8. EST & aliud genus hominum nõ minus quam alterum Deo inuisum, qui suam iustitiam non in operibus, sed in notitia scripturarum constituunt. In quos competit quod Isa. 58. dicitur, *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt.* Iudæi enim per singulos dies ad synagogas currebant, & legem Dei meditabãtur, & libros prophetarum ac Moysi reuoluebant decantantes diuina mandata, quę opere non implebant: & sic quærentes Deum, non inueniebant, quia male quęrebant: qui enim iustitiam & iudicium derelinquunt Dei, frustra legis scientiam iactãt. Istud & apud hæreticos & quosdã catholicos admodũ est, vsitatũ vt cũ improbæ sint ipsi vitæ, nil nisi scripturas concrepent, omnemque suam iustitiam in legis cognitione & scripturarum notitia reponant.

dant. Contra quos sic Iacob. cap. 4. *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi.*

9. ITAQVE hæc fuit Ioannis Baptistæ iustitia, vt & conscientiam intus a peccatorum inquinamentis seruaret puram & illibatam: ideo tam durum vitæ genus in cilicio & ieiunio elegit: & mens sapientia ac veritatis cognitione illustraretur, & cor Dei caritate inflammaretur, & proximi dilectione imbueretur: Et non contentus diuinæ legis cognitione & interna virtute, insuper ad id contendebat vt qualis intus erat coram Deo, talis foris appareret & proximo, prouidens bona, non solum coram Deo, sed & coram hominibus. *Hoc enim mandatum habemus à patre, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* In eo autem consistit proximi dilectio, vt eum & exemplo vitæ, & verbo doctrinæ ad virtutem & salutem perducere nitamur. Hæc est via salutis, hæc vera iustitia Sanctorum omnium, in qua proficere oportet, quam diu præsens vita durat, vt tandem post hanc vitam ad eius consummationem peruenire liceat.

1. Ioan. 5.

PARS II.

Erat Ioannes vestitus pilis Cameli, & locustas & mel syluestre edebat. Marci. 1.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Cur Ioannes vir sanctissimus tam duram elegerit vitam.*
II. *Quomodo nos eum imitari oporteat.*
III. *Quam à se inuicem distent sancti Dei & huius seculi homines.*
IV. *Duæ partes nostræ religionis: & quanto studio initia peccati sint obseruanda.*

ART. I. Cur S. Io- ERAT *Ioannes vestitus pilis Cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel syluestre edebat.*) Post infanticidium istud Bethleem ab Herode commissum, quæsitus fuit ad necem etiam Ioannes Baptista ab eodem Herode, qui suspicabatur & metuebat ne ipse futurus esset Rex Iudæorum, propter mirabilia quæ in eius natiuitate contigerant, *inquit Baronius*, quæ ipsum Herodem minime latere poterant: Cumque ope patris sui Zachariæ a nece subtractus esset Baptista Ioannes, & cum matre sua Elizabetha in spelunca quadam in deserto conseruaretur, Zacharias ab Herode quod filium subduxisset, inter templum & altare occiditur, *teste Petro Episcopo Alexandrino in suis regulis Ecclesiasticis ca.* 3. Interea Elisabeth cum filio suo Ioanne in desertis agit locis, & post quadraginta dies (si *Cedreno in comp. hist.* credimus) ipsa in eadem spelunca diem claudit supremum, cura interim pueri Ioannis ab angelo suscepta, cuius ductu in remotiores syluarum recessus secessit Ioannes, qui ibidem ab angelo custoditus & nutritus putatur: quod non vsque adeo incredibile debet videri, cum & Ismaeli a matre proiecto angelum astitisse in *Gene.* legamus *hæc ex Baronio.* Ioannes autem existens in deserto, vestitus erat pilis cameli, & locustas, & mel syluestre comedebat. Quid vero per locustas & mel syluestre hic significetur diuersorum diuersæ sunt sententiæ. Optima mihi videtur ea expositio quam habet *Maldonatus in cap. 3. Matthæi*, vt per locustas animalia insecta infirmas alas habentia intelligantur, quæ tam modicis se volatibus à terra attollunt, vt saltare potius videantur quam volare, quæ nostro idiomate Sprinckhanen dicuntur, & sic vertitur hoc vocabulum locustæ, in Bibliis teutonicis. Nascuntur autem locustæ in Africa & Syria maiore corpore & firmioribus alis, & tanta copia vt herbas omnes erodant. Et huiusmodi locustas esui fuisse patet ex *Leuitico*, vbi inter munda animalia quibus vesci licebat, numerantur. Nos, quia huiusmodi animalibus vesci non consueuimus, abhorremus, sicut & ab esu limacum & fucorum: & tamen alibi vix alium in hospitio cibum, quam limaces inuenias. Mel syluestre in regio-

annes tam duram elegerit vitã.

Baro. Tom. 1. Annal.

Chryso. hom. 2. in Mat.

Leuit. 11.

regionibus calidioribus tāta apum copia eſſe ſolet, vt cum alueatibus capi non poſſint, in ſyluas auolent, & aut in arborum truncis, aut in rupiū fiſſuris mellificent: Et mel ſylueſtre è rupibus re vera fluxiſſe manifeſtum eſt ex facto Ionathæ, *in libro Reg.* 3.Reg.14. & ſæpe vocat ſcriptura terram illam lacte & melle manantem. Quod autem quidam tradunt mel ſylueſtre fuiſſe amarum, & ori inſuaue, expertus non credo, *inquit Maldonatus*, ſapit quidem naturam florum plerumque quibus apes paſcuntur, & arborum in quarum truncis factum eſt, ſemper tamen eſt mel, id eſt, dulce, *hæc ille.*

2. IOANNES princeps fuit eremitarū veſtitus pilis cameli, vt contra luxuriem, *inquit Paulinus*, molles duraret artus, arceretque graues compūcto corpore ſomnos. Mirum hoc cuiquam videri poſſet, quomodo Ioannes vir tam ſanctus & ſpiritu ſancto plenus, de quo Saluator teſtatur, quod *inter natos mulierum non ſurrexerit maior Ioanne Baptiſta* tā durū & aſperū elegerit vitæ genus, vt à puero in eremo extra hominum conſortia degens, & aſpero cultu & cibo vili vitam tenuiſſime tranſigeret. Cui dicendum quod Baptiſta Ioannes à Deo ad prædicandam pœnitentiā fuerit deſtinatus, ideo tam rigidum vitæ genus illi indixit, vt doctor pœnitentiæ dictofactoque exiſteret, & vt ꝙ verbo docebat, exemplo demonſtraret: illa enim prædicatio efficaciſſima eſt quæ operibus docet vt verbis, & ille doctor optimus cuius vitā à doctrina nihil diſcrepare vides, Delicatus autē magiſter is eſt, *inquit Hieron.* qui pleno ventre ieiunia commendat, qui quod verbis dicit, moribus contradicit. Ioannes autē vir innocentiſſimus adeo ſeuerus corporis ſui caſtigator extitit, adeo parce & tenuiter res etiam ipſas neceſſarias attigit, ita ſolitudinis abdita ſectatus eſt vniuerſorum hominū conſortia deuitans, vt culpas etiam leuiſſimas, aut euitaret, aut caſtigaret, Deo quo perfectius inhærere poſſet Nā & in veteri lege quod vitioſum erat aut maculis reſperſum, ſacrificiis idoneum non erat, ſana enim & ab omni macula aliena debebat eſſe hoſtia: Ita qui ſeipſum ſpirituale ſacrificium cupit exhibere idoneum, delictorum etiā leuium à ſe rationem exigat, & pœnas de ſeipſo ſumat, eo quod & ex venialibus delictis næuum & maculam contrahat animus. Nam (*vt Greg. ait in pſal 50. exponens illa verba, Ecce enim veritatē dilexiſti*) Deus ſic veritatem diligit, vt iuſtum iudicium nunquam prætermittat, ſed ſiue magna ſiue parua ſit iniquitas, niſi puniatur ab homine pœnitente, punietur à Deo iudicante: Sic enim Iob ait, *verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti*: Iob. 4. Delinquenti non parcitur, quia ſine vindicta peccatum non remittitur. Nam vt Heb.4. Pau. ait ad Hebr. *omnia pene in ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.*

Quia igitur, Dominus nullum peccatum inultum relaxat, *vt Grego.* loco prædicto docet, aut enim nos hoc flendo & ingemiſcendo inſequimur, aut ipſe impunitum puniendum reſeruat, reſtat vt ad emundationem ſuam ſemper mens ſolerter inuigilet, & qui quotidie peccat, quotidie pœnitētiam aget, & in quo ſibi quiſque miſericorditer ſubueniri deſiderat, hoc neceſſe eſt vt confitens tergat, & ingreſſus ſuam quiſque conſcientiam delictorum poſita ratione pœnas illorum à ſeſeipſo diligenter expoſcat, *inquit Chryſoſt* quia teſte Paulo, *ſi noſipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur* 1.Cor.11. *à Domino.* In quem locum ſic *Anſelmus*, Quicquid homo in ſe viderit quod à iudice venturo reprehendi poſſit & puniri, ipſe nunc in ſeipſo reprehendat & puniat: peccata enim ſiue parua ſiue magna, impunita eſſe non poſſunt, quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur: ceſſat autē vindicta diuina, ſi cōuerſio præcurrat humana. *hæc Anſelmus.*

3. ET hæc eſt ratio cur Ioannes vir alioquin ſanctiſſimus ad pœnitentiæ virtutem prædicandam potius fuerit delectus, quam inſignis aliquis peccator ſuorum peccatorum iam pœnitens, vt Da-

nid

Digitized by Google

uid vnus aut Manasses aliquis, qui reipsa peccati amaritudinem & deformitatem, & pœnitentiæ virtutem atque efficaciam ac diuinæ misericordiæ suauitatem expertus esset. Hoc inquam magno consilio fecit Deus, vt hinc intelligamus pœnitentiam tanto magis necessariam, quanto is qui eã prædicat, sanctior fuerit, & vita integrior atque innocentior.

Si enim is qui ob leuia peccata, quibus & Ioannes erat obnoxius, exoluenda, & ob carnis fomitem comprimendum, tantum subiuit pœnitentiæ rigorem, quanto magis pœnitentia indigent qui sceleribus obnoxij sunt? Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid erit? hoc est, si homini iusto & sancto, qui per gratiam similis est ligno fructuoso, ad satisfaciendum diuinę iustitiæ tantum suppliciorum subeundum est, cum tamen in confesso sit ibi minus esse debere acerbitatis, vbi passioni ad satisfaciendum succurrit dignitas personæ satisfacientis & feruor caritatis, quantum putas suppliciorum atque pœnarum subeũdum erit ligno arido & homini infructuoso & pietate omni ac caritate destituto, qui sola pœnarum perpessione absque vllius redemptionis interuentione peccata sua condigna pœna, vt fit in inferno, luere
1.Pet.2. debebit? *Et si iustus vix saluabitur peccator vbi parebit?* Si vir adeo sanctus in hoc vitæ genere tam duro & aspero sic se humiliauit, vt pro mensura laborum, quos virtutis & diuinæ consolationis ergo suscepit, virtutum ac diuinatum consolationum particeps fieri posset, homo mollis & ignauus quomodo eo perueniet? Si vir in vtero sanctificatus nõdum de sua sanctitate securus, agonibus ieiuniorum & laboribus austeræ vitæ, diuina in se vota seruare contendebat, sciens quod non sufficeret eligentis gratia, nisi collaboraret electi cura & industria, iuxta illud Sapientis, *Si*
Eccl.27. *non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua*; Et vt peccata leuiora deuitaret, aut commissa exolueret pœna debita, tam rigidum vitæ genus elegit, qui grauioribus sceleribus obnoxius est, quibus pœnis & quantis suppliciis aut in hac vita, aut in futura luendis sua peccata expiare debebit?

1. HAc de causa nobis ecclesia Sanctorum festa proponit colenda, nõ solũ vt eos fuisse sanctos, hæcque & illa virtutum opera exercuisse: hunc & hunc pœnitentiæ rigorem subiisse sciremus, parum enim id profuerit si scias Ioannem sancte vixisse, & interim tu perdite viuas: sed vt eorum mores vitam & instituta imitemur. Nam quamuis ad singularem Ioannis sanctitatem nemo nostrum peruenturus sit, profuerit tamẽ eius effigiem aliqua ex parte referre. Nam & qui pueros scribere & formare literas docent absolutissima illis literarum exemplaria proponunt, quæ si illi perfecte exprimere nequeant, ad illa tamen quantum possunt adnituntur: sic & præclara virtutum exempla ad imitandum nobis proponere debemus, quoniam altius ibunt qui ad summa contendunt, qui vero desperatione euadendi nihil attentant, imis inhærent. Hinc sanct. anachoretæ quãplurimi hunc Ioannem imitati sunt imitati, vt in iis vix aliud quam mirabiles abstinentias & continuũ orandi studium cerneres: quomodo & de seipso testatur S. Hieron. vt si alicubi aspera montium aut concaua vallium cerneret, ibi orationis suæ locum destinabat, atque inibi post multas lachrymas & suspiria sæpe sibi agminibus angelorum interesse videbatur, & lætus gaudensque canebat, Deoque iubilabat.

II. Quando S. Ioannẽ imitari debeamus

Habent profecto Sancti Dei in hac peregrinatione cur quotidie ingemiscant, cur quotidie pœnitentiam agant, seseque defleant, quia quotidie peccant, non quia studio se implicant operibus natura malis, vt sunt, commessationes, ebrietates & his similia: imo neque iis quæ his sunt minora, vt sunt cachinnus, somnolentia, multiloquium: sed quia pondere terrenæ cogitationis prægrauati, nec ipsa opera bona faciunt, quia multis modis in

itized by Google

in iiſdem peccent: Nam & orationes ac preces ſuas tepidius aut tardius quam par ſit frequenter fundunt, & dum miſericordiæ operibus inſiſtunt & proximo proſunt, non ſemper ea caritate & animi alacritate ea peragunt vt oportet, ſed ſæpe tædium obrepit tanto citius & facilius quanto ipſa caritas minor fuerit. Quæ omnia quamuis videantur leuia & a peccato aliena iis qui grauioribus vitiis ſunt inuoluti, ſitientibus tamen perfectionem atque puræ mentis illuminationem efflagitantibus, tam videntur nociua, vt ea aſſiduis & amariſſimis lachrymis eluere non ceſſent, & cum Paulo ſæpius exclament, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Si enim totam mentis aciem in hominem grauẽ intendimus, cui non dico pro vita, ſed pro officio aut lucro terreno ſupplicamus, & trepida expectatione pendemus de nutu ipſius, ſummopere formidantes ne ineptũ aliquid proferamus, per quod beneuolum eius animum à nobis auertamus, ſi riſus, ſi tuſſis, ſi ſputum, ſi oſcitatio, ſi ſomnolentia irrepſerit: quanto magis dum ſupplicamus ſecretorum omnium cognitori Deo pro euaſione mortis æternæ & conſecutione gloriæ perpetuę, ſi preces ei offerentes, mente à cõſpectu ipſius recedamus ſequentes vanitatem cordis noſtri? Quamuis multi hebetudinẽ ſtupefacti cũ percuſſi vulnerantur, nihil doleãt, & cœcitate obducti non niſi capitalia vitia putent euitanda, quæ damnantur etiam ſecularium legum rigore: à quib. cum ſenſerint ſe immunes, ſe ſanctos reputant: Porro de ſuggeſtione vanæ gloriæ, aut cogitationis immundæ, de ſomnolentia & tepiditate, de precibus frigide & inaniter emiſſis, ne quidem culpabiles ſe reputant. Ideo nec erubeſcunt coram Deo cogitare, quod puderet nos loqui aut agere coram hominibus, nec credunt ſe pati aliquod detrimentum, cum meditatione Dei relicta, cogitant terrena, *inquit Baſilius.*

Rom. 7.

2. QVINIMO non ſolum de his quæ voluntate atque propoſito, ſed etiã quæ inuiti committimus, pœnas luere debemus, *inquit Chryſoſt.* Id quod patet ex iſto Matthæi loco, *Qui me negauerit coram hominibus negabo & ego eum coram patre meo.* Et certe contingit quod extorqueatur talis negatio, & tamen nec ſic ſupplicium euadit. Nec de his tantummodo puniendi ſumus quæ ſcientes committimus, verũ etiam pro illis quæ ignorantes peccamus, *nam qui ignorat, ignorabitur* inquit Paulus. Pro tot igitur ac tantis redditurus rationem ſedes ridens & facetias loquens, & deliciis intentus? Si iuſtis non deſit tribulatio, nonne magis illa expectanda eſt peccatoribus? Porro ſi ſic miſeri ſunt etiam ſancti, vt gratia Chriſti à multis culpis quotidie pœnitentes purgari debeant & liberari, quam gratiam facili remiſſione Deus exoratus omni tempore dare conſueuit ſuis amicis, quantæ putas miſeriæ ſubiecti ſunt illi qui criminibus ſunt obnoxii: aut ea relinquentes, tanta tamen violentia antiquæ conſuetudinis quaſi captiui detinentur vt in eadem ſæpius relabantur: à quibus non iam quotidiana Chriſti gratia, id eſt, facili remiſſione, ſed pœnali dolore ac diuturna afflictione liberandi ſunt. Qui enim leui peccatorum ſorde maculatus eſt, leuioribus purgatur monitis, ſed peccata grauia quæ ad mortem trahunt, nec nitro amaritudinis pœnitentiæ, nec mordaciori correptione (*inquit Hieron. explicans illud Ierem. 2. Si laueris te nitro*) tanquam herba borith, quæ tamen magnam vim habet eluendi ſordes, dilui poſſunt, ſed grauioribus, inquit, indigent tormẽtis. Magnus certe præſumptionis ſpiritus qui tantam in animo noſtro operatur audaciam, vt cum ſanctos homines de leuibus etiam culpis videamus eſſe punitos, ſicut prophetam à leone occiſum in *libris Regum* legimus, quia ſeductus à pſeudopropheta id faciebat quod Dominus ei inhibuerat: & in Apocalypſi Epiſcopus Epheſiorum qui multa paſſus erat propter Chriſtum, quia tamen à primo conuerſionis feruore tepue-

Matth. 10.
1. Cor. 14.
3. Reg. 13.
Apoc. 2.

repuetat, ad pœnitentiam mouetur, monendus alioquin de loco suo: nos tamen animali sapientia pleni dicere non erubescimus, *Misericors est Deus, & miseratio Domini magna, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*: vt in persona talium loquitur Ecclesiasticus. Quod si spes hæc minime fallit nos, agamus, *vt Guerricus ait*, gratias Deo, qui dedit nobis, si tamen dedit, sine pugna victoriam, sine pœnitentia, veniam, sine opere iustitiam, sine labore sanctimoniam, deliciisque carnalibus simul & spiritualibus affluere: induimur purpura & bysso, & epulamur quotidie splendide, & nihilominus distenti & ructantes crapulam dormiemus cum Lazaro quondam paupere in sinu Abrahæ, seu potius cum Ioanne requiescemus super pectus Domini. Quod si ita est, melius certe nobiscum actum est, quam cum Baptista Ioanne & aliis Dei Sanctis, qui tantis laboribus emerunt, quod nos delicati gratuito possidere volumus: ac proinde magis ridenda, quam prædicanda aut commendanda Ioannis Baptistę vita. *hæc ille.*

Eccles. 5.

3. Si ergo ista non fecero, inquies, nec ad risus facetiasque me conuertero, sed ad luctum fuero lachrymasque conuersus, quem tandem fructum ex iis capessam? profecto maximum; *inquit Chrysosto.* quia si ingemueris, & peccata defleueris, veniam consequeris. Idcirco multa de luctu nobis loquitur Christus, *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Beatificat lugentes, & miseros pronunciat ridentes, *væ vobis*, inquit, *qui ridetis quia flebitis*. Non enim theatrum hoc est, vbi risus moueatur, sed vt gratiam & regnum ex gemitu adipiscamur. Quomodo tu rides tot obnoxius culpis, tot subiectus pœnis & miseriis? An non perpendis quod amplius eo modo Deum irritas quam ipsis peccatis? Neq; enim adeo peccantes auersatur Deus, *inquit Chry.* vt eos qui post peccata non demisso sunt animo. Nec mihi quis dicat, inquit, quod multi nocentes pœnam euadant, multi vero insontes pœnam subeant. Etenim hoc facere Deus consueuit vt non statim puniat, dans nobis pœnitentiæ tempus præfinitum vt corrigamur, iuxta illud Pauli, *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Si vero quod non dederimus pœnas, peccatum deletum putemus & neglexerimus, vbi non putamus ibi capiemur. Et hoc manifestum ex fratribus Ioseph, qui cum iustum vendidissent, & vigintitres anni præteriissent, sibi postmodum de vita metuentes aiunt, *Merito hæc patimur quia peccauimus in fratrem nostrum videntes angustiam animæ eius.* vides quomodo timor ipsos peccati sui commonefecit? Et quando peccabant, non sentiebant quidem quando vero puniri metuebant, tūc quid fecissent recordati sunt, nihil enim sic peccata in memoriam reuocare consueuit vt pœna & castigatio. Ne igitur dicamus, quod innocens punitur, alter vero facinoris autor euadit: Innocens enim dum punitur, *inquit Chrysost.* aliorum peccatorum pœnas luit, aliud enim peccatum aliquando commisit, deinde non mutatus pœnas in præsenti dedit: Et qui nunc euadit reus, nisi mutatus fuerit & emendatus, alio tempore pœnas non euadit. *hæc Chrysost.* Peccantium enim alios cum Deus puniat, alios impunitos non relinquet: Quod si omnes peccantes ex tempore punire vellet per quam pauci saluarentur, nec sufficerent, *inquit Chrysost.* ad sepulturas homines. Multa enim fiunt etiam nunc quæ olim in diluuio, quamuis amplius mundus diluuio non pereat: Multi peccant qualia qui in Sodomis (*sunt verba Chrysost.*) quamquam ignis de cœlo non descendat: multi audent quę Israelitæ ausi sunt, licet iam à serpentibus non deuorentur. Et quomodo, inquis eadem pati non cernuntur si eadem committant? non quia condonatum est illis, sed patienter expectat Deus, vt aut peccatorem pœniteat, aut si id nolit grauiori malo subiicietur: Sic enim Pau. ait, *Secundum duritiem tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis*

Luc. 7.

Rom. 2.

Gen. 42.

Chrysost. ho. 3. ad pop. Antioc.

Rom. 2.

ministi iudicii Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Parcit & ideo sceleratis Deus vt nascituris ex iis salutis viam non occludat. Si enim Deus prophanum Esau præcidisset & radicem amputasset, patientem Iob ex eo natum quis vidisset? Parcit igitur radici malæ & homini impœnitenti propter fructum bonum quem videt inde nasciturum. hactenus *Chrysostom.*

III. Quantum a se distent. Sancti Dei & homines huius seculi.

1. INTER sanctos Dei & homines huius seculi ea est differẽtia, quod hi sempiterna vita neglecta omne studium suũ ad caduca huius vitæ bona cumulanda trãsferant, seseque totos anima neglecta ad corporis cultum & obsequium transferant, illud fouere, illi indulgere illius voluptates atque delicias summo studio conquirere, quodque insanissimum est pro corporis vita, vitam ipsam mille periculis terra marique exponere. Contra vero Sanctorum prudentia & sollicitudo est, vita præsenti neglecta, omnem curam & cogitationem suam ad futuram vitam promerendam conuertere, & immodica sui corporis cura abiecta dies noctesque in excolenda anima insudare, eandemque variis virtutibus ac cœlestibus donis exornare.

Et vnde hæc tam dispar vtriusque partis cõditio? ex diuerso animi iudicio, quia de rerum natura aliter iudicat spiritualis, aliter carnalis: carnalis enim non ratione sed sensu, non vero iudicio, sed falsa æstimatione, præsentia bona futuris anteponit, non quia meliora, sed quia sensu magis nota, magisque delectabilia, plus enim afficiunt præsentia, quam procul posita, plus mouent cognita quam ignota. Quod si oculis corporeis cernere liceret pulchritudinem virtutis, *inquit Plato*, mirabilem sui amorem & cupiditatem excitaret in corde hominis: Ita etiam si dignitas & præstantia bonorum cœlestium & diuinorum probe nota esset homini carnali, miro eorum desiderio accenderetur. Quod si oculos per cunctas terrarum oras circumduxeris, quam paucos deprehendes qui animæ suæ curam pro dignitate agant, quam multos vero qui omnia ad corporis sui commoditatem & voluptatem referant. Non quin & corpori sit indulgendum, sed ei nequaquam seruiendum, eius necessitati subueniendum, sed ipsius voluptati aut commoditati nequaquam indulgendũ. maior es, & ad maiora natus, quam vt corporis tui seruus sis, aut mancipium: Animus ad se omne studiũ, laborem, & curam rapiat, illi vt bene sit, variisque virtutum donis ornetur, Deoque per charitatem iungatur, ac diuino spiritu repleatur, summo studio adniti & sollicitum esse oportet. Et quid quæso tam necessarium quam rem quamq; prout est æstimare? Cum igitur anima corpore præstantior sit, & virtus auro melior, meliusque sit auro quam virtute carere, quia virtus tale bonum est, vt etiã te bonum faciat; aurum vero huiusmodi bonũ est vnde quidem benefacias, non autem quod te bonum faciat, hinc maior virtutis quam auri habenda ratio. *Si separaueris* inquit Dominus apud Ieremiam, *pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Quid autem præstantius immortali anima ad imaginẽ Dei creata? & quid pretiosius cœlestibus ac spiritualibus bonis, quę cum sempiterna sint, etiam suauissima, præstantissima & maxime honorifica sunt; sic enim de sapientia loquitur Sapiens, *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa:* Hinc pro virtutibus consequendis Sancti tot labores subierunt, integras noctes in suis precib. ac meditationibus insomnes duxerunt, sic enim de se testatur Dauid cum ait, *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.*

Ierem. 15.

IV. Duæ nostræ Religionis partes, & quanto studio initia peccati sint obseruanda.

1. HIC notandum quod vniuersa religio Christiana in duas possit distribui partes: quarum vna de fine, altera de iis rebus quæ ad finem consequendum pertinent, disserit: *Finis vero caritas est de corde puro, conscientia bona & fide non ficta*, Atque ea prima & summa fœlicitas est caritate Deo adhærere, perpetua

1. Tim. 1.

sua innocentiæ securitate gaudere, & inuiolatam mentis & corporis sanctitatem seruare, reatum conscientiæ non habere, & vulnera peccati nescire: Quique sic innocentiam seruat, & perfecta caritate Deo adhæret, pœnitentia non eget, neque enim sanis opus est medico, sed male habentibus. Sed si forte mens nostra fuerit iaculo confixa peccati, si vitiis natura integra sit corrupta, tunc ægris illa pœnitentiæ medicina succurrat, ferrum compunctionis accedat, apponatur adustio doloris, adhibeantur suspitiorum fomenta, maculæ peccati lachrymis abluantur, ferat pœnitētiæ amaritudinem qui seruare noluit debitā sapitatem. Sicut ergo corporis sanitas homini gratissima est & suauissima, sed medicamenta quæ ad illam parandam ac recuperandam destinantur acerba frequenter & ingrata sunt. Ita in caritate erga Deum adeo nullus est labor, vt nihil in vita neq; dulcius, neque iucundius, neque melius, neq; honestius homini obtingere possit. Sed totus labor in iis rebus positus est, quæ ad hunc amorem consequendum exiguntur, tota difficultas est vt pœnitentiæ medicamento tanquā amaro quodam pharmaco, natura lapsa & læsa reparetur ac sanetur.

2. Porro vt natura lapsa ac læsa sanetur, hoc imprimis & ante omnia necessarium est, vt quicquid sanitati obsistit, & morbum inducit studiosissime caueatur, hoc est, vt peccata, quæ animi morbum augent, in suis initiis diligentissime obseruentur, inquit Basilius: quia natura rerum in suis progressibus hunc seruat ordinem vt è paruis ad maiora progrediatur, vnde cum radix actionum nostrarum sit cordis cogitatio, cum omni diligentia ea est obseruanda ne longius serpat si mala fuerit: Nisi enim ei obsistas, sed insuper ab affectionibus tuis mentem in seruitutem redigi patiaris, peccati iucunditas promptam per omnem sensum fluentem voluptatem ingeret: Sin autem & hoc admittas, firmius malo per consuetudinem inueteratam infixus hærebis, vt ægre medelam recipias, aut etiam penitus incurabilis existas, cum in naturam plærumque consuetudo transeat. Optandum igitur ne malum attingamus, quia *beatus* dicitur à Psalmista, *qui tenet & allidit paruulos suos ad Petram*: qui tenet infirmas adhuc, priusquam robur acquirant motus, & lubricas cogitationes ne vlterius pergant, & allidit atque comminuit omnes inordinatos motus ad petram qui Christus est, vt eius reuerentia atque timore elidantur & abigantur. Quod si peccati delectatio te tuumque affectum tetigerit, statim post tentationem velut bestiæ virus eiaculantis plagam fugias: si enim in consuetudinem labendi veneris, non solum in tuo vitio corrūperis, sed eo velut peste quadam & alios intoxicabis: Quid enim qui communicat superbo nisi superbiam addiscit? & qui cum peruerso graditur nonne & ipse peruertitur? Qui itaque primam peccati causam non expurgat, facile post pœnitentiam in idem relabetur: Quemadmodum si quis arboris ramos resecare voluerit relicta radice, radix manēs rursum nouos proferet ramos. Et hinc accidit, *inquit Chrysosto.* aliquem pœnitentem multa magnaque facere bona, & rursum in medio illorum bonorum æquiualens perpetrare peccatum: Et hoc validissimum est, valetque plurimum ad inducendum desperationem, tanquam ædificatis omnibus incassum & inaniter à se elaboratis dum rursus destruuntur. Non enim duobus aut tribus diebus à peccatis abstinuisse, Deoque pro offensis remittendis supplicasse nobis ad defensionem sufficit, sed potius vitæ mutationem fieri oportet & à malitia desistentes in virtute perseuerare assidue: Sicut enim ægrotantes nisi semper ordinate vixerint, seseque in assidua sanitate continuerint, nulla ipsis disciplinæ per tres aut quatuor dies obseruatæ vtilitas, sic & peccantes nisi semper se contineant, nihil proderit ipsis duorum vel trium dierum correctio.

3. Qui

3 Qvi itaq; primam peccati cauſam non expungit, facile poſt pœnitentiam in idem relabetur, quia voluptas peccati ſemel deguſtata & omnis intemperantia neminem ad ſatietatẽ perducit. Imo contra nulli non maiorem ſui cupiditatem incuſſit, *inquit Baſil.* vnde gentium ſapientes fabuloſa fictione voluptatem nobis per hydram ſignarunt, qui ſerpens ferus ac multiplex in palude morabatur, cuius caput cum ſimpliciter abſcinderetur, tria pro vno afferebat: cum vero cauterio exuſtum eſſet atque præciſum penitus occidebatur, nec plura pro illo pullulabant: Sic voluptas peccati in carnis limo inſtar horrendi illius ſerpentis ſemper incubat, cuius ſuauitate, ſi ad ſatietatem perfrui velis, & eius caput hoc modo abſcindere, pro vno plura pullulare feciſti: ſemina enim in animo reliquit, vnde duplex poſtea conſurgit malum, nec facile eſt illud ſemen excutere, durat ex interuallo ſuſcitatur denuo. Si vero continentia velut cauterio elatum caput exciderimus, & radicem extirpauerimus, id prorſus ita perimemus vt vltra germinare non poſſit. Tollitur autem radix ex cõtrario, ſuperbia per humilitatis exercitia: exercitium vero humilitatis eſt in vilioribus negotiis conuerſari. Tunc autem cenſetur euulſa radix, & peccata tunc cenſentur plene dimiſſa, cum nullũ iam voluptatis deſiderium, aut cogitatio vel imaginatio animum inquietat: Sed quãdiu imago commiſſorum criminum præluſerit ante oculos mentis, & eorum non dico delectatio, inquit Baſilius, ſed vel tenuis recordatio turbauerit animi ſerenitatem, nouerit is qui tale quid ſentit ſe nondum penitus abſolutum à priſtinis vitiis, nec radicem penitus euulſam. Itaq; hanc plenariam indulgentiam, perfectamq; radicis euulſionem, nullus eorum aſſequitur qui per ignauiam & contemptum neglexerit peccata ſua purgare & expungere: Id enim qui aſſequi cupit, opus eſt vt continuet gemitus, crebro ad Deum ſuſpiret vt eius infirmitatem ſanare dignetur, aſſidue maculas immunditiæ ſuæ emũdet, aut lachrymis aut aliis quib. poteſt modis, idq; tamdiu proſequatur, quamdiu recordatione præcedentium malorum animus eius commouetur. Atqui iſta plenaria ſatisfactio de capitalibus culpis eſt intelligenda, quæ inſtar peſtis quiſq; fugere & euitare tenetur, ſic enim nos monet Eccleſiaſticus cum ait, *Quaſi à facie colubri, ſic fuge peccatum.* Ecel.21. Cæterum de minutis & quotidianis exceſſibus, quibus ſepties in die cadit iuſtus, nunquam pœnitentia deeſſe debet, quia nunquam deeſt culpa, nemo enim ſine peccato viuit; Et ille optimus, *inquit Aug* non qui non peccat, ſed qui minime peccat, & peccata ſine quib. hic non viuitur, piis orationibus & gemitibus, ieiunio & afflictione corporis, affectu caritatis & eleemoſynis ſiue corporalibus ſiue ſpiritualibus, vt dimittat aliis q. ſibi vult dimitti, modo aliis quib. poteſt modis, mundare non ceſſat. Quo fit vt quamuis ſine peccato viuere non poſſit, ſine peccato tamẽ mori poſſit, *teſte Auguſti.* quia quamuis dum hic viueret peccata haberet, tamen ſicut iſta non defuerunt, ita etiam remedia quibus purgarentur adfuerunt. Quiſquis autem hac velut occaſione comperta, cum audierit hic neminem arbitrio ſuo ſine peccato viuere, dederit ſe libidinibus & criminibus atq; in diem ſuum vltimum perdurauerit, quaslibet inter hæc eleemoſynas aut opera bona ſua faciat, infœliciter viuit, ſed infœlicius moritur, *inquit Auguſt.* vt enim extra Eccleſiam opera miſericordiæ nihil proſunt, niſi forte vt minus puniatur, ſed non vt inter filios Dei computetur, Ita eadem nec in Eccleſia proſunt ſi ſibi male viuatur.

4 Cvm itaq; poſt criminis lapſum nemo ſine pœnitentiæ medicamento animæ ſanitatem, aut ſalutem æternam conſequi valeat, vt ſecure poſſis mori age pœnitentiam dum ſanus es, ne ſi eam, donec mors appropinquat, differas, non tu peccata deſeruiſſe, ſed illa te cõuincaris & inueniaris derelinquere, ac pœnitentiam

Digitized by Google

tum non veram agere sed simulare. Cum enim animo etiamnum adlubescat peccatum, quod nō deseruisti, cui affectus fixus inhæret vt illud nec odisse nec detestari possis, quomodo de eo pœnitentiam agere potes: cum hęc sit prima pars pœnitentiæ & præcipua peccatum odisse, ab eoq; auersum esse: secunda vero, pœnam deprecari. Quod si solum pœnā deprecari, & peccatum non deserere nec animo odisse deprehendaris, pœnitentiam non agis, sed simulas: cuius rei exemplum habemus Regem Antiochum, (de quo 2. Mach. hab.) *orabat hic scelestus Deum à quo misericordiam non erat consequuturus*, quia licet multa promitteret, & quod Iudæus esset futurus, & templum multis muneribus ditaturus, & nomen Dei Israel peruniuersum mundum prædicaturus, & ipsos Iudæos, quos antea nec sepultura dignos iudicauerat, ipsis ciuib. Atheniensibus æquales facturus, tamen omnia ista non prouenie bant ex animo de suis peccatis vere dolente, ipsumq; peccatum detestāte, sed dūtaxat pœnam, quam patiebatur, deprecante: qualem pœnitentiam etiam ij agunt qui in inferno torquentur, & tamen à suis miseriis nō liberantur, vt propterea verum sit quod vulgo dici solet, Pœnitentia vera nunquam sera, id quod patet in ipso latrone: sed pœnitentia sera raro vera, quia si iam difficile sit homini peccatori pristinis renunciare voluptatibus & moribus, & nouam inchoare vitā, quanto difficilius erit quando natura vsu peccandi facta fuerit imbecillior & peior, quando praua consuetudo conuersa quasi in alteram naturam facta fuerit violentior & gratia elongatior, & dæmonis potestas, qui tanquam fortis armatus custodit atrium suum, effecta super te maior? Ita vt extremæ prorsus sit dementiæ summum omnium negotiorum, quo nullum est magis necessarium, ad impeditissimū omnium reseruare temporum, nempe vsque ad diem mortis: aut etiam in futurum tempus illud procrastinare. Namquomodo crescentibus difficultatis causis conuersio ipsa facilior erit? & quis, prauæ cōsuetudinis violentiam verbis explicet? ita vt de quibusdam Ieremias propterea dicat, *Si mutare potest æthiops pellem suam, & pardus suam varietatem & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* Et recte propterea dicat *Augustinus*, improbos homines rebus contrariis ad eandem rapi iniquitatem, nempe spe inani & desperatione. Nam desperans homo sic ait, Salutem assequi non potero, mores meos immutare non valeo, cur non facio quod volo. Audi & vocem inaniter sperantis, *Misericordia Domini magna est multitudinis peccatorum meorum non recordabitur:* Desperat ille vt peccet, sperat iste vt peccet: & vtrumq; malum, væ à desperatione, væ à spe peruersa & vana. *hæc Augustinus.*

2. Mach. cap. 9.

Ierem. 13.

August. in Psal. 144.

IN FESTO
SS. PETRI ET PAVLI.

VENIT *autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis?* &c.

Matth. 16.

PARS II.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Quomodo inquirendum quid vulgus de nobis dicat, & de notitia Christi.*

II. *Quomodo Deus ea nobis reuelet quæ sunt fidei.*

III. *Quomodo super Petrum ædificatur Christi Ecclesia.*

IV. *De vita Petri.*

1 QVAM

Digitized by Google

ART. I. Quomodo inquirẽdũ quid vulgus de nobis dicat.

1. QVEM *dicunt homines esse filiũ hominis?* Non quod rumorem curet vulgi, id rogat Dominus, is enim cum incertus sit nequaquam idoneus, est vt vix eo quis veritatis testimonium stabilire possit: hinc Paulus ad Corinthios, *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die*: nemo enim nisi de eo quod manifeste & bene nouit certo testari potest. Quod autem vulgi rumor incertus sit ex eo patet, quia vnus dicebat eum Ioannem esse Baptistam, alius Eliam, alius Ieremiam: sicut & apud Ioannem, vnus dicebat quia bonus est: alij dicebant, non, sed seducit turbas: prout quisq; ei affectus erat, tale testimonium de eo dabat: qui bene affectus ei erat, bene de eo sentiebat, & bonũ testimonium de eo dabat: qui pre inuidia aut odio minus eum ferebant, male de eo loquebantur. Cum enim affectus & intellectus potentiæ sint cognatæ & inuicem sibi admodum vicinæ, sibi inuicem subseruiunt & mutuo iuuant, vt quicquid viderit intellectus placere affectui, id protinus tanquam bonum approbet, & varias rationes excogitet quibus id licere & bonum esse & sibi & aliis persuadeat: Si quid vero sit quod oderit affectus, id & intellectus improbabit, & variis argumentis malitiã eius manifestabit. Hinc fit quod qui se inuicem amãt, nihil mali de se mutuo suspicari possint, quia amor non nisi in id quod bonum est aut bonum esse putat, fertur, & in id solum oculos mentis coniicit: Qui vero inuicem se oderunt, nullum bonum testimonium de inimico ferre queunt, quia nõ nisi in id quod malum est intendunt, sicut fratres Ioseph quia oderant eum *non poterant ei quicquã pacifice loqui.*

1. Cor. 4.

Cap. 7.

Gen. 37.

2. NON tamen rem inutilem feceris, si & tu quæsieris quid de te dicant homines, an bene an male de te loquantur, an bona an mala de te spargatur fama: vt enim vita immaculata & conscientia bona nobis ad salutem est necessaria, ita, *inquit Aug.* fama nostra proximo poterit esse vtilis aut noxia dum ea permotus illa imitari nititur quæ de nobis audit & videt bona. Et ne, si boni sis nominis, ex eo peruanam gloriam titilleris & emolliaris, tecum serio perpende an talis coram Deo sis qualis ab hominibus prædicaris: quod quamdiu certo non cognoueris ne fallaris, nemo enim libenter fallitur, licet multi sint qui alios libenter fallant, vulgi iudicio ne tribuas multum nimis, talis enim es non qualem te vulgus prædicat, sed qualem te Deus iudicat. Deinde quanquã pulchrior tua virtus appareat dum etiam ab aliis cõmendatur non tamen propterea ea maior: aut tu melior, & ideo de eo quod es gaude & Deo gratias age: Si vero pulchris titulis honoreris & talis non sis, cogita tibi iniectam esse necessitatem vt nitaris talis fieri qualis diceris.

Serm. 52.

3 VOS *autem quem me esse dicetis?* Fidem in apostolis sopitam & veluti otiosam suscitat hic Dominus, partim vt cuius essent fidei aliis innotesceret: partim etiam vt occasionem haberet eis retribuendi certam mercedem pro suæ confessionis merito: ex ea n. Petrus meruit constitui caput Ecclesiæ, quia confessus est Christum esse Dei viui filium. Et ne quis putaret quod adulando magnificum hũc titulum Christo attribueret Petrus, dicit ei Dominus, *Beatus es Simon, quia caro & sanguis non reuelauit tibi sed pater meus qui in cœlis est.* Necessum est & nobis & vtile, vt fidem sopitam & otiosam excitemus, quia habitibus non meremur, sed actibus: efficit quidem habitus fidei, caritatis ac cæterarum virtutum vt secundum eam quis prompte, faciliter ac delectabiliter operari possit, quinimo efficit ipse habitus hominem regno cœlorum dignum & aptum, id quod patet in paruulis recenter baptizatis, qui quamuis propriis meritis non mereantur vitam æternam, ea tamen propter virtutes in baptismo meritis Christi infusas digni sunt qui eam possideant. Ast ipsis actibus ex caritate Dei secundum legem factis homo insuper meretur, & duplici quasi titulo ius ad vitã æternã consequitur,

Digitized by Google

quitur, tum propter dignitatem ex virtutibus infusis acquisitam, tum propter merita ipsis actibus correspondentia, eo quod Deus sic constituerit vt qui mandata obseruaret, vitam adipisceretur æternam.

4 Tu es *Christus Filius Dei viui.* Hoc operæ pretium fuerit, vt quis & quantus sit Christus agnoscamus, quia ex hac Christi notitia, & amor & timor, & reuerentia & obedientia, & spes & fiducia exoriuntur: qui enim nouit quam ipse sit bonus, in amorem eius rapitur, & id tanto vehementius quanto plenius atq; perfectius eius bonitatem agnouerit: Qui cognoscit quam sit iustus, & in transgressores seuerus, eum timebit, idq; tanto magis quanto melius eius cognouerit iustitiam & seueritatem. Qui eius agnouerit misericordiam, in eum sperabit, & bene confidet, tãquam in vnicum nostræ salutis auctorem. Qui vero eius agnouerit sublimitatem & maiestatem, eum reuerebitur, obseruabit, honorabit, & obtemperabit, tanto amplius quanto in eam intenderit perfectius. Quod autem eum multi nec timeant, nec diligant, nec obtemperent, nec honorent prout oportet, id inde prouenit quia eum non nouerunt. Attende tibi ô homo, talis est Christus qualis dicitur, neq; enim nomen portat inane: Et quanquam vt Deus est (dicitur enim *filius Dei viui*, quia verus Deus, sicut filius hominis est verus homo) ob infinitam & incomprehensam suam naturam, anonymos, id est, sine nomine dicatur, quia nullo proprio nomine eius substantia exprimi potest, vt nos docet Dionys. *de diuinis nom.* Cap. 1. Inexplicabile mente est, *inquit*, illud vnum supremum & verbis ineffabile, quandoquidem iuxta Platonis sententiam non ex libero hominis instituto, sed ex ipsarum rerum natura & essentia, cui quadrare debent nomina, sunt imponenda: attamen supernæ reuelationis lumine illustrati, variis nominibus ipsum saltem describere possumus. Neq; hic de nomine materialiter sumpto agim⁹, quia illud nullius est virtutis, sed de re per nomen ipsum significata: quia qui hoc nomine Christus nominatur, non solum homo sed & Deus esse significatur, qui sicuti in scripturis sanctis *Deus misericordiarum* appellatur, & *Deus totius consolationis*, Ita legitur & *Deus vltionum Dominus*, legitur *terribilis in consiliis super filios hominum*, legitur quod *retribuet abundanter facientibus superbiam.* In hoc impius irritat Deum quia dicit in corde suo: Non requiret: profecto requiret vsq; ad nouissimum quadrantem: Quamuis enim pius pater humili ignoscit filio, Deus tamen iustus & vltionum Dominus non parcet improbo seruo. Sepone parumper pia vocabula Patris & misericordiarum Dei, & conuertere ad austeriora nomina Iudicis & vltionum Domini, vt si pudor quo quis suffunditur qui pium offendit patrem, segnior fuerit ad te conuertendum, consideratione quod horrendum sit incidere in manus Dei viuentis, timor excitetur vt te excitet. Ber. serm. 16. & 15. in Cant.

II. Quomodo Deus ea nobis reuelet quæ sunt fidei.

1. Caro *& sanguis non reuelauit tibi.* Quia quæ fidei sunt captũ superant humanũ & angelicum: ideo primo & angelis & hominib. reuelari diuinitus & manifestari debuerunt, alias homini aut angelo nunquam in mentem venirent. Quis enim hominum aut angelorum lumine naturæ cognosceret vnquam Deum esse trinum & vnum? hominem istum qui Christus dicitur esse Deum? nos omnes in die iudicij esse resurrecturos? Hic *notandum* quod sint varij generis reuelationes quæ à Deo hominibus & angelis fiunt, sicut & sol diuersimode hunc mũdum illuminat: quædam enim ita obscura sunt vt vix videantur: quædam ita clara vt etiam aciem oculorum obtundant. Sanctis qui sunt in cœlis fit mysteriorũ Dei reuelatio clarissima & perfectissima, nõ per speculũ, neq; in ænigmate, sed veritas rei creditæ videtur sicut est, v.g. nos credimus Deum esse trinum & vnum, hoc angeli clarissime vident. Fuit & primo homini ante lapsum

pſum facta reuelatio mysteriorũ Dei, ſed minus clara quam angelis beatis, clarior tamen quam fuerit ea quæ facta eſt prophetis aut apoſtolis; nam Adam videbat quidem ea quæ ſunt fidei, non manifeſte, vt ſunt in ſe, ſicut ea vident ſancti qui ſunt in cœlo: ſed in ſpeculo, non tamen in ænigmate ſicut nos: in ſpeculo quidem, quia inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, relucet enim in creaturis tanquam in quibuſdam ſpeculis & potentia Dei & bonitas & ſapientia, ac reliquæ proprietates diuinæ. Ita vt in die iudicii quando totus renouabitur mundus, in huiuſmodi mundi renouatione, & claritate alioquouſq; Deus & gloria eius videri queat, non quidem in ſe, ſed in ſuo opere, ſicut anima videtur in viuo corpore, non quidem ſecundum ſuam ſubſtantiam, quia ſic oculis corporeis videri non poteſt, ſed ſecundum ſuam operationem. Non videbat primus homo in ænigmate cuius ſignificatio obſcura eſt, quia quæ videbat clare pro ſua qualitate intelligebat, eorum ſignificationem facili ſtudio cõcipiebat, nec vnquam aberrabat, ſicut facile aberrant, & vnũ pro alio ſubſtituunt, qui ænigmata, quæ non perfecte intelligunt, interpretari volunt.

2. TERTIO fuit etiam prophetis & apoſtolis facta reuelatio myſteriorũ fidei, ſed non tam clara quam primo homini, vident hi in ſpeculo & in ænigmate, docuit enim eos Dominus per varias ſimilitudines & figuras, quales multæ & variæ narrantur in Ezechiele, Daniele, ac cæteris prophetis, quibus & Apocalypſis Ioannis plena eſt, vt cum ait, *Signum magnum apparuit in cœlo Mulier amicta ſole & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona duodecim ſtellarum.* Has figuras quamdiu prophetæ non intelligebant, prophetæ dici non poterant, quia propheta idem eſt quod videns, quia quod videt, intelligit. vnde Pharao & Nabuchodonoſor qui ſimiles figuras viderunt, quas intelligebãt, prophetæ dici non poterant. Et quanquam eas prophetæ intelligerent ex parte, non tamen neceſſe erat omnia myſteria intelligerent quæ Deus huiuſmodi figuris & ſignis ſignificari volebat. *Quarto modo*, reuelat Deus ea quæ ſunt fidei ſine huiuſmodi figuris, per prædicationem apoſtolorum & prophetarum, quando auditorum mentes promouet & illuſtrat vt intendant in ea, eaque credant quæ ab apoſtolis dicuntur: ſicut aperuit cor Lydiæ vt intenderet in ea quæ à Paulo dicebantur. Et hi minus clare vident, quam prophetæ aut apoſtoli: & ſic videt vulgus hominum ea quæ fidei ſunt. Act.16.

cap.12.

3. SED hic inquirendum quomodo Deus veritatem fidei reuelet, an per voces in aere formatas: an per viſibilem creaturam aſſumptam & ſub humana ſpecie apparẽtem: an per ſemetipſum ſine voce & figura in corde intrinſecus loquentem. Quam quæſtionem tractat *Auguſtinus* & pulchre *Gregor. in moralibus.* vbi ſi habet, Cum Deus loquitur per ſemetipſum, interna inſpiratione ſine ſtrepitu ſermonis, ſine voce & ſyllabis cor edocetur, ipſa incommutabili veritate illuſtrans mentes ſiue angeli ſiue hominis: Et ſic loquebatur angelis & hominibus ante lapſum, Deus non ſono verborum, ſed interna veritatis manifeſtatione menti impreſſæ. Poſt lapſum vero tribus modis ſolet Deus loqui & apparere hominibus: interdum enim apparet & loquitur homini Deus imaginibus ante oculos corporeos poſitis ad tẽpus ex aere per angelos aſſumptis, ſicut Abraham tres viros vidit & hoſpitio excepit: & Adam audiuit vocẽ Domini Dei deambulantis in paradyſo ad auram poſt meridiem. Quæ omnia non niſi miniſterio angelorum fiebant per viſibilem creaturam ſeu perſonam aſſumptam, *ait Aug.* ne ſubſtantia illa inuiſibilis, & vbique tota quæ eſt patris & filii & ſpiritus ſancti corporalibus eorum ſenſibus locali & tẽporali motu apparuiſſe credatur. hæc ille. *Secundo* modo apparere & loqui ſolet Deus per viſionem imaginariam, quæ fiebat aut in ſomno, aut in extaſi, dum propheta alienatus à ſenſibus mente excederet &

Aug.li.12. ca.35. de Gen. ad lite. Greg. li.28. mor. c.2.3.4.5

Gen.18.

Gen.3.

Digitized by Google

per quaſdam ſimilitudines imaginarias menti obiectas atq; oſtenſas ea percipiebat quæ Deus enim docere volebat: ſicut *Iacob* dormiens vidit ſcalam ad cœlum vſque erectam: & *Petrus* in extaſin raptus vidit linteum reptilibus plenum: & *Paulo* in viſione noctis apparuit vir Macedo, qui eum rogauit vt in Macedoniam tranſire vellet. [Act. 10. Act. 16.]

4. TERTIO ſolet Deus homini loqui per occultam inſpirationem & ſolam internam mentis illuminationem abſque vlla corporea vel imaginaria figura & ſimilitudine: Sic Deus reuelauit hic Petro quod Chriſtus eſſet Filius Dei viui. Huiuſmodi autem reuelatio diuinitus facta ipſis prophetis ſeu aliis, interdum viſio dicitur, interdum verbum appellatur: verbum dicitur propter Deum reuelantem, & reuelādo quaſi cum prophetis loquentem: viſio autem dicitur, propter ipſum prophetam mentis oculis diuino lumine illuſtratis videntem, quæ Deus illi reuelat: vt enim ſenſus oculorum præ cæteris ſenſibus clarem certamq; cognitionem habet, ita cognitio rerum futurarum, quam Deus prophetis indit eos illuminando, viſio dicitur, & ipſi prophetæ videntes appellantur propter cognitionis certitudinem & claritatem.

5. SATIS id manifeſtum & facile admittunt hoc omnes, quod quando conſtat aliquid à Deo dictum vel reuelatū, id credi & fide ſuſcipi debere, quia nemo tam eſt impudens, qui Deo non credendum dicere audeat: Sed in eo verſatur tota difficultas quomodo Deus reuelet ea quæ ſunt fidei, cum nemo fidelium ex vulgo talem in ſe ſentiat reuelationem. Et certum eſt imprimis huiuſmodi reuelationem non eſſe tam manifeſtam, quam ſit ea quæ fit ſanctis in cælo, vbi & ipſe reuelans & ea quæ reuelantur, ſeu manifeſtantur, ſunt euidētiſſima & manifeſtiſſima: Deinde nec eſſe tam claram quam fuit ea quæ facta eſt prophetis & apoſtolis, in quibus licet res reuelata eſſet obſcura, quia credimus, *inquit Aug.* [Aug e. 13] quæ intellligere nondum valemus: tamen reuelās erat manifeſtus, quia experiebantur Deum in ſe loquentem: [de agonia chriſt. 2.] Sic enim de Samuele dicitur in primo libro Regum, *Dominus reuelauerat auriculam Samuelis vnam diem quam veniret Saul dicens. Hac ipſa hora quæ nunc eſt cras mittam virum de terra Beniamin & vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael.* [1 lib. ca. 9.] Ita & ad Balaam locutus eſt Dominus, & poſuit verbum in ore eius dicens, *reuertere ad Balac & hæc loqueris. Quomodo maledicam cui non maledixit Deus: quis dinumerare poſſit puluerem Iacob?* [Nume. 23.] Et paulo poſt ſubiungit. *Num aliud poſſum loqui niſi quod iuſſerit Dominus?* Ita cum Abrahæ mandaret Dominus vt ei offerret ſuum filium quē diligebat Iſaac, intellexit patriarcha Dei eſſe mandatum, Deumque ad ipſum loqui, ideo ſtatim paruit: alias temere feciſſet obtemperando, niſi aperte Deum ad ſe loqui nouiſſet. Sic & cæteri prophetæ experiebantur Deum in ſe loquentē, & futura eis reuelantem, ideo dicebant, *Hæc dicit Dominus.* Sed reuelatio fidei ſeu rerum credēdarum quæ fit nobis, admodum eſt obſcura, quia nec reuelans eſt manifeſtus, nec res reuelata: eſt enim de ratione fidei quod ſit argumentum non apparentium, hoc eſt, quod faciat nos ea credere, quæ nec videmus nec intelligimus, credimus tamen propter veracitatem & auctoritatem dicentis, & teſtantis non ſolum externa voce prophetarum aut apoſtolorū, quia vt *Auguſtinus ait in Ioannem*, Nos admonere poſſumus per ſtrepitum vocis, ſed ſi non ſit intus qui docet, inanis eſt ſtrepitus noſter: [Aug. tra. 3. in 1. Ioan.] ſed interno teſtimonio ſpiritus intus in corde loquentis: quia vt Paulus ait, *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus:* eſt enim fides donum Dei, ex gratia & motione diuina proueniens, ſine qua nemo credere poteſt: Ita vt non ſufficiat ea, quæ ſunt fidei, olim reuelata fuiſſe apoſtolis & prophetis, quos Deus per ſe inſtruxit vt vlterius credenda aliis proponerent & edocerent, eaque à Deo ipſis reuelata eſſe miraculis, vitæ ſanctitate & aliis modis pro-

Digitized by Google

probarent: Sed vlterius præter externam prædicationem, quodam occulto inſtinctu interiore opus erat, quo Deus corda credentiũ aperiret & fidem inſpiraret, verum quia ille occultus inſtinctus prout communiter datur hominibus, non ſatis conſtat qualis ſit, aut vnde ſit, transfigurat enim ſe etiam Sathanas in Angelum lucis, ideo huiuſmodi inſtinctus interior non eſt ſatis idoneus ad aſtruendũ ea quæ fidei ſunt: Multi enim decipiuntur in ſuis reuelationibus quas putant eſſe à Deo & ſunt à dæmone: & huiuſmodi homines ſuis reuelationibus tanquam diui-
lib. de Doct. Ch. in init. nis innitentes vocat *Auguſt.* ſuperbos ſomniatores, eo quod ſe diuinitus illuſtrari exiſtiment, cum non niſi per dæmones tales reuelationes fiant: & facile decipitur qui diſcretionem ſpirituum non habet. Hinc Ioannes nos monet, vt non credamus omni ſpiritui, *Cariſſimi*, inquit, *nolite*
1. Ioan. 4. *omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.*

6. ET quia huiuſmodi reuelationes quib. Deus & fidem inſpirat, & corda credentium aperit ad credendum, ſicut de Lydia
Act. 16. legimus in actis, quod Dominus cor eius aperuerit intendere his quæ dicebantur à Paulo, obſcuriores ſunt. ideo non poteſt quis iis inniti tanquam certiſſimæ regulæ fidei, alias omnes eſſent prophetæ & apoſtoli, neque opus eſſet prædicatione apoſtolorum, aut miraculis ad confirmandum ea quæ ſunt fidei, cum quiſque à Deo immediate foret edoctus: Sed dum exoritur aliqua quæſtio de ſenſu ſcripturæ quæ variis modis poteſt explicari, ex cuius varietate fides in dubium reuocatur, tunc opus eſt eccleſiæ auctoritate ſupremi iudicis ſeu ſummi Pontificis iudicio, cui ſtandum eſt, qui habet illam à Chriſto promiſſionem, quod non deficiet eius fides: nec poteſt quilibet eſſe iudex ſuper doctrina fidei, alias impoſſibile foret ſeruare vnitatem fidei in in eccleſia, quiſque enim eam interpretabitur prout ſibi videbitur, nec vnus alteri cedere volet exorienturq; tot ſententiæ & tot hæreſes, quot ſunt homines. Et ideo falſum eſt quod Lutherus ait, Non potes fiduciam tuam ponere ſuper alterius iudicio, oportet teipſum concludere: de tuo enim collo agitur, ideo neceſſariũ eſt vt Deus tibi loquatur ad cor, hoc eſt verbum Dei, hoc nõ. Nam hoc dicto, *Attendite vobis à falſis prophetis*, dat Deus poteſtatẽ omnibus chriſtianis vt ſint iudices ſuper omnem doctrinam. Quæ Lutheri doctrina ſi vera eſſet, quod quiſque, quia à Deo docetur, proprium iudicium ſequi debeat tanquam fidei regulam, tunc nullus perperam poſſet interpretari ſcripturam, tunc nulli errores, nullæ hæreſes eſſent, quia vt *Aug.* docet omnes hæretici lib. 1. ca. 3.
conantur ex ſcripturis ſuas hęreſes & opiniones defendere & ſtatuere, imo vt *idem* de tri.
ait de Geneſ. ad lit. non ob aliud ſunt hære lib. 7. c. 10.
tici, niſi quod ſcripturas non recte intelligant. de Gen.
Eſt enim ſcriptura certa & vera, de qua nemo dubitare poteſt, modo ſi bene intellecta: ſed ſenſus qui è ſcriptura elicitur, non ſemper certus eſt, neque verus: ibi ſequi oportet non priuatim cuiuſque iudicium, aut reuelationem, ſed eccleſiæ auctoritatem. Quinimo etiãſi Deus quibuſdam particularibus perſonis quædam reuelaret, ſicut S. Brigittæ multa reuelata creduntur, nec ea protinus fide Catholica ſunt ſuſcipienda, niſi per eccleſiam cõſtet, atq; definitũ ſit ea à Deo eſſe reuelata & fide ſuſcipienda. Hinc apoſtoli & prophetæ dum eccleſias fundarent, & fidem primo prædicarent, ſuam auctoritatem ſtabilire debebant miraculis, vitæ ſanctitate, ſcripturæ teſtimoniis & aliis modis, quibus probant ſe à Deo miſſos, Deique annunciare verbum: alias locum habuiſ-
ſet quod Sapiens ait, *Qui cito credit leuis eſt* Ecc. 19.
corde. Sed Chriſtus ipſe ita aiebat, *Si non facio opera quæ nemo alius fecit, nolite mihi credere.*

7. PORRO quamuis fides ſit ex reuelatione diuina, nõ tamen fruſtra adhibẽtur media alia, vt prædicatio apoſtolorum, miracula, demonſtrationes ſeu rationes naturales ipſam fidem confirmantes, quia huiuſmodi mediis naturæ humanæ ac-

Digitized by Google

commodis vti solet Deus: Ideo ad Cornelium Centurionem mittitur Petrus qui eum ea quę fidei sunt edoceret: nam quamuis præcipuus doctor sit Deus reuelans, & illuminans, tamen media humana fidem proponentia, explicantia confirmantia, & expresse demonstrantia esse credenda quę proponuntur, nequaquã sunt superuacanea, sunt enim ipsis credentibus in suo genere adiumento, quia quo id quod à Deo reuelatum est euidentius proponitur & clarius demonstratur, eo secundum rectã rationem firmius creditur: Et quando nõ constat euidenter res propositas esse credibiles, sed quomodocumq; proponantur eas aliquis suscipit tanquam à Deo reuelatas, periculo erroris se exponit. Et idcirco voluit Deus signis & miraculis confirmare quæ credenda proposuit, vt pateret ab ipso esse dicta & reuelata quæ ab apostolis prædicabantur. vnde Paulus cũ ad Romanos de prædicatoribus fidei loquitur, dicit illos nõ posse prædicare nisi mittantur, vt potestatem habeant confirmãdi ea quæ dicunt miraculis, doctrina diuina, vitę sanctitate & similib. quib. fiebat vt eius testimonia fierent credibilia nimis prout Psalmista loquitur: vt ideo & Richardus de sancto Victore, *l. 1. de trini 1. ca.* exclamauerit, Domine si error est quem credimus, à te decepti sumus.

III.

Quomodo super Petrum ædificetur Christi Ecclesia. 1. TV *es Petrus & super hanc Petram*, & c. Quanquam Christus sit primariũ Ecclesiæ fundamentum, iuxta illud Pauli, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est quod est Christus Iesus.* 1.Cor.3. Tamen quia visibiliter nobiscum non erat permansurus, Petrum suum constituit vicarium, eiusque successores Romanos Pontifices: Sicut enim nauis in mari eget nauclero, alias ad portum nunquam peruentura sic Ecclesia in fluctibus huius sæculi eget gubernatore: Et quod gubernator est in ciuitate, paterfamilias in domo, nauclerus in naui, fundamentum in ędificio, caput in corpore, hoc Petrus & Pontifex est in Ecclesia: super quẽ solidatur & fundatur ecclesia, non solum quia fide illa, quam confessus est Petrus, inseritur quis ecclesiæ, & fit de numero fidelium, verũ etiã quia quod docet, tradit & definit Petrus & Pontifex tanquam ad finem pertinens, illud pro certo pro tali haberi debet, vt licet ante definitionẽ de tali articulo quis dubitare potuerit, iã tamen re & quęstione dubia definita amplius de ea dubitare non licet, quia in suis definitionibus habuit Petrus, eiusq; successor Pontifex Romanus illã promissionẽ, quod non deficeret fides eius: ideoq; non humano regitur spiritu dum quippiam definit sed diuino, non quod immediate Deus eum illuminet & veritatẽ de qua quæritur doceat, sicut olim ⁊phetas illuminauit, neque n. Pontifex propheta est, dũ quippiã definit, sed quia dũ Pontifex cũ suo concilio diligenter de veritate inquirit, sicut in Actis dicitur, quod magna inquisitio fiebat super quæstione mota An gẽtes deberent circumcidi, Deus illi assistit & inquirenti veritatem manifestam facit & sic dirigit vt errare non possit. Act.15. Nec id mirum cum & nobis studentibus multa occurrãt & aperiantur quæ prius latebant.

2. NON tamen Pontifex nouos fidei articulos condit cum ea quæ fidei sunt definit, quia illud erat prophetarum & apostolorum proprium, fundamentum fidei ponere, & fidei articulos condere: sed definiendo ea in lucẽ educit quæ prius latebant aut non ita nota erant, cũ prius fidei essent, de iis propter hæreticorũ argumẽta in contrarium mota nõnulli dubitare cœperant, quos sic vacillantes Pontifex suis definitionibus in fide confirmat. Et id necesse erat vt qui fundamenti loco ponitur in fide ac fidei definitionibus firmus sit, alioquin tota Ecclesia nutaret & in fide deficeret sicut domus quæ debili nititur fũdamẽto facile corruit: tenetur enim quisque sententiam supremi Iudicis sui latam sequi. Et in id maxime diabolus incumbit vt fundamentum fidei subuertat, quia cũ fides tollitur, arbor cum radice euellitur, nec vlla salutis spes relinquitur.

Hinc

Digitized by Google

Luc. 22. Hinc Dominus ad Petrum, *Simon ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Dum triticum cribratur farina & pollis excidit, soli furfures qui non nutriunt, remanent: id quærit dæmon dum tentat hominem, vt quicquid habet viuæ fidei & caritatis, quicquid habet diuini spiritus & veræ virtutis, hoc ei excutiat, & non nisi quædam superstitiosæ ceremoniæ & ritus inanes qui non sanctificant, ei remaneant. Porro dum fides remanet, etiamsi quis in moribus erret & peccet, virtute fidei ad salutem reduci potest, dum credit Deum pœnitentibus dare solere veniam: sicut dum arbor concutitur valido aliquo vento, fructus & folia possunt quidem excuti, attamen si radix salua permaneat, denuo repullulabunt & reuirescent. Sicut dum Petrus negaret Christum, defecit quidem in confessione fidei & grauiter lapsus est, tamen quia fides remansit, eius virtute per pœnitentiam restauratus est.

3. Et *tibi dabo claues regni cœlorum.* Solent Petro & Romano Pontifici duæ claues assignari, per quas intelligimus non potestatē ordinis & Iurisdictionis vt quidam volunt, quia iurisdictio non est potestas proprie, sed applicatio materiæ ad agens vt sequatur actio: sicut si ignis in vacuo existeret, potentiam quidem haberet calefaciendi, non tamen calefaceret nisi materia admota: sic dum sacerdoti confertur pastoratus, non datur ei noua potestas, quam prius non habuerit per ordinis susceptionem, sed præficitur populo vt in eū suā potestatē exerceat. Per duas claues igitur intelligit *Thomas* autoritatem cognoscendi causam, quæ dicitur clauis scientiæ, & reperitur etiam in indoctis sacerdotibus: & autoritatem ferendi sententiam, quod est proprium officium iudicis. Dum Petro darentur claues regni cœlorum, siue Ecclesiæ, tunc præficiebatur toti Ecclesiæ, eiusque caput constituebatur, vt eam regeret, pasceret & iudicaret. Nec potest per has duas claues intelligi potestas soluendi & ligandi, quia hoc fit vna atque eadem potestate, sicut vna atque eadem claue corporali sera clauditur & aperitur.

Tradidit vero Christus apostolo Petro eiusque successoribus claues regni cœlorum, vt iis diuina oracula reseraret, ac populo sibi concredito doctrinam salutarem de cœlo adferret & aperiret: leges ferendo subditos ad earum obseruationem ligaret, sicut Petrus in Actis legem tulit vt gentes à suffocato & sanguine abstinerent: (Act. 15.) quam cōstitutionem Apolicam, *dicit Chrysost. in Acta*, esse nouam legem (Homi. 33.) ex præceptis ceremonialibus Moysis desumptam, quæ sic obligabat vt transgressores eius excommunicentur, vt patet in *concil. Aurel.* (Can. 19. & 29.) soluendo peccata remitteret, & in lege, votis, iuramentis & similibus obligationibus data causa dispensaret, hominemque ab eorum obligatione si necessitas postulet eximeret, & cætera quæ ad regimen ecclesiæ sunt necessaria, iure, legitime & cum auctoritate perageret. Nam cui dantur claues ciuitatis, ei committitur regimen eius: si igitur Petro datæ sint claues ecclesiæ, datum ei & commissum intelligitur regimen ecclesiæ, vt possit ea omnia facere quæ ad salutem eius promouendam viderit necessaria, docendo, monendo, confirmando, regendo, leges ferendo, excommunicando & his similia faciendo.

4. INSTITVIT Christus Pontificatū in Petro duraturum vsque ad finem mundi, ita vt successio Pontificum sit de iure diuino & ex institutione Christi: Neque enim moriente Petro etiam Papalis potestas interire debuit, quæ non in Petri honorem sed in Ecclesiæ vtilitatem instituta erat, vnde Petrus hinc migraturus Clementem in suum surrogauit locum, qui tamen Petro primus non successit, sed Lino cessit, eo quod Linus & Cletus Petri coadiutores in officio Episcopali fuissent, vt docet Epiphanius: (Epip. 6. ser. 29.) Ita vt primus pontifex post Petrum fuerit, non Clemens sed Linus, cui successit Cletus, Cleto autē Cle-

Google

Clemens,& ſic deinceps, idque in eadem poteſtate,auctoritate & iuriſdictione quã Petrus habuit. Quanquam vero ſucceſſio Pontificum ſit ex inſtitutione Chriſti,tamẽ quod iſta Papalis dignitas & poteſtas ſic in Pontificibus Romanis, hoc eſt ex facto Petri qui ſibi ſubſtituit Clemẽtẽ. Potuiſſet enim Petrus nullam ſedẽ particularẽ ſibi eligere, ſicut fecit primis quinque annis, quibus poſt mortem Chriſti manſit in Iudæa & tunc neque Epiſcopus Romanus, neque Antiochenus morienti Petro ſucceſſiſſet, ſed is quem Eccleſia ſibi elegiſſet: potuiſſet quoque Antiochię ſemper manſiſſe, & tunc Antiochenus electus Epiſcopus ſucceſſiſſet ei, nũc vero quia Romæ mortuus eſt, Romanus Pontifex ei ſuccedit.

.IV. De vita Petri. Acto 9. Act.10.

1. PETRVS poſt mortem Chriſti manſit in Iudæa quinque annis,& vt Lucas ait in Actis, *tranſibat vniuerſos prædicãs Chriſti Euangelium per totam Iudæam. Galilæam & Samariam.* Cumque baptizaſſet Cornelium centurionem hominem gentilem, de quo in Actis, diſceptauit cum Petro, eumque redarguit Cerinthus hæreticus, quod ad viros præputium habentes introiſſet, teſtis eſt *Epiphanius*, (Epipha. ſer.28.) Cui cum poteſtate ſibi tradita, vnico tantum verbo reſpondere potuiſſet Petrus, omnemque controuerſiam dirimere, maluit tamen, tanquam ex æquo cauſa cum eis agenda eſſet, reddita ratione ei ſatisfacere, dicens ſibi diuinitus id reuelatum, cum eſſet in Ioppe linteo animalibus omnis generis pleno de quo in Actis, (Act.11.) Elapſis his quinque annis venit Petrus Antiochiam, quæ erat primaria ciuitas Orientis, ibidemq; annos fere ſeptem reſedit, & temporis interea peragrauit vicinas prouincias, Pontum, Aſiam, Galatiam, Cappadociam, Bythiniam, ibidem ſeminans verbum Dei. Inde autem profectus anno ſeptimo epiſcopatus Antiochenſis, qui erat 11. aut eo circiter a Paſſione Domini, rediit Ieroſolymam ibique comprehenſus ab Herode (Act.12.) in vincula coniectus eſt in diebus azymorum, ſed paulo poſt ab angelo liberatus eodem anno qui erat ſecundus Claudii Romam venit, ibique ſedem fixit ac tenuit annis 25. Nõ tamen aſſidue Romanæ manſit, ſed poſteaquam 7. annis Romæ prædicauerat, rediit in Ieruſalem expulſus a Claudio Cæſare ex vrbe, vna cum cæteris Iudæis inter ſe diſceptãtibus & tumultuantibus propter fidem Chriſti, quibuſdam credentibus, aliis contradicentibus, anno videlicet 18. poſt Chriſti paſſionem. Cumque audiſſent ii qui erant Antiochiæ Petrum veniſſe in Ieruſalem, miſerunt ad eum Paulum & Barnabam propter quaſdã quæſtiones de legalibus exortas, & tunc factum eſt Concilium Ieroſolymitanum, *de quo in Actis.* (Act.15.) Mortuo Claudio Romam reuerſus eſt Petrus, & ibidem reſidens peragrauit omnes vicinas regiones Euangelium Chriſti prædicans Anno 13. Neronis, & anno Chriſti 69. Petrus & Paulus eodem die & anno vterque ſupplicio affectus. Petrus cruce pedibus in altum eleuatis, Paulus gladio, è cuius ceruice non ſanguinis, ſed lactis vnda effluxit *teſte Ambroſio*, (Ser.68.) erumpentibus ſimul tribus fontibus in iis locis in quibus caput Pauli tres ſaltus dederat vi ſpiritus. Sed antequam ſupplicio afficerentur ambo virgis cęſi feruntur. Et dicit Ambr. in Auxentium, quod quamuis Petrus cupidus eſſet paſſionis, precibus tamen populi motus nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, ait, Domine quo vadis: & Dominus, vado iterum crucifigi: Intellexit Petrus ſe cruci affigendum, & rediens apprehenditur & crucifigitur.

PARS

Digitized by Google

Pars III.

Quem dicunt homines esse Filium hominis? Matth.16.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Iudicium vulgi an sit magni faciendum.*
II. *De gestis & laudibus beati Petri.*
III. *De quibusdam actis & laude beati Pauli Apostoli.*
IV. *Cur portæ inferi non possint prævalere adversus Ecclesiam.*

ART. I. Sitne iudicium vulgi magni faciẽdum. 1. Cor. 4. Psal. 147. Chryso. hom. 12 id epist. 1. ad Cor.

1. Opinio & iudicium vulgi quanti sit aut nõ sit faciendum, hic inquirendum. Docet autem id nos Paulus cum ad Corint. ait, *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer aut ab humano die.* Cum enim homo vanitati similis sit factus, teste Dauide, nõ habet rectũ iudiciũ, *inquit Chrysost.* sed superna indiget correctione: Si quempiã laudauerit, omnino laus illi erit vel ad gratiã vel ad odium. Et si quempiam calumniatus fuerit & aucusauerit, eadem rursus sentẽtia hoc fiet. Et hoc vniuersum terrarum orbem perturbauit, quoniam hominum respectu omnia facimus, & in bonis operibus nulla nobis cura est vt laudatorem Deum habeamus, sed laudem nobis à conseruis nostris inquirimus. In sceleribus Deo contempto homines formidamus, propterea quæ vere bona sunt, sed multitudini bona non videntur, ea fugimus non inuestigata rerum natura, multitudinis opiniones respicientes. Itidem rursus in malis facimus, quæ mala sunt, videntur autem multitudini bona, ipsa consuetudine sectamur. Multa autem huiusmodi Dominis videntur esse mala quæ non sunt, & ea nos similiter fugimus, verbi gratia paupertatem fugimus non quod mala sit aut turpis, sed quod Domini nostri ita de ea sentiant, & illos formidamus. Contra autem ditescere bonũ videtur, & elatio & gloria, item bona. Hæc nos itidem prosequimur. Neque hac in parte rerum naturam consideramus quæ bona est, sed ex Dominorum nostrorum opinione nobis persuademus. Dominus autem noster populus est & turba: & vt audiatur à nobis non opus est præcepto, sed tantum satis est vt intelligamus quid velit, & quam primum sine præcepto paremus, tanta in eum beneuolentia afficimur. *hactenus Chrysost.*

2. Idem *homi. 5 in epist. ad Timo.* laborat morbo nostræ rationis iudicium, quo fit vt de rebus plerumque male iudicet. Nam spectaculis interesse iugiter, vrbanitatẽ & facetias vocat, gloriam amare magnanimitatem, prodigalitatem, clementiam, malorum tolerantiam, ignauiam & infirmitatem: contemptum fastus & gloriæ, seruilis esse animi existimat, vnde merito *Hiero. ad Pamachi.* Prima virtus monachi est, *inquit*, contemnere hominum iudicia & semper apostoli recordari dicẽtis, *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Fœlices essẽt artes si de illis soli artifices iudicarent: Poetam nõ potest nosse nisi qui versum potest struere. Philosophũ nescit, nisi qui scit dogmatum varietates, nostra quã dura sit necessitas hinc potest anima discere, quod vulgi standũ est iudicio: Hoc præteriens tetigi vt eruditis cõtetus auribus, nõ magnoperè cures quid imperitorũ de ingenio tuo rumusculi iactitent, *hæc Hieron.* Quã sit cęcũ autẽ vulgi iudiciũ etiã Christus loquens ad patrem satis testatur cũ ait, *Tanquam prodigiũ factus sũ illis, & tu adiutor fortis.* vnde aduersarii sugillabãt dicẽtes, *Dæmoniũ habet, Samaritanus est*, In principe dæmoniorũ eiicit dæmonia. Sed nos audiamus apostolũ dicentẽ, *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer aut ab humano die:* & alibi, *Hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ,* quod in simplicitate cordis & syncertate Dei conuersati sumus in hoc mundo.

Hæc Chryso.

Hieron. epist. 26. tom. 1. Galat. 1.

Psal. 72.

3. Interim nomen bonum non contemnere sed conseruare conuenit. *Melius est enim nomen bonum quam diuitiæ,* in- Prou. 22.

Digitized by Google

inquit Sapiens, vnde Aug. *lib. de bono vidui. tom.* 4. Non sunt audiendi, siue viri sancti siue fœminæ, quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam fit vt in malam veniant suspicionem, vnde suam vitam longe abesse sciunt, Dicunt sibi corā Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solum, verum crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis quæ casta est, displiceat vita sanctorum siue etiam cū excusatione imitantium, non quod vident sed quod putant. Proinde quisquis criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit sibi, bene facit, quisquis autem & famam, & in alios misericors est.

Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra, & vtique quod etiam aliis ministramus ad salutem misericorditer ad nostram quoq; redundat vtilitatē, vnde non frustra Paulus Rom. 12. ait. *Prouidentes bona non solum coram Deo, verumetiam corā hominibus.* Et alibi, *Placete omnibus per omnia sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærēs quod mihi vtile est, sed quod multis vt salui fiant.* In quadam etiam exhortatione dicit, De cætero fratres quæcumque sunt vera, quæcumque sancta quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate. Cernis quod inter multa quæ exhortando meminit, non neglexerit ponere, quæcumque bonæ famę, duobusque verbis cuncta concluserit, vbi ait, Si qua virtus, si qua laus, fama namq; ad laudem pertinet. Puto quod non laudē hominum pro magno sumebat apostolus, qui alio loco dicit. *Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer:* & alibi, *Si hominibus placerem Christi seruus nō essem:* sed illorum duorum, id est, bonę vitę & bonæ famę, seu virtutis & laudis, vnū propter seipsum sapientissime retinebat, alterū propter alios misericordissime prouidebat. Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones maleuolentissimas non potest

1. Cor. 10.

omni ex parte vitare, vbi pro existimatione nostra quicquid recte possumus fecerimus, si aliqui de nobis vel male fingendo, vel male credendo famam nostram decolorare conātur, adsit conscientiæ solatiū, pleneque etiam gaudiū quod merces nostra magna est in cœlis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis pie tamen iusteque viuentibus. Illa enim merces tāquam stipendium est militantiū per arma iustitiæ, non solum dextera, verumetiam sinistra per infamiam scilicet & bonam famam, *hactenus Aug.*

4. ITAQVE apostolici præcepti est & exempli vt habeamus rationem non conscientiæ tantum, sed etiam famæ Non superfluum, *inquit Hiero.* & à fructu vacuum. Magister gentium id docet, vult enim etiā extraneos ad fidem homines per fidelium opera proficere, vt religionem ipsam religionis disciplina commendet. Et ideo ne paratum habeamus illud è triuio, Sufficit mihi conscientia mea, non curo quid de me loquātur homines, cum sicut luminaria in mūdo lucere nos iubeat Dominus in medio nationis prauæ & peruersæ, vt incredulæ mentes errantium ex actuum nostrorum lumine ignorantiæ suæ tenebras deprehendant, vnde Pau. ait, *prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Beatus est qui tam sancte, tamque grauiter disposuit vitam suam vt de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dum aduersus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo. Quod si id assequi nimis difficile atque arduum est, saltem hanc habeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inueniant detrahendi, ne ex nobis scintilla procedat per quam aduersus nos sinistræ flamma famæ confletur: alioquin frustra irascimur obtrectatoribus nostris, si eis ipsis obtrectandi materiam ministremus, nos id agamus vt male de nobis nemo loqui absque mendacio possit, neque enim bonus habere nomē bonum refugit, quāuis in eo gloriari non possit, sed nec velit, verum nomē bonū dico nō quod à turbis vulgi

Hier epist 14. quæ est ad Celant. & epist. 11. to. 9.

Rom. 12.

vulgi imperiti, sed quod à fidelib. quamuis paucorum testimonio laudatur. *hac Hieron.*

5. HABENT autem hoc proprium sancti viri, *inquit Greg.* vt bona quidem quæ agunt videant, & tamen cum peregerint, ab eorum memoria oculos auertãt, vnde recte per B. Iob dicitur, *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare, latatum est in abscondito cor meum, quæ est iniquitas maxima*, quasi dicat, Opus meum etiam cum aliis exemplorum lucem tribueret, ad præsumptionis gratiam non attendi, quia dum de eo extolli timui ab intuendo eo oculos auerti. Et quia post opus bonũ fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hac præsentis vitæ nocte possidetur, recte dicit quod nec lunam clare incedentem viderit: Bona namque fama per lunam est hic significata, sicut enim luna mendicat & accipit lumen à sole, sic fama à bono opere vires accipit & fauoris gratiam quasi claritatem luminis aspergit. Et sicut lux lunæ etiam in tenebrarum tempore iter ambulantibus ostendit, ita dum de aliena vita lux laudis emicat, alios ad exercenda bona opera illustrat, cumque illius opinio clara cognoscitur, hinc quasi pergenti in itinere exempli lumen præbetur. Sed nonnunquam opus quod ab aliena ope sumitur, minus mũdo desiderio in animo formatur: nam infirmæ mentes cum bona de aliis audiunt, aliquando sese ad operationem rectam, non amore virtutis, sed delectatione laudis accendunt: ad vitam enim bonam alios pro amore Dei affectus recti operis, alios vero amor laudis inflãmat, sed sicut ex aliena proficimus opinione, sic plerumq; si famæ nostræ laudibus inhiamus, à virtute vacuamur. Quia igitur S. Iob magnitudo operis non inflauit, solem fulgentem non vidit: & quia illum nec fama laudis extulit, clare incedẽtem lunam minime attendit. Cum autem subiungit Iob *Et latatum est in abscondito cor meum*, nobis innuit quod magna circumspectione opus sit, ne mens nostra vnquã de suis laudibus vel tacite lætetur. Cum enim conditoris dono, vt bene operaretur percepit, & nihilominus in eius munere de laude sua hilarescit, despecto honore cõditoris semetipsum plus amare conuincitur cuius præconiis lætatur. Quamuis interim etiam sancti viri nonnunquam de bona sua opinione gaudeãt, sed tum cũ etiam alios per hãc ad meliora proficere vident, verum tunc non tam de opinione sua, quam de proximorum gaudẽt vtilitate. Sic Paulus bona sua Corinthiis enumerat, & de se summa referebat, sed vt discipulos instrueret, quos cõfirmare non se ostentare studuit. Sed cum audientium vtilitati non proficit, mentem nostram fama laudabilis non eleuet, sed affligat, metuens ne spes futuri muneris in mercedem permutetur transitorii fauoris. Superba mens cum de se bona dicuntur etiam falsa exultat, quia non qualiter apud Deum viuat, sed qualiter apud homines innotescat, cogitat. *hactenus Gregorius.*

Greg. 22. mor. c. 4.

Iob. 31.

II. De gestis & laudib. B. Petri.

1. OMITTIMVS hic integram rerum a B. Petro gestarum seriem referre, ne prolixiores simus: pauca dumtaxat e multis huic loco inseremus. Et inprimis ab eo commendari potest plurimum Petrus, quod Christo fuerit familiaris multum, eumq; plus cæteris dilexerit, cuius & vicarius esse meruit, eiq; tantus honor oblatus vt vniuersam ecclesiam suam ipsi tradiderit regendam & pascendam. Et id quidem promittendo cum Matth. 16. ait, *Tibi dabo claues regni cælorũ, vt quodcumq; solueris super terram, sit solutum & in cælis*, promissionem vero suam adimplendo cum Ioan. 21. ait, *Pasce oues meas*, nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & vt futura Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cuius Pastor & caput piscator homo atque ignobilis, terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet, *inquit Chrysostom.* hæc inquam omnia quæ solius

lius Dei ſunt, ſe pollicetur daturum, Ita
Iere. 1. vt quo modo Ieremiæ quondam dicebat
Dominus, *Sicut columnam ferream & ſicut murum æneum poſui te*, ſic & Petro dictum ſit, *Tu es Petrus*, firmus ſcilicet & immobilis, *& ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Hoc autem ſingulare priuilegium meruiſſe videtur Petrus hac ſua confeſſione, *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Quæ verba niſi proprie intellexiſſet Petrus, & ab ipſo patre natum crederet,
Chryſ. ho. 55. in Mat. *inquit Chryſoſtom.* non fuiſſet reuelationis opus illa confeſſio, nec aliqua beatificatione digna, ſi vnum ex multis Dei filiis illum putaſſet. Etenim iampridem poſt tempeſtatem qui erant in nauigio, *vere filius Dei es tu*: dixerunt, Matt. 14. & quamuis verum dixerint, beatificati tamen ab eo non ſunt. Non enim ita vt Petrus, ſed vnum ex multis filium æſtimabant, præcipuum quidem magiſque dilectum, non tamen ex patris ſubſtantia natum. Nathanael quoque dicebat Ioan. 1. *Rabbi tu es filius Dei*, non tamen beatificatus eſt. Ea igitur de re Petrus beatificatur quia Chriſtum patris proprie filium confeſſus eſt.

2. EST præterea Petro tanta virtus concredita ad patranda miracula, vt etiam vmbra ſanaret infirmos. Ita n. legimus Actor. 5. *Et ponebant infirmos ſuos vt vmbra Petri tranſeuntis obumbraret eos.* Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? ſi tunc ſupplicantibus proderat aura quædam tranſeuntis, quanto magis gratia
Aug. ſer. 29. de ſan. nunc permanentis? *inquit Auguſt.* Hi ſunt apoſtolorum Principes Petrus & Paulus, qui mihi traditi ſunt & in magiſtros, *in-*
Bern. ſer. 1. apoſtol. Petr. & Paul. *quit Bernardus.* ſunt enim duo luminaria magna, quos Deus in corpore eccleſiæ ſuæ conſtituit quaſi geminum lumen oculorum, quibus ſecure me committere poſſim, quia & notas mihi fecerunt vias vitæ; & in mediatores, quibus mediantibus ad illum mediatorem aſcendere potero, qui venit paicficare quæ in cœlis & quæ in terris ſunt. Propterea autem dedit mihi Deus homines iſtos qui & peccatores & maximi peccatores eſſent, qui in ſeipſis & de ſeipſis diſcerent quam late aliis miſereri deberent. Tales decebat humano generi paſtores & rectores conſtitui, qui & dulces eſſent & potentes, & nihilominus ſapientes: Dulces vt me blande & miſericorditer ſuſciperent: potentes vt fortiter protegerent: ſapientes vt ad viam & per viam ducerent quæ ducit ad ciuitatem, quæ ducit ad ſalutem. *hactenus Bern.*

3. INSVPER ei tanta conſtantia donata eſt, vt vinctus catenis duabus ea frueretur animi tranquillitate, quod mortis periculo contempto ſecurus inter milites dormiret, quod aduertens *Chryſoſtom.* ſic ait, Chryſ. ho. 8. ad Eph.
Si mihi eligendi daretur optio è duobus, an me Petrum eſſe veſim vinctum, an angelum ſoluentem, certe huius dignitate poſthabita, licet tanta illa ſit, Petri eligerem perſonã, ſi aduertere velimus quam ex clauibus ei commiſſis nos homines reportauimus ſalutem & vtilitatem, cum ea tanto viro commiſſa ſit virtus vt ſerpentes immundaque animalia comedens illa ad tantam reduxerit puritatem, quod ſtatim recipienda eſſent in cœlum. In quo admiranda conuerſio hominum à Petro facta, declarata fuit, cui ea commiſſa ſunt vbi omnipotentia Dei oſtenditur in condonandis offenſis & remittendis peccatis. *hæc Chryſoſt*

4 OLIM in ſacerdotis pectore duodecim tribuum filiorum Iſrael nomina ſculpebantur, Ita modo tempore nouæ legis in Pontificis pectore cuncti debent eſſe inſculpti fideles, vt omnibus omnia fiat. Certe formidabile munus, *inquit Chryſ.* & importabile pondus. Et niſi illud à Domino accepiſſet Petrus, qui ad exequendum opus homini iniunctum dat virtutes multas, vt dicitur Pſal. 76. huic tanto oneri impar fuiſſet Petrus ferendo. Importabile onus dicebat Iethro ſuſcepiſſe Moyſen, Exod. 18. cum toti Iudæorũ populo vnus præficeretur, illeque clamat ſe tantum onus ferre non poſſe, cum tamen

Digitized by Google

populus ille in vnum collectus monentē, corripientem, obsecrantem, minantem audire poterat. Quale quæso onus, quantus labor vniuersæ Ecclesiæ per orbē diffuse vnum Petrum præesse? *Bern.* scribens

Bernar. epist. 26. & 1237.

Cardinalibus qui Eugenium monachum & abbatem Cisterciensis ordinis in Papam elegerant, sic ait, Ignoscat vobis Deus quod sepultum hominem reuocastis ad homines fugientem curas curis denuo implicuistis. Currebat bene quod vobis visum est sopire vias eius? Elegerat abiectus esse in Domo Dei sui, ipsum vos in Dominum omnium elegistis. Nisi Dominus supponat manum suā, heu necesse est vt obruatur & opprimatur onere nimio, quod vel ipsis quoque angelicis humeris formidabile videatur. Ipsi vero electo Eugenio inter multa dicebat, *Ascendisti in altum*, time ne forte contingat sero emittere miserabilem illam vocem, A *facie indignationis tuæ eleuans allisisti me*. Eximia quidem res est fateor caput esse Ecclesiæ, Sed non minus metuendū illud quod innumeris subiiciatur periculis, & dignitas hæc, quia multas postulat virtutes formidanda multum. *hæc Bern.* Nihil enim difficilius, *teste Hieron* quam animas saluare, quæ errorum suorum tenebris inuolutæ, & multis infirmitatib. subiectæ in proprium ruunt interitum nisi aliunde fuerint adiutæ.

5. BALBVTIEBAT Ieremias, indignum atque inidoneum se reputans eo munere ad quod eligebatur. Sed audita à Domino *noli timere, ad omnia ad quæ mittam te ibis*, & tali officio ac tanto dignum atque idoneum ministrum te reddam. Sic Petrus cum ad ecclesiæ regimen & supremam dignitatem vocaretur à Domino, eximiam accepit virtutem, sapientiam eloquentiam, constantiam, animi fortitudinem, qua omnia deuicit incommoda. Et quidem si humanam naturam in Petro consideres, *ait Antoninus* audias necesse est. Minuisti eū paulo minus ab angelis. Sed qua parte vniuersam ecclesiam habet sibi subditam, illis merito præferendus videtur; Angelis enim singulis singulæ personæ sunt creditæ, Archangelis familiæ & ciuitates, Principatibus regna & prouinciæ, sed nulli Angelo totius orbis cura est commissa: Dignitas hæc inter mortales Petro seruata, primum fuit. Angeli nostra quidem agunt negotia precibus, consiliis minis & rationibus nos ad Deum manu ducere nitentes, Petrus autem potestate sibi tradita, qua angeli donati non sunt, & offensas condonat, & thesauri Ecclesiæ dispensator effectus, merita & satisfactiones Christi per indulgentias & sacramēta nobis in bonum nostrum applicat. Cumque Dominus clauigerum cœli fecerit Petrum, duas illi contulit claues, scientiæ & potentiæ, vt sciret omnia quæ ad regimen ecclesiæ pertinebant in rebus fidei & morū, ita vt quæ diuisa miramur in *Basilio, Hieronymo, Augustino, Thoma*, innumerisque aliis, qui irrigui merito dicuntur fluuii è paradiso egressi, simul omnia in vno congesta sunt Petro, cui datum est præ cæteris eminenter nouisse mysteria regni Dei. Data est illi etiam potestas seu clauis potentiæ qua cuncta hæc ob concreditum sibi thesaurum executioni mandaret, quippe qui generalis Ducis consecutus sit officium. Et qui claues in manu Petri posuit, rectū illarum vsum ei etiam concessit. Fateor si ignauo hæc committeretur cura, & ipse periret, & eius causa multi *hæc ille*.

6. TEMPORE Neronis Romæ erant Petrus & Paulus doctores Christianorum eximii, operibus sublimes, magisterio clari: qui virtute operum suorum Imperatorem sibi fecerant aduersum, eo quod Simon Magus suis delinimentis animum eius sibi conciliauerat: Cui & adiumentū victoriæ, & subiectiones gentium, & vitæ longæuitatem, & salutis custodiam feralibus artibus polliceretur, quæ & ille credebat qui vim rerum nesciret examinare. Quapropter & summum apud illū tenebat amicitiæ locum, quandoquidem etiam præsulem suæ salutis vitæq; custodiam arbitrabatur. Sed vbi Petrus eius

vanitates, & flagitia detexit, & species illum rerum mentiri, non solidum aliquid aut verum efficere, demonstrauit, idque non solum verbo, sed & opere patefecit, summam Imperatoris inuidiam & odium Petrus incurrit. Huius autem odii causa erat ista; Iactabat hic Magus quod & mortuos suscitaret: Defunctus erat id tēporis Romæ adolescens nobilis, propinquus Cæsaris, cū vniuersorum dolore. Admouere pler que experiendum, vtrum posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus, sed apud gentiles nulla facti huiusmodi deferebatur fides. Dolor exegit remedium, perrectū est ad Petrum. Fuere qui etiam Simonem accersendum putarent, vt vterque affuerint. Ait Petrus Simoni, qui se de sua iactaret potentia, priores sese partes dare, vt si posset mortuum resuscitaret. Si ille non resuscitaret, se non defuturum, vt Christus opem ferret defuncto, quo posset resurgere. Simon qui putaret apud vrbem gentilium plurimum suas valituras artes, conditionem proposuit, vt si ipse resuscitasset mortuū, Petrus occideretur, qui magnæ potentiæ (sic enim appellabatur) lacessendo iniurias irrogauisset: si vero præualuisset Petrus; in Simonem pari genere vindicaretur. Acquieuit Petrus: adorsus est Simon. Accessit ad lectulum defuncti, incantare atque immurmurare dira carmina vt cœpit, visus est caput agitare qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quod iam viueret quod loqueretur cum Simone. Ira & indignatio in Petrum quod ausus esset conferre sese tātæ potestati. Sanctus apostolus poposcit silentium, & dixit, Si viuit defunctus, loquatur, si resuscitatus est, surgat ambulet, pabuletur: phantasma illud esse non veritatem, quod videatur caput mouisse. Deniq; separetur, inquit, Simon à lectulo, & tunc ne id quidem ostentui futurum. Abducitur Simon à lectulo, manet sine specie motus alicuius qui mortuus erat.

7. ADSTITIT Petrus longius, & intra se orationi paululum intentus, cum magna voce ait, Adolescens surge, sanet te Dominus Iesus. Et statim surrexit adolescens, & locutus ambulauit, & cibū sumpsit, & dedit eum matri suæ. Qui cum rogaretur vt ab eo nō discederet, ait, Nō derelinquetur ab eo qui eum fecit resurgere cuius nos serui sumus, & cum populus in Simonem insurgeret vt lapidaretur, ait Petrus, Satis est ad pœnam eius quod cognoscit suas artes non valere, viuat, & Christi regnum crescere videat vel inuitus.

Torquetur Magus Apostoli gloria, & se vrbem quam tueri solet, relicturum minatur. Diem statuit, pollicetur volatū quo supernis sedibus inueheretur, cui quando vellet, cœlū pateret. Conscendit statuto die mōtem Capitolinum, ac se de rupe deiicens, volare cœpit. Mirari populus ac venerari plerique dicentes Dei esse potentiam non hominis, qui cum corpore volitaret, nihil tale fecisse Christum. Tunc Petrus in medio stans ait, Iesu Domine ostende ei vanas artes suas esse, ne hac specie populus iste qui crediturus est, decipiatur. Decidat Domine sic tamen vt nihil se potuisse viuens recognoscat, & statim in voce Petri, implicatis remigiis alarum quas sumpserat, corruit, nec exanimatus est, sed fracto debilitatoque crure Aritiam concessit, atque ibi mortuus est.

8. QVO comperto, deceptum se Nero & destitutum dolens, tanti casum amici, sublatumque sibi virum vtilem & necessarium Reipublicæ indignatus, quærere cœpit causas quibus Petrum occideret. Et iam tempus aderat quo sancti vocarentur apostoli Petrus & Paulus. Et dato vt cō-prehenderetur præcepto, rogabatur Petrus vt paulisper secederet, & alio sese cō-ferret. Resistebat ille, dicens nequaquā se facturum, vt tanquam metu mortis territus cederet, bonum esse pro Christo pati, qui pro omnibus se morti obtulisset, non mortem illā sed immortalitatem futurā, indignū vt ipse fugeret passionē sui corporis, qui multos doctrina sua induxisset

Ambr. lib. 5. epist. de Basi. tradendo. I.

se ho-

Digitized by Google

se hostias pro Christo offerre, debere sibi secundum Domini vocem, vt & ipse in passione sua Christo gloriam atq; honorem daret. Hæc & alia Petrus obtexere, sed plebs lachrymans, querens ne se relinqueret. & fluctuantem inter procellas gētilium destitueret, victus fletibus Petrus, promisit se vrbem egressurum. Proxima nocte salutatis fratrib. & celebrata oratione proficisci solus cœpit, vbi ventum est ad portam videt sibi Christum occurrere, & adorans eum dixit, Domine quo vadis? In cuius rei memoriam extat adhuc Romæ extra portam Appiam, erectum sacellum, quod vulgo appellatur, Domine quo vadis? Cui Christus, Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quod eam Christus passurus videretur, qui patitur in singulis, non vtique corporis dolore, sed quadam misericordiæ passione aut gloriç celebritate. Et cōuersus in vrbem rediit, captusq; à persecutoribus Cruci adiudicatus poposcit vt inuersis vestigiis cruci affigeretur, quod indignus esset qui simili modo crucifigeretur vt passus est Dei filius. Contigerunt hæc anno à Christo Domino sexagesimo nono, Neronis vero 13. Passi sunt Romæ Petrus & Paulus, eodem die & anno, vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis, & vbi gentilium Principes dominabantur, illic Ecclesiarū Principes principatum obtinerent. De Paulo id vero naratur, *inquit Ambr.* quod cum ceruicē eius persecutor gladio percussisset, inde fluxisse dicitur lactis magis vnda quam sanguinis. Quę quidem res in S. Paulo stupenda non est: Quid enim mirum si abundet lacte nutritor Ecclesiæ, qui dicit 1. Cor. 2. *Lac vobis potum dedi.* Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est? non lacte candidior? *hæc Ambrosius.*

.

III. Dequibusdam actis & laude Pauli Apostoli. Chrysost. ho. 4. ad Phil.

1. De Paulo scriptum legimus Act 9. *vas electionis est mihi iste vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israel.* Orbi vniuerso virum hunc in lucem exhibuit Dominus, *inquit Chrysost.* vt totum mundum ex profundo erroris extraheret, & in tenebris sedentes in lucem produceret, & viam in cœlum ferentem aperiret, & supernam ciuitatem ostenderet. Et dic quæso, *inquit,* cur vocatur Paulus vas electionis? nempe quia legis & sanctarum scripturarum scrinium & armarium est: qui vocatus à Domino, instar vasis pleni, effusus est super faciem vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium de Hierosolymis vsq; ad Illiricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, sed in Hispanias vsque tenderet, & Oceano vsq; ad Oceanum curreret, vt ante eum deficeret terra quam studium prædicandi: Quasi enim vniuersum mundum ipse genuisset, & omniū pater esset, sic omnes ad fidem conuertere & in regnum Dei inducere festinabat, nunc docendo, nunc pro ipsis orando, aliquando Epistolis instruendo, aliquando præsentia sermocinando, nunc per discipulos, nunc per seipsum conabatur erigere labentes, stantes vero firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare. *Factus sum,* inquit, *Iudæis tanquam Iudæus, his qui sub lege erant, tanquam sub lege essem, factus sum infirmis infirmus, omnibus omnia factus sum vt omnes facerem saluos,* 1. Corinth. 9. 1. Cor. 9.

2. Qvinimo & catenis ligatus & in carcere constitutus verbum Dei annunciabat, & captiuantes eum sermone capiebat, vt multis hinc credentibus, atque omnibus coronatus iret ad Christum, vnde & discipuli eius maiorē hinc fiduciam concipiebant, ita vt *vt plures è fratribus confidentes vinculis meis,* inquit ad Philipp. *abundantius auderent sine timore verbum*

Dei loqui: Magis, inquit modo quam cum essem liber à vinculis fiducialiter prædicant: Tanquam si Dux militiæ fuerit fortis & robustus non modo cædens atque prosternēs, verumetiam vulnere accepto hosti non cedat, sed audentius in hostes irruat, milites suos per hoc efficiat fortiores. Sic & Paulus ait, *Alligatus sum sed verbum Dei non est alligatum*, vnde cū vinctus Cæsarem appellat volens de periculis liberari, nequaq̄ putes verbum esse formidinis, *inquit Chrysost.* qui enim gemebat in hac se esse vita, quo tandem pacto hæc præsentia diligebat vt propterea Cęsarem appellaret, qui iis frui posset? Cuius igitur gratia hæc faciebat? Proculdubio vt diutius prædicationi insisteret, metuens ne pauper hæc præmia amitteret, & inops multorum salutis abscederet, & hinc migraret. Etenim non paruum illi præmium vrbis Romæ conuersio proponebatur, *inquit Chrys.* qui velut spiritus totum terrarum orbem percurrit, vt ministerium suum adimpleret.

2. Tim. 2.

Act. 25.

Chrys. ho. 7. de laud. Pauli.

3 NEQVE vero hoc solum in illo mirabile est, quod prę abundantia dilectionis quodammodo non sensit dolores & labores pro mundi conuersione susceptos, sed etiam quod in periculis, iniuriis, & opprobriis posit⁹ exultat. Sic enim ait 2. Cor. 12. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, cum enim infirmor tunc potens sum.* Itaq; cum inter medias inimicorum versaretur insidias, & vbiq; cęsus verberibus, affectus iniuriis & maledictis, quasi triūphales pompas ageret, crebra trophæa strueret, gratias Deo referebat dicens, *Deo autem gratias qui semper triumphat nos.* Itaq; ad confusionem & iniurias, quas ob prædicādi studium sustinebat, magis quā ad bonorum delectamenta properabat, mortem potius quam vitam appetēs, paupertatem quam opulentiam, & multo amplius laborem desiderans, quam alij requiem post laborem, studiosius pro inimicis orans, quam alij aduersus inimicos, qui nihil aliud illi desiderabile erat, nisi placere Deo semper. Hinc nihil præsentium desiderabat, non pecunias, non honores, non vrbes, non prouincias, non sceptra, non regna, hæc enim ille quasi lutum reputabat, & omnia arbitrabatur vt stercora vt Christum lucrificaret. Tyrannos vero ipsos, ac populos furorem spirantes, velut esse quosdam culices existimabat, *inquit Chrys.* mortem deniq; & cruciatus & mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorū, dummodo propter Christū aliquid sustineret, cuius amore omnia facere & pati paratus erat, vnicū enim quod quærebat, hoc erat vt Christi amore frui posset: cum hoc beatiorem se cunctis putabat, quia nihil suauius, nihil violentius amore Christi: Cum hoc amore magis eligebat abiectus esse in domo Domini, quā sine eo habitare in tabernaculis peccatorum aut in palatiis Regum. Hac caritate destitui, hoc amore non frui, hoc erat illi maximum tormentum, hæc illi erat gehenna, hæc sola pœna: sicut è diuerso hac caritate perfrui, hoc illi vita, hoc regnum, hoc bona ei videbantur innumera. *sic Chrysost.*

2. Cor. 2.

Chrys. ho. 2. de laud. Pauli.

4 ET quæ lingua inquit idem, laudibus Pauli inuenietur æqualis? cū omnia quæ sunt hominibus bona, vna anima Pauli possidere videatur, & ea cuncta plene atq; cumulate, quæ non solum hominū sunt, sed quod amplius est etiam angelorum. Siue enim prophetæ aliquid mirabile in se ostenderint, siue Patriarchæ, siue apostoli, siue martyres, siue virgines, hæc omnia simul colligens Paulus habet cum tanto cumulo, cum quāto nullus eorum, bonum quo excellebat impleuit. Ostendamus ergo eum omnium bona possidētem. Et imprimis Moysen satis eminenti virtute transcendit Paulus, cuius inter multa præclara, illud est fastigium meritorum, quod pro Iudæorum salute delegerit deleri ex libro vitæ, *Exodi* 32. Sed Moyses cum cæteris elegit perire, Paulus pro cæteris, Non enim cum pereuntibus perire voluit sed vt saluarentur alij, ipse de glorię æternitate decidere: Sic n. ait ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo*

Chrys. ho. 1. de laude Pauli.

Chriſto pro fratribus meis. Et Moyſes quidem pro vna gente, Paulus pro vniuerſo orbe certauit. Vocemus & Eliam in comparationem qui erat lucerna ardens & lucens zelans pro domo Domini. Et quis amplius, imo quis ita vt Paul. hæc vtraq; compleuit? qui inter cætera dicit, *Quis nos ſeparabit à caritate Dei? an tribulatio? an gladius? Certus ſum quod neq; tribulatio, neque mors, neq; vita poterit nos ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Sed nullus ſermonis noſtri accuſet audaciam, *inquit Chryſ.* ſi Paulum etiam angelis comparemus. Quid ergo in angelis magnificum prædicamus? profectò quod videant myſteria Dei quæ non liceat homini loqui, quod cum omni diligentia obediant
Pſal. 103. Deo, ſic enim de iis teſtatur Dauid, *Potentes virtute facientes verbum illius.* Huic enim bono æquale eſt nihil. Hoc autem & in Paulo plene aduerti poteſt, qui & ipſe vidit myſteria Dei, & totum percurrit orbem vt ſuum adimpleret miniſterium.

Orige. ho. 25. in Luc. Sed hic obſeruandum quod *Origen.* notauit explicans illa verba apoſtoli 2. Cor. 12. *Timeo ne quis de me cogitet ſuper id quod videt in me aut audit ex me.* Nolebat Paulus, *inquit*, omnia de ſe iudicare quæ norat; ne quis de eo plus arbitraretur quam cerneret, & menſuram honoris & amoris erga illum excederet. Habet periculum & dilectio ſi modum tranſeat: debet enim qui aliquem diligit naturas & cauſas conſiderare dilecti, & non plus diligere quam meretur. Nam ſi menſuram caritatis modumq; tranſcenderit, & qui diligit & qui diligitur in peccato erunt. Nonnulli in tantam proruperant audaciam vt noua quædam & inaudita ſuper Paulo monſtra confingerent, dicentes quod Paulus ſederet ad dexteram Saluatoris: Alij hoc quod dicitur, *mittam vobis alium paracletum,* de Paulo id dictum volunt. Figmenta ſunt hæc hominum qui plus amantes Paulum quam expedit, dilectionis perdiderunt menſuram,
Hæc Origen.

IV. Cur portę inferi non poſſint præualere aduerſus Eccleſiam

1. PORTÆ inferi per quas ad inferna intramus ſunt dæmones, Tyranni Eccleſiam perſequentes, hæreſiarchæ, & vnumquodq; peccatum per quod deſcenditur ad inferos, *inquit Origen.* explicans hunc locum, v. g. vna porta dicitur fornicatio, per quam omnes fornicatores ingrediuntur in tartara: alia porta eſt hæreſis qua qui infectus eſt deſcendit ad orcũ: porta mortis iniquitas & inſipientia: porta vitæ æternæ æquitas & ſapientia: violentia tyrannorum Eccleſiam perſequentium eſt porta inferi, cui qui cedit & metu mortis fidem negat, in infernum intrat. A quam multis oppugnata eſt Eccleſia, nec vnquam tamen victa: quot Tyranni oppugnarunt recentem ac teneram, & non deiecerunt eam. Iactatur quidem arca Noe & nauis Petri vndis aquarum & tempeſtatibus fluctuum, dum variis tentationibus, tribulationibus, perſecutionibus probatur, ſed non mergitur. Poterat quidem & in tranquillo nauigare, verum non paſſus eſt gubernator Chriſtus quo ſimul & gubernatoris prudentiã pleniꝰ cognoſcas: Inter ipſos. n. turbines mũdi, inter ipſas ſeculi perſecutiones plus virtutis ac gloriç acquirit, dum in fide firma permanet. In cuius rei ſignum arcæ ligna bitumine glutinabantur intrinſecus & extrinſecus, vt in compage vnitatis ſignificetur tolerantia & vis caritatis, ne ſcandalis Eccleſiam tentantibus, ſiue ab eis qui intus ſunt, ſiue ab eis qui foris ſunt, cedat fraterna iunctura, & ſoluatur vinculum pacis. Eſt enim bitumen fortiſſimum & violentiſſimum glutẽ, & ſignificãs dilectionis vim ad tenendam ſpiritalis ſocietatis compagem. *hæc Auguſt.*

Chryſ. ho. 14. in c. 6. Iſai.

Aug. li. 12. cõ. Fauſt. tom. 6.

2 NAVIS hęc in ſalo mundi huius conſtituta crebris ventorum motibus & tentationum procellis agitatur, ſed naufragium nunquam patitur, *inquit Ambr. lib. de Salomo. cap 3. tom* 1. quia in arbore eius, id eſt, in cruce erigitur Chriſtus, in puppi pa-

pi pa-

pi pater reſidet gubernator, proram paracletus ſeruat ſpiritus. Et nihilominus etiam hodie merito clamat ſancta Eccleſia, *teſte Bernardo ſermo. ad paſtores*, *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Multa eſt hodie & longe grauior, *inquit*, quam credi poſſit, perſecutio ſanctæ Eccleſiæ, & talis incumbit qualis à principio nō fuit. Multis modis eam perſecutus eſt diabolus, ſed nunquam grauius quam hodie: quia nunquam fuit maior perditio Chriſtianorum, nec liberior aut ſecurior transgreſſio diuinorum præceptorum. Eccleſiam incipientem, perſecutus eſt per tyrannos, proficientem perſecutus eſt per hæreticos, inter quos Arrius archipirata hanc Petri nauem ſæpius intercipere & ſpoliare conatus eſt, ſed eum ex illa erectum mare abſorbuit; iam lætam & florentem perſequitur per motus illicitos. Fuit ergo amaritudo Eccleſiæ amara quidem in perſecutione Tyrannorum, ſed amarior in verſutia hæreticorum, ſed amariſſima hodie per prauitatem morum & deſideriorum. Pacem habet Eccleſia apud extraneos, ſed filij nequam, filij ſcelerati ſæuiunt in ea qui propriam matrem euiſcerant: Pacem vbique habet exteriorem, ſed interiorum in paucis: ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias: Spina eſt vicinus malus, domeſticus malus, quem ſi contrectare volueris, vide ne lædaris & configaris, non quidem ſecundum carnem, ſed ſecundum animam & per amarum amarulentus fias, vigilate iuſti, quia quanto proximiorem finem mundi diabolus proſpicit, tanto crudelius contra chriſtianos ſæuit, & qui cito damnandum ſe cognoſcit plures ſibi in pœna multiplicat, cum quibus vtiq; ſine fine crucietur. *Hæc fere Bernardus.*

Pars IV.

DE ECCLESIA.

Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.

Matth. 16.

I. *Quid requiratur ad hoc vt quis dicatur eſſe in Chriſti Eccleſia.*

II. *An viſibilis ſit vera Chriſti Eccleſia.*

III. *De reliquis notis ſeu ſignis Eccleſiæ.*

ARTI. I. Quid requiratur ad hoc vt quis dicatur eſſe in Chriſti Eccleſia.

1. NOn admodum intereſſet quænam Eccleſiæ conſtituenda foret ratio, niſi ad eius vnitatem pertinere in eaq; eſſe & communicare, res eſſet ad ſalutem pernéceſſaria: vt enim extra arcam Noe, diluuio interire neceſſe erat, qui in ea nō ſaluaretur; Ita extra Eccleſiam conſtitutos ſeculi huius fluctibus inuolui, & perire certo conſtat: Chriſtus enim ſaluator non eſt niſi corporis ſui, teſte Paulo, Eccleſia vero Chriſti corpus eſt: Sic enim Paulus loquitur ad Epheſios cap. 4. *Creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſq; membri augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate*, quaſi dicat ſicut in corpore humano mēbrum membro in ſuis iuncturis per venas & arterias nectitur, vt digitus manui, manus brachio, brachium ſcapulis, ſcapulæ collo, collum capiti, imo & ipſe digitus capiti ſed cæteris interiectis, à quo ſi ſeparatur non viuificatur, nec creſcit ſed marceſſit: Ita totum corpus, id eſt, tota Eccleſia, ex capite Chriſto eſt compactum: hoc eſt, vnitate fidei coniunctum & amore fraternitatis connexum, ita vt

ſingula membra & inuicem ſibi & etiam capiti Chriſto adhæreant, quia in eccleſia Chriſti & ſimplex populus ſeu oues ſuum ſequuntur paſtorem eique adhęrēt, paſtores cohærent ſuis decanis decani epiſcopis, epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Primatibus, Primates Romano Pontifici tanquā Chriſti Vicario, & Pontifex Chriſto, tanquā ſupremo capiti quaſi dicat totum corpus viuificat & regit: In qua connexione dum vnumquodq; mēbrum operatur ſecundum ſuum modum creſcit ad menſuram quantitatis ſuæ: vnicuique enim noſtrum data eſt gratia ſecundum menſurā donationis Chriſti. Nec poſſet conſtare tanta concordia, niſi eam efficeret vnus ſpiritus, & vnus Chriſtus & vnus Deus. Hinc Paulus ad Epheſios ait. *Obſecro vos ego vinctus in Domino vt digni ambuletis vocatione qua vocati eſtis ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: vnum corpus & vnus ſpiritus vnus Dominus, vna fides, vnus Deus & pater omnium, vnum baptiſma.*

2. Ex hoc Pauli loco colligunt doctores eccleſiæ membra duplici nexu inuicem ſibi cohærere, videlicet interiori per fidem & fraternitatis amorem, vnde præcipue æſtimanda venit Chriſti eccleſia: & exteriori ſecundum viſibilem formam & ſacramentorum communionem. Vnde catechumeni quamuis credant, & ſocietatem chriſtianam ament, quamdiu per baptiſmi ianuam nō introierint, in eccleſia eſſe non cenſentur. vnde Victorinus rhetor cum iam ſtudioſiſſima ſanctā ſcripturam & omnes chriſtianas literas inueſtigaſſet, Simpliciano dicebat non palam ſed ſecretius & familiarius, Noueris me iā eſſe chriſtianum: Reſpondebat ille, Non credam nec deputabo te inter chriſtianos, niſi in eccleſia Chriſti te videro: Ille autem irridebat eum dicens, Ergone parietes faciunt chriſtianos? Sed poſteaquam legendo & inhiando hauſit firmitatem, timuitque negari à Chriſto coram angelis ſanctis, ſi eum timeret coram hominibus confiteri, ſubito ait Simpliciano, Eamus in Eccleſiam, chriſtianus volo fieri: At ille non capiens ſe præ lætitia, pertexit cum eo, vbi autem imbutus eſt primis inſtructionum ſacramētis, nō multo poſt etiam nomen dedit, vt per baptiſmū regeneraretur, *hac Auguſtin lib. 8. confeſſ. cap. 2.* Communi itaque lege ac ordinaria via per baptiſmum quod eſt ſacramentum fidei, ingreditur quis in Eccleſiam, iuxta illud Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum,* hoc eſt, in Eccleſiam. Quanquam fieri poſſit ex ſingulari Dei priuilegio vt adulti pœnitentes ex hac vita non ſuſcepto baptiſmi ſacramento migrantes, ante mortem inuiſibiliter inſerantur eccleſię militanti, vt ex ea tranſeant ad triumphantem. De circumciſione vero quæ populo Iudaico peculiariter fuit mandata, non idem eſt iudicium atque de baptiſmo, quia Iob & Melchiſedech, & cæteri extra populum Iudaicum, qui eorum fidem imitabantur vt eccleſiæ Dei insererentur circuncidi nō debebant, *teſte Auguſtino 18. de ciu. cap. 47.* eo quod eccleſia Dei etiam extra gentem Iudaicam tunc temporis inueniebatur.

3. PORRO gentiles, Iudæi, Turcę, hæretici, ſchiſmatici & excommunicati in eccleſia Chriſti nō ſunt, eo quod fide & chriſtianę ſocietatis amore deſtituti ſint: inter quos hæreticus vtroque nexu, & fide ſcilicet, & fraternitatis amore deſtituitur, ſchiſmaticus vero altero tantum, fide enim retenta, amore fraternitatis caret, & ideo hæreſis ſchiſmate peior eſt: & exitialis magis eorum hæreſis eſt, qui per plures articulos fidem corrumpunt, quam eorum qui in vno tantum id faciunt: quare quam qui vel in vno fidei articulo deficit pertinaciter, dicendus ſit non habere fidem, quia ſanitas cum peſte, mors cum vita iuſtitia cum peccato mortali nō poteſt ſalua conſiſtere, neque enim dicendus eſt eſſe continens qui accedit vnam non ſuam, etiamſi abſtineat ab aliis, Ita nec fides poteſt haberi incolumis cum hæreſi, etiamſi talis hæreticus cæteros fidei articu-

los suscipiat & credere videatur. Qui in euangelio quod vult credit inquit August. *lib* 17.*ca*.3.*con. Faust.* & quod non vult, non credit, sibi potius quam Euangelio credit: Et Tertul. *cap.6. de præscript. hæret.* Hæreticus, *inquit*, de suo arbitrio eligit quod credere vult, & quod non vult reiicit. Nobis vero ex arbitrio nostro indulgere nihil licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini auctores habemus, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo fidei regulam fideliter nationibus assignauerunt. *hac. Tertul.* Hic tamen inter hæreticos recenseri nō debent qui aut simpliciter errant vel dubitant, parati errorem corrigere, vel dubiam opinionem deponere vbi meliori instructione veritas patefacta fuerit: sic August. *lib.1. con. Dona. cap.16.* Si tamen pertinaciter dubitent, vt iis, etiam quæ iam ab Ecclesia, tanquam quæ fidei sint, definita sunt, credere nolint, sed etiamnum de hisce dubitent eaque tanquam incerta habeant, hæretici censendi sunt, quia quæ fidei sunt, existimant non esse fidei, dum Ecclesiæ definitioni acquiescere nolunt. De sic dubitantibus vera est illa communis & trita sententia, Dubius in fide est infidelis. Proinde nec tales in Ecclesia sunt reponendi, aut pro Ecclesiæ filiis habendi. Possunt quidem cum reliquis Christi fidelibus conuersari, sacramenta percipere & administrare diuino cultui interesse, missas & conciones sicut cæteri audire, & hactenus Ecclesiæ membra esse, censeri, dum exteriori isto vinculo, & externa sacramentorum participatione cæteris fidelibus colligari videntur, sed quia interno nexu, & fide nimirum & fraternitatis amore destituti sunt, sic sunt in Ecclesia, tanquam si præcisum sub vestis continuatione lateat brachium quod corpori adhærere putatur.

4. Excommunicati iusta excommunicatione ac legitimo modo licet fidem retineant, atq; animo ac desiderio intus sint, neq; enim Ecclesiasticam societatem oderunt, aut eam propria sponte deseruerunt, id quod hæretici & schismatici faciunt, tamen in Ecclesia non sunt, sed ab ecclesiastica societate foras pelluntur etiã inuiti, ab iis qd faciendi potestatẽ habent, sicut putrida humani corporis membra præciduntur ne cætera corrumpantur. Et non solum ab externa fidelium societate separantur & eiiciuntur, verumetiam spiritualibus præsidiis, vtpote Ecclesiæ precibus & suffragiis & sacramentorum vsu priuantur, & ipsis dæmonibus exponuntur. Hinc excommunicatio si iusta sit, grauissima pœna, & damnationis inchoatio, in quaspeciem quoddam separationis sit æternæ, censetur: quos enim Episcopus pro suis ouibus non agnoscit, eos nec Christus agnoscit, quia scriptum est Matth.18. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: amen dico vobis quæcumque ligaueritis super terram erunt ligata & in cœlis.* Atque huiusmodi homines praui, licet meritorum Ecclesiæ non essent capaces etiam antequam excommunicati essent, tamen tutius hærebant in corpore, quam separati ab eodem & plus subsidii consequebantur aduersus hostes inuisibiles, dum precibus aliorum iuuantur & defenduntur, quibus priuantur dum excommunicantur.

5. Improbi vero christiani qui ex animo adhuc catholici sunt hæresesque & schismata detestantur, suosq; pastores agnoscunt, & fraternam societatem amant, licet alioquin improbæ & scandalosæ sint vitę, censendi sunt esse in Ecclesia, non solum externa conuersatione, quomodo & athei sunt in ecclesia: neque solum externa sacramentorum participatione, quo modo & occulti hæretici possunt esse in ecclesia priusquam se manifesto dissidio abruperint à cæteris, sed interiori nexu societati adhærent, eandem enim tenent fidem, colendiq; Deum rationem, eundem habent cum bonis concordiæ spiritum, & per huiusmodi nexum interiorem suffragiorum ecclesiæ participes sunt, vitales motus

motus aut pœnitentiæ, aut timoris Dei, aut pii affectus è capite Chriſto interdum hauriunt & percipiunt: Et hæc aliaq; huiuſmodi ex ordinario & vſitato proueniunt influxu capitis, cui adhuc fide & affectu bono cohæreat quæ in excommunicatis & nondum aduuatis tanquam extraordinarie ſingulari Dei miſericordia producuntur. Et idcirco quamdiu huiuſmodi improbi adhuc adhærent corpori eccleſiæ, nondũ ſunt deſperatæ ſalutis, qa licet in ſuis perſeuerent concupiſcentiis, tamen reſipiſcere proponunt priuſquam ex hac vita emigrent, quin & ſubinde ingemiſcunt quod Deo vt oportet non ſeruiant, ad quem licet dorſum habeant obuerſum, ſæpe tamen illum tãquam retorto collo aſpicere conantur, *inquit Auguſt.* Interim corpori eccleſiæ inhærent, ſicut palmites non ferentes fructum ſunt in vite, tollendi ſuo tempore & in ignem mittendi, iuxta illud Ioan. 15. *Omnem palmitẽ in me non ferentem fructum, tollet eum*, niſi conuerſi pœnitentiam egerint, & radici charitatis, quæ eſt vera animæ vita nos Deo iungens, inſerti fuerint.

6. Nec obſtat quo minus improbi & malæ vitæ chriſtiani ſint in eccleſia, quod ea dicatur & ſit ſancta, eo quod ſanctum variis dicatur modis, vno modo dicitur quippiam ſanctum quod eſt Deo conſecratum: ſic eccleſia dicitur ſancta, quia per baptiſmum Deo conſecrata ac dedicata, ac indeſinenter ei ſeruiendum. Alio modo id ſanctum dicitur quod eſt purum & mundum, inquinantur enim præſtantiora dum vilioribus permiſcentur, vt ſi argẽtum commiſceas plumbo, impurum efficitur. Humanus animus ſi Deo tanquam præſtantiori amore iungitur, inde ſuam nobilitatem, præſtantiam, dignitatem, ſanctitatem & puritatem haurit, ſed ſi reb. terrenis inhæſerit vtpote ſe vilioribus, inde maculas contrahit & immundus fit. Etiam hoc modo Eccleſia dicitur ſancta, partim reipſa, vt in perfectiorib. qui Deo adhærent ſegregati à mundi inquinamentis: partim voto & profeſſione: adhoc enim inſtitutis vtitur ſacramentis & ſacrificiis vt per peccatorum remiſſionem & ſordium ablutionem ad veram animæ perueniat puritatem & ſanctitatem: Sicut vniuerſitas aliqua dicitur erudita non quod omnes in ea ſint docti ſed præcipui, & quia ſolida illic doctrina traditur, taleſque exercitationes fiunt è quibus ad veram eruditionem multi perueniant. Sunt quidem in Eccleſia plurimi mali qui ſi ſeorſim conſiderentur non poſſunt dici ſancti, quatenus tamen bonis adhærent atque ex vtriſque vna ſocietas efficitur, recte appellantur etiam ipſi ſancti: ſicut fortis dicitur exercitus in quo imbecilles robuſtioribus iuncti quodam modo etiam ipſi fortes fiunt, vt appelletur ſancta Eccleſia non à parte maiore, ſed meliori ſeu potiori, ſicut ciuitas dicitur æqua, prudens & ſapiens, ſi magiſtratus ſit talis.

II. An Eccleſia ſit viſibilis.

1. IAM vlterius vidẽdum quomodo verá Chriſti Eccleſia dinoſci & quibus ſignis à cęteris infidelium cœtibus & hæreticorum atque ſchiſmaticorum conuenticulis diſtingui valeat, vt eam quis tuto adire poſſit; niſi enim videatur, dinoſcatur, & à cæteris infidelium & hæreticorum turbis diſcernatur, neſciet quis an Chriſti Eccleſiam, an aliam ſocietatem ingreſſus fuerit. Dicimus itaque Eccleſiam eſſe viſibilem, non ſolum quia cerni poteſt animo & oculis fidei, quia ſic & hæretici fatentur eam cerni poſſe dum mente & intellectu concipiunt Eccleſiam, eſſe, ſed quænam illa ſit aut vbi, dicunt demonſtrari non poſſe: ſed catholici defendunt eam viſibilem quæ etiam oculis corporeis videri & demonſtrari poſſit, adhibito tamen rationis iudicio & mentis diſcretione, qua res quæ videri dicitur, quod ipſa ſit certa animi perſuaſione teneatur. Nam ſi quis cœtum fidelium qui dicitur eccleſia, oculis carnis ita videat, ſicut pecus videt ſolẽ, aut ſicut ego video regẽ quẽ non ſcio eſſe regẽ, qui videlicet ex his quæ videt nõ agnoſcit quod ſit eccleſia,

cleſia, is non magis dicendus eſt vidiſſe aut videre eccleſiam, quam ſi cuius ſub aſpectum incognitus vrſus cadat, ſe vrſum vidiſſe dicere queat, quia tametſi vrſum viderit nō tamen eum ſub vrſi ratione cōſpexit. Quo fit vt etiam nemo ſe prædeſtinatum vidiſſe dicat et ſi viderit eum qui prædeſtinatus eſt, quia non vidit eum ſub ratione prædeſtinati, hoc eſt, quatenus certa ſigna ſuæ prædeſtinationis præ ſe fert, quia multi ſunt prædeſtinati in quib. nulla apparent ſuæ prædeſtinationis indicia, vt qui adhuc perſequūtur eccleſiam, ſicut Paulus ante conuerſionem: & qui iam iuſtus eſt, licet indicia pręſe ferat ſuę electionis, quia declinat à malo & facit
2. Pet. 1. bonum, iuxta illud Petri, *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*, Tamen inde certo ſtatuere non poſſumus, licet probabiliter colligere valeamus, eum eſſe de numero prædeſtinatorum, cōtingit enim idque non raro, vt qui bene cœpit, male ſuam vitam finiat. Hinc recte dicitur cœtus prædeſtinatorum inuiſibilis, & incognitus.

2. At Chriſti eccleſia viſibilis dicitur, quæ & audiri & adiri, & veluti digito demonſtrari poteſt omni tempore & in omni loco, in antris, in ſyluis, in carceribus licet conſtituta ſit, vtpote in ſuis fortiſſimis ipſa ſuæ fidei confeſſione & patientiæ ſplendore conſpicua & manifeſta, vt loquitur *Hilarius*, quæque ſuis proprietatibus & certis ſignis diſtingui poſſit à cæteris hæreticorum & ſchiſmaticorum conuenticulis & infidelium turbis, ita vt certa fide credere debeamus non ſolum in genere eſſe eccleſiam, ſed hunc cœtum hominum in quo huiuſmodi ſigna eccleſiæ propria conſpicio, eſſe veram Chriſti eccleſiam. Signa autem, è quibus dinoſcitur eccleſia, ſunt, quod ſit vna, quod ſit ſancta quod ſit catholica, quod ſit & apoſtolica: quæ ſic eſt reperire in eccleſia, vt ea in nulla congregatione alia ſiue hæreticorum, ſiue Iudæorum, ſiue Turcarum, ſiue infidelium, cernere poſſis. Eſt tamen difficultas quomodo eccleſia in hiſce ſuis notis ſeu ſignis, conſpiciatur, cum & ipſæ notæ ſint inuiſibiles, quippe quæ credūtur magis quam videantur. Quod enim apoſtolica ſit, nō videtur ſed ex ſcriptura ſacra vel traditione creditur: Rurſū quod ſit ſancta, ꝙ ſit vna, quod ſit catholica, ea non ſubiciūtur oculis, ſed in ſcripturis ſanctis aut hiſtoriis ſacris leguntur Eccleſiæ attributa: Et quæ leguntur præſertim ſi præterita ſint aut abſentia aut ſpiritualia potius creduntur quam quod oculis conſpiciantur. Dicendum quædam eſſe in Eccleſia quæ videntur, quædam quæ creduntur, videmus hunc cœtum hominum qui eſt Eccleſia: verum non ſufficit adhoc, vt viſibilis dicatur Eccleſia, ſed inſuper videtur iſte cœtus ſub ea ratione qua eſt Eccleſia. Ratio vero qua quis ſit membrum Eccleſiæ, & per quam cœtus aliquis eſt & dicitur Eccleſia, eſt interna fides qua quis in Chriſtum credit, & fraternitatis amor quo inuicem ſibi adhærent & ſeſe mutuo diligunt, verum vtrumque hoc inuiſibile eſt & fides & fraternitatis amor, ideo ea credimus: apparent tamen & viſibilia fiunt non quidem in ſe ſecundum propriam rationem ſui, ſed in ſuis ſignis, effectis & operibus, dum is qui fidem habet, eam profitetur baptiſmi & reliquorū ſacramentorum ſuſceptione, verbi diuini auditione, & qui fraternitatem amat inuicem ſibi & in mutuis orationibus, exhortationibus, inſtructionibus, eleemoſynis, & ſimilibus charitatis officiis ſuccurrunt atq; ſubueniunt. Et quanquā etiam occultus hæreticus huiuſmodi opera facere poſſit, poteſt enim & is baptiſmū & reliqua ſacramenta ſuſcipere, verbum Dei audire, miſſæ ſacrificio intereſſe, officiis charitatis incumbere, & ideo in ſola externa fidei profeſſione non poteſt conſtitui formalis ratio Eccleſiæ, niſi & huiuſmodi occultos hæreticos in Eccleſia eſſe velis: Tamen id quod ſimulatum eſt diu celari non poteſt, ſeipſum tandem aliquo indicio prodit, quod verum eſt autem atque ſyncerum, ſemper ſibi ſimile manet.

3. Itaqve ſicut Chriſtus in mortali carne & videbatur & credebatur, videbatur vt homo, & credebatur Deus: & deitas ipſa licet in ſe inuiſibilis eſſet, tamen apparebat in ſuis operibus, in miraculis, in doctrina, in cordium & cogitationum inſpectione, & ſimilibus indiciis Deo propriis, vt propterea dixerit Ioannes,
1.epiſt. cap.8. *Quod fuit ab initio quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis*: Rurſum ſicut homo & viſibilis eſt ſecundum corporis formam, & inuiſibilis ſecundum animam quæ pertinet ad eius ſubſtantiam, quæ anima ſe prodit per certa indicia, dum hominem viuere, loqui, operari & ambulare facit: Sic eccleſia & eſt viſibilis ſecundum ritum & cœtum externum, & inuiſibilis eſt ſecundum internam fidem in corde latentẽ, per quam quis fit de eccleſia, quæ fides etiam ſe prodit per externa ſigna notaſque minime fallaces, per quas internoſci queat vera Chriſti eccleſia.

Et quamuis de ſingulis membris ſeorſim conſideratis mihi exploratum non ſit num fidem habeant, de ipſa tamen eccleſia nemini dubitare licet, quia quamuis vnus in fide aberrare poſſit, non tamen omnes ſimul, eo quod Chriſtus eccleſiam præſeruet, idque Petro promiſerit, *Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua.* Itaque ſicut *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, teſte Paulo, nõ quod oculis corporeis ea cernantur, ſed quia in ipſo, quod videtur, opere, ſeu in fabrica huius mũdi, ea ſui teſtimonia relinquunt & ita clare relucent, vt merito cognoſci poſſint & debeant ab omnibus, licet non omnes ea ex iis quę facta ſunt cognoſcãt: gentes enim quamuis Deum non cognouerint, cauſas tamen inueniendi Dei magnas & illuſtres habuerunt, & ideo ſunt inexcuſabiles: Sic plane in eccleſia Chriſti ea ſunt ſigna quæ ſi obſeruentur attẽtius, merito quis per ea credere debet, quod hæc ſocietas, in qua ſunt tales & tam illuſtres notæ, ſit vera Chriſti eccleſia, ita vt nemo in iudicio ſe excuſare poſſit, ſi dicat ſe Chriſti eccleſiam aut non nouiſſe aut non vidiſſe. Nam ſi oculos mentis circumferas, & hanc quæ Romana dicitur eccleſia cum reliquis cœtibus hæreticorum compares, eam ſolã eſſe catholicam ſeu vniuerſalem, tametſi non æque omnibus in locis conſpicuam, deprehendes, eandemque in religione fideque conſimili, ob quam vna dicitur inuenies: cum hæreſes neque eædem vbique ſint, & vbi ſunt pugnantiſſimis de fide ſententiis inter ſe diuiſæ ſint.

Et haud dubie eccleſiæ notas tum plenius multo cognoſcemus, ſi ad ea quę pręſentia ſunt præteritorum adiunxerimus lectionem ſiue ex ſcripturis ſanctis ſiue ex hiſtoriis ſacris, ſiue ex veterum monumẽtis: nam & quod ſic intelligi ac tanquam animi conſideratione palpari poteſt, id totum hoc loco ſub viſione comprehendimus: ſic enim loquitur Scriptura, Iſa. 60. *Leua in circuitu oculos tuos & vide, Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.*

4. Notæ igitur eccleſiæ & oculis obſeruantur & auribus: ſed quod eæ res quæ ſic obſeruantur notæ ac proprietates ſint eccleſiæ, hoc ex ſcripturis & ſymbolo apoſtolico creditur, ex quibus dicimus eccleſiam Chriſti debere eſſe Catholicam, Apoſtolicam, vnam & ſanctam: Ergo ea ſocietas, in qua has reperimus notas debet eſſe eccleſia. Itaque quæ ſint eccleſiæ proprietates & notæ, fide prius ex ſcripturis & ſymbolo accipimus: poſtea vero adhibita obſeruatione eccleſiam deprehendimus eſſe eam in qua illas notas videmus: perinde atque ſi pictor tibi leonem ſuis coloribus ac figuris depingeret, quem nũquam vidiſſes, & poſtmodum ſi leo tibi occurrat, ipſum eſſe leonem ex forma depicta agnoſceres. Sic eccleſia ex ſuis notis & oculis videtur & mẽte cognoſcitur: ſed quidam eam vident ſicut lupus ouem, vt perſequantur & dilacerent, quia eam ſuis affectibus, ſuisque ſtudiis ſentiunt cõtrariam, ſicut tyranni eam viderunt, & ode-

runt, & perſequuti ſunt : alii vident & amant, eique animo iunguntur & fide inſeruntur.

III. De reliquis eccleſiæ notis.

1. IAM breuiter ipſæ proprietates ſeu notæ ex quibus dinoſcitur eccleſia, explicandæ ſunt. Prima itaque nota ſeu proprietas eſt, quod eccleſia ſit & dicatur vna, non ex eo quod ſit vna numero quia ea vnitate non redditur perſpicua neque ab aliis diſtinguitur, ſic enim quæuis ſocietas poteſt dici vna: Sed vna dicitur per cõcordiam & conſenſionem animorum, ſic enim legitur Actor. 4. *Erat credentium cor vnum & anima vna:* De qua vnitate Paulus ad Ephe. 4. *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: vnum corpus, & vnus ſpiritus, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium.* Nec enim conſiſtere poſſet tanta animorũ concordia, & ea vnitas fidei & participatio eadem ſacramentorum per tam diuerſas nationes & gentes, niſi eam efficeret vnus ſpiritus & vnus Deus, qui per ordinatam partium diſpoſitionem eas inuicem adhærere facit, ſicut membra vnius corporis ſibi cohærent. Hæc vnio tanto perfectius ſeruatur inter catholicos, quanto quiſque in caritate Dei & dilectione proximi magis fuerit radicatus: & ideo perfectiſſima eſt ea in cœlo inter ſanctos: perfecta fuit & inter apoſtolos ipſiſque adhęrentes, reperitur & inter cæteros ipſos ipſorumque fidem & viuendi modum imitantes. Et quanquã inter Doctores exoriãtur interdum diſſenſiones & opinionẽ varietates, eæ tamen non diſſoluunt vnitatẽ fidei, & ſalua caritate exoriuntur: alias ſi aut fides mutetur, aut animorum diſſenſio vſque ad odium ſæuiat, ipſa vnio diſſoluitur: quod facile cõtingit inter eos qui aut in fide parum ſunt inſtructi, aut in dilectione fraterna frigidi. Hanc fidei vnitatem & animorum concordiam in nulla hæreticorum ſocietate eſt reperire, vbi tot ſenſus etiam in rebus fidei, quot capita In eos enim competit quod ſcribitur in libro Iudicum *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque faciebat quod ſibi rectum videbatur.* hinc factum, quod ex hęreſi Lutheri continuo tam multæ fuerint ſectæ exortæ.

2. DIXERIS forte ordinis diſpoſitionem, ex qua quæq; res ſit vna, multis aliis rebus eſſe communem, dicitur enim exercitus vnus, ciuitas vna regnum vnum, & ſic de aliis: quomodo ergo vnio eſt nota & proprietas eccleſiæ; Dico quod ſicut corpus humanum ex ſui diſpoſitione quæ ei propria eſt, dinoſcitur à corpore pecudis, & inter ipſa brutorum corpora, aliud ab alio propria ſecundum cuiuſque ſpeciem, diſpoſitio ac figura diſcernit: ſic & eccleſia ex diſpoſitione ſibi propria poteſt dinoſci. Quæ autem diſpoſitio cuique rei conueniat, id ex eius vſu petendum eſt, verbi gratia, vſus eccleſiæ militantis eſt, vt homines ea magiſtra ac duce ſalutarem addiſcant veritatem, vt non circumferamur omni vento doctrinæ: ideo poſuit Deus in eccleſia Paſtores & Doctores: & ne plures fierent magiſtri his omnibus præpoſuit vnum caput, ad cuius cathedram cæterorum eſſet recurſus A capitis igitur & fidei vnitate, à ſacramentorum eorundem communione, ab animorum conſenſione & ſocietatis ſeu fraternitatis amore, ab eodem cultu & ritu colendi Deum, deſumitur eccleſiæ veritas. Hanc non eſt inuenire in conuenticulis hæreticorum, vbi quiſque credit quod ſibi rectũ videtur: vnde Dux Saxoniæ de VVittenbergenſibus dicere ſolet, Quid iam credant ſcio, ſed quid altero anno credituri ſint, neſcio.

3. SECVNDA proprietas eccleſiæ & nota qua à cæteris diſcernitur eſt Sanctitas, quia in ſola eccleſia eſt reperire ſanctitatem, etiamſi non omnes in ea ſint ſancti, tamen ſancti qui in ea ſunt præcipui, & reliqui ſancti ſunt profeſſione, quia in id incumbunt vt ſancti ſint. Et licet hæc ſanctitas ſecreto in hominum mentibus lateat, atque inuiſibiliter inhæreat, recte tamẽ dicitur ſymbolũ ſeu nota eccleſiæ, qua noſcitur, quia ſicut mens in homine, per ſe-

ipſam

ipsam licet inuisibilis, videtur, notatur, & obseruantur in suis operationibus: Ita ecclesiæ sanctitas interior relucet in ipsis virtutum operibus, iuxta illud Matthæi 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Nec metuendum hic est ne fallaci sanctitatis speciе decipiamur, a tam innumeris præsertim vbique locorum pie viuentibus: Nec dubitandum de hac ecclesiæ nota, quamuis & hæreticos, quos *Cyprianus* Ecclesiæ simias vocat, contingat virtutis specimen exhibere, quia quod fictum est & simulatum diu latere non potest. Si quis sobrietatem, castitatem, pietatem, modestiam hæreticorum opponat & conferat sobrietati, modestiæ & pietati piorum Christianorum, videbit quid inter ostentationem & synceritatem, inter veritatem & fallaciam intersit, tandem enim se hæc aliquo prodit indicio quo internoscatur. Mos iste hæreticorum est fuit & semper malorum catholicorum improbos mores obseruare, & toti ecclesiæ inurere. Contra quos sic Aug. *in lib. de moribus ecclesiæ*: Nolite, *inquit*, mihi colligere professores nominis christiani, nec professionis suæ vim aut scientes, aut exhibentes, nolite consectari turbas imperitorum, qui vel in ipsa vera religione superstitiosi sunt, vel ita libidinibus dediti, vt obliti sint quid Deo promiserint, sed fruges potius in agro, frumenta inter paleas in horreo quærite, quasi dicat, pios & sanctos obseruate.

Non mirum est in tanta copia populorum si inueniantur & mali, cum in vestra societate tam parua non sint nisi mali, *hæc August.* Id frequens est & in scriptura sancta & in communi loquendi vsu, vt quod parti cōuenit, toti tribuatur, sic homo dicitur mundus vel immundus si facie sit talis: & Moyses Israelem vocat nunc populum electum & gentem sanctam, & semen cui benedixit Dominus: nunc vero eundem vocat populum duræ ceruicis, gentem sine prudentia & absque consilio: Quod haud dubie non nisi ratione partium ei tribuitur. Recte igitur ecclesia dicitur sancta, etiamsi forte plures in ea sint mali quam boni, quod veretur Aug. *c.12. & 14. de vnitate eccle.* citans pro se illud Matth. 7. *Lata est via quæ ducit ad mortem, & multi sunt qui intrant per eā. arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam*: sancta tamen est quia meliores sancti sunt: etiam eorum numerus magnus est.

4. TERTIA ecclesiæ proprietas est, quod dicatur catholica, seu vniuersalis, quia per omnia loca & tempora & vniuersas gentes diffusa non quidem simul & eodem tempore, sed successiue sua suscepit incremēta, donec gens nulla superesit quæ non Euangelio Christi reperiatur imbuta, iuxta illud Gen. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et licet iam maior pars orbis à fide defecerit, nihilominus etiam hoc tempore ecclesia manet catholica, quia eam habet fidem & religionem quam vniuersalis semper tenuit ecclesia: illud enim dogma dicitur catholicum quod ab omnibus & in omni loco & tempore, certo & cōstanter creditur & docetur. Et is homo dicitur catholicus qui huiusmodi dogma catholicum credit. Hinc notioni tantam vim inesse putauit *August.* ad designandam ecclesiam, quod dicatur catholica, vt aduersus hæreticos nihil acrius vrsisse videatur in libro quem scripsit de vnitate ecclesiæ ca.16. cum ex professo suscepisset demonstrare ex diuinis scripturis quænam & apud quos esset ecclesia. Nullum sectæ genus est quod possit dici catholicum, ne ipsa quidem Idololatria, cū palam constet diuersarum gentium non existere Deos eosdē: sed apud catholicos omnes & idem Deus, & eadem fides, & eadem religio.

5. EST quarta ecclesiæ nota atque proprietas quod dicatur Apostolica, non solum quia fidem tenet doctrinamque Apostolorum, quia ex ea ratione etiam prophetica dici posset, eo quod sit *fundata super fundamentum apostolorum &*

& prophetarum, vt dicitur Ephes. 2. Fidem itaque & fidei doctrinam, instituta, leges, sacrorum ritus, & ministeriorum varias potestates accepit ecclesia ab apostolis, qui cum ecclesias in vna aliqua ciuitate condidissent, ab iis traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur vt ecclesiæ fiant, ac per hoc inquit Tertul. & ipsæ Apostolicæ dicũtur. Sed peculiariter & præcipue Apostolica dicitur à principe Apostolorum Petro, cuius adhuc cathedrã (fundandi quippe labor transitorius fuit) retinet, eique fideliter adhæret, ideoque simul doctrinam seruat & fidem, seruabitque quamdiu Vicario Christi adhæserit, propter promissionem ei cathedræ diuinitus factam, *Ego pro te rogaui Petre, vt nõ deficiat fides tua.* Luc. 22. & quod ecclesia suam trahat origine ab apostolis per successionem Pontificum facile probari potest.

de Præscr. c. 20.

PARS V.

DE INDVLGENTIIS.

Summa Articulorum V. Partis.

I. *Quatuor conditiones requiruntur ad legitimas indulgentias. Prima est autoritas seu potestas in dante.*
II. *Est idoneitas in recipiente.*
III. *Est iusta causa, tum ex parte dantis tum recipientis.*
IV. *Est vtilitas operis indulgentias promerentis.*
V. *Indulgentiæ tantum valent quantum sonant.*
VI. *Quomodo defunctis prosint indulgentiæ.*

Art. I. quatuor conditio-

1. TIBI *dabo claues regni cœlorum, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Matth. 16. Ad hoc vt indulgentiæ prosint alicui; quatuor requiruntur, inquit glossator *in ca. Antiquorum, in Extrauag. lib.* 5. Autoritas seu potestas in dante: Idoneitas in recipiente: causa quæ respicit pietatem in intentione finis, & vtilitatem in opere indulgentias promerẽtis. *Quoad primum* fide catholica credendum est in ecclesia potestatem esse indulgentias concedendi: & qui id pertinaciter negat, hæreticum esse definit *concilium Triden sess. vlt.*

nes requiruntur ad legitimas indulgentias.

Prima conditio.

Residet autem auctoritas seu potestas ista primo, & principaliter in Romano Pontifice qui plenitudinem habet potestatis, quia Vicarius est Christi, & caput ecclesiæ, quam Petro promisit Dominus cum diceret, *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis*: Dedit vero ei cum diceret, *Pasce oues meas*: ibi enim eum constituit vniuersalis ecclesiæ Pastorem & Rectorem: ad hoc autem requiritur potestas soluendi, dispensandi, ligandi, leges ferendi, docendi, puniendi, & quoslibet actus ad officium Pastorale pertinentes, exercendi: quæ nomine clauium intelligitur: vt enim clauium est claudere & aperire, idoneos admittere & indignos excludere, sic supremæ potestatis ecclesiasticæ est impedimenta regni cœlorum amouere.

Atqui non solum culpa, quæ tollitur per absolutionem, sed etiam debitum pœnæ, quod tollitur per indulgentias, impedit ingressum in regnum cœlorum: quod dum remittitur, impedimentum introeundi remouetur & ianua cœli aperitur.

2. SVSTVLIT autem hoc impedimentum Paulus cum ad Corinthios ait, *Cui aliquid donastis, & ego: quod autem donaui in persona Christi donaui propter vos.* Hinc Cyrillus in Ioannem dicit Paulum auctoritate & vice Christi per hanc potestatem sibi à Deo datam absoluisse hunc fornicarium non à debito culpæ, quia, vt *Chrysostomus* ait in hunc locum, Iam

Cyril. l. 12. ca. 58. in Ioan.

Iam obtinuerat hic fornicarius culpæ remiſſionem per internam pœnitentiam: ſed abſoluit eum à debito pœnæ quam luere debebat, non ſolum in foro eccleſiæ propter aliorum ædificationem cauſa diſciplinæ ſeruandæ, ſed etiam in foro poli, vt loquuntur, ſine iudicio diuino: Cum enim Corinthius iſte à diabolo torqueretur & corporaliter affligeretur, inflicta erat ei huiuſmodi pœna a Paulo in virtute Chriſti, vt ſpiritus eius ſaluus fieret in die iudicii, vt autem quod agebat Paulus, ſiue dum pœnam infligeret, ſiue dum ab ea abſolueret, intelligeremus coram Deo & à Deo ratum haberi, dicit ſe id feciſſe virtute Dei & tanquam vicarius Chriſti. Neque enim recens eſt indulgentiarum vſus, vt falſo nobis imponunt hæretici dicentes eum ſolum à trecentis aut eo circiter annis in Eccleſiam irrepſiſſe: antea vero neque in ſcriptis Patrum, neq; in ſcripturis diuinis, ne quidem nominis indulgentiæ vllam mentionem fieri. Id autem falſum eſſe ex eo patet quod etiam temporibus apoſtolorum fuerit indulgentiarum vſus, cum Paulus dicat loco ſupra citato, *Quod autem donaui in perſona Chriſti donaui propter vos*: Patet idipſum
Cypria. li 3. epiſt. 25. & 18. & ex *Cypriano* lib. 3. *epiſt.* 3. vbi martyres monet vt non pro quibuſuis lapſis indulgentiam petant ab epiſcopis pœnitentiæ iniunctæ, ſed pro iis duntaxat quorum pœnitentia erat ſatisfactioni proxima. Quod autem non ita aperte nomen Indulgentiæ in ſcriptis veterum ſit expreſſum, id ideò factum eſt, quia tunc rarior eius erat vſus, cum ſeuerior erat pœnitentiæ diſciplina, & promptiores erant fideles ad vindicandum propria peccata. Poſtmodum cum pietas flacceſcere cœpit, cœperit & flacceſcere pœnitentiæ rigor, frequentior increbuit indulgentiarum vſus, quia hominum infirmitati aliquando conſulendum.

3. Nec tamen ideo nos fœlicioris conditionis ſumus quam in primitiua eccleſia fideles fuerint, quod apud nos crebrior ſit indulgentiarum vſus, qui apud illos rarior, quia qui pœnitentiæ operibus peccata exoluit & exorat, magis à peccatis elongatur & ab eorum reliquiis perfectius ſanatur, & inſuper plus meriti conſequitur. Qui autem particeps fit indulgētiarum, poteſt quidem à pœna abſolui & eximi, ſed minus acquirit meriti, minus etiam ſanantur eius infirmitates, quo fit vt & citius relabatur. Tutius eſt etiam pœnitētiam adimplere, quia vt *Tertullianus ait*, (lib. de Pœnit.) Impium eſt pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum obtinere velle, hoc enim eſt pretium non exhibere, & ad mercedem manum emittere, hoc enim pretio Deus veniam addicere inſtituit, hac pœnitentiæ compenſatione redimēdam proponit impietatem & impunitatem. Et *Cypri. epiſt.* 14. Qui pœnitentiā fratribus ſubtrahit, miſeros decipit, vt qui poſſent Deo precibus & operibus ſatisfacere, ſeducātur & pereant magis. Sic illi. Qui tamen indulgentiarum vſui præiudicare non poſſunt, quia aliud eſt quod propter piam vtilitatem & iuſtam neceſſitatem conceditur infirmis, vt fit in Indulgentiis, vt quod per ſe non poſſunt per Sanctorum merita & ſatisfactiones, quæ ex plenitudine poteſtatis eis applicantur, conſequantur: aliud quod ignauis & otioſis hominibus ſine rationabili cauſa ex theſauro eccleſiæ impertiri quis præſumit, hic enim locum habet quod *Tertullianus* & *Cyprianus* dicunt.

4. Olim rarior erat Indulgentiarum vſus, quia ſicut refertur in *Extrauag cap. Antiquorum lib.* 5. *in gloſſa*, non niſi centeſimo quolibet anno ſolet plenaria dari indulgentia iis qui viſitarent limina SS. apoſtolorum Petri & Pauli: Et is annus vocabatur Iubilæus, eo quod iubilarent captiui vt olim quib. libertas & remiſſio prædicaretur. Poſtea per Clementē 6. fuit hic Iubilæus ad annum quinquageſimum reductus vt ibidem dicitur *ca. vnigenitus*: vt ſinguli ſaltem ſemel in vita ſua plenam conſequi poſſent indulgentiam quia pauci ſunt qui ad centeſimum perueniūt annum. Et id faciebat ad imitationem anni

iubilæi in lege veteri qui anno quinquagesimo quoque recurrebat, in quo secundum legis præscriptum clangebant tubis, & remittebantur omnia debita, & singuli redibant ad antiquas suas possessiones *vt dicitur in Leuitico*. Postmodum per Paulum 2. reductus fuit hic annus iubilæus ad annum vigesimum quintum, *vt dicitur ibidem cap. Quemadmodum*, vbi singulis limina apostolorum Petri & Pauli deuote visitantibus plenaria datur indulgentia. Postremo singuli Pontifices semel in vita sua, aut etiam quoties grauis incumberet necessitas ecclesiæ, toties plenas concedit Pontifex indulgentias, quo sic tanquam pius pater vniuersos ecclesiæ filios & Christi fideles excitet vt precibus, ieiuniis, elemosynis & aliis piis operibus Deum placare studeant, & pro conseruatione fidei & hæresum extirpatione Deum exorent, qui intuitu precum & meritorum totius congregationis fidelium facilius ad misericordiam flecti solet quam vnius solius: Quod enim vnus propriis non potest obtinere meritis, hoc cõsequetur alterius precibus dum vt Paulus loquitur ad Corinthios, *vnius abundantia alterius supplet inopiam*: Nam hæc est Sanctorum communio quam fatemur esse in Ecclesia, dum vnus pro alio aut satisfacit aut intercedit, & vnum membrum alteri succurrit. Quod si duorum vel trium sanctorum consensui pio Dominus præstanda promittit omnia quæ petierint, quid negabitur multorum milium congregationi idem supplicanti? *inquit Leo*.

Leui. 25.

2. Cor. 8.

II. Secunda conditio.

1 SECVNDO requiritur idoneitas in recipiente, ad hoc vt prosint ei Indulgentiæ, quia secundum philosophum Actus actiuorum sunt in patiente disposito: Quanquam enim & merita Christi & satisfactiones Sanctorum, ex quibus cõstituitur thesaurus indulgentiarum, in se efficacissima sint vt quiduis à Deo pro nobis & impetrare & promereri possint, tamen quia ista non operantur nisi per media à Deo præscripta, idque in materia disposita: hinc fit quod non æqualiter omnibus prosint indulgentiæ etiamsi sint plenariæ: Qui enim diu multumque in sceleribus vixit, & tepide admodum perficit ea quæ in indulgentiis promerendis præscribuntur, dat quidem eleemosynam, sed valde parce etiamsi diues sit, orat sed admodum frigide, is certe non ita capax est plenariæ indulgentiæ, sicut is qui minoribus pœnis & culpis obnoxius est, quique pie hactenus vixit & quotidiana sua peccata assidua pœnitentia defleuit, cuius pœnitentia, iuxta præscriptum *Cypriani*, sit satisfactioni proxima, is enim dignus est & idoneus qui plenas consequi possit indulgentias. Et hoc est, nisi fallor, *quod in cap. Antiquorum.* dicitur, Quod vnusquisque amplius eo merebitur & indulgentias efficacius consequetur, quo basilicas ipsas deuotius frequentauerit. Et concilium Lateranense *cap. 70. in fine*, postquam plenas indulgẽtias iis concedit, qui pro terra sancta recuperanda manus adiutrices contulerint, subiungit, Huius tamen remissionis volumus & concedimus esse participes iuxta qualitatem subsidii, & deuotionis affectum, vt quisque nimirum faciat secundum quod debet & eum facere decet, iuxta statum & conditionem suam: Nam largiores eleemosynas facere tenetur is qui diues est quam qui pauper, & humilius orare qui sceleribus est obnoxius, quã qui solũ venialibus delictis. Nam quamuis virtus indulgentiarum non pendeat ex deuotione aut pœnitentia eas promerentium, sed ex thesauro ecclesiæ, hoc est, ex meritis Christi & Sanctorum eius, quę supplent defectus nostros, homo tamen per suam pœnitentiam & deuotionem maiorem aut minorem, plus vel minus disponitur vt tantæ gratiæ plus aut minus capax fiat. Sicut dum Magdalena sua defleret peccata, quorum remissionem est consequuta, non eam suæ contritioni, suisue lachrymis primo ac principaliter ascribere potuit, sed misericordiæ Christi peccata condonantis ac remittentis: Ne-

que

Digitized by Google

que enim prius remissionem obtinuit quã audiret, *Remittuntur tibi peccata tua*: lachrymæ vero, cordis contritio & pœnitentia quæ præmittebantur eam disponebant vt remissionis capax esset: aliud autem est remissionem consecutum esse, aliud vero remissionis capacem esse, sicut aliud est, posse habere fidem, aliud vero habere fidem: nã posse habere fidem, natura est hominum, sed habere fidem gratia est fidelium, *inquit Aug.* Sic aliud est plenæ indulgentiæ aliquẽ capacem esse aliud plenas indulgentias consecutũ quẽpiam esse. Et hanc causam esse puto cur etiam in plenariis indulgentiis pœnitẽtia iniungi soleat confitentibus, non solum in cautelam futurorum peccatorum, neq; etiam principaliter ad remissionem pœnarum pro peccatis cõmissis debitarum, quia illæ remittuntur per indulgentias dum quis earum capax est: sed vt homo per pœnitentiam iniunctam magis capax fiat indulgentiarum, quo enim melius dispositus fuerit, eo plus de indulgentiis participat.

2. QVOD autem non semper omnis pœna absolute remittatur, inde inprimis patet, quia culpæ venialis in cuius quis affectu perseuerat, pœna non remittitur manente culpa, quia secundũ *Augustinum* nõ dimittit Deus dedecus culpæ sine dedecore iustitiæ: Si autem manente culpa remitteretur pœna esset dedecus culpæ sine dedecore iustitiæ, & sic esset aliqd inordinatum in regno Dei, in hoc vniuerso quod regit diuina sapientia attingens à fine vsq; ad finem fortiter & disponens omnia suauiter. Nihilominus licet homo non faciat debite id omne quod in bulla indulgentiarum præscribitur, ideo tamen non omittat facere id quod potest, quia licet non consequatur plenã indulgentiam qui minus est dispositus, aliquid tamen cõsequetur secundum proportionem dispositionis suæ, non solum ex proprio merito, sed etiam ex virtute clauium & vi indulgentiarum sibi concessarum. Nec tamen ideo dicendus est Pontifex fallere eos qui non consequuntur plenas indulgentias, quas omnibus hoc vel illud facientibus elargitur, quia cẽsendus est hoc facere secundum quod potest, & secundum quod potestas clauium se extendit: prout ipsemet Pontifex respondit *in glossa c. 1. Antiquorum*: vbi quibusdã interrogãtibus: Quomodo iis qui aliũde aduenirẽt & quorum vitam & conuersationẽ ignoraret & vtrũ digni essent nec ne, qui plenas indulgentias consequerentur, plenas indulgentias elargiretur, Respondit Põtifex se eatenus dare iis omnibus plenas indulgentias quatenus potestas clauiũ se extendit. Quod si qui sint qui non consequuntur plenas indulgentias, id prouenit non ex defectu potestatis clauium, quasi Pontifex aut non possit aut non velit dare plenas indulgentias, sed quia is qui promeretur non est dispositus: Sicut cũ confessarius dicit, *Ego te absoluo*: sacerdos non mentitur nec alium fallit, etiamsi confitens non absoluatur, quia est vel impœnitens, vel virtute contritionis suæ ante absolutionem suam consequutus est peccati remissionem, non mentitur inquam sacerdos absoluens nec fallit, quia absoluit quantum in se est, & dum aliũde prouenit impedimentum vt non fiat quod dicitur, non debet id imputari sacerdoti absoluenti. Nam & Christus cum ait apud Matthæum, *Quodcumq; solueris super terram erit solutum & in cœlis*, Non ibi significat quid semper fiat, quasi semper & realiter peccata remittat, quoties absolutionem impendit, sed potestatem dat absoluendi, qua quis potest absoluere. Matth. 16.

1. TERTIO requiritur legitima causa tam ex parte dantis indulgentias, quam ex parte recipientis: Ex parte dantis debet esse pietas quo ad intentionem finis, qui est honor Dei, cultus diuinus, instauratio ecclesiarum, defensio fidei catholicæ, extirpatio hæresum, & similia quæ intendit is qui indulgentias elargitur. Requiritur autem causa legitima ad hoc vt indulgentia sit valida, quia Tertia conditio.

Digitized by Google

Deus id quod sibi debetur sine causa non remittit. Quapropter si Pontifex qui est thesauri ecclesiæ non Dominus, sed simplex dispensator, sine causa dispenset, *inquit Adria.* & indulgentias concedat, non est dispensatio sed dissipatio. In iis quæ sunt mere iuris positiui, vt sunt pœnitentiæ per canones inflictæ, etiamsi sine causa dispensasset Pontifex valida est dispensatio, etiamsi peccet qui sic dispensat, quia vt potest ponere talem legem, sic etiam potest tollere quando libuerit: sed in iis quæ sunt iuris diuini, non est ita liber Pontifex vt possit dispensare pro libito, sed causam iustam, quæ etiam ipsum Deũ moueat, habere debet, vt id quod fit ratum habeat. Neq; quæuis causa pia sufficit ad quamlibet indulgentiam, sed requiritur vt vnum alteri secũdum proportionem adæquetur: Nam si maior sit indulgentia quã causæ proportio ferat, non cẽsebitur rata nisi quo ad illam partem quæ causæ proportionem non exuperat: quia sicut indulgentia sine causa data non est valida, sic nec ea quæ causæ proportionẽ superat ex ea parte valet, quia censetur dati sine causa. Est tamen talis indulgentia semper rata quo ad aliquam partẽ quæ proportionem causæ non superat.

2. ITAQVE quamuis id fide sit suspiciendum quod in ecclesia sit autoritas & potestas conferendi indulgentias etiam plenissimas dum causa adest legitima, fide tamen catholica credere non teneor, *inquit Soto*, has indulgentias ob causam legitimam esse datas, quamuis nequaquam liceat temere contradicere: Sicut enim Pontifex audiens confessionem potest decipi vt eum absoluat, qui absolutione est indignus, sic in collatione indulgẽtiarum potest decipi in causis ac rationibus quæ à petentibus allegantur, aut etiã affectu nimium pio moueri, vt in gratiam petentium eis morem gerat: vt si dentur indulgentiæ plenæ omnibus pronunciãtibus ter nomen Iesu in articulo mortis, aut recitantib. ter Pater noster super globulis benedictis. Neque enim quæuis ecclesiæ vtilitas, aut quiuis honor Dei, *inquit Soto*, ad quasuis indulgentias conferendas sufficit, quamuis id quidam asserant, & citant pro se *Thomam in supplemento qu. 25. ar. 2. & Duran. dist. 20. qu. 4.* Sed minoribus indulgentiis minor causa satis, maioribus & plenis vrgentior est necessaria, ita vt inter indulgẽtiam quæ datur & causam ob quam datur, sit quædam proportio, sitque talis causa quæ etiam ipsum Deum, *inquit glossator in cap. Antiquorum*, cuius sunt huiusmodi bona quæ dispensantur mouere queant verisimiliter. Quamuis igitur Pontifex plenitudinem habeat potestatis, tamen si indiscretas det indulgentias, non solum peccat profundendo bona spiritualia & claues ecclesiæ in contemptum adducendo per earum abusum, sed etiã irritum est quod agit, quia potestas eius super rationem restringi debet, inquit glossator, vnde in concilio Lateranensi *c. 62.* sic habet, quia per indiscretas & superfluas indulgentias quas quidam ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claues ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur, decernimus vt cum dedicatur ecclesia seu basilica, non extendatur indulgẽtia vltra annum: & in anniuersario dedicationis tẽpore quadraginta dies de iniunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoq; numerum dierũ indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties concedũtur, cũ Romanus Pontifex qui plenitudinẽ obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueuerit obseruare.

3. VNDE citra religionis iniuriam, *inquit Soto*, potest populo dissuaderi huiuscemodi indulgentias esse validas, si Pontifex ad petitionem quorundam tales cõcesserit, vt qui habet grana consecrata, aut ad calculum benedictum *Aue Marie* ter recitauerit, animam è purgatorio liberabit, quia nulla est hic pia causa in communem ecclesiæ vtilitatem: nam affectus pius in defunctos non reputatur causa, nisi talis sit rationi innixus. Nihilomi-

dominus quandocumq; causa est pia semper est idonea ad aliquam indulgentiam concedendam: quia omnium iudicio valida est omnis indulgentia pro ea parte qua proportionem causæ non superat, vt dictum est, vnde certum est nos semper aliquid lucrari ex vi indulgentiarum, videlicet tantum quantum potestas clauiũ se extendit: Et intra hunc terminum semper intendit Pontifex conferre indulgentias: Et quia certo sciri non potest, quæ & quanta requiratur causa ad hanc vel illam indulgentiam concedendam (nam hoc soli Deo notum est,) dantur, & conceduntur interdum pro vna eademque causa nunc magnæ nunc paruæ indulgentiæ, vt quisq; pro sua deuotione lucretur in illo termino quantum possit: vt si pro leui causa detur plenaria indulgentia, verbi gratia qui in die paschæ accipit benedictionem à Pontifice per quam omnibus præsentibus datur plenaria indulgentia, quod fit ad retinendum populum in reuerentia & amore supremi Pastoris: Fieri potest vt plenam indulgentiam consequatur is, qui magna cum reuerentia & deuotione eam benedictionem suscipit, quique non ita magnum habet pœnarum debitum, vt sunt ij qui pie viuunt & sæpe confitentur, & pœnitentiam quotidie agunt pro quotidianis delictis: Pro talibus enim censentur dari ordinarie huiusmodi plenariæ indulgentiæ. Alij autem qui grauioribus peccatis sunt obnoxij aliquam partem consequuntur intra illum terminum iuxta proportionem sui operis & deuotionis. Et ideo temerarium est indulgentias pro leui causa datas, quamuis leuis non sit quæ multum vtilis est, carpere, suumq; iudicium iudicio Romani Pontificis, qui certas ob causas animum eius mouentes, eam concedit, anteponere.

.

IV. Quarta conditio.

1. QVARTO requiritur vtilitas in opere, hoc est, vt opus quod pro indulgentia obtinenda imponitur sit vtile ad finem prædictum obtinendum seu promouendum. Nam causa ista ob quam datur indulgentia, tam finem propter quem dantur indulgentiæ, quam opus, quod præcipitur ad finem consequendum, cõplectitur. Et ideo tam cum opere quam cum fine ipso debet indulgentia quãdam habere proportionem. Non est tamen vllo modo necesse vt opus propter quod indulgentiæ conceduntur, tantum valeat ad satisfactionem quanta est remissio pœnæ per indulgentiam concessa, quia tunc indulgentię nullius essent valoris aut virtutis, nec diceretur indulgentia seu gratia, sed potius meritum seu satisfactio. Quemadmodum, *inquit glossator*, si quis offendisset Regem, propter quam offensam mereretur secundum legem patriæ truncari manu aut pede: & vt à tali pœna liberetur, offert Regi decem milia aureorum, huiusmodi liberatio non meretur dici indulgentia, vel remissio vel gratia, sed potius redemptio seu commutatio: Si vero misericorditer Rex ei pœnam cõdonaret, vel pro pœnæ liberatione ei aliquod leue onus imponeret, tunc posset talis liberatio vocari indulgentia siue gratia. Verumenimuero sicut cum fine ipso, quem intendit is qui dat indulgentias, ita & cum opere, quod præscribitur, & quod facit is qui indulgentiam promeretur, debet indulgentia quandam habere proportionem, vt quo illa maior & plenior fuerit, eo sit & finis sublimior atq; excellentior, & ad commune bonum Ecclesiæ vtilior: & ipsum opus sit excellentius, aut difficilius, aut ad huiusmodi finem promouendum seu consequendum vtilius. His autem modis potest causa ipsa ex parte operis proportionari indulgentiæ, videlicet, aut quia opus in se est valde difficile & arduum, sicut qui Romam vadit vt basilicas SS. Apostolorum Petri & Pauli

Digitized by Google

visitet: Aut quia opus ipsum est excellentis caritatis seu deuotionis: Aut denique quia opus ipsum licet in se non sit difficile & arduum, tamen est ad finem præscriptum seu intentum multum vtile ac pene necessarium: verbi gratia, parui momenti videtur esse, & opus minimæ difficultatis, accipere in die Paschæ benedictionem à Pontifice, per quam omnibus præsentibus datur plena indulgentia: Hoc opus quamuis sit exiguæ difficultatis & nequaquam arduum, tamen quia est valde vtile ad retinendum populum in reuerentia Summi Pontificis, hinc huiusmodi opus censetur proportionatum plenis indulgentiis.

2 CÆTERVM cum opera requiruntur ex parte nostra quæ sint ipsis indulgentiis aliquo modo proportionata, ea requiruntur non tanquam merita Christi & sanctorum eius sint insufficientia ad redimẽdum hominem & satisfaciendum pro peccatis eius, sed quia merita Christi non subueniunt homini nec operantur nisi per certa media à Deo præscripta, idq; in materia præparata, hoc est, in homine disposito, qui præparatur & disponitur per sua opera, quibus quo quispiam plus vel minus dispositus fuerit, eo magis vel minus & meritorum Christi & indulgentiarum particeps fiat. Tenentque se opera nostra non ex parte Christi seu meritorum eius, tanquam iis veluti insufficientibus subueniant, sicut vnus alterum iuuat in portando onere quod neuter per se potest: sed se tenent ex parte hominis quem præparant & disponunt vt merita Christi & satisfactiones eius ei subuenire queant.

Quinimo in eo maxime relucet virtus Christi & meritorum seu passionis eius, quod per eam etiam opera nostra habeant vim merendi, & pœnæ nostræ virtutem acquirant satisfaciendi, sicut quod aqua acquirat virtutem calefaciẽdi per ignem, arguit efficaciam ignis non insufficientiã eius. Si Christo per fidem & caritatem nõ essemus inserti, neq; meritorum eius & satisfactionis particeps effecti, non haberent opera nostra apud Deum neque vim merendi, neq; orationis nostræ vim quippiam impetrandi, neq; pœnæ nostræ vim satisfaciendi, non magis quam vel opera infidelium vel pœnæ dæmonum. Quod autem nunc tale quid possint, hoc est propter spiritum Christi quem acquisiuimus meritis eius.

V. Indulgentiæ tãtum valent quantum sonant.

1. HIS CONDITIONIBVS requisitis ita positis, Indulgentiæ tantum valent quantum sonant: vt si sit indulgentia plena potest quis per eam, si rite dispositus fuerit, plenam atq; perfectam pœnarum suarum ex peccatis debitarum & hic vel in futura vita luendarum, consequi remissionem: Si sit indulgentia septem annorum, vel vnius quadragenæ seu quadraginta dierum, tantam pœnarum remissionem consequitur, quantam consequutus fuisset si per septem annos aut per quadraginta dies pœnitentiam egisset: & secundum hoc remittitur etiam pœna futuri seculi seu purgatorij: Neq; enim solum valent in foro Ecclesiastico indulgentiæ, vt per eas quis à pœnis seu pœnitentiis secundum canones iniunctis vel iniungendis duntaxat liberetur: hoc enim nõ esset indulgere sed decipere, quempiã à leuioribus pœnis liberare & ad grauissimos purgatorij cruciatus mittere: Sed per indulgentias remittitur etiam pœna purgatorij aut in toto, si quis capax sit, aut ex parte tanquam si pœnitentiam, in cuius locum surrogantur indulgentiæ, ipsis correspondentem peregisset: Dicitur enim quis consequi indulgentiam vnius anni vel 40. dierum, non hoc sensu vt si septem annis, vel vno anno, vel 40. diebus in purgatorio hærere & pati debuisset, ab iis liberetur, cum forte nec vnius mensis pœnæ purgatorij remissionẽ consequatur: sed sensus est, Habebit indulgentias 7. annorum, hoc est, tãtum pœnæ per indulgentias 7. annorũ ei remittitur, quantum consequutus fuisset si septẽ annos pœnitentiã egisset. Cum in quibusdã formis seu bullis Indulgentiarũ dicitur,

Digitized by Google

Habebit indulgentias mille annorum aut quinq; millium annorum qui hoc vel illud fecerit: facile posset ab hæreticis tale quid adfingi, quo sic indulgentias efficiãt ridiculas. Nihilominus si quis mille aut plura commisisset peccata mortalia, talis forte egeret indulgentia mille annorum: & licet hic tam diu viuere non possit, postea tamen exigetur pœna quæ illis correspondeat.

VI. Defunctis quomodo ꝓsint Indulgentiæ

1. PROSVNT & defunctis indulgentiæ quando pro eis dantur, sed per modum suffragij, vt loquũtur scholæ doctores: sicut enim homo priuatus suas orationes & satisfactiones potest offerre Deo ꝓ defunctis, Ita potest Pontifex satisfactiones Sanctorum & Christi, ex thesauro Ecclesiæ cuius ipse dispensator est, defunctis applicare, Deoque pro ipsis in satisfactionem offerre. Sed hoc interest inter suffragia & indulgentias; quod vt suffragia offerantur non requiritur iurisdictio: sed vt indulgentiæ dentur requiritur auctoritas, potestas & iurisdictio, quia non potest thesaurum Ecclesiæ dispẽsare nisi qui habet claues Ecclesiasticas: deinde qui offert suffragia, nescit an sufficiant ad animam liberandam: sed qui dispensat thesaurum, sufficiens pretium offert vt liberetur anima: si autem non liberetur, aliunde impedimentum prouenit, quia valent indulgentię pro defunctis datæ, quãdo & quantum videtur diuinæ pietati: neque enim tenetur Deus ex iustitia acceptare vnius satisfactionem pro altero, nisi ostendatur hac de re pactum vel promissio aliqua ipsius Dei: acceptat tamen Deus ex benignitate: Sicut in foro externo non tenetur Iudex acceptare vt vnus flagelletur pro alio, nec tenetur alterius compensationem acceptare præsertim si alterius & non eiusdem sit generis, sicut pœnæ purgatorij alterius sunt generis à pœnis huius vitæ: & ideo si acceptet Deus, id facit ex pietate & misericordia. Porro cum suffragia tribus modis defunctos iuuent, aut per modum meriti de cõgruo, aut per modum impetrationis, aut per modum satisfactionis, indulgentiæ autem non sint nisi satisfactoriæ, sequitur indulgentias dari defunctis per modum suffragij tantum satisfactorij valentis nõ ex iustitia, sed ex misericordia Dei eas acceptantis. Si sanctiorent pro defunctis, valet huiusmodi oratio per modum suffragij impetrationis: si satisfactiones eorum offerantur, sicut fit in indulgentiis defunctis applicandis, valent per modum suffragij satisfactorij: Non valent autem iis per modum absolutionis iuridicæ, quia defuncti non subsunt amplius iurisdictioni Ecclesiæ, sed valent per modum solutionis, quia ex thesauro Ecclesiæ satisfactio Christi & Sanctorum pro pœnis defunctorum in purgatorio existentium offertur, quæ acceptatur à Deo non ex rigore iustitię sed diuina pietate. In indulgentiis viuorum non solum est compensatio seu solutio, sed etiam iuridica absolutio. hinc eæ non conferuntur nisi subditis: Nec est in iis nuda absolutio, quia Deus sine causa non remittit quod sibi debetur, hinc ex thesauro simul & satisfactio offertur, quam Iudex veluti acceptat per absolutionem quam facit tanquam vicarius Christi seu vice Dei: sicut in foro ciuili qui damnatus est ad triremes, si alius pro eius liberatione offerat 1000. aureos, quos si Iudex acceptet absoluit damnatum & liberum dimittit, sed non tenetur illam compensationem seu oblationem acceptare. Porro absolutio quæ datur per indulgentias, non est sententia particularis quæ absolute fertur in certam personam ex allegatis & probatis, ab homine: sed est absolutio generalis velut sententia à iure qua per priuilegium omnibus hoc vel illud facientibus remittitur pœna, vel tota vel ex parte: Et ideo non requirit cognitionem causæ nisi generatim, qua in genere cognoscitur iustam subesse causam talis indulgẽtię concedendæ. Et Pontifex quamuis in seipsum iurisdictionem non habeat nec seipsum absoluere queat, potest tamẽ indul-

gentias

gentias à se datas promereri sicut alij, sicut potest ferre legem à tota communitate obseruandam, qua & ipse ligatur vt pars communitatis & seruare tenetur.

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ.

EXVRGENS *autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda*: &c.

Luc. I.

Summa Articulorum.

I. *Diuino instinctu fuit facta hac visitatio, & diuina directione debent fieri omnia opera nostra vt salutarem consequantur effectum.*

II. *Potius bonorum operum quam verborum habenda est ratio.*

III. *Cur abierit in montana cum festinatione: & nobis quoque festinandum esse.*

IV. *Visitare & salutare nos inuicem quomodo oporteat.*

PARS I.

ART. I. Visitatio hæc diuino instinctu facta, &c.

1. QVANDOQVIDEM in Beata Virgine tanquam in viuo quodam speculo impressam atq; depictam videre licet pulcherrimam omnium virtutum formam atq; imaginem, quibus tanquam quibusdam carbunculis præ cæteris suis electis, imo præ ipsis angelis eam decorauit, sibiq; acceptam fecit Dominus: eiusq; mores, conuersatio & actiones ex huiusmodi virtutum donis promanantes exactissimam recte agendi viuendique normam contineant, nobisq; ob oculos ponant, operæ pretium me facturum existimaui, si tribus verbis explicuero quænam virtutum insignia in hac visitatione sua, vnde & visitationis festum dictum, præ se tulerit, nobisq; non solum contemplanda, sed & imitanda proposuerit Diuina virgo Maria. Hodierna itaq; die memoriam agimus istius visitationis qua Deipara virgo visitauit & salutauit cognatam suam Elizabetham: Quod quamuis exiguum prima fronte videatur humanitatis obsequium, quippe quod quotidie etiam ab infimæ sortis hominibus actitari videamus vt inuicem se visitent & salutent: Tamen quia ad id Diuam virginem impulit nō humanus spiritus, sed diuinus, non curiositas, sed caritas, non quia de beneficio sibi collato, animo elata, sed quia humilitatis & dilectionis spiritu, vt cognatæ suæ obsequeretur & congratularetur, excitata & inducta, hinc obsequiū hoc & salutaribus documentis atq; diuinis mysteriis, & vitæ exemplis atq; caritatis officiis existimo fuisse plenissimum: vt ex hac visitatione atq; salutatione quiuis facile discere & intelligere queat, quomodo amicum suum & visitare & salutare debeat, vt ex eo fructum salutarē percipere queat. Nam cum Deus maximus sit etiam in rebus minimis, & ipse auctor & instinctor huius visitationis fuerit, cā aut vanam aut inutilē fuisse quis dixerit? Diuino autem impulsu hanc visitationem fuisse factam, ex euentu rei manifestum euadit, dum ad salutationem Mariæ & Elizabeth repletur spiritu sancto, & infans exultat in matris vtero, quæ non humanitus, sed diuinitus facta fuisse certum est & manifestum.

2 Hoc obseruant & obseruauerunt Sancti Dei semper, vt nihil audeant, nihil attentent vnquam nisi de summi Dei sententia, quam non prætertere solent, sed in omnibus subsequi student, vt nihil omnino nisi ex ipsius præscripto aut imperio aggrediantur, vsq; adeo vt ne licita quidem & communi more & lege concessa moliri velint, nisi prius in Dei numē inspi-

inspiciant, & Deum auctorem & directorem habeant. Sic Dauid consuluit Dominum num ascensurus esset in vnam de ciuitatibus Iuda: & Domino dicebat Moyses, *Nisi gratiaris nobiscum non ibimus*: Et adhoc nos hortatur Sap. cum ait, *In omnibus viis tuis cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos.* Hæc Dei directio atq; dispositio tantæ est energiæ, vt si opera nostra eius fiant iussu effectum suum sortiãtur, etiam nobis nihil tale cogitantibus. Sic interdum nobis euenit vt etiam non quęrẽtib. desideratus Dominus occurrat, nosq; benedictionibus dulcedinis præueniens diuinæ consolationis gratia abundantissime perfundat, qui prius toti aridi non nisi frigidas eiiciebamus precariunculas. Cum itaq; videt homo hæc diuina solatia etiam quæsita interdum velut nos fugere, & non quæsita subinde obtingere, facile intelligit ea non tam humanæ industriæ opera, quam diuinæ largitatis esse beneficia. Id quod nos suo docet exemplo Petrus, qui cum per totam noctem laborans nihil cœpisset, *in verbo Domini laxans rete copiosam cœpit piscium multitudinem.* verũ communis hic fere omnium mortalium morbus & error est, quod humanis consiliis & industria freti inconsulto mundi moderatore Deo res suas aggrediantur: ex quo innumera pene mala oriuntur, cum constet omnes omnium hominum conatus, omnia studia atque consilia rerum agendarum inania & inutilia esse, nisi diuina ope & spiritu Dei dirigantur, iuxta illud psalmistæ, *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificãt eam.* Hinc tot infaustæ nuptiæ, tot rei familiaris iacturæ, tot rerum publicarum euersiones, tot bellorum infausti euentus, ac omnes fere mundi calamitates originem ducũt, quia inconsulto Deo suis cõsiliis suaq; potentia nixi sua negotia aggrediuntur. Sic Amazias Rex Iuda superbia elatus quod Idumæos deuicisset, bellum aduersus Regem Israel mouit, sperãs & ab eo victoriam se reportaturum, sed turpiter fugatus atq; deuictus, magnam sibi populoque suo cladem intulit. Sic & Iosephus & Azarias principes, dum fortiter se facturos existimant, sibiq; nomẽ facere volunt, hostes adorti ab iis fugati sunt, *cecideruntque illo die de populo Israel ad duo millia viri, & facta est plaga magna in populo,* inquit scriptura 1. Machab. 5. *quia non audierunt Iudam & fratres eius: ipsi autem non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel.*

Psal. 126.

[illegible] 14.

2. PORRO cum laborem & industriam hominum scriptura tanquam inanem reprobat & improbat, id non eo dicit vt oscitantes simus, & soli Deo omnia committamus, sed vt discamus in labore nostro plus Deo tribuendum esse, quam nostræ industriæ, eique pręcipue fructum laborum nostrorum asscribendum esse. Id quod nos scriptura manifeste docet, quæ ait. *Est homo laborans & festinans, & tanto magis non abundabit. Est homo marcidus egens recuperatione plus deficiens virtute & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius & exaltauit illum, & mirati sunt in eo multi & honorauerunt Deum: Bona enim & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Nam quemadmodum hic mundus inferior omnibus in rebus à superiori, hoc est, à cœlesti regione dependet, illius vi omnia aluntur, vegetantur & conseruantur, & ad iustam maturitatem perueniunt: sic vita, salus, dignitas atque fœlicitas nostra à Deo rerum omnium moderatore ita manant, vt citra eius opem nihil prosperũ, nihil salutare in hominum vita contingere possit. Eccl. 11.

II

1. IAM paulo altius repetamus quomodo B. virgo mota fuerit à spiritu sancto vt visitaret & salutaret Elizabeth cognatam suam: Et inprimis ipsum Euangelistam breuibus verbis hanc historiam describentem, audiamus qui sic habet, *Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit cum festinatione in montana, & intrauit in domum Zachariæ & salutauit Elisabeth.* Hæc quidem simpliciter ita referuntur, attamen

Potius bonorum operum quã verborum habenda ratio.

si penitius rem introspexeris, nullum verbum hic frustra positum inuenies. Sicut enim in rebus conditis nihil otiosum aut frustra fecit Dominus, quin & nos ab omni verbo otioso abstinere iubet, *Matth.* 12. Ita certe haud quaquam committet diuina Sapientia, vt Ecclesiastici scriptores per quorum ora ipse Deus locutus est, verbum aliquod otiosum in scripturis sacris proferant. Dicitur itaque hic exurrexisse B. Virgo non ab otio, non à somno, quippe quæ otiosa nunquam somnolenta fuerit, nulli defectui vnquam subiecta, sed cũ gratia esset plena, plena erat & bonis operibus, quæ ita attemperate nouerat, vt quodlibet suo tempori aptissime accommodaret, & orationi succederet lectio, & lectioni meditatio, meditationi vero cõtemplatio: & tunc haud dubie mens virginis sublimius in diuina contemplatione suspensa hærebat, cum lætum hoc nũcium exciperet, *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum hic erit magnus & filius altissimi vocabitur*, quo sic Deo coniunctior & purior effecta idonea & digna reperiretur quæ Dei mater fieret: quæ dignitas cum summa & eminentissima fuerit, summis etiam donis sublimari B. Virgo debuit vt Dei mater digna existeret. Cõsultũ & nobis id fuerit, vt lectioni succedat oratio orationi vero lectio, vtriq; autem vtilis & fructuosa actio. Ita enim B. Virginem fecisse legimus, quæ exurgens à suis meditationibus, abiit cum festinatione in montana vt salutaret Elizabeth, atq; humanitatis obsequium exhiberet.

2. NAM *hoc præceptum habemus à Domino, vt qui diligit Deum, diligat & proximum suum.* Est inuenire quosdam qui quam possunt diligentissime & studiis suis incumbunt, & in suis orationibus frequentes & assidui sunt, verum vbi necessitas vrget aut vtilitas postulat subueniendi proximo, humores contrahunt, vultum caperant, se subducunt & operam negant. Quid hi legant, quid studeant, quid orent prorsus ignoro, cum finis lectionis & orationis sit ipsa actio: cum itaque tempus aduenerit quo fructum orationis & lectionis opere exhibere oporteat, missa fiat oratio, missa fiat & lectio, & vtilis atque necessaria succedat actio, quæ tanto potentius mentem intuentium afficit, quanto vita immaculata antecellit ipsam doctrinam. Mauult enim quisque exemplum videre vitæ, quam audire verba doctrinæ: quia dicere promptum cuiuis & facile, at opere complere solius viri boni est: Quinimo dum virtus verbis solum describitur ascensus eius insuperabilis putatur: at vbi multos hunc mõtem, in cuius apice virtutem positam & palmæ insidentem fabulabantur poetæ, conscendisse conspicimus, ipsam quoque virtutem in mores deduci posse arbitramur. Itaque pulchrum quidem audire, O virum doctum, pulchrius tamen O virum sapientem: sed omnium pulcherrimum, O virum bonum, cuius doctrinam confirmat operis testimonium, cuius verbis fidem facit vita immaculata. Talem doctorem *Seneca* vnice commendabat cũ diceret. Ille professionem impleuit suam, quem cum audieris & videris, nihil discriminis cernis, in quo neque vita à doctrina, neque doctrina à vita discordet. Eleganter idipsum & Paulus ad Philipp. *Quæ audistis*, inquit, *& vidistis in me hæc cogitate.*

Est quidẽ eruditio, instructio, exhortatio quæ sermone fit, vtilis & necessaria: sed longe maior operum quam verborum habenda est cura: siquidẽ verba velut lex mortua in codice descripta; at vita inculpata lex vera & viua, q̃ sine verborũ strepitu mentes hominum potenter afficit, illustrat & permouet. Quemadmodum enim oues Iacob ex conspectu virgarum variegatarum in canalibus positarum diuersi coloris fœtus conceperunt & perpeterunt: Ita dum varias sanctorum virtutes & vitæ exempla nobis ob oculos posita videmus, ex harum virtutum contemplatione, similes in nobis bonorum operum ac virtutum fœtus concipiemus & pariemur.

rius. Est enim, *teste Basilio*, animus hominis speculi instar, quod minimo negotio formas oppositas in se suscipit: ita & mens hominis talis fit, qualia sunt ea quę ei subiciuntur.

3. HAc de causa voluit Deus sanctissimorum & clarissimorum victorum exempla fidelibus proposita, vt haberent quos intueri, quorum opera imitari possent. Hoc seculo magnum illum Antonium fecisse scribit *Athanasius* in vita ipsius: singulorum enim monachorū ad quos dicēdi studio pergebat, virtutes obseruabat & mores huius promptam obedientiā, illius orandi feruorē alterius indefessum laborem & patientiam: quorum exemplis animatus & ad sedem suā reuersus omnia secū animo reuoluens, omniū in se virtutes & mores exprimebat. Nā queādmodū pulchra toga venustatem & elegantiā maiorem præ se fert cum decenti corpori applicatur, quam si in sartoris officina otiosa dependeat, & oculos duntaxat intuentium pascat. Ita plane lex diuina & doctrina sacra, pulchra quidam apparet cū in codice scripta legitur & auditur, pulchrior tamen cum in cordibus exarata opere exercetur, vnde Dominus magnos in regno cœlorum dicit futuros qui quę docent faciunt: Qui a.soluerit vnum de mandatis istis minimis & sic docuerit homines minimus vocabitur in regno cœlorum. Turpius enim labitur quisq; in ea arte cuius se magistrum profitetur, vt si is qui se musicum vēditat, musices & cantus imperitus sit: Ita ecclesiæ doctor in ratione vitę peccans hoc turpior est, ꝙ in officio cuius se magistrū profitetur, labitur artemq; recte viuendi professus delinquat in vita. Imo teste *Augustino* non est vera scientia boni, nisi ad hoc sciatur vt agatur, & inutiliter legem Dei meditatur qui laborat vt memoria teneat quod actione non implet. Neque enim frustra Dauid orat, *Doce me facere voluntatem tuam*, sic inquit doce vt faciam, non tantummodo vt sciam. Itaq; non scire tantum velimus, quamuis sint nonnulla quæ ideo discimus, vt tantummodo sciamus, sed & sapere & facere. Neque eos imitandos putemus qui scripturas quidem legunt, sed legunt tantum: imo neq; illos qui etiam intelligunt, sed intelligunt tantum, & vt quidam nummis vtuntur iactilibus ad numerandum tantum, sic isti scientia ad sciendum tantum, vitæ factorūq; adeo nulla cura est vt non frustra litteræ in vulgus male audiant, tanquam ad pompam ne dicam ad nequitiā magistræ dū scientiam suam non ad vitæ legē, sed ad eruditionis ostentationē deflectūt.

4. NAm si studiosorum naturam introspicere velis, varia esse ipsorum ingenia inuenies: Sunt qui comicorum facetiis & poetarum fabulis, perpetuo inhærent, iisque legendis & tempus suum & seipsi inutiliter terunt, cuius sui studii fructum nō consequuntur alium, quam quod & ipsi leues, lasciui, & fabulosi, & mendaces euadant. Cum enim ipsa lectio sit animæ nutrimentum sicut panis nutrimentum est corporis: atque alimentum, *iuxta philosophum*, in naturam atque substantiam conuertatur ipsius aliti, fit quisque talis qualia sunt ea quę audit vel legit, haud secus enim vt *Basilius* ait, audita vel lecta animo adhærent atque color picto parieti. Quapropter Catullum, Tibullum, Galliū, Propertium, Martialem, Ouidiū, & quotquot sunt istius generis poetæ leues & obsceni, omnino aut non legendos, aut certe non nisi magna adhibita cautela leuiter percurrendos, quotquot sapiunt iudicant: locum enim habet in his quod poeta ait, Fugite pueri latet anguis in herba: satis molesta est cuiq; cupido propria etiamsi aliunde non irritetur, nō foueatur, non inflammetur. Alii sunt qui neglecta ipsarum rerum cognitione toto conatu ad nudum eloquentiæ studium properāt, & contextui verborum & sententiarum flosculis, velut procus aliquis plumę pileo impositę adgaudentes sibi in iis mirum in modū placent. Errant & hi cum nihil sit tam friuolum, *inquit Cicero*, quam verborum licet optimorum atq; ornatissimorū sonitus inanis, cum sonus non nisi odo-

rum, res vero sermone aptæ explicatæ ciborum gerant similitudinem, quorum ea est natura vt pascant, odor vero cum sit aer vaporatus, sicut sonus aer ictus, quorum vtrumque cum in re tenuissima existat, nullam aut certe non nisi minimam pascendi vim habet. Itaque non qui sermonibus est vberior ac copiosior, sapientior etiam est ac fructuosior, is enim posteaquam exigua fortasse voluptate auditorem affecit, simul cum percusso aere solutus euanescit, nihil aliud super hoc virium habens quam quod per linguæ leporem ac verborum ornatum auidis aurib. quasdam quasi præstigias offundat.

5. SED cuius sermo veritate ac rerum pondere sapientiæque splendore subnixus est, pauca licet verba proferat, mentem tamen adusque intima penetrat, animum oblectat cor corroborat & hominem frugiferum efficit tum potissimum cum sensim instar suauissimæ pluuiæ in terram guttatim decidentis, in animas illabitur auditorum, vt enim huiusmodi imber qui leniter decidat ad ima vsque penetrat agrum pinguem & fertilem reddit: pluuia autem quę impetu ruit, ob suam vehementiam terram concludit, agricolis damnum infert, quos etiam ipsa forte mulctat: Ita Sapientis sermo paucis vt ita dicam syllabis copiosam & ingentem emittit segetem. Hinc Moyses, *Fluat vt ros eloquium meum*: Imperiti autem hominis elocutio licet copiosa sit & verborum phaleris ornata, non nisi ieiunum relinquit auditoris animum. Porro veram sapientiam ac solidam scientiam, quam dicimus eloquētiæ iungendam, in tribus potissimum reb. versari ac consistere puto, nimirum in rerum creatarum cognitione, bonorū morum institutione & diuinarum rerum pertractatione, nā vera sapientia non modo hominem à vitiorum contagione purum efficit, verumetiam ad summum virtutis fastigium euehit, & in salutis portu cō stituit: quemadmodum enim nauis clauo regitur atq; ad portum appellitur, sic mēs prudentiæ clauo animam gubernans ad cœlestem portum eam dirigit, & in tuto beatitudinis loco constituit.

III.

SED dum plus iusto excurrimus visitationis nostræ Mariæ obliti videmur, de qua Lucas ait, quod abierit *in montana cum festinatione*: non frustra hoc adiectum putemus, quod *cum festinatione* profecta dicatur, docemur enim quanta animi alacritate & promptitudine istud iter aggressa sit virgo Maria: vt non tanta facilitate & promptitudine membra nostri corporis obtemperent nobis seu imperio voluntatis nostræ, quanta voluntas huius virginis obtemperauerit & obsequuta fuerit imperio Dei. Est autē videre quanta promptitudine & manus & pedes & oculi cæteraque humana membra obtemperent voluntati, vix aliquid illa imperat, ilico manus obsequitur, pedes quod sui est officii prompte peragūt: nec quicquam ipsa corporis membra attentant vnquā, nisi quod ipsis ex arbitrio voluntatis præscriptum fuerit: vt non inepte quis dixerit etiā hominem ipsum ex sui corporis membris promptam obedientiam discere oportere: nam hoc modo ipsam B. Virginem Deo obsequutam videmus, hac promptitudine, facilitate & alacritate hoc iter aggressam agnoscimus: Imo quicquid faceret, diceret aut cogitaret non tam ipsa quam Deus per ipsam id faceret: Sic enim ad Apostolos suos Dominus ait, *Vos non estis qui loquimini sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*. Nec minus commendatur ab hac animi promptitudine magnus patriarcha Abraham, qui cum nonagenarius iussus esset sese suamque familiam circumcidere, eadem die & sese & filium suum Ismaelem, & omnes vernaculos domus suæ, quorum numerus non exiguus circumcidit, nec in sequentē diem distulit, ne promptæ obedientiæ gratiam imminueret: iussus quoque filium suum Isaac immolare, statim ipsa nocte iter arripuit, nec orientem solem expectauit. Nihil sanctis Dei antiquius quam prompte Deo obsequi, illiusque obsequio se totos dica-

Maria abiit cum festinatione quod & no... ciens...

Matth. 10.

Gen. 17.

itare vt *Cassianus* dicat primam inter Ægypti monachos virtutem fuisse promptam obedientiam, quam tanta alacritate præstabant, vt, Abbate ad aliquod opus vocante, ille cui scribendi libros cura commissa erat, opus ilico suum ita desereret vt nec cœptam quidem literam perficeret. Nescit tarda molimina spiritus sancti gratia, *inquit Ambrosius*, sed in omni opere bono properat & festinat, nihil negligit, nihil quod ad virtutis profectum facit prætermittit, sed quicquid potest manus eius instanter operatur, vt non prætereat eum particula bonæ diei: Ad quod & Ecclesiasticus nos adhortatur cum ait, *Quicquid potest manus tua instanter operare, quia apud inferos quo tu properas, nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt.* Et certe feruore & animi promptitudine opus est qui profectum quærit quia vt bene docet *Thomas*, caritas in qua vitæ christianæ summa est constituta, non augetur neque intenditur remissis actibus, sed ardentibus. Cap. 9.

2. ET hæc causa cur multi qui iam diu mundum & peccata reliquisse videntur, Deoque iam multo tempore seruierunt nihilo meliores sint effecti, sed idem in eis animi languor perseuerat, eadem animæ sterilitas, eadem mentis ariditas, qui nedum virtutum opera sed & sacrosancta Dei mysteria non nisi languide & negligenter tractare consueuerint. Qui autem tardus & negligens est, & multa quæ forent agenda prætermittit, & multa quæ agit, imperfecta relinquit, & quid damni sibi inferat non intelligit, quia vt Sapiens ait in suis Prouerbiis, *Egestatem operatur manus remissa, manus autem fortium diuitias parat* Cap. 10. Quia hic Dei nostri mos esse solet vt talem se hominibus exhibeat, quales se illi homines exhibere solent, hoc enim illa scripturæ verba significant, *Quicumque honorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* 1. Reg. c. 2. Qui magno animi feruore Deum quærit, multa quoque gratiarum dona & auxilia ab eo percipit: qui autem segniter eum quærunt & seruiunt, vix eius præsentiam & absentiã persentiscunt: & in eos cõpetit q Iob ait, *Si venerit ad me non videbo eum, & si abierit non intelligam*: Cap. 9. quia diuina visitatio propter negligentium socordiam adeo tenuis est & obscura, vt fere nihilo magis illa afficiantur cum adest quam cum abest, ideo nec recedentem ab eis Dominum nec ad eos accedentem sentiunt, *inquit Gregor.* exponens hunc locum Iob.

3. EST & alia huius festinationis causa, pudor nimirum virgineus qui in publico videri erubescit: virginum est, *inquit Ambrosius*, in plateis non demorari, non aliquos in publico miscere sermones, sed si prodire pietas aut necessitas iubet, opus iniunctum festinanter perficere, diligentem oculis custodiam adhibere, hominumque maxime virorum quam fieri potest citissime, conspectum fugere, ne per oculorum fenestras mors ingrediatur in domum nostram. Qui sensuum disciplinã neglexerit & oculorum custodiã non seruauerit, vt animum purum & integrũ seruet fieri nequit: cum enim animus hominis sit instar aquæ pellucidæ clarus, & instar speculi purus & tranquillus, de animo integro loquor, profecto quemadmodum speculum tersum leui halitu inficitur, & aqua tranquilla facillime turbatur, ita minimo negotio, quæ visui occurrunt vel auditui, siue ea displiceant, siue etiam placeant, & animi turbant tranquillitatem & mentis inficiunt puritatem. Quibus si non obsistas sed insuper ab affectionibus tuis mentem in seruitutem redigi patiaris promptissime peccati iucunditas per omnem sensum, *sunt verba Basilii* fluentem ingeret voluptatem: sin autem & hoc admittas firmius per consuetudinem inueteratam malo infixus hærebis vt ægre medelam recipias, aut etiam penitus incurabilis existas, cum in naturam plerumque cõsuetudo transeat.

4. OPTANDVM igitur ne malum attingamus, quia *beatus* dicitur *qui non abiit in consilio impiorum*: Quod si delectationẽ tetigeris statim post tentationem velut

bestiæ virus eiaculantis plagam fugias, si enim in consuetudinem labendi deueneris, non solum in tuo vitio corrumperis, sed eo velut peste quadam & alios intoxicabis. Refert scriptura quod cum Dina filia Lyæ puellari curiositate esset egressa vt videret mulieres religionis illius, nō modo pudori suo, sed & Sichem principi terræ illius, & vniuerso Sichemorum populo extremum attulerit exitiū. Propter quod non minus serio quam prudenter nos admonet *Ecclesiast.* vt non diuagemur oculis per plateas ciuitatis, *Noli* inquit *circumspicere in vicis ciuitatis, neque oberraueris in plateis illius: auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam, propter speciem enim mulieris multi perierūt*, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Quod si videndi curiositatem cohibere nequis, quomodo vbi iam videris & cupiditate rei visæ te illaqueaueris, hærentem animo voluptatem excutere poteris: *Si cum peditibus curres laborasti*, inquit, Ieremias, *quomodo contendere poteris cum equis?* hoc est, si infirmum & debilem hostem & adhuc foris agentem repellere non vales, quomodo natiuæ voluptatis titillatione armatum & ipsis visceribus hærentem expellere poteris? Refert *Plutarchus* Alexandrum Macedoniæ Regem nunquam Darii vxorem, quæ insigni forma erat, videre voluisse, ne eius pulchritudine captus aliquid se indignum committeret. Et Antiochus Rex Asiæ inuitatus à quodam familiari ad Pantheam egregia forma virginem videndam, ire recusauit, dicens, Si modo illam conuenero cum per otium vacat, forte illa mihi persuadebit vt neglectis regni negotiis, illam cōueniam etiam cum nō vacabit. Certe horū ethnicorum exempla condemnant multorum Christianorum lasciuiā, qui vsque adeo à præsentibus periculis visum non cohibēt, vt ipsi etiam auidissime quærāt quod cum salutis suæ periculo videant. Cui comparabo, aut cui similē æstimabo generationem istam? similis est stultis amatoribus cum quadā auiditate philtra sumentibus, vt à mente deducantur sana, & in insaniā redigantur: similis est inquam iis qui auide istud veneni genus insumunt, cuius vi fit vt etiam ridentes certissimam mortem incurrant.

Gen. 34. Cap. 9. Cap. 12.

5. BENE itaque B. Virgo cum festinatione in montana abiisse dicitur, quo sic omnia salutis impedimenta deuitaret, & tentationum laqueos atque peccatorum pericula in via occurrere solita euaderet. Narrant Historiographi fluuios esse in Ægypto venenatis serpētibus plenos, è quibus canes non nisi currendo bibere solebant, ne sistādo & quiescendo potū lambētes lingua exciperent, diutius hærendo à serpentibus, quorum magna in iis copia, perimantur. His non absimilem dixeris decursum huius vitæ variis dæmonum insidiis & tentationum laqueis plenæ, iuxta illud Psalmistæ, *Absconderūt superbi laqueū mihi, & funes extenderunt in laqueum iuxta iter scandalum posuerunt mihi*, quia quocūque pergit homo, ibi laqui sunt, *teste Ambrosio*, vadis aliquo vt amicum salutes, vt alicui loquaris, vt negotium tibi commissum transigas, tibi iuxta hoc iter laqueum posuit superbus quo te illaqueare cupit, & si minus prouide te geras, facile aut laqueo superbiæ aut laqueo imprudentiæ, aut aliquo alio modo illaque aberis: vt rectè quidam dixerit, Nunquam inter homines fui quin minor redii, qui quietus exibam & tranquillus, elatus redii aut turbatus, & mores eorum imbibi cum quibus egi. Psal. 139. Lib. 4. in Luc.

6. QVÆ sententia certe diuinæ cōformis est scripturæ quæ ait, *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris*: & alibi, *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Qui alias virtutum radices necdum iecerit huic nequaquam cōsultum fuerit prauorum consortium admittere, facile enim per eorum commercia deprauatur: *nescitis* inquit Paulus: *quod modicum fermentum totam massam corrumpat?* Hoc fermenti vocabulo apposite perditorum hominum naturam & nocendi vim significans: est enim Psal. 17. Eccl. 13. 1. Cor. 5.

nim natura hominis mala ad nocēdū pocētissima propterea φ homo post peccati lapsum vehementer ad malum sit pronus, seuique statu impellatur ad quod sponte sua propensus est. Cumque virtus acquisitu sit difficilis & magno studio ac labore indigeat, vitia autem sine vllo labore ac præceptore addiscantur facile, sicut terra sponte sua sine vlla cultura tribulos ac spinas germinat, vberes autem messes, sine diligenti cultura non proferat: fit vt facilius improbus subuertat probos multos, quā probi multi cōuertere possint improbum vnum. Et quandoquidem virtus & vitium ex viuorum exemplis addiscūtur facilius quā aut ex libris aut ex concionibus, hoc agat quisque vt tales sibi adhibeat familiares & amicos quos tuto visitare, & à quibus tuto visitari possit, nec vnquam cuiuspiam experias familiaritatem, nisi per quem melior euadere queas. Quapropter iuuenibus magis consultum fuerit vt senibus & prouectioris ætatis viris sint familiares, quam sui similibus: Sicut alma mater Maria adhuc virgo tenera, quāuis iunior esset, nihil tamē puerile in opere gessit, & nunquam cum ludentibus miscuit se, neque cum his qui in leuitate ambulāt participem se præbuit, sed Elizabetham iā senem visitat, salutat, eique adhæret. Quāquam enim iuuenibus agere cum sui similibus sit iucundius multo, quam cum viris cordatis & grauibus, tamen quia ætas iuuenilis vt plurimū vana est & lasciua, nugis, risibus, facetiis plus iusto dedita, quæ spiritui diuino, qui grauem & maturū requirit animum, iuxta illud Psalmistæ. *In populo graui laudabo te*, prorsus aduersantur, hinc ab iis plus periculi quam à senibus euenire solet. Id quod exemplo Regis Roboam manifestum euadit, qui dum derelicto seniorum cōsilio, quod ei dederāt, adolescentes adhibet, qui cum eo fuerant nutriti & assistebant ei, iuxta eorum consilium populo respōdens & se perdidit & regnū suum. 3. Reg. c. 12

IV. Visitare & salutare nos inuicem quomodo oporteat.

1. INTRAVIT *in domum Zachariæ & salutauit Elizabeth.* Hanc Mariæ salutationem non fuisse vulgarem, sed mire efficacē & diuino spiritu prolatam ex eo patet, quia ea fiebat vt & mater repleretur spiritu sancto, & infans præ gaudio exultaret in vtero, siue infans sui gaudii rationem cognouerit & præsentiam Domini sui præsenserit, vt videtur dicere *Ambrosius*, quod diuinitus in infante rationis vsus fuerit anticipatus: siue causam suæ exultationis non intellexerit, vt asserit *Augustin.* qui dicit eam potius fuisse significationē rei magnæ ab Elizabeth cognoscendæ, non autem à paruulo cognitæ, eamq; factam esse diuinitus in infante, non humanitus ab infante, quo modo in vtero Rebeccæ collidebātur gemini, ipsis ignorantibus quid diuinitus circa eos fieret. Porro ne & nos huiusmodi humanitatis, obsequiū negligamus, & salutationes quibus aliis pacem & salutem precamur, frustra fieri existimemus, hortatur nos Dominus, vt cū in domum aliquā intrauerimus, dicamus, *Pax huic domui: & si fuerit ibi filius pacis requiescet*, inquit Dominus, *pax vestra super eum*, *sin minus reuertetur ad vos*, quasi dicat Dominus, addam salutationibus & precationibus vestris vim atque virtutem efficiendi id quod aliis precamini, modo sit ibi aliquis qui pace à vobis optata sit dignus, modo & vos istius spiritus sitis qui aliis pacem deprecari mereamini. Libr. 4. cap. 4. de fide. epist. 57. Luc. 10.

2. HOMINES qui eiusdem sunt spiritus & studii, qui sibi inuicem sunt beneuoli & benigni, dū mutuo se visitant & salutant, & similia humanitatis obsequia præstant: quibus beneuolum suum animum declarant, sulphuris naturam mihi imitari videntur, quia leuissima alicuius beneficii scintilla mutuo sese vehementissime inflāmant, amicitiam prius conceptam fouent & promouent. Id quod in antiquis illis patribus videre licebat, cum enim Paulus & Antonius inuicem se visitarent, & de rebus diuinis hinc inde colloquia misce-

miscerent, iis tanquam quibusdam diuini amoris scintillis mutuos animos accendebant, atque ita inflammabant, vt somni & cibi penitus obliti, integras noctes huiusmodi colloquiis ducerent insomnes. Ea de causa & Paulus Apostolus suis Romanis adesse cupiebat, vt aliquid gratiæ spiritualis eis impertiretur ad confirmandos eos: Sic enim ait, *Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos*, quasi dicat, tunc erit vtilis aduentus meus si Deus me istuc direxerit, aliter prosperum iter non haberem. Desidero enim videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos. Nolo enim vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; adhuc, vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gẽtibus, hæc ibi. Plurimum Romanos iuuisset visitatio præsentia Pauli, ex moribus enim & cõuersatione eius diuinũ facile potuissent cõcipere spiritũ, erat enim moribus suauis animo benignus, spiritu diuinus, eloquentia & sapientia summus, non illa fucata & phaleris verborum expolita, aut prolixa barba & pallio lato philosophorum more ementita, sed vera & diuina illa ad permouendos & illuminandos animos accommoda. Quo modo *Augustinus* de Ambrosio dicit quod ipsum attraxerit eumque amare cœperit primo, nõ tanquam doctorem veri, quod se in ecclesia putabat non posse reperire, sed tanquam hominem benignum sibi.

Rom. 1.

3. ITAQVE his attentis permoueamur & nos vt inuicem libenter visitemus & salutemus, non vanitate aut curiositate pellecti, sed spiritu diuino & voluntate Dei attracti, vt hac ratione vtilis fiat & salutaris visitatio nostra, & aliquid gratiæ spiritualis inuicem impertiamur. Si enim cuidam gentili oratori dicere licuit, Nunquam a latere tuo discessi quin inde doctior euasi: & philosophus quidam alius id dixerit, Ne baculo quidem me a te repuleris quãdiu aliquid vtile dixeris: quid nos Christianos dicere & facere oportet, quorum tota vita nil debeat esse aliud quã salutaris quædam doctrina & dilectio syncera? Ne expectemus vt alii priores nobis salutem precentur, sed iuxta apostolum ipsi inuicem honore præueniamus, a nobis, *inquit Chrysost.* oriatur salutationis initium: Neq̃ue putemus hoc officium esse contemnendum vt vulgare, si libenter & amanter salutemus.

Nam hoc prætermissum multas amicitias disrupit, multas peperit simultates, animosque amicorum alienauit: Quemadmodum è diuerso idem studiose exhibitum & veteres inimicitias dissoluit & amicitias priores confirmauit: nolite hisce in rebus humanitatis studium negligere, sed quantum in vobis est omnibus impendite.

PARS II.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Luc. 1.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Quando & cur B. Virgo visitauerit Elizabeth.*

II. *Exemplum Mariæ virgines docet virorum colloquia vitare, & in puritate animæ virginitatem seruare.*

III. *Quomodo exultandum in Deo salutari nostro.*

1. INDVBITATA res est Deiparam Virginem in mense Iulio iter in montana non percgisse, sed circa finem Martii, quando a Gabriel lætum illud percepit nuncium, Ecce concipies & paries filium. In illis enim diebus, vt Lucas ait cap. 1. exurgens Maria abiit cum festinatione in montana. Sed Vrbanus Pontifex eius nominis sextus anno 1388. secunda Iulii hanc

Art. 1. Quando & quare Maria visitauerit Elizabeth.

hanc ſolennitatem inſtituit, quam multis etiam indulgentiis celebrem effecit: eo quod B. Pontifice Gregorio XI. defuncto cum ſacram illam ſedem obtinuiſſet ipſe, & Cardinales Galli Auinione morantes id non ferentes Clementem quẽdam Antipapam elegiſſent inde ſchiſma & multa mala exorta. Cui malo vt prouideret vetus Pontifex Vrbanus ſextus, hanc feſtiuitatem viſitationis inſtituit, vt eiuſdem Dei Genitricis opem eccleſia impenſius imploraret atque eiuſdem meritis ac interceſſione malum ſchiſmatis tolleretur. Hanc feſtiuitatem Bonifacius nonus cõfirmauit, ſeu potius publicauit anno 389.

2. CAVSA cur iter hoc arriperet B. Virgo, quæ alioquin ſolitudinem amabat ſoli Deo intenta fuit ſingularis quidam diuini ſpiritus impulſus, vt quæ à Deo beneficia acceperat, illa & cæteris communicaret: Imitans haud dubie illud Sap. 7. *Quam à Deo ſapientiam accepi, & ſine fictione didici, hanc ſine inuidia etiam aliis communicaui*, vt enim *Bern.* ait Duplex eſt operatio ſpiritus ſancti: operatur enim in nobis, aliud propter nos, aliud propter proximos. Propter veritatem noſtram operatur in nobis compunctionem qua peccata conſumat, deuotionem qua vulnera vngat & ſanet, amorẽ & ſimilia cætera charisma-ta, vt ſermo Sapientiæ, Conſilium & huiuſmodi, dantur nobis ad vtilitatem aliorum vt alii ædificentur. Hinc Paulus cum de diſtributione donorum loqueretur, nõ ait ſimpliciter, *Alii datur ſapientia, alii ſcientia*, ſed ſic dicit, *Alii datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ*: vt oſtenderet quod huiuſmodi dona propter alios dentur, ſcilicet vt alii ædificentur. In quibus operibus cauendum eſt duplex periculum, Ne vel illa quæ dantur propter nos, diuidamus proximis: vel illa quæ propter proximos, reſeruemus nobis, ne locum in nobis habeat quod dicitur, Sapientia abſcõdita & theſaurus inuiſus quæ vtilitas in vtriſque? Si enim quæ pro vtilitate aliorum accepimus, retinemus nobis tantum caritatem non habemus: Rurſus ſi de donis Dei velimus innoteſcere hominibus non Deo in occultis placere, humilitatem perdimus, ſic vtroque modo periclitamur, hinc humilitatem, illinc amittendo charitatem. Et quis ſine humilitate & caritate poteſt ſaluus fieri?

Bern. ſer. 33. ex par.

1. Cor. 12.

3. RECTVS ergo profectus noſtri ordo eſt, vt illis donis, ſcilicet, compunctione, deuotione, & cæteris, ſtudeamus impleri primum: deinde ſi per gratiã ſpiritus ſancti cætera vt ſapientia, ſciẽtia acceſſerint, curemus illa proximis partiri. Ita ſane obtinebimus illud ſpiritus ſancti donum, quod vocatur Diſcretio ſpirituum, ſi & ea quæ nobis tantum congruunt, nobis reſeruemus & ea quæ ad aliorum vtilitatẽ conferuntur, nobis largiamur & proximis. Cauendum itaq; in his aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogandum accepimus, retinere. Rem proximi retines tibi, ſi plenus virtutibus cum ſis, foriſque nihilominus donis ſcientiæ & eloquentiæ adornatus, metu forte aut ſegnitie, aut minus diſcreta humilitate, verbũ bonum quod poſſet prodeſſe multis, inutili imo damnabili ligas ſilentio. Certe *maledictus qui abſcondit frumentum in populis*, Prouer. 11. Rurſum ſi ſpargis priuſquam tu infundaris totus, perdis ſi ſemiplenus feſtines effundere, contra legem arans in primogenito bouis, & ouis primogenitum tondens, *vt dicitur Deut.* 15. In primogenito bouis operari ſeu arare, eſt bonæ conuerſationis primordia in exercitio publicæ actionis oſtendere, *inquit Bernardus* & *Gregorius*, Et ouium primogenita tondere, eſt, ab occultationis ſuæ tegmine, humanis oculis inchoantia bona opera noſtra denudare. In primogenito ergo bouis arare ſeu operari prohibemur, atque à primogenitis ouium detondendis compeſcimur, quia etſi quid robuſtum incipimus, exercere hoc in aperto citius non debemus. Et cum vita noſtra ſimplex quid atque innocuum inchoat, dignum eſt vt ſecreti ſui velamina non relinquat. Id ſollicite vitauit B. Benedictus, qui tribus annis ſoli Deo notus, homi-

Bernar. in ſerm. de S. Benedicto Greg. 8. mora. c. 29.

hominibus mansit incognitus, & multũ fructum tulit, vt ipsi cernimus, sed in tẽpore suo. In eo quod dicitur Psal. 1. Dabit fructum in tempore suo, arguuntur ii qui ante tempus aliis fructificare volunt, *ais Bernard.* quorum fructus quia nimis propere, minus prospere oriuntur. Nonne & arboribus nostris citius quã oportet pullulantibus, timemus omnino floribus intempestiuis?

Orig. ho. 6. in Gen. 4. EST conueniens, *inquit Origenes*, vt donec ad perfectum veniamus intra nos sit animi virtus & propria fit. Cum vero ad perfectum deuenerimus, ita vt idonei simus & alios docere, tunc iam sapiẽtiam non vt sponsam intra gremium concludamus, sed vt sororem etiam aliis volentibus copulemus, Si sapis, *inquit Bern.* cõ- (Bern. ser. 13. in Can.) cham te exhibeas non canalem, hic siquidem pene simul & recipit & refundit: illa vero donec impleatur expectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat. Et ne meum consilium contemptibile (Prou. 27.) ducas (*sunt verba Bern.*) audi Salomonem dicentem, *Stultus profert totum spiritum suum simul, sapiens reseruat in posterum.* verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ caritatis sunt per quos nobis fluenta cœlestia emanant, vt ante effundere quã infundi velint, loqui quam audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt. Quod si non habeo nisi parumper olei quo vngar, putas tibi debeo dare & remanere inanis? *hæc Bern.* vide si non propterea nobis præcipitur ne bonos actus nostros & iustitiã nostram corã hominibus faciamus, sed vt clauso ostio patrẽ in abscõdito oremus, ne quod facit dextera sciat sinistra, vt nihil gloriæ humanę causa faciamus, sed fruamur bono cõsciẽtiæ & solum iudicẽ expectemus Deum, ne si laudem ab hominibus quęramus, bonorũ nostrorum operum mercedem apud Deũ perdamus: citius enim bona depereunt quæ hominibus ante tempus innotescũt (Greg. 8. mora. c. 29.) *ait Greg.* Sæpe namq; nouæ conuersationis primordia adhuc ex carnali vita sunt cõmixta, & idcirco innotescere citius nõ debent, ne cũ laudantur bona quæ placẽt, laudatus & deceptus laude sua animus, deprehendere in eis nequeat mala quę latẽt, vnde recte per Moysen dicitur, *Quãdo* (Leui. 19.) *ingressi fueritis terram quã ego daturus sum vobis, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant immunda erunt vobis nec edetis ex eis.* ligna pomifera sunt homines operib. virtutum fœcundi. Præputia lignorum auferimus, *inquit Greg.* cum de ipsa inchoationis infirmitate suspecti primordia nostrorum operum ob mala latẽter immixta nõ approbamus. Et cũ primordia boni operis laudantur, æquũ est vt hoc animũ non pascat operãtis, ne dum accepta laus suauiter carpitur, & fruct⁹ operis seu inchoatæ virtutis ante tempus comeditur, homo inanescat & fructus pereat. Hinc per Psalmistam veritas dicit, *Vanum est vobis ante* (Psal. 126.) *lucẽ surgere surgite postquã sederitis qui mãducatis panem doloris.* Ante lucem quippe surgere est priusquam claritas æternæ retributionis appareat in præsentis vitę nocte gaudere. Adueniente autẽ diuino iudicio multi tunc arescent, qui hic clarescunt, quia tunc quam sint iniqui apparebunt. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscõdat necesse est bona quę portat, quia hostem ad rapinam prouocat, qui suas diuitias eius notitiæ denudat.

5 ET tamen veritas dicit Matt. 5. *videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Sed aliud est cum in ostensione operis gloria quæritur largitoris, *ait Greg* aliud cum laus priuata cõ- (Gregor. vbi sup.) cupiscitur de dono largientis, vnde ibidẽ ait Dominus, *Attendite ne iustitiam vestrã faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, opus ergo nostrum cũ hominibus ostenditur, in corde prius pensandum est quid in ostensionis studio quæratur. Si n. dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera in conspectu illius occulta seruamus. Si vero per hæc nostrã laudem concupiscimus, foras ab eius conspectu iãm fusa sunt, etiamsi à multis ignorẽtur.

Sed

Sed valde perfectorum est sic ostẽso opere, auctoris gloriam quærere, vt de illata laude priuata nesciāt exultatione gaudere. Tunc solum namq; innoxie hominib. laudabile opus ostẽditur, cum per despectũ mentis veraciter laus impẽsa calcatur. Quam quia infirmi quiq; perfecte contẽnendo non superant, restare necesse est, vt bonum hoc quod operātur, abscondant.

II. Exemplũ Mariæ docet virgines virorum vitare consortia, & caute virginitatem custodire.

1. EXEMPLO Mariæ discant virgines virorum consortia & colloquia vitare, & cum festinatione publica sua negotia peragere. Caueat virgo, *inquit Basil. lib de vera virgin.* ne aut aspectum, aut motum, aut sermonem suum affectu minus pudico in quempiam ferat: nam virgo quæ vera virgo sit, non solum abstinere debet à peccatis grauibus, verumetiam illa quæ leuiora sunt vel putantur, non inueniantur in ea, non improbus vultus, non vagi oculi, non infrenis lingua, non petulans risus, non scurrilis iocus, non indecens habitus, non tumidus aut fluxus incessus. Non quærit sponsus à virgine tantum pulchram carnem, sed pulchros mores quibus frenet & carnẽ. Totum teneat sponsus qui vbiq; cor virginis intuetur, & omnes motus tam animi quã corporis diligenter explorat. Nulla igitur ex parte mœchari conuenit virginem, nõ lingua, non aure, non oculo, non tactu, non vllo denique sensu, *inquit Basil.* multoq; minus animo: Sed corpus quidẽ velut delubrum quoddam: aut sponsi thalamum aptissime instruere atque seruare: animam vero in hoc ipso vt sponsam nitidam atque putissimam sponsi amplexibus iungere. Si sollicite cogitat quomodo placeat Domino, nihil eorum præsumere debet quæ illi non placent.

2. QVOD si quia nullus hominum videt, fuerit vel verbo vel nutu fortasse procacior, aperte deprehenditur ad sponsi sui cæcutire dignitatem, *inquit Basilius,* cum intentionum cordis testis intimus sit atque arbiter, qui maxime auersatur eiusmodi fallacem simulatamque voluntatẽ. Et idcirco inprimis fucatam virginitatis speciem & habitum odit, quod quæ eiusmodi est, quæ oculos hominum fallat, sponsamq; se illi iugiter exhibere putetur cum neque sponsa ipsius, neq; hominis aperte sit vxor. sed hæc profecto dum opinionem virginitatis per exteriorem habitũ ab hominibus captat, in oculis sponsi adultera est inquit. Impieque in illũ contumeliosa est, quando ante hominum oculos, ne existimationem suam fœdet indecẽs aliquid agere nõ audet, sub eius autem obtutibus, qui semper præsto est, sine vllo pudore gerit omnia. Quasi igitur præsente sponso & inspectante omnia & audiente virgo se habebit in omnibus. Etsi enim adsit nemo, ipsa tamen sibi virgo adest, debetque præ omnibus seipsam revereri, etiamsi sola sit, deinde angelum custodem adstantem sibi: præcunctis autem ipsum sponsum suum reuerebitur sibi vtique assistentem, angelorumque infinitam multitudinem: Nullus enim ex his est qui non singula vbiq; consideret. Ex hac ergo ratione si latere virgo plures quærit, longe hos magis qui tanti ac tales sunt, quam homines merito reuereri debebit. Et quia pauescit multitudinis obtutus, hos autem vitare impossibile est qui sunt infinita multitudo, nihil vnquam indecens facit.

3. NVLLVS etiam seruus ad id impietatis erumpat, vt sponsam Domini contingere audeat, nullus adeo insanus ac sacrilegus sit, vt immaculatam hostiam impudicis manibus tractet. Immo vero nullus adeo impius, impurusque sit, vt non inanimata templi vasa, sed ipsum Domini templum, virgineum scilicet corpus, ipsamque animam omnium pretiosissimam in templo Dei sacratissimi donarii vice locatam, libidinis facibus, barbarica immanitate succendat, verum & si sponte sua se virgo sponsi fœdera transgressa substernat, cunctaque simul & templa & donaria, & charitatem spõsi perniciosæ voluptatis gratia confundere atque calcare nitatur, noli huiusmodi ad scelus tui ad.

Digitized by Google

admittere, neq; te peccati communione commacules. Nam & eximius ille Ioseph Dominæ suæ amoris magnitudine ebriæ ac pene furiosæ seipsum ad impudicitiam minime permisit. Si autem qui dimissam à mortali viro ducit, adulter atq; impius est, qui immortalis viri sponsam nūquam dimissam violare præsumit, multo profecto funestior adulter atque impius erit. Itaque etsi illa pessima se mutatione deiiciat ad carnis vitia vltro deuoluta, tu tamen eam noli tangere, viuit enim eius vir, neque illam dimittere vult. Quæ se à Christo qui lux est & vita, dimouit, quid aliud quam de luce ad tenebras, à vita ad mortem miserabili casu se infœlix præcipitat? *hactenus Basilius.*

4. ANTE omnia autem oportet virginem cogitationes suas puras inuiolatasque seruare, *inquit idem*, anima quippe perdurante incorrupta corpus quoque impollutum seruatur. Porro si pessimis cogitationibus contaminetur anima, quālibet corpus incorruptum permanere videatur non tamen munda censetur eius integritas, cum sordibus cogitationum inquinata vitietur. Hinc debet virgo omnes occasiones, quæ ipsam maculare possint, lōge cohibere, vt neque inuectis extrinsecus per aures verbis animus eius, qui serenus ac tranquillus & diuinis cogitationibus intentus esse debet, agitetur, neque irruentibus per oculos formis à statu illo suæ quietis fluctuans deuiet, ita fiet vt in ipso velut in lucidissimo speculo & suam speciem & sponsi pulchritudinem intuēs, illius amore germanius ac plenius exatietur. Et ad hoc necesse est virginem in hoc speculo nullam aliam intendere faciē ne illam quæ prius inerat ipsa continuo subrepens deleat, nulliusque in se nisi sponsi solius præferat speciem, vt solus ille in ea propriam cernat imaginem, solamque anima ipsius formam in speculo suo habeat lucentem, eiusque pulchritudine ornari iugiter appetat, Nullius igitur absentis, nullius præsentis hominis speculum sit virginis animus nisi sancti spōsi. Nullam aliam ob causam speculū animæ studiose ipsa detergat, nisi vt ille huic suæ pulchritudinis irradians speciem, illam beatissimam faciat. Sicut autem qui adhæret meretrici vnum corpus est, ita & qui adhæret Domino vnus spiritus est. Et sicut spōsus eius homo factus, illi ratione mortalis naturæ adhæsit, vt vnum cū illa misericorditer factus sua illam gloria & immortalitate donaret; Ita & ipsa ei, qui seipsum à forma Dei ad serui formam exinaniuit, immortalitatis ratione inhærere debet, vt in cœlestem quoque thalamū ad patrem ascendenti coascendat. Neq; enim ideo descendit Christus vt inhærēdo spōsæ remaneret in terris, sed vt assumens eā atque in meliora commutans ad cœlos reueheret: Inquinatā enim à diabolo per voluptates corporis, nactus eā ex muliere polluta immaculatam virginem efficit, & dicitur dux & auctor virginitatis sponsæ. Magnum autem quid & splendidissimum virginitas est, per quam virgines etiam angelis Dei efficiuntur similes: vt enim angeli nobilissimæ & splendidissimæ creaturæ carneis nexibus liberi integritatem suam in cœlis seruant inuiolabiles, Ita isti in terra carnis illecebris & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetua exercitatione vincētes, incorruptionem angelicæ puritati parem ante creatoris oculos custodiunt: Mortificatis quippe corporibus, edomitaque voluptate, sola iam anima in eis viuere per incorruptionis meritum cernitur.

5. MVNIANTVR ergo vndiq; virgines, ac se obseruent summa diligentia, ne sicut è terra & hominibus in cœlestem angelicamque dignitatem ascenderunt, ita e cōtra ab angelis & cœlis in terram pessima ruina delabantur. Ideò à virginib[...], *ait Ambro.* deuitandæ sunt conuiuiorum celebritates, fugiendæ visitationes virorum & salutationes, teritur enim pudor officiis, audacia emicat, risus subrepit, modestia soluitur dum vrbanitas affectatur: deesse sermonem virgini quam superesse malo, taciturnitas commendat pudo- Ambr. lib. 3. de virg.

pudorem, pudor ornat ætatem, cuius pudoris exemplum est quod Rebecca cum sponsum vidisset velamē accepit, ne prius videretur quam iungeretur, virginem decet pudor & morum grauitas, sobrius incessus, vultus modestus, quæ prænuncia solent esse integritatis virtutis. Tenera res in fœminis fama pudicitiæ est, *inquit Hieron.* & quasi flos pulcherrimus, cito ad leuem marcescit auram, leuiq; flatu corrumpitur, maxime vbi & ætas consentit ad vitium, & suspectum facit aut cultus immoderatus, aut ætas apta libidini, aut ex conscientia amoris occulti securus animi tumor, qui etiam bene dissimulatus frequenter erumpit in publicum. Hoc dictum sit vt omni diligentia custodias cor tuum, & caueas quicquid de te fingi potest. Non ambulet iuxta te iuuenis cultus & nitidus, nihil tibi in obsequiis molle iungatur, habeto tui sexus solatia viduarum & virginum choros. Non debet periculose externorum consortia quærere de suarum societate secura. Quid fragilem ratem magnis committis fluctibus? Quid solus cum sola & non cum arbitris sedes, vt cum ipse non pecces, aliis peccare videaris, vt exemplo sis miseris qui nominis tui auctoritate delinquēt? Tu quoque virgo vel vidua cur tam largo sermone viri retineris? Sed de scripturis sanctis aliquid interrogas. Interroga publice, bonus sermo secreta nō petit, quin potius delectatur testimonio plurimorum. Magister egregius contemnit viros, despicit fratres, & in vnius mulierculæ secreta eruditione desudat. Sexus fœmineus suo iungatur sexui: & in eo commendat sanctitatem Paulæ, quod post mortem viri sui vsque ad diem dormitionis suæ cum nullo comederit viro, quamuis eum sanctum & in Pontificali sciret culmine constitutum, & à viris tanta separatio erat vt à spadonibus suas seiungeret, ne vllam daret occasionem linguæ maledicæ.

Hier. ep. 9 tom. 6. ad Salimi. viduam iuuen.

Hier. epi. 12. to. 1. & 27.

6 SED dices forte, quod licet virginem conspiciam, eamq; præ amore sæpius inuisam, quin etiamsi cohabitem, cohabitando tamen purus permaneo, ne suspiceris aliquid mali, nec putes concupiscentiæ negotium, sed pietatis potius peragi. Cui respondet *Chrysost. serm. con. concubinar. tom. 5.* dicens, Admirande vir, is affectus est his qui lapidibus cohabitant, non hominibus. Et tu forte non credis ob magnam tuam continentiam, quamuis ne Iob quidem tantam fuerit ausus sibi asscribere virtutem, sed veritus talem pugnam & carnis seditionem contra spiritum ac concupiscentiæ rabiem prælium continuum mouentem, etiam impossibile putauit cohabitare virgini sine damno, adeo vt nō solum à cohabitatione tali seipsum subduxerit, sed fœdus cum oculis pepigerit, vt ne quidem de virgine cogitaret. Et magnus ille apostolus veritatis prædicator, qui totum orbem circuiuit, qui mundo crucifixus erat, & mundus ipsi, & dicere poterat, *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus:* post tantam spiritus gratiam declarat nobis, quod donec spirauerimus & hac carne fuerimus circundati, certaminibus nobis opus est & laboribus, neq; enim vnquam otio temperantia paratur, sed luctando, pugnando, orando, ingemiscendo, ieiuniis, vigiliis, & multis sudoribus ad hoc opus est trophæum parandum. Hinc dicebat, *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne dum aliis prædicauero ipse reprobus efficiar.* At hi delicatuli virginum lateri semper adhærentes, & animam potius amittere parati quam cohabitatricem, & parati omnia & facere & pati potius quam separari à dilecta, ne suspiceris aliquid mali inquiunt. *Hiero.* explicans illa verba *Ezechielis ca 8.* vbi inter cæteras abominationes & peccata populi, quæ ostensa sunt Ezechieli, etiam eam refert quod mulieres sedentes plangerent Adonidem, & sic ait, Quia iuxta gentilem fabulam in mēse Iunio amasius Veneris dictus Adonis iuuenis pulcherrimus occisus, & deinde reuixisse narratur; Hinc mulieres anniuersariam ei celebritatem, in qua plangitur

1 Cor. 9.

Digitized by Google

per omnes creaturas Deipara virgo diuinam bonitatẽ perfectius repræsentabat, merito præ cæteris anima illius eum magnificabat. Nam vt Aug. ait *super Magnificat in fine to. 9.* statim adueniente Spiritu sancto in virginem, quando concepit Christum & omni gratia virtutum sacrosanctum habitaculum implente, dubium non est, quin cœlestium gaudiorum & æternæ atq; internæ dulcedinis, miram & inenarrabilem suauitatem virgo ipsa concepit, quando illud æternum lumen cum toto maiestatis suæ fulgore in eam descẽdit, audacter pronũcio, *inquit Aug.* quod nec ipsa virgo plane explicare potuit quod capere potuit. Et cum se in suo salutari exultare asseruit, gustum in se diuinę dulcedinis percepisse ostendit: Et Saluatorẽ mundi singulari de causa suum salutare dicit, quia se ad hoc singulariter electam videbat, quæ sui Saluatoris mater fieret. Et cum ait, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, Maria quæ apud Dominum humilis erat, & apud homines propter Deũ abiecta, in vtroq; se esse respectam testatur, quia & eius humilitas apud Deum acceptabilis fuit, & eius humiliatio apud homines in gloriam commutata est, vnde dicit, *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

4. CVm autem ait B. Virgo, *Et exultauit*, &c. exultationis vox solenni consuetudine scripturæ, *inquit Basil.* exprimit animę statum ingenti gaudio circumfusum, ob ea quæ gaudio & exultatione digna sunt, non quia corpori bene est, aut ager omnigenis fructibus plenus est, sed quia Dominum habet tanta bonitate & sapientia præditum qui & ipsam bonam & sapientem efficiat. Si quãdo cordi tuo, quasi lux quædam illapsa, multam de se Deus cogitationem atq; intelligentiam peperit, tuamque mirum in modum illustrauit animam vt in eius amore magnopere inardescas, res vero mundi istius & corporis vt vilia despicias, ex illa breui & obscura similitudine omnem iustorum statum facile nosse poteris, quo illi æqualiter nec intercise in Deo lætitiam sunt assecuti. Tibi autem diuina dispensatione quandoq; nec admodum sæpe contingit gaudium, vt per breuem degustationem admonearis quibus bonis sis priuatus. Iust. autem quod in ipso insideat inhabiterq; spiritus perpes, suppetit ei diuina cœlestisq; lętitia, quia inter pręcipuos spiritus fructus, caritas, gaudiũ, pax numerantur. In ipso itaq; Domino dum sumus, necesse est prorsus vt gaudeamus & lætemur. *hæc Basil.*

Basil. ho. 8 in Psal. 32.

5. Ad hoc nos gaudium exhortatur Paul. cum ad Philipp. 4. ait, *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete*, verum ad illius perpes gaudium non quemlibet inuitat apostolus, sed eum qui sibi esset adsimilis. inquit Basil. non iam viuens in carne, sed viuentem in se sic habet Christum ac si iã illi mutua cohæresceret vnione. Hoc enim est quod Michæas ait cap. 4. *Requiescet vnusquisq; sub ficu sua.* Sub ficu requiescit, *inquit Hier.* qui dulcedine spiritus sancti fruitur, & illius fructib. saturatur, caritate scilicet, gaudio, pace. Sunt qui exultant in rebus huius seculi, in diuitiis, in deliciis, in comessationibus, in nuptialibus symphoniis, in voluptate carnis, in suauitate odorum & saporum, in vanitate laudis humanæ & similibus rebus pereũtib. *Beatus homo qui scit iubilationem*, qui scit vnde gaudere debeat: quia illud est verum gaudium, *inquit Bernar.* quod non de creatura, sed de creatore concipitur, ita cui comparata omnis alia iucunditas, mæror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdũ. Quid vis gaudere in diuitiis aut deliciis, transit mundus & concupiscentia eius, transis & tu & nescis vter prius, sed hoc certum, quod vterque transit.

Basil. ho. 4 ex 29. variis.

Hier. in c. 65. Isai.

Bern. epi. 112

Hæc Augustinus.

IN

IN FESTO
MARIÆ MAGDALENÆ.

ROGABAT *illum quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domo Pharisæi attulit alabastrum vnguenti*, &c.

Luc. 7.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Pœnitentia non differenda, sed iuxta peccati qualitatem assumenda.*

II. *Pœnitentia interdum vera, interdum ficta, interdum infructuosa.*

III. *Pœnitentia ex contritione orta pacem cordis adfert.*

IV. *De peccatis, vera pœnitentia, & alijs virtutum operibus B. Magdalenæ.*

PARS I.

ART. I. Pœnitētia non differenda.

I. MVLIER *quæ erat in ciuitate peccatrix stans retro lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Cum post criminis lapsum nemo sine pœnitentiæ medicamento animæ sanitatem aut salutem æternam consequi valeat, frequentissime nos diuina scriptura & verbis & exemplis ad præsentis temporis pœnitentiā adhortari solet. Quamuis plærīq; hominum huic voci aures occludentes, eo quod natura ab omni abhorreat pœna, pœnitentiam vel in tempus futuram differant, quasi tunc ea facilior sit futura vt putant, vel certe spe diuinæ misericordiæ seipsos consolātur quod salutem consequentur: aut deniq; quia desperantes de salute tanquam ea acquisitu sit impossibilis, tradunt se impudicitiæ & iniquitati. Sic enim *Augustinus* ait, Homines improbi rebus contrarijs, nempe stulta spe & desperatione, frequēter ad eandem improbitatem ansam arripiunt. Nam desperans homo sic ait, Salutem assequi non potero, cur nō facio quidquid volo? Audi & vocem sperantis spe vana & falsa se iactantis, Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: cur non facio quod volo? Desperat ille vt peccet, sperat iste vt peccet: vtrumq; malum. Væ à desperatione. Væ à spe peruersa. *hæc Augustin.* Contra hos sic Ecclesiasticus, *Ne dixeris*, inquit, *misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim venit ira Domini, & in tempore vindictæ disperdet te.* Certe extremæ dementiæ fuerit summum omnium negotiorum, quo nullum est magis necessarium, ad impeditissimum omniū reseruare temporum, nempe ad diē mortis: aut etiam in tempus futurū illud procrastinare. Si enim aliquando, cur non modo? quia inquis difficile esse videtur nouam inchoare vitam, & pristinis renūciare moribus, & duram subire pœnam atq; pœnitentiam, quod tamen postea facilius leuiusq; mihi futurum spero. Erras ô homo: Nam hac dilatione & natura fit vsu peccandi imbecillior & peior, & praua consuetudo violentior, & gratia elongatior, & dæmonis potestas super te maior. Quo pacto igitur crescentibus difficultatis causis conuersio ipsa facilior erit? Et quis prauæ consuetudinis violentiam verbis explicet? Hæc n. D. Augustinum diu à peccato surgere conantem violento quodam imperio misere detinebat: Sic enim ipse de se testatur *lib. 8. confess.* Rapiebar ad te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu, & pondus consuetudo carnalis erat.

August. in Psal. 144.

Eccl. 5.

2. Ex quibus Augustini verbis aperte liquet in quanto salutis suæ discrimine malæ consuetudini assueti versentur, præsertim si desides & negligentes sint, quando *Augustinus* qui tãto studio surgere à peccato nitebatur adeo se ad hoc infirmum atque impotentem confitetur. Qua de re *Beda in Historia Anglicana* tale refert exemplum. Quidam erat in Prouincia Merciorum tempore Ceuridi Regis, quia quia ei charus erat cum vita esset interim dissolutę, sępius à Rege monebatur quod aliam suæ salutis curam habere deberet: Is verba salutis parui pendens, sese in posterum pœnitentiam acturum respondebat. Contigit quod in morbum incideret: rursum à Rege monetur, vt suorum peccatorum confessionem faceret & pœnitentiã ageret. Respondit se id facturum esse postquam conualuisset se autem iam facere non posse, ne suis sodalibus risui foret, quod timore mortis magis quam syncera cordis conuersione id ageret. Cumque morbus ingrauesceret, & Rex vt eum visitaret rursũ aduenisset, idem ei proposuit: exclamauit alter miserabili voce, Quid vis: cur huc venisti? nihil spei superest mihi: iam modo enim duo pulcherrimi iuuenes intrauerunt in domum meam, proferentes libellum perpulchrum sed paruum, mihique legendum tradiderunt, in quo omnia quæ vnquam bona feci scripta reperi, sed nimium pauca, receperuntque codicem nihil dicentes. Paulo post superuenit exercitus malignorum spirituum domumq; hanc & exterius obsederunt, & interius repleuerunt: tunc ille qui obscuritate tenebrosę faciei, & primatu sedis cæteris maior esse videbatur, proferens codicem horrendæ visionis & magnitudinis enormis, iussit vni ex suis satellitibus mihi ad legendum deferre quem cum legissem, inueni omnia scelera, non solum quæ opere vel verbo, sed etiam quę tenuissima cogitatione peccaui, manifeste in eo tetricis esse descripta litteris: dicebatque ad illos qui mihi adsederant viros candidis vestibus nitentes. Quid hic sedetis, scientes certissime quia noster est iste? Responderunt, verum dicitis, accipite eum & in cumulum vestræ damnationis ducite. Quo dicto statim disparuerunt, surgentesque duo nequissimi spiritus habentes furcas in manib. percusserunt me, qui & modo cum magno tormento torquent viscera mea. Sic loquebatur miser desperans & non multo post moritur. *hæc Beda.* De hoc constat vt *Gregorius* in similibus loquitur, quod non pro se ista, cui non profuerunt sed pro aliis, quibus prodesse possent, viderit. Quod autem codices diuersos per bonos & malos spiritus sibi vidit offerri, ob id superna dispensatione factum est, vt meminerimus facta & cogitationes nostras nõ in ventum diffluere, sed ad examen summi iudicis cuncta seruari, siue per bonos siue per malos angelos, tanquam testes deponenda, vti in iudicio seculari, quod est forma futuri, fieri solet.

Beda c. 14. hist. Ang.

3. QVOD autem Magdalena pedes Domini suis rigauerit lachrymis id ideo fieri permisit Dominus, quia iuxta peccati qualitatem assumi debet & pœnitentiæ modus: Si magnum & grande sit peccatũ, *inquit Basilius*, multa tibi opus est confessione, amaris lachrymis, indesinenti ieiunio, vt iuxta proportionem delicti etiam curationis auxilium assumatur. Id manifeste in se expressit Propheta Dauid qui pro homicidio & adulterio à se commisso pœnitentiam agens, per singulas noctes lectum suum lachrymis rigabat: & alibi, *Genua mea infirmata sunt à ieiunio*, quasi dicat, ita exhausi vires corporis mei, vt pedibus trepidus consisterem. Item *Ambrosius* ad virginem lapsam, Grandi plagæ, *inquit*, alta & prolixa opus est medicina, grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem. Nam vt idẽ ait, pro leuioribus pio gemitu venia imperatur, sed grauiora scelera seuero examine in te punias: Si n. nosipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino. Quod igitur in futura vita assiduo quasi supplicio perferre oportet, hic per tẽporũ saltem

Psal. 106.

saltem interualla assumatur. Idipsum & Cyprianus asserit dicens, Putasne tu Dominũ cito posse placari? orare oportet impensius, diem luctu trãsigere, vigiliis noctes ac fletib. ducere, stratos solo adhærere. *hac ille*: verum quia ab omni pœna hominis abhorret natura, ideo rarus est qui condignam suis peccatis agat pœnitentiam: Et facilius inueni, *inquit Ambrosius*, qui innocentiam seruauerit, quam qui condignam pœnitentiam peregerit.

Cyp. ser. 5. de lapsis.

4. Existimo cum hæc auditis animo vos concidere, & tacita secum cogitatione quisq; fortasse dicit. Quomodo igitur ad plenam remissionem vnquam perueniam?

Nihil mirũ si quæ à nobis dicta sunt timorem vobis incutiant, *inquit Bern.* hoc enim legis proprium est & veritatis, metum animis incutere: Id quod fulgura & tonitru quæ in monte Sinai audiebantur, cum lex daretur, indicabant. Est enim veritas quæ singula quæque perlustrat, sine gratia valde onerosa, *teste Bernardo*: Multos, *inquit*, agnita veritate expertus sum tristiores & ideo magis quia scriptum est, *Qui scit voluntatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis.* Non culpamus donum, *inquit*, sed bonum eius vsum quærimus, sine quo non tam prodest, quam obest quodlibet donum. Itaq; veritas seu veritatis cognitio gratiæ coniuncta sit, & gratia veritati, vt n. veritas sine gratia valde est onerosa, ita gratia sine veritatis põdere ac seueritate, leuis est & dissoluta: vt parũ profuerit gratiam percepisse, nisi pariter & temperamentum de veritate contingat accipere. Dum enim ex ea homo sibi plusquam oportet, complacet & se totum dedit hilaritati gratiæ, absque veritatis maturitate, fit vt in eo contingat quod scriptum est, *Dixi in abundantia mea non mouebor in æternum: auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Euntes ergo discite quid sit, *Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore.* Causam timendi habet qui peractam respicit vitam, *inquit Bernardus* eamque ad veritatis & diuinæ iustitiæ examinat normam: Sed hunc timorem temperare oportet spe consequendæ indulgentiæ intuitu diuinę misericordiæ, & fit spes ipso timore maior, quia vt Iacobus ait. *Superexaltat misericordia iudicium.* Itaque sicut recordatio solius diuini iudicii in barathrum pręcipitat desperationis. Ita solius misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem, negligentiam & incuriam: Confestim enim sequitur oratio tepidior, actio pigrior, risus promptior, sermo incautior. Non igitur iuditium solum stimulante conscientia, nec misericordiam solam exuberante gratia, sed misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, *hac Bernardus.* Fit sæpe numero quod homo suum informet ex affectu iudicium, vt enim qui gratia exuberante corde lætus est, de Deo & proximo facile sentit in bonitate. Ita qui animo est pusillo & corde graui, putat & alios esse qualẽ se inuenit, ipse sibi molestus est & quasi aduersus putat & alios sibi aduersos & cõtrarios. Hinc cum Magdalena non vnum solum pedem Domini, sed vtrumque osculari oportet, nec solum innitamur diuinæ misericordiæ, sed & iudicii atque iustitiæ meminisse oportet, vtroque enim hoc pede ad nos venire Dominus solet: hoc enim est, quod Psalmista ait, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.*

Iacob.

II. De vera & ficta pœnitentia.

1. In omnibus rebus quæ vel arte vel natura constat, quasdam veras, quasdam fictas conspicimus: Si fit verum aurum est & adulterinum: si sit vera amicitia, est & simulata: si sit vera pœnitentia, est & ficta seu falsa. Pœnitentia vera est quaquis ex Dei dilectione toto animo peccatũ auersatur, illudq; non minus quam ipsam gehennam fugit & odit, quin & persequitur quousque eius delectationem & recordationem quę mentem perturbant radicitus à memo-

ẽ memoria & corde euulserit. Complectiturque vera & integra pœnitentia tres hasce partes, Contritionem, Confessionẽ, & Satisfactionem: ẽ quibus contritio est magis necessaria. Fieri enim potest vt sola contritio salutem pariat, vbi sacerdotis copia non fuerit, & ipsa confessio in votis sit atque proposito: sola autem confessio sine contritione, aut saltem sine attritionis ope salutem dare non potest. Et ideo pœnitentes non modo in exploranda vita sed multo magis in contritione suscitanda studiosi & intenti esse debent. Quod contra multi faciunt, qui cum in perscrutandis peccatis suis nullum pene finem faciant, in contritionis tamen suscitandæ studio negligentissimi sunt. Quo fieri plerumque solet, vt eorum pœnitẽtia informis sit velut corpus sine anima: quia vt *Gregorius ait*: Qui peccata confitetur & non deflet, perinde est, ac si medico vulnera detegeret & curari nollet, vnde nec hic sanitatem corporis, neque ille salutem mentis consequitur: quocirca vtraque pars est amplectẽda, ea tamẽ lege vt quod maius est, maiori quoque studio consectemur. Pœnitẽtia falsa seu ficta est, quãdo pœnitentis animi speciem improbus homo præ se fert foris à peccatis tamen animo & corde non recedit intus. De qua pœnitentia Dominus per Ieremiam, *In o-*
Ierem. 2. *mnibus his non est reuersa ad me virgo Israel in toto corde suo, sed in mendacio.* Mendacium vocat huiusmodi conuersionem aut quia quod foris simulatur, intus non agitur: aut quia mentitur cum non implet quod promisit, emendationem promitti: & non præstat, quia à peccatis quæ se damnare profitetur, non recedit.

2. TALIS est eorum pœnitentia, qui cõfisi suis eleemosynis, aut orationibus quas quotidie faciunt, sic securi sua scelera perpetrant, tanquam à Deo peccandi libertatem redimere possint. Quales sunt subinde potentes huius seculi qui hominum leges non timent: & astuti qui quosuis fallere norunt: & quos nõ Dei amor, sed præsentis periculi metus ad pœnitentiam adigit: pœnitentiam agunt conscientiæ stimulis agitati, non quia Deum offenderũt, sed duntaxat vt pœnam euadere possint: Talis fuit pœnitentia Iudæ, Antiochi, Pharaonis, qui dum plagis vrgeretur, obedientiam pollicebatur: sublatis plagis ad solitam continuo pertinaciam redibat.

Talis interdum & eorũ pœnitentia qui aut mortis aut periculi in quo sunt metu adacti peccata confitentur, & paulo post eadem perpetrant: quis huiusmodi pœnitentiam veram fuisse & illi profuisse credat? Si quis, *inquit August.* peccatum detestetur quia gehennam aut pœnam timet, hic non peccare sed ardere metuit, nec Deum amare sed seipsum solum diligere conuincitur. Et de talibus loquitur scriptura cum ait, *Clamabunt ad me & ego non exaudiam eos.* Prou. 1. Hic tamen *notandum* quod & conscientiæ stimulus, & gehennæ timor sit vtilis, & inter dona sancti spiritus numerandus, quia timor iste gehennæ, qui & seruilis dicitur, filiali timori aditum præbet, quamuis solus per se salutem dare non possit. De quo sic *Concilium Tridentinum.* Conc. Tri. sess. 14. c. 4. Illam vero contritionẽ imperfectam, quę attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat concilium non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei esse, & spiritus sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tamen mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, eum tamen ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.

Hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem, plenam

terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. *hæc Concilium.* Hic tamen aduerte Concilii verba quæ habent attritionem tunc esse viam ad salutem, quando excludit voluntatem peccandi: Hic enim præcipuus attritionis fructus est, sine quo nihil huiusmodi attritio proficit ad salutem. Hoc enim nomine Niniuitarum pœnitētia commendatur, quod non modo ieiuniis & lachrymis, animi sui dolorem testati sunt, sed etiā quod à pristinis sceleribus sese continuerint: Sic n. legimus Ionæ 3. *vidit Dominus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala.* Quod si attritio non excludat voluntatem peccandi, inanis tū erit huiusmodi pœnitentia: Id quod patet in Iuda, Pharaone, Antiocho, qui peccasse se dolebant ob pœnam solum quam patiebantur: & ideo ficta erat eorum pœnitentia, quia culpam animo non deserebant, remanebat in eis occulta peccandi voluntas: si impune potuissent idem quod solent fecissent.

3. NON solum inanis est ea pœnitentia quæ ficta est, sed etiam & ea quæ vera erat, sed quam sequens coinquinat culpa: Nihil prosunt lamenta, *inquit Aug.* si iterantur peccata. Quod & Ecclesiasticus nos Eccl 34. docet cum ait, *Qui baptizatur à mortuo & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius? vnus ædificans & alter destruēs, quid prodest illis nisi labor?* Quinimo metuendū, qui post confessionem cito & sæpe relabuntur in idem, quod talium confessio informis fuerit, qua sacramentum tantum suscipitur, non etiam res seu fructus sacramenti, neque gratia spiritus sancti: qua gratia deficiente homo praue affectus occasione oblata in eadem protinus relabitur peccata. Non tamen certo conuinci potest confessionem talium omnino fuisse inanem, quia protinus in eadem peccata relabuntur, hoc enim prauis habitibus & inueteratæ consuetudini magis videtur tribuendum, quia difficillimum est assueta relinquere, quæ in naturam quodammodo conuersa sunt. Et ideo fieri potest vt vera quidem confessio & pœnitentia præcesserit, & tamen incautus homo sibique parum prospiciens, partim praua consuetudine prioris vitæ perurgente, partim diabolo instigante in pristina statim vitia corruat. De hoc hominum genere sic conqueritur Dominus apud Ozeam, *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina & quasi ros mane pertransiens.* Osee. 6. Sicut enim sole oriente ros statim absumitur, ita gratia talium qua aliquantulum ad fructificandum humectati fuerant, exoriente æstu concupiscentiæ, protinus cedit & superatur: Quapropter contra hoc recidiuū Deus homini remediū prouidens sic eum hortatur per Isaiam, *Conuertimini sicut in profundum recesseratis:* Isa. 31. hoc est, qua auiditate ante fugitiuos honores, & perituras diuitias & carnis voluptates captabatis: & quo dolore harum rerum iacturam lugebatis, eodem affectus ardore & mentis cupiditate, ad Deum ipsum conuertimini, similiq; doloris sensu plangite quod Deum eiusq; gratiam ac amicitiam amiseritis. Huius conuersionis exemplum Magdalena nobis hodie exhibet, de qua sic subditur.

III. Quæ pœnitentia pacem cordis adferat.

1. DIMITTVNTVR *ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Ex hoc loco manifestum euadit quod eum doloris ac pœnitentiæ affectum à pœnitentibus potissimum requirat Deus, non qui ex metu gehennæ aut pœnæ, sed qui ex amore Dei proficiscitur: ille n. si vehemens fuerit, vt hic in Magdalena, non solū culpę, sed etiā omnis pœnæ remissionē impetrare valet, quia *charitas*, teste Petro, *operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet. 4. Et ideo plus operæ impēdendum est vt vera cordis contritione, quæ ex dilectione Dei proficiscitur, quis sua peccata deploret, quā vt ex ea memoria sacerdoti diligenter & exacte reciter. Fieri enim potest vt contritio sine confessione peccata deleat, vt hic in Magdalena, vt autem confessio deleat peccata sine cōtritione fieri non potest. Atq; eam ob rem olim

olim magno Episcopis id studio erat vt pœnitentes ad veram contritionem ex caritate profectam adducerent, sine qua neminē alioquin etiam bene confessum absoluebant facile, imitantes apostoli institutionem ad Timotheum, *Manus cito nemini imposueris, ne communices peccatis alienis.* Et quia talis contritio ex Dei dilectione orta singulare Dei donum est, liquet sane qua potissimum ratione hunc animi motum consequi debeamus, nēpe assiduis apud Deum, cuius hoc donum est, precibus & gemitibus instando: Neque sufficere debet nobis vt ad hanc cordis contritionem peccatis nostris æquiualentem deueniamus, si tepide ex libellis preces conscriptas legerimus, sed modo has modo illas quadam vtentes alteratione, nobis pro cordis nostri affectu formemus, modo ingemiscendo, modo pectus tundēdo, modo gehennam ante oculos ponendo, carnis voluptatibus & mundi gaudiis renunciando, somno, cibo, vsui coniugali minus indulgendo: Imo non solis precibus aut votis muliebribus, sed rebus fortiter gerendis promerenda hæc est gratia, quia opera ipsis precibus iuncta animum Dei citius & facilius flectere solent: Insuper si quis serio ac sedulo secum perpendat quid peccando amiserit & quid commeruerit, salutis æternæ consequendæ ius amisit, & suppliciis æternis se obnoxium fecit, Deum offendit, & ex amantissimo patre seuerum iudicem & capitalem hostem sibi peperit, pro exigua voluptate non solum æterna fœlicitate se priuauit, sed etiam perpetuis tormentis se obnoxiū reddidit.

2. PORRO quia nemini certo constare potest quantam pœnam aut pœnitētiam pro peccatis remittendis aut remissis exigat Deus, cum soli illi vera peccati grauitas perspecta sit, nemo facile contentus esse potest pro sceleribus magnis exiguā egisse pœnitentiam, quo sic ad durissimos mittatur purgatorii cruciatus. Quod si eam in corde amiseris persuasionem, per modicam contritionem viæ minimæ à nobis perpetratæ culpæ respondentem, magnis expediendis sceleribus sufficere, nunquam ad perfectam remissionem, neque ad plenam peccati eradicationem, nec ad verum iustitiæ profectum deuenies, nec vnquam radicitus amorem mundi è corde tuo expelles, sed velut candela recens extincta, in qua etiamnum quidam calor remanet si vel parumper in illā sufflaueris, facillime reaccenditur, ita & tu in idem malum recides. Et istius generis pœnitētes sunt valde multi, qui mundantur quidem, sed velut pannus immundus qui leuiter duntaxat secundum supremā superficiem abluitur, hinc tam rarus virtutum profectus in plerisque conspicitur. Nequaquam tamen animo concidere debet qui summum hunc dolorem assequi non potest, quia, vt Isaias ait, *etiam fumigans linum non extinguit Dominus.* Isai. 42.

Exiguum est quod in homine respicit Deus, & ob quod eum suscipit & saluum facit, verbi gratia: si peccati detestatio ex dilectione Dei orta adeo sit exigua, vt in sola rationabili voluntate subsistat, & morum nullum in parte inferiori, hoc est, nullum dolorem in parte sensitiua excitet (tanquam si strepitus aliquis in tabulato tanto silentio fiat, vt nihil inferius audiatur) quæ res aperte innuit tenuem quidem esse illam peccati detestationem, quæ in sola mente est vt partem inferiorē non attingat, & nihilominus si talis sit vt peccatum Deo contrarium euitare statuat, & Deum rebus omnibus anteponat, spem salutis concipere debet, quia *venit Dominus non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*, inquit Ioannes. Ioan. 3.

3. CONSVLTVM tamen ei fuerit vt contritionis suæ imperfectionē quæ communiter magnitudinē scelerum non adæquat, satisfactionis labore resarciat, merita Sanctorum imploret, quia quod per nostras preces obtinere non possumus, per eorum intercessionem obtinere licet, facilius enim Deus suorum Sanctorum quā homi-

hominis peccatoris preces exaudit. Maxime vero ipse pœnitens huiusmodi opera exerceat, quæ animum miserentis plus flectere ac mouere solent, vt sunt ardor caritatis, contritus spiritus, viua recordatio passionis Christi, & similia: Talis enim pœnitentia pacem & salutem facilius obtinet, sicut hic in Magdalena patet, cuius contritio cordis tam vehemens erat vt etiam dolorem in partem inferiorem transfunderet, quem suis testabatur amaris lachrymis, ideo in pace & tranquillitate cõscientiæ à Domino recessit.

4. Hic enim est vnus pœnitentiæ fructus admirãdus, quod interna pace & animi tranquillitate fruamur accepta remissione. De qua sic *Aug.* Tu qui verã requiẽ quæ post hanc vitam christianis promittitur, quæris etiam hic iam inter amarissimas vitæ huius molestias suauẽ gustabis, si eius qui eam promisit præcepta dilexeris: Cito enim senties dulciores esse fructus iustitiæ quam iniquitatis, & verius ac iucundius gaudebis de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias. Hoc idem testatur & Salomõ in Prouerbiis, *Cum dormieris*, inquit, *non timebis, quiesces & suauis erit tibi somnus tuus.* Confer mihi quæso animũ sibi male consciũ cum hac mẽte tranquilla: quot in illo metus, quot stimuli conscientiæ, quot diuexationes, *Sonitus terroris semper in auribus eius*, inquit Eliphas, *& cum pax sit ille insidias suspicatur.* Nõ solum sibi metuit cum est imminens periculum, verumetiam illic trepidat timore vbi nullus est timor, vbi nulla est timẽdi ratio: fingit enim pericula perturbata conscientia, & re ipsa sic esse putat sicut animo voluta: tã est enim vehemens interdum hominis male affecti imaginatio & somnus vt inter rem veram & somniatam seu imaginatione conceptã vix discernere possit. Quamuis interim iustam timendi causam habeat impius, *quia quod veretur hoc eueniet ei*, inquit Sapiens.

Prou. 3.
Iob. 15.
Prou. 1.

1. IAM vlterius videndũ quomodo Magdalenæ dimissa fuerint peccata multa. & id imprimis ex eo probatur q Magdalena fuerit ista de qua vt Marcus & Lucas testantur, *Dominus eiecit septem dæmonia*: per quæ *Gregor.* intelligit non dæmones ipsos, quia non legitur fecisse corporaliter obsessa, sed varii generis peccata, vt in septenario numero vniuersitas designetur, & numerus certus ponatur pro incerto. Et quod fuerit multis criminibus obnoxia ex eo patet quod publice fuerit infamis, habebatur enim peccatrix in ciuitate, nõ quod publice se prostituerit sicut meretrices solent, sed quia illicitis fuerit dedita amplexibus: ex quo peccati genere homo maxime fit infamis, tum quod impudicitia magis sit nota quam peccata spiritualia, vt sunt superbia, inanis gloria, iracundia & similia, tum etiam quia peccatum carnis hominem efficit maxime bestialem. Quo fit vt hominem minus pudeat si iniuste alicui irascatur, quam si cõiugatus iuste & caste vxori suę misceatur. quia dum quis iniuste irascitur, animus hominis quasi à seipso vinci videtur: qui vero peccato luxuriæ coinquinatur, anima à carne vincitur, tanquam si vir nobilis à vili mancipio subiugetur. Et non solum peccato luxuriæ exorbitabat, quãuis fortassis eo præcipue cuius volupras hominem pelliceat & afficiat maxime, sed & in luxu vestium, conuiuiorum, tripudiorum, & similium quæ libidinis incitamenta esse solent, exceptis aliis quæ huiusmodi vitia comitari solẽt & nobis ignota sunt. Quinimo dicit *Iansenius in hunc locum Lucæ in suis concordiis Euangelicis*, quod Magdalena primo fuerit tradita viro in castello Magdalo, cum quo aliquamdiu eam vixisse dicit, postea vero voluptaribus seducta, eo deserto vel mortuo (sic enim loquitur) quod aliis adhæserit. Quæ eo dicuntur non vt Magdalenę quicquam detrahatur, sed vt magna Dei misericordia & efficax Christi gratia commendetur, quo enim morbus grauior fuerit, eo ars medici huius-

IV Magdalenæ vita qualis.
Marc. 16.
Lucæ 8.
Gregor. hom. 33. in Euan.

iuſmodi morbum curãtis magis probatur & commendatur.

2. VERVMENIMVERO ſicut fuit ſenſus eius vt erraret à Deo, ſic decies tantum iterum conuerſa requiſiuit eum, prout *Baruch* loquitur, nunquam enim tanto ardore quæſiuit voluptates ſeculi cum eſſet à Deo alienata, quanto amore quæſiuit Chriſtum ad Deum conuerſa: Hæc eſt enim mulier illa quæ poſtquam viua fide & ſyncero amore Chriſto fuit iuncta, nunquam deinceps ab eo ſeparari potuit: hæc eſt illa quæ cum Chriſtus circuiret per ciuitates & caſtella prædicans regnum Dei, ſequuta eum miſericordiam conſequuta miniſtrauit ei de facultatibus ſuis *teſte Luca*: hæc eſt illa mulier quæ ter Dominum vnxiſſe legitur, ſemel, *Lucæ* 7. hoc loco nimirum, cum vnguẽto vngeret pedes eius: item ſex dies ante paſcha in Bethania in domo Marthæ vnxit, altera vice pedes Domini cum acciperet libram vnguenti nardi piſticæ pretioſi, de qua vnctione apud Ioannem capite 12. Tertio cum in domo Simonis leproſi in Bethania biduo ante Paſcha fracto alabaſtro effudit vnguẽtum pretioſum nardi piſticæ ſuper caput Ieſu, de qua vnctione *Marci*. 14. Nam quanquam *Orige*. & *Theophyl*. & quidam alii putent fuiſſe diuerſas mulieres, communis tamen opinio habet quod vna & eadem fuerit, Maria nimirum Magdalena, & hoc eſt magis probabile: vt quæ prius delibuta variis vnguentis & aromatum ſpeciebus ſuos pellexerat amatores ad carnis voluptates, iam ad Chriſtum conuerſa huiuſmodi vnguentis pretioſis tanquam ſynceri & certi amoris indiciis, ipſum honoraret.

Nam quanquam Chriſtus huiuſmodi aromatibus atque vnguentis quæ ſenſum adficiunt atque oblectant, non admodum recrearetur, leue enim eſt & vanum quicquid ſenſum adficit, & facile pertranſit, quid enim aliud odor quam aer euaporatus qui mox euaneſcit? Tamẽ ſyncero cordis amore, & puro affectu, quo Magdalena in Chriſtũ ferebatur, & quo fiebat vt huiuſcemodi vnguẽtis pretioſis pedes Chriſti inungeret, cumque hoc modo quo poterat, honoraret, plurimum delectabatur: Nam tanti æſtimat dona noſtra Deus, quantus eſt affectus amoris ex quo illa prodeunt.

3. QVAPROPTER Dominus huiuſmodi animum remunerare volens, dixit ad Magdalenam, *Remittuntur tibi peccata*: hoc quod poſtulas, indulgeo tibi: venerat enim hæc mulier ad Chriſtũ nõ pro ſanitate corporali cõſequẽda, prout alii ad Dominum venire conſueuerant, ſed pro ſalute animæ impetranda: quam & obtinuit. Nam quemadmodum ad vocem angeli Petrum in carcere excitantis, ceciderunt catenæ de manibus eius, de quo in Actis, Ita ad vocem Chriſti dicentis, *Remittuntur tibi peccata*, ſoluta ſunt vincula peccatorum illius Idem contingit in ſacramento confeſſionis ſacerdote verba abſolutionis proferente, modo ſubiectum ſit diſpoſitum: Dat enim Dominus voci ſuæ vocẽ virtutis, vt quo modo dixit, *Fiat lux, & facta eſt*, & cũ dicit Sacerdos in perſona Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, mox panis in corpus Chriſti conuertitur: ita cum ait Sacerdos, *Ego te abſoluo*, mox fit quod dicitur ſi aliunde impedimentum non proueniat: Nec poteſt hic alia adferri ratio facti quam potentia facientis, quia cum is omnipotens ſit, omnia quæcumque vult facit. Act. 12.

4. SED quæſtio hic moueri ſolet, Quomodo remittantur ei peccata multa quia dilexit multum, tanquam ipſa dilectio ſit cauſa remiſſionis: cum potius ipſa remiſſio videatur dilectionis cauſa: ſic enim prius dixerat, Cui multum dimittitur multum diligit, obligatus eſt enim maiorem dilectionem ei impendere, à quo plus beneficii quis conſequutus eſt. Et rurſum non videtur ipſa dilectio eſſe remiſſionis cauſa, quia caritas non poteſt ſimul conſiſtere cum peccato, neque mereri ipſam iuſtificationem quæ omnino gratuita eſt, innititurque non iuſtitiæ impetrantis, ſed miſericordiæ dantis. Hic qui-

Baruch. 4 (margin)

Lucæ 8. (margin)

quidam per dilectionem intelligunt bonã voluntatem, & pietatis atque dilectionis affectum quo quis ei bene afficitur à quo superat beneficium. Et tunc non est difficultas: illa enim dilectio præcedit iustificationem, & licet non mereatur eam de condigno, meretur tamen de congruo: hoc enim congruum est vt nobis bene affecto bene afficiamur, & bene facienti nobis bene faciamus. Quod si per dilectionẽ intelligas ipsam caritatem proprie dictã, qua quis per spiritum sanctum inhabitãtem diligit Deum super omnia, receptus tanquam filius in paternam dilectionem, cui omnis offensa & inimicitia sit remissa, tunc non præcedit ipsam iustificationem, sed potius natura posterior est, licet simul sint tempore. Habet enim communis doctrina scholæ Theologicę, quod iustificatio non sit motus diuersus ab infusione gratiæ diuinæ quæ est caritas, vel saltem non est sine caritate: ita vt caritas neque se habeat vt effectus consequens iustificationem, neq; vt dispositio præcedens, sed sit iustificationis causa formalis, sic in esse habens quomodo caliditas in calefactione: hoc ipso enim quis iustificatur quo illi per fidẽ caritas Dei infunditur, vt remissio culpæ tribuatur dilectioni tãquam causæ, non quia meritoria sit, aut disponens ad remissionem, sed quia perficit eam tanquã causa formalis, vt sic dictum sit, *Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multũ*, quo modo diceremus, Aqua desiit esse frigida quia facta est calida, vtrumque igitur verum est quod & remissio multorũ peccatorũ sit causa magnæ dilectionis, & quod magna dilectio sit causa remissionis multorũ peccatorum: sed dilectio tanquã causa perficiens remissionẽ: remissio vero tanquam causa prouocans dilectionem, prouocamur enim ad amandum eum quem consideramus benignitate sua nobis remittentem debita.

5. Reliqva autẽ operũ Magdalenæ, animi feruorẽ & pietatẽ eius, quo studio, quanto affectu adhæserit Christo, satis dilucide Euangelistę describunt, vnicũ duntaxat hic adiiciẽdũ, quod eo tempore quo lapidatus est Stephanus & dispersi sunt discipuli per regiones Iudeæ & Samariæ, *vt dicitur in Actis*, quæ contigerunt septimo mense post missionem S. Spiritus, *teste Baronio*, hoc inquam tempore Lazarus, Maria Magdalena, Martha & Marcella pedissequa, in quos Iudęi maiori odio exardescebant, non tantum Hierosolymis pulsi fuerunt, sed vna cum Maximino discipulo, naui absque velo, nauta, & remigio impositi in certum vitæ discrimen per mare transmissi, diuina prouidentia Massiliam appulerunt, vbi tanquã sementis christianæ fidei dispersi alios seminauerunt & ad Christi fidem perduxerũt. Magdalena autem in quodam deserto eiusdem regionis, separata ab omni hominũ consortio, per triginta annos Deo meditando, orando & psallendo seruiens, sæpius etiam ab angelis visitata, & in altum eleuata, & cœlesti alimento pasta, tandem suscepto prius a Maximino Episcopo Venerabili Sacramẽto, postremũ vitæ suæ diem in Domino fœliciter clausit, eiusque corpus ab eodem Episcopo in templo Aix, vbi Maximinus Episcopus erat, ante summum altare honorifice fuit sepultum: vbi & plurima cõtigerunt miracula: sed postmodum idem corpus in Burgundiam in Ciuitatem Vierelay dictam, translatum fuit.

Act. 8

Baron. in suis Annali.

Pars II.

Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Luc. 7.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Peccatum libidinis & luxuriæ ægre admodum curatur & vincitur.*
II. *Pœnitentia exemplo Magdalenæ non differenda.*
III. *Hic ignis concupiscentiæ extinguitur lachrymis optime.*

IV. Pau-

IV. Pauca ſubiunguntur de vita & moribus Magdalenæ.

ART. I. Peccatum luxuriæ difficulter curatur.

1. INTER omnia Chriſtianorum certamina, ſola dura ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana pugna & rara victoria, inquit Auguſt. *lib. de honeſta, mulier. tom.* 9. Grauem namque caſtitas ſortita eſt inimicum, cui quotidie reſiſtitur & ſemper timetur. Hinc Paulus cum omnibus vitiis reſiſtendum eſſe prædixiſſet, contra libidinem non dixit Reſiſtite, ſed ait, *Fugite fornicationem*: Sicut Ioſeph vt impudicam Dominam poſſet euadere, pallium quo apprehenſus erat, reliquit & fugit: Ita & tu contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam. Nec ſit tibi verecundum fugere *inquit*, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere, quia ſine dubitatione qui familiaritatem mulierum non vult fugere, cito in ruinam dilabetur, & apud Deum dupliciter reus exiſtit, dum & ſeipſum in periculum mittit (quia quamuis fieri poſſit vt non noceat, fieri tamen poteſt vt noceat, nemo ſine periculo ſerpentem in ſinu gerit) & aliis exemplum peruerſæ familiaris oſtendit.

1. Cor. 6.

Sed forte negligens quiſque & minus de animæ ſuæ ſalute ſollicitus, reſpondet & dicit, Ecce ego familiaritatem habeo mulierum, & tamen arma caſtitatis cuſtodio. Nimium periculoſa eſt præſumptio hæc: & vide ne vnde putabas obtinere triumphum, inde æternũ incurras opprobrium: vt enim Eccleſiaſticus ait c. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit: Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti ſunt, colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.*

Eccleſ. 9.

2. DE infœlici libidine vnde locuti ſumus, *inquit Auguſt.* credendum eſt quod dicat Ieremias cap. 50. *Confractus eſt malleus vniuerſæ terræ.* Ab hoc malleo enim quotidie plurimi confringuntur per vniuerſum orbem, quia teſte Iob c. 40. *Fortitudo Behemoth*, per quem diabolus ſignificatur, *in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius.* Quem locum explicans *Greg.* ſic ait, Seminarium luxuriæ fœminis in vmbilico ineſſe perhibetur, viris autẽ in lũbis eſſe dicitur. Quia igitur poteſtati diaboli viri, ſq; generis ſexus ex luxuriæ infirmitate ſubſternitur, fortitudo eius in lumbis contra maſculos, & virtus illius contra fœminas in vmbilico pronunciatur. Dicitur autem confractus hic malleus, quia poſt aduentum Domini per vniuerſa monaſteria & clericorũ conuẽtus, vel etiã laicos caſtitatẽ ſeruantes, plurimi de colliſione illius liberantur, in quibus vim ſuam atque virtutem omnem confractam habet, vt vero & in te vim ſuam amittat, non ſolum ab extraneis mulieribus, ſed etiam à vicinis & domeſticis ancillis refrenanda eſt & ſecreta familiaritas, & oculorum incautus intuitus. Neque enim ſine periculo tibi adſtat cuius vultum & oculos fixius intueris. Nec ſine cauſa dicit Ieremias capite 9. *Mors intrauit per feneſtras in domum meam.* Quænam illæ feneſtræ? viſus oculorum & auditus aurium, per quæ dũ quippiam obſcæni auditur, vel quod lubricum eſt cõſpicitur, facile libidinis malum in corde ſuſcipitur.

Aug. lo. cit.

Greg. lib. 32. cap. 11. moral.

3. QVANTOPERE autem & quam vehementer inflammet & exagitet hominem ipſa libido carnis declarat nobis *Ambro.* explicans illud Luc. 4. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, vbi ſic ait, vehementior eſt animi quam corporis febris: & ideo pro animi voluptate, corporis ſalus plerumque contemnitur, neque à periculis abſtinetur, vnde non alienũ videtur repetere, *inquit*, quemadmodum Theotimus cum graui oculorũ incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdicta ſibi à medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus ſe moderari nequiuerit: ſciens enim prudenſq; quod eſſet oculos amiſſurus, priuſquam conueniret cũ vxore, in ipſo æſtu feruẽtis cupiditatis & cõſuetudinis apparatu, vale *inquit*, amicum

lumen oculorum meorum Sic febre libido flagrantior est, grauiusque præcipitat & inflammat. Hæc *Ambr.* Greg. quoque idem attestatur, *cum ait*, Fortis & violenta est pugna fornicationis. vnde cũ Moyses contra alios hostes solis pugnaret armis, contra Amalech, quod interpretatur populus lambens, seu lingens, per quem ipse fornicatores intelligit qui nil nisi lingunt & lambunt, & non satiantur, nõ solis armis, sed & virtute orationis pugnare debuit: & expresse mandatur Sauli vt eum penitus deleat, *Non parcas ei*, inquit Dominus, *& non concupiscas aliquid ex eo.* Hoc dicitur quia luxuria omnis in carne perfecte domanda est, & à mente radicitus extirpãda, vt omnes libidinosi motus, omnes obscænæ locutiones prorsus perimantur in corpore, & turpes cogitationes in mente. Sunt n. turpes cogitationes instar paleæ, & libido ignis: parua scintilla nisi extinguatur, omnes paleæ mox accenduntur. Qui igitur virorẽ virtutum suarum exuri nolit, paleas extinguat.

Greg. in c. 15. 1. Reg.

4. OMNIBVS igitur modis hoc agendum vt ne attingamus quidem malum, *inquit Basil.* quia beatum prædicat eum Psalmista, *qui non abiit in consilio impiorum.* Prosper proinde & secundus erit nostræ nauigationis cursus si à prima mox qualicumque mali experientia, quasi à bestia intentante plagam pestilentem refugerimus: iuxta quod à Salomone de leui & improba muliere scriptum est, *Ne applices oculum tuum ad eam, sed resilito nec moreris* Iam enim ipsi quosdam nouimus, inquit, qui per ætatis teneræ florem & obscænas carnis affectiones delapsi per consuetudinem quoq; mali, istis immortui sunt peccatis. Beatitudinis igitur est nihil cogitasse, aut proposito destinasse exequi q̃ malum est. Si autem per inimici insidias impietatis consilia inieris, in peccato noli persistere, ne etiam in cathedra pestilẽtiæ sedeas, & multos alios tuo exemplo tanquam pestis inficias. Si apostolus vas electionis ob carnis aculeos & incentiua vitiorum seruituti corpus suum subiicit, *inquit Hieron.* ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur, tu te putas securum esse debere? Quoties ego ipse, *inquit*, in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstabat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis, sedebam solus, quia amaritudine repletus eram, horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppresserat, nuda humo ossa vix hærentia collidebam. Ille igitur ego, *inquit*, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, ferarum tãtum socius, sæpe choris intereram puellarum: pallebant ora ieiuniis & mẽs desideriis æstuabat, in frigido corpore, & ante hominem suum iã carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant, & dũ vix viuere licebat, fornicari libebat. Itaq; omni auxilio destitutus ad Iesu iacebã pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarũ inedia subiugabã. Memini me clamantẽ diẽ crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quã rediret Domino imperante tranquillitas. Ipsam quoq; cellulam meam, quasi cogitationũ mearum consciam pertimescebam, & mihimet iratus & rigidus solus deserta penetrabam, & vbi reperissem aspera mõtium loca, ibi orationis meę locus, ibi illud miserrimæ carnis castigabam ergastulum. Et vt testis est mihi Dominus post multas lachrymas nonnunquam videbar mihi interesse agminibus angelorũ & lætus cantabam Domino canticum laudis. *hæc Hier.* Si hoc sustinent illi qui exeso corpore solis cogitationibus oppugnãtur, quid patitur puella quæ deliciis fruitur? nempe illud apostoli, *viuens mortua est.*

Basil. hom. 16. in Psalm. 1.

Hieron. epist. 22. ad Eusto. tom. 1.

5. CONTINGIT interdũ quod homo peccator omnib. postpositis toto conatu feratur in peccatũ, siue luxuriæ, siue cuiuscumq; alterius generis, & à proposito peccandi non desistat donec perfecerit quod

concu-

1. Reg. 19. concupiſcit. Ita Saul cum impium deſiderium concepiſſet occidendi Dauidem, eius impetu abreptus mille excogitabat modos quibus illud expleret, nec à malo ſuo propoſito abduci vllis medijs potuit donec miſere periret. Tales & illi fuerunt de quibus Ierem. cap. 8. *omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum quaſi equus impetu vadens ad prælium.* De his & Paulus ad Epheſ. 4. *Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ, in auaritia*, quaſi dicat, Deſperantes ſe poſſe vitium hoc, cui ſemel traditi ſunt, deſerere, ſe illi ex toto tradiderunt in operationem omnis immunditiæ, nullam prætereuntes immundiciem ſibi poſſibilem: idque in auaritia, hoc eſt, inſatiabili deſiderio, quia ſicut auarus conquiſita pecunia non ſatiatur, ita nec iſte luxuriando, teſte Eccleſiaſtico cap. 23. *Homini fornicario omnis panis dulcis, non ceſſabit nec fatigabitur tranſgrediens vſque ad finem.* Hoc patet in Salomone 3. *Reg.* 11. vnde Poetæ fabulabantur Vulcanum rete ferreum Marti & Veneri, hoc eſt, adulteris, ſuperimpoſuiſſe idque tam ſubtiliter confectum vt vix videri poſſet: vt difficultatem deſignarent deſerendæ cupiditatis quæ etiamſi non appareat, fortiſſime ſuos conſtringit. De his dictum puta quod Ieremias ait cap. 13. *Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* verba iſta, *ait Hieron. in hunc locum*, dicuntur aduerſus eos qui longa cõſuetudine & amore peccandi quodammodo in naturam cupiditatem conuertunt. Quod & Baſil. confirmat *hom. 1. in Pſalm.* 1. Diuturna exercitatio peccatorum *inquit*, præſertim ſi ſit ſtudio & certa deſtinatione aſſumpta, animabus ſolet habitum ingignere vix vnquam deſiturum & ægerrime mobilem: animi enim morbus vbi vetuſtuit iam, mali item exercitatio ſimul atq; occalluit diuturnitate, vix vllam admittit medelã, quia conſuetudo & in his & in pleriſque alijs mutatur in naturam. *hæc Baſilius.*

Ierem. 8.

6. NIHILOMINVS quod homini eſt impoſſibile, Deo factu eſt facile, qui & Paulum ex perſecutore momento temporis fecit apoſtolum, & ex Matthæo telonario Euangeliſtam, & ex Magdalena tanquam ex lebete fecit vas & phialam translata in gloriam. In quibus Deus ſingulariter ſuam oſtendit & miſericordiam & potẽtiam, vt nemo deſperet ſalutem. Si enim Paulus, qui primus fuit peccatorum, hoc eſt, peior omnibus, *inquit Aug.* miſericordiam conſecutus eſt, ego cur deſpero? Si tanto medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, cur non & ego eum accedo qui nõ quærit mercedem, ſed commendat artem & offert gratiam? Sed & de Magdalena ſcriptum putemus, quod Zachariæ cap. 3. legimus in hunc modum, *Nunquid non iſte torris erutus de igne?* quaſi dicat, ſicut titio media ex parte igni abſumptus, altera ex parte quæ eripitur permanet ſaluus, Ita Magdalenæ igne concupiſcentiæ magna ex parte abſumpta, per meam miſericordiam inde eſt eruta, ne penitus periret ſi in incendium infernale inde deſcenderet. Nam quanquam Magdalena cum eſſet nobilis, publica meretrix non fuerit voluptatibus tamen ſeducta, marito cui nupſerat, aut mortuo aut derelicto, *inquit Ianſenius*, illicitis fuit implicata amplexibus & amoribus.

Aug. ſer. 29. de verb. apoſtol. tom. 10.

II. Pœnitentia non differẽda.

I. MAGDALENA cum intrinſecam Spiritus ſancti motionem experiretur, pœnitentiam nec per horam differendam cenſuit, *inquit Aug.* nec opportunum tempus expectauit, quod videbatur eſſe quando conuiuio iam peracto Ieſus in domum propriam reuerteretur: nec id ſolum, ſed nec expectauit vt à menſa ſurgeret, verũ Spiritui ſancto monenti incũctanter reſpondit ſtatim: & cum propria illaque grauia agnouit peccata, ad pedes Ieſu pro remedio properauit, aduertẽs ibi ſolum tutũ eſſe refugium, vbi & vbertim lachrymas effudit & gratiã ac pacẽ obtinuit. Tale quid & ſibi accidiſſe teſtatur *Aug.* vbi ſic ait, Cum vero alta conſide-

Aug. ſer. 38. de tem.

Aug. lib. c. 12. confeſſ.

ratio congessit totam miseriam meam in conspectu cordis mei, oborta est procella ingens ferens ingentem imbrem lachrymarum. Et vt totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio qui aderat, solitudo enim ad negotium flendi aptior suggerebatur: & secessi remotius & sub quadam arbore fici straui me nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum, & dixi tibi: Et tu Domine vsquequo? vsquequo Domine irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & sarcina seculi, velut somno dulciter premi, & cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur, & iactabam voces miserabiles: Quamdiu? cras & cras? Quare non modo, quare non hac hora? quare non iam finis turpitudinis meæ? Et post pauca conuertisti me ita ad te, vt nec vxorem quærerem, nec aliquam spem seculi huius ambirem. Tunc subdit *lib 9 cap.* 1. Quam suaue mihi subito factum est, carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimisisse gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini, tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.

2. ET vtinam exemplo Augustini, Dauidis, & Magdalenæ *conuertantur & erubescant valde velociter* quicumque quod ad imaginem & similitudinem Dei sint facti, intelligunt, & qualiter illam peccando fœdauerint agnoscunt, Si se circumspicientes considerent, & decorem quem perdiderunt, & obscenitatem qua se velut teterrimo colore quodam perfuderunt, de operum suorum qualitate, nisi lapides sint, erubescent, *inquit Augustinus*, Nam anima cum natura nobilis sit, si quas aliquando peccati notas admiserit, verecundiam tamen à se funditus non repellit. Dauid & Magdalena quia propter peccata quæ perpetrauerant, erubescebant, vt ea diluerent in gemitu suo laborauerunt & exauditi veniam impetrarunt. Illud autem verum est asperæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum, vnde sub Iudeæ specie contemnenti animæ dicitur Ierem. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Qui enim neglecto Dei timore peccata peccatis accumulat, profecto vt meretrix frontem obdurat. Sed quia minus est de anteacta vita erubescere, nisi quis etiam studeat ea quæ admisit pœnitendo corrigere, subiungit propheta, *& conturbentur vehementer.* Quisquis peccati sui modum considerans sibi iratus contra seipsum grauiter, quod egit puniendo, inuehitur, per compunctionis lachrymas vehementer cõturbatur. Quia vero per dolorem pœnitentiæ peruenitur ad conuersionem vitæ, protinus additur, *Conuertantur.* Ille nimirum ad Deũ conuertitur, qui tam cogitatus suos, quam etiam operationes ad Deum semper dirigere conatur. Addit secundo psalmista, *Erubescant*, id est, erubescãt se peccasse, erubescant conuersionem distulisse. Et hoc faciant valde velociter, *Dies enim Domini sicut fur in nocte veniet* hæc Augustinus.

Aug. in Psalm. 1. pœnit.

3. NE itaque dixeris, inquit idem. Tantundem habuerunt qui hora vndecima venerunt, quantũ qui hora prima aut tertia: Quare nos amplius fatigamur, si æquè multum habituri sumus? Quid ille daturus sit, quid facturus sit, penes ipsum cõsilium est. Tu quando vocaris, veni. Laborare non vis, qui vitã viuas vsq; ad senectam nescis? non dico vsq; ad vndecimam, sed vsque ad septimam. Quare ergo differs vocãtem te, certus de mercede, incertus de die? vide ne forte quod tibi ille daturus est promittẽdo tu tibi auferas differendo. Inquies. Dicit Dominus Eze. 18 *In quacumq; die conuersus fuerit homo à via sua pessima, omnes iniquitates eius obliuiscar.* Dicis itaque, Si quacumq; die conuersus fuero.

Aug. ser. 59. de verb. Dom.

Digitized by Google

fuero, Deus miſericorſomnes iniquitates meas obliuiſcitur. Quare hodie conuertor & non cras? Dicis, craſtinodie conuertar & iniquitatum mearum erit finis. Quod ſi antecraſtinum tuus erit finis? Ergo noli differre, ne quod iam patet miſericordiæ oſtium claudas contra te. *Nè differas*, inquit Eccl.c.5. *de die in diem, nec tardes conuerti ad Dominum: ſubito enim venit ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Modo eſt tempus miſericordiæ, iudicij tẽpus poſt erit: Modo vocat auerſos, donat peccata conuerſis, patiens eſt ſuper peccatores donec conuertantur: quandocumq; conuerſi fuerint, præterita obliuiſcitur, futura promittit, hortatur pigros, conſolatur afflictos, docet ſtudioſos, adiuuat dimicantes, neminem deſerit laborantẽ, & exclamantem ad ſe donat vnde ſibi ſacrificetur, ipſe tribuit vnde placetur. Ecce miſericordiæ tempus: venturum eſt iudicium, & tunc infructuoſa erit pœnitentia, quia reddet tunc vnicuiq; non ſecundum miſericordiam ſuam, ſed ſecundum opera ſua, ne quis ſibi aduletur.

2 EST tamen hic obſeruandum quod *Origenes* annotauit in Pſal.36. explicans illũ verſiculum, *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet, cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam*: vbi ſic ait, Video quod etiam his, qui ſalutis iter incedunt & à Domino diriguntur nonnunquam contingat cadere, iuxta quod Iſaias ait, *Super humum populi mei ſpina & vepres aſcendent, quanto magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?* Sed eſt magna differẽtia inter caſum iuſti & iniuſti, inquit: Iuſtus enim cum ceciderit, non colliditur: iniuſtus qui ſpem non habet in Deo, ſi ceciderit colliditur & non ſurgit, ſi peccauerit non pœnitet, & peccatum ſuum emendare neſcit: iuſtus ſi ceciderit, cito tanquam damula ex retibus exilit, & emendare ſe ac pœnitentiam agere nouit. Et quidem optabile vt athleta virtutis maneat ſemper immobilis, vt ne vllam quidem luctã perdat: Quod ſi id non fiat ſed eueniret vt cadat, non iaceat poſt caſum, ſed emergat & culpam emendet. De impio autem ſcriptum eſt Iob 20. *Oſſa eius implebuntur vitiis adolentiæ illius, & cum eo in puluere dormient.* Hoc ait, *inquit Hieron. in hunc locum*, quod à iuuentute ſua, ex quo grauiora peccata committere cœperit, in iiſdem peccatis ſuis vſq; ad ſenectam permaneat.

Iſai. 32.

5 VNDE in lege veteri *Deutr.*14. præcipitur ne liceat Hebræum puerum, ſi forte in ſeruitutem deuenerit, amplius quam ſex annis ſeruire, ſeptimo vero annis dimitti eum lex liberum iubet. *Sin autem dixerit, Nolo egredi eo quod diligat te, aſſumes ſubulam & perforabis aurem eius in ianua domus tua, & ſeruiet tibi vſq; in æternum.* Quod explicans *Origenes* ſic ait, Si Chriſtianus es & in peccatum decidiſti, ſufficiat tibi ſeruitus ſex annorum, in ſeptimo anno obſerua te ne ſeruias, ſed feſtina ad libertatem tuam. Senarius numerus mundi huius tenet figuram qui ſex diebus creatus eſt: ſeptenarius numerus quietem ſignificat futuri ſeculi, quia ſeptimo die, qui eſt Sabbatum, de quo ſcriptum eſt ad Hebræos, *Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei; requieuit Dominus ab opere ſuo.* Cum ad ſeptenarium numerum veneris, cum appropinquat dies futuri ſeculi, tunc require libertatem tuam, & redi ad nobilitatem paternam, ne & tunc permanſeris in peccatis tuis animo ea complectens & amans, etiam dum opere implere ea non vales: Alias defixa in aure nota, velut qui cõmonentis te Dei & ad libertatem priſtinam te vocantis, verba nõ audias, eris peccatis ſeruus in æternum. Quod ſi in hac vita nemo vult eſſe ſeruus, ſed quantum fieri poteſt & liber & nobilis eſſe cupit, in illis æternis rebus ac nullo fine mutandis tolerabimus ſeruitutem? Emẽdationi ergo nunc operam demus, vt ex actibus & conuerſatione noſtra ac moribus nobilitari mereamur, & ſpiritum libertatis ac adoptionis accipiamus, *ſic Origenes.* Cui conforme eſt quod *Auguſtinus*, ait in Pſalm.68. explicans

Orig. ho. 19. in ca. 9. Ioſue.

cans illum verſiculum, *Non abſorbeat me profundum, neq; vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Magnus puteus, *inquit*, profunditas iniquitatis humanæ, illuc quiſquis ceciderit in altum cadit: ſed tamen ibi poſitus ſi confitetur peccata ſua Deo ſuo, non ſuper eum claudit puteus os ſuum, vt liquet in alio Pſalmo in quo dicitur, De profundis clamaui ad te Domine. Si autem peccator cum in profundum venerit, contemnit, tunc clauſit ſuper eum puteus os ſuum, quia clauſit os illius qui perdidit confeſſionẽ. Si videris hominẽ feciſſe iniquitatem, merſus eſt in puteum: Quando autem monueris eũ iniquitatis ſuæ, & dixerit: Peccaui Domino: fatetur non ſuper eum clauſit puteus os ſuum. Si autem dicat, Quid mali feci? factus eſt defenſor peccati ſui, clauſit ſuper eum puteus os ſuum. Certe quod non aliunde prouenit, quam quia præcedentium peccatorum merito, peccatorum ſequẽtium fouea tegatur, vt non videat malitiam quam perpetrat.

III. Potius lachrymis q̃ verbis inquirenda venia. Ambr. ſer. 46. de pœn. Pet. tom. 1.

1. ET LACHRYMIS cœpit rigare pedes eius, prorupit in lachrymas nihil voce precatus. Sicut & Petrus, *inquit Ambr.* poſtquam reſpexit eum Dominus, quod fleuerit lego, ſed quod dixerit quippiam non inuenio. Recte plane Petrus fleuit & tacuit, *inquit*, ſicut & Magdalena recte fleuit & tacuit, quia quod defleri ſolet, non ſolet excuſari, & quod defendi non poteſt, ablui poteſt: lauat enim lachryma delictum, quod voce pudor eſt confiteri, lachrymæ ergo verecundiæ conſulunt & ſaluti, nec erubeſcunt in petendo, & impetrant in rogando: lachrymæ namq; tacitæ quodammodo preces ſunt, veniam non poſtulant & merentur, cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur, & vtiliores lachrymarum preces ſunt quã ſermonum, quia ſermo in precando forte fallit, lachryma omnino non fallit. Ac per hoc mauult Magdalena, ſicut & Petrus cauſam ſuam deflere quã dicere, & quod opere perpetrarat, lachrymis confiteri. Inuenio autem & aliud cur tacuerit Petrus, *inquit Ambro.* ne tam cito veniæ poſtulatio per impudentiam plus offenderet quam impetraret. In omni igitur culpa ante flendum eſt, & ſic precandum. *Hæc Ambroſ.*

2 TESTATVR & Auguſt. *lib. 3 confeſſ. ca. 11. & 12.* quod mater eius eum errore Manichæorum detentum, in omni loco ſuæ orationis vberius defleuerit, quam flere ſolent matres corporea ſuorum filiorum funera. Cumque opem poſtularet à Chriſtiano quodam Epiſcopo, vt ab errore Manichæorum quo detinebatur eum abducere vellet, reſpondit ipſe. Age quod agis, hoc eſt, lachrymis inſta, fieri enim non poteſt, vt filius iſtarum lachrymarum pereat. Sunt lachrymæ efficaciſſima medicina contra morbum cuiuslibet peccati, vnde Propheta Dauid Pſal. 6. ait, *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Quem locum explicans *Auguſt.* dicit: lectus hoc loco eſt appellatus, vbi acquieſcit animus æger & infirmus, id eſt, in voluptate corporis & omni delectatione ſeculari. Quam delectationẽ lachrymis lauat qui ſe ab illa conatur extrahere, videt enim iam ſe damnare carnales concupiſcẽtias, & tamen delectatione tenetur infirmitatis & in ea libenter iacet, vnde reſurgere niſi ſanatus animus non poteſt. Lectum lauabit per ſingulas noctes, vt tantis lachrymis impetret efficaciſſimam de Dei miſericordia medicinam. Cum autem ſubiungit, *lachrymis meis ſtratum meum rigabo:* Rigabo amplius eſt aliquid quam lauabo, quoniam poteſt aliquid in ſuperficie lauari, rigatio vero ad interiora permanat, quod ſignificat fletum vſque ad cordis intima. Nihil tam coniunctum miſeriæ quam luctus, nihil tam remotum & contrarium miſeriæ quam beatitudo. Quomodo ergo beati qui lugent? beati in ſpe, lugentes in re: lugent enim in peregrinatione iſta, in miſeriis iſtis, in tribulationibus iſtis. Et quanto quiſque eſt ſanctior, *inquit Auguſtinus* & deſiderij

ſancti

ſancti plenior, tanto eſt eius in orando fletus vberior, vnde de ſancta Paula ſcribit *Hieron.* quod ſi quid dixiſſet aut promiſiſſet, & opere non compleuiſſet, hanc animi inconſtantiam non ſecus deflere ſolebat, quam ſi peieraſſet, aut homicidium commiſiſſet. Quinimo hoc omnibus ſanctis commune, vt etiam leuiora peccata amplius defleant, quam multi ſua crimina non ſolent, vnde iſti faciliter miſericordiam conſequuntur, hi vero longanimiter tolerantur: iuxta illud Pſalmiſtæ, Pſal. 102. *Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors.* Miſericors & miſerator in his quibus veniam dedit, & multum miſericors, quia in multis offendimus omnes: in his vero quibus non dedit, adhuc veniam, longanimis, non damnans ſed expectans, Non tamen modo ſic longanimis in ſuſtinendo, vt nunquam iuſtus in vindicando. Diſtribuit tempora vocat te nunc & expectat donec reſipiſcas Quod ſi tardas, & iram tibi theſaurizes, reddet tibi ſecundũ opera tua.

IV. De vita & morib. B. Magdalenæ poſt conuerſionem.

Vide Baron. to. 1. in ſuis annalib.

1. MIRA ſunt quæ de B. Magdalena referuntur poſtquam à Domino in horridam illam ſpeluncam tranſlata fuit, in qua per triginta annos hominib. ignota, omniumq; mortalium ſolatio deſtituta, vixit, ibidemq; grauiſſimis tentationibus probata fuit, ſimul etiam admirandis priuilegiis & fauoribus, quales nullus ſanctorum propemodum expertus eſt, præuenta fuit. Et inprimis cum è Ieruſalẽ Maſſiliam nauigio abſque velo, nauta & remigio, vna cum Lazaro fratre ſuo, & Martha ſua ſorore, & Marcella pediſſequa, & Maximino diſcipulo, in quos Iudæi maiori odio exardeſcebant, quę contigerunt ſeptimo menſe poſt miſſionem ſancti ſpiritus, eo tẽpore quo lapidatus eſt Stephanus & diſperſi ſunt diſcipuli per regiones Iudeæ & Samariæ, *vt dicitur Actorum* 8. diuina prouidentia deueniſſet, tantum circa eam humanus fauor & inquietudo creuerunt, erat enim tunc Maſſilia magna ex parte Chriſtianæ fidei ſacris initiata, vt hominum conſortia fugere cogitaret. Rapta igitur diuinitus transfertur in locum deſertum, & ſub ore vnius antri deponitur. Cumque hinc inde per locum ei à Deo paratum lumina direxiſſet, draconem quem Martha eius ſoror occidit, repente inter lucem & tenebras, longo viperarum agmine ſane horribili circumſeptum aſpexit. Subito autem ea apparente in ſpelunca, & draco & viperea multitudo excitantur in eam, oculis & ſibilis ſuum furorem præ ſe ferentes. Cumque iam deglutiendam draco eam in ſua ora traxiſſet, ſic eſt profundo & ſecuro corde locuta, Dulcis Ieſu, triſtemne ac ſolã in deſerto poſt innumera tua dona, draconis me eſcam effeciſti? Tunc ſubito angelus de ore draconis eductam eam eſt allocutus dicens, Beata quæ fidem tenes: ac draconem calce percutiens, Egredere, inquit, hinc draco, & omnes viperæ tecum. Deinde ad Magdalenam conuerſus ait, Deus quem tantopere concupiſcis, te vult hunc locum lachrymis irrigare profuſis, vt futuris ſeculis exemplum pœnitentię perpetuo ſis. Remanſit Magdalena angelo diſparente, perterrita, & loco luſtrato hominibus inuium aſcenſum deſcenſumque rupe vetante cognouit: Tunc amoris dulcedine in lachrymas reſoluta ſe in terram proſtrauit adorans ac dicens, Gratias tibi ago Domine Ieſu, & te deprecor vt fontem exhibeas ancillæ tuæ, & ſtatim ſcaturierunt aquæ è duro ſilice, & mox apparuerunt pluſquam mille ſpiritus verba ſuauiſſimi amoris lingua Hebræa decantantes, quib. & hæc inſerebant, Non expedit animæ tam aſſiduam orationẽ: & mox dæmones eſſe intelligens, Ieſum territa inuocauit, & repente Angelus Michael adfuit cum ſuis, qui dæmones in fugam compulit, & crucem in ore ſpeluncæ erexit radiis fulgentibus coruſcam: Ex quo cum in ſe amoris vehementiſſimi flammam perſenſiſſet, tam læta & iubilans angelorum turba adfuit, vt æternam in hoc antro vitã credidiſ-

didiſ-

didiſſes. Hinc repente ad infernalia loca rapitur Magdalena, ibidemque varia pœnarum genera, punitorumq; turmas inſpexit. Cumq; ad loca purgatorij ventum eſſet, plurimi me ſpiritus deuoti circunſteterunt & dixerunt, Ora pro nobis Magdalena noſtra. Quibus ego, inquit ipſa, vtinam veſtra voluntas per me impleatur.

2 Deinde vero ad crucem iterum repoſitæ dixit angelus. Quanto tempore tuus amor Ieſus in terris te propter vixit, tanto tu quoq; in hac ſpelunca moraberis. Stetit igitur, eo diſparente, ad crucem orans, inque ea Chriſtum ſalutem ſuam contemplans. Quolibet autē euoluto die angelorum adfuere malitiæ, eamque tam ſublimem in aera ſuſtulerunt, vt cœleſtes audiret reſonare melodias. Quod ab inde citra ſepties ſemper intra diem & noctem fecerunt. Frigus ac gelu igne ſuccenſo diuino iam non curabat. Cumque ipſius veſtes paulatim vetuſtate deciderent, paulatim quoque diuina pietate ipſius creuere capilli corpus contegentes. In ipſa vero cruce cuncta Chriſti myſteria, viua quaſi imagine expreſſa, incredibili ſpiritus dulcedine contemplabatur: ibi dura vulnera, ibi crucifixi tetrum liuorem & effuſum cruorem, ibi pias lachrymas & duram mortem dabatur intueri. Cumque his citata ferculis nocte dieque fleret, cum lauandi vultus gratia fontem petiuiſſet, obuium ſibi humana forma Ieſum ipſam his verbis alloquentem vidit, Te propter Maria loca iſta conſtitui. Circumſtabant cœleſtes militiæ regem ſuum: & ecce reſplenduit ſubito aſſumpta humanitas, & ſeipſum ad inſtar ſui cum eſſet in monte Thabor, Saluator transfigurauit, adeo vt illam oculos inflectere tanta Maieſtas compulerit. Illam quidem ad vultum dilectum oculos attollere dulcis amor compellebat, ſed acies tanto ſplendore hebetata nō valebat. Cumq; cum ea multa contuliſſet illapſus eſt cœlo, & quoad vixit centies & decies ipſam in ſpelūca pro ſua pietate viſitauit. Sic vbi ſuperabundauit delictum ſuperabundauit & gratia. Hæc Sylueſter Prieras vir doctiſſimus profeſſione Dominicanus in expoſitione Euangelij feriæ quintæ intra *octauas Paſchæ* 1.

3 Hic cum anno Domini 1497. deuotionis gratia antrum pœnitentiæ laboribus Magdalenæ celebertimum viſitaſſet, ſacraſq; eius reliquias apud S. Maximinum conſpexiſſet, oſtenſum eſt ei pluries venerabile caput eius, grande valde, & carnib. vndiq; nudatum, excepta ea parte frōtis, quam Chriſtus ſacroſanctis ſuis manibus tetigiſſe fertur: ibi enim pellis clare apparet, & in pelle impreſſa eorum digitorum extremitatum indicia, quorum alterum reliquo multo eſt euidentius atque profundius: & ſub pelle caro ad albedinem declinans clariſſime elucet. Oſtenſi ſunt & in vitrea ampulla capilli eius qui ſanctiſſimos Chriſti pedes terſerunt. Nec non eſt ampulla vitrea plena terra rubeo nigroq; colore permixta, quam in paraſceue Magdalena ſub cruce collegerat: quæ vt conſtanti ſermone omnes aſſerebant, ſingulis annis in die paraſceues perlecta paſſione clare ebullit quaſi ſanguinem redemptionis noſtræ pretium omnium oculis conſpiciendum præbens, vidi & brachium eius magnum inquit, ſed oſſa reliqua argētea capſa concluſa videre non potui. *Hæc Syluester*, qui deinde poſt pauca refert, quod cum in loci eius archiuis diligenter ea, quæ ad hiſtoriam B. Magdalenæ pertinent, inquiſiuiſſet, ſe in illis deprehendiſſe quendam eximiæ ſanctitatis monachum Dominicanum, Eliam nomine, qui in ſpecu B. Magdalenæ orationi vacare ſolebat, cum ad eum locum iam iam moriturus ſe deferri curaſſet, hæc nouiſſime verba ſequentibus fratribus dixiſſe, Fratres, dies venit & hora mihi diu expectatæ mortis. Igitur quæ ad B. Magdalenæ gloriam, & veſtræ ſalutis augmentum enarrabo, percipite. Cum B. Magdalenæ ſeruiturus deſertum iſtud & rupem horridam petiuiſſem, exacto hic menſe, ingenti ſolitudinis tædio affectus diſceſ-

discessum tacitus cogitaui. Quadam igitur nocte vehementiori cogitationum æstu absorptus, astitit mihi B. Magdalena, & inter alia hæc mihi dixit. Tu hinc à seruitio meo discedere cogitasti, sed audi q̃ dicam, & demũ age, quæ liber: & narrauit ordine cursum suæ vitæ, prout supra descripta est, quam traduxit in dicta spelunca.

PARS III.

Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat.

Luc. 7.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Quid sit agere fructus dignos pœnitentia.*
II. *Pœnitentia non differenda.*
III. *Contra eas quæ faciem cerussa & purpurisso depingunt.*

ART. I. Quid sit agere fructus dignos pœnitentiæ.

1. QVANDOQVIDEM scriptura sancta plurimis in locis miserationibus Dei iustitiam coniungit, vt cum psal. 114. dicitur. *Misericors Dominus & iustus*: rursum alio in loco, *Misericordiam & iudiciũ cantabo tibi Domine*: Hinc est quod rectè à nobis exigatur *Matt.* 3. vt fructus dignos pœnitentiæ faciamus. Quod peccatorem in gratiam recipiat, hoc misericordiæ est: Quod autem per disciplinam & flagellum eum recipiat, hoc iustitiæ est: quam in se exerceri exoptabat propheta Dauid, cum iam etiam peccatorum remissionem consecutus diceret. *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Quam enormiter autem his flagellis exceperit prophetam suum Dominus, satis ipse psalmista significat cum ait loco prædicto. *Circundederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerũt me, tribulationem & dolorem inueni*, & *nomen Domini inuocaui.* Duo hic dicit Dauid Rex, & quod dolores inferni eum inuenerint, & quod ipse quoque tribulationem & dolorẽ inuenerit. Multi sunt quos quidem tribulatio inuenit, sed ipsi non inueniunt tribulationem. Qui prosperis seculi delectãtur, iis obligantur, atque ita tribulatio & dolor inueniunt eos, sed ipsi non inueniunt tribulationem & dolorem, *inquit August. in psal.* 114. Neq; hoc dicimus hominibus vt quærant miseriam, *inquit*, quam non habent, sed vt inueniant eam quam nescientes habent. Nec enim hoc eis optamus vt terrena necessaria desint ipsis, quibus indigent dum mortaliter viuunt, sed vt hoc plangant quod amissa satietate cœlesti, terrenis nondum ad fruendum stabilibus bonis, sed ad sustentandũ necessariis indigere meruerunt: agnoscant & lugeant miseriam hanc, quæ inuenit omnes, sed non omnes inueniunt eam *hæc Aug.*

Bas. ho. 16. in ps. 114.

2. CÆTERVM cũ ait, *circundederunt me dolores mortis*, significat his verbis se nihil mediocre passum esse, sed vsque ad ipsos mortis dolores, qui sunt vehementissimi & velut dolores parturientis, deductum fuisse. Sed videte quæso huius athletæ magnanimitatem, *inquit Basilius*. Postquã Bas. loco circundederunt eum dolores mortis & supra citato. pericula inferni eum inuenerunt, tantum abfuit vt inter has tribulationes concideret animo, vt multo pluribus perferendis se voluntariũ obtulerit, & dolori dolorem, & afflictionem ex pœnitentiæ fonte prodeuntem, quæ magnitudini responderet admissi per eum peccati, adiecerit: Hoc enim est, *inquit Basil.* quod subiungit, tribulationem & dolorem inueni. Quo enim animi dolore & quibus lachrymis persecutus sua peccata fuerit Dauid, satis declarat cum ait, *lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum rigabo*: Et psal. 101. *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ, quasi dicat inquit Hier.* explicans hunc locũ: Ita exiccaui memetipsum vt sine carne esse viderer, & pelles meæ cohærerent ossibus meis

meis. Carnem pro pelle dixit, ſecundum *Hier.* Quia *oblitus ſum comedere panem meum*, id eſt, in tantum venit mihi memoria peccatorum meorum & talem pœnitentiam egi, vt etiam obliuiſcerer manducare. *Similis factus ſum pelicano ſolitudinis*, qui ſcilicet in ſolitudine comedit venenata animata, ſerpentes, lacertos & ſimilia, tanquam diceret, Eſca mea quaſi venenum erat mihi: Quia cinerem tanquam panem manducabam, hoc eſt, incinerem intingebam panem meum & ſic comedebam: Diſcant qui agunt pœnitētiam, *inquit Hier.* quomodo debeant eam agere. Si tantus Rex ſic loquitur, nos quid faciemus? Si tanto Regi nihil fuerit ſuaue neq; panis neq; potus, quia potum ſuum cum fletu miſcebat. Et hæc omnia faciebat à facie iræ indignationis Dei, conſiderans futurum iudicium. *hactenus Hier.*

3. Poenitentia, inquit *Hiero. in epiſt. ad Suſannam lapſam*, non verbo agenda eſt ſed facto. Hæc autem ſic agitur, ſi tibi ante oculos proponas de quanta gloria lapſa fueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum ſit, & teipſam poſitā credas prope ipſas tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum & ſtridor dentium ſine fine. Cum hæc certa fide conceperis, nec aliud eſſe remedium cōſtitutum poſt baptiſma, quam pœnitentiæ ſolatium, quantumuis laborem & indecorum ſubire contende, dummodo ab æternalib. pœnis libereris. Ergo hæc mente cogitans & mente contrectans vitam tuam male trāſactam odiſſe debes, eiuſq; memoriam abhorrere & deteſtari, iuxta illud Pſalm. 118. *Iniquitatem odio habui & abominatus ſum.* Deinde ipſa tu iudex eſto facti tui, lugubrem veſtem accipito, membra ſingula digna caſtigatione punito, amputentur crines qui occaſionem luxuriæ præſtiterunt, defluant oculis lachrymæ, qui maſculum non ſimpliciter aſpexerunt, palleſcat facies quæ quondam erubuit impudice, totum deniq; corpus ieiuniis maceretur, & cinere aſperſum cilicio perhorreſcat, quia p̄ peccatū cinis facta es, & quia male tibi de pulchritudine placuiſti: cor vero ſit liqueſcens tanquam cera, cogitationibus ſeipſum ventilans quare ſit ab inimico ſubuerſum: exiſtima te mortuam ſicut es, & quomodo poſſis reuiuiſcere cogita. Similis facta es illi qui ex magnis diuitiis in extremā incidit paupertatem, & ex optima corporis habitudine in vltimam debilitatem deiectus eſt, & ex inſigni pulchritudine in maximam deuenit fœditatem. Idcirco & Adam miſericordię voce reuocabat Deus dicens, *Adam vbi es?* Non enim qui cuncta nouerat quærebat edoceri vbi eſſet, quin id volebat potius vt ille ſecum recogitaret qualis ex quali eſſet factus, *vbi es?* quaſi dicat, in quam incidiſti ex tanta ſublimitate ruinam? Ex immortali factus es mortalis, ex filio Dei filius gehennæ, ex libero ſeruus factus es peccati. Talis actio pœnitentiæ ſi fuerit perſeuerans, *inquit Hieronym.* audebit hic ſperare ſi non gloriam, certe pœnæ euacuationem. Dicit enim Dominus, Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde, in ieiunio & fletu, & ego conuertar ad vos.* Grandi plagæ & altæ prolixa opus eſt medicina, grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem. Tu quæ iam ingreſſa es agonem pœnitentiæ inſiſte miſera fortiter, inhære tanquam naufragus tabulæ ſperans per ipſam te poſſe de profundo criminum liberari: Inhære pœnitentiæ vſque ad exitum vitæ tuæ, quia peccator ſi non pepercerit ſibi à Deo illi parcetur, & ſi futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitæ ſpatio compenſauerit, ſeipſum ab æterno incendio liberabit, *hæc Hier.*

4. Ex his collige, *inquit idem*, quod ad agendam pœnitentiam relinquenda ſint ea quibus antea mundo & vanitati ſeruiebat homo, veſtium ſuperfluitas, ciborum abundantia, vultus compoſitio, odorum ſuauitas, & ſimilia, ne ſcilicet his delectemur, quibus antea delectabamur in ſeculo. Sed potius id cum pſalmiſta dicamus. *Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina*, hoc eſt, *inquit Hieronym.* explicans Pſal. 31.

tans hunc locum. Conuersus sum in assidua tribulatione flagellorum tuorum dū configitur spina mihi, dum pungit me conscientia peccati. Scribit *Hieron. epist. 27. ad Eustochi. to. 1.* in epitaphio Paulæ matris eius, quod etiam leuia peccata ita plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes ream. Cumque à nobis crebrius moneretur, *inquit*, vt parceret oculis & eos seruaret Euangelicæ lectioni, aiebat. Turpanda est facies quam contra Dei præceptū purpurisso & cerussa & stibio sæpe depinxi, affligendum corpus quod multis vacauit delicijs; longus risus perpetti cōpensandus est fletu: mollia linteamina & serica pretiosissima asperitate cilicii commutanda. Nam etiam in grauissima febre mollia lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciis quiescebat: Si tamen illa quies dicenda est cst quæ iugibus pene orationibus dies noctesque iungebat, illud implens de psalterio, *lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis stratum rigabo.* hæc H er. Nos vero cum vel vna hora orauerimus, *inquit Bas.* breuem aliquam super peccatis nostris tristitiam passi securitatem nobis promittimus, perinde ac si quippiam cōfecissemus quod ex æquo responderet diluendæ nostræ omni malitiæ.

Bas. 16. ho. in psa. 114.

5. NON satis esse credebāt Sancti è vulnere gladium educere, *inquit Concil. Colo.* sed remedia vulneribus adhibere oportet per satisfactoria opera, vtpote ieiuniis, precibus, & eleemosynis. Cum enim pœnitentia sit animæ languentis medicina, sanitatem operatur illa secundum pœnitentis dispositionem, potestque accidere vt tanta peccatorum detestatione & tanto animi dolore angatur anima, vt non solum remittantur peccata, sed etiam condonentur temporales pœnæ illis debitæ: Quod Magdalenæ accidisse quamuis certum non sit, probabile tamen admodum fuerit, quæ dignos pœnitentiæ fructus fecit, dum & faciem, q̄ fuco & purpurisso exornare solebat: lachrymis deturpauit, & vnguēta pretiosa lasciuiæ indicia, quib. inungi solebat in squalorem & vasta solitudine & horrido antro contractum commutauit, & pretiosa quæq; ornamenta in cilicium conuertit: Huius namq; mulieris pœnitētia tum initium habuit quādo lachrymis rigare cœpit pedes Domini, finem vero quando triginta annis in duro antro & horrido exactis, hinc in cœlum migrauit. Sic & Clemens de B. Petro refert, quod quoties negationis peccatum ad memoriam reuocabat, toties in lachrymas resolueretur, ita vt vultum lachrymis sulcasse videretur.

II. Pœnitentia non differēda.

1. NON *tardes conuerti ad Dominum*, inquit ecclesiasticus, *& ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius & in tempore vindictæ disperdet te.* Quapropter hodie si vocem eius audieris noli obdurare cor tuum. Ad vitā ô homo vocatis quid vocationem fugis? Quod si quis medicus medicamentis quibusdam te sanum ex infirmo reddere se recepisset ad eam profecto diem omni desiderio anhelares, in qua sanitati te restituendum videres. At nunc cum anima tua, quam multis sceleribus contaminasti, per pœnitentiam viuificari & pristino decori restituenda nuncietur, tātum despicis beneficium, nec vltro properas aut id pollicenti occurris obuiam? Vide ne longiorem tibi vitam pollicendo, spe decidas. Nescis quid crastina sit aductura dies: ne tibi q̄ nō tua sunt in tua putes esse potestate. Dicunt enim aliqui, *inquit August.* Iuuenis sum, faciam quod me delectat modo & postea pœnitentiam agam: tanquam diceret, me iam crudeli vulnere percutio & lædo, & postea ad medicum vadam. Heu nescis miser quod vnius horæ puncto vulnus accipitur, sed vix longo tempore ad sanitatem pristinam reducitur: insaniæ quoddam genus est vulnerari velle vt postea saneris. Quousque tandem voluptatem affectas? longo nimis tempore mundo viximus, reliquum vt & nobis ipsis viuamus *inquit Bas.* Enimuero si publicis tributis obnoxius esses, debitorum autem remissio Reis cir-

Eccl. 5.

August. de honesta. mul. to. 9.

Bas. ho. 13. in eruari. to 1.

cunquaq; nunciaretur, deinde quiſpiam te hoc publico munere priuare conaretur, doleres communis gratiæ partæ per iniuriam priuari: poſtquam vero non ſolum præteritorum remiſſio, ſed etiam futurorum dona palam proponuntur, non audis ſed ipſe te lędis, quantum nec inimici forte læderent. *hac Baſil.*

2. CONSIDERA te in examine trutinaque tuam eſſe poſitam animam inquit idē loco prædicto, hinc ab angelis inde à dæmonibus abſtrahi: meditare quibus cordis lanceā inclinare velis. Quid apud te vincet? Carniſne voluptas, an vitæ ſanctitas? præſentium delectatio, an deſiderium futurorum? Quis prudentior aut fidelior cōſiliarius quam Deus? Hic eſt qui ait, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, Tollite iugum meum ſuper vos & inuenietis requiem animabus veſtris: Iugum enim meum ſuaue eſt. & onus meū leue.* Ipſe qui vocat minime fallax eſt, & vt vocanti facilius credamus per ſuum pſaltem ait, *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus:* Dei namq; ſuauitas, ſicut & mellis dulcedo melius ignorantibus nunciari quam per deguſtationē non poterit, quod ſenſus omni ſermone ſit efficacior.

hæc Baſ. vt ſupra 3. CVNCTATIO ad pœnitentiā nihil aliud clamare videtur, quā in me regnet peccatum, carne ætatiſque flore abutar in luto voluptatem porcorum more volutabor, tunc denique cum ſatur ero malis deſiſtam & pœnitebo. Cum facultas ætaſque viget te libidinib. tradis, quando vero membra languent, tunc Deo potiſſimum offerre ſtudes, cum ſcilicet ob ingruentem & inualidam ſenectam his vti non amplius licet. Quo maxime tempore pudicitia ſeu temperantia vocari non poteſt, ſed laſciuiendi potius & luxuriandi adempta facultas. Mortuus enim minime coronatur, nec iuſtus aliquis dicitur cui malefacere non licet. Dum itaque poteſtas adeſt, dum corpus valet, dum ratio viget, peccato dominare. Si ætate prohibitus à peccato deſiſtis, debilitati agendæ ſunt gratiæ, *inquit Baſil.* Optione non neceſſitate bonos laudamus. Quis tibi vitæ terminū, aut ſenectutis metam addixit? Quis apud te tam fide dignus futurorum ſponſor? Nō vides pueros ſępenumero ab vbere raptos, non ætate floridos mori vides? Nullum certum terminum habet hæc vita, quandoquidem & illi qui iam primum incipit viuere, mortem ante oculos habere continuo eſt opus. Quid expectas beneficio febris pœnitere, quādo nec ſalutaria verba loqui, nec audire commode poteris, morbo caput affligente? nō manus in cœlum tollere, non genua adorando flectere, nec in pedes ſtare, non libere confiteri, nō cum Deo conuenire, non cum aduerſario decertare, dubitantibus etiam præſentibus num gratiam ſentias, ac ſine ſenſu quę aguntur accipias. Noſce inimici dolos, ſerpens eſt, & ad decipiendū argutus, qui artibus ſtudioſis te aggreditur: vt omnino ſtatimque à Deo auertaris conſulere non audet, nouit enim hoc graue admodum Chriſtianis. Sed vana ſpe corda noſtra deludit: cum enim intelligat nos homines pręſens libenter tempus recipere, & quod omnis actio humana in præſens ſpectet, ideo hodiernum tēpus nobis furatur, & ſpem facit craſtini, dum nos hodie peccare, cras vero iuſte agere ſuadet. Poſtquam autem craſtinū venerit rurſus malus diuiſor ſibi hodiernum, craſtinum vero Domino dari petit. Sic continuo diem de die trahens, voluptate præſenti & ſpe frugis noſtram ſubducit latenter vitam: vide ne tuorum conſiliorum pœniteat, cū te ſera nihilq; profutura tibi pœnitentia cœperit, *hactenus Baſilius.*

4. DISCE prudentiam virginum exemplo, quæ oleum in vaſis non habentes, quando ſponſo ire obuiam oportuit, tunc neceſſaria deficere ſenſerunt. Ideo fatuas eas Euangeliū vocat, quoniam dū tempus erat olei ferendi, id negligentes à ſponſo reiectæ ſunt. Ne igitur & tu frater, *inquit idem*, annum de anno, diē de die mēſem de menſe trahas, ne te benefaciēdi occaſio vita deficiente, deſtituat, tunc dolebis miſer quando extrema erit anxietas, tūc dolebis

corde

corde penitiore, nec habebis qui condoleat, sed tantum tacito & misero murmure mussitabis apud te dicens, Quam contempta est mea stultitia. Quis stupidum ac lethali somno oppressum admonebit? Propinqui? at hi mœrebunt. Amici? At hi talia memorando, te turbare verebuntur. Scilicet & medicus vitam longiorem prædicẽdo decipiet, nec tu vitam omnino desperabis cum natura maxime ab omnib. desideretur, Mors irruet, te rapientes instar leonis statim aduolabunt. Quis liberabit? At, inquis, Deus me tunc exaudiet: At tu ipsum iã non audis. Ne miser decipiaris: aderit tibi repentinum exitium, ac interitus similis procellæ te euertet, veniet angelus tristis per vim tuã rapiens animã tot peccatis irretitã, teque dęmõ magnopere cruciatum & absque voce quærentẽ, præcluso lamentis vocis organo ad nigra tartara deducet. Heu quantum teipsum affli-ctabis. Me miserum dices, Cur peccatorũ grauissimam hanc sarcinã, cum licuit non abieci? ô praua mea consilia, ob breuẽ voluptatem peccati in ęternum crucior? Homo si gehennam metuis, si reg[illegible]ctas, ne vocationem sperne, & si hodie vocem Domini audieris, noli cor tuum obdurare. *hac Basilius loco supra citato.*

5. HVIC conformis est & *Chrysost.* qui sic ait: Periculum est in differendo pœnitentiam, salus vero certa & secura si nulla sit dilatio. Ne dicas, Erit aliquando tempus quando conuerti licebit, verba enim hæc Deum valde exasperant: quod hinc elucet quia multi cum iam aliis damnum fraudulenter facerent, subito perierunt, & ad manifestum iudicium abierunt. Sed multis, inquies, dedit Deus priuilegium vt in vltima senectute cõfiterentur. Quid igitur? Nunquid & tibi dabit? Fortassis dabit, inquis. Cur dicis Fortassis. Cogita & de cõtrario, quia inre dubia prudentis viri est nõ minus metuere quã sperare. Et det quidẽ ipse: verũtamẽ hoc illo certius & vtilius: tene quod certum & dimitte incertum, ne frustra omnis vita consumatur, & eueniant tibi etiam ea quę de Iudæis dicta sunt,

Hom. 22. in Ep. ad Cor.

Quod defecerint in vanitate dies eorum: & vtinam in vanitate solum & non in malitia, hæc ille. Quod si conuersus non fueris, Deus *gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illum.* Tetendit tantum, nondum immisit sagittam, vt te forma terreat: non cædit sed vibrat tantum, vt splendorem conspicatus & territus ad pœnam non peruenias; non cædit gladius sed terret, vt ipsius timor ad pœnitentiam te suscitet, sic *Chrysostomus.*

6. QVI veraciter pœnitentiam egerit ex toto corde vbi Deus videt, & bene post pœnitentiam vixerit, securus morietur & saluabitur: Qui autem positus in vltima necessitate ægritudinis suæ, acceperit pœnitentiam & mox reconciliatus fuerit & de corpore exit; fateor vobis non illi negamus quod petit, *inquit Ambro.* sed non præsumo dicere quod bene hinc exit. Fidelis bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam dum sanus est & reconciliatus si postea bene vixerit, securus est. Bene autem viuere post pœnitentiam est abstinere ab eloquio malo, à concupiscentia & reliquis peccatis, & contrariis incumbere virtutibus. Verum non solum post pœnitentiam ab istis se homo obseruare debet, sed & ante pœnitẽtiã quia nescit si possit ipsam pœnitentiam accipere & confiteri Deo & sacerdoti peccata sua. Agens vero pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus si exierit, an securus hinc exeat, ego non sum securus: Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.

Chryso hom. [illegible] quæ est de pœn.

Ambro. li. cuius titu est ad pœn. agẽd exhort.

Quod dico attẽdite, ne aliquis me male intelligat, *inquit Ambro.* Nunquid dico damnabitur? non dico. Sed si te à dubio vis liberari, & quod incertum est euadere, age pœnitentiam dum sanus es, vt securus sis. Quare securus tunc? Quia egisti pœnitẽtiam eo tempore quo peccare poteras. Si autem tunc agere vis pœnitentiã, quando peccare iam non potes, peccata te deserunt, non tu illa, quapropter & occulte fortassis in te adhuc viuunt. Duo dicuntur, aut ignoscitur tibi, aut non

 igno-

ignoſcitur. Quid horum futurum ſit neſcio, & ideo tibi do pœnitentiam quia neſcio: Nam ſi ſcirem tibi nihil prodeſſe, non te admonerem, nõ tibi pœnitentiam darem. Hinc conſilium tibi do, Dimitte incertum & tene certum, & dum ſanus es pœnitentiam age, vt ſecurus hinc eas. *hac Ambro.*

7. OBITER autem hic adnotandum quod pœnitentiam agere, non ſolum ſit ieiuniis corpus macerare, cilicio & diſciplina illud affligere, lachrymis genas rigare, verumetiam tentationibus reſiſtere, in pugna ſpirituali ſe exercere, peccata & mẽbra ſua mortificare, quod eſt ſatis pœnale. Et hãc pœnitentiam qui non egerit, nec peccatis reſtiterit, ſed ea fouerit, uſq; ſe ad extremum vitæ, ſi non opere ſaltem animo, oblectauerit, verendum eſt de iis ne ſi in fine pœnitere videãtur, infructuoſam agant pœnitentiam, in eoſque competat, quod in lamentationibus Ieremiæ ca. 2. legimus. *Cum deficeret lactens & paruulus in plateis oppidi, matribus ſuis dixerunt, vbi eſt triticum & vinum?* Quem locũ explicans *Hieron. ſic ait,* Fruſtra tunc auditores negligentes quærunt à Doctoribus ſuis quos matris lactantis nomine hic intelligimus, triticum & vinum verbi gratiæ ſpiritualis, cum in terrenis negotiis & voluptatibus ſeculi ad defectum deuenerint præſentis vitæ, & ſub ipſo Magiſtrorum nutrimine tempus indultum perdiderunt in praua conuerſatione. Non enim tunc tempus eſt remedii ſed retributionis, quãdo diſtrictus iudex veniet ſingulorũ actus & vitam diſcutere per diſcretionem iuſti examinis. Quapropter recte ait pſalmiſta. *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.*

Pſal. 2.

Quem locum explicans *Hier.* ſic ait. Tempus opportunum ad exorandum pro peccatis Deum, hæc vita eſt, in qua Sancti orant, quia nemo eſt à peccatis immunis orantq; vt peccata per pœnitentiã dimittantur. Quod ſi fecerint audient, veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eũ non approximabunt: Multi fluctus diluuiorum in iudicio impios vallabunt, qui Sanctis & his qui pœnitentiam dum viuerent egerunt, non nocebunt.

8. MVLTI ſunt ſimiles Iudæis de quib. ſic Dominus Aggæi cap. 1. *Populus iſte dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificãda:* Sic hi dicunt, nondum eſt tempus agẽdi pœnitentiam per quam reparetur collapſa Dei domus, quæ teſte *Hieron. in 1. ca. Aggæi* reſtauratur per pudicitiam, quæ per libidinẽ deſtruitur, & per humilitatem erigitur, quæ per ſuperbiam deiicitur. Qui ſunt autem qui ſic loquuntur? qui iugum ſeruitutis peccati nõdum excuſſerunt, *inquit Hiero.* qui etiamnũ in captiuitate detinentur & in peccatis degũt, iiſque ſe oblectant. De his qui ædificationem hãc differũt, ſubiũgit propheta, *Seminaſtis multũ & intuliſtis parum, comediſtis & non eſtis ſatiati, operuiſtis vos & nõ eſtis calefacti, & qui mercedes congregauit miſit eas in ſacculum pertuſum quia inter* multa opera peccatorũ fiunt etiam aliqua opera bona, *inquit Hier.* quæ quia iuncta ſunt operibus malis & peccatis, pereunt nec homini ſeruiunt, vt aut animam eſurientem ſatient, aut vt nudam operiant.

Qui vero ſerio decreuit inſtaurare tẽplum Dei, huic omne tempus aptum eſt ad ædificandum, nec Rex diabolus poteſt impedire, nec hoſtes per circuitũ, præcepta enim Dei ſtatim in opus vertit, & in hoc totus incumbit vt per pœnitẽtiam reſtaurentur opera bona deperdita, iuxta id quod Dominus promiſit Ioel 2. *Reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, rubigo & eruca.* Quæ verba explicans *Hieron.* ſic ait, vos, quos iuſte poſt pœnitentiã voco filios Sion & Eccleſię, gaudete; quia fecit vos nouis virtutum frugibus abundare oleo miſericordiæ & manſuetudinis, & ſatiari frumento verbi Dei quod animam nutrit & confortat, & inebriari vino lætitiæ & caritatis diuinæ: Et annos, quos perturbationibus ante regnãtibus perdideratis, quando opera veſtra conſumebat & locuſta, quod eſt ventroſum animal, recte deſignans eos qui faciunt Deum ſuum ven-

ventrem, & bruchus qui frumentum absumit, inuidiã aut similẽ passionẽ designãs, quæ hominem absumit, Deus vobis perire nõ est passus. Quare ergo dicunt in populis, vbi est Deus eorum? Et respondens Dominus dixit Ioel 2. *Non confundetur populus meus in æternum* Repromissio est futurorum, quæ bona postquã egerint pœnitentiam, debeant præstolari. Hinc Sancti qui ad Deum sunt conuersi quotidie nihilominus per pœnitentiam conuertũtur & appropinquant Deo magis. *hæc Hieron. cap* 10. *Ezechi.*

III. De ornatu mulierum.

1. ET *capillis capitis sui tergebat eos.* Quæ prius tortis crinibus, facie purpurisso & cerussa colorata, oculis stibio depictis, vnguentis adoriferis, armillis & monilib⁹, ac cæteris ornamẽtis muliebribus, mundo placere & greges amatorum post se trahere solebat: iam conuersa non id quærit, non hoc ei curæ est vt corpus vnguentis inungat, vt faciem fucis & coloribus depingat, vt crines intorqueat, vt sericis & pretiosis vestibus se ornet, sed metuens illud Isaiæ cap. 3. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & pro ornamento erit ignominia, & pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitiũ, & pro fascia pectorali cilicium*: in hoc tota incumbit vt corde cõtrito Deum exoret eumque sibi placabilem reddat, vt preterita scelera lachrymis abluat, quo sic gehennæ incendium euadat: stat pudibunda & confusione plena retro secus pedes Domini, tanquam quæ præ pudore oculos ad eum leuare non audeat. In ea enim locum habebat quod Ieremias ait cap. 31. *Postquam conuertisti me egi pœnitentiam & postquam ostendisti mihi, percussi fœmur meum, confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobriũ adolescentiæ meæ.* Isai. 3.

Fieri enim nequit vt qui clare semetipsum intuetur lapsus in peccatum, quin totus inhorrescat videns supplicia peccatoribus præparata: Fieri non potest quin totus confusione suffundatur, qui turpitudinẽ peccati & animæ suæ ignominiam ex eo contractã probe perspectam habet. Quod autẽ pleriq; etiã grauissimis sceleribus & turpissimis libidinibus inuoluti, minus erubescãt, fit quia nec semetipsos, nec peccata sua noscant. Hinc notantes propheta ait. Postquã ostendisti mihi, nimirũ & memetipsum, & peccati mei grauitatem & turpitudinem, & pœnam peccato debitam, tunc percussi fœmur meum, erubui & confusus sum.

2. QVALI igitur venia dignæ sunt (sermo enim iste aduersus mulieres, apud quas maiorem inuenimus ornandi cupiditatem, *inquit Chrys.* maxime dirigitur) Chrys. hom. 3.
quæ cerussa & purpurisso album & rubicundum superinducunt colorem in facies in Gen.
suas, & stibio oculos depingunt, quasi sapientiores plasmatore suo sint, tanquam Origen. homi 4 in Matth.
non bene illum fecerit vultũ, tanquã non prudẽter istam faciẽ efformauerit. Huius plasmatoris opus volunt emẽdare, & post tantum artificem manus superaddere non verentur. Quid vero studium, quid artem consummato à Deo opificio admouere præsumis? Non tibi sufficit diuina formatio: An vero veluti excellentior opifex diuinum opificem corrigere impia moliris audacia? An ad auctoris iniuriam ornaris, vt post te greges iuuenum trahas? Pulchrã te condidit Deus vt in hoc ipse laudetur, admirationique sit opificium suum, nõ vt iniurias patiatur. Noli igitur ipsi huiusmodi referre vicem, verum pudicitia atque verecundia teipsam ornare cõtende. Pulchrã idcirco te creauit Deus vt virtutis tibi adderet exercitia & præmia. Neq; enim idẽ est, *inquit Chrysost.* speciosam & quæ à plurimis adamari possit, studere pudicitiæ, & quæ huiusmodi careat nulliq; sit expetenda, castitatem seruare. At inquies, fucis quidem non egent speciosæ, at deformes indigent, vt deformitatem occultẽt. Verũ in cassum laborant, quia id quod naturale est cuiusuis opificis studio & arte superari non potest. Quanta igitur amentia hæc effigiem naturæ mutare velle? Si pulchra es, quid fucum quæris? Si deformis, Chrys. hom. 4. ad Tim. epist. 1. Ambro. lib. 1. de virgini. & lib. 6. cap. 8. hexame.

cur

cur te formoſam eſſe mentiris? Cui ô homo non vis videri quod natus es? Pictura illa vitii non decoris eſt, fraudis non ſimplicitatis: illa pictura facit vt non placeas ei qui videt opus ſuum eſſe deletum. Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis aſſumere quam ad luxuriā deriuandam putes, Graue eſt enim crimē vt putes quod te melius homo quam Deus pingat, *inquit Ambro.* Graue eſt vt dicat de te Deus Non agnoſco colores meos, nō agnoſco imaginem meam, reiicio ergo quod meum nō eſt, illum quære qui te pinxit, cum illo habeto conſortium. *hac ille.*

Chryſ. vbi ſupr. 3. CVR autem deformitas ipſa mœrori ſit, ſi probro careat: *inquit Chryſoſt.* Audi Sapientis cuiuſdam viri ſententiam. *Ne vituperes virum in aſpectu ſuo, neque item laudaueris virum in ſpecie ſua.* Eccl. 11. Quid enim lucri decor huiuſmodi parit? Nihil profecto: verum certamina magis intendit, & pericula & ſuſpiciones malas, quin & zelū mariti quo torquebitur magis, quā amore pulchritudinis eius delectetur: Neque enim tantum ex aſpectu ipſo voluptatis habet, quantum ex ſuſpicione mœroris & indignationis, ita vt non dubitem huiuſmodi fallacia adulterina, qua ex pigmentis rubicundior & candidior appareas, etiam ipſos maritos ſe decipi nolle. Quæ autem decore caruerit, huiuſmodi impedimentis & plurimis aliis libera exiſtit. Meminerint ſcriptum eſſe, quæ huiuſmodi fucatum decorem appetunt. *Fallax gratia & vana pulchritudo, mulier timēs Deum ipſa laudabitur.* Et recte dicitur *fallax gratia & vana pulchritudo*, quia oculus non ſatiatur viſu, nec auris auditu, & quāto amplius quis pulchram mulierem amauerit, eo minus quietis inuenit, ſimilis eſt comedenti qui non ſatiatur: Fallitur ergo qui eiuſmodi pulchritudine delectatur & fruitur.

4. EXTERIOR ornatus ornatum animæ demoliri ſolet, *inquit Chryſoſt.* Homil. 8. in cap. 2. ad Timot. exponens illa verba. *Non in tortis crinibus.* Is enim qui eiuſmodi fuerit ſtudioſus, interioris ornatus (quem vtique requirit Chriſtus vtpote honeſtatem, verecundiam, pietatem, ſanctitatem) negligens fit neceſſe eſt: dum enim foris ornantur, intus ſuperbiunt, & verum ornatum virtutum in animam inducere negligunt. Et quod hoc ſtudium in ornando corpore internam indicet deformitatem, & veſtiū ſumptus illius manifeſtet nuditatē, inde patet quia ſi pauperē videat vel fruſtum panis duntaxat petentē, viſcera pietatis exutus eū potius fame deperire ſinet, *inquit Chryſoſt.* quam vt aliquid erogét. Quid facies ô mulier? quid ſericis ornas extrinſecus corpus, quod putredine plenū eſt intus? O ſi te intueri velles, quam verecundaretis de corpore, quod tanto cultu & ornatu excolis. An non metuis illud Iſaiæ, *Decaluabit Dominus verticē filiarum Sion & erit pro ornamento ignominia, & pro ſuaui odore fœtor.* Iſa. 3.

5. PVGNARE hic oportet non ornari, *inquit idem*, luctari & non in molliciem ſolui, Non vides pugiles & luctatores, vt illis nequaquam curæ ſit ornatus, verum in illud vnum intendunt victoriam vt obtineant? Stat ecce diabolus dentibus ſtridens, ac modis omnib. proſternere te cupiens, dū tu circa huiuſmodi diabolicum prorſus ornatū verſaris attonita. Quē deſideras habere amatorē Deū an mundum? veſte pretioſa, tortis capillis, facie purpuriſſo depicta, innumeris oculorū ictibus, inceſſu infracto & ſimilibus amatores homines poſt te trahis: Sed ſi Deū amatorem habere cupis, pulchritudinem quam Deus amat habere ſtude, vtpote bonos mores, honeſtatē, verecundiam, pietatē & cæteras animi virtutes intus latentes, *omnis enim gloria filia Regis ab intus*, Pſal. 44. Erat Eua nuda, ſed gloria Dei ornabatur, & cū induta eſſet, tunc turpior erat, *inquit Chryſoſt. hom. 10. ad Coloſ.* mox enim vt peccati veſtem induit, turpis facta eſt: Sic & tu ô mulier quando ſuperbiæ veſtimentum induis, tunc turpior appares, *ſic ille.* Rurſus *hom. 18. in Gene.* Quare dic obſecro corpus ita ornas, & gaudes eiuſcemodi amictu? Nam cogitas quod pro magno ſupplicio pro-

Chryſ. hom. 8. ad Tim. 1.

Chryſ. ho. 37. in Gen.

propter transgressionem tegmen hoc excogitatum est? Itaque vestium amictus continuum sit nobis monumentum quo memores simus quantis bonis & quanta fœlicitate exciderimus, & discamus quãto supplicio humanum genus ob inobedientiã sit affectum. Quali igitur venia digni sunt, *inquit idem*, qui & in vestimẽtis multam vanitatem ostentant, & quod grauissimũ est in his superbiunt? Et quod peius est, ob vestium cultus etiã aliis hominibus se superiores & meliores æstimant, non perpendentes secum quantis malis seipsos reos constituunt, qui cõcredita sibi à Domino male dispensant, & grauiorem sibi gehennæ ignem succendunt, & hoc ob rem nihili, nimirum vt sericis suis & vestium ornatu vulgo hominum & forensibus admirationi sint.

PARS IV.

Ecce Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, stans retro secus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat. Luc. 7.

Summa Articulorum IV. Partis.

I. *Nemo quantumuis malus desperet; nemo quantumuis bonus nimium sibi fidat.*

II. *Superfluus ornatus mulierum an tolerandus.*

III. *Peccatori non insultandum sed condolendum.*

ART. I. Nulli quantumuis malo desperandum, nec vlli quantumuis bono præsumendũ. Chrys. ho. 29. in Gen. Chrys. ho. 77. ad popu.

CVM & peccatores surgere & iustos ruere sæpe videamus, id quod & scriptura nobis variis commonstrat exẽplis, vtpote latronis & Salomonis & plurium aliorum nequaquã aut iustos cõfidere aut desperare peccatores oportet, *ait Chrys.* vtrinq; n. periculum, vtrinq; animę pernicies: qui enim desperat se veniam consequi posse, labitur in imum, dicit enim. Iam saluari non possum. Cur non facio quod volo: Qui etiam confidunt tanquam stent immoti, negligentiores fiunt & supplantati ad ipsum malitiæ barathrum sæpe deueniunt. Vnde *Chrys.* Ne nimis confidamus stantes, *inquit*, multi postquam in ipsum ascenderunt verticem cœli, & omnẽ exhibuere tolerantiã & in desertis morati sunt ita vt nec in somnis quidem viderint mulierem, negligentiores effecti in imum malorum deuenerunt. Alii è diuerso illinc ascenderunt in cœlũ, ex cœnoq; vitiorum ad angelicam cõuersationẽ deuenerunt: testis est nostra Magdalena cuius festum hodie percolimus. Itaq; hic trepidus, alacris illic esto. Innumera à te sunt perpetrata mala. Quid hoc? *inquit idem Chrys.* Nondum ad infernum deuenisti in quo nemo confitebitur: Nõdum aduenit sponsus, vt timendũ sit, quis tibi de suo daturus est oleo: adhuc licet vt emas & recondas. Multi sunt qui vendẽt, nudi scilicet, esurientes, ægroti, quique in carcere sunt constituti: pasce istos, hos vestibus indue, quæ si feceris oleum tibi comparabis. Esto memor quod Isaias ait cap. 1. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur.* hæc Chrys.

Chrys. ser. 18. ad Ro.

2. ET vide bonitatem Dei, blanditur peccatori, & iustũ terret, illum vt erigat, hũc ne cadat. Sic enim ait Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor amplius. Si autem auerterit se iustus à iustitia sua & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur.* Hunc timore iustitiæ iustiq; iudicii concutit vt in bono confirmet: Illũ per clementiam excitat ne desperet. Solent diuinæ litterę maxima scelera in medium proferre, vt Magdalenæ, Dauidis, Pauli, latronis, vt inde minora etiã committentes facilius rationem curationis inueniant. Et quidem Dauid cum grauiter lapsus esset, & plurima forent quæ in desperationẽ ipsum detrudere potuissent, primum & ante omnia delictorum inusitata magnitudo: deinde quod non in iuuentute sed in senectute iam constitutus labitur: tertio quod cum plures haberet vxores alienam appetierit: dehinc quoniam partas magnis laboribus ingentes virtutum ac meritorum suorum diuitias

his criminibus subuerterit. Præter hæc populi de ipso existimatio, cui se non respondisse videbat, nō parum poterat animū eius conturbare. His tamen omnibus ex animo pulsis, quāuis in nequitiæ profundum delapsus esset, non tamē decidit animo, sed à casu velociter resurgēs, multo maiora quam accepit, hosti intulit vulnera, *ait Chrys.* & maiores iterū accumulauit quam perdidit virtutū diuitias: Tāquā generosus miles qui multis acceptis vulneribus cadit, sed resurgens impetu maiori in hostem irruit. Quod eo facilius potuit, quia hominis malitia qualiscūque ea fuerit, mensuram habet, Dei vero clementia & pietas, qua pœnitentium absumitur nequitia, mensuram non habet, & ideo facile absumit omnem impietatem, tanquam si scintillā ignis in pelagus proieceris, quæ mox extinguitur. Hæc dico, *ait Chrys* non quo desidiosos vos faciam, sed promptiores reddam. Chrys. ho. 3. de pœn. tom. 5.

3. DICENTI David, *Peccaui*, statim Nathā respondit, *Dominus trāstulit peccatum tuū*: qui tamen antea non statim post lapsum puniuit eum: Quare? quia Deus tardus ad pœnam, velox ad veniam, *teste eodē Chrys.* Chrys. ho. 5. de pœn. In vno tēporis momento fuit pœnitentia & remissio, quam ideo facilius est cōsecutus Dauid, quia in hoc negotio nō tā propria nitebatur pœnitentia, quā Dei pietate & clementia ipsi pœnitentiæ coniūcta. At dices: Dauid multorū antea fuit meritorū, ideo facile veniā est cōsecutus, quia præcedentium bonorum operū Deus rationem habere solet, vt patet in Iosaphat Rege 2. *Paralip.* 19. Ego autē omnibus destitutus sum meritis & bonis operibus. Ast Magdalenæ & Niniuitarum intuere exēpla, qui nullis nitentes præcedentibus meritis, quinimo & quos lata iam in eos sententia ab omni spe depellere poterat, Ita enim ad eos Propheta aiebat, *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*: Nō enim dixit, Si pœnitentiam egerint, saluabuntur, Sed, *adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*: Tamen latā Dei sententiam audientes, neq; sic à spe ceciderunt, sed pœnitentiam condignam agētes misericordiam assecuti sunt. Et in eo est vel maxime videre Dei clementiā, quod sententiæ conditionem minime apponens, tamen pœnitentibus reconciliatur. Hæc Chrysostomus *hom.* 10. *de pœnitentia.*

4. QVOS peccasse legimus, non ideo id scriptum, *ait Aug.* vt securitatem præbeāt peccandi, sed vt disceremus in talibus lapsibus non desperandam salutē, sed pœnitēdi humilitatem. li. de Nat. & Grat. Pœnitentiā igitur Dauidis & nō ipsius peccata debet peccator considerare, ad pœnitentiam n. agendam, non ad peccata perpetranda mouere nos debent exēpla peccatorū, vt enim amaritudinem radicis dulcedo pomi cōpensat, & pericula maris spes lucri tollit, dolorē medicinæ spes salutis mitigat, & qui nucleum desiderat, nucem frangat oportet, Ita qui æterno vult adhærere bono, pœnitentiam agat oportet. Quod si faciē peccatricis animæ nunc liceret oculis carnis intueri, & conscientiæ nostræ vultum in oculorum præsentiā permitteremur adducere, dici non potest, *ait Aug.* quanto studio quantoq; metu vrgeremur fœdata cōponere, maculata tergere, vulnera curare. Aug. ser. 20. de ver. Aposto. tom. 10. Ideoque quia non possumus oculis corporis, inspiciamus nos quantum possumus oculis cordis, & vnusquisque conscientiam suam ante conspectum interioris hominis constituat, inquit: Ipsi nobiscum rationē de quotidiana conuersatione faciamus, & nosmetipsos quotidie coram iudice nostro accusemus & castigemus. Nam, *vt idem ait lib.* *sentēt.* *to.* 3. peccata siue parua siue magna, impunita non esse possunt, quia aut homine pœnitente, aut in iudicio Deo iudicante, plectuntur. Cessat autem vindicta diuina si conuersio præcurrat humana: amat enim Deus confitentibus parcere, *ait Aug.* & eos qui semetipsos iudicant non iudicare. August. in Psalm. 44. Præueni illum, inquit, si vis vt non puniat, ipse tu puni: Fieri enim non potest vt non puniatur peccatū, quia virga directionis est virga regni ipsius: si puniendū non esset, nec peccatū esset: puniendū ergo erit, aut à te,

aut ab

Digitized by Google

aut ab ipſo. Interim differt & adhuc parcit, ſed tu differre noli. Dic cum Pſalmiſta, *Auerte faciem tuã à peccatis meis* quaſi dicat, Noli videre peccata mea quia videre animaduertere eſt & punire: ideo & Iudex q̄ punit animaduertere dicitur, id eſt, animum illuc vertere, & ad puniẽdum intendere. Hic miſericors eſt, ideo nõ ſtatim in peccatores vindicat, nõ quia potentiam perdidit, ſed per patientiã non per negligentiam vos ad pœnitentiam reſeruat, vnde valde metuendũ eſt ne quãto diutius expectat vt corrigamur, tãto grauius vindicet ſi non emendemur. Nam vt Paulus ait 2. Cor. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti vt referat vnuſquiſque propria corporis ſui prout geſſit ſiue bonum ſiue malum.* Mecum paueſcite, *inquit*, quia non dicit quod reddet vnicuiq; ſecundum ſuam miſericordiam, ſed ſecundum opera ſua, *hactenus Auguſt.*

Orig. ho. 1. in Pſ. 37. 5. INTER eos qui peccant varii ſunt affectus ac variæ proprietates: Nam ſunt quidam qui cum peccauerint, ita ſecuri ſunt, ac ſi nihil mali commiſiſſent, ita vt de peccato ſuo ne quidem ſemel cogitent aut emendando aut puniendo. Talis eſt illa mulier adultera, quæ vt dicitur Prouer. 30. *comedit & tergens os ſuum dicit. Non ſum operata malum*, vt eos interim omittam, *qui gaudent cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, vt dicitur Prouer. 2. Sunt alii qui doloſe agunt in conſpectu eius, *vt inueniatur iniquitas eorum ad odium*, vt dicitur Pſal. 37. Quem locum explicans *Auguſt. ſic ait*, Sunt qui iniquitatem quærunt & ſcire eam velle videntur, vt cognitam & inuentam odio proſequantur & deſerant, & non niſi doloſe agunt in conſpectu Dei qui nouit abſcõdita cordis, dum quærunt, quia timent illam inuenire, ne inuentam cogantur deſerere: Et quia inuentam non oderunt ſed amplectuntur magis, ideo doloſe agebant dum quærerent eamque ſcire cuperent vt odio haberent cognitam. Sed quia in ipſa inquiſitione dolus eſt, in inuentione defenſio iniquitatis erit, *inquit Auguſt.* Et cum dicit, Non ſciebam q̃ iſtud peccatum erat, etiam in hoc doloſe agit, quia per ſuam ignorantiam ſe excuſandum fore putat, tanquam ſi ſciuiſſet peccatum non commiſiſſet, & poſtquam peccatum inuenit & iniquitatem eſſe cognoſcit, nec tunc quidem abſtinet, quo conuincitur quod peccatum commiſerit, non quia illud neſciuit, ſed quia illud amauit.

6. DENIQVE ſunt qui poſt delictum affliguntur & conſcientiæ ſtimulis agitantur, qualis erat qui dicebat, *Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Iniquitates meæ ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me, Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ*, ita vt eorum fœtorem vix ipſe ſufferre poſſet, quia iam ſorduerat ei libido & vitia horrebat. Sic autem loqui non poſſunt illi quibus peccatum ſuum non onus efficitur, ſed voluptas, *inquit Origenes*, Nam Orig. vt ſupra ſicut impoſſibile eſt vt ignis inflammetur in aqua, Ita impoſſibile eſt compunctionem cordis vigere in deliciis & voluptatibus, ſi verum ſit quod *Chryſoſtom.* ait *lib. 1. de compunct. cord* quia compunctio & vera pœnitentia mater eſt fletus, voluptas riſus eſt mater, illa cor conſtringit, hæc diſſoluit. Teſtis eſt ipſe Dauid qui poſt lapſum compunctus dicebat, *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Quibus verbis & vbertatem lachrymarum ſimul & earum perpetuitatem exprimebat, Chryſo. conc. 2. de Laza. *ait Chryſ.* Neq; enim ſolum ſemel aut iterum faciebat id, ſed ſingulis noctibus: & cum omnes ſomnum caperent & quietem, tunc ipſe Deum interpellabat, nam de die variæ ſollicitudines, curæque Principum, Ducum, militum bellorum, ciuium ac domeſticorum negotiorum eum diſtrahebant & euocabant, & ideo de nocte quod otii cæteri conſumunt ſomno, ille lachrymis impendebat.

7. SED hic notandum quod *Greg.* docet lib. 3. Dial. cap. 34. duo eſſe compunctionis genera, vnum timoris, alterum amoris, vnum quia timet iudicem ne pro ſceleribus commiſſis

æternæ ſupplicia perferre cogatur: alterũ dum quis dolet quia tam benignum offendit patrem. Perfecta compunctio formidinis tradit animum cõpunctioni dilectionis, *ait Greg.* quia cum longa mœroris anxietate fuerit formido abſumpta, quædam iam veniæ ſecuritas naſcitur, & in amore cæleſtium gaudiorum animus inflammatur, & qui prius flebat ne duceretur ad ſupplicium, poſtmodum amariſſime flere incipit quia differtur gaudium. Hanc autem afflictionis menſuram nobis
Pſalm. 79. neceſſariam inſinuat Pſalmiſta cũ ait, *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura.* Cum n. expleta fuerit menſura afflictionis, tunc ad fiduciam diuinæ indulgentiæ releuatur animus per auxilium internę conſolationis. Neque n. ſecurus quis eſſe debet cum
Aug. in Pſal. 37. confeſſus fuerit, *ait Aug.* ſed ſemper & ſedulo id curare oportet, vt peccatum ſanetur & vulnus curetur. Hoc figurata narra-
Greg. vt ſupra. tione nobis inſinuatur, *ait Greg.* Ioſue 15. vbi dicitur quod Axa filia Caleb ſedens in aſino ſuſpirauerit, cui pater, Quid habes? At illa, Terram arentem dediſti mihi, iũge & irriguam. Deditq; ei Caleb irriguum ſuperius & inferius. Axa ſuſpirans à patre irriguum petit, quia à patre cœleſti cum magno gemitu quærenda eſt lachrymarũ gratia. Irriguum ſuperius accipit anima cũ ſeſe in lachrymis cœleſtis regni deſiderio affligit: Irriguum vero inferius accipit cum inferni ſupplicia & peccata flẽdo exorat. Et quidem prius irriguum inferius, ac poſtea irriguum ſuperius datur, quia prius exoranda pœna peccatis debita, quam poſtulanda gloria, prius petenda tolerantia paſſionum quam thronus triumphantium. In prædicto loco tamẽ Ioſue prius nominatur irriguum ſuperius & poſt irriguum inferius, quia illud dignitate præeminet, & ideo prius non ordine temporis, ſed dignitatis: ſuntq; Deo acceptæ magis lachrymæ amãtium quam pœnitentium.

II. De ſuperfluo ornatu mulierum.

1. ET *capillis capitis ſui tergebat.* Recte monet Hier. *in cap. 2. epiſt. 1. ad Tim.* quod mulieres orare debent nõ in iactãtia, nec in tortis crinibus aut ornamentis extrinſecis auro & gemmis fulgentibus, ſed in habitu humili: qui enim vult audiri, inclinare ſe debet amota à ſe pompa ſeculi vt miſericordiam flectat Dei: Habitus ſuperbus nec impetrat, nec recta de ſe credi facit, quia vt Auguſt. *ait lib. 2. de ſer. Do. in monte*, qui immoderato cultu corporis atque veſtitu vel cæterarum rerum nitore fulget, facile conuincitur rebus ipſis pomparum ſeculi eſſe ſectatorem: Et quæ in domo Dei cũ pompa ſe mauult videri, non vtique propter Deum, ſed propter homines, conſequitur quod vult vt glorioſa videatur, nihil à Deo conſequutura niſi vilipenſionem, quanto enim hominibus ſplendidior videtur, tanto magis à Deo deſpicitur, *inquit Ambro.* Humilis autem habitus bonæ congruit profeſſioni, vt poſſit non aliud æſtimari quam cernitur: cum enim mendicum & egenum ſe profiteatur qui orat & mendicat, optime ei conuenit habitus humilis & vilis. Quanquam recte moneat *Auguſt. epiſt.* 73. ſcribens *ad Poſſidon.* Nolo, *inquit*, de ornamentis auri vel veſtis præproperam habeas in prohibendo ſententiam, verus tamen ornatus etiã ipſarum mulierum Chriſtianarum, non tantum nullus fucus mendax, quo non dubito etiam ipſos maritos nolle decipi, verum ne auri quidem veſtiſque pompa, ſed mores boni ſunt, vt qui abſconditus eſt cordis homo quieti & modeſti ſpiritus, locuples ſit, vt Petrus ait 1. *epiſt. ca.* 2. in conſpectu Dei.

2. IMPERFECTISSIMVS mulierum affectus, *inquit Hier. in reg. monacha. cap. 28. tom. 9.* quæ ſemper in veſtibus, ſemper in auro, lapidibus pretioſis & ornamentis extrinſecis gloriam ponunt. Non ſufficit eis libido innata naturæ, ait, ſed occaſiones quærunt explendæ libidinis dum per diuites plebis capiũtur & capiunt. Affectãt procul dubio vt oculi virorum aurum cõtemplantes & gemmas tandem figantur in faciem, vt oculorum ſuorum nutibus facili-

facilius incitent ad libidinoſum incendium. Quid meretrix cõmunis gloriaris in margaritis & gemmis? Quid ad te attinet aurum & argentum? Quid exaltaris in pulchritudine panni? Nonne omnis caro fœnum eſt, & maſſa putredinis, & cibus vermium? ô ſi velles te intueri viliſſima mulierum, quam verecundareris de corpore quod tanto cultu excolis. *hactenus Hier.* Prętextata nobiliſſima quõdam fœmina, iubente viro Hymetio, qui patruus Euſtochij virginis fuit, habitum eius cultumq; mutauit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propoſitum & matris deſiderium. Et ecce tibi eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe angelum terribili voce minitantem pœnas & hæc verba frangentem: Tune auſa es viri imperium prę ferre Chriſto? Tu caput virginis Dei tuis ſacrilegis attrectare manibus, quæ iam nunc areſcent, vt ſentias excruciata quid feceris, & finito menſe quinto ad inferna duceris. Sin autem perſeueraueris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis & filiis, omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignauit interitus. Sic vlciſcitur Chriſtus violatores templi ſui, ſic gemmas & pretioſiſſima ornamenta defendit. Et hoc retuli, *inquit Hier.* non quod inſultare velim calamitatibus infœlicium, ſed vt moneam cum quanto metu & cautione ſeruare debeas quod Deo ſpopondiſti.

Hæc Hie. in epi. ad Lætam, tom. 1.

III. Peccatori non inſultandũ ſed condolendum.

1. CVm Phariſæus hic dicat, Hic ſi Propheta eſſet, ſciret vtiq; quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt: animi ſui morbum quo laborabat manifeſtat. Cum enim falſa tumeret iuſtitia, peccatrici huic etiam iam pœnitenti non ſolum non condolebat, ſed & inſultabat & contemnebat, à qua ne quidem tangi volebat, ne contactu ipſius aut colloquio contaminaretur. Verum enim eſt quod *Gregor.* quodam in loco ait, vera iuſtitia compaſſionem ſuper peccatore, ſimulata autem & tumida indignationem & contemptum inducit. Phariſæi huius veſtigiis inſiſtunt ij qui fratri lapſo inſultant & irrident, etiam dum ingemiſcunt tanquam qui lapſo condoleant, taciti ſecum gaudent quod ad lapſum deuenerit. Cõtra quos ſic Abdias, *Cum extranei,* hoc eſt Chaldæi, *ingrederentur portas capta vrbis,* ſcilic. vt eam diriperent, *& ſuper Ieruſalem mitterent ſortem,* vt eius ſibi ſpolia diuiderent nimirum, *Tu quoq; eras quaſi vnus ex illis;* qui tamen fratrem iuuare debuiſſes, fratri lapſo inſultans, ſicut victores victis inſultare & irridere ſolent quorum ruinam ſuam putant victoriam. Dum enim quiſpiam mortiferis voluptatibus immerſus fuerit, aut relicta fide vera de Eccleſia corruerit, irrident & inſultant tali, non ſolum dæmones & hæretici, ſed etiam fideles improbi. Subiungit vlterius propheta, *Non deſpicies in die fratris tui, & non lætaberis ſuper filios Iuda in die perditionis eorum* (ſolent enim improbi, ſiue hęretici, ſiue chriſtiani, ſi quem Eccleſiaſticũ virum aut aliũ lapſum audierint, cachinnis talem excipere) *Quia quando aduenerit dies Domini, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua, tunc fiet tibi ſicut feciſti aliis.*

2. PROXIMORVM mala lugent ſancti, iiſq; condolent, non improperant nec inſultant. Sic nec Iſaias ait cap. 22. *Recedite à me, amare flebo, nolite incumbere vt conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei.* Populum ſuum vocat filiam, quia virilem perdiderat dignitatem & fortitudinem, & in muliebrem inciderat infirmitatem, qua fiebat vt hoſtium inſultibus & demoniacis impugnationibus reſiſtere non poſſet, & hinc vaſtabatur, eamq; demoliebantur hoſtes ſui non minus intus in bonis ſpiritualibus animi, quam foris in bonis temporalibus, & in direptione ciuitatis. Idipſum & Ieremias ait ca. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontẽ lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei;* quaſi dicat, *inquit Hieron.* etiamſi totus vertar in fletum, tamen interfectos filiæ populi mei digne deflere

non potero, tanta enim ſunt mala, & culpæ, & pœnæ, vt omnem dolorem ſua vincant magnitudine, & vlterius ſubiungit propheta, *Quis dabit me in ſolitudine diuerſorum viatorum*, hoc eſt, *inquit Hieron.* explicans hunc locum. Melius eſt mihi habitare in extrema ſolitudine, quam inter tanta hominum ſcelera commorari. Et Paulus intuens tanta flagitia in mundo fieri, illis tam dire cruciabatur & torquebatur, *inquit Bern. ſerm. 7. quadra.* ac ſi cruci & patibulo affixus fuiſſet: Ita enim exponit illud Pauli, *Per quem mundus mihi crucifixus eſt*, vt enim aliquis indulgentiſſimus pater afficitur erga filium phreneſi laborantem, cuius quanto magis cõuitiis ictibuſq; pulſatur, tanto eum potius miſeratur & deflet: Ita Paulus, inquit *Chryſoſt. hom. 3. de laud. Paul. tom. 3.* maiora adhibebat fomenta pietatis erga eos à quibus affligebatur: imo quaſi communis totius mundi eſſet pater, ita omnibus condolebat: Sic enim ait ad Cor. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non vror?* Ideo & nos rectè monet *Bern.* vt quoties peccantem videmus fratrem, continuo procedat compaſſionis affectus tanquam humanitati cognatus, quippe quem concepimus ex nobiſipſis dum propriam fragilitatem cõſideramus. Et Dominus ad mulieres Luc. 23. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Ordinem diligenter attende *inquit Bern.* Super vos, inquit, primo, deinde ſuper filios veſtros.

Ber. ſerm. 2. de reſur. Dom.

3 SED quid agimus? *inquit idem Bernard.* quod nonnulli dura ceruice & att. ita ſunt fronte, vt quo magis eis compatimur eo magis noſtra & compaſſione & patientia abutuntur. Hunc Dei contemptum æquanimiter ferre non poſſumus, inquit: Hic zelus requiritur iuſtitiæ, ait, quo aduerſus delinquentes accendimur tanquã pietate ducti erga eam, quam contemni videmus iuſtitiam Dei. Veruntamẽ oportet vt priorem ſibi vendicet locum compaſſionis affectus, alioquin confringimus calamum quaſſatum. Sed cum vterq; aderit & compaſſionis affectus & iuſtitiæ zelus, neceſſe eſt vt adſit & ſpiritus diſcretionis, ne forte indiſcretio confundat vniuerſa. Vnde propheta Regius Pſal. 118. *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me.* Bonitatem poſtulat vt compati norit, & diſciplinam vt corrigat, & ſcientiam vt cum diſcretione vtrumq; præſtet, videas multos ſyncera licet intentione & benigno accedant animo, leuiter dicere quod grauiter audiatur, & quod ſanare debuerat, exaſperat & exulcerat magis. A Domino emenda eſt & lactis dulcedo & vini auſteritas ad corrigendum proximum. Hunc compaſſionis affectum, qui fit de neceſſitatibus pauperum, de anxietatibus oppreſſorum, de perturbationibus triſtium, de culpis delinquentium, & poſtremo de omnibus quorumlibet miſerorum ærumnis, etiamſi inimici fuerint, oſtendit Moyſes erga populum incredulum & rebellem, cuius ſcelera deprecabatur apud Deum, & Samuel erga Saulem. Verum *vt Aug. ait*, hoc non eſt commune cum multis: nam plurimorum eſt contriſtari ſi quam ab aliquo patiantur iniuriam. At vero qui fortior eſt, non propriam contumeliam dolet, ſed aliena peccata, & in ſua iniuria lapſum alterius ingemiſcit. Sicut bonus pater in phreneſi conſtituti filij, cum ab eo maledicitur & iniuriis afficitur, non ſuam, ſed filij deflet ærumnam. Ita & iuſtus cum contemnitur à peccatore, non auertitur, & cum læditur, furoris putat illud eſſe non improbitatis, & dolet non propter ſe, ſed propter illũ cui compatitur. Cum autem dicitur Pſal. 57. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam impiorum*, hoc dicitur quia lætatur quod ipſe euaſerit, non quia impij puniantur.

August. in Pſ. 118. ad illud verb. Defectio tenuit me.

IN

IN FESTO SANCTI IACOBI.

TVNC accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filii mei, vnus ad dexteram tuam & vnus ad sinistrã in regno tuo, &c.

Matth. 20.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Natura hominis sicut voluptatis, ita & honoris est auidissima.*

II. *Quæ & quot modis dicatur gloria vana.*

III. *Superbia subtile malum, à quo pauci immunes.*

PARS I.

ART. I. Homo vt voluptatis ita honoris auidus.

I. DIc *vt vnus sedeat ad dexteram, alter ad sinistram.* Ambitiosi erant ideo summum honoris locum & primas sedes inter duodecim affectabant in regno CHRISTI, sicut solent ij qui in aulis Principum versantur, vbi sibi quisque primos pollicetur honores, & si quem alium sibi prælatum conspiciant, huic inuident. Est enim hominis natura sicut voluptatis, ita & honoris auidissima: sed agrestia ingenia fere voluptatem & vtilitatem honori anteponunt: ingenui autem & cultiores animi honorem, decus, & gloriã vtilitati & voluptati præferunt: vnde multos legimus inter quos Scipio vnus, ne nominis sui gloriam aliqua infamiæ labe aspergerent, voluptates oblatas contempsisse. Et certe singulari consilio naturæ conditor Deus, animis hominum hunc honoris & gloriæ indidit atq; impressit affectum & appetitum: Cum enim ad virtutem nemo nisi per laborem & difficultatem peruenire possit, hominis autem natura omnem laborem & difficultatem subterfugiat, ne difficultas ea hominem à virtute retraheret, in virtute honorem & gloriam collocauit, sicut in vitiis dedecus & ignominiam posuit: vt quemadmodum à vitiis pudoris & verecundiæ freno nos arcere voluit, fugit enim hominis ingenuitas omnem ignominiam & infamiam, ita gloriæ & honoris appetitu ad virtutis studium inuitaret & incitaret: virtuti enim tanquam rei excellentissimę honor debetur & gloria, sicut vitia sequitur ignominia. Sed quid homo tandem facit? quo pacto hoc diuino instinctu, & honoris appetitu, vtitur? Certe eo modo quo aliis eiusdem conditoris muneribus, quæ vitio nostro sic inuertimus, vt virtutis & religionis instrumenta in vitiorum irritamenta vertamus, & quæ nobis ad salutem tributa sunt, nostra dementia in perniciem cõuertimus. Nam ira, cupiditas, spes, metus, dolor, voluptas & id genus alia, quibus animos vel incẽdi, vel incitari, vel remitti & contrahi, aut alio quouis pacto commoueri sentimus, nobis donata sunt vt noxia repellẽtes, & salubria appetentes naturæ statum conseruemus. Nos vero ea plerumq; omnia ad flagitium atque vitæ perniciem conferimus, & quo illa sunt maiora & ampliora quæ accepimus, eo ex illorum abusu grauioribus malis implicamur, v. g. largitus est nobis Deus rationem, qua maxime à beluis distemus, & ad diuinam naturam propius accedamus: Nos autem eâdem rationem huc & illuc versantes, ea scelera concipimus vt beluas etiam immanitate superemus. Habemus etiam à natura animos imbutos religione, qua incitati Deum ex operibus eius agnoscẽtes castissimo pietatis cultu veneremur: At hominum amentia factum est vt scelerati homines illam animi propensionem, qua ad religionis & veri Dei cultum naturæ beneficio incitabantur, ad falsa numina

numina & idolorum culturam impie trâſtulerint, & quod erat pietatis incitamẽtum, totius idololatriæ fecerunt ſeminarium. Sic modo plurimi honoris deſiderium quod in virtute colenda impendi debebat, non in virtute, ſed in opibus, in diuitiis, in potentia, in ampla familia, in varia ſuppellectile poſuerunt. Eos qui hiſce rebus abundant, claros comprimis & honore dignos exiſtimantes, quamuis ſint interdum ſceleribus pleni: Eos vero qui paupertate premuntur, miſeros arbitrantes, quamuis ſint etiam variis virtutibus exculti. Hæc eſt humanæ mentis peruerſio, & diuinorum munerum abuſus: Cui & aliud malũ accedit, quod gloriam & honorem quæ ſolis debentur virtutibus (quia honor non eſt aliud quam excellentiæ teſtimonium, & gloria celebris cum laude fama dicitur) non à Deo ſed ab hominibus venentur: Contra quos

Ioan. 5. ſic Dominus apud Ioannem, *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?*

2 Sed dices, Cum honor videatur ipſius virtutis teſtimonium, imo & præmium: præmium autem & veritatis teſtimonium appetere, nedum laudabile, ſed interdum etiam neceſſarium videatur. Cur ab homine gloriam & honorem expetere non licet? Ad hoc reſpondet *Auguſt.* non minus ſubtiliter quam vtiliter, *ſic inquiens.* Serio id ago, dum non merito laudor, vt laudantem corrigam, ne arbitretur in me eſſe quod non eſt; qui enim exiſtimat ſe eſſe quod non eſt, aut ſe habere quod non habet, & dum id de eo prædicatur, in eo gloriatur, ſomnianti haud abſimilis eſt: vt enim homo eſuriens ſomniat ſe comedere, & dum expergiſcitur ventrem vacuum reperit, ita qui inani gloria paſcitur, inſtar ſomnij euaneſcit talis gloria. Si merito laudor & talis coram Deo ſim qualis prædicor, placet mihi, *inquit Auguſt.* non quia laudor, ſed quia bonum Dei donum hominibus eſt gratum, vt non in me, ſed in Deum, cuius eſt hoc donum, deriuetur omnis honor. Neque enim in hunc finem alicui datur donum Dei, vt inde tanquam è re propria ſuam aucupetur gloriam aut honorem quo ſeſe oblectet, quod qui facit Deo cuius eſt hoc donum, iniuriam irrogat, eiq; ſuam gloriam eripit: Sed donum Dei percipit homo propter bonum eius vſum, vt ad vſuram ponat & quæſtum inde faciat. Huius autem boni vſus, qui ſimul eſt Dei doni & liberi arbitrij, gloriam & honorem expectare oportet, non ab ipſis hominibus, quorum laus & gloria duntaxat vmbra eſt gloriæ ſempiternæ, & ideo vana, quia licet aliquantulum paſcat, non tamen ſatiat: ſed à Deo qui cor hominis gloriæ auidum ſatiare poteſt, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Satiabor cum apparuerit gloria* Pſalm. 16.
tua. Et ideo Deus non ſolum continentiam nobis imperauit, id eſt, à quibus rebus amorem cohibere debeamus, ſed etiam iuſtitiam, id eſt, quo eum conferre oporteat. Hinc *Ariſtoteles* negat veram fortitudinis rationem in Diomedem cecidiſſe, cum Græcis omnibus in fugam conuerſis, ipſe ſolus maneret, malletque ſummo cum periculo Hectoris impetum ſuſtinere, quam ignominioſæ fugæ ſe committere. Cur ita tandem? nunquid non fuit pulchrum facinus, omnibus metu & formidine perterritis, Diomedem ſolum cum paucis reſtitiſſe, qui turpi vitæ mortem præclaram anteponeret, maioremque rationem gloriæ duceret quam ſalutis. Pulchrum ſane, *inquit*, ſed quia facinus illud egregium non ad debitum finem, ſed ad popularis laudis ambitionem referebat (dicebat enim vereri ſeſe ne Hector in ſuarum laudum cõmemoratione Diomedem à ſe fugatum prædicaret) veræ virtutis fructum non tulit quia vera virtus non gloriæ ſtudio tuetur officium, ſed honeſtatis & Dei iubentis intuitu. Cæterum qui amplius laude hominum lætatur, & animo paſcitur, quam Dei dono, vt potius hoc non habere quam illa carere malit, malletq; malefaciendo laudari, quam benefaciendo vituperium pati, ſe

ti, se prorsus vanum commonstrat, & inanem atq; intemperantem: Sicut & is quãuis nõ æque, cuius gaudium ex Dei dono fit quidem, sed & augetur laude hominũ, aut minuitur vituperatione: qua tentatione vita humana plena est: *Nos non in im-*
Cor. 10. *mensum gloriamur*, ait Paulus, *sed secundũ mensuram quam mensus est nobis Deus*: Super mensuram suæ donationis non attendit nec agnoscit, hinc facile gloriatur etiã in eo quod non habet.

II.

…æ & 1. POTEST tripliciter gloria dici vana:
…ot mo- *vno modo* ex parte rei de qua quis glo-
…dicatur riatur, vt si quis glorietur de eo quod non
…a glo- habet, aut quod non est gloria dignum, vt
…a. de vestitu, corporis pulchritudine, diuitiis, & similibus reb. fragilibus & caducis.
Eccl. 11. Hinc Ecclesiasticus, *in vestitu non glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris*: item, Non *laudes*, inquit, *virum in specie sua, quia fallax gratia & vana pulchritudo*, eo quod nimis facile intercidat. Quinimo & summa dignitas, & generis nobilitas, & eximius gradus, & si quid aliud his simile, præclarum & honorificum videtur, adeo laudem, gloriam, & fœlicitatem, quam externa specie polliceri videntur, non præstant, vt ingentem etiam ignominiam pro honore reportet quis, si munere suo probe functus non fuerit, & degenerationis notam non effugiat si facta titulis non correspondeant. Et dum prudenter & fideliter administrantur hæc omnia, etiam tum ingentem curarum & laborum materiam secum adferunt. Quam rem non obscure primus, ille Israelitici populi ductor Moyses declarauit, qui quamuis ad munus suum fœliciter administrandũ diuino fultus esset præsidio diuinoque in rebus agendis vteretur consilio, sui tamen regiminis pondere adeo premebatur, vt mortẽ etiã à Domino postularet ne tantis
Num. 11. afficeretur malis: Sic enim ait, *Cur afflixisti seruum tuum, cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum quia grauis est mihi: Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me & inueniam gratiam in oculis tuis ne tantis afficiar malis*. Certe vt propterea recte responderit Dominus suis Apostolis Ioanni & Iacobo primas sedes & dignitates postulantibus. *Nescitis quid petatis*, quasi dicat, fœlicitatem, dignitatem, honorem, pacem & tranquillitatem in iis rebus quæritis, quæ non modo curis & laboribus, sed etiam animarum periculis & præcipitiis plenæ sunt. Est enim ambitio, *vt Bernardus docet*, subtile malũ & secretum virus, liuoris parens & tinea sanctitatis, æquales contemnit, inferiores fastidit, superiorib. inuidet. Nec minus periculi in primis dignitatibus & honorib. quã in ipsa est ambitione, quia ampli honores instar vini meri sunt iis quis iis afficiuntur, quos de mente deducunt, & suiipsorum cognitionem adimunt, efficiũtque vt tales esse se credãt, quales dignitas ea quam assecuti sunt, requirit, qualemq; adulator populus quotidianis vocibus prædicat.

Nescio enim quomodo mox vt mitior esse cœperit fortuna, incipit mens emollita tumidior fieri, & suæ sortis obliuionem adiuncta prosperitate concipere: Cumque omnia quę modum excesserunt, noceant periculosissima est fœlicitatis intemperantia, *inquit Seneca*, quæ de stultis prorsus insanos efficit. Secundo nesciebant hi apostoli quid peterent, quia quale futurum esset regnum Christi & quibus mediis ad primas eius dignitates conscẽdere oportet, ignorabant: non n. consanguineis aut amicis carnalib. sed bene meritis & legitime certantibus prima corona præparatur. Id quod satis insinuat Dominus, cum ait, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum*: vbi ostendit eis viam per quam peruenitur ad talẽ dignitatem & præeminentiam, quasi dicat, per pugnam oportet venire ad victoriam, & per victoriam ad coronam, per laborem ad requiem, per ignominiam & crucem ad gloriam, per mortem ad vitã, quia *nemo coronabitur*, teste Paulo, *nisi qui legitime certauerit*. Quærit ergo Dominus, num

ſe ſatis idoneos & fortes putēt, qui id perferant ſupplicii quo peruenitur ad gloriā, quod ipſe perlaturus eſſet: Et ipſi nimia auiditate conſequendi id quod poſtulabant, non minus temere reſpondent, *Poſſumus*, quam prius ſtulte poſtulauerant, *Dic vt vnus ſedeat ad dexteram, alter ad ſiniſtram.* Non agnoſcentes neq; propriam infirmitatem, neq; rei difficultatem, ita vt non minus fuerint præſumptuoſi quam ambitioſi.

2. SECVNDO modo dicitur gloria vana ex parte eorum à quibus quis gloriam aucupatur, quorum iudicium de vitæ noſtrę probitate eſt admodum incertū, eo quod corda noſtra quam ſint proba vel improba intueri nequeant: Propter quod Paulus ad Corint. ait, *Mihi pro minimo eſt vt à vobis iudicer aut pro humano die, ſed neque meipſum iudico: Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*, quaſi dicat, etiamſi mihi videar iuſtus & rectus cum nullius peccati mihi conſcius ſim, de iuſtitia tamen mea ſecurus non ſum, quia ſcriptum eſt, *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile quis cognoſcet illud?* & alibi, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda, & ab alienis parce ſeruo tuo.* quis poteſt ſibi eſſe conſcius eorum quę ignoranter admittit? Quod ſi homo occulta cordis ſui plene perueſtigare & intelligere nō poſſit, multo id minus poterit alienus: Quapropter licet laudes noſtras homines prædicent, ne protinus id verum exiſtimes, quia fieri poteſt quod errant etiam inſcii. Si quæ in ſanctis digna laude vel admiratione intueris, clara luce veritatis diſcutiens, profecto reperies laudabilem ſiue admirabilem quidem hunc apparere & iſtum: ſed ſapiens gloriator, *inquit Bernardus*, probabit opus ſuum, atq; ad lumen veritatis diligēter examinabit, & ſic habebit in ſemetipſo gloriam, iuxta illud Pauli, *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*) & non in ore alterius. Stultus fuero, *inquit*, ſi ciſtellæ labiorum tuorum gloriam meam credidero & cepero mendicare eam abs te cum habere voluero: Nonne in arbitrio tuo eſt probare me vel improbare prout volueris. Sed ſi retineo penes me ipſe fidelius ſeruo mihi. Imo nec mihi eam credo ipſi potius repono ſeruandam qui potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diē. *Hac Bern.* Si quis autem in ore hominum ſuam gloriam repoſuerit, tam diu glorioſus apparebit, quamdiu ipſi voluerint, imo ſimpliciter non erit, quia vt pſalmiſta ait, *qui hominibus placent confuſi ſunt quoniam Deus ſpreuit eos & diſſipauit oſſa eorum*, ita vt nihil roboris, nihil conſtantiæ habeant: Nihil enim inſtabilius eo cui pro ſcopo eſt hominibus placere, qui per ſingula pene momenta in omnem formam verſipellis mutatur, omnium enim placitis miſerrima & moleſtiſſima ſeruitute ſe accommodare debet. Sed & ipſa humana gloria dicitur inanis & vana, quia inſtar ſomnii & vmbrę facile euaneſcit: ita enim mutabile eſt & inconſtans hominum genus, vt quem iam laudant, mox deſpiciāt, & nihili faciant, vel ob hoc ipſum quod laudi humanæ inhiantem videant, qui per hoc, non ſolum fructu boni ſui operis ſe priuat, quem conſequi potuiſſet, ſi vt Deo placeret eiuſq; mandatū impleret, feciſſet, ſed etiam ipſa gloria vana ob quam facit fruſtratur, quia qui gloriam hominum pluris faciunt quam Dei, iuſto Dei iudicio vtriuſq; fruſtrantur.

1.Cor.4. — Pſal.18. — Ber.ſer.13. in Can. — 2.Cor.1. — Pſal.52.

3. VERA gloria, quæ nihil aliud eſt quā celebris cum laude fama, virtutem ſemper tāquam vmbra corpus ſequitur, à qua nulla vi poteſt dirimi aut ſeparari, nō magis quam vmbra à corpore. Neque vlla eſt expeditior via ad cōſequendam gloriam, quam per virtutem, quam ſi tenueris, vt maxime fugies gloriam, ita te illa velociſſime perſequetur. Quod cum ita ſit, difficile eſt viris excellenti ingenio præditis, poſteaquam in virtutis campo ſeſe exercuerunt, hanc gloriam, quæ ex illa proficiſcitur, deſpicere eiuſq; tentatione non moueri. Atque in cęteris tentationum generibus homo vtcumque valet ſe explorare, quam enim procul abſit aut à voluptate carnis, aut à curioſitate cognoſcendi

di superuacua, aut ab amore diuitiarum, cognoscere quisque potest dū iis æquo animo carere didicit. Sed vt quis laude careat, atque in eo experiatur quid possit, nunquid male viuendum est? absit. Igitur si bonæ vitæ, bonorumque operum comes solet & debet esse laudatio, & ipsam bonam vitam deserere nequaquam oportet, certe etiam comitem eius, gloriam dico humanam, blande te præoccupantem animumque emollientem, haud grauate intromittes atq; suscipies, vt delecteris nō solum Dei donis quæ habes, non solū virtute & veritate ipsā, sed etiā laude humanā, vt gaudium tui doni adaugeat suffragatio oris alieni, aut etiā vituperatio minuat: quod dum fit illæsus & integer non euadis, quia Deus imperauit nobis non tantum continentiam, id est, à quibus reb. amorem cohibere debeamus, sed etiā iustitiam, i.e. quo eum conferamus. Si n. laudari velis ab hominib. propter aliquod donum quod Deus tibi dedit, & plus gaudeas te laudari quam ipsum donum te habere vnde laudaris, iam melior ille est qui te laudat, quam tu qui laudaris, illi n. placet in te donū Dei, tibi vero amplius placet donum hominis quam Dei. Si vero laude quidem delecteris humana, amplius tamen dono Dei & veritate ipsa (nam si tibi proponatur, vtrum malles in omnibus rebus errans ab omnibus hominibus laudari, an constans & in veritate certissimus ab omnibus vituperari, istud proculdubio potius, quam illud eligeres) in hoc genere tentationis vitium ipsum vanæ gloriæ difficillime deprehenditur. Quapropter in omnibus istis tenebris melior euadet homo, si in occulto gemitu displiceat sibi in defectibus suis, & quærat misericordiā donec perficiatur, quam si inaniter delectetur in laudibus & gaudeat in bonis. *hæc Augustinus.*

4. TERTIO modo dicitur gloria vana ex parte ipsius qui gloriam appetit, eo quod gloriam suam nō referat in debitum finē, puta in Deum ipsum, qui, vt dictum est, non solum præcipit nobis continentiam, id est, à quibus rebus amorē nostrum cohibere debemus, sed etiam iustitiam, id est, quo eum conferre debeamus, nempe ad Dei honorem iuxta illud Matthæi. *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videntes vestra opera bona glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Est hoc innatum quoddam malum, quod philautia dicitur, quo inanescit qui sibi placet, quāuis aliis placere non affectet: & dum sibi multum placet, Deo displicet, non tantum de non bonis quasi bonis, verumetiam de bonis Dei, quasi suis, aut etiā sicut de Dei donis, sed tanquam ex meritis suis sibi datis, aut etiam tanquam ex gratia Dei absq; propriis meritis sibi collatis, sed in quibus nō Dei sed suam quærat gloriam, hinc ea si aliis collata videt, non socialiter gaudet sed inuidet, *hæc August.* In nullo gloriandum, *inquit Cyprianus*, quoniam nostrum nihil est, non sapientia, non fortitudo non diuitiæ: Hinc Ieremias. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, non fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis, sed qui gloriatur in Domino glorietur.* Si qua in sanctis digna laude vel admiratione intueor: *inquit Bernardus*, clara luce veritatis discutiens profecto reperio laudabilem siue mirabilem alium apparere, atque alium esse: Deum laudo, cui soli honor & gloria in donis suis: Tibi vero ô homo vnde gloria? de vitæ sanctitate? & vnde tibi sanctitas ista, nonne Deus est qui sanctificat? An blāditur popularis fauor quod verbum bonum & bene forte depromseris? Sed Christus est qui dat os & sapientiam, nam lingua tua quid nisi calamus scribæ, nec laus calami laudabilis pictura est vel scriptura, nec gloria linguæ sermo bonus: *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, ait Dominus, aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur?* sic contra Dominum omnis qui gloriatur si non in Domino gloriatur. *hæc Bernardus.* Non accepit hominis natura vt per sua dona, aut suam potestatem atque sapientiam Deo nō regente, possit esse beata, qa nullo regente per suam potestatem beatus esse

Matth. 5.

Iere. 9.

Ber. ho. 13 in cant.

Isai. 10.

solus Deus potest. Homo igitur qui sua dona suamq; potestatem nimis amat, vt in ea gloriari incipiat, tanquam qui iam sibi sufficiat non indigens interno & inuisibili Dei spiritu, tanquam qui nullius ope egeat, nulliq; subesse debeat, quod proprium Dei est, à Deo recedit cor eius, eiq; similis esse vult. Sic similis altissimo esse volebat delectatus propria potentia, qui apud Isaiam sedem suam ponebat in lateribus aquilonis, in hominibus frigidis & corde duris quibus dominari gestiebat.

Isai. 14.

III.

Superbia subtile malum, ab eoq; pauci immunes.

1 SVPERBIA subtile malum & pestis occulta generans ex medicina languorem, virtutum exercitia fructu pietatis euacuans, sagitta quæ leuiter volat, leuiter penetrat, sed dico tibi inquit Ber. non leue vulnus infligit, cito interficit. Pusillanimes & remissos vana gloria non impugnat tantopere, sed qui feruentiores esse videntur, ipsi sibi à sagitta volante in die caueant, scuto veritatis se tueri discant: difficulter enim altum sapiet, si se intus ad lucem veritatis sollicita consideratione discutiat: Inueniet enim quod non habitet in se bonum, aut si quippiam habeat iustitiæ, velut pannum menstruatæ istud ipsum reperiet, *inquit Bern.* Quid vero hunc fouet vermem aliud quam mentis alienatio, veritatis obliuio sui ignoratio? Prouenit & pusillanimitas ex ignorantia sui, suæque virtutis propriæ, nam sicut is qui superbus est excedit mensurã potentiæ suæ dum nititur ad maiora quam possit: Ita pusillanimis deficit à proportione virtutis ac doni sui, dum nec id attentat quod perficere potest, hinc talentum sibi concreditum ad vsuram non ponit, & à Domino reprobatur, *Matt.* 25. Porro quia turpe est ei qui se supra cæteros iactitat, si non plus cæteris aliquid agat per quod vltra cæteros appareat, non sufficit ei si communem viuendi normam sequatur, sed in omnibus singularis vult apparere: Si de eruditione agitur, inuenta occasione loquendi, ipse quærit, ipse soluit, non quia curæ est ei vt te doceat vel a te doceri ipse quod nescit, nisi cupiat, sed vt scire sciatur quod scit, imo vt scire videatur quod nescit: Si de religione sermo exoritur, statim visiones & somnia profert, & de singulis virtutibus plenissime, sed vanissime disputat, vt tu si audieris dicas, quod ex abundantia cordis os loquitur: Et in his omnibus non melior esse sed videri cupit, non melius viuere, sed videri melius viuere gestit.

2. CÆTERVM cum varia sint homini dona, partim propter necessitatem, partim ad ornatum concessa atq; attributa, quorum quædam supremum quasi dignitatis gradum obtinent, vt charitas, gratia, Dei amicitia, & cætera virtutum munera, ipsam animam aut viuificantia aut exornantia: Quibus alia succedunt non tam propter necessitatem aut decentiam habentis, dona, quam propter aliorum vtilitatem ipsi concessa, vt sunt prophetia, miraculorum operatio, prælatio, potestas ciuilis: Post hęc sint dona naturæ vt ingeniũ, inclinatio naturalis ad virtutes, pulchritudo, robur, sanitas, eloquentia, & his similia quæ medium obtinent locum: Denique locum teneant vltimum exteriora fortunę bona vt diuitiæ, honor, fama, nobilitas & si quæ sint alia, quæ extrinsecus adueniunt homini: *Duo* sunt quæ superbiam maxime fouent & enutriunt: Abũdantia diuitiarum & potestas seculi qua aliis præficiunt: Vnde notanter Paulus ad Timoth. *Diuitibus huius seculi præcipe,* inquit, *non superbe sapere:* Quanquam & rebus & aliis abutatur superbus, vt enim hic intumescit auro, ille eloquio: Vt hic inflatur reb. terrenis, ita ille cœlestib. donis & virtutibus: Nec est alia & alia superbia, sed vana & eadẽ diuerso quasi amictu induta. Nam cum is qui de terrena gloria prius superbierat, postmodum de sanctitate extollitur, nequaquam clario cor eius deseruit, sed ad eum consueta veniens, vt noua videatur, aut vt cognosci nequeat vestem mutauit. Etenim cætera vitia vniformia esse dinoscũtur & deuicta per singulos dies infirmiora redduntur: hoc vero

vsque

usque adeo varium est & multiplex, vt omnium ex parte bellatorem suum impugnet, & deiectum ac prostratum acrius ad luctā resurgat; & cum putatur extinctum sua morte viuacius conualescit, quantoque fuerit validius elisum, tanto vehementius victoriæ ipsius elatione congreditur, virtutum enim eius quem imperit, successibus animatur. Quocunque hunc tribulum ieceris erecto persistit aculeo; iniurias fortiter perfert vt fortis habearis, iniuriæ te reddit memorem vt generosi dicaris animi.

3. Postquam homo naturę suæ dignitatem perdidit, quæ in eo sita erat quod vera & diuina virtute præditus per bonum eius vium à Deo esset gloria & honore coronandus, sollicite huc illucque circuire cœpit, aliunde sibi gloriam conquirens & colligens, aut a forma & pulchritudine corporis, aut quod sit veste pretiosa indutus, aut quia equo inuectus & famulitio cinctus, aut quia amplis ædibus ditatus & possessionibus aut quia potestate sublimis & ad primas cathedras euectus, aut quia genere & stemmate nobilis, pluris faciens alienam virtutem quā propriam? quinimo captat humana superbia laudem, non solū ex re ea quæ speciē videtur habere virtutis & boni, sed etiam ex friuolis & ineptis, quin & ex vitiis & rebus noxiis hic ex cōposito incessu & corporis motu, ille ex otio & ludo vult sibi decus parare: quæ res prorsus omni irrisione digna est, dū viui à rebus non viuis inclyti haberi volunt & illustres, & in iis gloriam quærunt vnde sibi certissimam ignominiā pariūt, vt merito hominum superbiā quis dixerit esse stuporē, dum nullus iis videtur inesse sensus. Et quid fecit vt miseras gentes sanguineo vexaret bello & Iulius Cæsar, & Alexander Magnus, & quotquot fuerunt istius generis tyranni, nisi gloriæ cupido & laudis auiditas? Ecquid erat gloria ista cuius illi cupiditate flagrabant? iudicium hominū, inquit Aug. bene de hominibus opinantiū. Errabant igitur tam in ipsa gloria, quam in via perueniendi ad eam, quia certior gloria quæ humano iudicio contenta nō est, nisi cōscientiæ fuæ, iuxta illud Pauli, *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*: imo quæ nec eo contenta est, sed bonum testimonium audire a iudicio quærit diuino. Et vera via ac virtus illa quæ tendit ad eū finē vbi est supremū hominis bonū quod est Deus ipse, in istum finem oportet omnē referre virtutem: vt quod apud Romanos ædes istæ virtutis ac honoris sibi propinquæ indicabant, vt ad sacras honoris ædes nō nisi per ædes virtutis venire potuerint, sic nos Christiani existimemus ad verā Dei gloriā, quæ vnica & sola sufficit explendis desideriis nostris, nos peruenire nō posse, nisi per veram virtutem, per mandatorum obseruationem, per pietatem, caritatem, castitatem, per humilitatem non per fallacē ambitionem. 1. Cor. 1.

Aug. ... Ci... ...ei.

Pars II.

Dic vt vnus sedeat ad dexteram, alter ad sinistram tuam in regno tuo.

Matth. 20.

Summa Articulorum, qui hic explicantur.

I. *An liceat appetere Episcopatum vel aliā dignitatem.*

II. *Bonorum parentum est filiis non honores, non dignitates aut diuitias procurare sed virtutes.*

III. *De actis & vita S. Iacobi.*

1. In Ecclesiastica dignitate duo consideranda seu obseruanda sunt, Opus bonum seu regimen ipsum & Primatus honoris. Quo ad prius dicit Paulus 1. Tim. 3. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Id licite quis potest modo conditiones habeat quas Paulus subiungit, *Oportet Episcopum irreprehensibilem* ART. I. An liceat appetere Episcopatum seu aliam dignitatem

lem esse sobrium, prudentem, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed domui suæ bene præpositum. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat. Vnde Chrys. *li. 3. de sacerdotio*, Si quis cum Paulo dicere possit, *inquit, Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror?* Et alibi, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis:* is demum dignus est, qui si oblatum munus detrectet, merito culpandus sit, tanquam qui talentum abscondat & ad vsuram non reponat.

2. Cor. 11.
Rom. 9.

2. Si vero à Pauli virtutibus illis pari nobiscum interuallo distat, *inquit Chrys.* is omni modo vituperatione dignus cum idem munus delatum amplectitur, non cum reiicit. Nam si id vnum satis sit Pastorem simpliciter vocari, & prouinciam istam vtcumque defungi, nec vllum prorsus periculum inde exoriri possit, de fide et Episcopatum qui volet (*sunt verba Chrysostomi*) nil moror. Sin autem rara prudentia, rara item gratia quæ prudentiam præcedat, si morum integritate & vitæ puritate, denique si maiori quam pro humano captu virtute eum præditum esse oportet, qui administrationis istius curam in sese suscipit, me venia dignum puta, *inquit Chrysost.* si temere vitæ meæ mihi accersere exitium noluerim. Etenim si quem quis mihi nauticæ artis imperito traderet gubernandam pretiosis mercibus repletam & per tempestuosum mare traiiciendam, si illud detrectarem ne nauem submergam, mirum videri non deberet: Et vbi agitur de animæ periculo, me ignauiæ redarguat quis si me in tantam perniciem non coniecerim? Noui profecto animi mei vires quã sint exiguæ, noui quanta sit functionis illius moles: Episcopi enim fluctus animũ concutientes ventis mare conturbantib. crebriores, infestioresque esse solent, *inquit idem.*

3. Hinc *Gregor. lib. 1. cur. pastora. cap.* 1. Ab imperitis pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars est artium regimen animarum. Cordis medicos se promittere non erubescunt qui nequaquam spiritualia præcepta cognouerunt. Et Berna. *ser.* 30. *in Canti.* Miror audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis non colligere nisi spinas & tribulos, vineis tamẽ dominicis etiã se ingerere non vereri: Fures sunt & latrones non custodes neque cultores, nõ audientes Paulum arguentem ac dicentem, *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Et epist. 42. Curritur in clero passim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis iã quisque victurus sit cum ad curas peruenerit. Videntes quippe illos qui iam proprios humeros cupitæ sarcinæ summi subiecerunt, non solum non gemere tanquã sub onere, sed insuper appetere plus onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate cœcati non vident, sed fauoribus amplius quos illis inuident, prouocantur vt primatu honoris illis similes euadere queant. 1. Tim. 3.

4. Svnt alii itaque qui intra Sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris primas cathedras quærentes, teste Gregorio, de quibus Dominus conqueritur Ozeæ. 3. dicens, *Ipsi regnauerunt & non ex me.* Ex se & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam diuinitus vocati, sed sua cupiditate accensi culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur, non desiderio operis boni quod laudẽ mereatur, sed cupiditate dominationis ac honoris, quæ perniciem appetentibus afferre solent. Qui enim dignitate ac primatu honoris floret, is similis est qui cum puella formosa cohabitans legem suscepit, ne in eque lasciuientibus eam oculis videat, quod multo est ei difficilius, *inquit Chrysost.* quam si omnino ab ea seiunctus foret: Nam qui corporum amore capti sunt,

Greg. li. 1. cur. Past. cap. 1.

Chrys. hom. 21 in Matth.

[illegible] dũ propinquos eos habent quos amant. grauius morbi sui tormentũ vimq; sustinent, cum autem quam longissime sese ab illorum conspectu abduxerint tum furorem ipsum ab animo excutiunt. Sic & qui honoris stimulis, quem dico, cupiditate titillantur, dum propius adsunt, malo ferendo impares sunt: cum autem sese illinc submouerint, honoréque desperauerint, fit vt desideriũ vna cum expectatione extinguat. Certe voluptas quæ ab honorib. capitur exigua est & vix sensum deliniuit ac repente deuolauit: & interim malorum præcipitia, in quæ honores detrudũt, perpetua sunt. *hac Chrysost.*

5. SED apud populum, inquies, magna de ipso est existimatio? Cum populum dicis, caue promontoria, scopulos & latentia saxa, *inquit Chrys.* Approbatio enim vulgi quãto clariorem quempiam facit, tanto maioribus periculis eum exponit & inanis gloriæ, & tumoris ac superbiæ, & contemptus aliorũ, quo fit difficilius perueniat ad regnum cœlorum: vt hoc omittam, quod qui in primatu honoris & dignitate sunt, obsideãtur a multis assentatoribus, detractoribus, inuidis, qui animũ huc illuc que impellunt, & in profundum malorũ nonnũquam immergunt, vt enim laudibus assentatorũ extolluntur & inflãtur, ita detractione inuidorũ deprimuntur, quod gehenna grauius arbitrãtur, ita vt qui tales sunt, animo vexati nunquã in tranquillitate viuant. Hæccine, quæso responde, beatificatione digna opinaris? Ita, si insanis. Hilarion videns se miris honorib. affici à cunctis hominum generibus, concurrebant enim ad eũ Episcopi, Presbyteri, clericorum & monachorũ greges, matronæ quoq; Christianorũ grandis tentatio, & hinc inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile, sed & proceres viri & Iudices vt benedictũ ab eo panem acciperent, *inquit Hieron. epist. 52. quæst de vita Hilarionis.* Et ille nihil aliud quã solitudinem meditabatur, & ad solas nauigare insulas cogitabat, vt quem terra vulgauerat, saltem maria celarent. Hæc omnia faciebat non animi leuitate motus, sed honorẽ fugiẽs, per quem diabolus magna cura eum præcipitare nitebatur, vidẽs his armis etiam homines inculpatissimos vinci posse. Mirentur alii, signa quæ fecit, mirentur incredibilem abstinentiam eius, ego nihil ita stupeo, inquit, quam gloriam illum & honorẽ calcare potuisse. *hac Hieron.* Quod si viri sancti tanta cura fugiebant honorẽ illum qui præmium est virtutis, quanta quisque effugere debet inordinatum honoris appetitum, quem ambitionem appellamus?

6. HUIC vitio quod amorem seu cupidinem laudis dicimus, non solum non resistebant Romani, *inquit Aug.* verum & excitandum, & amplectendum censebãt, vnde hac ambitione stimulata mater Neronis, cum audisset filium suum si imperaret, ipsam ab eo occidendam, respondisse fertur, occidat ego, dummodo imperet ille: & quicquid attentabant Romani fere non nisi hac cupidine laudis inducti faciebãt, vnde illud Ciceronis, Honos alit artes, verũ cum hoc viriũ piæ fidei tã sit inimicum vt si maior sit in corde cupiditas gloriæ, quã Dei timor vel amor, nulla remaneat spes salutis. Hoc enim satis significat Dominus cum Ioan 5. ait, *Quomodo vos potestis credere qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis?* Et ideo huic vitio melius resistitur quam ceditur, non quia ipsa laus humana culpanda sit, *inquit August.* in Psal. 118. ad illa verba, *Auerte oculos meos ne videant vanitatem*, sed propter ipsam laudem bene operari, hoc est vanitatem in suis operibus intueri. Non ergo sit finis nostri boni operis in laudibus hominum, sed ipsas ad Dei laudes referamus, à quo nobis datur, quicquid in nobis sine laudantis errore laudatur. Non conuenit honores aut prærogatiuas in hac vita quærere, *inquit Basil.* sed etiã oblatos repellere expedit, quia to[illegible] ta præsens vita est operũ ac certaminũ, futura autem coronarum. Qui recte factorũ retributionem hic quærit, vere miserabilis est, quia propter temporalia æternorũ damnum

Aug. lib. 1. de ciui. c. 14.

Basil. 15. constit. monast.

Gregor. libro 2. moral. cap. 4.

damnum patitur. Tales ſunt omnes ii, *inquit Greg.* qui cogitatione terrena huic ſeculo conformantur, quia per omne quod agunt huic mundo ſui memoriam relinquere conantur, alii bellorum titulis, alii altis ædificiorum mœnibus, alii diſertis doctrinarum ſecularium libris inſtanter elaborant, vt ſibi memoriam & nomen cõparent.

II. Virtutes potius quam dignitates filiis procurandæ.

1. SIT cura parentum non tam vt diuitias pro filiis accumulent, aut iis honoris primatum & dignitates acquirant, quam vt eos & exemplo vitæ & verbo doctrinæ ad virtutes promoueant, virtus enim & pietas ad omnia valet promiſſionẽ habens vitæ quæ nunc eſt & futuræ diuitiæ autem duntaxat neceſſitati ſubſeruiunt præſentis vitæ: Neque enim eæ tales ſunt quæ hominem bonum faciant (id quod poteſt ipſa virtus quæ bonum facit habentem iuxta philoſophum.) ſed vnde homo faciat bene, ita vt quamuis hominem apud Deum non commendet diuitem eſſe ſeu diuitias habere, quas habẽt & mali & boni laudabile tamẽ ſit & meritorium iis bene vti, quia teſte Sapiente, *Diuitiæ hominis redemptio animæ illius*: & alibi, *vtilior eſt ſapientia cum diuitiis*, ſicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia, hoc autem plus habet eruditio & ſapientia quod vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.

Prou. 13.

Eccle. 7.

2. SIC Tobias ſollicitus erat vt filius ſuus ſubſtantiam conſequeretur, non terrenam ſed cœleſtem: Ita enim ait cap. 1. & 4. *Fili omnibus diebus tuis habeto Deum in mente & timeto eum & caue ne vnquam peccato conſentias. Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, quomodo potueris iſto miſericors, ſi multum tibi fuerit abundanter tribue, ſi parum & illud libenter impertiri ſtude. Omni tempore benedic Deum & pete ab eo vt vias tuas dirigat.*

Cui conforme eſt quod Baſil. ait, *hom. 21. ex variis to. 1.* Filios habes? Eis theſaurũ ſempiternum theſauriza: Relinque filiis bonã memoriã magis quam diuitias multas, ratione pietatis & beneficentiæ, & filios veſtros cõtinentiam docete. Vt enim conſuetudo malitiç proceſſu temporis inualeſcens tantum facit malum vt poſtea non poſſit aliqua vinci admonitione, &c cũ ſemel à malitia fuerint occupati, quaſi in captiuitatem eſſent abducti, quoquo diabolus iuſſerit, eunt, ille enim eis imperat & pernicioſa dat eis mandata, quæ iuuenes libenter perficiunt præſentem tantum voluptatem ſpectantes, & futurum dolorẽ non cogitantes: Ita dum à teneris ſtatim annis filios & filias Deo conſecramus, ſanctis monitionibus imbuimus, modeſtiã, ſobrietatem, pudicitiam, reliquaſq; virtutes omnes in animis eorũ reponẽtes, iis eos aſſuefacimus, fit vt & virtus paulatim in naturam cõuertatur, eamque ægre deſerere poſſint.

3. REGVLARITER inquit auctor imperfect. *hom. 35. in Matth.* matres corpus natorum ſuorũ magis amant, animam autem negligunt: deſiderãt enim illos valere in ſeculo iſto, & minus curant quid paſſuri ſint in alio Si viderint illos pauperes, & fortuna minus proſpera frui, dolent & triſtantur, ſin autem viderint eos à via virtutis deflectere, & latam perditionis viam ingredi, minus dolent, nec pereuntibus compatiuntur, & hoc quia non ex fide viuunt, quæ futura & inuiſibilia ob oculos ponit, ſed in vanitate ſenſuũ ambulant, qui duntaxat præſentia intuentur. Igitur primo exerceamus molles filiorum animos ad pietatem, patientiam, & reliquas virtutes, cætera omnia ſecundo loco quæramus, iuxta illud Matthæi, *Primũ quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*, Nam ſi quidẽ illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt, *inquit Chryſ.* ſin autem probi, nil in Chryſ.
paupertate lædentur, quia virtute ipſa hom. 9.
magnum paupertati ſolatium acquirent, in 1. epi. ad
Filiis autem recte inſtitutis præſtat Tim.
pauperes eſſe quam diuites, inquit, quia leuitati iuuentutis magnam licentiam pariunt diuitiæ. Ne igitur quæras quomodo eos aut diuites aut glorioſos facias, ſed

cura

ſcura quomodo eos doceas gloriã in hoc mundo contemnere, *inquit idem ſerm. 21. ad Ephe.* Atque vtinam hoc tantum culpa eſſet nihil vtile parentes liberis conſulere, poſſet id etſi ſit grauiſſimum, aliqua fortaſſe ratione tolerari, nunc vero illos ad ea quæ ſaluti ſuæ ſunt aduerſiſſima, omni ſtudio impellunt. Audias patres miris modis filios ad humanam gloriã prouocantes, ad domos amplas conſtruẽdas, cœleſtis vero conuerſationis, cœleſtiumque bonorum nulla omnino fit mentio. Cum ergo hac doctrina teneros illorum animos imbuunt, profecto nihil eos aliud quam materiam omnium malorum docent, duos iſtos illis violentiſſimos amores inſerentes, pecuniarum ſcilicet, & qui longe pernicioſior eſt, leuiſſimæ atq; inaniſſimæ gloriæ, qui molliſſimum atq; tenerrimum iuuenis animum peruertunt. *hac Chryſ.*

III. De actis & vita S. Iacobi.

1. IACOBO iſtud priuilegium conceſſum eſt ſicut & Ioanni fratri eius & Petro, quod eos Dominus magis habuerit familiares quam cæteros apoſtolos: Nam & in monte Thabor vbi gloriam ſuã oſtendit, & in horto vbi patrem orauit, & alias ſæpius, relictis cæteris apoſtolis, hos tres duntaxat ſecum aſſumpſit. Vnde & Iacobus maior dictus reſpectu alterius Iacobi, non ætate ſed vocatione & dignitate, eo quod maiorib. priuilegiis & prærogatiuis præeminuerit. Nam & illud de Epiph. hær. 58. eodẽ apoſtolo ſcribit Epiphanius ipſum ſicut & Ioannem, virginem permanſiſſe, & monaſticam vitam ſicut & cæteros apoſtolos egiſſe.

2. SCRIBIT Beda in collectaneis agens de diuiſione apoſtolorum Iacobum hunc in Hiſpanias eſſe profectum: idipſum teſtatur *Turpinus* in libro de rebus geſtis Caroli magni, & Caliſtus Papa ſecundus. Sed cum omnium apoſtolorum primus S. Iacobus martyrio ex hac vita migrarit, anno nimirum quadrageſimo quarto, idque etiam ante diuiſionem apoſtolorum, prout refertur in martyrologio Baronii, inde nonnullis ea de re dubitandi occaſio orta eſt an Iacobus vnquam in Hiſpaniis fuerit, præſertim cum Innocentius Papa *in epiſt. ad Decentium* ſcribat, quod nullus apoſtolorum in Hiſpania vel Gallia populum gentilem docuerit, ſed illi tantum quos in eas regiones miſiſſet Petrus apoſtolus. Verum Iacobi in Hiſpaniam profectio tunc potiſſimum potuit contigiſſe eum poſt necem Stephani protomartyris; ſecuta eſt ſtatim diſperſio omniũ diſcipulorum. Et licet dicat S. Lucas *in Actis* omnes diſperſos eſſe præter apoſtolos, intelligendum ex maiori parte. Sicut cum ibidem ait omnes diſcipulos diſperſos eſſe per regiones Iudææ & Samariæ: cum tamen conſtet inter alios Ananiam tunc temporis profectum eſſe Damaſcum Syriæ illicq; Euangelium prædicaſſe. Sane quidem & horum matrem, vxorem Sebedæi Mariam, eadem diſperſione fugatam, in Italiam aduentaſſe, & apud Hernicorũ itinere fatigatam in pace quieuiſſe, produnt vetera monumenta eccleſiæ Verulanæ, vbi eius corpus religioſe aſſeruatur.

3. HÆC autem de acceſſu Iacobi in Hiſpanias non ſic accipias, *inquit auctor in martyrol. Rom.* vt illic prædicauerit gentibus Euangelium (nondum enim decreto apoſtolorum illis fuerat oſtium reuelatũ, vnde *Actor.* 11. dicitur quod diſperſi diſcipuli nemini loquebantur verbum niſi ſolis Iudæis) ſed Iudæis tantum ſuis gentilibus Chriſtum annunciarit: nec ſic quidem vt aliquam illic fundarit eccleſiam. Et hoc ſenſu ſunt accipienda verba Innocentii Papæ in epiſt. ad Decen ſupra citata, quod nullus apoſtolorum in Hiſpania vel Gallia populum gentilem docuerit. Ex Hiſpania rediens Iacobus in Samaria & Iudæa Chriſti prædicauit Euangelium, & ibidẽ variis perpetratis miraculis quæ in quinque libros digeſſit Calliſtus Papa, & plurimis ad fidem Chriſti per ipſum conuerſis etiam Philetum & Hermogenem magos ad Chriſtum conuertit: quorum illum eo quod plus Iacobo prius cõ-

uersus quam suo magistro Hermogeni tribuere videretur, magica arte ab Hermogene ita immobiliter loco affixũ vt se mouere non posset, sudario suo per ministrum Phileti ad ipsum à Iacobo missum, soluisse & liberum dimisisse refertur. Alterum vero, Hermogenẽ nimirum ipsum qui nondum conuersus cacodæmonibus mandauerat vt Iacobum & Philetũ vinctos ad se perducerent, ipse Iacobus è diuerso ad se eum perduci fecerit, perductũ vero ita instruxit & conuicit, vt arte magica repudiata & libris artis huius cõbustis, ad Christum cõuerterit, dans interim ei potestatem abeundi quo vellet, dicens non esse nostræ disciplinæ quenquam ad eam inuitum traducere. At ille ad apostoli pedes se abiiciens, se illi adhærere & ab eo baptizari velle, ac in Christum credere malle respondit: nihilominus se sibi à cacodæmonibus, quorum furorem nouerat metuere si relicta arte magica in Christũ iam credere inciperet: Cui Iacobus, crede tantum, & simulachrum quod venerari solitus eras, & à quo te oracula accipere putabas, in partes comminuas, & pecunias quas malis artibus conquisieras, in vsus bonos dispensare atque erogare velis: Quantum autem ad furorem dæmonum, eos facile compesci posse, si scipione, quo ipse in itinere vti solitus esset, se aduersus eos tueretur, eosque hoc modo facile compescuit. verum sicut Simon Magus licet sacro baptismo initiatus esset, tamen ad Magiam relapsus in apostolos insurrexit, & à fide lapsus hæresim docuit: Ita etiam hi prædicti Magi Philetus & Hermogenes fecisse visi sunt. Nam de iis sic Paulus ad Timotheum, *Scias hoc quod auersi sint à me omnes qui in Asia sunt ex quibus est Phigellus & Hermogenes.* De Phileto autem sequenti capite sic ait loquens de hæreticis, *Sermo eorum vt cancer serpit, ex quibus est Hymeneus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem iam esse factam, & subuerterunt quorundam fidem.*

2. Tim. 1.

Cap. 2.

4. AT Iudæi cum non Hermogenem modo quem inuictum putarent, verum etiam Iudæos plurimos in Christi fidem Iacobi prædicatione traduci recipique animaduerterent, omnibus hoc egerunt modis vt Iacobum in custodiam traderent. Erat tum Hierosolymis Abiathar Pontifex, qui moleste ferens tãtam multitudinem ad Christi fidem cõuerti, Pharisæos in Iacobum Apostolum concitauit Et scribarum vnus Iosias nomine, iniecto in collum Iacobi fune eum ad Herodem perduxit captiuum. Cumque Iacobus Herodis iussu ad locum in quo eum feriri oporteret, duceretur, paralyticum in via vidisse eum scribit Eusebius, quem orantem vt se curaret, Christi nomine inuocato mox eum curauit atque sanauit. Quod cum vidisset Iosias scriba ille, qui funem collo apostoli iniecerat, eo extracto, se ad illius pedes misit, magnis obtestans precibus vt & sibi ignosceret, & se lauacro expiaret. Iacobus protinus interrogauit, Iesum ne Christum, quem Iudæi in crucem egissent, verum Dei filium esse crederet? Quod cum ille se credere confiteretur, aqua salutari ab Apostolo expiatus est, & osculo dato frons illius consignata est. Quibus rite perfectis, vterque eadem hora, eodemque loco morte mulctatus migrauit ad Christum, 8. Kal. Apr. Anno videlicet, 44. à Christo nato, circa Festum Paschæ. Eius sacra ossa ab Hierosolymis ad Hispanias translata, & in vltimis earum finibus apud Gallæciam Cõpostellæ recondita, celeberrima illarum gentium veneratione, & frequenti Christianorum concursu religionis & voti causa illuc adeuntium pie coluntur & inuisuntur, vnde patet hoc mense Iulio natalem Iacobi diem quando ab Herode occidi iussus hinc ad Christum migrauit, sed quando venerandum eius corpus ex Iria Flauia Compostellam translatum est: vt sicut Assisium Franciscus illustre reddidit, Bononiam Dominicus, Lucia ciuitatem Syracusanam, ita Compostellam decorauit S. Iacobus & reliquiæ ossium eius.

Euse. li. 2. c. 6. histo.

5. IACO-

Digitized by Google

5. IACOBVS igitur lux & decus Hispaniæ in præsidium huic regno Deo sic disponente datus videtur: Quod illustri comprobatur exẽplo, quod R. D. Ioannes Lopez Episcopus Monopolitanus, contigisse scribit anno Dom. 862. aut paulo ante. Cum enim magnam cladem ab Agarenis tempore impii Roderici Regis Hispania accepisset, ipsis Mauris tributum centum puellarum virginum, quibus illi turpiter abutebantur, soluere quotannis Hispani cogebantur. Quam infamiam suæ gentis ferre non valens Rex Ramirus copiosum collegit militem, adhibitis viris religiosis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus qui precibus eum contra hostes, quorum numerus erat ducentorum millium hominum, profligandos iuuarent. Cumque iam certamen inirent, ita acriter pugnatum est vtrinque vt maximam nostrorum militum multitudinem aduersarii perimerent. Qua clade accepta, multa tristitia pressus Rex Ramirus animo dubius hærebat quid facto opus esset vt hostium manus euaderet. Cumque sopor eum occuparet, ei dormienti astitit Iacobus Hispaniarum protector, nescienti tamen quod Iacobus ille esset, qui eum excitans ait, Ego sum Iacobus qui hanc Hispaniæ prouinciam protegendam à Domino accepi, cumque eius cura mihi sit demandata, huic muneri inuigilo: manumq; Regis sua contingens manu & comprimens dixit, Animo æquiori esto, crastino enim die vobis subsidio ero, quo hostiũ numerosam profligabis multitudinem. In cuius rei signum me albo equo insidẽtem & vexillum manu ferentẽ cernetis, vos igitur peccata vestra cõfitentes, & sacra Eucharistia refecti nomen Domini & meũ inuocantes hostes aggredimini, certa enim hoc medio vobis eueniet victoria. Quam apostoli apparitionẽ ac reuelationẽ Rex Ramirus plenus lachrymis retulit Prælatis. Hacq; visione animatus pugnare cœpit cernentibus militibus Iacobũ ferientem Mauros & tuentem Hispanos inuocantes eum ac dicentes, S. Iacobe adiuua nos, S. Iacobe adiuua nos. Hocque modo præclaram de hostibus suis tulit Rex victoriam, & Ecclesiam S. Iacobi in Compostella ex spoliis & annuo tributo mirum in modum ditauit ac dotauit.

6. POSTREMO adnotandum hic quod quemadmodum conciones ea intentione audire oportet, vt quę audimus opere cõplere studeamus, sic vitas Sanctorum legere & audire debemus, vt ex iis decerpamus quæ imitemur, aut deuitemus: virtutes imitemur, iuxta illud Pauli, *Inuicem considerantes in prouocationem bonorum operum & caritatis*: eorum autem defectus euitemus, aut lapsi spem resurgendi inde concipiamus. Nam vt *Ambros.* ait, Positi sunt sancti ad imitandum nobis: & ideo curatum est & diuina prouidentia permissum vt & ipsi aliquando laberẽtur, sicut Ioannes & Iacobus hic ambitionis notantur. Nam si inoffensum à vitiis inter tot lubrica huius seculi curriculum peregissent, dedissent nobis infirmioribus occasionem æstimandi cuiusdam eos superioris naturæ ac diuinæ fuisse, vt delictum & culpæ consortium habere non possent. Quæ opinio vtique vt extra sortem nos illius substantiæ ab impossibili imitatione reuocaret. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco, & sicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumamus. Nam & nos cum plerosque probauerimus in aliquo officio, eosdem quasi industrios & impigros in alio munere volumus experiri. Athletæ enim cum isto certandi genere præualuerunt, ad aliud genus vocantur certaminis. Quod si & te Deus cũ aliquod specimen virtutis tuæ dederis, in alio virtutum genere velit probare? Iob currentẽ inoffense, tamen filiorum interitu, & vlceribus passus est, vt in hoc quoque virtutem fortitudinis eius probaret. Sic Dauid manu fortem, mansuetudine præstantissimum, probare voluit quemadmodum vitiũ tegeret, lapsum emendaret, vt nos doceret quemadmodũ admissum possimus emendare

Ambro. c. 7. lib. de apol. Dauid.

dare delictũ. Nisi forte vilis causa alicui videtur vt propter nostram correctionẽ tantus erraret propheta, cum propter omniũ redẽptionem infirmitates nostras Christus susceperit, qui peccatũ pro nobis factus est, cum peccatum non cognouerit. Et indignum æstimamus, nec verisimile creditur, quod Dauid propter posteritatis profectum, vnius lapsus opprobriũ inciderit, cum ipse Dominus sit pro nobis factus opprobrium? *hæc Ambro.*

IN FESTO SANCTI LAVRENTII.

AMEN *amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. &c.* Ioan. 12.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Cur Christus grano comparetur, & de meditatione passionis eius.*
II. *Quomodo potest quis bene & male amare animam suam.*
III. *Quid sit Christum sequi, eique ministrare.*
IV. *De passione & constantia S. Laurentij.*

PARS I.

ART. I. Cur Christus grano comparetur & de meditatione passionis eius.

NISI *granum frumenti, &c.* Hac comparatione qua se Dominus grano comparat in terra iacto, & passionis suæ ignominiam, & eiusdem incomparabilem fructum, & sui ipsius vim pascendi, breuiter ostendit. Porro sicut granum nisi in terram cadẽs moriatur, integrum quidem manet, sed solum, nullusque ex eo fructus sequitur nulla granorum aliorum multiplicatio: Ita Christus nisi mortuus fuisset, solus quidem & integer in sua perfectione mansisset, sed fructum nullum fidelibus attulisset, nec genus humanum redemptum fuisset. Nunc autẽ quia mortuus est, per mortem suam multiplicem fructum fidelibus attulit, nam ex hoc fœcundissimo grano mortificato productus est totus ille Sanctorum chorus & innumerabilis electorum exercitus. Hoc ei promiserat Deus pater apud Isaiam, *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum.* Isai. 53. Neque enim exiguæ alicuius vtilitatis gratia rem tantam, tam arduam atq; difficilem, qualis fuit mors & crux Christi, aggressus vnquam fuisset Dominus, nisi ex ea insignem aliquem & admodum copiosum prænouisset fructum euenturum. Propter quod Paulus ait ad Philippenses, *Quia humiliauit semetipsum, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis* Philip. 2. (qua acerbior & probrosior excogitari non poterat, inquit Anselmus in hunc locum) *ideo Deus exaltauit illum* (secundum humanam naturam quam eleuauit in cœlum super omnes angelos eam ad dexteram suam statuens) *& donauit illi nomen quod est super omne nomen* (vt in ipsa forma humana nominetur & sit vnigenitus Dei filius) quod & ante resurrectionem habuit, sed quod prius erat, hoc post resurrectionem manifestatum est dæmonibus & hominibus, & omnes fatentur boni & mali, vel sponte vel inuiti quod Christus sit in gloria patris, quod eadem gloria honoretur qua pater, æqualis... Iudæi eum perpetua ignominia afficere, & nomen eius, vt nõ memoraretur amplius, delere cogitabant, exaltatus fuit & clarificatus: cui exaltationi seruierunt Iudæi inscii & inuiti, ipsi enim non id cogitabant: sed in eo relucet diuina sapientia & potentia vt per ignominiam nouerit hominem perducere ad gloriam, & ẽ tanto malo educere tam magnum bonum, vt hoc ipsum quod homini præparatum erat in perniciem, cederet ei in salutem. Id quod & in fratribus Ioseph accidisse legimus qui cum vendidissent eum Ismaelitis transuehendum in Ægyptum vt nõ dominaretur eis, per hoc ipsum medium

dium euectus fuit postmodum ad dominium, nisi enim in Ægypto innotuisset Pharaoni sapientia Ioseph, nunquam Ægypto præfectus fratribus in suis necessitatibus subuenire potuisset. Nec permitteret Deus vllum euenire malum nisi præsciret quid boni ex isto malo elicere posset.

Gen. 39.

2. GRANVM istud frumenti qui Christus est habens vim pascendi & fructificandi, etiam tibi multum fructum adferet si cadens in cor tuum terrenum mortuum fuerit, si viua memoria reuolueris, & cōpuncto atque grato corde recogitaueris quid pro te passus sit Christus, qui ne tu perires, & non solum mori & damnari, verumetiam in æterna morte & damnatione perpetuo manere deberes, pro te mortem crucis passus est, vt à morte te redimeret: Porro vt quis cū fructu recogitet passionem Domini, non satis fuerit historiam passionis ex memoria recitare, aut sola cogitatione percurrere, nisi simul & voluntas & affectus commoueantur aut compassione vt pro eo lachrymas fūdere assuescas qui pro te suum sanguinē fudit; aut de peccatis tuis, ob quæ Christ⁹ pati debuit quo sic diuinę iustitiæ satisfaceret, compunctione & dolore, & diuini iudicij quod tam seuere nostra puniuit peccata in suo filio, timore: aut dilectione & gratiarum actione, vt redamare nō pigeat, qui prius sic te amauit vt etiam ꝑ te animā suam poneret, *maiorem vero caritatem nemo habet quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis:* Et certe quo viliora, seseq; indigniora pro te passus est Christus, eo amplius ei deuinctus manes Huiuscemodi passionis meditatio est, quæ multiplicem tibi adferet fructum, heroicas nimirum & illustres illas virtutes quas in Christi passione cernes, ipsiusque exēplo motus imitari disces, Obedientiā, Patientiā, Mānsuetudinem, Fortitudinē, Humilitatem & similes: Nam vt Petr. ait *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Hæc illa passionis meditatio est, quæ & S. Paulum, & S. Franciscum & S. Bernardum & plures alios sanctos, ad tātam euexit sanctitatē, pietatem cæterasq; virtutes alias. Nullum n. præsentius aut efficacius remedium cum ad exoluenda peccata, tum ad virtutes consequēdas, quam viua passionis Christi meditatio. Si enim ieiuniū, cilicium, humicubatio, disciplinæ, ceteręq; carnis afflictiones, magno sint homini adiumento & ad delendum peccatum, & ad vincendum peccati affectum, quæ vim suam omnē atq; energiam ex passione Christi hauriunt, quāto magis illa meditatio passionis Christi, quę cor meditātis in Christi amorē transmutat. Qui huiusmodi meditationib. non assueuit principium, sicut fit & in quauis arte, erit difficile ei & nouum, & quamdiu eius vsum non habuerit, neq; didicerit, nullam inde spiritus hauriet suauitatē, sed potius mētem sentiet prorsus aridam, quo fiet vt & huiusmodi meditationē existimet vanā & inanem: Sed postquam artem meditandi probe didicerit & calluerit, tunc miram inde spiritus percipiet dulcedinem, vberrimum huius rei capiet fructum: tunc cum propheta dicet, *Concaluit cor meum intra me* (per deuotionis nimirum ardorem) *& in meditatione mea exardescit ignis:* non ignis voluptatis carnis, qua illi inflammantur & instar vrticæ ardēt qui obscena reuoluunt, fiuntq; absurdis huiusmodi delectationibus pleni: De quibus Ozeas, *omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente*: mala cupiditas ipsa satis multa suggerit quibus amplius ipsa inardescit. Sed in meditatione diuina exardescit ignis diuini amoris, qui non cōsumit nec adurit, sed consummat & illustrat, Deoq; dignum in corde hominis habitaculum præparat. Vt enim *Bern. ait in Cantica*, Oportet vt sancti desiderij ardor præueniat faciem Dei in omni anima ad quam ipse est venturus qui consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet Domino locum, & tūc scit anima quoniā iuxta est Dominus, cum senserit se illo igne succensam. Amor fœcundus est admodum

Ioan. 15.

1. Petr. 2.

Psalm. 38.

Oseæ 7.

Ber. ser. 31. in Cant.

Digitized by Google

modum qui copiosam meditandi in animo amantis suggerit materiam: si amas bona terrena, *ruminabis* iuxta prophetam Ozeam, *super triticum & oleum*, auari enim nihil aliud meditantur quā quomodo opes suas indies augeāt: Si amas diuina dona, sapientiam, caritatem, castitatē, & similia, etiam illa tuis meditationibus augere studebis.

Oseæ 7.

II. De bono & malo amore animæ.

1 QVI *amat animam suam perdet eam, & qui odit, &c.* Hæc non potest intelligi de substantia animæ quatenus est creatura Dei, & altera eaq; præcipua pars hominis, quia sic eam amare licet: Si enim Paulus de corpore nostro dicat, *nemo carnem suam vnquam odio habuit, sed fouet & nutrit eam*, quanto magis ipsam animam quæ præstantior est amare licet? Sed hic non prætermittendum quod sicut est rectus amor sui, ita sit & vitiosus, potest enim quis & bene & male se amare: Bene sese suamque animam amat qui ei sua bona procurat, qui ad hoc incumbit vt ei bene sit, vt virtutibus illustretur, Dei donis & gratiis decoretur, spiritu sancto repleatur, Deo rebusq; diuinis fruatur, à vitiis & peccatis tanquam morbidis quibusdam qualitatibus curetur, purgetur & præseruetur. Et secundum hunc amorem præcipitur nobis vt proximum nostrum diligamus sicut nosmetipsos, vt quantum in nobis est salutem eius amemus & promoueamus, cum exemplo vitæ & verbo doctrinæ ad virtutes incitemus, à lapsu & peccato præseruemus & eruamus, offendiculum & scandalum non ponamus, vt illa particula *(sicut)* designet non æqualitatem, neque enim omnes diligere tenemur æque, vt nosipsos, imo quo quisque melior fuerit, eo amplius ipsum diligere oportet: sed denotet similem modum, vt quo modo te diligis & ad quod te diligis, nimirum vt tibi bene sit, vt mentem sanctā in corpore sano possideas, ad id ipsum etiam tuum proximum diligas.

2 MALE ac vitioso amore se diligit, qui relicto Deo donisq; diuinis ac virtutibus neglectis, sese suaq; voluptate, honore & potentia fruitur, qui terrena sapit & secundum carnem ambulat: De quibus dicit sic Dominus, *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.* Qui fruitur aut propria voluptate, aut propria potentia & honore, sicut Lucifer seipso fruebatur dum propria excellentia atq; potētia frueretur & oblectaretur, minus sit quam erat cum Deo, eiusq; caritate & potentia delectaretur: & istud minus priuationem alicuius boni inducit, & hoc peccatum dicitur & malum, quod nō dicit qualitatem aliquam positiuam, sed qualitatis priuationem, sicut lumen minus fit quando claritas eius minuitur. Neq; enim sic conditus est homo vt relicto Deo sibi sufficiat, seseq; ac propriis donis frui possit, quæ est proprietas solius Dei qui sibi sufficit & à nullo alio dependet: sed sicut lumen aeris à sole dependet à quo non solum produci, sed & assidue conseruari debet, ita vt ne ad momentum quidem sole absente aer lucidus permaneat. Ita & angelus & homo conditus est vt neuter sibi sufficiat relicto Deo, sed vti vita spiritalis seu caritas à solo Deo producitur hominiq; infunditur, ita & ab eodem perpetuo conseruari debet: cōseruatur autem dum homo per obedientiam manet subiectus Deo, quod si sese obedientiæ subtrahat Deumq; deserat, protinus deseritur & ipse, donisq; Dei, hoc est, iustitia & caritate priuatur: verum damnū istud melioris boni, quo priuatur homo peccans, non sentit nec aduertit, dum fruitur minori bono magis amato, hoc est, propria excellentia & potentia: si n. aduerteret nunquam peccaret, eo quod natura nō solum à morte abhorreat, id quod & in pueris & in bestiis animaduertere licet, quibus si mortem etiam inexpertam intentes, quātopere horreant, timeant & fugiant: verumetiam omne malum quantum potest declinat: Ita vt diabolus nunquā homini peccatum persuadere potuisset, nisi prius ei persuasisset quod ex eo non solum non moreretur, nec quicquam damni pateretur

Gen. 6.

Digitized by Google

tur, verum etiam multum boni consequeretur & fieret sicut Deus. Et hunc tentãdi modum obseruat diabolus in hunc vsq; diem, dum auaro obiicit lucrum vt committat iniustitiã, & fornicatori voluptatem & perdit castitatem, quid appetat videt, sed quid amittat non considerat. Nec scit quisquam quantum damni peccator sibi inferat peccando, nisi prius dignitatẽ boni quod amittit probe cognitã habuerit, sicut Adam, propheta Dauid & similes probe cognouerant cœlestiũ donorũ supereminentem dignitatem & bonitatem.

3 Ex dictis facile intelligi potest quomodo verum sit quod Psalmista ait, *Qui diligit iniquitatem odit animam suã*: si non affectu at certe effectu, *inquit Bernard.* & quomodo verum sit quod Raphael ad Tobiam ait, *Qui faciunt iniquitatem & peccatum hostes sunt animæ suæ*: sicut enim quod odimus interemptum cupimus, ita qui peccat, animam suam & hic interimit, vitaq; spirituali priuat, & postmodum in gehennam mortemq; secundam præcipitat: quo malo nec hostis ipse, qui nos ad mortem quærit, peius inferre posset. Cõtingit tamen & bene odisse suam animã, non quidem secundum suam substãtiam consideratam quatenus creatura Dei est, quia sic bona est & eam amare oportet: sed quatenus vitiosa est propriamq; sequitur cupiditatem. Dum enim ieiuniis, vigiliis, laboribus, castigationibus carnem castigamus & maceramus, ne aduersus spiritũ insolescat, ipsiusq; concupiscentiæ motibus ac desideriis non solum resistimus, ne contra spiritum præualeat, verumetiam ipsam cõcupiscentiam penitus extinctam & radicitus euulsam optamus, & ad hoc ieiuniis, precibus, lachrymis, & aliis quib. possumus modis qui ad id valent, adlaboramus, tunc recte eam odisse dicimur: Id enim quod odimus auersamur & interẽptum cupimus, & si occurrat vultũ auertimus nec aspectu dignamur. Qui sic odit & persequitur animam suam, hoc est animæ suæ cupiditatem quam interemptam cupit, vt amplius non insurgat, amplius spiritum non inquietet, is bono zelo odit suam animam, & in vitam æternam custodit eam, & ideo non est odium hoc dicendum, sed potius custodia. Hinc *Bern.* quibusdam huius sæculi hominibus, qui monachorum eius abstinentiam & asperrimum vitæ genus, quod dicebant, damnabant, eo quod propriam vitam interimerent, dum tanta inedia & vigiliis ac ieiuniis carnem macerarent, prudentissime respondit: vos estis, inquit, qui carnem vestram odio habetis, & vitam interimitis, dum propter exiguam carnis illecebram & voluptatulam, eam ad mortem acerbissimã nullo vnquam tempore finiendam damnatis: sed qui temporaria pœna animam affligit & corpus castigat, vt ab æterna damnatione vtrumq; præseruet, is non tam odisse quam prudenter amasse dicendus est: nec tam suam persequitur animam aut carnem, quam concupiscentiam iis innatam quam cupit interemptam.

Psalm. 10.

Bern. c. 4. de conuer. ad cleri.

III. Quid sit Christum sequi, eiq; ministrare.

1. QVI *mihi ministrat, me sequatur.* Christo ministrare is dicitur qui in omni eo quod agit ad Christi legẽ intẽdit, vt secundũ eius præscriptum eiusq; voluntatem omnia fiant quæcumq; facit: Seruus enim idipsum quod est, inquit Philosophus, Domini sui est, ad eius nutum & præceptum viuere debet, vt quæ constat Deum velle, velit & ipse, etiamsi alioquin id naturæ repugnet voluntati, humanæ contrarium sit: Sicut cũ Abrahæ mandaret Deus vt Ismaelem eiiceret, & vt filium suum quẽ diligebat Isaac in mõtem immolaret: Quæ aũt constat Deum nolle, nolit & ipse etiamsi idipsum alioquin maxime velit, sicut cum Dauidi vetaret ne sibi templum ædificaret: & Sauli prohibebat ne de præda Amalechitarũ sibi sacrificiũ offerret: cui inhabitioni cum Saul contrarium faceret, sperans quod in gratiarum actionẽ pro victoria parta sacrificiũ immolatum Deo foret acceptũ. responsum audiuit à Samuele, *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non*

1. Reg. 15.

non potius vt obediatur voci Domini. Melior est enim obedientia quam victima. De quibus autem non constat vtrum velit an nolit Deus, hæc neq; ipse minister absolute velit, nec absolute nolit, *inquit Bern.* sed voluntatem Dei in iis aut precibus, aut scripturarum lectione, aut alios consulendo, inquirat, sicut Dauidem sæpius fecisse legimus, vt cum consuleret Dominum, num ascensurus esset in vnam de ciuitatibus Iuda; & respondit ei Dominus,
2. Reg. 2. *Ascende: & dixit Dauid ad quam? & respōdit Dominus, In Hebron.* Constat autem Deum id velle quod per se bonum est, qualia sunt ea quæ semper & absolute vult & præcipit: vt sunt Iustitia, Continentia, Patientia, Sapientia, Caritas, & id genus virtutum alia, quæ debemus & nos velle. Constat etiam Deum id nolle quod semper & absolute prohibet, vt sunt Iniustitia, Incontinentia, Odium, Insipientia & his similia: Ea igitur & nos nolle debemus. Quæ autem inter hæc media sunt, vtpote quæ neq; natura sua sunt bona, neque mala, sed talia sunt qualis est animus vnde huiusmodi opera proficiscuntur, possunt enim & bene & male fieri: huiusmodi opera sunt an quis se velit dare statui Ecclesiastico an seculari, an dare operam literis an exercere artem mechanicam, an intrare cœnobium, an inire coniugium. In istiusecemodi operibus homo summopere cauere debet ne præceps sit, sed voluntatem Dei iis modis, quos ad id conducere putat, siue precibus & humilibus gemitibus, siue lectione scripturarum, siue consulendo alios, inuestiget atque inquirat, iuxta illud Sapientis, *In omnibus viis tuis cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos, ne innitaris prudentia tua, neq; sis sapiens apud temetipsum.*
Prou. 3.
Quod si voluntatem Dei actu necdum compertam habeat, vt sæpe fit quia ambulamus hic in tenebris, animo saltem & voluntate in eā intendat, & istius sit voluntatis vt si sciret quid Deus vellet ei se conformaret, quod si tunc ignorans aberret, & aliud velit quā Deus ab eo fieri cupiat, sicut Dauid cum Domino templū extruere cuperet, quod tamen Deus ab eo fieri nolebat, per ignorantiam & bonam voluntatem excusari poterit.

2 ET hoc satis manifestum est indicium hominem cupere se ea velle quæ Deus vult, suamq; voluntatem diuinæ voluntati subiecta esse, si superiori suo præsertim Deum timēti, loco Dei obtemperet: Fit enim communiter, vt qualem se quis erga suum superiorem exhibet, talem se erga Deum cuius vices superior supplet gerat. Quodsi interim aliud superior suadeat & consulat, quam Deus velit, sicut prophetæ isti accidit quem consulebat Dauid an templum Domino esset extructurus, cui propheta cōtrarium suadebat quam Deus volebat, tunc inferior per obedientiam excusatur, quæ ab eo requiritur, modo malum non sit quod superior consulit, viderit superior quid consulat, ab eo requiritur prudentia, sicut à subdito obedientia. Vnde Ignatius Iesuitarum antesignanus dicere solebat, Si pontifex eum scapham sine remige & velo intrare & mare transnauigare iuberet se id sine mora facturum: Cui cum alius quidam vir prudens responderet magnæ scilicet id fore imprudentię tā manifesto sese exponere periculo: Respondet Ignatius prudentiam requirendam in eo qui mandat, obedientiam vero in eo qui obtemperat.

3 ME *sequatur*, id est, Meum viuendi modum imitetur, meq; tanquam viuum quoddam virtutum exemplar intueatur: vt sicut me viderit patri obedientem, vsque ad mortem, ita & ipse si necessitas postulet seipsum suamq; vitam potius mortis periculo mortiq; exponat, quam Dei legem violet, aut me abneget: oportet enim obedientiam legis diuinæ præferre propriæ vitæ, eo quod scriptum sit, *Qui amat animam suam plusquam me non est me dignus.* Rursum quo modo me in tribulationibus & in passione ipsa viderit fortē, patientem, nullius vindictæ cupidum, in moribus grauem & maturum, in laboribus

bus promptum & indefessum, animo mitem, benignum & humilē, ac cæteris virtutibus præditū, talis & ipse esse studeat: *exemplum dedi vobis*, inquit Dominus, *vt quemadmodum ego feci sic & vos faciatis*: & Paulus ad Corint. *Estote imitatores mei sicut & ego Christi*. Et hoc proprie est esse discipulum Christi ab eo discere, quomodo in vita nostra nos oporteat gerere, vt mūdus cognoscat ex vitæ nostræ probitate, ex morum modestia & grauitate, ex animi benignitate & mansuetudine, nos esse Dei ministros & Christi discipulos, *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, inquit Dominus, *vt videntes opera vestra bona glorificent patrem vestrum qui in cœlis est*: Discamus, inquam, huiusmodi non solum scire sed & facere: quanquam enim quædā discuntur solum vt sciantur, vt ea quæ fidē concernunt, tamen plurima discuntur nō solū vt sciantur sed vt opere exerceantur. Vnde David, *doce me facere voluntatem tuā* quasi dicat, sic doce vt etiam faciam, non solum vt sciam: Mallem sentire charitatē, quam scire eius definitionem: qui habet compunctionem & dolorem pro peccatis à se commissis, facit id quod scit: alias parum profuerit de charitate & cōpunctione de patientia & humilitate ac cæteris virtutibus multa apte disserere, & earundē virtutum exortem esse.

Ioan. 13.

1. Cor. 11.

Matth. 5.

4. Hic error eorum eliminatur atq; reprobatur qui existimant salutem hominū ita à Domini Passione profluere, vt sine vllo suo labore, sine vllis operum bonorum meritis, sola fide se illam adepturos arbitrentur, quia inquiunt, Christus adimpleuit omnia: Quasi vero stertendo & dormiendo vitamque omnem in lusu & otio transigendo coronam adipisci possimus, quæ non datur nisi legitime certantibus: sic enim Paulus nos docet, *Non coronabitur*, inquit, *nisi qui legitime certauerit*. Certe delicatus miles is est qui sine certamine vult vincere, & sine victoria coronari: quasi hostes nostros tam truculentos & feros, vt sunt dæmones: & turbidos luxuriantis animi motus prauosque affectus naturæ insitos, subigere & vincere spectando possumus. Sic ab auctore Deo cōstitutum est vt nihil magnū, nihil præclarum sine labore mortalibus contingere voluerit, nam & id verum est quod Poeta ait, *Virtus sudore paranda*: & Matthæus ait, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. In cuius rei signum Ioannes in *Apocalyp.* dicit se ante thronum Dei vidisse sanctos candidis vestibus amictos, palmasque in manibus gestantes, vt sicut candore vestium eorū innocentiam, ita palmarum gestatione, partæ victoriæ signum est, gloriosos eorum triumphos & victorias designet: Et ab hac sua fortitudine, labore, & diligentia, laudatur, à Sapiente fortis illa mulier, quæ *panem otiosa non comedit*, quæ *surrexit de nocte & dedit cibaria domesticis suis*, quæ *misit manum ad fortia*. Sed & in veteri lege agnus ille paschalis (cuius immolatione Israeliticus populus ab Ægyptiaca seruitute erat liberandus, qui veri agni Christi in cruce pro nobis immolati imaginē præferebat) cum lactucis agrestibus mānducari præcipiebatur, vt intelligeremus passionis dominicæ fructum deriuandum non ad homines voluptuosos & Epicureos, sed ad eos qui eiusdē passionis amaritudinem compassionis affectu & asperioris vitæ amaritudine sectantur. Proinde qui pœnitentiæ amaritudinem, virtutūq; laborem aut tribulationum asperitatem fugit, hunc necesse est fructuum passionis Christi remanere exortem? *Si compatimur*, inquit Paulus, *& conglorificabimur*: post laborem merces & quies, post lachrymas gaudium & lætitia: post victoriam corona est expectanda.

cap. 11.

Apoc. 7.

Prou. 31.

IV. De Passione & constantia Laurentii.

1. IAM videndum quo modo ministrauerit Christo S. Laurentius cuius hodie festum peragimus, eumq; sequutus sit. Et in primis tanquam granum frugiferum cecidit in terram dū grauissimas pro Christo sustinuit passiones, cruciatus & mortem: Ei enim Dominus & patiendi obtulit materiam, & propensam ad patiendum vo-

voluntatem dedit atq; alacritatem & robur inuictum contulit. Nam cum B. Papam Sixtum ad carcerem trahi videret, tanto fuit patiendi desiderio incensus, vt S. Pontificem his cõpellaret vocib. Quo progredieris sine filio pater, quo sacerdos sancte sine ministro properas, tu nunquã sine ministro sacrificium offerre consueueras. Nunquid degenerem me probasti? Experire verum ministrum idoneum elegeris. Cui pontifex, non ego te desero fili, neq; derelinquo, sed maiora tibi debentur pro fide Christi, certamina: Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum suscipimus te autem quasi iuuenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Post triduum me sequeris sacerdotem leuita: Interim ecclesiæ thesauros fidei tuæ cõmissos pauperibus distribue, ne in sacrilegas tyrannorũ manus deueniant: quod ministerium mira animi promptitudine compleuit. Noctu n. fidelium indigentium latebras exquirens, in eos erogauit quę distribuenda habuit. At tyrannus fidei nostræ ac religionis Christianæ odio inflammatus, & auaritiæ facib. incensus, diis sacrificare & Ecclesiæ thesauros prodere Laurentium iubet, ni mallet omnia tormentorum genera experiri. Quid hic adolescẽs sanctus & generosus, num expalluit? num tormẽtorum immanitate ob oculos posita expauit? aut verbum vnũ formidolosum protulit? Nequaquam: sed incredibili constãtia Deo plenus tyranno respondit. Has ego epulas semper optaui, tantum abest vt tormenta tua formidem, quin potius tanquam ludicra puerorum territamenta habeam. Hoc responso irritatus Tyrannus scorpionibus immanissime Martyrẽ cædi iussit, vt iis & pellis & caro crudelissime exulceraretur, quo sic quã aduersus illum conceperat rabiem expleret & furioso animo satisfaceret. Et quasi hoc parum esset nouo flagellorũ genere, nempe crudelissimis virgis sæuissime corpus lacerũ flagellari iubet, quo verbera verberib. & vulnera vulneribus addita Martyris constantiam frangerent. Cum autẽ gloriosus Christi martyr (corpore quidem lacero & exulcerato, sed animo tamen integro) quo magis torquebatur eo fortior atque constantior in eius confessione persisteret, crudelis tyrannus contemni se putans, & se frustra hæc tẽtasse indigne ferens aliud flagellorum genus multo dirius, nempe plumbata afferri iussit: vt quoniam nullus iam erat vulneribus in lacero corpore locus, plumbata corpus contunderent & luxarent.

2\. Id autem propterea permisit Deus, vt gratia latens & donum fortitudinis quo præditus erat S. Laurentius, ad vsuram poneretur, & iuxta proportionem passionum in gloria eueheretur. Qui enim parce seminat parce & metet, & qui seminat de benedictionibus de benedictionibus & metet. Cum vero S. Laurentius ad summum gloriæ fastigium à Deo destinatus esset ad illud peruenire non poterat, nisi tanta merita ex tantis tormentis fortiter perlatis conquisita præcederent. Vnde cũ S. martyr tã inhumaniter exceptus mortem sibi iã imminere credidisset, sublatis in cœlum oculis cœlestem Regem his cõpellat verbis, Domine Iesu suscipe spiritũ meum. Quid hæc Dominus? ad hanc martyris petitionem clarissima è cœlo vox delapsa est, quam ipse Tyrannus audiuit, ô Laurenti adhuc multa tibi desunt certamina. O miranda diuinæ sapientiæ consilia: Cur quęso ô Domine sanctum martyrem tuum diutius atque immanius torqueri vis, qui tot plagis laceratus & contusus nullum habet in corpore membrum quod tibi non obtulerit in holocaustum? Num igitur doloribus & cruciatibus hominum pasceris qui ad alia grauiora certamina martyrem vocas? Absit. Verum hac passionum acerbitate & martyrem mirabiliter illustrabat, & nominis sui gloriam, & gratiæ suæ potentiam, & prouidentiæ suæ curam apertissime declarabat, & quã sit is in sanctis suis mirabilis ostendebat. Quid enim mirabilius quam hanc tantã tamque insuperabilem animi constantiã & fortitudinem in homini fragili, qui

Digitized by Google

vix culicis morsum patienter ferre potest deprehendi? Torqueri poterat vinci non poterat, tormenta corpus tantum impetebant, sed animi robur & constantiam minime frangebant: Et in hoc Dei gloriam mirum in modũ illustrabat, fide enim & obsequio seruorum suorum maxime manifestatur gloria Dei: quod autem maius obsequium vel à Deo requiri, vel ab homine impendi potest, quam illatã mortem & acerbissima tormenta prius perpeti, quam illius numen violare, fidem prodere maiestatem offendere & ab obedientia illi debita desciscere?

3. CÆTERVM vt fidelis famulus in Dominum, ita fidelissimus Dominus extitit in seruum, qui tanto illum spiritus robore donauit, & multis miraculis eius fidẽ confirmauit, & certissimam illi spem salutis & gloriæ mox futuræ ostendit. Nam cum in carcere esset, signo crucis subitã & insperatam videndi facultatem cœcis contulit. Et hoc miraculo Hypolitum carceris custodem eiusque familiam ad Christi fidem conuertit. Ad hæc pulcherrimum è cœlis angelum misit, qui martyris sui sanguinem ex vulneribus defluentem linteo abstergeret: Quo miraculo Romanus miles qui tum aderat, stupefactus & ad Laurentium conuersus ait, video ante te iuuenem pulcherrimum festina me baptizare: Et à Laurentio baptizatus clamare cœpit se christianum esse, ideoque Imperatoris iussu capite truncatus Christi martyr est effectus. Sancti itaque sui martyris gloriæ & fœlicitati Dominus consulebat, cum maiora illi certamina superesse cœlesti voce denunciabat. Non vulgari beneficio diuitem mercatorem afficit, quisquis oportunam mercium materiam illi subministrat, qua is in arca repositam & otiosam pecuniam locupletare mercimoniis exercendis valeat. At B. Laurentius diuinæ gratiæ opibus ditissimus erat, cuius virtute tormenta illa & multo etiam acerbiora sustinere ac ferre poterat Quocirca magnum diuinæ prouidentiæ beneficium extitit huic tantæ gratiæ, quæ in S. Martyris mente latebat, hanc tantę fortitudinis & constantiæ materiam præbere, cuius fructus & in ecclesia ad piorum exemplum, & in cœlo ad martyris gloriam sempiterno æuo permaneret. Cum vero omnis meriti ratio non in dotibus internis, sed in actibus consistat externis, eo quod operantibus in vinea Domini, & nõ otiosis merces promittatur, consultũ cuique fuerit, vt talentũ quod accepit à Domino ad vsuram ponat: ne si in sudario absconderit, & otiosum relictum fuerit, audiat, *Serue piger & nequam nonne debebas pecuniam meam committere nũmulariis, & ego veniens recepissem vtique cum vsura quod meum erat?* inutilem itaque seruum proiicite in tenebras exteriores. Hactenus tamen gratiæ internæ & virtutum habitus seruiunt meritis, quia per ea homo dignus fit & aptus qui mereri mercedem & gloriam possit: & si per ętatem mereri nõ possit, vt infantes baptizati, in quibus proprium meritum non inuenit locum salutem cõsequuntur quia digni reperiuntur: Aut etiam voluntas prompta sit, sed occasio merendi desit, nec sic suis meritis destituitur, aut sua mercede priuabitur. vnde *Aug. de bono coniugali* sic ait. Qui videt continentię virtutem in habitu animi semper esse debere, in opere a. pro rerum ac temporum oportunitate manifestari, sicut virtus patientiæ sanctorum martyrũ in opere apparuit, cæterorũ vero æq; sanctorum in habitu fuit. Quocirca sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, & in Ioanne qui passus non est: sic non est impar meritum continentiæ in Ioanne qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios generauit. Et illius enim cœlibatus & huius connubium pro temporum distributione Christo militarunt: sed continentiam Ioannes & in opere, Abraham vero in solo habitu habebat. Melior quidem castitas cœlibum quã nuptiarum castitas, sed Abraham vnam habuit in vsu, ambas in habitu: caste quippe coniugaliter vixit: esse autem castus sine coniugio potuit, sed tunc nõ oportuit.

Matth. 28.

Aug. c. 21. & 22. de bon. con.

Digitized by Google

Ego vero facilius non vtor nuptiis quibus vsus est Abraham, quam sic vtar nuptiis quemadmodum est vsus Abraham, & ideo melior illis non sum, qui propter tēporis differentiam non fecerunt quod ego. Quod enim ego nunc ago, melius illi egissent si tunc agendum esset: quod autē illi egerunt, sic ego non agerem, etsi nunc agendum esset. *hac Augustinus.*

4. Decivs interea, & Valerianus, omnis generis tormenta in Laurentium excogitant, & inter cætera os eius lapidib. contundi, cratem ferream cui nudus imponeretur assandus, parari iubēt. Cui S. Laurentius, Disce miser carbones tuos mihi refrigerium non tormentū adferre. Hinc diuinæ gratiæ virtutē agnoscere licet, cuius tanta vis est, vt non modo legis diuinę iugum efficiat suaue & onus leue, sed & scorpionū verbera, & crates ferreas, & ignes vrentes alacriter ferre faciat: Cum n. fortissimus Martyr in craticula positus igne vreretur ad impiissimum tyrannū dixit, Assatum est iā versa & manduca. Nihil obtines, nihil proficis sæua crudelitas: laceros artus & multa verberum sectione conscissos, subiecto præcipis igne torreri, vt per cratem ferream quę iam de feruore continuo vim in se haberet vrendi, conuersorū alterna mutatione membrorū, fieret cruciatus vehemētior & pœna productior; Sæuisti persecutor in martyrem, sed dum aggeras pœnā, auxisti palmā: quinimo segnior fuit ignis qui foris vssit, quam qui intus accendit, & citius tu tuis deficis flammis, quam, superari potuit ignis charitatis Christi qui ardebat intus. Interim Laurentius ad Christum conuersus dixit. Gratias ago tibi Domine quia ianuas tuas ingredi merui, quo dicto emisit spiritum: Interim Decius & Valerianus corpore tota nocte in crate relicto ad palatium Tiburtii remeāt: Hyppolitus autem & Iustinus corpus summo mane clam sublatum & aromatibus conditum curauerunt & sepelierunt, christianis ad locum sepulturæ per triduū in orationib. suis perseuerantibus ieiunantib. & pernoctantib. Contigerunt hæc sub Decio Imperatore, quāquam Baronius dicat sub Valeriano contigisse anno post Christi natiuitatem 261.

Pars II.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum adfert.

Ioan. 12.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Quomodo homo Christus & christianus quisq; instar grani mortificandus.*

II. *Quomodo perdit animam qui amat eā, & quomodo qui odit custodit eam.*

III. *Quomodo qui ministrat Christo eum sequi debeat vt honorificetur à patre.*

ART. I. Quomodo Christus, & Christianus quisq; instar grani mortificandus.

1. Inter granum & paleas magnum discrimen, granum cibus hominum, Paleæ iumentorum, granum farinam continet quæ hominum substantiā confortat & enutrit, paleæ leues sunt & nihil substātiæ, vel nutrimenti intus habent. Granum quo pascimur & enutrimur Christus est, q cibus est nō corporis sed animæ, q spiritu suo sicut adipe & pinguedine afficit, oblectat, enutrit & confortat: spiritus n. dulcedine oblectat, quia spiritus eius dulcis super mel & fauū: spiritus virtute confortat & hominem insuperabilem efficit: Vnde Dominus ad suos apostolos. *Manete in ciuitate donec induamini virtute ex alto*: enutrit dū collapsa restaurat, & absumpta reparat: vt n. corporis substācia per pugnātes qualitates paulatim absumitur & nisi cibo & potu reparetur, homo totus tandē virib. & vita deficit: Sic animæ virtus per concupiscentiam paulatim absumitur nisi spiritu Christi assidue reparetur. Sed sicut granum si integrū manet, hominē nō nutrit, prius conteri & in stomacho digeri debet.

Digitized by Google

debet Ita Christus in memoria tanquam famelico quodam stomacho suscipi & retineri debet vt quis ea quę Christi sunt diligenter ruminet atque reuoluat.

2. CÆTERVM sicut granum quod seminamus non viuificatur, nec multiplicatur nisi prius moriatur, Sic Christus ante passionem quasi solus remanebat, exiguū fructum in conuersione hominum proferebat, quo modo si paucæ oliuæ quæ remanserunt; excutiantur ex olea, & racemi cū fuerit finita vindemia. Pauci erant Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli qui in eū credebant, cæteris in infidelitate remanētibus. Multiplicauerat quidem gentem, sed non magnificauerat lætitiam, *inquit* Esa. 24. & 9. *Isai. cap. 9.* quia qui multi erant numero, paucissimi erant merito. Sed postquam in cruce mortuus fuit, illudque impletum quod psalmista ait, *Conscidisti saccum meū & circundedisti me lætitia*: Postquā ex sacco suo conciso, hoc est, ex corpore suo vulnerato & perfosso pretium effudit redemptionis nostræ, multum fructum attulit, & infinitas hominum myriades ad fidem & salutem perduxit, ita vt etiam eremi in Palæstina, Syria, Ægypto & in multis aliis locis, instar paradisi incolerentur, quod mirum in modum Christum lætificauit & summo gaudio affecit.

3. SIC quilibet sanctorum nisi prius iniquitati mortuus fuerit, iustitiæ viuere non poterit, *inquit Gregorius* in psal. 7. Pœni. & in fructu bonorum operum non multiplicabitur. Ad hoc autem auctor vitæ mortuus est & resurrexit vt nos peccatis mortui iustitiæ viuamus. *hæc Gregorius.* Quod si & nos in soliditate frumenti permanserimus, exterior quidem homo mortificari & corrumpi poterit, sed interior de die in diem renouabitur, & nihil incommodi aut damni patiemur, *inquit Chrysost. hom. 11. in Matth.* etiamsi tribulatio irruat. Siquidem in area iacens frumentum rapidæ etiam rotæ nihil comminuūt prorsus. Iob enim postquam traditus fuit in manus Sathanæ vt eum affligeret quibuscunque posset modis, modo vitam seruaret, iuxta illud Iob. 2. *Ecce in manu tua est verumtamen eius animam serua*: non solum nihil detrimenti passus in homine interiori, sed & gloriosus inde magis in cōspectu Dei apparuit. Quod si in leuitatem palearū quis deciderit, vt fide fluctuans, prauisque ac vanis cogitationibus obnoxius ad omnē ventum huc illucque rapiatur, & hic intoleranda patietur à cunctis omnino concisus, & postmodum intolerabile supplicium sustinebit. Siquidem omnes huiusmodi, etiam ante illius fornacis incendiū, pabulum hic efficiuntur irrationabilium passionum, sicut & paleæ ab irrationabilibus vorātur animalibus, & ibi rursus esca erunt ignium atque materia. *hæc Chrysostomus.*

II. Perdit animam qui amat, & custodit qui odit eam.

1. DE eo dubitare non licet, quia id expresse ait in hoc euangelio Dominus, sic inquiens. *Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Cum Paulus dicat ad Corin. *Nemo carnem suam vnquam odio habuit, sed fouet & nutrit eā*, anima autem multo fit pretiosior & præstantior ipsa carne, manifestum est quod eam secundum substantiam suam odisse non liceat: quod enim odimus, nec aspicere dignamur, sed è medio sublatum cupimus & non esse vellemus, vitam autem, quam nobis nostra subministrat anima, nemo sibi eripere potest, vnde eā sic odisse non licet. Sed sunt qui eam perfecto odio oderunt, & peruerso eā amore amant. Qui peruerso amore eam amant, perdent eam in futuro seculo perditione æternæ damnationis. Tales ii sunt qui illi permittunt quicquid desiderat, & cōcupiscentiis eius frœna laxant, iuxta illud Ecclesiast. c. 18. *Si anima tua præstes concupiscentias suas faciet te in gaudiū inimicis tuis.* Lætātur enim dæmones qui sunt inimici & capitales hostes nostri in damnatione nostra, quia oderūt nos.

2. HANC viam ingressus fuisse videtur Salomon, & ideo fœde lapsus, dum Ecle-

Eccles. cap. 2. clesiast. 2. ait, *Omnia quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaueram, & hanc ratus sum partem meam si vterer labore meo.*

Tale quid & hominibus huius seculi accidit qui vitam & fœlicitatem futuram pro nihilo habentes non nisi bona præsentia & temporalia quærunt & amanticum enim amore temporalium flagrent, verā lætitiam volentes ignorant, quam si studiose cognoscere niterentur, quam flenda sint gaudia quæ appetunt, viderent, *inquit Gregorius*, sed dum meliora scire negligūt, sola fugacia gaudia appetunt. Cum enim in populo Dei alii carnales sint, alii spirituales, secundum ea quæ præferunt, aut carnales aut spirituales iudicantur, *inquit Bernardus*. Hinc est q̃ in benedictionibus Esau & Iacob, *Gen.* 27. & ros cœli & pinguedo terræ nominatur, sed nō in eodem ordine in vtroque. Sic enim ait Isaac ad Iacob, *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam.* Ad Esau vero sic ait, *In pinguedine terræ & in rore cœli erit benedictio tua.* Quid singuli præferant à studiis eorū & à sollicitudinibus innotescit: Reprobus enim Esau amabat & præponebat temporalia, & ideo priori loco hæc ei obtulit pater: Sancto vero Iacob hæc vt accessoria precatus est secundo loco.

Greg. li. 20. mor. cap. 16.

Ber. ser. 33. in paruis.

Aug. in Psal. 143.

3. EST quædam fœlicitas, *inquit August.* filios habere incolumes, filias ornatas, plena cellaria, abundantiam pecorum, nullam ruinam pati non dico parietis sed nec sepis, nullum tumultum aut clamorem in plateis, sed quietem, pacem, abundantiam & rerum copiam habere. Neque debent iusti ista diffugere, cum etiam domus Abrahæ plena fuerit auro & argento, familia, pecoribus. Est inquam hæc fœlicitas sed corporalis, sinistra & mortalis. Non enim isti quia istis abundant, ideo maligni aut vani, sed quia id quod sinistrū esse debuit, in dextera ponebant, ideo & dextera eorū dextera iniquitatis, Quid enim in dextera ponere debuerunt? Deum & æternam fœlicitatem. Sinistra vtamur ad tempus, dexteram desideremus in æternum: *In dextera eius anni vitæ & longitudo dierum*, inquit Sapiens, *& in sinistra eius gloria & diuitiæ.* Cum itaque psalmista ait psal. 143. *Quorum filii sicut nouella plantationes, & filiæ ornatæ vt similitudo templi, cellaria plena eructantia ex hoc in illud.* Nō hinc eos reprehendit psalmista quia iis abundabant, non quia à Deo non acceperant etiam quæ temporaliter possidebant, sed quia aliam beatitudinem præter temporalem, quæ consistit in delitiis, diuitiis & affluentia mundi huius, non nouerant. Ideo os eorum locutum est vanitatem cum dicerent, Beatus populus cui hæc sunt, ponentes sinistiam dexteram, ideo & dextera eorum dextera iniquitatis, dum putant nō aliā esse hominis fœlicitatem præter hanc temporalem.

Prou. 13.

4. SED dixeris, Cur homini denegatur delectatio creaturarum, quas Deus non solum bonas & pulchras condidit, sed etiam hominum vsui concessit? His quidem vti licet, sed frui non licet. Est autem magna differentia inter necessarium rerū vsum, earundemque fruitionem: vsus alio refertur & est ob alium finem: fruitio rebus ipsis per amorem inhæret: vtimur nauigio quo reuehimur in patriam, sed fruimur delitiis & voluptatibus quas propter se non ob aliud appetimus, finem in iis constituentes peruersa suauitate implicati, per quam auertimur à suauitate summi boni, hoc est ipsius Dei quo solo fruendum est. Nam *vt Aug. recte docet*, Res aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quib. vtendum: Illæ quibus fruendum est beatos nos faciunt, & ille solus Deus est: Istis quibus vtendum est tendentes ad beatitudinē adiuuamur, vt ad illas quæ nos beatos faciunt peruenire atque his amore inhærere & frui possimus. Omnis autem humana peruersio est, fruendis vti velle, atque vtendis frui. Et cum adest qui diligitur, etiam delectationē secum necesse est gerat, *inquit Augustin.* proinde caute ea vtendum est, vt per ea transeas, & ad illud

August. de doct. Christi.

vbi

Digitized by Google

vbi permanendùm & quiescẽdum est, referas, vnde Paulus ad Philem. ait cap 1. *Ita frater ego te fruar in Domino.* dicit Augu. Si non addidisset, *in Domino*, & te fruar tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ, quanquam & vicinissime dicitur frui, cum delectatione vti, vtitur autem proprie quia ad aliud quo fruendum est refert, abusiue autem non proprie frui dicitur. Si vero inhæseris atque permanseris finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc proprie frui dicendus es: quod non est faciendum nisi in summo illo bono qui Deus est: Nulla res in via tenere nos debet, sed per eam transire alacriter oportet, vt ad Deum peruenire mereamur. Quo modo si essemus peregrini, qui beate viuere nisi in patria non possemus, si in patriam redire vellemus, opus esset vehiculo: quod si delectatio vehiculi nos retardaret, aut amœnitas itineris peruersa suauitate implicati alienaremur à patria, & vitam cito finire nollemus. *hæc August.*

5. QVI fallaci mundi pulchritudine decipitur, & terrena bona sublimia arbitratur, is beatum & se, & fœlicem eum prædicat, qui iis bonis abũdat & fulget, iuxta illud psalmistæ, *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Et dum sic iudicant, esse sub sentibus delicias computant, *vt dicitur Iob.30.* quia vt ait *Gregori.* explicans hunc locum, inter huiusmodi bona lætantur, quæ & cum magno labore acquiruntur, & cum magna cura & sollicitudine possidentur, ita vt custodia ipsa plus torqueat quam abundantia oblectet. Multa sunt enim quæ miseros hos pungũt, sed easdem punctiones ipso rerum temporalium victi amore non sentiant. Vnde talium nomine Iere. ait cap.3. Thren. *Inebriauit me absynthio.* (Gregor. lib.20. morali. cap.16.)

Qui inebriatur absynthio, & hoc quod sumit amarum est, & tamen eandem amaritudinem, amore & cupiditate rerũ temporalium, quasi insensibilitate ebrietatis absorptus, nec sentit nec intelligit: Cui illud Ozeæ cap.10. recte competit. *Heu vitula Ephraim docta diligere trituram.* Vitula enim trituræ laboribus assueta, ad eosdem etiam non compulsa reuertitur, etiamsi solum paleis & non frumento enutriatur. Ita prauorum mens rerum temporalium fatigationibus assueta, à iugo mundanæ seruitutis cessare non libet etiamsi liceat. Dum enim veram lætitiam ignorant, & meliora scire contemnunt, sola velut summa eligunt, quæ sensibus adblandiuntur, sed si vera gaudia studiose scire quærerẽt, quam sint flenda hæc gaudia quæ appetunt, viderent. *hæc Gregorius.*

6. SED quis dolor deflendus, inquies, latet sub gaudio & voluptate? quæ turpitudo sub mundi pulchritudine? quæ ignominia sub huius seculi gloria? quæ miseria sub diuitiarum abundantia? Respondet tibi Chrysost. sic inquiens. Qui diuitiarũ amore captus est, nulla profecto ratione Dei amore flagrare potest, neque enim vnius anima sufficere potest multis cupiditatibus, sed alia ab alia opprimitur, & diuisa fit imbecillior, cũ alia dominetur quę totum ad se animum trahit. Cõsidera igitur quam turpe Deo neglecto mutæ adhęrere creaturæ: vt hoc omittam quod omni tyrannide grauior sit pecuniæ cupiditas, quæ quo plura acquirit & possidet eo hominem magis affligit & plura appetit. Nõne miserum efficit hominem sitis illa quæ bibendo extingui non potest, sed eo magis inardescit quę quis amplius bibit? Et quod grauius est his malis gaudemus, & si quis nos hac captiuitate liberare velit, ægre ferimus & indignamur, in hoc ab insanis nihil differentes, & tanto miseriores quod ab insania liberari nolimus. Nunquid propterea in hunc mundum venisti & homo factus es vt aurum accumules? Non ideo te Deus ad suam finxit imaginem, sed vt futura bona consequaris. Sic qui nescientes seipsos, sic dediti sunt carni & sanguini, ac si in vano accepissent animas suas, & nihil aliud quam solam carnem se esse reputarent, cui dicatur, *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est*, quo quid miserius fingi (Chryso. hom.38. in Matth. & hom. 6. in Gen.) (Ber. ser. 1. de omni sanc. & 19. in Psal. 90.)

fingi potest? cum sicut corpus sine anima sic anima sine Deo plane mortua in semetipsa sit: Mortem corporis videmus & horremus, mortem animæ parui facimus quia quid ea sit non intelligimus nec comprehendimus.

7. DICIT Isaias c. 23. *Dominus exercituum cogitauit, vt ad ignominiam deduceret vniuersos inclytos terræ.* Non hoc sic intelligas quasi Dominus sit ignominiæ auctor, absit: sed cuius ignominia iam latet, Dominus efficiet vt ea suo tempore pateat.

Qui dicendi modus nō est à scriptura sacra alienus, *vt constat Leui. 3.* vbi de sacerdotibus dicitur, *contaminabit eum,* scilicet leprosum sacerdos, non quod sacerdos sit cōtaminationis aut lepræ auctor, sed quia ostendit eum esse cōtaminatum, qui prius mundus plurimis videbatur: Ita Deus dicitur ad ignominiam deducere inclytos terræ, quia ignominiā & miserandum eorū statū, qui ita bonis terrenis infixi sunt, iis patefaciet, qui eos magnifaciebant in hoc seculo. Et tum implebitur quod Nahū ait cap. 3. *Omnis qui viderit te resiliet à te, & dicit, vastata est Niniue, quis commouebit super te caput?* Quem locum explicans Hier. sic ait, Niniue figura fuit huius mundi, qui totus est in maligno positus, cuius pulchritudine extrinsecus fulgente qui fuerit irretitus, vt turpitudinem eius intus latentem non videat, fœlicem se putabit si eo frui possit: Sed si eā videre cœperit, resiliet & refugiet ab ea & Niniuē miseram iudicabit.

Quod autem ait, Quis commouebit super te caput? significatur quod rarus sit qui eam miserā reputet, sint autē plurimi qui hic eam fœlicem putent, qui vanitatē mundi non intelligunt. Quanquam enim quamdiu durant aliquid esse videantur, tamen quia euanescunt omnia, siue bona malis obueniant, tanquā ipsi boni essent, *inquit August.* siue mala bonis, tanquam ipsi forent mali, vnus enim incursus incurrit omnibus in hac vita, siue bona siue mala bonis malisque communia, postquam elapsa fuerint, nihil fuisse iudicabuntur. (Aug. li. 20. de ciui. ca. 3.) Sic enim Iob testatur cum ait cap. 27. *Diues cum dormierit aperiet oculos suos & nihil inueniet.* Quem locum exponens *Gregor.* dicit, His verbis docet quod impius cum in morte euigilat, tunc in vera cognitione nihil esse conspicit quod tenebat. (Greg. in. 18. mor. cap. 12.) Vt enim dormienti inopi sæpe contingit vt se per somnium diuitem videat atque ex iisdem rebus animum extollat; sed repente euigilans, euigilasse se doleat, qui interim diuitiarum imaginem vel dormiens tenebat: Sic sunt mundi huius diuites qui rebus acceptis tument, tarde quoque illis oculi aperiuntur qui damnationis tempore dicturi referuntur, Quid nobis profuit superbia, diuitiarum iactantia quid contulit nobis? hæc *Gregorius.*

8. IN diebus tamen vanitatis huius interest plurimum, vtrum sit homo expers veræ pietatis an particeps, *inquit August.* (Aug. 10. ciuit. c. 3.) non propter vitæ huius vel bona acquirenda, vel mala vitanda vanescendo transeuntia, sed propter futurum iudicium: non propter præsentem vitam, quia illa breuis, fallax & vmbratica est, nunc flores & paulo post aresces, & quanto magis crescis tanto magis decrescis, quia ex quo quisque in isto corpore morituro esse cœperit, nunquam in eo non agitur vt mors veniat, quicquid tēporis diuiditur, de spatio viuendi demitur, & quotidie fit minus minusque quod restat, vt omnino nihil aliud sit tempus huius vitæ quam cursus ad mortem, in quo nemo vel paululum stare, imo ne aliquando tardius ire permittitur, sed omnes vrgentur pari motu. Neque enim cui vita breuior fuit, celerius diem duxit quam ille cui longior, sed cum æqualiter raperentur, qui longius viuit plus itineris conficit, nō lentius pergit.

9. INTERIM non hoc dico, *inquit Bernard.* (Bern. vbi supra.) vt ipsam carnem odio habeas, dilige eam tanquam tibi datam in adiutorium & ad æternæ beatitudinis consortium pæparatam. Sic sane dixerim vt nec vitam

tam præſentem nec bona illius odio habeas eaque tanquam mala defugias, abſit, cum & ea ſint Dei dona: Sed ſic amet anima carnem, vt tamē multo magis ſeruet & amet ſeipſam: ſic amet bona præſentia vt tamen iis præferat futura, magiſque amet caſtitatem quam voluptatem. *Si ſeparaueris pretioſum à vili*, inquit Dominus Ierem. 15. *tanquam os meum eris*, hoc eſt, ſi ſolerter diſcreueris inter corpus & animam, & huius ac illius bona vt non plus timeas tabernaculo ſeu corpori tuo à malo pœnæ quam animæ à malo culpæ, eris mihi cariſſimus.

III. Chriſti miniſtri & imitatores à Deo patre honorantur.

1. DICIT Dominus hoc loco, *Qui mihi miniſtrat me ſequatur* hoc eſt, me imitetur. Quid eſt Chriſtum ſequi, niſi imitari? inquit Aug. *lib. de ſanct. virgi.* non in quantum filius Dei eſt per quem facta ſunt omnia, ſed in quantum filius hominis in quo multa ad imitandum proponuntur nobis. Sequantur & imitentur agnum omnes fideles, licet non quocumque ierit ille, tamen quouſque potuerint ipſi Beati miſericordes imitamini eum, qui vulnerato à latronibus, & in via iacēti ſemiuiuo deſperatoque ſubuenit. Beati pacifici imitamini eum, qui pro ſuis perſecutoribus dixit Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, imitamini eum qui pro vobis paſſus eſt relinquens vobis exemplum. Beati pauperes ſpiritu imitamini eum qui cum diues eſſet, propter vos pauper factus eſt. *hactenus Aug.*

Bern. ſer. 4. aduen.

2. SVNT qui pauperes eſſe volunt, *inquit Bernard.* eo tamen pacto vt nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem vt nullam inopiam patiantur. Sunt & alii mites, ſed quamdiu nihil dicitur vel agitur niſi pro eorum arbitrio: patebit autem quam longe ſint à vera manſuetudine ſi leuis oriatur occaſio. Hæc manſuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit? Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, vt videri poſſent eſurire & ſitire iuſtitiam, ſi eſſet apud eos de ſuis quoque peccatis idem iudicium, ſed nunc pondus & pondus, *vtrumque eſt abominatio apud Deum*, vt dicitur Prouer. 20 Nam contra alios impudenter æſtuāt, ſeipſos tam inſipienter quam inutiliter palpant. Sunt alii miſericordes de his quæ ad ipſos non pertinent, qui ſcandalizantur ſi non datur omnibus abundanter, ſic tamen vt ipſi ne in modico quidem grauentur, qui ſi miſericordes eſſent, & miſericordem Dominum imitarentur, de ſuo facere deberent miſericordiam.

3. CVM ſequeris viam Chriſti, *inquit Auguſt.* non tibi ſeculi proſperitatem promittas: Per dura ambulauit ſed magna promiſit. Sequere eumque imitare; ſi dura non appetas, oblata ne reſpuas. Noli tantum attendere qua iturus es, ſed quo venturus ſis: tolerabis dura temporalia, ſed ad quietem peruenies ſempiternam. Cum autem attenderis quid accepturus ſis, omnia erunt tibi vilia quæ pateris, nec digna æſtimabis pro quibus illud accipias, miraberis tantum dari pro tam exiguo & paruo labore. Nam teſte Paulo, *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Nam etſi miſeria noſtra mille annorum eſſet, imo & centum milium, hæc cum æternitate comparata quaſi nihil ſunt. Huc accedit quod non ſolum temporalem, ſed & breuem voluit Deus tuum laborem. Paucorum dierum eſt tota hominis vita, etiamſi læta duris non miſcerētur, quæ plura ſunt & longiora certe, quam dura, & ideo breuiora & pauciora ſunt dura, vt durare poſſimus. *hæc Aug* Recte ait *Gregor.* Mala vitæ præſentis tanto durius animus ſentit, quanto penſare bonum quod ſequitur, negligit: & quia non vult præmia conſiderare quæ reſtant, grauia æſtimat eſſe quæ tolerat. At ſi ſemel ad æterna ſe erigat, atque in his quæ incommutabiliter permanent oculum cordis figat, prope hec nihil eſſe conſpicit quod patitur & diebus curſu labentibus quotidie finitur, & quo ſe internis gaudiis robuſtius inſerit,

Aug. con. 2. in Pſ. 36.

Rom 8.

Greg. lib. 10. moral. cap. 12.

inserit, eo minus externos dolores sentit.

4. Qvandoqvidem igitur Deus multa laboriosa & infinitis referta sudoribus præuiderat homini obuentura, vt præsentis vitæ labores atque certamina faceret tolerabilia consideratione futuræ beatitudinis & gloriæ, fœlicem finem hic ei ostendit, cum ait. *Qui me sequitur, honorificabit eum pater meus*, quo ob spem repositorum bonorum, vitæ molestias sine molestia perferamus, *inquit Basilius.* Sic enim spes fertilitatis agricolarum labores subleuat: Sic auidus mercator dum in omni labore & periculo lucrum cogitat, fluctus spumantis maris, ventorumque rabiem contemnit, & lassitudinem simul obliuiscitur & timorem. Certe si nauclerus consideret tumentes fluctus & pericula maris duntaxat, nunquam è portu in mare suo descendet nauigio, nec se fluctuanti pelago credet: Sic & miles si cædes, vulneraq; duntaxat ob oculos ponat arma non apprehendet. Sed si oculis vltra vulnera & cædes, & vltra labores qui in manibus sunt transmissis mente victoriam, triumphos & prædam voluat, vltro ad prælium concurrit. Nonne videtis, *inquis Chrysost.* quod in secularibus pro magno & diutino labore exiguam capiant imo interdum nullam consequantur quietem, nullum fructum? Agricola enim per totum laborat annum & in ipso fine frequenter à spe decidit, & fructu frustratur multorum laborum: Sic miles & mercator, cum ille post multa prælia & vulnera in fine vitam amittat cum victoria, hic post naufragia omnibus exuatur bonis. Nihilominus etiam spes incerta duros facit perferre labores: quanto magis in spiritualibus vbi labor exiguus & breuis, spes certa & merces magna & æterna, quam oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit, quam præparauit Deus diligentibus se: quanto magis inquam spes certa hominem permouere debet vt ad tanta bona perueniat, etiamsi mille mortibus quis subiici debeat.

Basi. hom. 1. in Psal. 1.

Chrys. ho. de pœnit. tom. 5. & hom. 49. ad pop.

5. Cogita, inquit *Hier. epist. 22. ad Eustoch. de virg. seruanda*, quanta Iacob pro Rachel pacta vxore sustinuit seruiens pro ea septem annis, perferens æstum & gelu. Et hæc sit cura tua semper, in his versetur totius diei labor, in his nocturnus somnus reponatur, in hoc anima rursus euigilet, vt per breues labores ad perennem quietem peruenias. Refert *Basil. ex Theognide philos.* quomodo Hercules, cum adhuc iuuenis esset, deliberaretque vtram viam pergeret, hancne, quæ per labores ad virtutem ducit, an alteram iucundam & voluptate plenam, obuias habuerit duas mulierculas speciem virtutis & vitii præ se ferentes, quæ vitium præferebat miru in modum ornata erat & delitiis diffluebat, hæcque omnia & multo plura ei promittebat, si ad se diuerteret: Altera vero macra & squalida fuit, & intentos oculos habuit, quæ nihil remissum, nihil dissolutum promittebat, sed sudores & labores, & pericula per totam terram & mare subeunda, præmium autem esse Deum fieri, velut ille, inquit. Qua ratione conuictus Hercules ex cognitione præmii consequendi, asperum virtutis iter arripuit.

Basil. ... 24. ad ... doles. tem. ...

IN FESTO
ASSVMPTIONIS
B. MARIÆ.

Intravit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria &c.

Luc. 10.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Quid fecerit B. Virgo post Christi ascensionem, & quibus se exercitiis occupauerit.*

II. *Magno*

II. *Magno tenebatur deſiderio vt poſſet diſſolui & eſſe cum Chriſto filio ſuo.*

III. *Magno cum gaudio & triumpho aſſumpta fuit in cœlum.*

PARS I.

ART. I. Quid B. Virgo poſt Chriſti Aſcenſionem fecerit.

1. VTINAM extitiſſet quiſpiam quẽadmodum S. Athanaſius S. Anthonii, S. Hieronymus Hilarionis, S. Gregorius Benedicti, S. Bonauentura S. Franciſci vitam nobis viuo ſpiritu deſcripſerunt, & B. Virginis Mariæ virtutes, mores, opera, ſtudia nobis diligentiſſime exaraſſet quid de die fecerit, quæ dixerit, quando & quandiu ſeſe orationi, lectioni, meditationi, contemplationi dederit, quando ad quietem ſe compoſuerit, quamdiu dormiuerit, quando ſurrexerit, an media nocte cum Propheta Dauid, an ſummo diluculo, quid, quando, & quantum comederit, quando cum Deo & Angelis eius, quando cum proximo quippiam tractandum foret, quomodo ſe habuerit, & reliqua omnia, quæ vitam ipſius & mores concernunt, exacte & ad amuſſim nobis teſtata reliquiſſet, rem non ſolum Eccleſiæ Dei vtiliſſimam feciſſet, verum etiam omnes laudem ipſius declamaturos, meque onere & labore leuaſſet. Quandoquidẽ vero id factum non eſt, & pauca ſunt quæ ex Scriptura ſacra colligere liceat, quæ vitam, mores, & laudem ipſius concernunt: Hinc ex vaſtis patrum voluminibus decerpere quædam cogimur, quæ præſentem ſpectant materiam: quæ quoniam & ipſa vaſta eſt, & admodũ ſpatioſa ac profunda, non ea eſt intentio noſtra vt omnia quæ virgineam laudem adaugeant, in medium adducamus, quod mihi factu impoſſibile fateor, ſed quædam duntaxat fragmenta vitæ, morumque ipſius, proferemus, & in medium adducemus, eaque potiſſimum quæ nos noſtramque ſalutem maxime promouere valeant. Omiſſis igitur iis quæ ante Chriſti ſui filii aſcenſionem in carne geſſit glorioſa Domina, primo hoc inquirimus & explicandum ſuſcepimus, quid poſt aſcenſionem Domini potiſſimum egerit, & quibus ſe occupauerit, & dicimus cum Heron. *epiſt. ad Paulum & Euſtochium*, quod poſt aſcenſionem Chriſti conuerſata fuerit cum ſenatoribus cœli intra curiam Paradiſi ſub Spiritus ſancti diſciplina, & magiſterio ſanctiſſimæ Trinitatis & diuinæ Maieſtatis: & familiarius intrans & exiens cum Apoſtolis contulit de Chriſti incarnatione tanto verius, quanto ab initio plenius per Spiritum ſanctũ cuncta didicerat, & oculis perſpexerat vniuerſa: & cum iiſdem vacauit in ſcholis virtutum, meditans in lege mandatorum Dei die ac nocte, vt & ipſa forma eſſet diſciplinæ Chriſti, & exemplum, perfectionis omnibus Chriſtum colentibus.

2. CÆTERVM ſicut Iacob in ſua ſcala vidit Angelos aſcendentes & deſcendentes: Ita & B. Virgo per contemplationem aſcendit ad Deum videns myſteria talia quæ non licet homini loqui: & deſcendit ad nos per actionem bonam nobis procurans. Quo modo ſicut & Paulus de ſe loquitur. 2. Cor. 5. *Siue mente excedimus, Deo, ſiue ſobrii ſumus, vobis, caritas enim Chriſti vrget nos.* In hoc exceſſu ſeu in hac extaſi fuerunt omnes ſancti, inquit Aug. *conci. 10. in Pſalm.* 30. quibus arcana Dei mundum iſtum excedentia, reuelata ſunt. Sicut Paulus cum excederet Deo, vidit ibi mirabilia quæ non licet homini loqui, & corde habitans in quadam contemplatione ineffabili obliuiſcebatur omnium terrenorum quæ naſcendo & occidendo hic euaneſcunt. Et ſi ſemper manere vellet in eo quod videbat & loqui non poterat, te non leuaret, *inquit Aug.* vbi & tu poſſis videre. Quid ergo fecit? deſcendit ad paruulos, & ſe eis accommodauit, talia eis loquens qualia poſſent capere. Et hoc eſt quod dicit: Siue ſobrii ſumus, vobis, dum ſic loquimur vt capere poſſitis, & hoc impellente Chriſti caritate.

3. PRÆTERTUR quidem vitæ actiuæ contemplatiua, attamen vir iuſtus vtramqueconiungere debet, ſicut & B. virgo vtramque coniunxit, & licet difficile ſit in vtraque profeſſione per omnia conſummationem inuenire. Rara eſt eniminquit Hieron. *in cap. 3. lamen. Iere.* & pauciſſimis dono Dei hæc perfectio conceſſa, vt quis exutam mentem habeat cunctis terrenis negotiis & tumultu ſæculi, & vnitus ſit cum Chriſto: Attamen B. Virgini hoc datum, vt ad integram puritatem theoricam aſſequeretur: & vitæ actiuæ nihilominus, cum neceſſitas idexigeret, perfecte inſiſteret: verum vna & ſola eſt theoria ſeu contemplatio Dei, cui merito vniuerſa virtutum ſtudia poſtponantur, iuxta illud Pſalm. 26. *Vnam petii à Domino hanc requiram vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Mente Sanctum Dei inhabitat qui diuina & cœleſtia pertractat & intuetur, ſic Deo adhærens vt vnus ſpiritus effectus ſit cum eo. Hanc ob cauſam Maria optimam partem hic elegiſſe dicitur, quæ non auferetur ab ea, quia theoria ſeu contemplatio quæ hic incipitur, in futura vita perficitur. Actiua vita vna cum corpore deficit: vt ſi quis Anachoreta in eremo ſqualorem ſolitudinis, aut Monachus in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate ſuſtentet, hoc cum corpore & hac vita deficit, *inquit Hiero.*

4. CÆTERUM ſicut totus labentis ſeculi curſus perenni diei ac noctis alternatione variatur, & dies quidem ad operandum, nox ad quieſcendum naturaliter condita eſt, ſic totum præſentis Eccleſiæ tempus, *teſte Hieron.* gemino quodam quietis & operationis ſtatu diſcernitur: quaſi enim nocte quieſcit cum aliqui fidelium eius intermiſſa ad tempus ſolicitudine externa, ſibimet vacare ſeſeque ipſos incipiunt ſpiritualiter curare vel lectionibus ſacris, vel orationibus ac lachrymis, vel aliis huiuſmodi ſtudiis ſecretius exercendo. Surgit autem de nocte hæc mulier fortis, de qua *Prouerb.* 31. cum in iiſdem ſuis fidelibus ad agendam curam proximorum ſe ſolicite accingit & excitare non deſinit vt bonis operibus amplius inſiſtant. De nocte ſurrexit cum ad operandum ſe poſt quietem præparauit, & ideo apte dicitur quod lucerna eius extinguatur in nocte, quia & cum à negotiis quieſcit actionis, vacat liberius contemplationi ſupernæ lucis, cumque à publicis ceſſat operibus, curat ſe ardentius vel auditui ſanctæ lectionis, vel laudibus mancipare diuinis, *hactenus Hieron.* & hoc exercitii genere ſeſe exercuiſſe Propheta Dauid teſtatur cum ait Pſalm. 62. *Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum in matutinis meditabor in te.* Stratum ſuum quietem ſuam dixit, *inquit Auguſt.* explicans hunc locum, vbi ſic habet, quando aliquis quietus eſt memor ſit Dei, ſi memor eſt Dei quando quietus eſt, in matutinis, hoc eſt in actionibus ſuis, *inquit*, quia omnis homo matutino tempore incipit aliquid agere, meditabitur in Deum. Qui autem quando eſt in ſtrato ſuo, quando eſt otioſus, non cogitat Deum; in actionibus ſuis cogitare Deum poteſt? Qui autem memor eius eſt quando quietus eſt, in ipſo meditatur cum agit ne in actionibus ſuis deficiat: Ideo ſubdit, *quia fuiſti adiutor meus*, hæc Auguſt. Hinc & Redemptor noſter, *inquit Gregor.* per diem miracula facit & prædicat, & de nocte in orationis ſtudio pernoctat, vt perfectis prædicatoribus innuat quatenus nec actiuam vitam amore contemplatiuæ penitus deſerant, nec contemplationis gaudia nimietas actionum ſupprimat: ſed quieti contemplatione ſorbeant, quod occupati erga proximum loquentes refundant, ſpeculando quippe in Dei amore ſugitur quod prædicando in proximi vtilitatem refunditur. *Hæc Gregor.*

Hier. in c. 31. Prou.

Greg. li. 6. mora. cap. 17.

5. ET hoc eſt, ni fallor, quod Eccleſiaſt. ait cap. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluant.* Flumina quæ rigant audientium corda, verba ſunt

...g. 10. ...oral. c. 3. ba ſunt prædicatorum, *inquit Gregor.* Ad locum vnde exeunt reuertuntur, quia ſanctiviri, etſi à conſpectu Domini, cuius claritatem mente intueri conantur, foras propter nos ad actiuæ vitæ & prædicationis miniſteriũ exeant, inceſſanter tamẽ ad contemplationis ſtudium recurrunt vt iterum fluant, vt & foris piis actibus & intus piis deſideriis nutriantur. Quomo- ...ser. 31. ...Cant. do & *Bernard.* ait. Si quando comperi profeciſſe aliquos veſtrum ex meis monitis inquit, tunc non me piguit, fateor, curam prætuliſſe ſermonis proprio otio & quieti contemplationis. Cum n. poſt ſermonem iracundus eſt mutatus in mitem, ſuperbus in humilem, puſillanimis in fortem, in ſua quiſq; gratia excreuiſſe; ſed & qui forte torpuerat & languebat circa ſpirituale ſtudium, ad ignitum eloquium Domini, referbuiſſe & euigilaſſe comperitur, non eſt dico vobis vnde ſubeat mentem, quaſi pro intermiſſo ſtudio iucundæ contemplationis, triſtitia, cum talibus fuero fulcitus floribus, & circundatus fructibus pietatis. Patienter auellor ab infœcundæ Rachelis amplexibus, vt de Lia mihi exuberẽt fructus profectuum veſtrorum. Nam hoc vera & caſta contemplatio habet, vt mentem quam diuino igne ſuccenderit, tanto interdum repleat zelo & deſiderio acquirendi Deo qui eum diligant, vt otium contemplationis pro ſtudio prædicationis libentiſſime intermittat, & rurſus potita votis aliquatenus in hac parte tanto ardentius redeat in id ipſum, quanto ſe fructuoſius intermiſiſſe meminerit, vt iterum ſumpto contemplationis guſtu valentius ad conquirendum lucra ſolita alacritate recurrat. Cæterum inter has viciſſitudines, plerumque mens fluctuat, metuens, *inquit Bernard.* ne forte alteri eorum, dum ſuis affectionibus hinc inde diſtrahitur, plus iuſto inhæreat & ſic in vtrolibet vel ad ...ser. 57 ...Cantic. modicum à diuina deuiet voluntate. *Hæc Bernardus.*

1. SI Paulo dicere licuit ad Philipp. 1. *Coarctor è duobus, deſiderium habens diſſolui & eſſe cum Chriſto, multo magis melius: permanere autem in carne neceſſarium propter vos.* Quanto maius B. Virginem tenuit beatitudinis deſiderium vt finita hac peregrinatione diuinis poſſet frui amplexibus? Id enim commune omnibus Sanctis in hac vita peregrinantibus vt quo beatitudinis bona penitius fuerint inſpecta & cognita, eo maiori deſiderij ſtimulo ferantur in ea. Vnde ſponſa can. 1. vt fragrantiſſimum ſuum deſiderium oſtenderet videndi in beatitudine ſponſum, orat. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Non quærit alia tempora, *inquit Origen.* quando veſpere, quando diluculo paſcit, illud tempus inquirit quando florente die, quando plena luce in Maieſtatis ſuæ ſplendore verſatur. Me[illegible]o ſponſa inhiat loco pacis, quietis, & ſecuritatis, inquit Bernard. *ſerm. 33. in Cantica*, ſed & paſcuæ, & exultationis, & admirationis, & ſtuporis. Quis enim non illic vehementer cupiat eſſe, vbi nihil formidatur? Cubatio enim magnæ ſecuritatis indicium eſt: Quis non illic vehementer cupiat paſci, vbi nihil faſtiditur, nihil deficit, vbi omnia delectant & ſatiant? Scribit *Hieron.* de Paula fœmina ſanctiſſima & prudentiſſima, quod cum ſentiret adeſſe mortem, & nihilominus quaſi ad ſuos pergeret, alienoſque degereret, læta cantabat: *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus, quando ueniam & apparebo ante faciem Dei?* Sed & hos verſiculos, ſuſurrabat inquit, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.* Poſt hæc obmutuit, *inquit* & clauſis oculis quaſi iam mortalia deſpiceret, vſque ad expirationem animæ eoſdem repetebat verſiculos, vt quod dicebat vix audire poſſemus. *Hæc ibi.*

II. B. V. magno deſiderio petiit diſſolui & eſſe cum Chriſto filio ſuo.

Orig. ho. 1 in Cantic.

Hier. epi. 27. tom. 1.

2 SED & ſi quis hodie noſtrum extinctis vitiis igneſcat in deſiderium diuinæ contemplationis, *inquit Hieron.* poteſt & ipſe dicere, Deſiderat anima mea ad te Deus, hoc eſt relicto ſæculo ad te deſidero tranſire, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? ac ſi diceret, quando erit tempus vt illa gloria, qua efficiuntur Sancti conformes gloriæ tuæ, ego fruar & in claritate cum illis appaream? Heu me miſerum, heu longe agentem & de longe ſalutantem promiſſionis terram lacte & melle manantem. En ipſa eius recordatio ad lachrymas prouocat, iuxta vocem dicentium Pſalm. 136. *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus dum recordaremur tui Sion.* Nam dum ſancta quæq; anima Chriſti præſentiam ſuſpirat, regni dilationem moleſte fert, deſideratam patriam gemitibus & ſuſpiriis inhabitare quærit: iuxta illud Pſalmiſtæ, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus?* Iis ſe reficiebat & confortabat. Non dicit, *inquit Auguſt.* explicans illum locum, *fuerunt mihi lachrymæ meæ* potus, ſed fuerunt mihi *panes*, vt quo amplius ex iis comedebat, eo amplius ſitiret, non ipſas lachrymas ſicut ſitientes potum ſitire ſolent, ſed Deum fontem viuum, nec deſiderij ſui odorem comedendo reſtinguebat, quin potius magis inflammabat, ſed tum demum ſatiabitur cum apparuerit gloria illius. Hic deſideratur & oratur, *inquit*, ibi capitur & laudatur: hic Pſalmiſta ait, *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Felix ille defectus inquit *Aug. explicans hunc locum conci.* 20. non veniens ex infirmitate animi, ſed ex fortitudine deſiderij: bonus iſte defectus, indicat enim vehemens deſiderium boni nondum quidem adepti ſed auidiſſime concupiti. Sed quis hoc dicit, *inquit*, niſi genus electorum & gens ſancta? Ab origine generis humani vſq; ad huius ſeculi finem deſiderant Sancti Chriſtum, nec quieuit tunc deſiderium ſanctorum, nec nunc quieſcit in Eccleſia vſq; ad terminum ſæculi donec veniat deſideratus cunctis gentibus. Cum autẽ ſubiungit Propheta, quando conſolaberis me? Moras ſe pati oſtendit, quia ſpatium temporis etiam quod ſubuenienti breue eſt, longum eſt amanti. Et ideo fit hæc dilatio vt dilata iucunditas dulcior veniat, & deſiderium excreſcat, & deſiderando capax efficiaris, vt cum venerit quod videre deſideras, impleâris. Sicut enim ſi velles aliquem implere ſinum, *inquit Auguſt.* & noſti quam magnum eſt quod dabitur, extendis ſinum vel ſacci vel vtris vel alterius rei, & extẽdẽdo facis capaciorem. Sic Deus differendo extendit deſiderium, & extendendo facit animum capaciorem. Qui minorẽ ſe ſentit ad capiendum quod oculus non vidit, deſiderando ſe extendat: hæc eſt enim vita noſtra vt deſiderando æterna exerceamur. *Hactenus Aug.* Extenditur autem animus deſiderando quod oculus non vidit, cum in terrenis deficit deſideriis, & cum Propheta dicit, & à te quid volui ſuper terram?

Hæc Bern. ſerm. 33. in Cant.

Pſalm. 41.

Pſal. 116.

Tract. 4. in Ioan. ca. 1.

3 SÆPE beatitudinis ingentia bona meditor, *inquit quidam*, & illuc aſcendere nitor, ac votis eo tendo, mens adhæret Chriſto, condelectatur in eo iam tanto dulcius, quanto ſæpius, auiditate quidem multa, ſed ſatietate nulla, & exclamo ingemiſcens, ô ſi illum deſiderabilem mihi videre contingat, in quem deſiderant & Angeli proſpicere. Quando videbo ciuitatem illam, cuius portæ nitent margaritis, cuius plateæ ſtratæ ſunt auro mundo, vbi canitur canticum lætitiæ per omnes vicos & plateas. Sicut lætantium omnium habitatio eſt in ea. Bonarum & pulchrarum rerum naturaliter cupidi ſumus, inquit Baſil. *in reſpon. 2. interrog. in regu. fuſi. diſp.* & cum nemo bonus niſi ſolus Deus, & dilectus meus cãdibus ſit & rubicundus electus ex milibus, vt loquitur ſponſa in canti. certe nulla eſt acrior vis dilectionis ſeu amoris, quã ſit ipſius Chriſti, ſi modo vel mediocri ipſum pro ſua bonitate, dignitate & pul-

& pulchritudine dilexerimus. Sunt enim ineffabiles penitus & inæſtimabiles diuinæ pulchritudinis fulgores non oculis carnis ſed mentis, conſpiciendi, qui tam acre & intolerabile animæ à vitiis purgatæ ſui deſiderium infigunt, vt dicere cogatur, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* Vnde auctor *libri de ſpiri. & an.* ſemetipſum excitans ait, eia anima mea erige te, tecumque perpende quantum ſit, quamque delectabile bonum Dei, quod continet in ſe iucunditatem omnium bonorum. Si bona eſt vita creata quam bona eſt vita creatrix? Si iucunda ſit ſapientia quę hauritur ex cognitione rerum creatarum, quam amabilis & delectabilis ſapientia illa quæ ſapienter omnia creauit? Si magna inſit delectatio rebus delectabilibus huius ſeculi, quanta eſt delectatio in illo qui fecit hæc delectabilia? Si voluptas afficit, ibi torrente voluptatis ſuæ potabit ſuos Deus noſter. Si poteſtas, ibi introibunt in potentiam Domini: & omni potentes erunt quodammodo ſua voluntate ſicut Deus ſua: Nam ſicut poterit Deus per ſe ipſum quod volet, ita poterunt Sancti quod volent per illum. Si delectat honor, ſi diuitię Deus erit eis hæc omnia, quem ſine fine glorificabunt, ſine faſtidio ſemper amabunt, & ſine fatigatione in perpetuum laudabunt. Si Deus tam multa condidit in hac mortali vita ad hominum neceſſitatem, vtilitatem & delectationem, quæ tamen omnia miſerorum ſunt damnatorumque ſolatia, non beatorum præmia, *inquit Auguſt.* quæ & quanta erunt illa bona, quæ erunt beatorum præmia? Quanta erit illa fælicitas, vbi nullum eſt malum, & nullum deerit bonum: vbi verus honor, qui nulli negabitur digno, & nulli defertur indigno: vbi laudantis nec ore quiſquam nec adulatione laudabitur, quia præmium virtutis, quod eſt honor & gloria, erit ipſe qui virtutem dedit, qui & ſe ipſum quo melius aut maius nihil

Aug. li. 22. de ciui. ca. 29. & 30.

eſſe poteſt, in mercedem promiſit cum dixit ad Abraham, *Ego merces tua magna nimis.* Atqui id etiam beata ciuitas illa magnum in ſe bonum videbit, quod nulli ſuperiori vllus inferior inuidebit, ſed congratulabitur & congaudebit. Sicut in corpore non vult oculus eſſe qui eſt digitus, cum membrum vtrumq; contineat totius corporis pacata compago, ſic habebit donum alius alio minus, vt hoc quoq; donum habeat nec velit amplius.

4 QVOD ſi Regina Saba cum vidiſſet ſapientiam Salomonis & domum quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & reliqua quæ referuntur 3. *Regum* 1. ſpiritum vltra non habuerit, & ad Regem dixerit, *Verus eſt ſermo quem audieram in terra mea ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus, donec ipſa vidi, quod media pars mihi nunciata non fuerit, maiora enim ſunt opera tua & ſapientia tua, quam rumor quem de te audiui.* Quanto magis, *inquit Auguſtinus,* cum omnis anima ſancta cœleſtem Ieruſalem fuerit ingreſſa, multo plura & magnificentiora perſpiciet, quam ei ſunt in hac terra per ſacra eloquia, per Prophetas atque Apoſtolos nunciata: Tunc beata anima inter ſtupendas remuneratoris ſui conſtituta diuitias, dicere poterit, verus eſt ſermo quem audiui de te, & probaui quod media pars mihi nunciata non fuerit, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.

Augu. ſer. 153. de tẽpo.

5. DVLCE quidem eſſe videtur & iucundum gaudiis intereſſe vitæ huius, ſed ei, *inquit Gregor.* qui adhuc de cœleſtibus gaudia nulla guſtauit: At ſi quiſpiam iam cordis ore guſtauerit quę ſit illa dulcedo præmiorum cœleſtium, huic quanto dulcius fuerit quod intus ſentis, tanto magis in amaritudinem vertitur omne quod foris delectat: & quamdiu illud quod deſiderat per ſpeciem nondum habet aut videt, flere lubet magis quam

Greg. hom. 10. in Ezech.

quam gaudere, quia quanto clarius æterna bona cognoscimus, tanto magis nos in huius exilij miseria esse dolemus, quia quando bona cœlestia sapere incipiunt, animo vilescunt omnia quæ habentur in terris. *Hæc Gregor.* Sed sunt nonnulli qui regnum cælorum concupiscere se dicunt, verum eorum per quæ assequi illud licet, nullam curam habent, nullum laborem pro mandato Domini subire volunt, *inquit Basilius*, æquales tamen honores ac præmia cum his, qui vsq; ad mortem peccatori restiterant, in vanitate mentis suæ sibi compromittunt. Quis in tempore sementis domi desidens aut dormiens, instante messe sinum manipulis implebit? Illorum sunt fructus quorum & labores, præmia & coronæ eorum qui vicerunt, sunt: Nemo enim coronabitur nisi qui legitime certauerit. *Hæc Basil. in procemio lib. in regu. fus. disp.*

III. Magno cũ gaudio & triumpho assumpta fuit B. Maria in cœlum.

1. SECVNDVM multorum opinionem, inter quos *Baronius*, post Christi Domini ascensionem 24. annis sancta virgo in corpore mortis huius detenta fuit, cumq; 72. esset annorum in cœlum assumpta est: licet alij arbitrentur quod anno 63. ætatis suæ ab hac vita recesserit, quindecim annis à Christi ascensione elapsis: sicut Leo decimus in quodam diplomate dato Florentiæ 18. *Februarij Anno* 1516. asserere videtur: ita vt hac de re nihil certi sit determinatum ab Ecclesia. Tempore gloriosæ illius dormitionis ferunt dispersos per orbem Apostolos momento temporis diuinitus Hierosolymam cõuenisse, eiusq; exitum Angelorum concentu & hymnis dulcisonis honoratum, pari gaudio & alacritate ab Apostolis celebratum fuisse: Nec id mirum, quia honor maternus eius est qui natus est ex ea. Sacratissimum autem corpus eius munda inuolutum syndone, & arcæ reuerenter inclusum, inclytis Apostolorum humeris in prædium Gethsemane delatum est, ibidemq; summa cum reuerentia in monumento positum, vbi tres dies cõtinuos cœlestes hymni, Apostolis de more Ecclesiæ iusta ei soluentibus, auditi sunt. Tertio vero die vnus Apostolorum qui forte tum præsens non erat, superuenit, voluitq; insita animi pietate, aperto monumento, corpori debitos deferre honores, & parem cum reliquis cultum exhibere. Sed cum loculum aperuissent, syndonem quidem honeste compositam viderunt, corpus autem nequaquam inuenerunt, sed ineffabilis quædam odorum suauitas ad omnium nares permanabat, ita vt hinc certo collegerint, vt cui placuisset ex virgine nasci, eiusq; virginitatem incorruptam post partum seruare, ei quoq; visum esset intemeratum eius & impollutum corpus ante communem resurrectionis diem ad cœlos honorifice transferre. Testatur & *Hieron. in epist. ad Paulam & Eustochi. to. 9.* quod sepulchrũ Mariæ cernentibus nobis, *inquit*, vsq; ad præsens in vallis Iosaphat medio, quæ vallis est inter montem Sion & montem Oliueti sita, vacuum monstretur, in quo sepulta fuisse B. virgo Maria ab omnibus prædicatur.

2 OMNINO credibile est ipsum Saluatorem omnium, ipsamque Angelorum militiam cum suis agminibus festine obuiam venisse Reginæ cœli ac genetrici Dei, eamq; ingenti lumine hodierna die circumfulsisse & ad summũ gloriæ thronum supra omnes Angelorum choros euectam esse. Namquanquam Angelorum celsior sit natura, non tamẽ gratia maior: ex quo enim mater Dei esse meruit, ampliora virtutum priuilegia obtinuit & maiorem claritatis æternæ consequuta est gloriam, quanto enim virtute extollitur ad sublimia, tanto clarior eminet in gloria, ita vt eius claritatem, sublimitatem, pulchritudinem & gloriam inter omnes filias Ierusalem admirentur etiam Angeli & Archangeli, & admirabundi exclamẽt, *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Quis cogitare sufficiat, *inquit Bernar.* cum quanto honore, cum quanto exultatione, cum quanta gloria hodie B. vir-

B. Virgo Regina cœli & mater Dei filio in regali solio fuerit sublimata? Quis enarrabit, quam gloriose hodie processerit Regina mundi? cum quãto cordis iubilo tota in eius occursum cœlestium legionum prodierit multitudo? Quibus ad thronum gloriæ sit deducta canticis? quam placido vultu, quam serena facie, quam diuinis amplexibus suscepta à filio? cum eo honore certe quo tanta mater digna fuit, & cum ea gloria quæ tantum decuit filium. Quantum enim gratiæ adepta est in terra præ cæteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ præ singulis. Sed de eius gloria nec silere deuotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut ineruditi potest locutio parturire. Non est quod me magis delectat, *inquit Bernardus* quam de virgine loqui: sed nec est quod terreat magis quam de gloria virginis ac Reginæ huius habere sermonem, ne si minus quam si dixero minor esse putetur. Quid ni minus dicam? quæ enim vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri & habitaculum filii Dei?

[margin: Bern. ser. de assump.]

[margin: Ber. ser. 4. de assump.]

3. MARIÆ præsentia & gloria totus illustratur orbis, adeo vt & ipsa iam cœlestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Merito proinde resonat in excelsis gratiarum actio & vox laudis. Sed nobis plangendum potius, quã plaudendum esse videtur, *inquit Ber.* quãtum enim de eius præsentia cœlum exultat, tantum hic mundus inferior eius absentiam lugeat. Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis hic est manens ciuitas, sed eam inquirimus ad quam hodie Maria benedicta peruenit. In quam si cõscripti ciues sumus, dignum profecto est etiam in exilio eius nos recordari, eius communicare gaudiis, participare lætitiam, maxime eius quæ tam copioso fluminis impetu hodie lætificat ciuitatem Dei, vt sentiamus & ipsi stillantia stillicidia super terram, & ideo laudent alii profundam humilitatem tuam, quam respexit Deus ô virgo benedicta, mirentur candidam & puram cum materno honore tuam virginitatem: extollant tuam innocẽtiam cum tantæ gratiæ plenitudine, celebrent tuas laudes, gloriam & honorem. Nos quidem seruuli tui miseri misericordiam cantabimus & psallemus tibi, quia misericordia miseris sapit dulcius. Ad hanc igitur toto animi desiderio miseria nostro recurrat, vt reis veniam, ægris medelam, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium & liberationem sanctis tuis precibus obtineat. *Hæc Bern.*

PARS II.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Luc. 10.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Quisque in sua vocatione Deo seruiat, & actioni meditationem internam iungat.*

II. *Quæ opera sint vita actiua, & quod labor sit vtilis.*

III. *Cur sit melior vita contemplatiua quam actiua.*

IV. *Variæ species contemplationis, & quæ conditiones ad eam requirantur.*

ART. I. Quilibet in sua vocatione seruire debet.

1. MARTHA *Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnũ est necessariũ. Maria optimam partem elegit*) per has duas sorores intelligitur duplex status hominũ Deo seruientium: quorum alii actiui, alii contemplatiui dicuntur: illi per Martham, hi per Mariam designantur. Illi operibus misericordiæ incumbunt, dum Christum in suis membris excipiunt: Hi & orationi qua mundãtur, & lectioni qua instruuntur, & meditationi qua lecta reuoluunt, & contemplationi qua nudã veritatem

ritatem intuentur, incumbunt. Hæc sedere dicitur quia quieta est mente & corpore, vt in mansuetudine animi verbum Dei suscipiat quod potest saluare animas nostras: illa externis occupationibus obruitur ideo minus est idonea vt verbo Dei intẽdat quod in animi quiete suscipi debet, neq; tamen iubet Dominus vt Maria Martham iuuet suum opus deserendo: neq; vt Martha suum ministerium deserat, & cũ Magdalena sedeat ad pedes ipsius & verbum eius audiat, quia quisq; in ea vocatione cui magis aptus est, & ad quam vocatus est Deo seruire debet: est & ministerium Marthæ necessarium Deoque acceptum, quamuis opus Magdalenæ sit magis dignum magisq; meritorium. Et Deus est qui suorum ministrorũ officia distribuit, & cuique secundum virtutem suam
Matth. 25. propriam, *teste Matthæo*, sua bona tradit. Et parum refert quid quisque officii sortitus sit, sed multum refert quam bene illud administret. Vt enim in comœdia rustic^s qui suas probe peragit partes Regi præfertur ignauo, qui suam personam suasque partes male agit, sic in hac Christi palæstra vnus Diaconus Laurentius summo præfertur Pontifici Sixto: sic enim ipse Sixtus testatur cum ad Laurentium ait, Non ego te desero fili, neque derelinquo, sed maiora tibi debentur pro fide Christi certamina: nos quasi senes leuioris pugnæ cursum recipimus, te autem quasi iuuenem manet gloriosior de tyranno triumphus, post triduum me sequeris sacerdotem Leuita.

2. SVNT qui magis ad actionem quam ad contemplationem conueniunt: Qui si officio minus digno deputati fuerint (neque enim vita actiua licet magis sit laboriosa istius est dignitatis aut etiam meriti cuius est contemplatiua) cæteris qui in quiete & contẽplatione Deo seruiunt, nõ inuideant, non carpant nec detrahant, tanquam quod otiosi desideant dum contemplationibus intenti sunt, aut orationibus suis vacãt, quia bonum est Deoque gratum etiam id quod hi agunt. Sicut enim membra vnius corporis non omnia eundem actum habent, vnum tamen alteri subseruit ac necessarium est, ita & in Christi corpore quod est Ecclesia fieri necessum est: *Si totum corpus esset oculus*, inquit Paulus, *vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? Quod si essent omnia vnum membrum vbi corpus?* Ita nec omnes contemplationi, nec omnes actioni deputari possunt, sed vnus alterius opera opus habet ac necessario requirit sicut manus officio pedum & oculorum, & oculi ministerio egent manuum ac pedum. Hoc tamen genus vitę quod proximorum miseriis subleuandis impenditur, quodque actioni deputatur, non prorsus contemplationis expers esse debet, sed aliquo studio sanctarum orationum aut meditationum oportet quod iuuetur, ne videlicet homo externis operibus semper intentus & occupatus, & cum hominibus seculi assidue versans, rubiginis nimium ex humanæ vitæ consuetudine contrahat, si internis omnino deuotionis officiis vacuus existat: facile enim interno spiritu, & pietatis affectu euacuatur ac omni deuotione destituitur, qui totus ad externa dilabitur. 1. Cor. 12.

3. RECTE sorores dicuntur Martha & Maria, quia fraterna electione inuicem sibi iunguntur actiui & contemplatiui, sibique mutuo per charitatem subsidio esse debent, mutuat enim vita actiua suum vigorem à contemplatiua, & contemplatiua vicissim ab actiua opem vitæque subsidia postulat. Nec potest Christianæ vitæ perfectionem attingere quisquam, qui vel propter contemplationis studia operanda negligit, vel propter operationis necessitatem contemplanda postponit. Qua in parte multum delinquunt ii qui adeo se totos immergunt manuariis occupationibus, vt potius se corporis quam animæ causa natos putent. De quibus Ecclesiastes ait, *Reperi aliam afflictionem sub sole, vnus est & secundum non habet, tamen laborare non cessat, nec recordatur dicens, cui laboro & fraudo animam meam?* Ne itaque Eccl. 4.

per

per externas huiusmodi occupationes anima detrimentum patiatur, cor sępius ad Deum leuandum, quem & in externis operibus præ oculis habere debet, cum deprecans vt & per externa opera suam salutem promouere possit: Ad hoc nos adhortatur nos Sapiens cum ait, *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Prou. 3.

Et id ipsum est cuius admonet Martham Dominus dicens, *Martha Martha sollicita es & turbaris erga plurima, porro vnum est necessarium*, quasi dicat plus iusto sollicita es & turbaris, nam quanquam necessariũ & vtile sit tuum ministerium, eo quod & corporis indigentiæ satisfacere oporteat, modum tamen hic obseruare decet, quia animus dum externis occupationib. immodice obruitur, minus est idoneus vt verbo Dei intendat, quod animo quieto & tranquillo suscipi debet. Et ideo subdit Dominus, vnum est necessarium, nimirũ vt mente Deo adhæreas & per cognitionẽ & amorem illi intenta sis, nec vnquam fieri possit mentis oculos ab eo auertas, sed cum Propheta dicas, *Prouidebam Dominũ in conspectu meo semper.* Id quod natura duce pullos gallinarum & fœtus equorum cæterorumque animantium facere videmus, vt quocumque matres perrexerint eo sequantur & pulli, nec ab earum latere se diuelli patiantur. Cum enim nullum sit momentum quo homo non fruatur Dei beneficio, in ipso enim viuimus, mouemur & sumus, nullum debet esse momentum, quo eum in memoria non circumferamus præsentem inquit Hugo: sicut lumen solis vndique circumcingit nos, & quocumque nos vertimus, lumen cernimus, ita Deus qui vbique est, nobis semper præsens est, *Quo ibo à spiritu tuo*, inquit Psalmista, *& quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades. si sumpsero pēnas meas diluculo & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me.* Æquum certe vt si ipse nobis semper præsens sit, eum quoque semper præsentem cogitemus, nihilque cogitemus, dicamus aut agamus quod ipsum videre non velimus. Psa. 19.

4. PORRO illud vnum quo in Deum semper intendamus & per cogitationem, cognitionem & amorem indissolubili charitatis vinculo ei adhæreamus, ad veram salutem consequendam ita est necessariũ, vt cætera quæ corporis necessitati subseruiunt, vt edere, dormire, operari & similia vix necessaria putentur, si ad hoc vnum conferantur, vt enim stellæ soli comparatæ lucidæ non apparent sed obtenebratæ videntur, ita ea omnia quæ ab hominibus necessaria putantur, si cum hoc vno necessario comparentur, necessitatis nomen amittere videntur. Estque in hunc vnum finem homo à Deo conditus atque creatus, à quo si ipsum aberrare contingat, non fuisse natum præstiterit. Itaque non sic actuosus quisquam esse debet vt contemplationem non requirat Dei, neque sic otiosus, *inquit August.* vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi: Si otium sanctum quærit dilectio veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis, vt neque propter operationis instantiam contemplanda postponat, neque propter contemplationis studia operanda negligat: Sed sicut Dominus de die concionabatur & miracula faciebat, de nocte vero orationibus vacabat & contemplationibus, *erat enim pernoctans in orationibus*, inquit Lucas. Ita sancti omnes etiamsi terrenis deseruire cogantur occupationibus studiose tamen ad cordis secreta refugiunt, vt quieti contemplantes hauriant, quod in proximos occupati refundant. Sic Moysen fecisse legimus, qui tabernaculum ingressus Dominum consulebat, eiusque voluntatem suis orationibus & meditationib. indagabat, vt quid agendum aut præcipiendum erat foris, silenter audiret intus, *inquit Gregorius.* Luc. 6. lib. 2. mor. cap. 23

5. INTER opera quæ ad vitam referuntur actiuam, quædam talia sunt quæ mẽtis meditationem simul admittunt, vt se mutuo hæc duo nequaquam impediant:

Quemadmodum enim futores aut agricolæ dum manibus operantur mente reuoluunt subinde alia ab iis quæ agunt, dum aut cantillant, aut cum aliis fabulantur; An ignoramus, *inquit August.* opifices quibus voritatibus & plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda & linguas suas, cum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit ictuum Dei manibus operantem in lege Dei meditari & psallere nomini Domini altissimi? vt hymnis spiritualibus tanquam diuino celeumate (est autem celeuma cantus nautarum quo se mutuo ad laborandum excitant) se consolentur, ipsumque laborem mitigent? *hæc August.* Itaque quisquis vtiliter & pie operari voluerit, in suis laboribus & manuum operibus cor sæpius ad Deum leuare assuescat, & modo piis precibus, modo meditationibus mentem renouet, ne plus æquo illis inuoluatur & occupetur, sed vtrique operi & actioni externæ & meditationi internę simul insistere discat: quod haud dubie tunc facilius poterit quando actio externa internam non requirit mentis intentionem. : & in iis operibus homo minus impedimenti patitur salutis suæ, quia vtrique operi simul satisfacere valet, vt mente quidem Deo rebusque vacet diuinis, manibus vero opus peragat. Sic Iacob, Moyses & alii Prophetæ atque Patriarchæ simul aut oues pascebant, aut rus colebant, & etiam Deo rebusque diuinis intenti erant. Sunt alia opera quæ totum occupant hominis animum, mentisque exactam requirunt attentionem, sicut qui pingunt, qui scribunt, qui computant, qui componunt, & id genus alii, qui quia minus commode & rerum diuinarū meditationi, & terrenæ negotiationi simul insistere queunt, nonnunquam sese à suis negotiis subtrahere debent, tempusque certum sibi deligere quo orationibus vacent, aut meditationibus incumbant, ne toti foras effusi & occupati intus spiritu Christi & gratia Dei penitus euacuentur. Nam si istud vnū desit cætera quid proderunt? *Si lucretur homo vniuersum mundum*, inquit Dominus, *animæ vero suæ detrimentum patiatur quid prodest illi?* Mar. 8. In eum competit quod Isaias ait, *Telas aranearum texuerunt sibi:* Isa. 59. Sicut enim araneus suo se consumit labore dum tela texit vt muscas miseram prædam capteτ, quæ miro artificio & subtilitate ac magna sedulitate conficit, licet ea ventus minimo negotio dispellat: sic qui nimium inhiat fluxis bonis quæ magna industria magnoq; labore sibi conquirit, stulto labore se consumit & facillime perdit. Inanis est enim omnis labor qui non refertur aut conducit ad vitam æternam. Et de istiuscemodi hominibus sic ait Scriptura, *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Luc. 12. *Sic est, inquit Dominus, qui sibi thesaurizat & non est in Deum diues.* Hoc igitur tibi statuito vt cogites omne tibi periisse tempus quod virtuti non impenderis.

II. Quæ opera sint actiua vitę.

1. SVNT duplicis generis opera quæ ad vitam actiuam referri solent: Primo opera atq; exercitia virtutum moralium quæ magis in actione quam cognitione consistunt atque finiuntur, hoc est, quorum finis est actio non cognitio, quia parum profuerit illa scire, nisi contingat & facere. Inutiliter, *inquit August.* meditatur legem Dei qui laborat vt memoria teneat quod actione non implet, scientia enim boni adhoc quæritur vt agatur non vt sciatur solum, quia non frustra dicitur, *Doce me facere voluntatem tuam*, sic doce *inquit*, vt faciam non tantum vt sciam. Psal. 142. Quanquam aliqua sunt quæ ideo discimus vt tantum sciamus, plura tamen sunt quæ discimus vt faciamus: Mallem sentire compunctionem, & dilectionem quam scire earum definitionem: Mallem esse patiens, temperans, prudens, castus, humanus, benignus, quam harum virtutum tractatum exacte nosse, quia qui scit voluntatem Domini sui & non facit, vapulabit multis. Et hęc vita actiua tantum habet laudis & meriti, vt in extremo iudicii

die

die cœleſte regnū miſericordiæ operibus, quæ ad vitam actiuam pertinent, tribuendum eſſe iudex ipſe dicturus ſit, *Percipite regnum*, inquit, *eſuriui enim & dediſtis mihi manducare*.

2. Secvndo ad hanc vitam actiuam referri poſſunt omnia opificia, mercatura, agricultura, artes mechanicæ & ſimiles actiones: quæ quamuis per ſe non niſi vitæ præſenti ſubſeruiant ad victum acquirendum & diuitias congregandas, nobiſque cum gentibus communia ſint: quatenus tamen intentione agentis vlterius referuntur vt per ea quis Deo ſeruiat & proximo ex caritate proſit: etiam futuræ vitæ ſubſeruiunt, & virtutum exercitia ſuo premio & mercede digna fieri poſſunt. Hinc in quolibet opificio per ſe bono & honeſto Sanctos fuiſſe legimus: S. *Iuo* iuriſperitus qui cauſas pupillorum & viduarum gratis & intuitu amoris Dei defendendas ſuſcipiebat & defendebat, per hoc ad ſanctitatem deueniſſe & gloriam perpetuam meruiſſe legitur: Item *Coſmas* & *Damianus* fratres nobiles medici, hanc ſuam artem medendi ægrotis ita exercebant; dum Chriſtiani eſſent, vt gratis ægrotos curando ad ſummam ſanctitatem & tandem ad martyrium peruenerint. Sanctus *Claudius, Nicoſtratus, Symphorianus* & *Caſtorius* ſculptores erant Romani Diocletiano Imperatori multum grati, ſed clā Chriſtiani, ita vt numquam Deorum ſimulachra ſculpere voluerint, ſed operib. ſuis ſculptilibus ſemper crucis ſigno conſignatis ac benedictis fabre admodum ſculpebant opera ſua vniuerſa, Id cum aduerteret Simplicius qui & ipſe ſculptoriæ artis erat, eos per Solem adiurauit, erat enim adhuc gentilis, quiſnam Deus eſſet per quem tam polite operabātur: qui ab iis inſtructus factus eſt & ipſe Chriſtianus, & paulo poſt omnes à Diocletiano ſupplicio affecti eo quod Deos adorare eorumque ſimulachra ſculpere nollent. Sanctus *Seuerus* vir coniugatus victum ſuum arte textoria lucrabatur, qui poſtmodum indicio columbæ tanquam miraculo diuinitus dato fuit in Epiſcopum electus. Sanctus *Criſpinus* & *Criſpinianus* Roma oriundi propter perſecutionem Diocletiani in Franciam fugientes arte ſutoria victum quæritabant & martyrium ſubierunt. Beatus *Gitzelinus* ſubulcus fuit & cum galero paſtorali & duobus porcis pingitur, qui cum quodam tempore viſitare vellet Eccleſiam B. Mariæ Aquiſgrani, fertur pecora ſua Domino Ieſu commendaſſe, eoque abſente conuicaneos cōſpexiſſe aliquem qui in eius ſpecie abſentis vices ſuppleret, ſic *Molanus*. Sanctus *Guido* vt opilio, bubulcus, & arator pingitur, habet enim in manu pedum, ad pedes oues, boues & inſtrumentum triangulum ligneis dentibus diſtinctum, ſeu raſtrum, quod teutonice *egghe* dicitur, qui Anderlaci iuxta Bruxellam multis claret miraculis. Sancta *Brigida* virgo (non illa Brigitta vidua reuelationibus illuſtrata) humilis ancilla quæ vaccas mulgebat & cuſtodiebat inuenta eſt ſancta, nec ex tam vili ſuo miniſterio ſanctitatis vllum paſſa eſt detrimētum. Bene itaque nos monet Paulus ad
Corinthios, *Vnuſquiſque in qua vocatione* 1. Cor. 7.
vocatus eſt, in ea permaneat: Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ. Sed & ſi potes fieri liber, magis vtere: tanquam diceret, conditionē ad quam vocati eſtis, aut in qua vocati eſtis, aut in qua vocati eſtis, bonis veſtris operibus ſanctificate & honorate, neque eam facile mutetis etiam ſi poſſitis, ne offenſæ occaſionem, aut inſtabilitatis ſuſpicionem alicui detis. Hoc tamen vt dictum eſt diligenter attendat qui ad opera exteriora euocatur ne ſe totum in ea effundat, tunc enim ſpiritum pietatis haud dubie ſuffocabit: quod iis facile contingit qui in ſuis operibus quæſtui nimis ſunt intenti, aut quibus ſua opera nimis arrident, vt induſtriis artificibus accidere ſolet: qui non quærunt primo regnum Dei & iuſtitiam eius.

3. Ne itaque pietatis prætextu otium quæramus aut ſectemur & ſegnitiem foueamus, nam labor manualis homini & vtilis eſt, & neceſſarius non ſolum

lum propter vitæ alimoniam ſed etiam propter pietatẽ: iuxta illud Pauli ad Epheſios, Ephe.4. *Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti:* vt habeat, inquit, non ſolum vnde viuat, ſed etiam vnde pauperibus eleemoſynas faciat. Neque exiſtimet quis quando fit in alimoniam pauperum, ſe aliis & non ſibi laborare & fruſtra abſque vlla vtilitate laborem ſuum inſumere, 1.Ti.6: eſt enim quæſtus magnus pietas, teſte Paulo, *promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt & futuræ*, vt plus emolumenti ſis inde reportaturus ſi pio affectu in vſus pauperum tua erogaueris, quam ſi annuos redditus inde tibi comparaueris, quia alter fructus æternus eſt hic vero temporalis. Et ab hoc Acto:9. opere commendatur *in Actis* illa Tabitha bonis operibus & eleemoſynis plena, quod tunicas & veſtes faceret viduis, quas oſtendebant Petro. Notanter autem dicit hic Paulus, operando manibus ſuis quod bonum eſt, quia ſunt quædam opificia nõ vſque adeo bona ſed multis periculis plena, quæ magis ſubſeruiunt hominum curioſitati, cupiditati aut turpi lucro, quã neceſſitati aut honeſtæ vtilitati, vt ars hiſtrionum, ſaltandi, digladiandi & ſimiles: à quibus homini Chriſtiano abſtinendum. *Secundo* vtilis eſt labor corporeus ad tollendum otium, ex quo pullulat omne Eccl.33. malum, iuxta illud Eccleſiaſtici, *Mitte ſeruum tuum in operationem ne vacet, multam enim malitiam docuit otioſitas*: Ad carnis concupiſcentiam refrenandam & cætera vitia edomanda: eſt etiam in pœnam peccati homini inflictus vt per eum diuinæ iuſtitiæ pro peccatis à ſe commiſſis ſatisfaciat, ſic enim Dominus ad Adamum: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.*

Et hac de cauſa volebat S. Benedictus operari manibus ſuos Monachos etiamſi de victu eis abunde prouiſum eſſet, nimirum vt diuinæ ſententiæ contra genus humanum latæ ſatisfacerent: Et hac de cauſa tenentur etiam diuites operari, non quidem arando aut fodiendo, ſed ſapientiã addiſcendo vt idonei ſint cõtrouerſiis dirimendis & cauſis diiudicandis, quod eſt officium Magiſtratus.

MARIA *optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea.*) III. Quia in ea actione verſatur ad quam præcipue homo à Deo conditus eſt: Cur vita contemplatiua ſit melior Actiua. externa ſiquidem omnia atque adeo totus hic mundus quem oculis vſurpamus, ad humani corporis obſequium pertinent: corpus vero propter ſenſus datum eſt, vt per eos magnifica Dei opera contueri & ſentire poſſimus: ſenſus vero menti & intellectui deſeruire debẽt, dum varias ei rerum differentias repræſentant, in quibus ipſe philoſophari queat. Porro mens ipſa in qua intellectus ineſt & voluntas, ad hoc nobis eſt conceſſa vt ex iis quæ ſenſuum miniſterio deprehenderit, in conditoris ſui cognitionem & amorem aſſurgat, ad quod officium homo ipſe conditus eſt. Vnde & Philoſophi ipſi in hac contemplatiuæ vitæ actione humanam felicitatem & ſummum hominis bonum poſuerunt: quamuis neque ſupernaturalem eius beatitudinem, neque ſupernaturalia Spiritus ſancti dona naturali rationis lumine agnoſcere potuerint. Nos autem fide inſtructi ſupernaturalia Spiritus ſancti dona adiungi debere agnoſcimus: quibus & intellectus noſtri acies dono ſapientiæ illuſtretur, & voluntas caritatis ardore accendatur: quibus hæ duæ ſupremæ animæ noſtræ vires nobilitantur & perficiuntur, vt his veluti alis ſubleuatæ, ad diuinæ pulchritudinis ſpeciem contemplandam attollantur: quia proprium ſapientiæ opus eſt diuina contemplari: Sapientia autem præſtantiſſimum Spiritus ſancti donum eſt, ergo & illud opus præſtantiſſimum eſt quod ab ea proficiſcitur. Atque hinc huius vitæ dignitas aperte colligitur, quia id agit in terra quod beatæ mentes ſemper agunt in cœlo. Vnde cum multa virtutum officia ſimul cum vita finiantur, hoc tamen munus & officium tunc perfectius inci-

incipitur, in hac vita finitur. Vt enim Apostolus ait, *Caritas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue scientia destruetur: ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* 1. Co.13.

Prophetiæ in futuro seculo cessabunt, quia vbi erunt omnia præsentia quo modo prædiceretur aliquid futurum? Ibi & linguæ cessabunt, quia cum ibidem omnia sint futura manifesta, cur alicui aliquid diceretur? Poterunt quidem loqui adinuicem Sancti si voluerint sed non necesse erit, vbi scientia vocem præueniet. Et si quid inter se loquuti tunc fuerint non eo modo id facient quo nunc nos loquimur, sed eo potius quo in supernis Angelici spiritus adinuicem loquuntur. Destruetur & scientia in futura vita, quia si quam nunc de Deo cognitionem habemus, hanc non in natura diuinitatis ipsius sed per similitudinem & naturas exteriores habemus. Nam quantalibet mens humana se intentione tenderit, etiamsi iam phantasias imaginum corporalium à cogitatione compescat, si iam omnes circumscriptos spiritus ab oculis cordis amoueat, adhuc tamen in carne posita mortali, videre vel cognoscere gloriam Dei non præualet quicquid est: & de illa sicut est, quod in mente resplendet, similitudo & non ipsa est. Et idcirco talis nostra scientia destruetur quando veritas ipsa pure manifestabitur: *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, hoc est, in hac vita cognoscimus Deum per imaginem suam, sed tunc & in futuro seculo manifeste eum videbimus. In speculo cernitur imago: & nos qui sumus imago Dei conamur vtcumque videre eum per hanc imaginem suam tanquam per speculum. Speculum est anima rationalis, in cuius consideratione aliquo modo videmus Deum: sed obscure. Videmus enim per speculū in ænigmate. Ænigma autem est nō omnis sed obscura allegoria: Allegoria vero est cum aliud ex alio significatur, id est, aliud dicitur & aliud intelligitur, vt cum dicitur, *Non obturabis os boui trituranti*, id est, non prohibebis prædicatorē viuere de prædicatione. Sed ibi solummodo allegoria est ænigma, vbi difficile patet intellectus, vbi autem facile intelligitur non est ænigma, quia de ænigmate potius conijcimus quā scimus, quid significet. Per speculū igitur imago: sed per speculum in ænigmate imago obscura designatur. *Hæc Ansel.*

2. RECTE dicitur Maria optimam elegisse partem, quia hac familiari & assidua de Deo rebusque diuinis cogitandi atque meditandi consuetudine, paulatim humana dediscens in spiritualem atque diuinum hominem euadit, Apostolo testante. *Qui Deo adhæret, vnus spiritus est.* 1 Cor. 6.

Fit enim animus hominis talis qualia sunt ea quæ cogitat atque reuoluit, qui immundas fouet & lubricas cogitationes, fiet & ipse lubricus atque lascinus. Felix cui hæc sors contigit vt vitam omnem in hoc cōtemplationis studio quo cœlestia atque diuina assidue reuoluit, insumere possit, qui cum Sapiente dicat, *Sapientiam amaui & exquisiui eam à iuuentute mea & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. Generositatem istius glorificat contubernium habens Dei. Proposui ergo hanc adducere mihi ad cōuiuendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædii mei. habebo propter hanc claritatem ad turbas & honorē apud seniores iuueni. Intrans in domum meam conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Sap. 8.

Hæc ibi. Gregorius Nazianzenus cum amore vitæ contemplatiuæ pastoralem curam & Episcopatus sarcinam declinaret, hæc inter cætera dicebat: Nihil mihi eo homine fortunatius esse videtur, qui clausis compressisque corporis sensibus atque extra carnem mundumque positus in sese que collectus, nec

nisi

nisi summa necessitate impellente quicquam rerum humanarum attingens, & secum in se & cum Deo colloquens, superiorem rebus in aspectum cadentibus vitam agit, diuinasque species & imagines puras semper, nec vllis terrenis & errabundis formis permixtas in se ipso circumfert, ac Dei rerumque diuinarum purum omnino speculum efficitur, lucique lucem, obscuriori videlicet clariorem adiũgens magis illustratur, ac iam futuri æui bono perfruitur, & cum Angelis versatur, & adhuc in terris agens terram deserit, atque à spiritu in cœlo collocatur. *Hac ille.*

4. Ex cuius verbis liquet quanta sit vitæ huius dignitas, quantumque à veritate aberrent, qui eam vt vacantem & otiosam carpunt & contemnunt, vtpote quod per eam homines sibi ipsis tantum, non etiam publicæ saluti & vtilitati prospiciant. Aduersus quos sic *Bernardus* Otium non est vacare Deo, sed negotium negotiorum summum, quod quicumque non agit in cella fideliter & feruenter, quicquid aliud agit, quod non propter hoc agit, scilicet vt Deo vacet, in eo quod agit otiatur. *Hac ille.* Contemplatio autem hæc animam cœlestibus dapibus saginat, & pulchritudinis speciem puris animi oculis contuens, solius cõditoris amore ac desiderio ãũ inardescit, totus efficitur diuinus. Nam sicut videmus corporis oculos cum in fumo remorantur offuscari, si vero potiantur aere purgato, & hortis virentibus ac fontibus amœnis, acclaritate solis, & saniores esse multoque maiori aciei fulgore rutilare, Sic & mentis oculus, *inquit Chrysostomus*, si diuinis potiatur fulgoribus, ac cœli splendeat radiis, eaque rimetur ac perlustret quæ spiritalia sunt, totus euadet purus ac lucidus: quemadmodum facies Moysis ex consortio atque colloquio diuino instar solis resplenduit, ac suæ claritatis radios emisit, *ita vt non possent intendere filii Israel in faciem Moysi*, teste Paulo, *propter gloriam vultus eius.* Si vero in fumum secularium negotiorum fuerit 1.Cor.3.
ingressus, obtenebratur, vt nec futura præuideat nec iudicium Dei metuat, nec beata eius promissa desideret, sed semper non nisi de rebus huius vitæ cogitet. Verum sicut cum in sole ambulamus, fit natura vt illustremur, sic cum diuina intuemur: *Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes*, inquit Paulus *in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*, hoc est, dum speculantes seu in speculo videntes, in quo relucet imago, reuelata facie, hoc est, clare intuemur gloriam Domini, non prout eam cernunt in cœlo sancti, sed vt eam vident qui in extasim rapiuntur, tunc transformamur in eandem imaginem à claritate in claritatem, quia sicut in speculo relucet forma solis splendentis, Ita in animo contemplantis secreta cœlestia, quibus dum transformatur, fit quod de claritate obscuriori transeat ad clariorem, vel de vna in aliam, idque operante spiritu Domini huiusmodi reuelante.

5. CONTEMPLATIONIS varia sunt obiecta seu materiæ quas timari & intueri licet: *Aut* enim pauido aspectu intuemur iudicia Dei quomodo hunc humiliat in profunda inferni demergendo, & hunc exaltat secum ad gloriam euehendo: id autem facit non pro mero arbitratu aut potestate sua, sed quia calix manu Domini, quem non sine discrimine effundet in omnes, sed vnicuique dabit inde suam portionem quæ ei debetur, vt quisque quantum se glorificauit & in deliciis fuit, tantum detur ei & de tormentis bibere Hic aspectus dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat humilitatem, initiat virtutes, virtutum siquidem bonũ & stabile fundamentum humilitas est, nempe si nutat illa, virtutum non est nisi ruina. *Aut* occupatur seu potius otiatur contemplatio circa memoriam beneficiorum: & ne dimittat ingratum, sollicitat contemplantem ad benefactoris amorem. Siquidem medi-

IV. Quæ cõditiones ad cõtemplationem requiruntur.
Psal.70.
Apoc.12.

meditatio seu contemplatio pro rerum varietate quas animo voluit, excitare solet modo amoris, modo timoris, modo spiritualis lætitiæ motus atque affectus. *Aut* quæ retro sunt obliuiscens in sola requiescit expectatione promissorum, quæ cum sit meditatio æternitatis, siquidem quæ promittuntur æterna sunt, longanimitati animi & perseuerantiæ dat vigorem. *Aut* diuinam intuetur claritatem eiusque admiratur Maiestatem, quod omnium summum est. Hæc Bernar. de consider. *Aut* humanam certe considerat miseriam, propriamq; infirmitatem, laqueorum atque tentationum varietatem, peccatorum multiplicitatem: quo fit vt animus considerantis ad tristitiam & dolorem excitatus cum Apostolo Paulo exclamet, *Infælix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Cum autem multæ sint contemplationis species quibus anima deuota mirabiliter pascitur & oblectatur, in nulla tamen earum ita delectatur & requiescit anima sancta, sicut in Deo, quando Dei Maiestatem, honorem potentiam, sapientiam, bonitatem, misericordiam, caritatem, iustitiam, fortitudinem, diuitias & gloriam considerat: *Consideraui opera tua Domine & expaui.*

Greg. 6. mora. cap. 24 & 25. 2. Verum qui ad contemplationis arcem conscendere nititur, *inquit Grego.* prius se in campo per exercitium boni operis probet, virtutesque morales diligenter exerceat, per quarum exercitia corriguntur vitia, & passiones prauique affectus exhauriuntur: quibus exhaustis mens fit pura & anima quieta, vt capax fiat sapientiæ spiritus qui non habitat in corpore subdito peccatis. Requirit enim talis contemplatio cor purgatũ & à peccatis liberum, vt non auocet neque perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel certe ea quæ difficilius amouentur irruentia imaginationum corporearum phantasmata. Vnde qui etiamnũ suis prauis affectibus, aut curis & cupiditatibus, aut suarum passionũ ægritudinibus subiecti manent, minus sunt apti qui cœlestia & spiritualia contemplentur, quia vt Paulus ait ad Corin. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere quia spiritualiter examinatur.* Hoc est, vt ea perscrutetur & intelligat spiritu sapientiæ prius donari debet: quo quia iam caret non nisi quæ videt & audit, aut quæ cupiditas vel passio suggerit, reuoluit atque recogitat, iuxta illud Prophetæ, *Super triticum & vinum ruminabant & à me recesserunt.* Neque enim ad hanc vitam contẽplatiuam per saltum, sed per gradus ascẽdere oportet. Sicut enim Iacob prius Lyam, lippientem quidem, sed tamen fœcundam, quam formosam Rachelem in vxorem duxit, sic vita actiua contemplatiuam antecedere debet, vt aduersa æquo animo feras, inopi succurrere discas, rudes & ignaros si scientia suppetit erudias. Vnde sponsa cum *in Canticis* sponsum inuitat ad lectum quietis, hoc est, ad tranquillam conscientiam, & internæ dulcedinis & spiritualium deliciarum fruitionem, floribus lectulum respersum esse ait, *Lectulus noster floridus est* inquit: hoc est, non spinis pungentium passionum, neque vrticis vrentis libidinis & concupiscentiæ, sed piis affectibus, sanctis desideriis, diuinis meditationibus & bonis cogitationibus atque operibus plenus est. 1. Cor. 2. Oze. 7. Cant. 1.

3. Itaque qui ad intuitionem summæ & diuinæ veritatis peruenire cupit inprimis purus esse debet à passionibus & prauis cupiditatibus: secundo à phantasmatibus & speciebus seu imaginibus internis ipsius imaginationis, vt totaliter omnis sensus externus & internus à sua operatione quiescat: Neque enim Deus vlli rei corporeæ similis est, sed quibus oculis videtur caritas, sapientia, fidelitas & similes virtutes, iisdem videri potest & Deus. Tertio requiritur vt ipsi menti quoddam lumen supernaturale, quæ est diuina sapientia, infundatur, quo ipsa mens illustretur vt primam veritatem intueri valeat, sicut oculus corporis requirit lumen solis vt videat. Et sicut oculus corpo-

corporis creatus est vt videat lumen solis eoque sese oblectet, sic oculus mentis seu intellectus creatus est vt per sapientiam diuinam primam intueatur veritatem qua se pascat & oblectet. Ideo maxime cuique piorum propositum illud esse debet, vt quantum per huius vitæ occupationes licuerit, se totum diuinarum rerum contemplationi addicat per nonnulla temporum interualla, veritatisque specie ac pulchritudine animam oblectet, hoc enim cibo pascitur animus, oblectatur & melior efficitur. Verum quemadmodum ad vitam naturalem non sola sufficit ratio aut sensus, sed affectus quoque necessarii sunt: Ita ad spiritualem vitam degendam non sufficit lumen intellectus nisi & rei cognitæ adsit dilectio. Ea itaque in meditationibus nostris inprimis danda est opera vt per eas ignis inardescat amoris cognitæ seu bonitatis diuinæ: id quod sibi accidisse gratulatur Psalmista cum ait, *In meditatione mea exardescit ignis.* Vt enim speculatiua & nuda malarum rerum cognitio non perinde nocet, nisi quis iis afficiatur, Ita neque bonarum rerum consideratio multum proderit, quamuis interim sua vtilitate non careat, nisi affectum transmutet, quia cognitiuæ potentiæ sunt veluti animæ fores seu fenestræ, affectiuæ sunt tanquam fundus in quo suscipitur quod per fores transit. Quo fit vt neque bonarum neque malarum rerum cognitio hominem aut meliorem aut deteriorem reddat: amor autem & affectio vtrumque facit, quia transmutat cor amantis in naturam rei amatæ, qui Deum amat fit diuinus Deoque similis, qui amat bona terrena fit terrenus, amor enim imaginem rei amatæ imprimit animo, eumque illi similem efficit.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

FACTVM est in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. &c.

Luc. 6.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Oratio necessaria iis qui aliud ardui sunt aggressuri.*

II. *Duodecim eliguntur Apostoli & quales, cur & Iudas.*

III. *Pauca subiunguntur de vita S. Bartholomæi.*

PARS I.

1. EXIIT *in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei)* Hoc suo exemplo docet nos Dominus non solum orandi vtilitatem & necessitatem, verum etiam certum orandi modum legesque præscribit. Nam oraturus à turbis secedit & locum secretum petit, quia cum Dei Maiestate locuturus animum intentum habere oportet, ideo secedere & locum solitarium petere vtile fuerit, vt nihil sit extra, quod animi nostri cogitationes alio deflectere queat: Si corpore secedere integrum non fuerit; animo saltem solitudinem petamus, & hominum frequentiam ac cogitationum tumultum deuitemus, quia harum strepitus atque tumultus vim orationis imminuit & fructum tollit, & quo minus à Deo exaudiri possimus efficit. Deinde oraturus in montem conscendit, quia qui vtiliter orare cupit à terrenis ad superiora progrediens non pro perituris diuitiis, inquit Ambro. sed pro bonis æternis sollicitus esse debet: nec Deum qui in altis habitat,

ART. I. Oratio necessaria ardui quidquã aggressuris.

habitat, inuenire potest qui animo & cogitationibus imis & terrenis inhæret. Quemadmodum igitur Abraham filium in monte immolaturus seruos & asinum ad radicem montis expectare fecit, Ita *inquit Bernar.* terrenis negotiis ac cogitationibus nostris dicere debemus, expectate hic cum asino corpore meo, & postquam adorauerimus reuertemur ad vos. Sed vnicum hoc dolendum atque deflendum quod in cogitationes nostras, & in nosmetipsos non habeamus illud imperium, quod Dominus habet in suũ seruum, neque n. ita cor nostrum nobis obtemperat, vt seruus suo Domino, vt pro arbitrio nostro cogitationes vanæ & inutiles secedant, & vtiles accedãt prout nobis visum fuerit, cum etiã inuitis nobis plurimæ cogitationes vanæ, quinimo & noxiæ animo nostro obuersentur, quas quãtumuis velimus, plene à nobis abigere nõ possumus: iuxta illud Psalmistæ, *Cor meum dereliquit me*, hoc est debita virtute destituor vt perficere nõ valeam quod desidero, præsertim si id de omnibus sigillatim attento. Vnde *Cyrillus in Isaiam*, valde infirma est mens humana, inquit, & in multis labimur omnes, nec est quisquam nostrum cordatus qui in omnes partes sapiens esse poterit, sed cor etiam amans Dei & mens admirabilis sæpe in id quod minus rectum est, impingit. *Hæc ille.* Tum vero potissimum derelinquit hominem cor suum cum se ad interiora conuertere nititur. Id quod sibi euenisse D. *Gregorius* lamentatur in hæc verba, Redire post causas ad cor desidero, sed stultis pressus cogitationibus solummodo exclamare compellor, *Cor meum dereliquit me.* Cum ergo in hisce homo sibi non sufficiat, quid restat nisi vt sese conuertendo ad Dominum dicat: *Complaceat tibi Domine vt eruas me?*

Psal. 39. Cyril. in c. 39. Isa. Greg. 1. regist. epist. 5.

2. DEINDE quod nocturnum tempus Saluator ad orandum eligit, esse tempus hoc ad orandum aptissimum declarauit, in quo à diurnis curis & negotiis feriati & expediti, tenebris, silentio, & solitudine noctis iuuamur: Quo tempore neque oculi rerum imaginibus, neque aures alienis vocibus mentem perturbãt, neque eam negotia diurna a rerum cœlestium intuitu auocant. Hanc temporis opportunitatem nos captare Propheta monet cum ait, *Consurge in nocte, in principio vigiliarum & effunde sicut aquam cor tuum ante Dominum:* Ad hoc ipsum pios omnes regius Propheta inuitat cum ait, *In noctibus extollite manus vestras in sancta & benedicite Domino.* Nec minori cura ipse præstabat quod alios facere monebat, *Media nocte*, inquit, *surgebam ad confitendum tibi*: Idem quoque de se ipso Isaias profitetur cum ait, *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Magnus quoque Antonius tenebris & silentio noctis gaudebat, luce vero offendebatur tanquam quia nonnihil mentis suæ intentionem rerum conspectus interturbaret. Denique sancti omnes vsqueadeo nocturnum hoc tempus diuinis laudibus destinarunt, vt *Plinius Iunior* Traiano principi scripserit, nulla in Christianis eius temporis crimina reperiri, nisi quod antelucanos hymnos in cuiusdam hominis laudem, qui in Palæstina crucifixus erat, decantarent.

Thre. 2. Psal. 138. Isa. 26.

3. CÆTERUM quamuis orandi virtus assidua & familiaris homini Christiano esse debeat, tum tamen instantius atque deuotius orandum est cum arduum aliquod aut egregium opus molimur, quo diuina pietas cœptis nostris obsecundet atque aspiret. Vnde Dominus ex discipulis suis duodecim Apostolos electurus qui fidei fundamenta iacerent, Euangeliique doctrinam vbique terrarum disseminarent, in oratione pernoctauit, vt hoc suo exemplo nos doceret sine præuia & longa oratione nihil magni nos moliri debere: quia vt Iacobus ait, *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* Hinc S. Bartholomæus, cuius dies

Iacob. 1.

festus hodie agitur, orationis studium ita frequentabat vt centies in die & centies in nocte cum genua flectere & orare solitum fuisse narret eius historia. Quod si is qui Spiritu sancto plenus erat & in gratia confirmatus tale quid fecerit, quanto magis nos qui in laqueorum medio positi sumus, & innumeris vndique tentationibus cincti, quæ nos de gradu virtutis per singula pene momenta deiicere tentant? Id enim nisi fecerimus, quid ex hac negligentia consequi necesse est nisi vt qui diuinam gratiam non postulamus, eius auxilio destituti non solum nihil præclari agamus, sed etiam in varios Diaboli laqueos & peccatorum præcipitia incidamus. Si filius Dei suos duodecim Apostolos electurus hanc electionem ordiri noluerit, nisi longa prius oratione patrem orasset & exorasset, qua fronte nos qui toties in consiliis & electionibus hallucinamur nostris, sine orationis suffragio aliquid graue moliri audemus? Præsertim cum verissimum sit
Sapi. 9. quod Sapiens ait, *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Illud enim homini Christiano persuasum esse debere omnia quæ diuinis auspiciis atque ductu gerimus faciles & fœlices semper exitus habere: Contra vero quæ consiliis nostris freti inconsulto gerimus Deo, infausta atque perniciosa sæpe futura. Quam rem quotidianis ferme exemplis comprobare licet: quoties enim filiorum nuptias, nauigationes, cæteraque negotia quæ salutaria nobis futura credebamus, adeo votis nostris non respondent, vt prorsus in contrarium agantur, vt pro pace & concordia rixas & contentiones, pro diuitiis paupertatem reportemus & inueniamus? Cur hoc? nisi quia nimium prudentiæ nostræ tribuentes Deum negligere res humanas arbi-
Iosue. 9. tramur. Sic Iosue cæterique principes populi Iudaici in petitione Gabaonitarum lapsi fuere, quia os Domini non interrogauerunt, ideo eos Dominus labi &
Isa. 30. errare permisit. Sic apud Isaiam filios Israel incusat Dominus quod se inconsulto atque relicto suis consiliis atque humanis præsidiis niterentur: *væ*, inquit, *filii desertores vt faceretis consilium & non ex me, & ordiremini telam & non per spiritum meum vt descendatis in Ægyptum & os meum non interrogastis.* Hac de causa cũ idem populus iniussu Dei cum hostibus in deserto confligere vellet, Moyses diui- Num. 14.
norum arcanorum interpres, eos ab hoc temerario ausu reuocare volens, *Nolite ascendere*, inquit, *non enim est Dominus vobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris.* Quid illi interim ad hæc? viri sanctissimi voces aspernati ad pugnam se parant, sed cum primum appropinquantes hostes conspicati sunt, terga verterunt, & miserè interempti sunt. Sic igitur euenit, vt qui claram & insignem victoriam sibi peperissent, si pugnare voluissent eo tempore quo fuerant ad pugnam Dei imperio conuocati, cum Dei iniussu manus cum hoste conserere voluerunt, cõfestim fusi, fugatiq; sint.

4. QVICVMQVE igitur sapienter vitam instituunt, nihil audent nisi de summi Dei sententia decernere, nihilque nisi ex illius imperio, consilio & præscriptione moliuntur, sed semper se ipsos excitant ad Dei voluntatem inquirendam, nec aliud in vita meditantur, quam vt ductum & imperium summi illius ducis expediti sequantur, vsque adeo vt ne licita quidem & communi lege concessa aggredi velint, nisi prius in Dei voluntatem inspiciant, ipsumque sui facti auctorem habeant. Vnde vox illa Moysis in Exodo. *Si non tu ipse præcedas ne educas nos* Exod. 3.
de loco isto. Bene ait, si non præcedas tu ipse nos, quia nos eius, non ipse nostram sequi debet voluntatem. Sunt vero non pauci qui Deum obnixe rogant & orant, non vt eius sed ipsorum voluntas fiat: aspirant ad dignitatem aliquam, aut hanc vxorem ducere in animo habent, non super hoc quærentes an sit voluntas Domini, sed vt quod volunt ipsi, hoc velit & secundet Deus quoque.

Digitized by Google

quoq; Quo modo mater filiorum Zebedæi rogabat vt vnus ad dexteram, alius ad sinistram Christi sederet in regno eius: Cui apposite respondit Dominus, *Nescitis quid petatis.* Sic & Paulus de nobis ait,

Rom. 8.

Quid oremus sicut oportet nescimus: facile enim se cupiditas ingerit, quæ iusta ratione se palliare videtur qua quippiam obtineat, sed sæpe Dei voluntati & veritati repugnante: sicut illi qui apud Lucam dicunt,

Luc. 9.

Vis dicamus vt ignis descendat de cœlo & consumat illos? Et conuersus increpauit illos dicens Dominus, Nescitis cuius spiritus estis, quia quod zelo iustitiæ se putabant velle, id vindictæ cupiditate postulabant.

5 CHRISTVS suos Apostolos electurus erat pernoctans in oratione, vt nascentis Ecclesiæ idoneus ministros & duces designaret & procuraret, qui perditos homines in viam salutis reducerent, quiq; cœlesti virtute corroborati, nullis laboribus ac difficultatibus, quas eos ex Imperatorum minis ac cruciatibus perferre oporteret, ab hoc suo ministerio & salutis procurandæ officio deterreri possent. Ideo promittit eis spiritum sapientiæ & fortitudinis, quo tantum opus & tam arduum aggredi & apte perficere possent, *Dabo vobis os & sapientiam* inquit, *cui non poterunt*

Psalm. 74.

resistere omnes aduersarij vestri: & alibi, *Ego confirmaui columnas eius:* per quas Cyrillus Apostolos intelligit qui in fide & iustitia firmi cæteros in structura Ecclesiæ Dei confirment ac sustineant.

Cyrill. in Ioan. libr. 12. c. 55.

Hanc spiritus fortitudinem Christus suis Apostolis hac sua oratione impetrauit, quam demum in die Pentecostes cõsequuti sunt. Id enim non raro contingit vt cum electi Dei quippiam ab eo postulant, impetrẽt, non statim quidem dandum sed suo tempore eis exhibendum: sicut cum Christus oraret pro suis persecutoribus in cruce, *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciũt, exauditus fuit pro sua reuerentia*, quia nimirum in Dei proposito fixum iam & firmum erat omne id pro quo Dominus orabat ei elargiri, re ipsa tamen effectus orationis eius non est tunc subsequutus, sed postea: Cum enim in die Pentecostes ad cõcionem Petri multi Iudæorum corde compuncti dicerent, *Viri fratres quid faciemus?* tunc demum virtute baptismi quem susceperant, remissionem sui sceleris, pro quo remittẽdo Christus in cruce patrem exorauerat, sunt consequuti. Sic hoc loco dum Christus pernoctat in suis orationibus, quo idoneos noui testamenti eligeret ministros, exaudita quidẽ fuit oratio Christi, quia iam Deus certo statuebat eos confirmare & idoneos facere, verum hanc idoneitatem omnimodã non sunt Apostoli nisi in die Pentecostes consequuti. Quod autem tantam curam impendat Christus, tantumq; laborem & operam saluti hominum procurandæ, quantam nec ipse homo pro se faceret, facit ideo quia solus Christus humanæ salutis dignitatem & cœlestis gloriæ amplitudinem, atq; pœnarum gehennæ acerbitatem, quæ hominibus constituta sunt, plenissime nouit, quæ ab oculis nostris abscondita sunt. Quemadmodum pius Pater pro phrenetici filij sui salute anxius atq; sollicitus varia vndecumque remedia conquirit, etiam dum filius ridet & delirat, aliisque suis deliriis risum mouet.

II.

1. ELEGIT *duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.)* Quos voluit elegit Dominus, non quia digni erant, sed vt Apostolos digni fierent, neq; enim quod electi fuerint ipsorum merito, sed diuinæ tantummodo dignationi asscribere oportet, *Non vos me elegistis*, inquit Dominus, *sed ego elegi vos vt eatis & fructum afferatis.*

Quales elegerit, cur & Iudam.

Aduerte cœleste consilium, inquit *Ambr.* non sapientes, non diuites, non eloquentes oratores, non nobiles, sed rudes ac simplices piscatores & publicanos, quos sapientes, potentes, & eloquentes faceret, elegit: Si eligeret diuitem, diceret diues, *inquit August.* opulentia mea electa est: si Imperatorem, diceret Imperator, potestas mea electa est: si sapientem, aut

oratorem, diceret ſapiens & orator, ſapientia mea, eloquentia mea electa eſt. *Sed infirma mundi elegit Deus vt confun-*
1.Cor.1. *dat fortia*, inquit Paulus, *vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius*. Tales enim ad prædicandum elegit, qui de laude propria nihil haberent, non eloquentiam, non potentiam, non diuitias, non ſapientiam, vt tanto manifeſtius conſtaret ſolius eſſe gratiæ Dei quod agerent, quanto apertius cernerent quod ad hoc agendum per ſe idonei non fuiſſent: electus eſt pauper piſcator & factus eſt diuinus orator. Non quia doctos aut diuites, aut ſapientes, aut nobiles non erat electurus, elegit enim etiam tales ſed poſtea: Primo tales eligere noluit ne ſi primo eos elegiſſet, ſuæ eloquentiæ aut potentiæ, aut diuitiarum, aut ſapientiæ merito ſe electos putarent, *inquit Auguſt.* & ita illorum ſapientia & eloquentia laudaretur, & laus gratiæ Chriſti minueretur.

2 Sed mirum alicui videri poſſet, cur & Iudam proditorum in Apoſtolum elegerit, maxime cum orationem præmiſerit qua precabatur electionem ſuam dirigi à patre, vt idonei eſſent noui teſtamenti miniſtri qui deligerentur. Nam etſi poſuerit omnia pater in poteſtatem fi-
Ambr.lib. lij, *inquit Ambroſ.* filius tamen vt formam
5.in Lucã. hominis impleret, obſecrandum patrem putat eſſe non vt pro ſe oret, ſed vt pro me impetret: ſpecies tibi datur, forma præſcribitur quam debeas æmulari. Quid enim te pro ſalute tua facere oportet, quãdo pro te Chriſtus in oratione pernoctat? Quid te facere conuenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Chriſtus miſſurus Apoſtolos orauit prius, & tam inſtanter orauit? Quod autem & Iudas electus fuerit, certum eſt hoc ſingulari Dei diſpenſatione factum fuiſſe.

Putat quidem *Theophylactus* quod illo tempore Iudas bonus fuerit, & Apoſtolatu non indignus; vt diſcamus quod non propter futuram malitiã Deus quenquam aſpernetur ſed propter præſentem virtutem etiam honorat, licet eum malum futurum ſciat. Verum hæc opinio Theophylacti non ita certa eſt, quin potius contraria magis videtur probabilis, nimirum quod etiam tempore electionis fuerit malus, quia multo tempore antequam de tradendo Domino Iudas co- Ioan.6.
gitaret, dixerat de eo Dominus, *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt?* Elegit ergo etiam malum, quia prædictum erat quod à diſcipulo tradendus eſſet, vt cum Pſalmiſta ait, Pſalm. 40.
Etenim homo pacis meæ (quia tanquam pacificus oſculo me ſalutauit) *in quo ſperabam* id eſt, quem Apoſt. latus honore ſublimatum tantis beneficiis affeceram, vt quaſi iure, *inquit Ambro.* præſumpſerim eum relicta præconcepta malitia, meliora ſecuturum, vel in quo ſperaui, id eſt, cui diſpenſationem familiæ meæ cõcredidi, quod non facimus niſi illis quibus confidimus: Alias enim nõ ſperauit Chriſtus in Iudam cuius perſpectam habebat perfidiam. *Qui edebat panes meos magnificauit ſuper me ſupplantationem*, hoc eſt, magnam fecit deceptionem, & eo maiorem quo minus id de eo debuit ex-
pectari: vnde *Auguſt.* Habuit inter Apo- Auguſt.18
ſtolos vnum, *inquit*, qui malus erat, quo ciui.
malo vtens bene & ſuæ paſſionis impleret diſpoſitum, & Eccleſiæ ſuæ tolerandorum malorum præberet exemplum, dum indignos ad munia Eccleſiaſtica videret promotos, & *Ambroſ.* Eligitur Iudas, *inquit*, non per imprudẽtiam ſed per prouidentiam: voluit prodi ab Apoſtolo, vt & tu ſi fueris proditus à ſocio (*Tradet enim frater fratrem in mortem*, ait Dominus) moderate feras tuum erraſſe iudicium, periiſſe beneficium. Et vix fieri poteſt, *inquit*, ita nos prouidos eſſe poſſe in deligendis ad ſacra munia miniſtris, quin & eos aliquando deligamus qui vel ſunt mali & fucati, vel poſtea futuri ſunt mali.

3 PORRO quoniam quos elegerat Dominus ignobiles erant, viles, rudes & idiotæ,

Digitized by Google

idiotæ, nihil magnificum, nihil regale præ se ferentes, cum promissuri tamen essent regnum Dei legationem & prædicationem eorum suscipientibus, ne contemneretur eorum autoritas, dicit *Marcus* electos duodecim Apostolos vt essent cum illo, vt eos veluti a latere legatos mitteret prædicaturos Euangelium Dei per vniuersum mundum, addens eis potestatem sibi alioquin propriam, quomodo legatis suis Principes tradere solent suam potestatem quæ ad eorum legationem rite subeundam necessaria fuerit. Dedit autem eam suis Apostolis potestatem Dominus, quam nulli huius mundi Monarchæ suis legatis dare possunt, nimirum vt & peccata soluerēt atq; remitterent, & omnem infirmitatem curarent, & dæmonia eiicerent, & linguis loquerentur variis, & verbum vitæ prædicarent, ac regnum Dei annunciarent. Et quia Apostolicum hoc munus & Apostolorum opus omnium negotiorum fuit longe difficillimum atque præstantissimum, quale nec Plato nec Pythagoras nec tota philosophorum schola simul in vnum collecta, sed nec Alexander Magnus, nec totum imperium Romanum, aut Principes vlli seu Reges seculares præstare potuerunt, ideo ad id efficiendum, neque humana potentia aut industria, neque vlla sapientia humana vel eloquentia, sufficiebat, sed ad hanc functionem opus erat virtute diuina, & sapientia ac animi fortitudine cœlitus accepta: Quod etiam eis promittit Dominus cum ait, *Dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri*: & alibi, *Manete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.*

4 VTRVMQVE adesse oportebat & sapientiam & animam ad quæuis pericula intrepidum. Nam & ideo tanquam spiritus vehemens descendit in Apostolos spiritus sanctus, vt per hoc notum faceret neminem fore qui posset illis resistere, sed ab eis aduersarios omnes tanquam puluerem ante faciem venti dissipandos esse. *Astiterunt* quidem *Reges terræ & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius*, & omnia iudicia per vniuersum terrarum orbem in Apostolos præparabantur, quos tanquam pestiferos totius orbis & communes hostes ad carceres, ad cruciatum, ad tormenta rapiebant: neq; enim excusationem aliquam audire volebant, sed dogmatis nouitate perculsi & veluti furiis agitati exclamabant omnes Iudex & minister, populus & Princeps, ciuitates & regna, Qui orbem terrarum perturbant hi sunt, hi sunt qui auitam religionem subuersam volunt, propter hos frater fratrem pater filium in mortem tradit: Hi sunt qui sanguine & cædibus affinium & cognatorum repleuerunt omnia loca: hi sunt seductores & totius orbis corruptores, hi hominum erynnis & pestis communis qui perturbant omnia. Quæ tamē omnia duodecim hi homunculi, *inquit Chrysost.* non minus fortiter quam sapienter vicerunt & superauerunt. Neque quod pauci essent & priuati & illiterati, neque quod austera & insolita docerent, hominumque cupiditati atque consuetudini iam a multis annorum centuriis receptæ contraria & aduersantia, obstaculo eis esse potuerunt, sed per ipsa obstacula maiorem fortitudinem & sapientiam hauriebant: Aderat enim diuina virtus & gratia, quæ cum potentior sit quam natura, non solum non eget naturæ subsidio, sed per ea etiam quæ alioquin impediūt, negotium salutis promouet magis. Et sicut per carcerem eduxit Ioseph ad sceptrum, per crucem & mortem ipsum Christum ad vitam & gloriam, Ita Apostoli cum tanquam homines factiosi, & corruptores orbis rerumq; perturbatores in carcerem, mortem, & omnia tormentorum & genera raperentur, superarunt tamen & vicerunt omnia, non hostes suos trucidando, aut fugando, sed mētes & animos multorū in melius reducendo,

cendo, & quos ipsis dæmonibus reperiebant immaniores, ad Angelicam & diuinam vitam redintegrando, & conuertendo: Cumque tanquam perturbatores & seductores accusarentur ab omnibus, hanc accusationem non solum tanquam falsam refutarunt, verum etiam contrariam de se animis hominum existimationem impresserunt, vt vbique quasi saluatores & benefactores, & quasi patres curam de omnibus tanquam filiis, æternæ salutis gerentes prædicarentur.

1.Cor.4.

5 Hæc quæ dicta sunt manifestè referuntur à Paulo cum ad Corinthios ait, *puto quod Deus nos Apostolos nouissimos ostēdit, tanquam morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis & hominibus*, quia quasi ad spectaculum conueniunt ad aspicienda supplicia nostra: sed boni Angeli conueniunt ad spectaculum passionis nostræ, vt nos præsentia sua confortent, & cæteros ad exemplum nostri certaminis incitent: mali vero vt insultēt, cum nos suos aduersarios cruciari viderint, & cæteros à fide metu pœnarum auertant. *Vsq; in hanc horam & esurimus, & sitimus & nudi sumus & colaphis cadimur: maledicimur & benedicimus, blasphemamur & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsq; adhuc*, id est, de quibus mundus inquinetur & quibus abiectis purgetur, sicut domus purgatur à sordibus quæ de illa proiiciuntur, & vsqueadeo immundi & inutiles vsibus hominum reputati sumus sicut purgamentum ferri, vel putamen pomi quod vndique aufertur vt pomum sit aptius ad comedēdum, quasi dicat, habiti sumus tanquam omnino viles & nullius pretij. Idem in 2. ad Cor. *Nemini dantes vllam offensionem vt non vituperetur ministerium nostrum* (ne scilicet si aliter docere & aliter facere deprehendamur, exemplo nostro cæteros offendamus: infirmus enim quisq; plus attendit ad facta sui prælati quam ad verba, & putat sibi licere quicquid viderit illum agere) *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros* (vt nimirum ex nostris operib. Deum glorificemus) *in multa patientia*, quæ non solum in tribulationibus nobis est necessaria quæ inferuntur nobis à malis hominibus, sed etiam *in necessitatibus*, hoc est, in egestatibus cibi vel potus, vel indumenti: *in angustiis & carceribus, in suauitate & spiritu sancto*, ne scilicet per rancorem animi efficiamur illis asperi à quibus mala toleramus: *vt seductores & veraces: quasi morientes & ecce viuimus: quasi tristes semper autem gaudentes.* Ta[m] quippe fuit prædicationis Apostolorum v[ir]tus vt omnia aduersantia cedere cogerētur: & sicut solares radios nemo vincire potest, sic nullus linguam Apostolorum compescere poterat, quoniam non homines, sed spiritus sancti virtus loquebatur per os eorum. Qua virtute Paulus etiam Neronem omnium hominum flagitiosissimum sine vlla deuicit difficultate: Sic enim ait ad Timoth. *Dominus mihi astitit & confortauit & eruit ab ore Leonis.*

2.Cor.6.

2.Tim.6.

Nam quando terribilis iudex sedebat, & populus rabie furebat, & horror satellitum vndique circumstabat, Paulus omni trepidatione ab animo pulsa, dictu mirum quanta constantia ei respondebat.

6 ADMIRATIONE dignum ac stupore plenum quod perpetrarunt Apostoli qui totum pene terrarum orbem Christo subiugarunt & ad fidem vnius Dei ac religionem adduxerunt, & effera barbarorum corda demulserunt atque placida fecerunt, non vi, non minis, non armis, non morte, aut sanguine cuiusquam, quibus Principes & Imperatores huius seculi sua regna augere, aliosque sibi subiicere solent, sed orationibus, adhortationibus, miraculis, precibus, molestia, patientia, aliisque virtutibus, Deo in ipsis & per ipsos operante qui dabat verbum Euangelizantibus virtute multa. Et ad hoc duodecim elegit Apostolos qui per quatuor partes orbis terræ mysterium Trinitatis essent prædicaturi, *inquit Aug.*

Aug. hom. quater 45.

Digitized by Google

quater autem tria duodecim fiunt. Hunc duodecim Apostolorum numerum multis modis voluit Dominus & in veteri & in nouo testamento figuris clarissimis adumbrari & honorari. Hos enim duodecim Patriarchæ filii Iacob adumbrarunt, *Gen.* 37. quia vt illi carnalis populi Israel, ita isti duodecim Apostoli spiritualis populi patres fuerunt: Sic enim Paulus loquitur ad Corinth. *Etsi decem milia habeatis pædagogorum, at non multos patres : nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*, scilicet in nouam & spiritualem vitam, idque virtute Euangelicæ prædicationis per quam ad fidem estis adducti. Rursum hos duodecim Apostolos duodecim illi boues adumbrarunt, supra quos impositũ erat mare istud æneum in templo Salomonis, in quo sacerdotes officio suo functuri lauabantur, de quo in libro Paralipomenon: Sic enim duodecim Apostoli aquas baptismatis per totum mundum detulerunt quo peccatorum sordes abluuntur: qui recte bobus comparantur, quia sicut boues triturando frumentum esui aptum reddunt, ita Apostoli verbum Dei explanando illud purum efficiunt vt intelligi & audientem nutrire possit. Hos itidem duodecim Apostolos figurauerunt duodecim fontes Elim de quibus in *Exod.* quia ex horum fontibus salutaris sapientiæ aquam sitientes populi hauserunt. Qui & nubes ab *Isaia* dicuntur, cum ait, *Qui sunt isti qui vt nubes volant*, quia sicut nubes suis imbribus efficiunt terram frugiferam, sic corda hominum effecta sunt frugifera prædicatione Apostolorum: Et vt imber iste vtilissimus est qui suauiter in terram incidit, qui autem impetu decidit terram potius concludit, atq; ipsum agricolam etiam forte mulctat, quã eam fructiferam efficiat, sic dum Apostolorum eloquium flueret vt ros in corda audientium, quod non aridum sed succulentum prorsus vim obtinens viuacis doctrinæ, incrementum faciebat profectum spiritualis vitæ: qui vero totum spiritum suum proferunt, vt loquitur, *Sapiens*, & quodam impetu sua emittũt eloquia, potius audientes obtundunt quam emolliant. Et vt aqua in nubibus coquitur & pinguis simul & calida efficitur, quo fit vt & ipsam terram quæ compluitur pinguẽ efficiat atque fœcundam. Ita doctrina salutaris in pectore ipsius doctoris dum concoquitur, & in affectum transit cordis, vt ipsi sapiat qui alios docet, verbum sic concoctum cum quadam suauitate eructabit vt & aliis lapidum futurum sit. Qui vero salutarem doctrinã non satis cõcoxerit, neque in affectum transmutauerit, sed rudi duntaxat minerua attigerit, eamque velut cibum indigestum & incoctum eiecerit, auditorem neque nutriet neque afficiet: Tales sunt ii qui simul vt quippiam sciunt vel audiunt, protinus illud aliis sic crude communicare volunt, quo auditores non solum non nutriuntur, sed eius etiam tædio afficiuntur, ac quadam nausea mouentur. Recte ait Propheta, Qui sunt isti qui vt nubes volant, quia sicut nubes dum volant vẽto impelluntur, sic Apostoli agebantur spiritu Dei vt magna agilitate & velocitate opus ad quod missi erant, peragerent: *vbi erat impetus spiritus*, inquit Ezechiel, *illuc gradiebantur nec reuertebantur cum ambularent*. Si enim tardi aut inuoluntarii fuissent Apostoli, nunquam tam arduum opus absoluissent vt tam paruo temporis spatio totum mundum ad fidem perducerent & ad Christum conuerterent. Hinc & in *Apocal.* duodecim portæ dicuntur, quia per duodecim Apostolos nobis aditus est patefactus in ciuitatem sanctam & in cœlestem Ierusalem.

[Margin: 2. Cor. 4. — 3. Par. 4. — Exod. 27. — Isa. 60. — Prou. 29. — Ezech. 1.]

III.
De vita S. Bartholomæi. Eus. lib. 5. c. 10. Hiero. de scrip. Eccl. c. 36.

1. NVNC pauca de actis Bartholomæi in India gestis sunt subiungenda. Hic cum ad Indos esset profectus Euãgelium à Matthæo conscriptum secũ detulisse dicit *Hiero. & Euseb.* Eo cum aduenisset cõtigit quod cum quodam tempore templum Astaroth, erat illud nomen istius Dei qui ibidem colebatur ingressus esset Bartholomæus, vt refert Perionius

nius in vita illius, dęmonē in isto idolo latentem & responsa dantem, ita compescuerit & subegerit, vt nec solita responsa daret, nec cuiquam ex iis quos male affecerat, subueniret vt ante solebat. Hac enim in arte decipiebat & deludebat incolas istius loci dęmon, vt homines sanare putaretur, quos torquere & excruciare desinebat, ideo turmatim ad eum male affecti currebant vt subsidium exposcerēt, & ab eo curarentur. Cum itaque sacerdotes Astharoth admirantes rei nouitatem consulerent Deum Berith qui in vicino oppido colebatur, cur ipsorum Deus iam responsum nullum daret, respondit eum amplius loqui non posse quod ibidē Bartholomæus esset Apostolus Dei: Rogantes quis ille esset & vnde eum dinoscere possent: Amicum veri Dei eum esse aiebat, ob eamq; causam venisse in illā Prouinciam, vt omnia Deorum nomina euerteret: eumq; esse prolixæ barbæ paucis iam canis distinctæ, nigro capillitio, carne cādida, pallio albo atque oblongo, quod à viginti sex annis nullas vetustatis iniurias senserit: centies interdiu, totiesq; de nocte flexis genibus ab eo Deum verum adorari: Se ab eis petere vt eum cū inuenissent, rogarent, ne eo migrans eodem supplicii genere se afficeret, quo in Astaroth in collegam suum animaduertisset. Illi, cum Deus Berith conticuisset, redeuntes magna cum diligentia Apostolum quæsierunt, & à quodam dæmoniaco qui se precibus Bartholomæi torqueri exclamabat, proditum agnouerunt. Interim mandat Apostolus dæmoni vt homini exeat, & obmutescat, coactus dæmon hominem dimisit, & curatus est homo Eustius nomine. Delata res hæc ad Polimium regem cuius filia & ipsa erat à dæmone obsessa quæ simili modo Bartholomæi iussu à dæmone liberata fuit: Cuius liberationis ergo cū Rex Polimius multa & magna munera ad Bartholomæum transmisisset, illa respuens atque recusans Bartholomæus postridie summo mane occlusis foribus dicitur ad Regem venisse, eique nostræ fidei mysteria explicuisse, quæ cūm ex parte Regi persuasisset, altera die cum sacrificia Deo Astaroth offerenda præpararentur, dæmon magno clamore ne id facerēt prohibere cepit, se enim misere cruciari ab eius ministris quem Iudęi in crucem egissent, in iisq; Bartholomæum esse vnum qui ipsum constrictum teneret: ab eoque mitum in modū petere vt ipsum alio proficisci pateretur. Quæ omnia cum dęmon palam confessus esset, tum Apostolus omnes qui aderant hortari monereque cœpit vt viderent quem ipsi Deum coluissēt, & à quo se curari putassent. Itaq; eo contempto iam Deum verum colerent qui & ipsos creasset & redemisset. Regis iussū omnes simulachrum funibus auellendum curauerunt, omnesq; vnum Deum præpotentem, quem Bartholomæus prædicaret, clamare cœperunt. Tum Polimius rex vna cū vxore & duob. liberis, cū exercitu omniq; populo aqua salutari ius expiatus est. Quod cū Astyages ei⁹ frater maior natu Pontificum opera resciuisset, misit vna cum eis mille armatos qui eum comprehensum ad se adducerent: perductus autē cum ab eo rogaretur, isne esset, qui ipsius fratrem euertisset, Non, inquit, euerti cū sed conuerti, vt relicto errore falsorū Deorum verum Deum, qui cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt, creasset, agnoscerent & colerent & ipse & populus eius. Hæc cum Bartholomæus diceret nunciatum est Astyagi Deum suum cecidisse atque in multas partes fractum atq; distractum esse, quo audito nuntio Apostolum fustibus cædi, postea excoriari, postremo securi percuti iussit. Hæc verbotenus ex *Perionio* desumpta sunt: quæ tametsi non sunt certa ea certitudine quæ fidei est: tamen certa esse certitudine morali nemo dubitauerit.

Lxiii

PARS II.

Exiit in montem orare, & erat pernoctãs in oratione Dei.

Luc. 6.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Arduum opus Apoſtolorum, ideo vt idonei eligerentur oratio Chriſti id à Patre impetrauit.*

II. *Quod & Iudas ad id munus aſſumptus non id temere ſed iuſta de cauſa factum.*

III. *Oratio nocturna maioris eſt efficacia quã diurna.*

ART. I. Arduum opus Apoſtolorum, &c.

1. CVM Dominus plures ad ſe vocaſſet Diſcipulos qui Euangelicæ inuigilarent prædicationi, aliorumque intenderent ſaluti, qui propriam iam quærebant, ex his omnibus duodecim ad Apoſtolatus dignitatem electurus, vt tanto muneri idonei eligerentur miniſtri, in montem aſcendẽs tota nocte pernoctauit in oratione Dei, vt non caſu nec temere, ſed ſummo conſilio ſummaq; prouidentia egregios hos viros ad tantum munus eligeret cui tametſi nondum idonei eſſent, idonei ſaltem fierent. Cum n. hi ſupremi futuri eſſent Eccleſię principes orbis patres, ſanctæ militiæ ſtrenui duces, non vulgari cura erant aſſumendi, quia ad vulgaria non eligebantur munia, Sed ſicut terreni Principes multa pręmiſſa examinatione, grauique conſilio legatos ad talia munera, ad quæ mittuntur, idoneos requirunt, Duces ad bella, in quibus cunctorum, qui ſunt in regno vita, ſalus & honor periclitantur, fortiſſimi & maxime ſtrenui inter omnes ſeliguntur, quibus ſumma rerum tuto cõmitti queat: Ita Dominus Ieſus qui eſt ſupremus Eccleſiæ Princeps, eos elegit viros, qui in bello quod cum potentiſſimis hoſtib. gerunt electi Dei, mirabiliter de hoſte humani generis triumpharẽt, qui non armis & telis pugnantes, ſed verbis mirandiſque virtutibus orbem totum, idololatria reiecta, diuino ſubiugarent imperio.

2. POSTQVAM enim eleuaſſẽt voces ſuas diſcipuli magna cũ fiducia annunciantes D. Ieſum, crediderunt multi & accipientes ſpiritum ſanctum cœperunt & ipſi exaltare voces ſuas, *inquit Augu.* quia fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Apoſtoli namq; tãquam plena flumina ſpiritu ſancto repleti repleuerunt & alios fluuios. Et cum cœpiſſet Chriſtus tantis vocib. prædicari, cœpit eleuari turbari mare, creueuerunt perſecutiones: Sed fremat mare quantum vult, mirabiles quidẽ minæ hominũ contra Apoſtolos tumultuantium, ſed mirabilis in altis Dominus, qui non obſtante furore perſequentium, quod voluit ſibi ſubiecit. Tanta n. animi fortitudine ſuos confirmauit Apoſtolos Dominus, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Ego confirmaui columnas eius*, vt nullis laboribus aũt difficultatibus ab hoc miniſterio Apoſtolatus deterreri potuerint, ſed vniuerſo orbe peragrato, nõ illos à prædicandi officio locorum diſtantia, non itineris labor, non Imperatorum minæ, non cruciatuum immanitas, nõ dæmonum quorum altaria & tẽpla ſubuertebant, furor & rabies deterrere potuerunt. Quin potius pauci piſcatores iiq; abiecti & illiterati omnem mundi & inferorum potentiam debellarunt, & totum orbem Chriſto ſubiecerunt. Neq; ꝙ pauci eſſent, neq; ꝙ abiecti & illiterati, *inquit Chryſ.* neque quod auſtera & inſolita docerent, neque quod veteri conſuetudine humanum genus præuentum eſſet, obſtaculo eis eſſe potuit, ſed pręuia gratia ſuſtulit hæc omnia, ita vt per ipſa obſtacula maiorem acceperint alacritatem. Nã coniecti in carcerem & flagellati, non ſolũ non ſegniores inde facti ſunt, ſed & maiorem libertatem prę ſe tulerunt, in medio inſanientis populi & dentibus frementis ſtantes ac dicentes, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

Aug. in pſ. 92.

Chryſ. ho. ra. in Gen.

Chrysſ. ho. 34. in Mat. 3. Ego vero propter hoc obstupeo, inquit, quod ſic agitati nullam liberationē à ſuis malis quæſiuerunt, præſertim cum non per duos aut tres annos, ſed per totam vitam impendere ſibi pericula perſpicerent. Verum neque pericula, neq; mortem, neque rei difficultatem, neque ſuam humilitatem, neque aduerſariorum multitudinem, neque quod nouum cultum, nouamque religionem in mundum inueherent, attenderant: Quod vt ait *Chryſoſtomus*, ita omnibus infeſtum erat, vt quia Plato nouam niſus fuit Rempub. erigere, & nouas leges tradere, Deorum cultu intacto, vitæ periculum ſubierit in Sicilia, diuinuſque vir tāto nomine dignus ſeruus perpetuus effectus ſit: Protagoras quoque interemptus eſt dum in vna tantum vrbe hoc protuliſſet verbum: *Ignoro Deos*: Socrates etiam hoc perſuadere nuſquam valēs, vt nemo intereriit. At pauci Piſcatores id potuerunt, & aliam ac nouam religionem induxerunt toto mundo reclamante & in contrariū nitente, propterea qui dixit, *Ego confirmaui columnas eius*. Chryſ. ho. 4. in 1. Cor.

4. CERTE etiamſi non duodecim tantum fuiſſent Apoſtoli, neque adeo abiecti, ſed alter orbis terrarum huic æqualis pro ipſis ſtetiſſet, *inquit idem*, & parem habuiſſent in præſidium ſuum multitudinem vel etiam longe maiorem, ſic quoq; difficillime obtinere potuiſſent. Illis enim conſuetudo opitulabatur: his autem nouitas contraria erat. Nihil enim adeo animos perturbat, etiamſi de vtilitate agatur, quā innouare aliquid à cōſuetudine alienum facere, & maxime cum de Dei cultu & gloria agitur. Tunc enim Philoſophi, *inquit*, rhetores, patres, aui, proaui, & iis antiquiores, terra, mare, omnes barbarorum nationes, viri, iuuenes, ſenes, Domini, ſerui, agricolæ, opifices ciuitatum, & villarum incolæ, omnes denique errore inueterati erant. Et veriſimile eſt eos dixiſſe, *teſte eodem*, Quid hoc rei eſt? Nunquid vniuerſus orbis terrarum decipitur? Philoſophi, rhetores, hiſtorici qui ſunt, quique fuerunt, Imperatores, Reges, conſules: Hiſne omnibus Piſcatores, tentoriorum opifices & Publicani ſapientiores ſunt? Vnde fertur quod Plato quamuis certo eorum intelligeret errorem qui Deos colerent, ſolemnitatibus tamen & aliis Deorum ceremoniis condeſcendiſſe, vt puta qui conſuetudini repugnare non poſſet. Chryſ. ho. 24. in Mat. Chry. h. 7. in 1. Cor.

5. CÆTERUM in Apoſtolis erat & aliud impedimentum vehementius, quod non ſimpliciter à conſuetudine in conſuetudinem trahebant, ſed ab ea cui multa erat licentia ad eam cui multum impendebat periculum: Credentem enim quam primum oportebat exulare patria, bonis ſpoliari, ab omnib. odio haberi, & vltimas perpeti calamitates. Accedit ad hæc & aliud nō minorem faciens mutationis difficultatem: ſiquidem cum conſuetudine & periculis ipſa quoque præcepta grauia erant: à luxuria enim ad continentiam, ab ebrietate ad ſobrietatem, à gaſtrimargia ad ieiunium à riſu ad lachrymas, à cupiditate ad inopiam, à vitæ amore ad mortem, à licentia ad pericula vocabantur, in quibus omnibus exacta expetebatur diligētia, Turpitudo inquit Paulus ad Eph. 5. *& ſtultiloquium & ſcurrilitas nec nominetur in vobis*. Et hæc illis prædicabantur qui nihil aliud norant quam vino & epulis ventrem diſtendere. Quiſnam qui huiuſmodi vitam viueret audiens illud: *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus*, non torpeſceret? non animo animo à fide auerteretur? Luc. 9.

6. PRÆTEREA omnia difficilia prædicebant & prędicabant in hac vita, iucūda autem & facilia poſt hanc vitam promittebant. Certe dicet incredulus: Vnde conſtat reſurrectionem futuram? Quis ſepultus reſurrexit? Quis eorum dixit vllum præmium poſt huius vitæ migrationem futurum? Sed cum nihil huiuſmodi noſſent aut vidiſſent, pro crucifixo tamen animam poſuerunt, quod maximę fuit potentiæ. Obſtupeſcamus igitur virtutem Dei, eamque veneremur & adoremꝰ. hæc Chryſ. vbi ſup.

Inter-

Digitized by Google

Interrogemus Iudæos & gentes quis persuasit vniuerso orbi à patriis moribus desistere, & ad aliam transire conuersationē naturæ prorsus repugnantem? Piscator vel publicanus, vel tabernaculorū factor, vel illiteratus: Et quomodo essent hæc rationi consona, nisi diuina virtus esset quæ per illos operata est. Quid autem dicentes persuaserunt? Baptizemini in nomine Christi? Cuius? Crucifixi, quē nesciebant, nec viderāt. Et quidem quod crucifixus & sepultus esset omnibus manifestum erat: quod autē resurrexisset, nulli præter paucos viderant, nihilominus & hoc persuaserunt his qui nō viderant. Rursum quod crucifixus Deus esset, & quos hactenus coluerant non esse Deos etiamsi vaticinarentur ac futura prædicerēt, vnde sermones illi verisimiles ac probabiles, dic oro? Non aliunde quam à Dei virtute, iuxta, Psal.76. quod Psalmista ait, *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa*, seu vt alii legunt, virtutes multas. Nam præcones nō videbantur fide digni, quia apud omnes gentes exosi erant, quod veteres leges & inueteratam consuetudinem, & auitam religionem à fundamentis euerterent.

7. PER hoc quod Dominus exierit in montem orare suos electurus Apostolos, suo nos docet exemplo res egregias & arduas auspicandas non esse nisi consulto & rogato Domino, vt eas dirigat in salutem populi sui. Quod & multos paganos fecisse legimus, vt nunquam aliquod opus arduum aggrederentur nisi prius commētitios suos Deos solemnibus sacrificiis & orationibus placassent. Scipionem Africanum legimus nunquam aliquod opus arduum moliri voluisse, quin prius à Ioue auxilium & consilium postularet, quo res illi bene verteret: Et hoc ideo quia toties in consiliis & electionibus nostris hallucinamur. Iuxta id quod Sapiens ait *Cogi-* Sap.9. *tationes mortalium timidæ & incerta prouidentia nostra*. Ideo Iosue & omnes Principes in causa Gabaonitarum lapsi sunt, quia os Domini non interrogauerunt. Ideo & Dominus apud Isa. cap. 30. filios Israel Isa.30. increpat, quod se inconsulto suis consiliis & præsidiis niterentur, *Va*, inquit, *filii desertores vt faceretis consilium & non ex me, ordiremini telam & non per spiritum meum vt adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis vt descendatis in Ægyptum & os meum non interrogastis, ideo fortitudo Pharaonis erit vobis in confusionem*.

8. ITAQVE electionem Apostolorum præcessit tam prolixa oratio nocturna, vt electi intelligerent id munus egregie se exequi non posse, nisi Deum instanter deprecentur vt ostium sermonis eis aperiat, quo aliis prodesse possint. Prædicatores enim licet sermonis scientiam per sacras scripturas quas excoquunt & ruminant, hauriant vt populo subministrent, tamen *neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*.

Prædicatores enim dum frigido corde verba sermonis proferunt, *inquit Grego.* audientes inflammare non possunt: Neque enim res quæ in se ipsa non ardet, alias inflammare aut accendere potest. Itaque *prædicator mente excedat Deo in oratione & meditatione, sed proximo sobrius sit in exhortatione & elocutione*, vt Paulus loquitur: Quis autem nouit, quid, quando, & qualiter eloqui, vt prosit, oporteat, nisi is dirigat qui & actus & sermones nostros in manu sua habet? Igitur fac tu quod tuum est, *inquit Bernard.* & Deus lib.4.de Consi. quod suum est, absque tua solicitudine curabit: Planta, riga, labora, curam adhibe & tuas explicuisti partes, & incrementum vbi voluerit dabit Deus, non tu.

Quod si forte alicubi noluerit, tibi deperibit nihil, dicēte Scriptura, *Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum*. Securus labor quem nullus valet euacuare defectus alterius. Munus prędicatoris est, inquit, medicari non curare, quia curam exigeris non curationem, iuxta illud. Curam illius habe. Non dicit Dominus. Sana

Digitized by Google

illum, quia *non est in medico semper vileuetur vt ager.* Dicit Paulus, *plus omnibus laboraui,* non autem dicit, plus omnibus profui aut profeci. Vnusquisque autem secūdum laborem suum accipiet, non secundum prouentum: & ob hoc in laboribus potius, quam in profectibus gloriandum putauit.

1. Cor. 3.

9. NAM *vt auctor imper.* recte docet sacerdotibus in Ecclesia loquentibus, verbum Dei omnes suscipiunt, vnusquisque autem conuertit illud secundum cordis sui dispositionem, ita vt vni cedat in salutem, ei scilicet qui fuerit recto corde, alteri cedat in mortem generans in corde peruerso odium & indignationem. Id quod manifestum euadit exemplo Christi, de quo Petrus testatur Ioan. 6. quod *verba vitæ æternæ* haberet. Alii autem dicebant, *Durus est hic sermo & quis potest eum audire,* & abierunt retro & iam non ambulabant cum illo: Sed & Pharisæi audientes id à Christo, *Non quod intrat in os coinquinat animam,* audito hoc verbo scandalizabantur & peiores fiebant. Sicut enim stomachus per totum corpus cibum dispergit, & vnumquodque membrum suscipit nutrimentum, ipsumque in se conuertit secundum suam naturam, id enim quod iecur suscipit fit sanguis, quod fel recipit, bilis efficitur, quod autem descendit in pulmonem in phlegmata conuertitur, quod in mamillas venit, in lac redundat: Ita Paulus ait Corinth. *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Id haud dubie non vitio fiebat Pauli, tanquam ipse verbū Dei adulterasset, & instar imperiti medici venenū loco medicinæ subministrasset, sed vitio id fiebat auditorū bono male vtentium.

Homil. 1. in c. 21. Matth.

Ioan. 6.

Matth. 15.

2. Cor. 2.

10. PLVRIMVM tamen interfuerit quo spiritu is imbutus sit, humanone an diuino, qui verbum Dei annunciat. Nam qui frigido corde verbum Dei annunciāt, audientes inflammare non possunt, neque enim res quæ in se ipsa non ardet, alias accendit. Qui autem zelo Dei æstuat & desiderio sancto accēsus acquirendi Deo qui eum diligant, verbum annunciat, facilius mouet, trahit & inflammat. Hinc necesse vt qui euangelizat, diuina meditatione quæ Dei sunt, ruminet, & casta contemplatione intueatur & inspiciat. Hoc enim habet diuina meditatio, vt mentem diuino amoris igne vehementer succendat, & qui sic succensus fuerit etiam proximi zelo ardeat, quem vt Deo acquirat, otium cōtemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat: & rursus potitus votis aliquatenus in hac parte, tanto ardētius redeat in id ipsum, quanto se fructuosius intermisisse meminerit, & itē sumpto contemplationis gustu valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. Cæterum inter has vicissitudines plerumque mens fluctuat, *inquit Bernar.* metuens ne forte alteri corū, dum suis affectionibus hinc inde distrahitur, plus iusto inhæreat, & sic in vtrolibet vel ad modicum à diuina voluntate deuiet. Et fortasse, *inquit* tale aliquid S. Iob patiebatur cum diceret, *Si dormiero dicam quando consurgam? Et rursum expectabo vesperam,* hoc est & quietus neglecti operis, & occupatus perturbatæ quietis me arguo. Vides virum sanctum inter fructum boni operis & somnum cōtemplationis grauiter æstuare, & in bonis licet semper versantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiā agere, & cum gemitu momentis singulis Dei inquirere voluntatem? Vnicum in his remedium oratio est, & frequens gemitus ad Deum, vt quid qualiter, & quando nos facere velit assidue nobis demonstrare dignetur. Et ideo sponsa hæc tria sortita est nomina, vt dicatur & colūba quæ gemere potuit pro suis delictis: & formosa, quæ cœlestis cōtemplationis decorē se induit: & amica quæ sponsi conquirit lucra prædicando & ministrādo. *Hactenus Bernar.*

Hæc Bernar. ser. 47. in cant.

Digitized by Google

II. Cur & Iudam elegit in Apostolum.

1. MIRVM est cum tam maturo consilio & tā prolixa oratione præmissa suos elegerit Apostolos Dominus, quomodo inter eos & Iudam elegerit, de quo ipse Dominus testatur, Ioan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi & unus ex vobis diabolus est*, Theophilactus arbitratur cum eum eligeret Dominus, quod tunc Iudas bonus fuerit. Id si verum sit, eius exēplo monemur, vt qui stat videat ne cadat, etiamsi in Apostolicam dignitatem sublimatus fuerit: vt nauigantis fœlicitatem non laudes nisi peruenerit ad portum: nec pugnantis fortitudinem, nisi cum in morte de truculentissimo hoste victoriam reportauerit. Iudæorum perfidiam reprehēdens Aggæus cap. 1. sic ait, *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus*. Sæpe nos Deus ad grandia vocat, & magna nobis in nostra conuersatione pollicemur, sed postea desidia languentes, & domus Domini ædificationem differentes, nec semetipsos in viuum Dei templum erigentes, ex magna & inusitata vocatione vita cernitur minor etiam quam vsitata & communis. Quod nisi nosmetipsos mature excitemus & ambulemus digne vocatione qua vocati sumus, verendum est ne illud quoque quod habemus amittamus sicut addit propheta, *Et intulistis in domum & ego exsufflaui illud*. Quoties vidi ego, *inquit Hiero.* tam in doctrina quam in conuersatione de quibusdam sperata plurima, & postquam ventum est vt haberetur tempus messium, id est, tempus docendi, vitamque suam in exemplum præberent populorum, de excelso præcipitatos, & minus inuentum in eis quam opinio sibi omnium promittebat.

2. QVOD si impius fuerit Iudas cum eligeretur, vt putant alii, inter quos sic *ait Ambro.* Electus est Iudas in commendationem caritatis Christi erga nos, dum istum sibi elegit à quo sciebat se in mortem tradendum pro salute nostra: Certe id fecit Dominus qui omnium corda nouit, vt ostenderet fieri non posse, quin in Ecclesia bonis mali sint permixti. Et vt ora obstrueret hominum mundanorum, qui si sacerdotem aut religiosum virum viderint peccatis implicatum, cæteros omnes taxant tanquam huic similes, non aduertentes Iudam Apostolorum sacro senatui non præiudicasse, licet grauissimis sceleribus inuolutus esset. Contra quos sic *Aug. epist.* 137. Sunt qui nil aliud captāt, nisi vt quisquis Episcopus vel clericus vel Monachus vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari. Et tamē etiam ipsi cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proiiciunt vxores suas, nec accusant matres suas.

Cum autem de aliquibus qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant & ambiunt vt de omnibus hoc credatur, Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen in illo edocti estis. Orate pro me, *inquit*, ne forte aliis prædicans ipse reprobus inueniar. Quantumlibet enim vigilet disciplina domus meæ, homo sum & inter homines viuo: Nec mihi arrogare audeo vt domus mea melior sit quam arca Noe, vbi inter homines octo, reprobus vnus inuentus est: aut melior sit quam domus Abrahæ, vbi dictum est, Eiice ancillam & filium eius, aut melior sit quam domus Isaac cui de duobus geminis dictum est, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*: aut melior sit quam domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius incestauit: aut melior sit, quam domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit, cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit: aut melior sit quam cohabitatio ipsius Domini, in qua vndecim boni perfidum & furem Iudam tolerauerunt. Simpliciter fateor, *inquit August.* ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores quam qui in mona-

monaſteriis ceciderunt. Sed etſi contriſtamur de aliquibus purgamentis conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. *Hæc Auguſtin.*

III. Oratio nocturna maioris efficaciæ quam diurna.

1. ET *erat pernoctans in oratione Dei*) Pernoctabat Chriſtus in oratione, non vt ſibi prodeſſet, inquit Ambro. *lib. de Abel & Cain. cap. 6.* ſed vt nos doceret quid facto opus eſſet vt oratio noſtra & citius & facilius exaudiri poſſet. Nam & nocturnum ſilentium, & ipſæ tenebræ, & quies corporis mentem à diurnis officiis

Pſal. 76.

vt abſtrahens, animam reddunt aptiorem facilius in Deum eleuetur. Vnde ipſe Dauid, *Anima mea de nocte quæſiuit te*: Et alibi, *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*: tanquam illud tempus magis fuerit aptum ad quærendum, inueniendum & laudandum Dominum. Sed & S. Dominicus cum diem ſaluti animarum impenderet noctem Deo eiuſque laudibus & orationibus conſecrabat. Diſcamus vt à precibus auelli nequeamus, *inquit Chryſoſt.* ſed perpetuo illis incumbamus, tam die quam noctu, & magis noctu quando nullus interturbat, quando magna cogitationum tranquillitas.

Sem. 7. in Pſal. 118.

Si ſtudentes doctrinis ſecularibus perparum ſomno indulgent *inquit Ambr.* exponens illa verba, *Memor fui nocte nominis tui Domine* quanto magis qui Deum cupiunt cognoſcere, non debent ſomno corporis impediri, niſi quantum naturæ ſatis eſt. Et ne putes totã noctem ſopori deputandam, tunc magis orandus eſt Dominus & præſidia poſtulanda contra peccata, quando videntur habere ſecretum. Certe caligo noctis non opertorium ſed incentiuum eſt peccati, *inquit Ambro.* Cum enim ſomno & cibo & potu feruent corpora, tunc vigor mentis laxatur, & libido impuri concubitus excitatur. *Hæc ille.* Quapropter oportet vt cum nos ad quietem nocturnam recipimus precibus & hymnis nos ipſos circumuallemus hoc ipſo beatos nos exiſtimantes, ꝙ Dei cultui vacamus.

Chryſo. hom. 5. de incon. Dei na. ca. 3.

Dic mihi, *inquit Chryſ.* qua ſpe trades te ipſum nocturno tẽpori, ſi oratione munitus nõ fueris? qualibus cũ inſomniis putas tibi rem fore, ſi incuſtoditus ad ſomnum acceſſeris? Nimirum contemptibilem, captuque facilem te ipſum præbebis ſceleratiſſimis ſpiritibus, qui ſemper ambulant obſcurãtes nos, vt ſi quem deprehenderint nudatum deprecationis præſidio, protinus adoriantur & in peccatum præcipitent.

2. QVINIMO & omni loco, & omni tempore precibus Deum interpelles, vt orandi curſus non ſolum diei ſed & noctis curſum adæquet, *inquit Chryſ.* Ad hoc enim & Paulus nos adhortatur cum ait. *Sine intermiſſione orate in omnibus gratias agentes*, hæc eſt enim voluntas Dei. 1 Theſ. 1. Hic docet nos Paulus cum precatione vitæ curſum peragere, atque hac mentem aſſidue rigare. Siquidem hoc non minus opus habemus, *inquit Chryſoſt.* quam arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, niſi bibant humorem radicibus, neq; nos pretioſis pietatis fructibus poterimus eſſe grauidi, niſi precibus irrigemur. Dic mihi, *inquit*, quia fronte ſolem intueberis, niſi prius adoremus eum qui lumen illud dulciſſimum oculis tuis immittit? Dicit Propheta ſe præueniſſe orientem ſolem, cum ait Pſal. 118. Pſal. 118. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo vt meditarer eloquia tua*, quia vt *Ambro.* ait, explicans iſtum locum *ſer. 19.* Graue eſt ſi te otioſum in ſtratis radius ſolis præoccupet, & lux clara oculos ſomnolento adhuc corpore depreſſos feriat, An neſcis ô homo quod primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi meſſis, quotidianus eſt fructus. Tu Chriſtiane dormis, cui Magiſter eſt Chriſtus qui pernoctauit in oratione Dei. Nonne vereris ne de ſe dicatur, Populus iſte nec labiis me honorat? Iudæus vel labiis, tu vero nec labiis.

Si illius vel labiis honorat cor longe eſt à Deo, quomodo poteſt cor tuũ prope eſſe qui etiam labiis non honoras? Quamdiu te ſomnus, quamdiu te ſecularia tenebũt? Diuide ſaltem Deo & ſeculo tua tempora:

Digitized by Google

pora: vel quando non potes agere in publico quæ sunt istius mundi, & tenebræ prohibent noctis, Deo vocato indulge orationibus, psallito, mane festina ad Ecclesiam, & postea si vocat secularis necessitas, securus procedas ad actus tuos. *Hæc Ambro.*

3. HANC Scripturam, *Sine intermissione orate* August. *epist.* 121. sic interpretatur, Ipsam vitam beatam, *inquit*, ab eo qui eam solus dare potest, continuato desiderio in ipsa fide spe & caritate sine intermissione desiderate. Cæterum cum per certa temporum & horarum interualla etiam verbis rogamus Deum, nobis verba necessariâ sunt, quibus commoneamur & inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum seu docendum, quia ipse scit quid nobis opus sit, seu flectendũ esse credamus. Nam plerumq; hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam afflatu, sed vt tu humilieris orando, vtque peccatorum tuorum sæpe recorderis, & interpellationis frequentia Deo familiaris efficiaris. Igitur ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentẽ reuocamus, verbis orationis nosmetipsos monentes in id, quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat & penitus extinguatur nisi crebrius inflammetur. Dicunt fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, & sed eas tamen breuissimas & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimũ est necessaria, per productiores moras euanescat atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intẽtionem, sicut non est obtundenda si perdurare non potest, ita si perdurauerit non cito esse rumpendam, sed tum diu etiam orare cõuenit & vtile est, si alia bonarum & necessariarum actionum non impediantur officia, neque enim prætextu orationum necessarios in exercendis opificiis labores fugere oportet, *inquit Basi.* quia tempora diuidenda, & insuper etiam in ipsis artificiis cor sæpius ad Deum leuare possumus.

IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ.

LIBER *generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam. &c.*

Matth. I.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Cur Euangelista tam serio describant genealogiam Christi.*
II. *Quæ sit vera nobilitas, quæ falsa.*
III. *Varia dogmata traduntur in vitis Regum.*

PARS I.

1. DESCRIPTVRVS Euangelista genealogiam Christi, seriem recitat Patriarcharum & Regum, ex quorum stirpe natus est Christus, descendendo, sic inquiens, *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob: Iacob genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est Iesus:* Lucas vero eandem Christi genealogiam refert sed ascendendo à Ioseph vsque ad Deum, idque per alios progenitores quam fecerit ipse Matthæus: sic enim ait, *Iesus vt putabatur filius Ioseph qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui:* & tandem in fine subiungit, *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Cuius diuersitatis rationem assignat August. *lib.* 2. *de consil. Euang.* dicens quod *Matthæus* describat carnalem Christi generationem per quam descendit vsque ad nostram mortalitatem nobiscum participandã, & ideo semper vitus ART. I. Cur Euangel. tam serio describant genealogiam Christi. Luc. 3. Aug. lib. 2. cap. 4.

tur illo verbo genuit: per carnalem quippe generationem filius Dei factus eſt filius hominis. *Lucas* vero adoptionis originem ſuſcepit explicandam, per quam efficimur filii Dei, & ideo generationes referens aſcendit vſque ad Deum, cum ait, *qui fuit Heli, qui fuit Mathat.* Et tandem, *qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Satis autem demonſtrat non ſe ideo dixiſſe Ioſeph filium Heli, quod de illo genitus ſit, ſed quod ab illo fuerit adoptatus, cum & ipſum Adam filium Dei dicat, non quia de ſubſtantia Dei genitus, quia ſic ſolus Chriſtus eſt vnicus Dei filius, ſed quia eius gratia & miſericordiſſima voluntate adoptatus, vnde recte dicimus, *Pater noſter qui es in cœlis.* Sic & in rebus humanis fieri ſolet, *inquit Auguſt.* vt alius carne generet filium, ſicut Iacob genuit Ioſeph, alius eum voluntate adoptet, ſicut Heli adoptauit Ioſeph, ac ſic vnus duos patres habeat: Et hoc modo conciliantur Matthæus dicens Ioſeph eſſe filium Iacob quia illum genuit, & Lucas dicens Ioſeph eſſe filium Heli, quia illum adoptauit: aut vt *Ambroſius* dicit quod Ioſeph fuit filius legalis Heli, naturalis vero ipſius Iacob.

Li. 1. con. Fauſt. c. 1.

2. QVOD autem Euangeliſtæ tanta cura Chriſti Domini genealogiam & annorum eius ſeriem deſcribere voluerint, non ideo fecerunt vt generis eius nobilitatem in medio adducerent & iactitarent, quæ a Dauide Rege nobiliſſimo originem ducebat, quia carnalem generis nobilitatem non ita magni facit is qui iuſtus eſt rerum æſtimator, ſed internam animi virtutem in pretio habet. Idcirco eos qui de Abraham patre gloriabantur, quorum tamen opera ab illo degenerauerant, non Abrahæ ſed diaboli filios eſſe dixit, cuius opera & deſideria perficere nitebantur. Vidit enim ſumma illa ſapientia non alienis virtutibus ſed propriis veram nobilitatem definiri, nec quenquam alienis meritis ſed ſuis laudem promereri: Quod & Ethnicus Poeta intellexit qui dicit:

Nam genus & proauos & quæ non fecimus ipſi Vix ea noſtra voco.

Prima & vera nobilitas eſt quam & Chriſtianam vocare poſſumus, à Deo prognatum eſſe, Deum patrem habere, hauſtoque intra nos Dei ſpiritu Dei puritatem, ſapientiam, ſanctitatem, conſtantiam, & rerum gerendarum prudentiam, cæteraſque diuinas virtutes imitari, eiuſque imaginem, quemadmodum filii carnalium parentum, referre atque præſentare. Quod ſi regiam nobilitatem iactitat qui à ſtirpe regia ortum ducit, qualis ea nobilitas eſt quæ diuinæ naturæ participatione conſtat? Nihil maius certe quam à Deo genus ducere, & inter eius filios recenſeri: hæc Chriſtiana & ſumma eſt nobilitas: hac generis nobilitate & dignitate ſancti omnes nobilitati fuerunt: ſoli quippe veri nobiles ſunt qui à Deo noua natiuitate geniti ſe Deum patrem habere gloriantur.

3. ITAQVE tam ſerio hanc patrum ſeriem, ex quibus Chriſtus deſcendit ſecundum carnem, Scriptura commemorat, non vt nobilitatem Chriſti carnalem nobis ob oculos ponat, ſed vt nobis de fidelitate & veritate diuinarum promiſſionum conſtet: promiſerat enim Deus ante multa ſecula & ipſi Abrahæ quod in ſemine ipſius quod eſt Chriſtus, benedicendæ eſſent omnes gentes: & ipſi Dauidi quod de fructu ventris ſui poſiturus eſſet ſuper ſedem ſuam. Ne itaque quis putaret quia iam multum temporis effluxerat, Deum quaſi ſuæ promiſſionis fuiſſe oblitum: aut quia multi poſteritatem tam ipſius Abrahæ, quam ipſius Dauidis impietate ſua contaminaſſent, multaque ſcelera in Deum commiſiſſent, Deum ipſorum ſceleribus irritatum, ſuum pactum ſuamque promiſſionem reuocaſſe, voluit hanc ſuæ promiſſionis fidelitatem & veritatem omnibus eſſe teſtatiſſimam: Quod quamuis multi ex ipſorũ poſteris talia deſignaſſent propter quæ & ipſi & poſteri eorum, diuina promiſſione excidere & priuari merito poſſent,

Digitized by Google

ſent, tamen hoc non obſtante quod multi ex ipſis impii eſſent, voluit tamen Deus in promiſſis ſuis verax & fidelis inueniri; Et parentes impios habere non erubuit vt in ſuis promiſſis veritas reluceret, vt enim medicorum eſt ægrotorum excrementa non horrere, quo eorum ſanitati commode proſpicere poſſint, Ita cœleſtis medicus qui peccata curaturus aduenerat, peccatorum genus non erubuit. Vnde & ex mulieribus eæ ſolæ memorantur quæ vel peccatrices fuerunt, vel ab Ethnicis genus ducebant, vt Thamar, Raab, Ruth, Berſabee. Et neceſſarium prorſus eſt Deum in ſuis promiſſis fidelem & veracem agnoſcere: nihil enim æque ad ſalutem & fidem noſtram confirmandam, & ſpem erigendam, quam diuinæ promiſſionis certitudo, iuuat. Hinc

Pſal. 90. Pſalmiſta, *Scuto circundabit te veritas eius non timebis à timore nocturno.* Veritas enim qua Deus piis hominibus curam paternam, tutelam, miſericordiam promittit, velut impenetrabile ſcutum eſt, quod nullæ dæmonum inſidiæ penetrare queant aut ſagittæ. Ad hanc veluti ad tutum certumque aſylum regius Propheta poſt lapſum confugiebat cum diceret,

Pſal. 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*, tunc ſubdit, *vt iuſtificeris in ſermonibus tuis & vincas cum iudicaris*: quaſi dicat, promiſiſti opem & miſericordiam tuam omnibus ad te confugientibus, hanc mihi nunc impende vt te homines iuſtum & veracem in promiſſionibus tuis hoc meo exemplo agnoſcant.

II. Quæ vera nobilitas, quæ falſa.

SECVNDO ex hac Chriſti genealogia animaduertere licet, quam ſæpe liberi à parentum moribus degenerent: Sapientiſſimus Salomon ſtultiſſimum genuit filium Roboam: ſanctiſſimus Ezechias ſceleratiſſimum Manaſſen: diuinus Propheta Dauid parricidam Abſolonem: Et quod omnium maxime eſt admirandum, Ionathas filius Gerſan, qui patrem habuit Moyſen legislatorem, qui tanta ſeueritate vetuerat idololatriam, ſacerdos idolorum tempore Iudicum extitit, vt dicitur in *libro Iudicum.* Ita vt mirum fuerit quomodo tam profunde nepos eius lapſus ſit, vt falſorum Deorum cum ſua poſteritate ſacerdos conſtitutus ſit, idque tanto tempore donec Danitæ captiui abducerentur, & Lais ſpoliaretur, & ſimul idolum tolleretur ab hoſte victore, quod contigit tempore Samuelis cum arca Domini caperetur, & deſiit eſſe in Silo: Tunc enim vicini hoſtes, *inquit Abulenſis*, inuaſerunt Lais & deprædati ſunt filios Dan, & abſtulerunt idolū quia magni erat pretii, cum totum eſſet argenteum. Quinimo dicit *Eccleſiaſticus*, quod præter Dauid, Ezechiam & Ioſiam, omnes Reges peccatum commiſerint, *nam reliquerunt legem Altiſſimi Reges Iuda & contempſerunt timorem Dei.* Inſinuat Scriptura, *inquit Rabanus*, hos tres Reges maxime placuiſſe Deo ob deuotionem cordis & cultum pietatis quem habuerunt in obſequio Dei: qui licet in aliqua crimina lapſi fuerint & reprehenſibiles inuenti, tamen per condignam pœnitentiam deleuerunt quod inique geſſerunt, vnde & perfectam indulgentiam meruerunt. Fuerunt etiam alii Reges Iuda quorum pietatis opera commendantur, ſed non ita perfecta fuerunt ſicut horum trium: maxima autem pars Regum Iuda, ſicut & Reges Iſrael, declinauerunt ad opera impietatis & ſcelera peccatorum. *Hæc Raban.*

Iudi. 18. 9.

Eccl. 49.

2. SÆPE fit vt nobilitatis & dignitatis occaſione inſoleſcant multi, & infimos quoſque ſuperbe deſpiciant, & nobilitatis obtentu omnia ſibi licere exiſtiment: Mens quippe humana ad licentiam magis & voluptatem, quam ad pietatem & honeſtatem procliuis eſt, & magis à nobilitatis dignitate ſuperbiendi quam patrias virtutes imitandi occaſionem arripere ſolet. Nam gradus excelſus & dignitas eminens inſtar vini meri animos hominum in virtute parum firmos inebriare atque de mente deducere ſæpe ſolent.

Digitized by Google

Quod Dionyſii Syracuſanorum tyranni filius exemplo ſuo oſtendit: Is enim cum à patre corriperetur quod Syracuſani cuiuſdam ciuis vxori vim intuliſſet, cumque pater inter cætera diceret, Num à ſe rem ſimilem factam vnquam audiſſet: protinus reſpondit patri, Hoc accidit, inquit, quia nunquam patrem Regem habuiſti. Cuius ab exemplo non ſolum humanæ naturæ morbum & ad malum pronitatem, ſed multo magis etiam potentiæ & principatus pericula agnoſcere licet, dum ſuæ dignitatis prætextu omnia ſibi licere exiſtimant. Quocirca D. *Bernardus* difficile putat, eſſe in honore ſine tumore, in prælatione ſine elatione, in dignitate ſine vanitate ſe continere poſſe, raramque eſſe ait humilitatem honoratam. Dauid Propheta regius cum eſſet iam ab omnibus periculis liberatus & ad regni ſui perueniſſet faſtigium, imperii amplitudine elatus numerari populum iuſſit, vt potentiæ atque principatus ſui magnitudine perſpecta in ea gloriaretur. In cuius elationis pœnam, trium calamitatum optio ei à Domino datur, peſtis famis aut gladii, vt ex pœnæ magnitudine agnoſceret grauitatem ſuæ culpæ. Quid vero hic miſerandam Saulis Regis tragædiam referam? Is enim poſtquam à Deo electus & in Regem vnctus & ſpiritu ſancto plenus eſſet, adeo regiam dignitatem extimuit vt latebras etiam quæſierit quo eam effugeret, quem tamen regia dignitas poſtmodum ita
1.Reg.13. dementauit, vt optimum Regem (ſic enim de eo Scriptura teſtatur, *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnauit ſuper Iſrael,* ſcilicet in illa puerili innocentia & humilitate, *ſic Gregor. in hunc locum*) in crudeliſſimum carnificem & atrociſſimum ſacerdotum Dei parricidam commutarit, & ad infœliciſſimum vitæ exitum perduxerit.

3 Est quidem præclarum eminentem ſortiri gradum ac dignitatem, eſt honorificum nobilibus parentibus eſſe progenitum, & ideo illud decus ambitur ab omnibus, etiam à cerdonibus & hiſtrionibus: Cæterum parum eſt honorificum, ſortiri gradũ, ſi tu ipſum non cohoneſtaueris: Neque enim gradus hominem reddit honorabilem, ſed potius homo ſuis moribus ſuiſque virtutibus gradum efficit ſublimem. Sic parum profuerit parentes habere nobiles ſi ipſe prauis moribus ſis ignobilis: cum vera nobilitas non magis ſine virtute, quam homo ſine ratione intelligi queat. Imo nobilitatis nomine non vulgares virtutes ſed nobiliſſimas & clariſſimas quaſque intelligere ſolemus: quales ſunt magnanimitas, animi fortitudo, rerum prudentia gerendarum, & id genus alia. Tanto enim nobiles priuatis hominibus meliores eſſe debent, quanto eos auctoritate præcellunt magis: cum enim capitis loco ſe gerant nobiles ac principes, mores ſuos velut exemplar aliis imitandos proponere debent, edocti in ea ſtudia multitudinem propenſam tuere, quæ vident ſuis principibus placere. Vnde Eccleſiaſticus, Eccl. 10. *Secundum iudicem populi ſic & miniſtri eius, & qualis eſt rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea*: & illud Poetæ, *Principis in mores totus componitur orbis.* Certe ſalus ac Pater Patriæ eſt nobilis qui probe ſe gerit, ſeſeque ſua nobilitate dignum ac digne exhibet: pernicies autem Reipublicæ & peſtis ſi improbus fuerit. Accidit autem id nobilitati quod & rebus aliis, vt ſit vera nobilitas, ſit & falſa ſeu fucata, ſicut eſt verus amicus ſic & fictus, eſt verum aurum, eſt & fucatum ſeu adulterinum. Veri nobiles ſunt non qui vulgaribus, ſed qui præſtantiſſimis virtutibus, virtutumque operibus præditi ſunt: vera enim nobilitas non magis abſque virtute, quam homo ſine ratione intelligi poteſt.

4 Falsa nobilitas eſt quæ propriis meritis ac virtutibus deſtituta in ſolis maiorum ſuorum armis & rebus ab illis præclare geſtis gloriatur, etiamſi virtutem non imitetur, qui nobilitatem inde metun-

meriuntur quod virtute, ſcientia, & rerũ gerendarum prudentia abiecta (quippe quæ non ſibi aut prodeſſe, aut neceſſaria eſſe putant, ſed iis dumtaxat qui literarũ ſcientia ſibi victum comparare debent) veſtibus pretioſis, opibus ac diuitiis auctoritatem comparare, fauorem captare, timorem pariter & honorem extorquere nitantur, tanquam plus poſſint ſuis diuitiis quam virtutibus. Quibus id ſtudij eſſe videtur quo tempus fallant, otium agere, aleis & taxillis ludere, lepidis puellis confabulari, ſaltare, comeſſari, in multam lucem ſtertere, hoc eis pulchrum & nobile videtur: Studium autem ſapientiæ prodeſſe quidem nõ ipſis, ſed quibus hac arte opus eſt, vt victum ſibi comparent. Nunquid artem ſeu prudentiam regendi populum, qua nulla potior aut difficilior eſt, quis ſecum eduxit è matris vtero? Qui igitur ea ſtudia reiiciunt quibus huius artis peritia paratur, quomodo populo aut Reipublicæ apte præeſſe poſſunt? Nemo qui artem neſcit equitandi aut equos regendi facile conſcenſurus eſt equum recalcitrantem. Quomodo ergo populum ad regendum quouis equo difficiliorem, in quo omne vitiorum genus redundat, & quod cernis capita, tot reperies vitia, apte moderari aut regere poterit? certe ſubuerterit potius quam direxerit, niſi artem regendi didicerit, ſicut habet fabula Phaëtontis qui aurigandi neſcius ardore iuuenili currum patris gubernandum, ſolemque regendum ſibi depopoſcit, & per hoc cũcta & ſemetipſum in exitium præcipitauit.

Qui iſtiuſmodi ſunt dum à maiorum ſuorum moribus degenerant, ſuæ ſuorumq; maiorum nobilitati ac decori turpem maculam inurunt & inferunt. Nam maiorum ſuorum præclara facinora, vt nobilitatem ſuis poſteris adferunt, ita etiam neceſſitatem, ne ab illis degenerẽt. Quid enim aliud eorum arma eſſe videntur quam notæ quædã generoſi ſeminij, vt ſciãt omnes quid ab illis expectare debeant, ac quaſi ſuo iure repoſcere. Id quod in mutis animalibus Paſtores videmus facere, vt oues & arietes magis egregios inſigniant, & roſa aut ſimili nota à cæteris diſcernant.

§ ET HÆC cauſa vel præcipua eſt cur præclarorum virorum geſta & acta nobis ob oculos ponantur, cur ſanctorum Patriarcharum, Regum ac Ducum, ex quorum proſapia deſcendit Chriſtus, pietas, ſapientia, fortitudo, & id genus virtutum alia tam grauiter, & ſerio ac ſedulo in Scriptura ſacra deſcribantur, vt in iis homo videat quid agendum, quid fugiendum, quid tolerandum, aut reſiſtendum. Mire enim ad vitæ noſtræ inſtitutionem hiſtoriarum ſanctarum cognitio conducit: vt enim *Cicero* eleganter dixit, Hiſtoria magiſtra eſt vitæ, lux veritatis, vita memoriæ, teſtis temporum, memoria actorum, exemplar agendorum, quæ facit vt adoleſcentes ſenilem prudentiam aſſequantur, quia cognitione rerum antiquitus geſtarum cõparat ſibi quiſque prudentiam rerum gerendarum. Hinc Demetrius Philoſophus inſignis Ptolomeum Ægypti Regem ad Hiſtoriæ lectionem adhortabatur, vt ex rebus præclare geſtis quid ſequendum, ex contrariis vero quid fugiendum eſſet, addiſceret. Hiſtoria enim vere & ſyncere admonet quod adulatorum greges, quibus ſtipati Reges incedunt, delicatis eorum auribus ingerere metuunt. Atq; vtinam qui maiorem diei partem in mendacibus hiſtoriis legendis inſumunt, ſacras hiſtorias, aut Sanctorum vitas euoluere ſtuderent, & ſanctorum Patriarcharum ac Regum, quorum in hac ſerie nomina referuntur, vita philoſopharentur, inde certe fructum ampliſſimum decerpere, & formam vitæ recte inſtituendæ copioſiſſime colligere poſſent. Primo enim qui hanc ſeriem patrum ac Regum reuoluit hoc videbit quanta proſperitate etiam in bello, vt tempore Dauidis, quanta pace & rerum omnium abundantia Iſraeliticus

Digitized by Google

populus fruebatur cum ij clauum & ſceptra tenerent, qui religionis & iuſtitiæ cultores erant, ſicut tempore Ezechiæ & Ioſiæ. Contra vero cum Reges diuinæ legis obliti diis alienis ſeruire cœpiſſent, omnia illis in diuerſum cedebant, nulluſque calamitatum & miſeriarum populi finis erat. Hac enim ratione Dominus voluit vt calamitatum ſuarum experimento populus cognoſceret quod
Ierem. 21. per Prophetam Ieremiam dixit, *Scito & vide quia amarum eſt te dereliquiſſe Deum tuum.* Quam rem cum multis exemplis ex hoc Regum numero confirmare poſſem, vnius Regis Ioas exemplum abunde ſuffecerit: Is enim cum Principum ſuorum adulationibus delinitus, diis alienis ſeruire cœpiſſet, excitata eſt aduerſus populum ira Dei: euoluto enim
2. Paralip. 24. anno, *aſcendit contra eum exercitus Syriæ, venitque in Iudæam & Ieruſalem & interfecit cunctos Principes populi, atque vniuerſam prædam miſerunt Regi in Damaſco.* Et certe cum permodicus veniſſet numerus Syrorum, tradidit Dominus in manus eorum infinitam multitudinem eo quod dereliquiſſent Dominum: In Ioas quoque ignominioſa exercuerunt iudicia & abeuntes dimiſerunt eum in languoribus magnis, ſurrexerunt quoque contra eum ſerui ſui in vltionem ſanguinis Zachariæ filij Ioiadæ ſacerdotis, & occiderunt eum in lectulo ſuo & mortuus eſt, ſepelieruntque eum in ciuitate Dauid, ſed non in ſepulchris Regum.

6 Hinc videmus quantum malorum toti Reipublicæ immineat ex prauo capite & iniquo Rege. Quocirca cum diabolus hoſtis humani generis vult nocere populo, principi inſidiatur, Conſurrexit, inquit Scriptura, Sathan aduerſos Iſrael, & quid quæſo fecit? *Et incitauit*
1. Paral. 21 *Dauid Regem,* inquit, *vt numeraret populum,* hoc eſt, caput impetiuit, vt toti noceret corpori. Et hoc non modo in diuerſis Regibus ſed in eodem etiam Rege cõtigit: Salomon enim quo tempore Dei cultor extitit, Deum propitium ſibique fauentem habuit, & Reges omnes ſapientia, diuitiis & gloria ſuperauit: vbi autem vxorum ſuarum blanditiis demẽtatus à Deo defecit & idola coluit, Deum infenſum ſibi ſenſit, qui ei aduerſarios ex finitimis nationibus excitauit, & poſt eius mortem maximam regni partem ab eo ſeu eius filio Roboam auulſit.

Quæ cum ita ſint, magna cura monet Apoſtolus, *vt orationes & obſecrationes fiant pro Regibus & Principibus, & his qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt tranquillam vitam agamus in omni pietate.* 1. Tim. 2. Eſt & hoc aduertendum in ipſo Salomone, quod pijs omnibus maximum incutere debet timorem, ſummam ſapientiam qualis in Salomone fuit, ſi Dei timore & præſidio deſtituta ſit, minime ad ſalutem ſufficere. Salomon enim licet tanta ſapientia eaq; diuina pręditus eſſet vt etiam ſacros libros ſpiritu diuino plenos conſcriberet, ſic tamen ſui oblitus à fide defecit vt nefandis dæmonibus funeſtas aras & templa erexerit. Quocirca recte nos monet Eccleſiaſticus. Eccl. 5. *Quam magnus eſt qui inuenit ſapientiam, ſed non eſt ſuper timentem Deum.*

III. Varia dogmata ex vitis Regũ deſumi poſſunt.

7. Secundo ex horum Patriarcharum ac Regum qui hic recenſentur hiſtoria, videtur vtique quam breuis & fragilis ſit huius ſæculi dignitas & gloria, quam tamen mortales omnes tam ſitienter appetunt, vt pro ea aſſequenda multi & viuere velint & mori non dubitent. Id quam ſtolide & inſipienter faciant, docent nos eorum Regum exempla qui hic recenſentur, quorum imperium atque potentia multis erant dum viuerent, formidini, quorum magnifica palatia aureis laquearibus ſplendebant, quique diuinis propemodum honoribus extollebantur dum hic agerent. Et ecce tranſierunt hæc omnia tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cu-

ius

Digitized by Google

ſius cum pertranſierit non eſt inuenire veſtigium: inſpice ſepulchra eorum & vide quis Rex, quis plebeius, quis Dominus, quis ſeruus: Nonne omnia puluis, omnia fauillæ? vt merito dixerit Eccleſiaſt. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*: vt ſicut in Cantico Canticorum inter omnia carmina, excellens carmen oſtenditur, ita in vanitate vanitatum vanitatis magnitudo demonſtretur, *inquit Hier.* Sed ſi cuncta quæ fecit Deus ſunt valde bona, quomodo omnia vanitas? Sicut ſomnus in quo ſomnianti variarum rerum apparent ſpecies & imagines, dicitur vanus, quia mox euaneſcunt omnia nec quicquam eorum quæ videbantur aliquid eſſe, ſubſiſtit, ita præterit figura mundi huius, quæ quia caduca eſt, inſtar ſomni euaneſcit: affluat quis deliciis & fruatur huius vitæ bonis, quamdiu fruitur aliquid eſſe videtur, ſicut ſomnianti ſuus ſomnus iucundus & delectabilis videtur, ſed dum præterita voluptas præſentem non iuuat, *inquit Hiero.* & exhauſta non ſatiat, quis hæc omnia non euanida dixerit? Bona ſunt ſecundum ſubſtãtiam quæ creata ſunt omnia, quin & legitimus eorum bonus eſt vſus, ſed quomodo ſi igniculum lucernæ videns contentus eſſem eius lumine, & poſtea orto ſole non cernerem quod lucebat, ſtellarum quoq; lumina iubare viderẽ ſolis abſcondi: Ita, *inquit Hieron.* aſpiciens elementa & rerum multiplicem varietatem, admiror quidem operum magnitudinem recogitans autem omnia pertranſire, & mundum ſuo fine ſeneſcere, ſolumque Deum illud ſemper eſſe quod fuerit, quãuis omnia quæ hoc mundi circulo continentur, per ſe bona ſint, quin & eorum vſus legitimus bonus eſt, creata enim ſunt, *inquit Tertull.* a Deo proſpectore, inſtructore, & oblectatore ſui hominis in meras vtilitates, certa ſubſidia & honeſta ſolatia miſeriæ huius vitæ: Tamen ad Deum comparata pro nihilo ſunt, ſicut lumen Lunæ orto ſole nihil eſſe videtur.

Hier. in 1. c. Eccl.

Tertull. c. 8. de coro. mili.

2 EST ALIVD in hac genealogia Chriſti, in hac Regum & Patriarcharum ſerie conſiderandum, ſcilicet fortunæ inconſtantia quæ ita ludit in vita humana vt quoſdam ex humili conditione ad ſummam dignitatem euehat; alios vero è ſummo gradu ad extremam vſque miſeriam & in miſerrimam ſeruitutem deturbet. Dauid enim ex opilione factus eſt Rex: Manaſſes vero & Sedechias ex regno florentiſſimo in teterrimos coniecti ſunt carceres. Sed & Ioſeph vir Mariæ ex regia ſtirpe ortum ducens eo inopiæ deuenit vt vili opificio, ſerra & ſecuri victum ſibi comparare debuerit. Cuius exemplo ij redarguuntur nobiles qui in paupertatem redacti fame malunt cruciari, aut certe inopia cogente malis artibus victum conquirere, quam honeſtum aliquod opificium exercendo ſibi de neceſſariis vitæ prouidere, metuẽtes ſi id facerent quod ſuæ nobilitati notam aut maculam inurerent; Quaſi vero hac in re ſapientiores ſint, meliuſq; ſibi conſulant, quam aut Iacob Patriarcha, qui quamuis tantus eſſet nobilis vt etiam Abrahamum Patriarcham auum haberet, ſoceri tamen ſui Laban oues paſcere non erubuit: Aut Chriſtus ipſe qui cum putatitio ſuo patre fabrilem non eſt dedignatus exercere artem; ſic enim de eo loquuntur apud Marcum, *Nonne hic eſt faber cuius & fratres & ſorores apud nos ſunt?* Marc. 6.

3 HOC autem in ſanctarum hiſtoriarum lectione ſedulo eſt obſeruandum, vt eas dum legimus, non curioſe id agamus, ſolaque ſcientia contenti ſimus, vt ij ſolent qui fabuloſis aut prophanis hiſtoriis legendis tempus inſumunt: Sed ſi quas virtutes ibidem inuenerimus, eas moribus ac vita imitari ſtudeamus: ſimiles in hoc peritis pictoribus qui ſi vſquam imaginem perfecte expreſſam viderint, eam protinus imitari & exprimere nituntur. Alias qui eo fine legit vt ſciat duntaxat ſuæque curioſitati ſatisfaciat, non autem vt imitetur & ſimilis euadat,

Digitized by Google

uadat, ſimilis eſt illi qui menſam videt variis ferculis inſtructam de quibus non guſtat, hocque agendi modo oculos paſcere poteſt, qui non ſatiantur viſu, ſed ventrem nequaquam. Quapropter qui legunt & ſtudent vt ſciant duntaxat, curioſi ſunt, *inquit Bernard.* ſunt qui legunt & ſtudent vt ſciantur, & ſuperbia eſt: ſunt qui legunt & ſtudent vt quæſtum faciant, & auaritia eſt: ſunt qui legunt vt ſapientes euadant, & prudentia eſt: ſunt qui legunt & ſtudent vt alios ædificent & inſtruant, & caritas eſt. *Hac Bernard.* Quiſquis igitur Abrahæ legerit hiſtoriam, poterit ex ipſius vita colligere & conſiderare varia virtutum genera, & Gen. 22. promptam eius obedientiam; vt cum iuberetur filium ſuum Iſaac offerre Deo, de nocte conſurgens ſtatim huic obtemperauit mandato, nec expectauit ſolem orientem: Et paternam curam atq; ſollicitudinem erga ſuos domeſticos vt eos Gen. 18. in timore Dei & omni pietate inſtrueret, ſic enim ait Scriptura: *Scio quod præcepturus ſit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini & faciant iudicium & iuſtitiam*: Et animi fortitudinem & & longanimitatem, dum à Pharaone ei vxor eriperetur: fortem in Deum fidem, Gen. 12. quæ non infirmabatur etiamſi multa aduerſa & cõtraria ei obueniret, quam promiſſum erat. Has autem & ſimiles virtutes dum imitari adnitimur, non protinus ſummi & perfecti eſſe velimus, perfectum enim vitæ exemplar quod proponitur imitandum, fit, vt eo contendas & paulatim proficias, ac tandem eo perueniias.

4 IN HAC genealogia eſt & iſtud notandum quod Salmon genuerit Boos de Raab, quæ non ſolum alienigena ſed & meretrix fuiſſe dicitur *Iacob* 2. & *Ioſue* 2. Quomodo Salmon vnus vt creditur, è principibus populi ſui Raab & alienigenam & meretricem duxit in vxorem? cum vtrutaque lege fuerit prohibitum, vt patet *Exod.* 34. *Deutr.* 7. & 3. *Reg.* 11. Hic dicẽdum quamuis mulier hæc prius meretrix fuerit, quia tamen meretrix eſſe deſiit, & bene de populo Dei merita fuerat, exploratores hoſpitio excipiens eoſque abſcondens & ſaluans, vt dicitur *Ioſue* 2. ideo Principis viri coniugio honorata fuit. Alienigenas autem non fuiſſe lege prohibitum vxores ducere, quod alienigenæ eſſent, ſed quod idololatræ: hæc enim legis ratio redditur Exodi 34. *Ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos.* Qua ſublata cauſa alienigenas vxores ducere licebat. Nam & Dauidem virum ſanctum Maacham filiam Regis Geſſur ſine vlla ſcripturæ reprehenſione duxiſſe legimus, 2. *Reg.* 3. quia etſi Scriptura non dicit, tamen non gentilem adhuc, ſed factam prius religione Hebræam duxiſſe credendum eſt. Multo verò magis credendum Raab relicto prius falſæ religionis errore à Salmone ductam fuiſſe cum id Scriptura non obſcure ſignificet: Hæc enim eſt confeſſio Raab, Ioſue 2. *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum & in terra deorſum.* Quodque de Raab Ierechontina dicimus, id etiam de Ruth Moabitide & ipſa alienigena intelligendum eſt, quam etiam Scriptura piam fuiſſe docet. Sic enim reſpondet Socrui, *Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus*, Ruth. 1. Et notandum, *inquit Hieron.* in genealogia Saluatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas quas Scriptura reprehendit, vt Thamar quæ ſe Iudæ habitu meretricis expoſuit, Raab quam Scriptura meretricem appellat, Ruth quæ ante legitimas nuptias Booz ambiuit amplexum, Berſabee quæ cum Dauide adulterium admiſit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens omnium peccata deleret. Cui & iſta ratio adiungi poteſt, vt hinc conſtet quam Deus ſit fidelis in promiſſionibus ſuis, quæ labefactari non potuerunt quantumuis improba eorum vita, à quibus deſcenſurus & naſciturus eſſet CHRISTVS.

Hiero. in Matth.

5 POSTRE-

5. POSTREMO cum Matthæus dicat Salathielem filium fuiſſe Iechoniæ, Lucas vero Neri, videndum quomodo hi duo inuicem ſibi conſentiant. Hic reſpondet *Lyranus*. Salathielem Iechoniæ natura, Neri vero adoptione fuiſſe filium. *Maldonatus* vero putat Iechoniam filiam Neri, qui ex Dauide per Nathan genus ducebat, vxorem habuiſſe, ex qua Salathielem procreauerit, qui Iechoniæ proprie filius quia ab eo genitus, Neri vero minus proprie, quia filiæ eius erat, filius appellatur. *Lucas* ergo cum Matthæum vidiſſet Christi originem à Dauide per Salomonem ductam diligenter explicaſſe, voluit eiuſdem originem per Nathan ipſe deducere, vt probaret magis omnibus filium eſſe Dauidis vtrinque regni eius ſucceſſorem. Cum autem veniſſet ad Salathiel qui materno tantum genere ex Nathan ortum trahebat, noluit eius matrem propter Scripturarum conſuetudinem, ſed eius auum, Neri ſcilicet patris loco numerare. Quo modo dicitur ex opinione quorundam Heli apud Lucam patrem dici Ioſeph, nō quod pater ſed quod ſocer eſſet, paterque B. virginis, idem qui Ioachim alio nomine vocari ſoleat, Iacob autem quod vere pater eſſet: quæ ſententia non omnino diſplicet *Ianſenio*. Quatuor itaque modis aliquis alicuius dicitur filius: *aut natura*. ſic Salathiel fuit filius Iechoniæ, & Ioſeph filius Iacob quia ab eo genitus: *Aut lege*, ſic Ioſeph legalis fuit filius Heli, ſecundum communem opinionem: Iacob enim & Heli fratres fuerunt vterini ex diuerſis patribus prognati, quorū alter ducta vxore ſine liberis diſceſſit. Heli nimirum, alter vt lex iubebat *in Deutronomio*, ex ducta vidua Ioſephum ſuſcepit, Iacob ſcilicet. *Aut adoptione* quemadmodum Ephraim & Manaſſes cum natura eſſent filii Ioſeph Patriarchæ, adoptione tamen filii fuerunt Iacob, ideoque ſuam quiſque tribum ſicut cæteri eius filii effecerunt, vt dicitur in *Geneſi*. *Quarto modo* dicitur quis filius alicuius qui eſt eius ſocer cuius filiam duxeris in vxorem, quo modo

Deu. 25.

Gen. 48.

ſecundum quoſdam Salathiel dicitur filius Neri à Luca, quia Iechonias qui erat naturalis pater ipſius Salathiel, in vxorem duxerat filiam Neri cuius Salathiel ex parte matris nepos erat & hoc modo filius.

6. SOLENT Principes huius ſeculi natalitium ſuum diem feſtiuis celebrare gaudiis, ſicut Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, tribunis, & primis Galileę *vt Mar.* habet: mortis vero diem luctu atque lachrymis proſequi. At longe alium Eccleſia morem habet, natiuitatis enim diem ſuorum filiorū tacite prærerit, quia naſcimur filii iræ, ſic enim Paulus ait, *Natura filii iræ ſumus ſicut & cæteri*. Vnde Iob maledicit diei natiuitatis ſuæ, *Pereat dies*, inquit, *in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt, Conceptus eſt homo*: Non vtique maledicit diei natiuitatis ſuæ quatenus eſt creatura Dei, quæ ei nihil nocuit, ſed quia homo in peccato cōceptus & natus, in hanc mortalem vitam ærumnis & miſeriis plenam ingreditur per ſuam natiuitatem: & niſi à peccato gratia Chriſti liberetur, non ſolum in hac vita naſcitur multis calamitatibus & caſibus obnoxius, verumetiam in futura gehennæ & damnationis perpetuæ filius. Et hoc eſt quod Propheta Iob deplorat in perſona eorum qui de tenebris vadunt ad tenebras exteriores, de miſeria temporali ad mortem & miſeriam ſempiternam. Prudenter itaque natalem Sanctorum diem celebrat Eccleſia, non quo nati ſunt in hanc mortalem vitam miſeriis plenam, ſed quo trāſierunt in vitam æternam. Sic enim *Augu. in ſerm. de Cypriano ait*, quid eſt hoc fratres, *inquit*, quando ſanctus hic natus ſit ignoramus, & tamen quia hodie paſſus eſt natalem eius diem celebramus: ſed quādo natus eſt etiamſi ſciremus, nequaquam diem illum celebramus, illo namque die in peccato natus eſt, iſto die peccato liberatus eſt: illo die excluſo matris vtero in hanc lucem proceſſit quæ oculos carnis illecebrat: iſto autem ex profundiſſimo carcere & ærumnoſo ergaſtulo

Mar. 6.

Iob. 3.

in illam lucem deceſſit quæ viſum mentis illuſtrat. Ab hac tamen lege & communi Eccleſiæ more B. Maria ſingulari ratione eſt excepta, cuius non modo pium defunctionis diem ſeu Aſſumptionem, ſed natiuitatis quoque per vniuerſum celebrat orbem Eccleſia, non ſolum quia natiuitas eius Saluatoris aduentum prænunciauit, ſicut aurora ſolem, ſed etiam quia omnis peccati expers in hanc lucem proceſſit.

PARS II.

In laudem B. Mariæ virginis.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *B. virgo omni virtutum genere fuit decora.*

II. *Cum ita foret ſancta & gratia plena, cur tam dura fuerit paſſa in hac vita.*

III. *Quomodo B. virginem imitari oporteat.*

ART. I. B. V. omni virtutũ genere fuit ornata.

1. DECLAMATVRVS laudem B. virginis inhabitatorem eius Spiritum ſanctum inuoco, vt qui illi virtutes largitus eſt, mihi ad enarrandas eas ſermonem tribuat, vt dicta factis ſinõ exæquentur ſaltem alioquouſq; & veluti in vmbra delineent. Nam quanquam verum ſit quod quidam ait, eorum qui fecerę virtutes, tanta habentur merita, quantum ea verbis potuere attollere præclara ingenia: vnde Alexander Magnus cum ad Achillis tumulum perueniſſet, Fœlicem te, ait, iuuenis, qui magno frueris pręcone meritorum, Homerum ſcilicet ſignificans: Et Arthemiſia regina oratoribus iis ſumma propoſuit pręmia, quia mariti ſui Mauſeoli, quẽ amabat ardentiſſime, iam defuncti merita & laudes extuliſſet quam optime. Tamen ſicut vidua illa fuit laudata quæ in gazophilacium immiſit duo minuta.

Eſt enim aliquid prodire tenus ſi non datur vltra.

Non poſſis oculo quantum contendere lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec quia deſperes inuicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere chyragra:

Ita quamuis pro dignitate B. virginis Mariæ nihil dicere poſſimus, etiamſi cuncta corporis membra verterētur in linguas, & omnes artus humana voce reſonarent, Non tamen idcirco ſub ſilentio à nobis prætereunda virgo Maria. Nam vt rectè Bernardus ait, De Mariæ dignitate, gloria & virtute, nec ſilere deuotio patitur, nec dignum aliquid ſterilis concipere cogitatio, aut ineruditа poteſt locutio parturire. Ber. ſer. 4. de aſſump.

2. HINC eſt quod & ipſi cœleſtis curiæ Principes in conſideratione tantę nouitatis exclamant non ſine admiratione, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?* Nec enim pares inueniuntur deliciæ vel in nobis, quos in ciuitate Dei & in Paradiſo voluptatis lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloriæ potamur, Quæ eſt iſta quæ de ſub Sole, vbi nihil eſt niſi labor & dolor & afflictio ſpiritus, aſcendit delicijs ſpiritualibus affluens? Deliciæ veræ fauus charitatem diſtillãs, viſcera miſericordiæ, plenitudo gratiæ, prærogatiua ſingularis gloriæ. *Hæc Bernardus.* Non eſt quod me magis delectat, *inquit idem*, quam de virgine loqui, ſed nec eſt quod terreat magis quam de gloria & gratia virginis Mariæ habere ſermonem, quia licet de ea loqui geſtiant omnes, tamen quicquid dicitur de indicibili, eo ipſo quod dici potuerit, minus gratum ſit, minus acceptetur. Quæ enim vel Angelica puritas virginitati illi poſſet cõparari quæ digna fuit fieri habitaculum ſpiritus. Quanta putas & quam pretioſa humilitas huius virginis cum tanta puritate & innocentia tanta, cum tantæ gratiæ plenitudine? Digna plane quam reſpiceret Dominus, cuius decorem Rex concupiſceret, cuius odore ſuauiſſimo ab æterno illo paterni ſinus attraheretur accubitu.

cubitu. Verum nos quidem ſeruuli tui laudamus tuam virginitatem, humilitatẽ miramur, & in cæteris virtutibus tibi congaudemus, ſed miſericordia tua miſeris ſapit dulcius, miſericordiam amplectimur charius, recordamur ſæpius, crebrius inuocamus, & in hac potius nobis ipſis congratulamur, hæc eſt enim quę ſalutem omnium impetrauit. Ad hunc igitur miſericordiæ fontem tota ſollicitudine miſeria noſtra recurrat vt gratiam quam apud Deum inuenit, nobis etiam faciat notam, reis veniam, ægris medelã, puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adiutorium & liberationem, ſanctis ſuis precibus obtinendo. Sufficere quidem poterat Chriſtus qui nobis factus eſt conſolatio, ſed nobis non expediebat, quia in eo homines diuinam reuerentur Maieſtatem, quam veretur peccator accedere, *inquit Bernar. ſer. 7. in cap. 12. Apo.* ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat & ipſe peccator à facie Dei. Et ideo opus eſt mediatore ad mediatorem ipſum, nec alter nobis vtilior quam Maria, quæ plena eſt manſuetudinis & miſericordiæ, in qua nihil auſterum, nihil terribile, plena ardoris, charitatis & ſplendoris ſapientiæ: Ea enim de cauſa dicitur mulier amicta ſole. *Apocalyp. 12.*

3. MIRVM eſt quomodo fragilis natura tantum ardorem & ſplendorem ſuſtinere potuerit. Verum ſicut non fuit rubi natura opertum vndique flammis manere nihilominus incombuſtum, Ita non mulieris potentia, vt ſuſtineat ſolis amictum, hoc inquam non virtutis eſt humanæ, ſed nec Angelicæ quidem: Sublimior quædã neceſſaria eſt, de qua dicitur, *Et virtus altiſſimi obumbabit tibi:* Nihil vt ſit mirum ſi ſub tali obumbraculo talis etiam à muliere ſuſtineatur amictus ſolis, quæ amicta fuit lumine ſicut veſtimento & ſole atque ipſius ardore. Nec facile dixerim quod vel angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget, *inquit Bernar.* Nec ſine cauſa Angelus qui Mariæ prædixit conceptionem & natiuitatem, eam Mariam, quod interpretatur ſtella maris, appellandam annunciauit, vt nomine ſuo quid futura eſſet, prædiceret & veluti propheraret. Edita namque in lucem mox virgo ſancta clare cœpit clarere lumine, atque inter teneros annos morum ſplendore & ſancta vitæ claritate emicate. Nam ab infantia in loco enutrita ſancto, non puellarum leuitatem aut laſciuiem ſectabatur, ſed innocenter in cellula templi habitans & Dei deſiderio flagrans nihil præter Deum, parentes, & templum cognoſcere videbatur. Neque de nihilo eſt quod de ea legimus in Canticis, *Quæ eſt iſta quæ progreditur vt aurora, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Maria in ortu auroræ comparatur, vt enim naſcente aurora, quæ finis eſt præteritæ noctis, & initium diei ſequentis, quia naſcente aurora aduertimus ortum ſolis iam propinquum, ita naſcente Maria, quæ initium eſt conſolationis & lætitiæ, & finis dolorum atque triſtitiæ, prænuncia data eſt ſempiterni diei, *inquit Rupertus.* Rup. lib. 6. in Canti.
In conceptione Chriſti autem Luna dicitur, quia maiori ſapientiæ lumine illuſtrata, ſic tamen vt luceret luce non propria ſed aliena. In aſſumptione vero Soli comparatur, quia tunc claritate gloriæ fulſit ſicut Sol, in regno cœleſti. Aptiſſime itaque maris ſtella dicitur, cuius radius vniuerſum orbem illuminat: ipſa inquam præclara eſt ſtella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum micans meritis, & illuſtrans exemplis. O quiſquis te intelligis in huius ſeculi profluuio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare quam per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius ſideris, ſi non vis obrui procellis & vndis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, *inquit Bernar.* inuoca Mariam: Si iactaris ſuperbiæ vndis, ſi detractionis, ſi æmulationis: reſpice ſtellam, inuoca Mariam: Si criminum immanitate turbaris, conſcientiæ fœditate confuſus, iudicii horrore perterritus, barathro inci-

hæc Bern. ho. 2. ſuper miſſus.

incipias abſorberi triſtitiæ,& deſperationis abyſſo, reſpice maris ſtellam inuoca Mariam,in periculis,in anguſtiis, in reb. dubiis confugias ſub præſidium eius, & vt impetres eius orationis ſuffragium nõ deſeras conuerſationis exemplum *Hæc Bernardus.*

4. CVM *dicitur Aue gratia plena*, patet inquit *Bernar. 7. ex par.* quod variis virtutibus tanquam fulgidis quibuſdam carbunculis exornata fuit B. virgo Maria. Neque enim in ſola virginitate conſtare poterat gratiæ plenitudo. Felices quidem qui cum Regina noſtra virginitatis priuilegio gloriantur: Sed num vnam tantum habes benedictionem ô Domine? Et mihi obſecro vt benedicas, ſi non de virginitate, quia periit illa à me, inquit Bernardus, & non eſt iam vel aſpirare ad illam: ſaltem de humilitate qua ſingulariter gloriaris dicens, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, vt hac emundatus niueum quendam innocentiæ recuperem candorem iuxta illud Pſalmiſtæ Pſalm. 50. *Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor.*

Verum in eo qui grauiter peccauit, etſi amanda, non tamen admiranda humilitas, *inquit Bernard. ſer. 43. in Cant.* At ſi quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nonne is tibi videtur geminum animæ poſſidere decorem, vt in eo competat quod ſcriptum eſt, *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es?* Geminam hic innuit pulchritudinem quia ſancta Maria & ſanctimoniam non amiſit, & humilitate, quæ decor animæ, non caruit. Et ideo concupiuit Rex decorem eius, quia humilitatem innocentiæ ſociauit. Vtinam vel ſemel dicas animæ meæ Domine Ieſu. *Ecce tu pulchra es.* Vtinam mihi humilitatem cuſtodias, nam primam veſtem ego male ſeruaui. *Haſtenus Bernardus.*

Ber. ſer. 4. in Can.

5. MIRABILI Spiritus ſancti artificio factum eſt vt cum in B. virgine tanta humilitas eſſet, ſimul ei adiuncta fuerit & fidei magnanimitas, ita vt nec humilitas tanta minueret magnanimitatẽ, nec magnanimitas tanta humilitatem. Agit hoc nimirum in cordibus electorũ prærogatiua gratiæ diuinæ, vt eos nec humilitas puſillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes, magis autem cooperentur ſibi, vt nõ ſolũ nulla ex magnanimitate Intret elatio, ſed hinc maxime prouehatur humilitas, vt inueniantur eo amplius timori & largitori munerum non ingrati: Ac viciſſim ex occaſione humilitatis puſillanimitas nulla ſurrepat, ſed quo minus de ſua quiſque vel in minimis præſumere conſueuit, eo amplius etiam in magnis quibuſque de diuina virtute confidit. Maria vſque adeo fidit & fiſa eſt gratiæ diuinæ & non altum ſapuit, vt etiam audiens ſalutationem angelicam turbaretur & vereretur ne qua fraus ſubeſſet, omnemque honorem qui ex eo quod in Matrem Dei electa eſſet, prouenire poterat, mox in Deum transtulerit dicens, *Magnificat anima mea Dominum & exultauit ſpiritus in Deo ſalutari meo, quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Quę eſt iſta exclamatio tam magna, tam repentina ô Maria? Inundatio gaudii, vis amoris, torrens voluptatis totã te operuit, totam te obtinuit, penituſque inebriauit, & ſenſiſti quod oculos nõ vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non aſcendit, & exclamaſti, *Magnificat anima mea Dominum.* Profecto anima tua liquefacta eſt, vt dilectus tuus locutus eſt locutione admirabili & prorſus ineffabili, qua audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. Si enim Paulus in Paradiſum raptus ſit fuit locutus; Ecce pluſquam Paulus hic. Nobis autem quia totum eſt inexpertum, idcirco ineffabile, imo & incogitabile. *Hæc fere Bernardus.* Cui conforme eſt quod *Auguſt. ait in expoſitione cantici Magnificat.* Statim adueniente ſpiritu ſancto in virginem quando concepit Chriſtum cœleſtium gaudiorum, & æternæ dulcedinis miram atque inenarrabilem ſuauitatem ipſa virgo percepit, inquit, ita vt nec ipſa virgo plene explicare potuerit quod capere potuit.

Quod

Digitized by Google

Quod ipſa ſatis innuit cum ait: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Cum ſe in ſalutari ſeu Saluatore ſuo exultare aſſerit, guſtum ſe internæ dulcedinis percepiſſet nõ vulgarem ſed ineffabilem ſignificat, per per quam ſpiritus eius exultaret tanquam qui vim eius ferre non valeret: ſicut aqua feruida exilit atque exultat dum vim caloris ferre non valet.

6. PLENA erat B. virgo omni virtutum genere quibus ſupereminebat etiam ipſis Angelicis choris, ſi non actu ſaltem virtute, vt ſicut reſpectu Dei nemo bonus, ita comparatione matris Domini nullus inueniatur perfectus, etiãſi virtutibus eximiis multum fuerit ſublimatus. Hinc B. virgo tanto venerabilior, & tanto gloria eius eminet illuſtrior, quanto hic præ cæteris fuit clarior. Id quod nobis Scriptura

Prou.30. innuit quæ ait, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Quam Scripturam *Bernardus* explicat de B. virgine, non ſolum per accommodationem interpretis, ſed & ſecundum intentionem Scripturam dictantis, Apoſtolis quidem omnia nota fecerat Dominus tanquam ſuis amicis prout teſtatur Ioannes, quædã tamen credendum eſt præ cæteris ſecretius intimaſſe matri ſuæ, ita vt parabolas, ænigimata legalia, & mirifica geſta ſyncerius imbiberit & luculentius aliis intellexerit. *Hæc fere Bernar.* Et ſicut ſapientia ſua cæteras antecelluit B. virgo, ita & caritate & reliquis virtutum donis.

7. VERVM quãquam gratia & virtutibus plena eſſet virgo benedicta ſolam tamen ſuam humilitatem reſpexiſſe Dominum fatetur, cum ait: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ,* non ſolum quia cuſtos eſt cæterarum virtutum, ſed etiam quæ verecundiam in ſe includit, quæ diuinum oblectat conſpectum, dum in ea cõpletur quod ſcriptum eſt, fragmen mali punici genæ tuæ abſque eo quod intrinſecus latet. Quibus verbis ſignificatur nõ ſolum quod ſingulariter verecunda fuerit, ſed & bonæ famæ odorem mirificum de ſe ſparſerit B. virgo Maria. Nam illa demum laudabilis verecundia vbi & intus conſcientia munda, & foris facies eſt verecunda. Quod ſi ſit aliquid quod mens erubeſcat, non adeo laudabile eſt ſi conſpectam faciem rubor perfundat. Et dum virtus huiuſmodi in corpore tanquam in ſpeculo quodam relucet, etiam omnium eam intuentium oculis grata eſt, & non minus ædificat ſuo ſilentio, quam alii prædicationis verbo. Et nota quod non malo integro ſed fragmini mali punici comparetur ſingularis hæc virgo quia fragmen mali punici præterquam quod rubeat, etiam amplius quam integrum malũ redolet: ſic fides, animi conſtantia humilitas dum franguntur & exercitiis veluti teruntur, plus redolent & famam meliorẽ de ſe ſpargunt.

1. CVM ita ſingularis eſſet B. virgo, ſingularem quoque eius curam Deus habuit ſemper: Nam & eius conceptionẽ & natiuitatem prædixit Angelus Annæ & Ioachimo parentibus Mariæ. Iam nata poſtquam in domo paterna tribus ablactationis ſuæ annis permanſiſſet, ad templum Hieroſolymitanum adducitur Domino offerenda, & cum reliquis virgunculis Deo ſeruientibus enutrienda. Interim cum ad annum decimum quartum perueniſſet, denunciabat publice Pontifex atque demandabat, vt virgines quæ hoc ætatis tempus attigiſſent, domum reuerterentur & nuptiis ſecundum morem gentis Iudaicæ operam darent. Excuſabat ſe B. virgo, ſe huic mandato parere nõ poſſe, eo quod Deo ſuam virginitatem vouiſſet & conſecraſſet. Perplexus Pontifex conſulit Deum quid hic facto opus eſſet. Et reſponſum accepit, vt *Lopez* refert ex Hieronymo *in epiſt. ad Cromatium & Heliodorum,* requirendum eſſe virum cui virgo illa commendari & deſponſari deberet, illum nimirum cuius virga florere conſpiceretur, & in cuius cacumine ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ cerneretur,

II. Cur tam dura in hac vita fuerit paſſa B. virgo quæ ita ſingulariter Deo fuit grata.

Digitized by Google

tur, ipſum eſſe cui virgo commendari & deſponſari deberet: Et hoc modo Ioſeph denunciatur maritus futurus B. virginis. Itaque nuptiis de more celebratis, ipſe Ioſeph quidem in Bethleem recedit domum ſuam diſpoſiturus: virgo autem Maria cum aliquot virginibus coæuis ad domum parentum ſuorum in Galilæam eſt reuerſa in ciuitatem Nazareth. Tunc ad eam miſſus eſt Gabriel Angelus & ingenti lumine cubiculum illuſtrans ſalutauit eam, lætumque iſtud nuncium accepit quod Saluatorem mundi eſſet conceptura & paritura. Quo nuncio accepto contulit ſeſe in montana ad Elizabeth cognatam ſuam, & manſit ibidem menſibus quaſi tribus. Poſtmodum domum rediit: cumque Ioſeph à Iudæa in Galilæam deſcenderet, vt deſponſatam ſibi vxorem domum duceret, deprehendit eam grauidam, eamque dimittere cogitabat: Interim monetur de nocte ab angelo vt non timeret accipere Mariam coniugem ſuam: Quod enim in ea ea natum eſt, inquit, de ſpiritu ſancto eſt, *hæc Ioannes Lapez.*

2. REFERT & Orige *hom. 26. in Matth.* & Baſil. *hom. 25 ex variis to.* 1. quod quædam traditio ad eos deuenerit, quod B. virgo poſt Chriſti natiuitatem templum ingrediens in loco virginum ſteterit, vt adoraret Deum, quod eis illicitum erat quæ prolem habuiſſent. Cum autem id prohiberent qui iam nouerant eam filium peperiſſe, & pro ea ſtaret Zacharias dicens eam virginem iſto loco dignam, eo quod & ipſa, licet peperiſſet, virgo eſſet. Hanc rem vt nouam & prodigioſam audientes Iudæi, Zachariam inter templum & altare occiderunt, tãquam qui locum ſacrum prophanaſſet & legem violaſſet. Sic illi. Interea durum audit illud nuncium quod Herodes quæreret puerum ad perdendum eum, qua de cauſa in Ægyptum fugere cogitur ibidemque per ſeptem remanſit annos. Cumque in patriam remearet, audiens quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illuc ire, & admonitus in ſomnis Ioſeph, ſeceſſit in partes Galilææ, & veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vnde erat B. virgo oriunda. Cumque parentes eius per ſingulos annos irent in Hieruſalem in die ſolenni Paſchæ, contigit quod inſciis parentibus remanſerit puer Ieſus in Hieruſalem, & quærentes eum cum dolore & triſtitia poſt triduum inuenerunt eum in templo ſedentem in medio Doctorum audientem illos & interrogantem eos. Cumque deſcendiſſet cum eis, & parentibus ſuis obediens eſſet, contigit quod iam tempus ſuæ manifeſtationis adueniret, cumque in templo quotidie doceret & prædicaret, totus populus ei adhærebat & in eum intuebat vt audirẽt verbum Dei. Quo fiebat vt Scribæ & Phariſæi ac reliqui Iudæi eum ita exoſum haberent, vt tandem turpiſſima morte eum condemnauerint, eaque prophetia Simeonis impleta fuerit qua prædictum erat, *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

3. SED tu Domine qui omnia ſuauiter diſponis, vt *Sapiens* ait, cur ita dure tuos, potiſſimum matrem tuam ab omni peccati macula liberam, & omni virtutum genere decoram ac gratia plenam, affligi ſinis? An ſæuus es qui tuorum pœna delectaris? An vero circa cardines cœli perambulas vt noſtra non conſideres? Abſit. Meminiſſe oportet quod Angelus ad Tobiam dixit, *Et quia acceptus erat Deo, neceſſe fuit vt tentatio te probaret.* Tobi. cap. 12.

Sicut aurum enim probatur in fornace, an ſit verum & purum, an mixtum & adulterinum, Ita, *teſte Sapiente*, probatur homo in camino tribulationis, vtrum patiens ſit & animo fortis, an fractus & infirmus: Quod ſi fortis ſit inde fortior & vegetior exibit: Neque enim ſufficit eſſe fortem, oportet hanc virtutem ſicut & cæteras paulatim perducere ad ſuam plenitudinem, quod fit per tribulationem, quia teſte Paulo, *Virtus in infirmitate perficitur.* & alibi, *Cum infirmor tunc potens ſum,*

quo

quo enim exterior homo plura patiebatur & duriora, eo interior fortior euadebat, *quia tribulatio patientiam operatur.* Sin autem impatiens quis fuerit & infirmus, etiam infirmitas hæc quæ prius latebat, & ſic latebat vt nec eſſe putaretur, ſe prodet, non quod aduerſitas hominem infirmũ efficiat, ſed quod qualis erat manifeſtum faciat.

4. ITAQVE B. virgo cum iam plena eſſet gratia, plena & meritis bonorum operum (neque enim in ea gratia Dei fuit vacua) hæc dura & aduerſa tolerare debuit, quo etiam meritis paſſionum & tribulationum glorificari poſſet, quo ſic plenam & perfectam iuſtitiæ coronam percipere mereretur: Plus autem meriti accedit ex tolerantia paſſionum, quam ex operatione virtutum, plus enim Iob meruit ex ſuis doloribus fortiter toleratis, quam ex ſuis eleemoſynis largiter erogatis. Et hoc eſt quod Angelus ad Tobiam dicit, *Quia acceptus eras Deo neceſſe fuit vt tentatio te probaret*, hoc eſt, probatum & perfectum redderet. Cum enim idem ſit auctor naturæ qui & gratiæ, quemadmodum in rebus naturalibus, vtpote in palma, frumento & ſimilibus, quo duriora ſuſtinent eo firmiora fiunt & plus fructus adferunt, Ita fit & in operibus gratiæ, iuxta illud Ioannis 15. *Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgabit eum vt fructus plus adferat.*

Cum autem Dominus matrem ſuam ad eximium & ſupereminentiſſimum gloriæ gradum euehere decreuiſſet, atque præclarum & inſigne fortitudinis ac patientiæ donum ei dediſſet, noluit vt hoc talentum abſconditum & donum iſtud otioſum remaneret, ſed vt augeretur & ad iuſtum ſui complementum perueniret, vt enim vis naturæ non ceſſat ſed aſſidue operatur, donec ipſam ad iuſtam ſui menſuram perduxerit, vt videre licet in arboribus, pecoribus, & humanis corporibus, quæ aſſidue creſcunt donec ad ſui complementum perueneriint, quod vnũ citius attingit quã alterũ. Ita in operibus gratiæ & meritis gloriæ fieri credimus, quæ accreſcere debent & meliora ac perfectiora fieri, donec præſcriptum ſibi finem attigerint, & iuſtum gradum tam gratiæ quam gloriæ peruenerint.

5. CVM B. virgo probe noſſet cunctis in ſtadio virtutis proficere volentibus opus eſſe firma animi conſtantia, nec in arrepto propoſito facile flacceſcere oportere, ſed in eodem vigore quantum fragilitas humana permittit, perſiſtendum eſſe, eo quod ſcriptum ſit, *Nemo mittens manũ ad aratrum & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei:* quo modo in viſitatione cum inuiſeret Elizabeth cognatam ſuam, abiit in montana cum feſtinatione, ita ſerio ac ſedulo virtutum omnium profectui incubuit, memor vt puto iſtius Scripturæ, *Quicquid poteſt manus tua inſtanter operare, quia apud inferos quo tu properas, nec opus nec ratio, nec ſapientia erunt:* Eccl. 9. Et alterius quæ ait, *Vidiſti hominem velocem in opere ſuo, ante Regem ſtabit, nec erit ante ignobiles.* Prou. 22. & 10. Et rurſum, *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, manus autem fortium diuitias parat.*

Potiſſimum autem diuinæ contemplationi, qua perſcrutabatur & intuebatur profunda Dei, meditationi, & orationi intenta erat, quæ media ſunt maximi momenti perueniendi ad caritatem Dei & pacem Chriſti, in quibus potiſſimum conſiſtit perfectio & ſalus animi. Sic autem iis inſiſtebat vt orationi ſuccederet lectio, lectioni meditatio, meditationi contemplatio, contemplationi vero iuſta & neceſſaria actio Hæc enim omnia altera te oportet, nec vni duntaxat & eidẽ ſemper virtuti inhærere, alioquin quomodo quis ſtragulatam veſtem diuerſis coloribus variegatam ſibi facere poterit? Priuſquam autem anima veluti ſponſa bene ornata Deo coniungi poſſit, aſſiſtere debet in veſtitu deaurato circundata varietate & circumamicta omni virtutum genere. An putas ſi

corpus

corpus ſuum quærit ornatum, ſuamque requirit pulchritudinem priuſquam amari & alios oblectare poſſit, quod anima vt Deo placeat iis deſtitui poſſit? cum ſcriptum ſit, *Concupiuit Rex decorem tuum.*

III. Quomodo B. virginem imitari oporteat.

1. QVEMADMODVM conciones ea intentione audire oportet, vt quæ audimus opere compleamus, ſic vitas & virtutes Sanctorum legere & audire & cõſiderare debemus, vt ex iis decerpamus quæ imitari poſſimus: Quia qui virtutum profectum facere cupit, a rudi populo ſegregatus eſſe, & perfectiores quoſque intueri & imitari debet: quia qui primũ incipit, ægre admodum aliquod opus arduũ efficiet perfectum, cuius nullum exemplar aut memoriæ ſit impreſſum, aut ob oculos poſitum. Hinc Moyſi mandatur Exod. 25. *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte eſt monſtratum.* Id exacte obſeruabat dum viueret S. Antonius qui ſingulorum ad quos diuertebat, virtutes conſiderabat, huius pietatem, alterius humanitatem, illius humilitatem, alterius promptam obedientiam, & ſingulorum virtutes, quantum poterat moribus exprimere & imitari ſatagebat: Memor vt puto iſtius Pauli ad Hebre. *Conſiderantes inuicem in prouocationem caritatis & bonorum operum.* Itaque dum ſanctorum reuoluimus hiſtorias eorum intueri oportet virtutes, vt eas nobis imitandas proponamus.

Nam quanquam ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita Sancti diſcrepent in gratia & gloria, nec ſingulis ſingulæ in ſupremo poſſint obtingere gradu, tamen altius ibit qui ad ſumma contendit. Eſt aliquid prodire tenus ſi non datur vltra. *Vnuſquiſque*, inquit Paulus, *proprium donum habet ex Deo, vnus ſic & alter ſic:* Quiſque igitur eam virtutem maxime imitari conetur quæ ſuæ vocationi potiſſimum conuenit. (1. Cor. 7.)

2. ITAQVE quid è vita B. virginis Mariæ nobis imitandum ſeligere poſſimus videamus: Talis enim fuit B. virgo Maria, vt eius vnius vita omnium ſit diſciplina, *inquit Ambr.* & primus diſcendi ardor nobilitas eſt magiſtri. Sed priuſquam huc deueniamus vt è vita & moribus B. Mariæ virginis ſeligamus virtutem aliquam nobis imitandam, hoc obſeruemus, quod cũ multa notatu digna in vitis Sanctorum prælegantur, quædam eo duntaxat referantur, non vt ea imitemur, ſed vt in ſuis donis laudetur Deus, verbi g. quod virgo conceperit & pepererit, hoc magis mirandum quam imitandum. Quædam vero eo fine proponuntur vt imitemur & opere complere diſcamus, & hinc viuendi exemplar ſumamus, verbi gratia, quod in oculis nihil torutũ, *inquit Ambro.* in verbis nihil procax, in actu nihil inuerecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, vt tota ipſa corporis ſpecies, nil fuerit aliud quam figura probitatis animi. Hæc & ſimilia imitari poſſumus. (Ambr. lib. 2. de virgi.)

Rurſum cum inter cætera virtutum genera maxime coluerit B. virgo humilitatem, & pauperem atque obiectam ſelegerit vitam, vt vix cuiquam præter Deum & parentes ſuos nota foret, hoc ſi non perfecte neque ad amuſſim imitari poſſimus, ſaltem hactenus poſſumus, vt vtamur bonis huius ſeculi tanquam non vtamur, & diuitias talia bona æſtimemus, non quæ faciunt nos bonos, ſed vnde aliis benefacere poſſimus.

3. IN eo fallitur vulgus hominum, quod hominis fœlicitatem & dignitatem rerum externarum quas quis poſſidet, pretio quod magni facit, æſtimet, vt eo quiſque melior putetur & dignior quo fuerit ditior & cultu externo ornatior. Certe non ideirco vinum præſtantius aut melius, quia aureo excipitur ſcypho, neque equus propterea melior aut generoſior quia ephippium habet ex holoſerico, quia res quæque ſecundum ſuam naturã & non ſecundum ea quæ extrinſecus ei adueniunt, æſtimari debet, præſertim

ſi

Digitized by Google

ſi iſta externa minoris ſint pretii & valoris, quam ſit res cui accidunt. Cum igitur bona externa minoris ſint pretii & præſtantiæ quam ſit ipſe homo, eum meliorem aut bonum efficere non poſſunt, ſicut aqua vino permixta illud non efficit Pſal. 143. melius. Vnde Pſalmiſta cum referens iudicium vulgi dixiſſet, *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt, cuius promptuaria eructantia ex hoc in illud:* iſtud vulgi iudicium corrigens ſubiungit, *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*, tanquam diceret, non ex eo quis bonus aut beatus quia multas poſſidet diuitias, quia illæ talia ſunt bona, qualis eſt animus poſſidentis ea, bonis bona quia ex iis multa bona faciunt, malis mala quia iis abutuntur dum per ea multum mali operantur. Hinc Dominus iis qui perfectionem adipiſci nituntur, conſulit, vt ſi velint eſſe perfecti vendant omnia & dent pauperibus, eumque pauperem pauperes ſequantur atque imitentur. Hoc ſi humanum conſulas iudicium, ſtultum videbitur conſilium, *ſed quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*, inquit Paulus: iudicat Deus non ſecundum faciem vt homo ſolet, ſed ſecundum veritatem.

4. Talis erat B. virgo & talia ſecuta ab ineunte ætate ſua vt maluerit eſſe abiecta in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hæc fuere delibamenta virtutis eius, tales primitiæ ſpiritus, talia præludia ſanctitatis: Quæ quamuis diligenter occultaret, ipſa tamen inſtar optimorum aromatum ſua fragrantia in populum emanabant. Cum enim in cunctis etiam in eos quos nunquam viderat, benigna admodum eſſet, & ſingularem animi clementiam oſtenderet, idque non ficto ſed ſyncero pectore faceret, non ſolum amicis, ſed & inimicis, edocta hanc Euangelii doctrinam, Diligite inimicos veſtros, quam didicerat non ſolum vt ſciret ſed etiam vt faceret, quam nō ſolum affectu cordis approbabat, ſed etiam affectu operis manifeſtabat, ſic in domo Dei latebat vt non lateret, ſed celebri cum laude per ora hominum eius fama increbeſceret. Sic enim de ſe ipſa teſtatur, *Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Abſit autem vt quicquam in gratiam more blandientium aut adulatorum, offeram, aut magis quam verum ſit extollam, ne noſtram virginem veluti Æſopi cornicem alienis coloribus adornare dicar, ſed vnicam veritatis curam habens, quicquid dico pro teſtimonio me dicere profiteor, & minima de maximis refero, vt vel ſic ad æmulationem eius & exemplum me & alios incitem: Perfecta ſiquidem eſt ad virtutem via B. Virginis vita. Cumque multa nos ad melioris vitæ ſtudium ducant, atque ad virtutem erudiant, ratio, lex, Prophetæ, Apoſtoli, doctores, concionatores denique vniuerſi, Cum tot inquam, tantaque habeamus virtutum incitamenta, maximam tamen ad vitam recte inſtituendam, vtilitatem adferunt clariſſimorum virorum ac ſanctarum virginum, & potiſſimum B. Virginis exempla, quæ abunde hic nobis ſuppetunt in laude B. virginis Mariæ commemorata. Vale ô virgo diuina & cultorem tuum tuis precibus iuua, nunc & in hora mortis. Amen.

PARS III.

Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te. Cant. 4.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *De plenitudine & varietate virtutum B. Mariæ.*

II. *Explicantur varia Scripturæ ex Canticis, & Mariæ accommodantur.*

ART. I. De plenitudine & varietate virtutum B. V.

Miris modis & variis donis hanc virginem ſibi acceptam fecit Dominus, & præ cæteris ſuis electis variis virtutibus tanquam præfulgidis quibuſdam

Digitized by Google

dam carbunculis decorauit & exaltauit: Talem enim decebat eam eſſe quæ in matrem Dei foret eligenda, vt non ſolum ab omni labe peccati, tam originalis quam actualis eſſet immunis & libera, ſed etiam omni virtutum genere decora & fulgida. Cuius rei teſtem habemus ipſum Angelum qui Lucæ 1. his titulis ſalutauit B. virginem, *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quemadmodum enim ab initio primum hominem rectum fecit Deus, non ſolum ſecundum animam variis virtutibus decoratam & ad imaginem eius expreſſam, verum etiam ſecundum corpus ex luto compoſitum & pulchris coloribus depictum, ita vt hinc magis conueniat admirari tanti opificis ſapientiam, quod in luto & in materia tam vili potuerit inducere & induxerit tam egregiam formam & tam eximiam pulchritudinem: Ita B. virgo abſolutiſſimum & perfectiſſimum fuit Dei opus, in quo reluceret ſummi artificis mira ars & ſapientia, cum eam, velut aptiſſimum inſtrumentum, ſuis manibus adaptaret, vt per ipſam quicquid vellet, faceret, neque tam ipſa eſſet, quæ cum quippiam aut agendum aut dicendum foret, id ageret aut diceret, quam Deus per ipſam: ita vt nec mente quicquam intueretur, nec lingua quicquam proferret, aut oculi quippiam conſpicerent, niſi quod Deus per eam fieri vellet: in eaque impletum fuit quod Matt. 10. ſcriptum eſt, *Non vos eſtis qui loquimini ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Nam tanta obedientia ſubiecta erat Deo virgo Maria, eaque vnione ei coniuncta, vt propriæ hominis voluntati ſubiecta ſunt atque vnita humani corporis membra: videmus autem quanta promptitudine & celeritate corporis membra hominis voluntati ſubſeruiant, vt ſimul enim voluntas impetrauerit aut pedibus vt ambulent, aut oculis vt videant, aut manibus vt operentur, mox mira agilitate & facilitate membra obtemperant: Sic B. virgo ſpiritu Dei plena non tam ſe proprio arbitrio agebat, quam à Deo agebatur, & ideo quicquid dicebat quaſi quoddam Dei oraculum erat, vt neminem inſtrueret, moneret, aut conſolaretur, qui non ſe ex ipſius verbis plurimum conſolationis, vtilitatis & fructus percepiſſe diceret: Eaque quæ effari volebat, non humana ſapientia vel eloquentia affectata efferebat, ſed ſpiritu ſancto dictante & inſpirante dicebat quod dictũ oportebat, qui pro temporum varietate aut hominum conditione ſermonem cõuenientem temperare nouerat, & per eam tanquam per idoneum inſtrumentum quæ volebat dicebat, in eamque competebat quod Pſalmiſta ait, *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Hinc eius dicta tantam energiam habebant vt ad intima cordis vſque penetrarent, ſic enim Elizabeth apud Lucam teſtatur, *Ecce vt* Luc. 1. *facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo præ gaudio: verba ſapientum*, inquit Eccleſiaſti- Eccl. 12. cus, *ſicut ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi.*

2. NIHIL erat in beata virgine, quod aut honore careret, aut officio vacaret, ita proderant, placebant, & oblectabant quę in ipſa erant omnia: facies modeſta, conuerſatio honeſta, vita diſciplinata, ſermo rarus, vultus ſuauis, aſpectus verecundus ſuperioribus obtemperans, lectioni incumbens, orationibus inuigilans, humana & amabilis, benigna & venerabilis. Vt vere de ea etiam in puellari ætate adhuc conſtituta dici potuerit illud Canti- Cant. 2. corum, *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Quemadmodum enim flores arborum aut vineæ, non fructus quidem ſed futurorum fructuum indices ſunt, ſuaque pulchritudine oblectant & homini intuenti veluti arrident, & odoris ſui ſuauitate olfactum reficiunt, Ita virguncula Maria in tenera etiam ætate adhuc conſtituta, puritatis ac caſtitatis candorem inſtar lilii emittebat, & ſuauem bonæ famæ odorem redolebat, atque de ſeſe longe lateque diffundebat, iuxta illud Eccleſiaſtici, Eccl. 24.

Sicut

Sicut cinamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, & quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. Et quanquam virtus non propterea maior quia notior, pulchrior tamen illuſtriorque efficitur, quando quis bona prouidet, non tantum coram Deo ſed etiam coram hominibus.

Eccl. 24. Recte autem de ſe ait illud Sapientis, *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris*, quia quanto quiſque fuerit melior tanto inuenitur & ſuauior & mitior, vt morum ſuorum ſuauitate etiam aliis virtutem commendet ad eamque inuitet. Sed ne qui ſuauis eſt & mitis, etiam mollis fiat, qui aut ſuæ concupiſcentiæ, aut alterius culpæ facile cedat, nec reſiſtere valeat, dicit ſe inſtar vitis fructificaſſe; flos vineæ fugat ſerpentes & venenatas beſtias, cuius vim atque virtutem ferre non valent, ſic B. virgo inſtar vini quandam acrimoniam qua malum pellebat & reſiſtebat, habebat: Sic enim ſuauis erat & benigna, vt ſimul grauis eſſet & matura: maturitas efficiebat vt nihil in ea laſciuum, nihil leue videretur, & ſic ſuauis & benigna, vt nihil inhumanum, nihil durum aut aſperum in ipſa cerneretur: maturam & grauem eam efficiebat Dei ſapientia: benignam vero & ſuauem caritas diuina. Et ſic oportet, vtrumque vtrique iunctum ſit neceſſe eſt, & ſapientia caritati, & caritas ſapientiæ, & grauitas benignitati, & benignitas grauitati, & amor timori, & timor amori: vnde & apud Ec-

Eccl. 24. cleſiaſticum de ſapientia legimus, *Ego mater pulchræ dilectionis & timoris*: quia amor ſi ſolus ſit, inuerecundus eſt, *inquit Bernardus*, hinc timor & reuerentia ei iungi debet: quo fit vt cum Dei agnoſcit maieſtatem & ſuam vtilitatem, quaſi præ verecundia accedere vereatur, cum tantam inter ſe & Deum videat inæqualitatem. Et de Chriſto legimus, quod fuerit *plenus gratia & veritate*: & veritas gratiæ, & gratia veritati iuncta ſit, quia veritas ſine gratia valde eſt oneroſa, & gratia ſine veritate leuis eſt & diſſoluta, neſcit enim modum ſi ſola fuerit. Et parum profuerit gratiæ dulcedinem percepiſſe, niſi pariter & temperamentum de veritate contingat accipere: Ex ea enim pluſquam oportet homo placet ſibi, & cum ſe totum dedit hilaritati gratiæ, *inquit Bernardus*, abſque veritatis pondere & ſapientiæ maturitate, inde fit vt gratiam perdat, vnde eam ſe ſtabilire exiſtimabat: Eique contingit illud quod ſcriptum eſt, *Dixi in abundantia* Pſal. 29.
mea non mouebor in æternum, auertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus. Sed nec veritas ſine gratia, nec ſapientia ſine caritate ſufficit: Quid enim prodeſt ſcire quid te oporteat facere, ſi non detur per gratiam & velle facere? Multos agnita veritate expertus ſum, *inquit Bernardus*, factos triſtiores, & ideo magis, quia ſcriptum nouerant, *Qui ſcit voluntatem Domini ſui & non facit, vapulabit multis.* Non culpamus donum, inquit idem, ſed bonum eius vſum quærimus, ſine quo non tam prodeſt quam obeſt quodlibet donum.

3. MVLTA ſciuntur & fiunt à nobis bona, tamen non ſapiunt facientibus ea, ſiquidem non dilectione nec ſapore boni, ſed aut neceſſitate, aut cupiditate, aut qualicumque occaſione impellimur ad illa: Prædicatur in templis, diſputatur in ſcholis, cauſæ diiudicantur in curiis: Bona quidem ſunt hæc omnia: ſed audi quid ſapientia proponit intus vtiliter, diſponit ſuauiter, quod foris perficit & exequitur virtus fortiter? Qui ſapore boni delectantur, & in opus impelluntur dilectione veri, ſapientes dicuntur, à ſapore namque ſapientia nominatur, quæ virtuti accedens velut quoddam condimentum, eam ſapidam reddit, quæ per ſe inſulſa quodammodo & aſpera ſentiebatur. Mira enim communio & vnio gratiæ & veritatis, ſapientiæ ac virtutis, dum quod ſapientia diſponit ſuauiter, virtus exequitur fortiter, ipſaq; virtus in opere ſuo externo ſuauitatem capit & ſaporem de ſapientia interna. Sed hunc ſaporem boni perdidimus ab ipſo pene exortu generis

Hæc ex Bernar.

Digitized by Google

noſtri, factique ſumus inſipientes, quia per noxium & peſtiferum peccati ſaporem, qui poſt lapſum in corda intrauit hominum cœpit animæ non ſapere bonum, commoueturque iam in illud non ſapore boni, ſed ſpe alterius commodi. Qui enim donum hoc ſapientiæ non perceperunt, ſuauitatem ſaporis eius non guſtauerunt, & pretium dignitatis illius neſcierunt, quia ſpiritualia non niſi ſpiritualiter à ſpiritualibus diiudicantur: *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſpiritus ſunt, & non poteſt percipere,* inquit Paulus, *quia ſpiritualiter examinantur*: res hæc non ratione neque ſcientia, ſed conformitate atque experientia attingitur & addiſcitur. Sicut enim qui græca legit & quæ legit non intelligit, linguæ græcæ fructu caret & vtilitate, ita res hæc non differentis eſt ſed experientis: Cuius rei experientiam quia non habent homines huius ſeculi, alii vanam, alii amaram putant virtutem, & noſtram religionem, & pietatem, & ſapientiam, gratiam & veritatem: Et ideo nec illi venerantur quia eius dignitatem ignorant, & hi accedere verentur ad eam quam aſperam iudicant & amaram.

4. SED ad B. virginem noſtra ſe conuertat oratio, quæ ſicut in puellari ætate pulchre floruit morum ſuauitate, & vitæ honeſtate præclarum ſpecimen de ſe præbens futurorum fructuum, inſtans orationi, lectioni, & ſimilibus virtutum exercitiis, Ita poſtquam ad maturiorem deuenit ætatem, ſuauis in deliciis ſuis copioſiſſimos ac dulciſſimos caritatis & Sapientiæ cæterarumque virtutum protulit fructus: *cuius emiſſiones*, teſtante Scriptura, *paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Non ſunt exiguæ intrinſecus deliciarum copiæ de quibus integer paradiſus emittitur. Certe quaſi quendam paradiſum cernas B. virginem omni virtutum genere & deliciarum vbertate redundantem, cuius cum ſint multæ emiſſiones, ipſa tamen ſuis emiſſionibus nec exhauritur, nec imminuitur, quin potius dum magna copia fructuum, hoc eſt, bonorum operum inde dimanat, amplius ipſa abundat, quia ipſa interior abundantia ſpiritus de opere externo capit augmentum.

Cant. 4.

5. CÆTERVM dum prædictam Scripturam ſanctam intueor, ac penitus reconditos ſecretorum cœleſtium ſenſus rimor, copioſiſſimos ac ſuauiſſimos omnis generis virtutum fructus B. virginis Mariæ nobis hic ob oculos poſitos ac deſcriptos inuenio. Septem enim hic enumerantur arborum aromaticarum ſpecies, qui numerus & vniuerſalitatem & perfectionem virtutum ac gratiarum ſpiritualium deſignat, & certe nullam virtutem aut gratiam excipere videtur cum ait vniuerſaliter, cum omnibus primis, hoc eſt, optimis, vnguentis: In quibus quid potiſſimum commendem? an virtutem & vtilitatem, an ſuauitatem & voluptatem? Nam in enumeratis arboribus fructus aromatici non minus ſunt delectabiles quam vtiles, quanquam inter eos quidam ſint, qui ſi ſoli conſiderentur & ſumantur, quandam præ ſe ferunt amaritudinem & acerbitatem, vt myrrha & aloe: nihilominus etiam hi cæteris iuncti atque commixti ſuam habent non modo vtilitatem ſed & delectationem. Et prædictas ſpecies aromaticas inuicem ſibi commiſceri debere vt inde conficiatur vnguentum non minus vtile quam delectabile, ex eo patet quod Scriptura eas commemoret non ſingulas ſeorſum poſitas, ſed aliis iunctas: *Cyprius*, inquit, *cum nardo, nardus & crocus*, & ſic de cæteris. Et ſic eſt, nam vt ex ſemine cypri oleo decocto vnguentum exprimatur regale, variis aromatum ſpeciebus commiſceri debet: Sumuntque nomē ſuum huiuſmodi vnguēta ex variis aromatum ſpecieb. in vnum cōmixtis facta, ab ea ſpecie ſeu materia quæ in eis maxime abun-

Digitized by Google

abundat: vt ſi nardus principatum obtineat, quamuis in vnguento nardino multæ aliæ ſpecies commiſceantur, vtpote balſamũ, amomum, omphacyũ, myrrha, iuncus, vt *Plinius* refert, nardus tamẽ vocatur huiuſmodi vnguentum (quo & Magdalena caput Chriſti vnxit & repleta eſt domus odore eius) quia nardus inter cæteras ſpecies aromaticas primum obtinet locum.

6 Verum in his ſpeciebus aromaticis quæ literam concernunt medicis relinquamus, & ea quæ ſpiritum oblectant rimemur & ſic rimemur atq; inueſtigemus vt inueniamus & experiamur. Nam ſi in his arboribus enumeratis atque earum fructibus deliciæ ſunt corporales quæ ſenſus reficiunt, & hominem externum oblectant, deliciæ ſpirituales his ſignificatæ multo ſunt ſuauiores: ſi iucundum ſit ſub vmbra morari, quæ obſcura duntaxat eſt figura, veritas ipſa quæ fructus locum obtinet, multo eſt ſuauior & iucundior, ſicut plus afficit ignis verus quam pictus.

II. Explicantur ſpecies Aromaticæ.

1. Inveſtigemus igitur quid myſterij ſub his figuris lateat. Et inprimis *notandum* quod omnes ſpecies aromaticæ non ſolum inter ſe permiſceri, verumetiam oleo decoqui debeant priuſquam ex iis pretioſum & odoriferum exprimi queat vnguentum, quod vnguentum interdum erat liquidum, ſicut fuit quod Magdalena fudit ſuper caput Ieſu, interdum ſpiſſum quo corpora aut crines inungebantur. Nec ſufficit huiuſmodi ſpecies oleo intingi, ſed in eo decoqui debent vt quaſi in naturam olei conuerſæ videantur, priuſquam huiuſmodi regalis vnctio inde exprimatur. Itaq; per *oleum*,
Pſalm. 62. ſpiritus pinguedinem, de qua Pſalmiſta: *Sicut adipe & pinguetudine repleatur anima mea*, recte intellexeris, per *ſemen cypri*, quod cum manna cœleſti magnam dicitur habere ſimilitudinem, verbum Dei, quod apte ſemini comparatur, intelligere potes: per *nardum* quæ ſecundum externam faciem herba eſt vilis & deſpecta, humilitatem deſignari putato: per *myrrham* vero, quæ cum amara ſit, mortuorum corpora ſeruat incorrupta, apte pœnitentiæ amaritudinem ſignificabis: per *aloe* vero, quæ eſt herba amariſſimi ſucci, reſiſtens vermibus & putredini & viſui vtilis, tribulationem & martyrium non inepte ſignificabis, & ſic de cæteris, ſingulas ſpecies aromaticas ſuis virtutibus adaptando, ex quibus ſimul commixtis regale vnguentum exprimere poteris.

2 Cum itaque ſemen verbi Dei vbique per totam Scripturam ſparſum reperiatur, quod vbique omni fructificandi virtute plenum eſt ex eo facile gemellum fœtum concipere & parere quilibet poterit, ſi anima eius, pinguedine ſpiritus ſancti repleta fuerit, vt in ea veluti in oleo decoquatur & condiatur. Cum enim vnctio ſpiritus ſit quæ doceat nos, teſte Ioanne, qui ex ea verbum Dei apte ruminare & meditari nouerit, facile gemellum, iuxta Scripturam *Can. 4.* inde concipere & parere poterit, vt & intellectus ſapientia informetur & affectus caritate repleatur: *Eſt enim præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, teſte Pſalmiſta, dum mens cognitione veritatis illuſtratur: & ignitium eloquium Domini vt affectum inflammet & caritate ſuccẽdat. Et ad hoc certe ſubſeruit meditatio verbi Dei, proueniens ex pinguedine & vnctione ſpiritus ſancti, vt mens ſancta hunc gemellum, ſapientiam dico & caritatem, concipiat & pariat: Id quod ſignificat Pſalmiſta cum ait, *In meditatione mea exardeſcit ignis*, ſcilicet caritatis: & alibi, *Super ſenes intellexi quia mandata tua exquiſiui.* Cum itaque B. virgo ab Angelo prædicetur gratia plena, qua ſicut adipe & pinguedine repleta fuit eius anima, ipſaque aſſidue meditationi verbi diuini fuerit intenta, quod hac pinguedine, ſicut ſemen cypri oleo ſolet, fuerit conditũ atq; decoctum, quod mirum ſi & vnguẽtum regale quod oblectat inde expreſſerit,

rit, & gemellum fœtum caritatis Dei & diuinæ sapientiæ conceperit atq; pepererit?

3 HIS si adiungas nardum humilitatis & cæteras species aromaticas seu virtutes his significatas, vtpote myrrham pœnitentiæ, & aloe amaritudinum, tribulationum, quę quandam addunt acrimoniam & ipsam dulcedinem nonnihil temperant, certe regale & optimum inde conficies vnguentum, quod & ipsam conscientiam oblectabit, & odorem bonæ famæ coram Deo & hominibus de se diffundet. Nam si ita grata sit ea verecundia quæ corporali rubore solet genas suffundere, quanto magis illa quæ internam animæ venustat faciem, humilitatem dico quæ bona sua non petulanter iactitat, nec eximia putat, sed quod sint tam exigua, pudore suffunditur seseque humiliat? Merito autem humilis, verecunda & rubore quasi perfusa coram diuina assistit Maiestate, quando admirabilem eius dignitatem, beneficiaq; innumera & maxima erga se contemplatur, cum tamen ipsa non habeat vnde illi vicem reddere, aut gratias dignas persoluere queat. Vnde cum eius anima Deum magnificaret, & spiritus eius in Deo salutari suo exultaret, quia fecerat ei magna qui potens est, protinus humilitate tanquam quodam pondere ne se extolleret depressa subdit, *Respexit humilitatem ancillæ suæ*: Sic exultauit vt memor conditionis suę, gaudio exultationis temperamentum inijceret humilitatis. Nouerat enim scriptum esse, *Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore.* Porro non omnis anima odoriferis olet vnguẽtis, sed cum magnum progressum in recta viuendi ratione fecerit, & ad perfectionis gradum aliquatenus peruenerit, tunc ex omnibus virtutibus simul in vnum commixtis conficitur hoc vnguentum, quod habet in se & emittit è se suauissimum odorem: Sicut Paulus ait,

2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Et ad hæc quis idoneus? Certe ad magnam debet is peruenisse virtutum perfectionem & plenitudinem, cuius opera redoleant suauitatem & vbiq; bonam famam è se emittant. Multorum opera ostentationem & inanem iactantiam, aut cupiditatem redolent magis, quam veræ & sinceræ caritatis fragrantiam: dum enim quippiam aggrediuntur, magis ad id aut cupiditate lucri, aut inani gloria, quam proximi caritate permouentur, ita vt si nulla spes lucri affulgeat, aut inanis gloria non excitet, homo plane plumbeus & immobilis permaneat: Adeo in multis cupiditas præualet caritati, vt hæc veluti extincta videatur quæ nullas vires exerat: altera autem toti homini dominetur, vt ad eius præscriptum viuat homo & agat omnia.

4 QVOD si quis ad ea quæ agit, non caritate moueatur sed cupiditate, vt plus proprium lucrum quam proximum amet, huic vnguento opus est non quod oblectat sed quod sanat, cuius vnguenti gratia seu virtus & ægritudinem sanat & veteris corruptionis fœtorem delet, & totam conscientiæ domum bono odore & grata suauitate perfundit. Hæc quidem vnguenta bona sunt, sed meliora illa quæ robur addunt, alacritatem excitant & fouent, & sanis conueniunt. Sicut sacerdotes, Prophetæ & Reges vngebantur in opus ministerij ad quod assumebãtur. Efficax & vtile & insuper necessariũ vnguentum quod inter carnis vexationes animum ab iniuria tuetur, & continet ne fatiscat, ne deficiat, vtpote dum per patientiam mens pia inter iniurias consistit illæsa, cuius patientiæ beneficio tanquam quodam vnguento confortatiuo & mitigatorio, mala quæ inferuntur non sentiuntur: Profusius autem vngitur tunc anima suauius redolet quę etiam omne gaudium existimat cum in varias tribulationes inciderit: An non videtur tibi excellentiori gaudio perfusus, inquit

Bernard.

Digitized by Google

Bernard. qui nouit in aduerſis gaudere, quam qui didicit in ipſis non contriſtari: minus quippe eſt quo dolor excluditur, quam quo lętitia procuratur, dum inimicos non modo toleramus, ſed & amamus. Sunt denique vnguenta quæ oblectant, nec iam in opus aut adminiſtrationem, ſed in quietem & voluptatem, in delicias & amorem aſſumuntur ſponſi & ſponſę, ſicut Regina Eſther cum intraret ad Aſſuerum corpus vnxit; cuius odor in voluptates & delicias aſſumitur, dum ſpiritum recreat & mẽtem exhilarat. Id quod Scripturam ſupra poſitam nobis ſignificare exiſtimo, cum ait Cãn. 4. *Cum omnibus primis*, hoc eſt, optimis vnguentis; optima enim illa vnguenta quæ in delicias aſſumuntur; bona quidem ea quæ ſanãt, meliora quæ confortant, ſed optima quæ oblectant.

5 In His omnibus vnguentis atq; aromatibus cæteros antecelluit B. mater & virgo Maria, in quam apte quadrat quod ſcriptum eſt, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Puto, *inquit Bernardus*, quod nec ipſa virgo cum hic in terris degeret, plene perſpecta habuerit dona ſibi diuinitus collata, occultatur ſublimitas vt ſeruetur humilitas, *Omnis* quippe *gloria filiæ regis ab intus*, neque facile eſt virtutem alicuius ex indiciis diffinire externis. Frequenter enim, *inquit Bernardus*, exiguis extantibus ſignis externis eximia ſunt quæ latent intrinſecus. Satius igitur fuerit tanta dona ſilentio venerari, & quæ definire noſſe non eſt datum, relictum eſt credere quod ſint eximia: De quorum vbertate proueniebat vt dum alij narrarent fabulationes, os eius meditaretur ſapientiam & cor illius eructaret verbum bonum. Porro ſermones iſti & cogitationes quę de plenitudine procedunt gratiarum & ſpiritualium affectuum, dulciores ſunt ſuper mel & fauum: iuxta illud Cant. *Fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua.* Nam amanti & gratię plenitudinem habenti eſt innatum & proprium

Prou. 31.

Cant. 4.

dulcia loqui, & cum dulcia loquitur de proprio loquitur: cum vero dura efferre cogitur, non habet hoc ex propria qualitate, ſed ex alterius prauitate. Fauus non niſi dulcedinem effundit, idque de plenitudine ſua. Imo non effundit ſed diſtillat: quanquam enim de plenitudine cordis os loquatur, non tamen ipſam intemperanter totam effundit, ſed diſcrete ac ſobrie iuxta neceſſitatem & auditorũ capacitatem diſtillat & moderate eloquitur. Nec tantum dulcedo in lingua ſonat, ſed mel & lac ſub lingua: ſimulata dulcedo eſt quæ tantum ſonat in lingua, & non ſentitur ſub ipſa: exigua eſt quæ tota eſt in labiis, & non pars eius maior ſub lingua: in promptu eſt ei dulcia loqui, ſub cuius lingua mel & lac. Lac paruulorum eſt quod fluit de incarnatione Chriſti: mel perfectorum de arcanis & ſecretis myſteriorum diuinitatis eius, vterque ſermo de interna dulcedine plenus.

6 Qvod ſi delectatio memoriæ Dei exhauſerit ſpiritum Prophetæ cum diceret, *Memor fui Dei & delectatus ſum, exercitatus ſum & defecit ſpiritus meus*: Si reliquiæ cogitionis diem feſtum agũt in animo recordantis quamdiu manet memoria deguſtatæ dulcedinis: ſi is qui furtim feriato animo & quaſi in raptu prælibare potuerit liberæ meditationis feſtiua gaudia, nil libentius agit, nil feruentius appetit, quam vt huic ſtudio totũ ſe dedere poſſit, ſic enim loquitur qui id expertus erat, *Si dedero ſomnum oculis meis donec inueniam locum Domino*, Quid B. virgo quę quodammodo ex animi ſui arbitrio plene perfruebatur internis deliciis, & toto corde Deo adhærens tanquam vnus cum eo ſpiritus effecta in eius amplexu ſuauiſſimum patiebatur multoties ſoporatæ mentis exceſſum? Certe puteum aquarum viuentium dixeris, quæ fluunt impetu de Libano, Quanquam enim dulcedinem diſtillet, nec ſe totam effundet dum infirmis loquitur, tamen cum mater ſuo loquitur filio,

Pſalm. 76

Pſal. 131.

Digitized by Google

filio, & ſponſa ſponſo, tunc altera lingua loquitur, tunc tota anima in mellifluas affectiones conuerſa non niſi amoris de pleno corde eructat & effundit dulcedinem, tunc copioſi riuuli gratiarum ex fonte hoc emanant iugiter & cum impetu magna cum abundantia fluunt de Libano, quod interpretatur candidus, quia pura & candida eſt in qua nulla macula virgo Maria. Eſtque huius fontis vſus non purgare aut lauare quæ ſordida ſunt, hoc quidem nobis neceſſarium eſt vt lachrymis noſtris abluamus maculas contractas, at beatæ virgini de qua ſcriptum eſt: *Tota pulchra es amica mea,* nequaquam deſeruiebat fons iſte ad abluendum, ſed vſus eius in ea erat quod rigaret & fœcundaret. Bonus vſus mundare, ſed melior fœcundare, ille abluit ſordida, iſte gratiarum confert augmenta. Hortus ſi non ſit irriguus non poteſt eſſe fertilis: bona irrigatio quæ fit per deuotionis lachrymas, per doctrinas ſalutares dum fluit vt ros eloquium, per meditationes diuinas. Fons iſte perenniter fluit in Sanctis, ſed & in B. virgine dũ hic in terris ageret perenniter fluebat: Neq; enim ipſa virgo Maria vnquam deuotione caruit, aut arida fuit. Nos interdum potamur ex hoc fonte deuotionis, ſed in nobis non fluit perenniter, ſuauis quidem eſt eius guſtus, ſed nimis facile deficit.

7 SED nec illud prætereundum quod *fons ſignatus* & *hortus concluſus* dicatur virgo hæc ſancta: cuſtodia enim eſt neceſſaria tanquam quoddam antemurale, quo non modo peccata, ſed etiam occaſiones peccatorum deuitantur. Nihil enim prodeſt diligens cultura, ſi deſit diſciplinæ cuſtodia, qua quis ſenſus diuagari non ſinit, nec diſſolutus ſit. Nam vt Eccl.12. Eccleſiaſticus ait, *Qui diſſipat ſepem mordebit eum coluber*: Quia enim Eua voluptatis paradiſum contra lubricum fraudulenti ſerpentis ingreſſum non cuſtodiuit, protinus eius venena perſenſit. Optant quidem omnes & fertilitatem fructuum & delectationem virtutum, ſed concludi ſignarique nolunt: Libertatem amant vt faciant quicquid velint: Et cum cogitationibus ac ſenſibus ita vagi ſunt, tales fiunt qualia ſunt ea quæ vident & audiunt. Cuius autem animus clauſus eſt, vt neminem admittat niſi Deum quem amat, fit & ipſe paulatim diuinus Deoq; ſimilis, cuius ſuauitate dum animus repletur, eructat cor eius verbum bonum, quod de gratiarum prorumpit vbertate.

8 EX QVO B. virgo velut hortus concluſus & tanquam paradiſus omni virtutum genere ſic exuberat, audet ſibi illud vſurpare quod Cantic. 5. ſponſa ait ad ſponſum, *Veniat dilectus meus in hortum ſuum vt comedat fructum pomorum ſuorum*: Ad fructus inuitat maturos & ſuaues, & nihil acerbitates habẽtes, iis enim paſcitur ſponſus, delectatur Chriſtus. Quam longe à conuerſatione mea ſunt verba votorum iſtorum, *inquit Bernard.* Non ſum hortus maturis fructibus fœcundus, aut virtutum pulchritudine floridus: quin potius in horto meo exoriuntur ſpinæ malarum paſſionum, & vrticæ ardentis concupiſcentiæ: ideo Domine Ieſu non audeo te vocare in hortum meum, niſi vt euellas & diſſipes. Atq; vtinam acerbitas ſola reprehendatur in fructibus noſtris, vtinam immaturi ſint ſolummodo, dummodo mali non ſint: Frequenter poma quæ genere bona ſunt, tempore nondum grata ſunt, ſed immaturitate ſola diſplicent. Felix hortus cuius omnes fructus & natura boni ſunt & tempore maturi, ad horum comeſtionem dilectum prouocare poteſt qui eiuſmodi eſt: illi enim delectabilem ſuum aduentum indulget Dominus vt cum eo delicietur qui prædictis præditus eſt dotibus, qui & caritate ſuauis eſt, & ſapientia maturus. Sed væ illis ad quos cum deſcendit Dominus non inuenit fructus ſed folia tantum: Nam ſicut maledixit ficui quærens fructus & non inueniens ſed folia tantum, *non enim* vt Marcus ait, *erat tempus*

Digitized by Google

tempus ficorum, quod significabat quod nō tam fructus corporales seu ficus quærerct ex arbore, quam bona opera ex homine per ficum significato: Ita cum homo frondet quidem verbis per folia significatis, eo quod lingua qua formatur verba folii habeat formam atque figuram, sed fructibus & bonis operibus destitutus est, quia plantatus iuxta viam in horto disciplinæ sepibus non est conclusus, sed omnibus peruius, sic sterilis inuentus maledictioni est obnoxius & proximus.

9. QVAMDIV hic viuebat B. virgo pulchritudo ipsius animę adhuc sub corporis velo dilitescebat, sed ex hoc corpore tanquam ex quodam ergastulo egrediens & tanquam sponsa de thalamo procedens tanta claritate & splendore refulsit, tanta gloria & honore euecta fuit, tanto cum triumpho & gaudio ab Angelis in summi Regis thalamū introducta in cœlum conscendit, vt & ipsi Angeli stupefacti steterint & admirabundi exclamauerint, Quæ est ista quæ progreditur vt aurora? & pulchra vt Luna, electa vt Sol? Certe splendore gloriæ suæ etiam solis claritatē vicit virgo Maria: Si enim Moyses ex alloquio diuino in monte Sina tāta gloria fulserit, & tanta claritate facies eius splenduerit, vt non possent filii Israel intendere in faciem nisi peplo opposito, quo modo non potest quis in fulgorem solis oculos figere: quanto magis dum anima sancta iungitur Deo in gloria fiet & ipsa splendida & gloriosa? Dum namque lumen diuinæ gloriæ in animam incidit beatam, sicut Sol suos radios in chrystallum immittit, tanto efficit eam clariorem & splendidiorem, quanto ipsam animam inuenerit puriorem & sanctiorem: Cum autem B. Virgo post Christum fuerit omnium purissima & sanctissima, certe fuit etiam inter omnes beatos gloriosissima. Hanc beatorum gloriam omnes exoptamus sat scio: Nam & pseudo Propheta ille Balaam cum spiritu prophetico à Deo illustratus præuidisset quā essent pulchra tabernacula Iacob, sic inter cætera ait. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Num. 23. Verum quorum gloriam optabat, eorum vitam imitari nolebat, ideo nec ad ipsorum gloriam peruenire poterat. Quādoquidem igitur res tanta votis non potest peragi fœmineis, sed rebus fortiter gerendis, ad quorum gloriam peruenire cupimus, eorum quoque mores & vitam imitari conemur, vt animas nostras variis virtutibus tanquam quibusdam carbunculis exornemus: Id enim sanctos fecisse legimus, & id faciendo tantam gloriam consequuti sunt quantam promeruerant.

IN FESTO S. MATTHÆI.

CVM *transiret inde Iesus vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et surgens, sequutus est eum. &c.*

Matth. 9.

Summa eorum, quæ hic explicantur.

I. *Tributa exigere quando sit licitum aut illicitum.*
II. *De vocatione Christi.*
III. *De vita & Euangelio S. Matthæi.*

PARS I.

1. VIDIT *hominem sedentem in thelonio, Matthaeum nomine*) Telonium locus est vbi vectigalia reponuntur: Sed quia plerumq; vectigal pecunia erat, quæ super mensam numerari solet, mensa, ad quam publica Cæsaris vectigalia referebantur, etiam telonium appellabatur. Constat n. tributa olim non ostiatim colligi solita, sed à subditis ipsis in certum locum referri: Sicut decimæ in Hispania, *ait Maldonatus*, non solum non extorquentur, sed ne petun-

ART. I. Tributa exigere quando sit licitū.

corpus ſuum quærit ornatum, ſuamque requirit pulchritudinem priuſquam amari & alios oblectare poſſit, quod anima vt Deo placeat iis deſtitui poſſit? cum ſcriptum ſit, *Concupiuit Rex decorem tuum.*

III. Quomodo B. virginem imitari oporteat.

1. QVEMADMODVM conciones ea intentione audire oportet, vt quæ audimus opere compleamus, ſic vitas & virtutes Sanctorum legere & audire & cōſiderare debemus, vt ex iis decerpamus quæ imitari poſſimus: Quia qui virtutum profectum facere cupit, a rudi populo ſegregatus eſſe, & perfectiores quoſque intueri & imitari debet: quia qui primū incipit, ægre admodum aliquod opus arduū efficiet perfectum, cuius nullum exemplar aut memoriæ ſit impreſſum, aut ob oculos poſitum. Hinc Moyſi mandatur Exod. 25. *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte eſt monſtratum.* Id exacte obſeruabat dum viueret S. Antonius qui ſingulorum ad quos diuertebat, virtutes conſiderabat, huius pietatem, alterius humanitatem, illius humilitatem, alterius promptam obedientiam, & ſingulorum virtutes, quantum poterat moribus exprimere & imitari ſatagebat: Memor vt puto iſtius Pauli ad Hebre. *Conſiderantes inuicem in prouocationem caritatis & bonorum operum.* Itaque dum ſanctorum reuoluimus hiſtorias eorum intueri oportet virtutes, vt eas nobis imitandas proponamus.

Nam quanquam ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita Sancti diſcrepent in gratia & gloria, nec ſingulis ſingulæ in ſupremo poſſint obtingere gradu, tamen altius ibit qui ad ſumma contendit. Eſt aliquid prodire tenus ſi non datur vltra. *Vnuſquiſque*, inquit Paulus, *proprium donum habet ex Deo, vnus ſic & alter ſic*: Quiſque igitur eam virtutem maxime imitari conetur quæ ſuæ vocationi potiſſimum conuenit. 1. Cor. 7.

2. ITAQVE quid è vita B. virginis Mariæ nobis imitandum ſeligere poſſimus videamus: Talis enim fuit B. virgo Maria, vt eius vnius vita omnium ſit diſciplina, *inquit Ambr.* & primus diſcendi ardor nobilitas eſt magiſtri. (Ambr. lib. 2. de virgi.) Sed priuſquam huc deueniamus vt è vita & moribus B. Mariæ virginis ſeligamus virtutem aliquam nobis imitandam, hoc obſeruemus, quod cū multa notatu digna in vitis Sanctorum prælegantur, quædam eo duntaxat referantur, non vt ea imitemur, ſed vt in ſuis donis laudetur Deus, verbi g. quod virgo conceperit & pepererit, hoc magis mirandum quam imitandum. Quædam vero eo fine proponuntur vt imitemur & opere complere diſcamus, & hinc viuendi exemplar ſumamus, verbi gratia, quod in oculis nihil toruū, *inquit Ambro.* in verbis nihil procax, in actu nihil inuerecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, vt tota ipſa corporis ſpecies, nil fuerit aliud quam figura probitatis animi. Hæc & ſimilia imitari poſſumus.

Rurſum cum inter cætera virtutum genera maxime coluerit B. virgo humilitatem, & pauperem atque obiectam ſelegerit vitam, vt vix cuiquam præter Deum & parentes ſuos nota foret, hoc ſi non perfecte neque ad amuſſim imitari poſſimus, ſaltem hactenus poſſumus, vt vtamur bonis huius ſeculi tanquam non vtamur, & diuitias talia bona æſtimemus, non quæ faciunt nos bonos, ſed vnde aliis benefacere poſſimus.

3. IN eo fallitur vulgus hominum, quod hominis fœlicitatem & dignitatem a rerum externarum quas quis poſſidet, pretio quod magni facit, æſtimet, vt eo quiſque melior putetur & dignior quo fuerit ditior & cultu externo ornatior. Certe non idcirco vinum præſtantius aut melius, quia aureo excipitur ſcypho, neque equus propterea melior aut generoſior quia ephippium habet ex holoſerico, quia res quæque ſecundum ſuam naturā & non ſecundum ea quæ extrinſecus ei adueniunt, æſtimari debet, præſertim

ſi

Digitized by Google

ſi iſta externa minoris ſint pretii & valoris, quam ſit res cui accidunt. Cum igitur bona externa minoris ſint pretii & præſtantiæ quam ſit ipſe homo, eum meliorem aut bonum efficere non poſſunt, ſicut aqua vino permixta illud non efficit
Pſal. 143. melius. Vnde Pſalmiſta cum referens iudicium vulgi dixiſſet, *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt, cuius promptuaria eructantia ex hoc in illud:* iſtud vulgi iudicium corrigens ſubiungit, *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*, tanquam diceret, non ex eo quis bonus aut beatus quia multas poſſidet diuitias, quia illæ talia ſunt bona, qualis eſt animus poſſidentis ea, bonis bona quia ex iis multa bona faciunt, malis mala quia iis abutuntur dum per ea multum mali operantur. Hinc Dominus iis qui perfectionem adipiſci nituntur, conſulit, vt ſi velint eſſe perfecti vendant omnia & dent pauperibus, cumque pauperem pauperes ſequantur atque imitentur. Hoc ſi humanum conſulas iudicium, ſtultum videbitur conſilium, *ſed quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*, inquit Paulus: iudicat Deus non ſecundum faciem vt homo ſolet, ſed ſecundum veritatem.

4. TALIS erat B. virgo & talia ſecuta ab ineunte ætate ſua vt maluerit eſſe abiecta in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hæc fuere delibamenta virtutis eius, tales primitiæ ſpiritus, talia præludia ſanctitatis: Quæ quamuis diligenter occultaret, ipſa tamen inſtar optimorum aromatum ſua fragrantia in populum emanabant. Cum enim in cunctis etiam in eos quos nunquam viderat, benigna admodum eſſet, & ſingularem animi clementiam oſtenderet, idque non ficto ſed ſyncero pectore faceret, non ſolum amicis, ſed & inimicis, edocta hanc Euangelii doctrinam, Diligite inimicos veſtros, quam didicerat non ſolum vt ſciret ſed etiam vt faceret, quam nō ſolum affectu cordis approbabat, ſed etiam affectu operis manifeſtabat, ſic in domo Dei latebat vt non lateret, ſed celebri cum laude per ora hominum eius fama increbeſceret. Sic enim de ſe ipſa teſtatur, *Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Abſit autem vt quicquam in gratiam more blandientium aut adulatorum, offeram, aut magis quam verum ſit extollam, ne noſtram virginem veluti Æſopi cornicem alienis coloribus adornare dicar, ſed vnicam veritatis curam habens, quicquid dico pro teſtimonio me dicere profiteor, & minima de maximis refero, vt vel ſic ad æmulationem eius & exemplum me & alios incitem: Perfecta ſiquidem eſt ad virtutem via B. Virginis vita. Cumque multa nos ad melioris vitæ ſtudium ducant, atque ad virtutem erudiant, ratio, lex, Prophetæ, Apoſtoli, doctores, concionatores denique vniuerſi, Cum tot inquam, tantaque habeamus virtutum incitamenta, maximam tamen ad vitam recte inſtituendam, vtilitatem adferunt clariſſimorum virorum ac ſanctarum virginum, & potiſſimum B. Virginis exempla, quæ abunde hic nobis ſuppetunt in laude B. virginis Mariæ commemorata. Vale ô virgo diuina & cultorem tuum tuis precibus iuua, nunc & in hora mortis. Amen.

PARS III.

Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te. Cant. 4.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *De plenitudine & varietate virtutum B. Mariæ.*

II. *Explicantur varia Scripturæ ex Canticis, & Mariæ accommodantur.*

ART. I. De plenitudine & varietate virtutum B. V.

MIRIS modis & variis donis hanc virginem ſibi acceptam fecit Dominus, & præ cæteris ſuis electis variis virtutibus tanquam præfulgidis quibuſdam

Digitized by Google

dam carbunculis decorauit & exaltauit: Talem enim decebat eam eſſe quæ in matrem Dei foret eligenda, vt non ſolum ab omni labe peccati, tam originalis quam actualis eſſet immunis & libera, ſed etiam omni virtutum genere decora & fulgida. Cuius rei teſtem habemus ipſum Angelum qui Lucæ 1. his titulis ſalutauit B. virginem, *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus:* Quemadmodum enim ab initio primum hominem rectum fecit Deus, non ſolum ſecundum animam variis virtutibus decoratam & ad imaginem eius expreſſam, verum etiam ſecundum corpus ex luto compoſitum & pulchris coloribus depictum, ita vt hinc magis conueniat admirari tanti opificis ſapientiam, quod in luto & in materia tam vili potuerit inducere & induxerit tam egregiam formam & tam eximiam pulchritudinem: Ita B. virgo abſolutiſſimum & perfectiſſimum fuit Dei opus, in quo reluceret ſummi artificis mira ars & ſapientia, cum eam, velut aptiſſimum inſtrumentum, ſuis manibus adaptaret, vt per ipſam quicquid vellet, faceret, neque tam ipſa eſſet, quæ cum quippiam aut agendum aut dicendum foret, id ageret aut diceret, quam Deus per ipſam: ita vt nec mente quicquam intueretur, nec lingua quicquam proferret, aut oculi quippiam conſpicerent, niſi quod Deus per eam fieri vellet: in eaque impletum fuit quod

Matt. 10. ſcriptum eſt, *Non vos eſtis qui loquimini ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Nam tanta obedientia ſubiecta erat Deo virgo Maria, eaque vnione ei coniuncta, vt propriæ hominis voluntati ſubiecta ſunt atque vnita humani corporis membra: videmus autem quanta promptitudine & celeritate corporis membra hominis voluntati ſubſeruiant, vt ſimul enim voluntas impetrauerit aut pedibus vt ambulent, aut oculis vt videant, aut manibus vt operentur, mox mira agilitate & facilitate membra obtemperant. Sic B. virgo ſpiritu Dei plena non tam ſe proprio arbitrio agebat, quam à Deo agebatur, & ideo quicquid dicebat quaſi quoddam Dei oraculum erat, vt neminem inſtrueret, moneret, aut conſolaretur, qui non ſe ex ipſius verbis plurimum conſolationis, vtilitatis & fructus percepiſſe diceret: Eaque quæ effari volebat, non humana ſapientia vel eloquentia affectata efferebat, ſed ſpiritu ſancto dictante & inſpirante dicebat quod dictū oportebat, qui pro temporum varietate aut hominum conditione ſermonem cōuenientem temperare nouerat, & per eam tanquam per idoneum inſtrumentum quæ volebat dicebat, in eamque competebat quod Pſalmiſta ait, *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Hinc eius dicta tantam energiam habebant vt ad intima cordis vſque penetrarent, ſic enim Elizabeth apud Lucam teſtatur, *Ecce vt* Luc. 1.
facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo præ gaudio: verba ſapientum, inquit Eccleſiaſti- Eccl. 12.
cus, *ſicut ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi.*

2. NIHIL erat in beata virgine, quod aut honore careret, aut officio vacaret, ita proderant, placebant, & oblectabant quæ in ipſa erant omnia: facies modeſta, conuerſatio honeſta, vita diſciplinata, ſermo rarus, vultus ſuauis, aſpectus verecundus, ſuperioribus obtemperans, lectioni incumbens, orationibus inuigilans, humana & amabilis, benigna & venerabilis. Vt vere de ea etiam in puellari ætate adhuc conſtituta dici potuerit illud Canti- Cant. 2.
corum, *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Quemadmodum enim flores arborum aut vineæ, non fructus quidem ſed futurorum fructuum indices ſunt, ſuaque pulchritudine oblectant & homini intuenti veluti arrident, & odoris ſui ſuauitate olfactum reficiunt, Ita virguncula Maria in tenera etiam ætate adhuc conſtituta, puritatis ac caſtitatis candorem inſtar lilii emittebat, & ſuauem bonæ famæ odorem redolebat, atque de ſeſe longe lateque diffundebat, iuxta illud Eccleſiaſtici, Eccl. 24.

Sicut

Digitized by Google

Sicut cinamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, & quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. Et quanquam virtus non propterea maior quia notior, pulchrior tamen illuſtriorque efficitur, quando quis bona prouidet, non tantum coram Deo ſed etiam coram hominibus.

Eccl. 24. Recte autem de ſe ait illud Sapientis, *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris,* quia quanto quiſque fuerit melior tanto inuenitur & ſuauior & mitior, vt morum ſuorum ſuauitate etiam aliis virtutem commendet ad eamque inuitet. Sed ne qui ſuauis eſt & mitis, etiam mollis fiat, qui aut ſuæ concupiſcentiæ, aut alterius culpæ facile cedat, nec reſiſtere valeat, dicit ſe inſtar vitis fructificaſſe; flos vineæ fugat ſerpentes & venenatas beſtias, cuius vim atque virtutem ferre non valent, ſic B. virgo inſtar vini quandam acrimoniam qua malum pellebat & reſiſtebat, habebat: Sic enim ſuauis erat & benigna, vt ſimul grauis eſſet & matura: maturitas efficiebat vt nihil in ea laſciuum, nihil leue videretur, & ſic ſuauis & benigna, vt nihil inhumanum, nihil durum aut aſperum in ipſa cerneretur: maturam & grauem eam efficiebat Dei ſapientia: benignam vero & ſuauem caritas diuina. Et ſic oportet, vtrumque vtrique iunctum ſit neceſſe eſt, & ſapientia caritati, & caritas ſapientiæ, & grauitas benignitati, & benignitas grauitati, & amor timori, & timor amori: vnde & apud

Eccl. 24. Eccleſiaſticum de ſapientia legimus, *Ego mater pulchræ dilectionis & timoris:* quia amor ſi ſolus ſit, inuerecundus eſt, *inquit Bernardus*, hinc timor & reuerentia ei iungi debet: quo fit vt cum Dei agnoſcit maieſtatem & ſuam vtilitatem, quaſi præ verecundia accedere vereatur, cum tantam inter ſe & Deum videat inæqualitatem. Et de Chriſto legimus, quod fuerit *plenus gratia & veritate*: & veritas gratiæ, & gratia veritati iuncta ſit, quia veritas ſine gratia valde eſt oneroſa, & gratia ſine veritate leuis eſt & diſſoluta, neſcit enim modum ſi ſola fuerit. Et parum profuerit gratiæ dulcedinem percepiſſe, niſi pariter & temperamentum de veritate contingat accipere: Ex ea enim pluſquam oportet homo placet ſibi, & cum ſe totum dedit hilaritati gratiæ, *inquit Bernardus*, abſque veritatis pondere & ſapientiæ maturitate, inde fit vt gratiam perdat, vnde eam ſe ſtabilire exiſtimabat: Eique contingit illud quod ſcriptum eſt, *Dixi in abundantia* Pſal. 29.
mea non mouebor in æternum, auertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus. Sed nec veritas ſine gratia, nec ſapientia ſine caritate ſufficit: Quid enim prodeſt ſcire quid te oporteat facere, ſi non detur per gratiam & velle facere? Multos agnita veritate expertus ſum, *inquit Bernardus*, factos triſtiores, & ideo magis, quia ſcriptum nouerant, *Qui ſcit voluntatem Domini ſui & non facit, vapulabit multis.* Non culpamus donum, inquit idem, ſed bonum eius vſum quærimus, ſine quo non tam prodeſt quam obeſt quodlibet donum.

3. MVLTA ſciuntur & fiunt à nobis bona, tamen non ſapiunt facientibus ea, ſiquidem non dilectione nec ſapore boni, ſed aut neceſſitate, aut cupiditate, aut qualicumque occaſione impellimur ad illa: Prædicatur in templis, diſputatur in ſcholis, cauſæ diiudicantur in curiis: Bona quidem ſunt hæc omnia: ſed nunquid ſapientia proponit intus vtiliter, Hæc ex Bernar.
diſponit ſuauiter, quod foris perficit & exequitur virtus fortiter? Qui ſapore boni delectantur, & in opus impelluntur dilectione veri, ſapientes dicuntur, à ſapore namque ſapientia nominatur, quæ virtuti accedens velut quoddam condimentum, eam ſapidam reddit, quæ per ſe inſulſa quodammodo & aſpera ſentiebatur. Mira enim communio & vnio gratiæ & veritatis, ſapientiæ ac virtutis, dum quod ſapientia diſponit ſuauiter, virtus exequitur fortiter, ipſaq; virtus in opere ſuo externo ſuauitatem capit & ſaporem de ſapientia interna. Sed hunc ſaporem boni perdidimus ab ipſo pene exortu generis noſtri,

Digitized by Google

in illam lucem deceſſit quæ viſum mentis illuſtrat. Ab hac tamen lege & communi Eccleſiæ more B. Maria ſingulari ratione eſt excepta, cuius non modo pium defunctionis diem ſeu Aſſumptionem, ſed natiuitatis quoque per vniuerſum celebrat orbem Eccleſia, non ſolum quia natiuitas eius Saluatoris aduentum prænunciauit, ſicut aurora ſolem, ſed etiam quia omnis peccati expers in hanc lucem proceſſit.

PARS II.

In laudem B. Mariæ virginis.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *B. virgo omni virtutum genere fuit decora.*

II. *Cum ita foret ſancta & gratia plena, cur tam dura fuerit paſſa in hac vita.*

III. *Quomodo B. virginem imitari oporteat.*

ART. I. B.V. omni virtutũ genere fuit ornata.

1. DECLAMATVRVS laudem B. virginis inhabitatorem eius Spiritum ſanctum inuoco, vt qui illi virtutes largitus eſt, mihi ad enarrandas eas ſermonem tribuat, vt dicta factis ſi nõ exæquentur ſaltem alioquouſq; & veluti in vmbra delineent. Nam quanquam verum ſit quod quidam ait, eorum qui fecere virtutes, tanta habentur merita, quantum ea verbis potuere attollere præclara ingenia: vnde Alexander Magnus cum ad Achillis tumulum perueniſſet, Fœlicem te, ait, iuuenis, qui magno frueris præcone meritorum, Homerum ſcilicet ſignificans: Et Arthemiſia regina oratoribus iis ſumma propoſuit præmia, quia mariti ſui Mauſeoli, quẽ amabat ardentiſſime, iam defuncti merita & laudes extuliſſet quam optime. Tamen ſicut vidua illa fuit laudata quæ in gazophilacium immiſit duo minuta.

Eſt enim aliquid prodire tenus ſi non datur vltra.

Non poſſis oculo quantum contendere lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec quia deſperes inuicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere chyragra:

Ita quamuis pro dignitate B. virginis Mariæ nihil dicere poſſimus, etiamſi cuncta corporis membra verterẽtur in linguas, & omnes artus humana voce reſonarent, Non tamen idcirco ſub ſilentio à nobis prætereunda virgo Maria. Nam vt recte Bernardus ait, De Mariæ dignitate, gloria & virtute, nec ſilere deuotio patitur, nec dignum aliquid ſterilis concipere cogitatio, aut inerudita poteſt locutio parturire. Ber. ſer. 4 de aſſump.

2. HINC eſt quod & ipſi cœleſtis curiæ Principes in conſideratione tantæ nouitatis exclamant non ſine admiratione, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?* Nec enim pares inueniuntur deliciæ vel in nobis, quos in ciuitate Dei & in Paradiſo voluptatis lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloria potamur, Quæ eſt iſta quæ de ſub Sole, vbi nihil eſt niſi labor & dolor & afflictio ſpiritus, aſcendit delicijs ſpiritualibus affluens? Deliciæ veræ fauus charitatem diſtillãs, viſcera miſericordiæ, plenitudo gratiæ, prærogatiua ſingularis gloriæ. *Hæc Bernardus.* Non eſt quod me magis delectat, *inquit idem*, quam de virgine loqui, ſed nec eſt quod terreat magis quam de gloria & gratia virginis Mariæ habere ſermonem, quia licet de ea loqui geſtiant omnes, tamen quicquid dicitur de indicibili, eo ipſo quod dici potuerit, minus gratum ſit, minus acceptetur. Quæ enim vel Angelica puritas virginitati illi poſſet cõparari quæ digna fuit fieri habitaculum ſpiritus. Quanta putas & quam pretioſa humilitas huius virginis cum tanta puritate & innocentia tanta, cum tantæ gratiæ plenitudine? Digna plane quam reſpiceret Dominus, cuius decorem Rex concupiſceret, cuius odore ſuauiſſimo ab æterno illo paterni ſinus attraheretur accubitu.

Digitized by Google

cubitu. Verum nos quidem serui tui laudamus tuam virginitatem, humilitatē miramur, & in cæteris virtutibus tibi congaudemus, sed misericordia tua miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus, & in hac potius nobis ipsis congratulamur, hæc est enim quę salutem omnium impetrauit. Ad hunc igitur misericordiæ fontem tota sollicitudine misetia nostra recurrat vt gratiam quam apud Deum inuenit, nobis etiam faciat notam, reis veniam, ægris medelā, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium & liberationem, sanctis suis precibus obtinendo. Sufficere quidem poterat Christus qui nobis factus est consolatio, sed nobis non expediebat, quia in eo homines diuinam reuerentur Maiestatem, quam veretur peccator accedere. *inquit Bernar. ser. 7. in cap. 12. Apo.* ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat & ipse peccator à facie Dei. Et ideo opus est mediatore ad mediatorem ipsum, nec alter nobis vtilior quam Maria, quæ plena est mansuetudinis & misericordiæ, in qua nihil austerum, nihil terribile, plena ardoris, charitatis & splendoris sapientiæ: Ea enim de causa dicitur mulier amicta sole. *Apocalyp. 12.*

3. MIRVM est quomodo fragilis natura tantum ardorem & splendorem sustinere potuerit. Verum sicut non fuit rubi natura opertum vndique flammis manere nihilominus incombustum, Ita non mulieris potentia, vt sustineat solis amictum, hoc inquam non virtutis est humanæ, sed nec Angelicæ quidem: Sublimior quædā necessaria est, de qua dicitur, *Et virtus altissimi obrumbabit tibi.* Nihil vt sit mirum si sub tali obumbraculo talis etiam à muliere sustineatur amictus solis, quæ amicta fuit lumine sicut vestimento & sole atque ipsius ardore. Nec facile dixerim quod vel angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget, *inquit Bernar.* Nec sine causa Angelus qui Mariæ prædixit conceptionem & natiuitatem, eam Mariam, quod interpretatur stella maris, appellandam annunciauit, vt nomine suo quid futura esset, prædiceret & veluti propheraret. Edita namque in lucem mox virgo sancta clare cœpit clarere lumine, atque inter teneros annos morum splendore & sancta vitæ claritate emicare. Nam ab infantia in loco enutrita sancto, non puellarum leuitatem aut lasciuiam sectabatur, sed innocenter in cellula templi habitans & Dei desiderio flagrans nihil præter Deum, parentes, & templum cognoscere videbatur. Neque de nihilo est quod de ea legimus in Canticis, *Quæ est ista quæ progreditur vt aurora, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Maria in ortu auroræ comparatur, vt enim nascente aurora, quæ finis est præteritæ noctis, & initium diei sequentis, quia nascente aurora aduertimus ortum solis iam propinquum, ita nascente Maria, quæ initium est consolationis & lætitiæ, & finis dolorum atque tristitiæ, prænuncia data est sempiterni diei, *inquit Rupertus.* Rup. lib. 6. in Canti.
In conceptione Christi autem Luna dicitur, quia maiori sapientiæ lumine illustrata, sic tamen vt luceret luce non propria sed aliena. In assumptione vero Soli comparatur, quia tunc claritate gloriæ fulsit sicut Sol, in regno cœlesti. Aptissime itaque maris stella dicitur, cuius radius vniuersum orbem illuminat: ipsa inquam præclara est stella super hoc mare magnum & spatiosum micans meritis, & illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in huius seculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare quam per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis & vndis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, *inquit Bernar.* inuoca Mariam: Si iactaris superbiæ vndis, si detractionis, si æmulationis: respice stellam, inuoca Mariam: Si criminum immanitate turbatis, conscientiæ fœditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro inci- hæc Bern. ho. 2. super missus.

Digitized by Google

incipias abſorberi triſtitiæ, & deſperationis abyſſo, reſpice maris ſtellam inuoca Mariam, in periculis, in anguſtiis, in reb. dubiis confugias ſub præſidium eius, & vt impetres eius orationis ſuffragium nõ deſeras conuerſationis exemplum *Hæc Bernardus.*

4. CVM *dicitur Aue gratia plena*, patet inquit *Bernar. 7. ex par.* quod variis virtutibus tanquam fulgidis quibuſdam carbunculis exornata fuit B. virgo Maria. Neque enim in ſola virginitate conſtare poterat gratiæ plenitudo. Felices quidem qui cum Regina noſtra virginitatis priuilegio gloriantur: Sed num vnam tantum habes benedictionem ô Domine? Et mihi obſecro vt benedicas, ſi non de virginitate, quia periit illa à me, inquit Bernardus, & non eſt iam vel aſpirare ad illam: ſaltem de humilitate qua ſingulariter gloriaris dicens, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, vt hac emundatus niueum quendam innocentiæ recuperem candorem iuxta illud Pſalmiſtæ Pſalm. 50. *Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor.*

Verum in eo qui grauiter peccauit, etſi amanda, non tamen admiranda humilitas, *inquit Bernard. ſer. 43. in Cant.* At ſi quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nonne is tibi videtur geminum animæ poſſidere decorem, vt in eo competat quod ſcriptum eſt, *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es?* Geminam hic innuit pulchritudinem quia ſancta Maria & ſanctimoniam non amiſit, & humilitate, quæ decor animæ, non caruit. Et ideo concupiuit Rex decorem eius, quia humilitatem innocentiæ ſociauit. Vtinam vel ſemel dicas animæ meæ Domine Ieſu. *Ecce tu pulchra es.* Vtinam mihi humilitatem cuſtodias, nam primam veſtem ego male ſeruaui. *Hactenus Bernardus.*

Ber. ſer. 4. in Can.

5. MIRABILI Spiritus ſancti artificio factum eſt vt cum in B. virgine tanta humilitas eſſet, ſimul ei adiuncta fuerit & fidei magnanimitas, ita vt nec humilitas tanta minueret magnanimitatẽ, nec magnanimitas tanta humilitatem. Agit hoc nimirum in cordibus electorũ prærogatiua gratiæ diuinæ, vt eos nec humilitas puſillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes, magis autem cooperentur ſibi, vt nõ ſolũ nulla ex magnanimitate ſubintret elatio, ſed hinc maxime prouehatur humilitas, vt inueniantur eo amplius timori & largitori munerum non ingrati: Ac viciſſim ex occaſione humilitatis puſillanimitas nulla ſurrepat, ſed quo minus de ſua quiſque vel in minimis præſumere conſueuit, eo amplius etiam in magnis quibuſque de diuina virtute confidit. Maria vſque adeo fidit & fiſa eſt gratiæ diuinæ & non altum ſapuit, vt etiam audiens ſalutationem angelicam turbaretur & vereretur ne qua fraus ſubeſſet, omnemque honorem qui ex eo quod in Matrem Dei electa eſſet, prouenire poterat, mox in Deum tranſtulerit dicens, *Magnificat anima mea Dominum & exultauit ſpiritus in Deo ſalutari meo, quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Quę eſt iſta exclamatio tam magna, tam repentina ô Maria? Inundatio gaudii, vis amoris, torrens voluptatis totã te operuit, totam te obtinuit, penituſque inebriauit, & ſenſiſti quod oculus nõ vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non aſcendit, & exclamaſti, *Magnificat anima mea Dominum.* Profecto anima tua liquefacta eſt, vt dilectus tuus locutus eſt locutione admirabili & prorſus ineffabili, qua audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. Si enim Paulus in Paradiſum raptus ſic fuit locutus; Ecce pluſquam Paulus hic. Nobis autem quia totum eſt inexpertum, idcirco ineffabile, imo & incogitabile. *Hæc fere Bernardus.* Cui conforme eſt quod *Auguſt. ait in expoſitione cantici Magnificat.* Statim adueniente ſpiritu ſancto in virginem quando concepit Chriſtum cœleſtium gaudiorum, & æternæ dulcedinis miram atque inenarrabilem ſuauitatem ipſa virgo percepit, inquit, ita vt nec ipſa virgo plene explicare potuerit quod capere potuit.

Quod

Digitized by Google

Quod ipſa ſatis innuit cum ait: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Cum ſe in ſalutari ſeu Saluatore ſuo exultare aſſerit, guſtum ſe internæ dulcedinis percepiſſet nõ vulgarem ſed ineffabilem ſignificat, per per quam ſpiritus eius exultaret tanquam qui vim eius ferre non valeret: ſicut aqua feruida exilit atque exultat dum vim caloris ferre non valet.

6. PLENA erat B. virgo omni virtutum genere quibus ſupereminebat etiam ipſis Angelicis choris, ſi non actu ſaltem virtute, vt ſicut reſpectu Dei nemo bonus, ita comparatione matris Domini nullus inueniatur perfectus, etiãſi virtutibus eximiis multum fuerit ſublimatus. Hinc B. virgo tanto venerabilior, & tanto gloria eius eminet illuſtrior, quanto hic præ cæteris fuit clarior. Id quod nobis Scriptura

Prou.30. innuit quæ ait, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Quam Scripturam *Bernardus* explicat de B. virgine, non ſolum per accommodationem interpretis, ſed & ſecundum intentionem Scripturam dictantis, Apoſtolis quidem omnia nota fecerat Dominus tanquam ſuis amicis prout teſtatur Ioannes, quædã tamen credendum eſt præ cæteris ſecretius intimaſſe matri ſuæ, ita vt parabolas, ænigimata legalia, & mirifica geſta ſyncerius imbiberit & luculentius aliis intellexerit. *Hæc fere Bernar.* Et ſicut ſapientia ſua cæteras antecelluit B. virgo, ita & caritate & reliquis virtutum donis.

7. VERVM quãquam gratia & virtutibus plena eſſet virgo benedicta ſolam tamen ſuam humilitatem reſpexiſſe Dominum fatetur, cum ait: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ,* non ſolum quia cuſtos eſt cæterarum virtutum, ſed etiam quæ verecundiam in ſe includit, quæ diuinum oblectat conſpectum, dum in ea cõpletur quod ſcriptum eſt, fragmen mali punici genæ tuæ abſque eo quod intrinſecus latet. Quibus verbis ſignificatur nõ ſolum quod ſingulariter verecunda fuerit, ſed & bonæ famæ odorem mirificum de ſe ſparſerit B. virgo Maria. Nam illa demum laudabilis verecundia vbi & intus conſcientia munda, & foris facies eſt verecunda. Quod ſi ſit aliquid quod mens erubeſcat, non adeo laudabile eſt ſi conſpectam faciem rubor perfundat. Et dum virtus huiuſmodi in corpore tanquam in ſpeculo quodam relucet, etiam omnium eam intuentium oculis grata eſt, & non minus ædificat ſuo ſilentio, quam alii prædicationis verbo. Et nota quod non malo integro ſed fragmini mali punici comparetur ſingularis hæc virgo quia fragmen mali punici præterquam quod rubeat, etiam amplius quam integrum malũ redolet: ſic fides, animi conſtantia humilitas dum franguntur & exercitiis veluti teruntur, plus redolent & famam meliorẽ de ſe ſpargunt.

1. CVM ita ſingularis eſſet B. virgo, ſingularem quoque eius curam Deus habuit ſemper: Nam & eius conceptionẽ & natiuitatem prædixit Angelus Annæ & Ioachimo parentibus Mariæ. Iam nata poſtquam in domo paterna tribus ablactationis ſuæ annis permanſiſſet, ad templum Hieroſolymitanum adducitur Domino offerenda, & cum reliquis virgunculis Deo ſeruientibus enutrienda. Interim cum ad annum decimum quartum perueniſſet, denunciabat publice Pontifex atque demandabat, vt virgines quæ hoc ætatis tempus attigiſſent, domum reuerterentur & nuptiis ſecundum morem gentis Iudaicæ operam darent. Excuſabat ſe B. virgo, ſe huic mandato parere nõ poſſe, eo quod Deo ſuam virginitatem vouiſſet & conſecraſſet. Perplexus Pontifex conſulit Deum quid hic facto opus eſſet. Et reſponſum accepit, vt *Lopez* refert ex Hieronymo *in epiſt. ad Cromatium & Heliodorum,* requirendum eſſe virum cui virgo illa commendari & deſponſari deberet, illum nimirum cuius virga florere conſpiceretur, & in cuius cacumine ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ cerneretur,

II. Cur tam dura in hac vita fuerit paſſa B. virgo quæ ita ſingulariter Deo fuit grata.

ddddd 3

tur, ipſum eſſe cui virgo commendari & deſponſari deberet: Et hoc modo Ioſeph denunciatur maritus futurus B. virginis. Itaque nuptiis de more celebratis, ipſe Ioſeph quidem in Bethleem recedit domum ſuam diſpoſiturus : virgo autem Maria cum aliquot virginibus coæuis ad domum parentum ſuorum in Galilæam eſt reuerſa in ciuitatem Nazareth. Tunc ad eam miſſus eſt Gabriel Angelus & ingenti lumine cubiculum illuſtrans ſalutauit eam , lætumque iſtud nuncium accepit quod Saluatorem mundi eſſet conceptura & paritura. Quo nuncio accepto contulit ſeſe in montana ad Elizabeth cognatam ſuam , & manſit ibidem menſibus quaſi tribus. Poſtmodum domum rediit: cumque Ioſeph à Iudæa in Galilæam deſcenderet , vt deſponſatam ſibi vxorem domum duceret, deprehendit eam grauidam, eamque dimittere cogitabat : Interim monetur de nocte ab angelo vt non timeret accipere Mariam coniugem ſuam: Quod enim in ea ea natum eſt, inquit, de ſpiritu ſancto eſt , *hæc Ioannes Lopez*.

2. REFERT & Orige *hom.26. in Matth.* & Baſil. *hom.25 ex variis to.* 1. quod quædam traditio ad eos deuenerit , quod B. virgo poſt Chriſti natiuitatem templum ingrediens in loco virginum ſteterit , vt adoraret Deum , quod eis illicitum erat quæ prolem habuiſſent. Cum autem id prohiberent qui iam nouerant eam filium peperiſſe, & pro ea ſtaret Zacharias dicens eam virginem iſto loco dignam , eo quod & ipſa, licet peperiſſet, virgo eſſet. Hanc rem vt nouam & prodigioſam audientes Iudæi, Zachariam inter templum & altare occiderunt, tãquam qui locum ſacrum prophanaſſet & legem violaſſet. Sic illi. Interea durum audit illud nuncium quod Herodes quæreret puerum ad perdendum eum, qua de cauſa in Ægyptum fugere cogitur ibidemque per ſeptem remanſit annos. Cumque in patriam remearet, audiens quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illuc ire, & admonitus in ſomnis Ioſeph , ſeceſſit in partes Galilææ, & veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth , vnde erat B. virgo oriunda. Cumque parentes eius per ſingulos annos irent in Hieruſalem in die ſolenni Paſchæ , contigit quod inſciis parentibus remanſerit puer Ieſus in Hieruſalem , & quærentes eum cum dolore & triſtitia poſt triduum inuenerunt eum in templo ſedentem in medio Doctorum audientem illos & interrogantem eos. Cumque deſcendiſſet cum eis, & parentibus ſuis obediens eſſet, contigit quod iam tempus ſuæ manifeſtationis adueniret, cumque in templo quotidie doceret & prædicaret, totus populus ei adhærebat & in eum intuebat vt audirẽt verbum Dei. Quo fiebat vt Scribæ & Phariſæi ac reliqui Iudæi eum ita exoſum haberent, vt tandem turpiſſima morte eum condemnauerint , eaque prophetia Simeonis impleta fuerit qua prædictum erat, *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

3. SED tu Domine qui omnia ſuauiter diſponis, vt *Sapiens* ait, cur ita dure tuos, potiſſimum matrem tuam ab omni peccati macula liberam , & omni virtutum genere decoram ac gratia plenam, affligi ſinis? An ſæuus es qui tuorum pœna delectaris? An vero circa cardines cœli perambulas vt noſtra non conſideres? Abſit. Meminiſſe oportet quod Angelus ad Tobiam dixit , *Et quia acceptus eras* Tobi. *Deo , neceſſe fuit vt tentatio te proba-* cap.12. *ret.*

Sicut aurum enim probatur in fornace, an ſit verum & purum, an mixtum & adulterinum, Ita, *teſte Sapiente* , probatur homo in camino tribulationis, vtrum patiens ſit & animo fortis , an fractus & infirmus : Quod ſi fortis ſit inde fortior & vegetior exibit : Neque enim ſufficit eſſe fortem , oportet hanc virtutem ſicut & cæteras paulatim perducere ad ſuam plenitudinem , quod fit per tribulationem, quia teſte Paulo, *Virtus in infirmitate perficitur.* & alibi, *Cum infirmor tunc potens ſum*,

quo

Digitized by Google

quo enim exterior homo plura patiebatur & duriora, eo interior fortior euadebat, *quia tribulatio patientiam operatur.* Sin autem impatiens quis fuerit & infirmus, etiam infirmitas hæc quæ prius latebat, & sic latebat vt nec esse putaretur, se prodet, non quod aduersitas hominem infirmũ officiat, sed quod qualis erat manifestum faciat.

4. ITAQVE B. virgo cum iam plena esset gratia, plena & meritis bonorum operum (neque enim in ea gratia Dei fuit vacua) hæc dura & aduersa tolerare debuit, quo etiam meritis passionum & tribulationum glorificari posset, quo sic plenam & perfectam iustitiæ coronam percipere mereretur: Plus autem meriti accedit ex tolerantia passionum, quam ex operatione virtutum, plus enim Iob meruit ex suis doloribus fortiter toleratis, quam ex suis eleemosynis largiter erogatis. Et hoc est quod Angelus ad Tobiam dicit, *Quia acceptus eras Deo necesse fuit vt tentatio te probaret*, hoc est, probatum & perfectum redderet. Cum enim idem sit auctor naturæ qui & gratiæ, quemadmodum in rebus naturalibus, vtpote in palma, frumento & similibus, quo duriora sustinent eo firmiora fiunt & plus fructus adferunt, Ita fit & in operibus gratiæ, iuxta illud Ioannis 15. *Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgabit eum vt fructus plus adferat.*

Cum autem Dominus matrem suam ad eximium & supereminentissimum gloriæ gradum euehere decreuisset, atque præclarum & insigne fortitudinis ac patientiæ donum ei dedisset, noluit vt hoc talentum absconditum & donum istud otiosum remaneret, sed vt augeretur & ad iustum sui complementum perueniret, vt enim vis naturæ non cessat sed assidue operatur, donec ipsam ad iustam sui mensuram perduxerit, vt videre licet in arboribus, pecoribus, & humanis corporibus, quæ assidue crescunt donec ad sui complementum peruenerint, quod vnũ citius attingit quã alterũ. Ita in operibus gratiæ & meritis gloriæ fieri credimus, quæ accrescere debent & meliora ac perfectiora fieri, donec præscriptum sibi finem attigerint, & iustum gradum tam gratiæ quam gloriæ peruenerint.

5. CVM B. virgo probe nosset cunctis in stadio virtutis proficere volentibus opus esse firma animi constantia, nec in arrepto proposito facile flaccescere oportere, sed in eodem vigore quantum fragilitas humana permittit, persistendum esse, eo quod scriptum sit, *Nemo mittens manũ ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei*: quo modo in visitatione cum inuiseret Elizabeth cognatam suam, abiit in montana cum festinatione, ita serio ac sedulo virtutum omnium profectui incubuit, memor vt puto istius Scripturæ, *Quicquid potest manus tua instanter operare, quia apud inferos quo tu properas, nec opus nec ratio, nec sapientia erunt.* Et alterius quæ ait, *Vidisti hominem velocem in opere suo, ante Regem stabit, nec erit ante ignobiles.* Et rursum, *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat.* Eccl. 9. Prou. 22. & 10.

Potissimum autem diuinæ contemplationi, qua perscrutabatur & intuebatur profunda Dei, meditationi, & orationi intenta erat, quæ media sunt maximi momenti perueniendi ad caritatem Dei & pacem Christi, in quibus potissimum consistit perfectio & salus animi. Sic autem iis insistebat vt orationi succederet lectio, lectioni meditatio, meditationi contemplatio, contemplationi vero iusta & necessaria actio Hæc enim omnia altera te oporteret, nec vni duntaxat & eidẽ semper virtuti inhærere, alioquin quomodo quis stragulatam vestem diuersis coloribus variegatam sibi facere poterit? Priusquam autem anima veluti sponsa bene ornata Deo coniungi possit, assistere debet in vestitu deaurato circundata varietate & circumamicta omni virtutum genere. An putas si corpus

corpus ſuum quærit ornatum, ſuamque requirit pulchritudinem priuſquam amari & alios oblectare poſſit, quod anima vt Deo placeat iis deſtitui poſſit? cum ſcriptum ſit, *Concupiuit Rex decorem tuum.*

III. Quomodo B. virginem imitari oporteat.

1. QVEMADMODVM conciones ea intentione audire oportet, vt quæ audimus opere compleamus, ſic vitas & virtutes Sanctorum legere & audire & cõſiderare debemus, vt ex iis decerpamus quæ imitari poſſimus: Quia qui virtutum profectum facere cupit, a rudi populo ſegregatus eſſe, & perfectiores quoſque intueri & imitari debet: quia qui primũ incipit, ægre admodum aliquod opus arduũ efficiet perfectum, cuius nullum exemplar aut memoriæ ſit impreſſum, aut ob oculos poſitum. Hinc Moyſi mandatur Exod. 25. *Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte eſt monſtratum.* Id exacte obſeruabat dum viueret S. Antonius qui ſingulorum ad quos diuertebat, virtutes conſiderabat, huius pietatem, alterius humanitatem, illius humilitatem, alterius promptam obedientiam, & ſingulorum virtutes, quantum poterat moribus exprimere & imitari ſatagebat: Memor vt puto iſtius Pauli ad Hebre. *Conſiderantes inuicem in prouocationem caritatis & bonorum operum.* Itaque dum ſanctorum reuoluimus hiſtorias eorum intueri oportet virtutes, vt eas nobis imitandas proponamus.

Nam quanquam ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita Sancti diſcrepent in gratia & gloria, nec ſingulis ſingulæ in ſupremo poſſint obtingere gradu, tamen altius ibit qui ad ſumma contendit. Eſt aliquid prodire tenus ſi non datur vltra. *Vnuſquiſque*, inquit Paulus, *proprium donum habet ex Deo, vnus ſic & alter ſic*: Quiſque igitur eam virtutem maxime imitari conetur quæ ſuæ vocationi potiſſimum conuenit. 1. Cor. 7.

2. ITAQVE quid è vita B. virginis Mariæ nobis imitandum ſeligere poſſimus videamus: Talis enim fuit B. virgo Maria, vt eius vnius vita omnium ſit diſciplina, *inquit Ambr.* & primus diſcendi ardor nobilitas eſt magiſtri. Sed priuſquam huc deueniamus vt è vita & moribus B. Mariæ virginis ſeligamus virtutem aliquam nobis imitandam, hoc obſeruemus, quod cũ multa notatu digna in vitis Sanctorum prælegantur, quædam eo duntaxat referantur, non vt ea imitemur, ſed vt in ſuis donis laudetur Deus, verbi g. quod virgo conceperit & pepererit, hoc magis mirandum quam imitandum. Quædam vero eo fine proponuntur vt imitemur & opere complere diſcamus, & hinc viuendi exemplar ſumamus, verbi gratia, quod in oculis nihil torutũ, *inquit Ambro.* in verbis nihil procax, in actu nihil inuerecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, vt tota ipſa corporis ſpecies, nil fuerit aliud quam figura probitatis animi. Hæc & ſimilia imitari poſſumus. Ambr. lib. 2. de virgi.

Rurſum cum inter cætera virtutum genera maxime coluerit B. virgo humilitatem, & pauperem atque obiectam ſelegerit vitam, vt vix cuiquam præter Deum & parentes ſuos nota foret, hoc ſi non perfecte neque ad amuſſim imitari poſſimus, ſaltem hactenus poſſumus, vt vtamur bonis huius ſeculi tanquam non vtamur, & diuitias talia bona æſtimemus, non quæ faciunt nos bonos, ſed vnde aliis benefacere poſſimus.

3. IN eo fallitur vulgus hominum, quod hominis fœlicitatem & dignitatem a re. um externarum quas quis poſſidet, pretio quod magni facit, æſtimet, vt eo quiſque melior putetur & dignior quo fuerit ditior & cultu externo ornatior. Certe non idcirco vinum præſtantius aut melius, quia aureo excipitur ſcypho, neque equus propterea melior aut generoſior quia ephippium habet ex holoſerico, quia res quæque ſecundum ſuam naturã & non ſecundum ea quæ extrinſecus ei adueniunt, æſtimari debet, præſertim

Digitized by Google

ſi iſta externa minoris ſint pretii & valoris, quam ſit res cui accidunt. Cum igitur bona externa minoris ſint pretii & præſtantiæ quam ſit ipſe homo, cum meliorem aut bonum efficere non poſſunt, ſicut aqua vino permixta illud non efficit
Pſal. 143. melius. Vnde Pſalmiſta cum referens iudicium vulgi dixiſſet, *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt, cuius promptuaria eructantia ex hoc in illud:* iſtud vulgi iudicium corrigens ſubiungit, *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*, tanquam diceret, non ex eo quis bonus aut beatus quia multas poſſidet diuitias, quia illæ talia ſunt bona, qualis eſt animus poſſidentis ea, bonis bona quia ex iis multa bona faciunt, malis mala quia iis abutuntur dum per ea multum mali operantur. Hinc Dominus iis qui perfectionem adipiſci nituntur, conſulit, vt ſi velint eſſe perfecti vendant omnia & dent pauperibus, cumque pauperem pauperes ſequantur atque imitentur. Hoc ſi humanum conſulas iudicium, ſtultum videbitur conſilium, *ſed quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*, inquit Paulus: iudicat Deus non ſecundum faciem vt homo ſolet, ſed ſecundum veritatem.

4. TALIS erat B. virgo & talia ſecuta ab ineunte ætate ſua vt maluerit eſſe abiecta in domo Domini, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Hæc fuere delibamenta virtutis eius, tales primitiæ ſpiritus, talia præludia ſanctitatis: Quæ quamuis diligenter occultaret, ipſa tamen inſtar optimorum aromatum ſua fragrantia in populum emanabant. Cum enim in cunctis etiam in eos quos nunquam viderat, benigna admodum eſſet, & ſingularem animi clementiam oſtenderet, idque non ficto ſed ſyncero pectore faceret, non ſolum amicis, ſed & inimicis, edocta hanc Euangelii doctrinam, Diligite inimicos veſtros, quam didicerat non ſolum vt ſciret ſed etiam vt faceret, quam nõ ſolum affectu cordis approbabat, ſed etiam affectu operis manifeſtabat, ſic in domo Dei latebat vt non lateret, ſed celebri cum laude per ora hominum eius fama increbeſceret. Sic enim de ſe ipſa teſtatur, *Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Abſit autem vt quicquam in gratiam more blandientium aut adulatorum, offeram, aut magis quam verum ſit extollam, ne noſtram virginem veluti Æſopi cornicem alienis coloribus adornare dicar, ſed vnicam veritatis curam habens, quicquid dico pro teſtimonio me dicere profiteor, & minima de maximis refero, vt vel ſic ad æmulationem eius & exemplum me & alios incitem: Perfecta ſiquidem eſt ad virtutem via B. Virginis vita. Cumque multa nos ad melioris vitæ ſtudium ducant, atque ad virtutem erudiant, ratio, lex, Prophetæ, Apoſtoli, doctores, concionatores denique vniuerſi, Cum tot inquam, tantaque habeamus virtutum incitamenta, maximam tamen ad vitam recte inſtituendam, vtilitatem adferunt clariſſimorum virorum ac ſanctarum virginum, & potiſſimum B. Virginis exempla, quæ abunde hic nobis ſuppetunt in laude B. virginis Mariæ commemorata. Vale ô virgo diuina & cultorem tuum tuis precibus iuua, nunc & in hora mortis. Amen.

PARS III.

Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te. Cant. 4.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *De plenitudine & varietate virtutum B. Mariæ.*

II. *Explicantur varia Scripturæ ex Canticis, & Mariæ accommodantur.*

ART. I. De plenitudine & varietate virtutum B. V.

MIRIS modis & variis donis hanc virginem ſibi acceptam fecit Dominus, & præ cæteris ſuis electis variis virtutibus tanquam præfulgidis quibuſdam

tized by Google

Sicut cinamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, & quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. Et quanquam virtus non propterea maior quia notior, pulchrior tamen illuſtriorque efficitur, quando quis bona prouidet, non tantum coram Deo ſed etiam coram hominibus.
Eccl. 24. Recte autem de ſe ait illud Sapientis, *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris*, quia quanto quiſque fuerit melior tanto inuenitur & ſuauior & mitior, vt morum ſuorum ſuauitate etiam aliis virtutem commendet ad eamque inuitet. Sed ne qui ſuauis eſt & mitis, etiam mollis fiat, qui aut ſuæ concupiſcentiæ, aut alterius culpæ facile cedat, nec reſiſtere valeat, dicit ſe inſtar vitis fructificaſſe; flos vineæ fugat ſerpentes & venenatas beſtias, cuius vim atque virtutem ferre non valent, ſic B. virgo inſtar vini quandam acrimoniam qua malum pellebat & reſiſtebat, habebat: Sic enim ſuauis erat & benigna, vt ſimul grauis eſſet & matura: maturitas efficiebat vt nihil in ea laſciuum, nihil leue videretur, & ſic ſuauis & benigna, vt nihil inhumanum, nihil durum aut aſperum in ipſa cerneretur: maturam & grauem eam efficiebat Dei ſapientia: benignam vero & ſuauem caritas diuina. Et ſic oportet, vtrumque vtrique iunctum ſit neceſſe eſt, & ſapientia caritati, & caritas ſapientiæ, & grauitas benignitati, & benignitas grauitati, & amor timori, & timor amori: vnde & apud
Eccl. 24. Eccleſiaſticum de ſapientia legimus, *Ego mater pulchræ dilectionis & timoris*: quia amor ſi ſolus ſit, inuerecundus eſt, *inquit Bernardus*, hinc timor & reuerentia ei iungi debet: quo fit vt cum Dei agnoſcit maieſtatem & ſuam vtilitatem, quaſi præ verecundia accedere vereatur, cum tantam inter ſe & Deum videat inæqualitatem. Et de Chriſto legimus, quod fuerit *plenus gratia & veritate*: & veritas gratiæ, & gratia veritati iuncta ſit, quia veritas ſine gratia valde eſt oneroſa, & gratia ſine veritate leuis eſt & diſſoluta, neſcit enim modum ſi ſola fuerit. Et parum profuerit gratiæ dulcedinem percepiſſe, niſi pariter & temperamentum de veritate contingat accipere: Ex ea enim pluſquam oportet homo placet ſibi, & cum ſe totum dedit hilaritati gratiæ, *inquit Bernardus*, abſque veritatis pondere & ſapientiæ maturitate, inde fit vt gratiam perdat, vnde eam ſe ſtabilire exiſtimabat: Eique contingit illud quod ſcriptum eſt, *Dixi in abundantia* Pſal. 29. *mea non mouebor in æternum, auertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus.* Sed nec veritas ſine gratia, nec ſapientia ſine caritate ſufficit: Quid enim prodeſt ſcire quid te oporteat facere, ſi non detur per gratiam & velle facere? Multos agnita veritate expertus ſum; *inquit Bernardus*, factos triſtiores, & ideo magis, quia ſcriptum nouerant, *Qui ſcit voluntatem Domini ſui & non facit, vapulabit multis.* Non culpamus donum, inquit idem, ſed bonum eius vſum quærimus, ſine quo non tam prodeſt quam obeſt quodlibet donum.

3. MVLTA ſciuntur & fiunt à nobis bona, tamen non ſapiunt facientibus ea, ſiquidem non dilectione nec ſapore boni, ſed aut neceſſitate, aut cupiditate, aut qualicumque occaſione impellimur ad illa: Prædicatur in templis, diſputatur in ſcholis, cauſæ diiudicantur in curiis: Bona quidem ſunt hæc omnia: ſed aud- Hæc ex quid ſapientia proponit intus vtiliter, Bernar. diſponit ſuauiter, quod foris perficit & exequitur virtus fortiter? Qui ſapore boni delectantur, & in opus impelluntur dilectione veri, ſapientes dicuntur, à ſapore namque ſapientia nominatur, quæ virtuti accedens velut quoddam condimentum, eam ſapidam reddit, quæ per ſe inſulſa quodammodo & aſpera ſentiebatur. Mira enim communio & vnio gratiæ & veritatis, ſapientiæ ac virtutis, dum quod ſapientia diſponit ſuauiter, virtus exequitur fortiter, ipſaq; virtus in opere ſuo externo ſuauitatem capit & ſaporem de ſapientia interna. Sed hunc ſaporem boni perdidimus ab ipſo pene exortu generis

 noſtri,

Digitized by Google

noſtri, factique ſumus inſipientes, quia per noxium & peſtiferum peccati ſaporem, qui poſt lapſum in corda intrauit hominum cœpit animæ non ſapere bonum, commouetur que iam in illud non ſapore boni, ſed ſpe alterius commodi. Qui enim donum hoc ſapientiæ non perceperunt, ſuauitatem ſaporis eius non guſtauerunt, & pretium dignitatis illius neſcierunt, quia ſpiritualia non niſi ſpiritualiter à ſpiritualibus diiudicantur: *Animalis autem homo non percipit ea quæ ſpiritus ſunt, & non poteſt percipere,* inquit Paulus, *quia ſpiritualiter examinantur.* res hæc non ratione neque ſcientia, ſed conformitate atque experientia attingitur & addiſcitur. Sicut enim qui græca legit & quæ legit non intelligit, linguæ græcæ fructu caret & vtilitate, ita res hæc non differentis eſt ſed experientis. Cuius rei experientiam quia non habent homines huius ſeculi, alii vanam, alii amaram putant virtutem, & noſtram religionem, & pietatem, & ſapientiam, gratiam & veritatem: Et ideo nec illi venerantur quia eius dignitatem ignorant, & hi accedere verentur ad eam quam aſperam iudicant & amaram.

4. SED ad B. virginem noſtra ſe conuertat oratio, quæ ſicut in puellari ætate pulchre floruit morum ſuauitate, & vitæ honeſtate præclarum ſpecimen de ſe præbens futurorum fructuum, inſtans orationi, lectioni, & ſimilibus virtutum exercitiis, Ita poſtquam ad maturiorem deuenit ætatem, ſuauis in deliciis ſuis copioſiſſimos ac dulciſſimos caritatis & Sapientiæ cæterarumque virtutum protulit fructus: *cuius emiſſiones,* teſtante
Cant. 4. Scriptura, *paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Non ſunt exiguæ intrinſecus deliciarum copiæ de quibus integer paradiſus emittitur. Certe quaſi quendam paradiſum cernas B. virginem omni virtutum genere & deliciarum vbertate redundantem, cuius cum ſint multæ emiſſiones, ipſa tamen ſuis emiſſionibus nec exhauritur, nec imminuitur, quin potius dum magna copia fructuum, hoc eſt, bonorum operum inde dimanat, amplius ipſa abundat, quia ipſa interior abundantia ſpiritus de opere externo capit augmentum.

5. CÆTERVM dum prædictam Scripturam ſanctam intueor, ac penitus reconditos ſecretorum cœleſtium ſenſus rimor, copioſiſſimos ac ſuauiſſimos omnis generis virtutum fructus B. virginis Mariæ nobis hic ob oculos poſitos ac deſcriptos inuenio. Septem enim hic enumerantur arborum aromaticarum ſpecies, qui numerus & vniuerſalitatem & perfectionem virtutum ac gratiarum ſpiritualium deſignat, & certe nullam virtutem aut gratiam excipere videtur cum ait vniuerſaliter, cum omnibus primis, hoc eſt, optimis, vnguentis: In quibus quid potiſſimum commendem? an virtutem & vtilitatem, an ſuauitatem & voluptatem? Nam in enumeratis arboribus fructus aromatici non minus ſunt delectabiles quam vtiles, quanquam inter eos quidam ſint, qui ſi ſoli conſiderentur & ſumantur, quandam præ ſe ferunt amaritudinem & acerbitatem, vt myrrha & aloe: nihilominus etiam hi cæteris iuncti atque commixti ſuam habent non modo vtilitatem ſed & delectationem. Et prædictas ſpecies aromaticas inuicem ſibi commiſceri debere vt inde conficiatur vnguentum non minus vtile quam delectabile, ex eo patet quod Scriptura eas commemoret non ſingulas ſeorſum poſitas, ſed aliis iunctas: *Cyprius,* inquit, *cum nardo, nardus & crocus,* & ſic de cæteris. Et ſic eſt, nam vt ex ſemine cypri oleo decocto vnguentum exprimatur regale, variis aromatum ſpeciebus commiſceri debet: Sumuntque nomẽ ſuum huiuſmodi vnguẽta ex variis aromatum ſpecieb. in vnum cõmixtis facta, ab ea ſpecie ſeu materia quæ in eis maxime abun-

abundat: vt ſi nardus principatum obtineat, quamuis in vnguento nardino multæ aliæ ſpecies commiſceantur, vtpote balſamũ, amomum, omphacyũ, myrrha, iuncus, vt *Plinius* refert, nardus tamẽ vocatur huiuſmodi vnguentum (quo & Magdalena caput Chriſti vnxit & repleta eſt domus odore eius) quia nardus inter cæteras ſpecies aromaticas primum obtinet locum.

6 VERVM in his ſpeciebus aromaticis quæ literam concernunt medicis relinquamus, & ea quæ ſpiritum oblectant rimemur & ſic rimemur atq; inueſtigemus vt inueniamus & experiamur. Nam ſi in his arboribus enumeratis atque earum fructibus deliciæ ſunt corporales quæ ſenſus reficiunt, & hominem externum oblectant, deliciæ ſpirituales his ſignificatæ multo ſunt ſuauiores: ſi iucundum ſit ſub vmbra morari, quæ obſcura duntaxat eſt figura, veritas ipſa quæ fructus locum obtinet, multo eſt ſuauior & iucundior, ſicut plus afficit ignis verus quam pictus.

II. Explicantur ſpecies Aromaticæ.

1. INVESTIGEMVS igitur quid myſterij ſub his figuris lateat. Et inprimis *notandum* quod omnes ſpecies aromaticæ non ſolum inter ſe permiſceri, verumetiam oleo decoqui debeant priuſquam ex iis pretioſum & odoriferum exprimi queat vnguentum, quod vnguentum interdum erat liquidum, ſicut fuit quod Magdalena fudit ſuper caput Ieſu, interdum ſpiſſum quo corpora aut crines inungebantur. Nec ſufficit huiuſmodi ſpecies oleo intingi, ſed in eo decoqui debent vt quaſi in naturam olei conuerſæ videantur, priuſquam huiuſmodi regalis vnctio inde exprimatur. Itaq; per *oleum*, ſpiritus pinguedinem, de qua Pſalmiſta (Pſalm. 62.): *Sicut adipe & pinguetudine repleatur anima mea*, recte intellexeris, per *ſemen cypri*, quod cum manna cœleſti magnam dicitur habere ſimilitudinem, verbum Dei, quod apte ſemini comparatur, intelligere potes: per *nardum* quæ ſecundum externam faciem herba eſt vilis & deſpecta, humilitatem deſignari putato: per *myrrham* vero, quæ cum amara ſit, mortuorum corpora ſeruat incorrupta, apte pœnitentiæ amaritudinem ſignificabis: per *aloe* vero, quæ eſt herba amariſſimi ſucci, reſiſtens vermibus & putredini & viſui vtilis, tribulationem & martyrium non inepte ſignificabis, & ſic de cæteris, ſingulas ſpecies aromaticas ſuis virtutibus adaptando, ex quibus ſimul commixtis regale vnguentum exprimere poteris.

2 CVM itaque ſemen verbi Dei vbique per totam Scripturam ſparſum reperiatur, quod vbique omni fructificandi virtute plenum eſt ex eo facile gemellum fœtum concipere & parere quilibet poterit, ſi anima eius, pinguedine ſpiritus ſancti repleta fuerit, vt in ea veluti in oleo decoquatur & condiatur. Cum enim vnctio ſpiritus ſit quæ doceat nos, teſte Ioanne, qui ex ea verbum Dei apte ruminare & meditari nouerit, facile gemellum, iuxta Scripturam *Can.* 4. inde concipere & parere poterit, vt & intellectus ſapientia informetur & affectus caritate repleatur: *Eſt enim præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, teſte Pſalmiſta, dum mens cognitione veritatis illuſtratur: & ignitium eloquium Domini vt affectum inflammet & caritate ſuccẽdat. Et ad hoc certe ſubſeruit meditatio verbi Dei, proueniens ex pinguedine & vnctione ſpiritus ſancti, vt mens ſancta hunc gemellum, ſapientiam dico & caritatem, concipiat & pariat: Id quod ſignificat Pſalmiſta cum ait, *In meditatione mea exardeſcit ignis*, ſcilicet caritatis: & alibi, *Super ſenes intellexi quia mandata tua exquiſiui.* Cum itaque B. virgo ab Angelo prædicetur gratia plena, quæ ſicut adipe & pinguedine repleta fuit eius anima, ipſaque aſſidue meditationi verbi diuini fuerit intenta, quod hac pinguedine, ſicut ſemen cypri oleo ſolet, fuerit conditũ atq; decoctum, quod mirum ſi & vnguẽtum regale quod oblectat inde expreſſe-

Digitized by Google

rit, & gemellum fœtum caritatis Dei & diuinæ sapientiæ conceperit atq; pepererit?

3 HIS si adiungas nardum humilitatis & cæteras species aromaticas seu virtutes his significatas, vtpote myrrham pœnitentiæ, & aloe amaritudinum, tribulationum, quę quandam addunt acrimoniam & ipsam dulcedinem nonnihil temperant, certe regale & optimum inde conficies vnguentum, quod & ipsam conscientiam oblectabit, & odorem bonæ famæ coram Deo & hominibus de se diffundet. Nam si ita grata sit ea verecundia quæ corporali rubore solet genas suffundere, quanto magis illa quæ internam animæ venustat faciem, humilitatem dico quæ bona sua non petulanter iactitat, nec eximia putat, sed quod sint tam exigua, pudore suffunditur sese que humiliat? Merito autem humilis, verecunda & rubore quasi perfusa coram diuina assistit Maiestate, quando admirabilem eius dignitatem, beneficiaq; innumera & maxima erga se contemplatur, cum tamen ipsa non habeat vnde illi vicem reddere, aut gratias dignas persoluere queat. Vnde cum eius anima Deum magnificaret, & spiritus eius in Deo salutari suo exultaret, quia fecerat ei magna qui potens est, protinus humilitate tanquam quodam pondere ne se extolleret, expressa subdit, *Respexit humilitatem ancillæ suæ*: Sic exultauit vt memor conditionis suę, gaudio exultationis temperamentum iniiceret humilitatis: Nouerat enim scriptum esse, *Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore.* Porro non omnis anima odoriferis olet vnguẽtis, sed cum magnum progressum in recta viuendi ratione fecerit; & ad perfectionis gradum aliquatenus peruenerit, tunc ex omnibus virtutibus simul in vnum commixtis conficitur hoc vnguentum, quod habet in se & emittit è se suauissimum odorem: Sicut Paulus ait,

2.Cor.1. *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Et ad hæc quis idoneus? Certe ad magnam debet is peruenisse virtutum perfectionem & plenitudinem, cuius opera redoleant suauitatem & vbiq; bonam famam è se emittant. Multorum opera ostentationem & inanem iactantiam, aut cupiditatem redolent magis, quam veræ & sinceræ caritatis fragrantiam: dum enim quippiam aggrediuntur, magis ad id aut cupiditate lucri, aut inani gloria, quam proximi caritate permouentur, ita vt si nulla spes lucri affulgeat, aut inanis gloria non excitet, homo plane plumbeus & immobilis permaneat: Adeo in multis cupiditas præualet caritati, vt hæc veluti extincta videatur quæ nullas vires exerat: altera autem toti homini dominetur, vt ad eius præscriptum viuat homo & agat omnia.

4 QVOD si quis ad ea quæ agit, non caritate moueatur sed cupiditate, vt plus proprium lucrum quam proximum amet, huic vnguento opus est non quod oblectat sed quod sanat, cuius vnguenti gratia seu virtus & ægritudinem sanat & veteris corruptionis fœtorem delet, & totam conscientiæ domum bono odore & grata suauitate perfundit. Hæc quidem vnguenta bona sunt, sed meliora illa quæ robur addunt, alacritatem excitant & fouent, & sanis conueniunt. Sicut sacerdotes, Prophetæ & Reges vngebantur in opus ministerij ad quod assumebãtur. Efficax & vtile & insuper necessariũ vnguentum quod inter carnis vexationes animum ab iniuria tuetur, & continet ne fatiscat, ne deficiat, vtpote dum per patientiam mens pia inter iniurias consistit illæsa, cuius patientiæ beneficio tanquam quodam vnguento confortatiuo & mitigatorio, mala quæ inferuntur non sentiuntur: Profusius autem vngitur tunc anima suauius redolet quę etiam omne gaudium existimat cum in varias tribulationes inciderit: An non videtur tibi excellentiori gaudio perfusus, *inquit*

Bernard.

Bernard. qui nouit in aduerſis gaudere, quam qui didicit in ipſis non contriſtari; minus quippe eſt quo dolor excluditur, quam quo lętitia procuratur, dum inimicos non modo toleramus, ſed & amamus. Sunt denique vnguenta quæ oblectant, nec iam in opus aut adminiſtrationem, ſed in quietem & voluptatem, in delicias & amorem aſſumuntur ſponſi & ſponſę, ſicut Regina Eſther cum intraret ad Aſſuerum corpus vnxit; cuius odor in voluptates & delicias aſſumitur, dum ſpiritum recreat & mẽtem exhilarat. Id quod Scripturam ſupra poſitam nobis ſignificare exiſtimo, cum ait Cãn. 4. *Cum omnibus primis,* hoc eſt, optimis vnguentis; optima enim illa vnguenta quæ in delicias aſſumuntur; bona quidem ea quæ ſanãt, meliora quæ confortant, ſed optima quæ oblectant.

5 In His omnibus vnguentis atq; aromatibus cæteros antecelluit B. mater & virgo Maria, in quam apte quadrat quod
Prou.31. ſcriptum eſt, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Puto, *inquit Bernardus*, quod nec ipſa virgo cum hic in terris degeret, plene perſpecta habuerit dona ſibi diuinitus collata, occultatur ſublimitas vt ſeruetur humilitas, *Omnis* quippe *gloria filiæ regis ab intus*, neque facile eſt virtutem alicuius ex indiciis diffinire externis. Frequenter enim, *inquit Bernardus*, exiguis extantibus ſignis externis eximia ſunt quæ latent intrinſecus. Satius igitur fuerit tanta dona ſilentio venerari, & quæ definite noſſe non eſt datum, relictum eſt credere quod ſint eximia: De quorum vbertate proueniebat vt dum alij narrarent fabulationes, os eius meditaretur ſapientiam & cor illius eructaret verbum bonum. Porro ſermones iſti & cogitationes quę de plenitudine procedunt gratiarum & ſpiritualium affectuum, dulciores ſunt
Cant.4. ſuper mel & fauum: iuxta illud Cant. *Fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua.* Nam amanti & gratię plenitudinem habenti eſt innatum & proprium dulcia loqui, & cum dulcia loquitur de proprio loquitur: cum vero dura efferre cogitur, non habet hoc ex propria qualitate, ſed ex alterius prauitate. Fauus non niſi dulcedinem effundit, idque de plenitudine ſua. Imo non effundit ſed diſtillat: quanquam enim de plenitudine cordis os loquatur, non tamen ipſam intemperanter totam effundit, ſed diſcrete ac ſobrie iuxta neceſſitatem & auditorũ capacitatem diſtillat & moderate eloquitur. Nec tantum dulcedo in lingua ſonat, ſed mel & lac ſub lingua: ſimulata dulcedo eſt quæ tantum ſonat in lingua, & non ſentitur ſub ipſa: exigua eſt quæ tota eſt in labiis, & non pars eius maior ſub lingua: in promptu eſt ei dulcia loqui, ſub cuius lingua mel & lac. Lac paruulorum eſt quod fluit de incarnatione Chriſti: mel perfectorum de arcanis & ſecretis myſteriorum diuinitatis eius, vterque ſermo de interna dulcedine plenus.

6 Qvod ſi delectatio memoriæ Dei exhauſerit ſpiritum Prophetæ cum diceret, *Memor fui Dei & delectatus ſum,* Pſalm. 76
exercitatus ſum & defecit ſpiritus meus: Si reliquiæ cogitionis diem feſtum agũt in animo recordantis quamdiu manet memoria deguſtatæ dulcedinis: ſi is qui furtim feriato animo & quaſi in raptu prælibare potuerit liberæ meditationis feſtiua gaudia, nil libentius agit, nil feruentius appetit, quam vt huic ſtudio totũ ſe dedere poſſit, ſic enim loquitur qui id expertus erat, *Si dedero ſomnum oculis* Pſal.131.
meis donec inueniam locum Domino, Quid B. virgo quę quodammodo ex animi ſui arbitrio plene perfruebatur internis deliciis, & toto corde Deo adhærens tanquam vnus cum eo ſpiritus effecta in eius amplexu ſuauiſſimum patiebatur multoties ſoporatæ mentis exceſſum? Certe puteum aquarum viuentium dixeris, quæ fluunt impetu de Libano. Quanquam enim dulcedinem diſtillet, nec ſe totam effundet dum infirmis loquitur, tamen cum mater ſuo loquitur filio,

Digitized by Google

filio, & ſponſa ſponſo, tunc altera lingua loquitur, tunc tota anima in melliſluas affectiones conuerſa non niſi amoris de pleno corde eructat & effundit dulcedinem, tunc copioſi riuuli gratiarum ex fonte hoc emanant iugiter & cum impetu magna cum abundantia fluunt de Libano, quod interpretatur candidus, quia pura & candida eſt in qua nulla macula virgo Maria. Eſtque huius fontis vſus non purgare aut lauare quæ ſordida ſunt, hoc quidem nobis neceſſarium eſt vt lachrymis noſtris abluamus maculas contractas, at beatæ virgini de qua ſcriptum eſt: *Tota pulchra es amica mea*, nequaquam deſeruiebat fons iſte ad abluendum, ſed vſus eius in ea erat quod rigaret & fœcundaret. Bonus vſus mundare, ſed melior fœcundare, ille abluit ſordida, iſte gratiarum confert augmenta. Hortus ſi non ſit irriguus non poteſt eſſe fertilis: bona irrigatio quæ fit per deuotionis lachrymas, per doctrinas ſalutares dum fluit vt ros eloquium, per meditationes diuinas. Fons iſte perenniter fluit in Sanctis, ſed & in B. virgine dũ hic in terris ageret perenniter fluebat: Neq; enim ipſa virgo Maria vnquam deuotione caruit, aut arida fuit. Nos interdum potamur ex hoc fonte deuotionis, ſed in nobis non fluit perenniter, ſuauis quidem eſt eius guſtus, ſed nimis facile deficit.

7 SED nec illud prætereundum quod *fons ſignatus & hortus concluſus* dicatur virgo hæc ſancta: cuſtodia enim eſt neceſſaria tanquam quoddam antemurale, quo non modo peccata, ſed etiam occaſiones peccatorum deuitantur. Nihil enim prodeſt diligens cultura, ſi deſit diſciplinæ cuſtodia, qua quis ſenſus diuagari non ſinit, nec diſſolutus ſit. Nam vt Eccleſiaſticus ait, *Qui diſſipat ſepem mordebit eum coluber*: Quia enim Eua voluptatis paradiſum contra lubricum fraudulenti ſerpentis ingreſſum non cuſtodiuit, protinus eius venena perſenſit. Optant quidem omnes & fertilitatem

Eccl. 12.

fructuum & delectationem virtutum, ſed concludi ſignarique nolunt: Libertatem amant vt faciant quicquid velint: Et cum cogitationibus ac ſenſibus ita vagi ſunt, tales fiunt qualia ſunt ea quæ vident & audiunt. Cuius autem animus clauſus eſt, vt neminem admittat niſi Deum quem amat, fit & ipſe paulatim diuinus Deoq; ſimilis, cuius ſuauitate dum animus repletur, eructat cor eius verbum bonum, quod de gratiarum prorumpit vbertate.

8 EX QVO B. virgo velut hortus concluſus & tanquam paradiſus omni virtutum genere ſic exuberat, audet ſibi illud vſurpare quod Cantic. 5. ſponſa ait ad ſponſum, *Veniat dilectus meus in hortum ſuum vt comedat fructum pomorum ſuorum*: Ad fructus inuitat maturos & ſuaues, & nihil acerbitates habẽtes, iis enim paſcitur ſponſus, delectatur Chriſtus. Quam longe à conuerſatione mea ſunt verba votorum iſtorum, *inquit Bernard.* Non ſum hortus maturis fructibus fœcundus, aut virtutum pulchritudine floridus: quin potius in horto meo exoriuntur ſpinæ malarum paſſionum, & vrticæ ardentis concupiſcentiæ: ideo Domine Ieſu non audeo te vocare in hortum meum, niſi vt euellas & diſſipes. Atq; vtinam acerbitas ſola reprehendatur in fructibus noſtris, vtinam immaturi ſint ſolummodo, dummodo mali non ſint: Frequenter poma quæ genere bona ſunt, tempore nondum grata ſunt, ſed immaturitate ſola diſplicent. Felix hortus cuius omnes fructus & natura boni ſunt & tempore maturi, ad horum comeſtionem dilectum prouocare poteſt qui eiuſmodi eſt: illi enim delectabilem ſuum aduentum indulget Dominus vt cum eo delicietur qui prædictis præditus eſt dotibus, qui & caritate ſuauis eſt, & ſapientia maturus. Sed væ illis ad quos cum deſcendit Dominus non inuenit fructus ſed folia tantum: Nam ſicut maledixit ficui quærens fructus & non inueniens ſed folia tantum, *non enim* vt Marcus ait, *erat tempus*

Digitized by Google

tempus ficorum, quod ſignificabat quod nõ tam fructus corporales ſeu ficus quæreret ex arbore, quam bona opera ex homine per ficum ſignificato: Ita cum homo frondet quidem verbis per folia ſignificatis, eo quod lingua qua formatur verba folii habeat formam atque figuram, ſed fructibus & bonis operibus deſtitutus eſt, quia plantatus iuxta viam in horto diſciplinæ ſepibus non eſt concluſus, ſed omnibus peruius, ſic ſterilis inuentus maledictioni eſt obnoxius & proximus.

9. QVAMDIV hic viuebat B. virgo pulchritudo ipſius animę adhuc ſub corporis velo diliteſcebat, ſed ex hoc corpore tanquam ex quodam ergaſtulo egrediens & tanquam ſponſa de thalamo procedens tanta claritate & ſplendore refulſit, tanta gloria & honore euecta fuit, tanto cum triumpho & gaudio ab Angelis in ſummi Regis thalamũ introducta in cœlum conſcendit, vt & ipſi Angeli ſtupefacti ſteterint & admirabundi exclamauerint, Quæ eſt iſta quæ progreditur vt aurora? & pulchra vt Luna, electa vt Sol? Certe ſplendore gloriæ ſuæ etiam ſolis claritatẽ vicit virgo Maria: Si enim Moyſes ex alloquio diuino in monte Sina tãta gloria fulſerit, & tanta claritate facies eius ſplenduerit, vt non poſſent filii Iſrael intendere in faciem niſi peplo oppoſito, quo modo non poteſt quis in fulgorem ſolis oculos figere: quanto magis dum anima ſancta iungitur Deo in gloria fiet & ipſa ſplendida & glorioſa? Dum namque lumen diuinæ gloriæ in animam incidit beatam, ſicut Sol ſuos radios in chryſtallum immittit, tanto efficit eam clariorem & ſplendidiorem, quanto ipſam animam inuenerit puriorem & ſanctiorem: Cum autem B. Virgo poſt Chriſtum fuerit omnium puriſſima & ſanctiſſima, certe fuit etiam inter omnes beatos glorioſiſſima. Hanc beatorum gloriam omnes exoptamus ſat ſcio: Nam & pſeudo Propheta ille Balaam cum ſpiritu prophetico à Deo illuſtratus præuidiſſet quã eſſent pulchra tabernacula Iacob, ſic inter cætera ait. *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Num. 23. Verum quorum gloriam optabat, eorum vitam imitari nolebat, ideo nec ad ipſorum gloriam peruenire poterat. Quãdoquidem igitur res tanta votis non poteſt peragi fœmineis, ſed rebus fortiter gerendis, ad quorum gloriam peruenire cupimus, eorum quoque mores & vitam imitari conemur, vt animas noſtras variis virtutibus tanquam quibuſdam carbunculis exornemus: Id enim ſanctos feciſſe legimus, & id faciendo tantam gloriam conſequuti ſunt quantam promeruerant.

IN FESTO S. MATTHÆI.

CVM *tranſiret inde Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me. Et ſurgens, ſequutus eſt eum. &c.* Matth. 9.

Summa eorum, quæ hic explicantur.

I. Tributa exigere quando ſit licitum aut illicitum.
II. De vocatione Chriſti.
III. De vita & Euangelio S. Matthæi.

PARS I.

1. VIDIT *hominem ſedentem in thelonio, Matthæum nomine*) Telonium locus eſt vbi vectigalia reponuntur: Sed quia plerumq; vectigal pecunia erat, quæ ſuper menſam numerari ſolet, menſa, ad quam publica Cæſaris vectigalia referebantur, etiam telonium appellabatur. Conſtat n. tributa olim non oſtiatim colligi ſolita, ſed à ſubditis ipſis in certum locum referri: Sicut decimæ in Hiſpania, *ait Maldonatus*, non ſolum non extorquentur, ſed ne ART. I. Tributa exigere quando ſit licitũ.

petuntur quidem, at ſponte ab iis quibus debentur, afferuntur. Hanc menſam ad quam ſedebat Matthæus, veriſimile eſt non fuiſſe in ipſius domo, ſed in loco aliquod publico iuxta mare, vt facilius mercium, quæ mari aduehebãtur, tributa colligerẽtur:
Mar.2. ligerẽtur: Nam Marcus & Lucas ſignifi-
Luc.5. cant inde Chriſtum in Matthæi domum ſe contuliſſe, vbi magnum illi Matthæus conuiuium apparauit. Officium exigendi vectigalia vſque adeo infame à Iudæis habebatur, eo q. vix ſine peccato & pauperum expreſſione exerceri poterat, vt cũ Saluator noſter profligatiſſimũ hominẽ ſignificare vellet. Ethnicum & publicanũ appellaret. Chriſtus autem ẽ tam infami officio Matthæũ euocauit, & ad Apoſtolicam dignitatem, quæ prima eſt in Eccleſia, ex [illegible] quo non ſolum diuinæ bonitatis argumentum euidẽtiſſimum cernere licet, ſed etiam diuinæ gratiæ efficaciã, qua Matthæus attractus protinus relictis omnibus ſecutus eſt Chriſtum. Id Euangeliſta Matthæus agnoſcens, ſuum nomẽ proprium, quod cæteri Euangeliſtæ honoris eius gratia ſubticuerunt, hic exprimit, vt ſibi hanc gratiam factam agnoſceret: Erat n. propoſitum eius Domini ſui gloriam commendare, & gratiam eius etiam cũ propria ſua ignominia illuſtrare. Cum enim ingens diuinæ gratiæ & potẽtiæ gloria ſit ex vili rudiq; materia opus efficere præſtantiſſimum & perfectiſſimũ, Sancti non ſolum quales à Deo facti ſunt ſed quales ante fuerint, diligẽter conſcripſerunt, quo diuinam gratiam & miſericordiam magis commendatam redderẽt. Sic Paulus ſe Eccleſiæ perſecutorem, blaſphemum, & peccatorum primum aperta voce pronunciat, vt hac ratione gratiam Dei commendaret, qua in vas electionis transformatus eſt: ſic Matthæus cum ad Apoſtolici muneris functionem, quæ prima dignitas eſt, vocaretur, ad telonium ſe ſediſſe, & publicanorum officia exercuiſſe ſcribit, & ſecuramente ſe turpi lucro & officio operam dediſſe ſignificat.

2. PVBLICANI olim appellabantur qui vectigalia certo conſtituto pretio redimebant: quorum ordinem & numerum ampliſſimum & perſonarum dignitate potentiſſimum fuiſſe teſtatur *Cicero*, cum pro Planco ſic ait. Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipublicæ, publicanorum ordine
continetur: Id quod & Lucas confirmare Luc.19.
videtur cũ de Zachæo dicit, quod fuerit *Princeps Publicanorum, & ipſe diues.* Fuiſſe tamen eorum officium infame apud Iudæos, eo quod eſſet ſi non iniuſtum ſicut vſurariorum, ſaltem periculis plenum. ex eo patet quod Dominus dicat apud
Matthæum de homine excommunican- Matth.19.
do, *Si nõ audierit Eccleſiam ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Quod autem fuerit officium periculis plenum inde conſtat quia exactiones tributorum vectigalium pedagiorum & ſimilium frequenter cenſentur parum iuſtæ, eo quod tam multa requirantur ad iuſtitiam vectigalium, vt difficile ſit omnes rationes requiſitas ad eorum æquitatem ſimul concurrere, præſertim in nouis tributis & vectigalibus. Sunt enim *duplicis* generis tributa, noua & antiqua: *antiqua* quorum originis memoria non extat, quæ communiter præſumuntur iuſta, quia cum iam longo tempore fuerint in vſu nec eis ſit contradictum, rationabiliter creditur legitimis de cauſis fuiſſe impoſita: *Noua* dicuntur quorum initii extat memoria; quæ iura præſunt regulariter parum eſſe æqua & iuſta, vt patet *ex cap.* Quanquam, *de cenſibus in 6.* vbi ſic dicitur, Pedagiorum exactiones tam iure ciuili quam canonico regulariter ſunt merito damnatæ. Cum enim iam olim Principibus ſint ſua ſtipendia debita aſſignata, quicquid vltra exigunt cenſetur extortum. Non ſtatim tamen quia tributum nouum eſt, illud damnare licet, ſed conſultis doctis & piis viris, qui cauſas & neceſſitates nouas Reipublicæ noſſe, & de talibus iudicare poſſũt, in eorum ſententia quieſcendum eſt, quibus ſi euidens fuerit huiuſmodi exactiones eſſe ini-

Digitized by Google

iniquas, non tenentur eas ſubditi in conſcientia ſoluere.

3. Cæterum vt vectigalia & tributa ſint iuſta, tria ſunt neceſſaria, ſecundum communem Doctorum ſententiam, nempe autoritas legitima, cauſa iuſta, & conueniens forma. Si aliqua iſtarum cõditionum abſuerit, vectigal cenſetur iniuſtum, & qui illud exigunt, iniqui. *Autoritas* legitima exiſtit tantum directe in legitimo Principe vel Republica quæ in temporalibus non agnoſcit ſuperiorem. *Cauſa* iuſta eſt neceſſitas vel magna vtilitas boni publici, non autem priuata ipſius Principis libido. In *forma* debet ſeruari proportio iuſta inter ſubditos pro ratione facultatum & negotiorũ cuiuſque, ne pauperes grauentur præ diuitibus: vnde ſuper huiuſmodi rebus quæ emuntur ad neceſſarios vſus, vt ſuper ſiligine & ſimilibus, quibus pauperes carere non poſſunt, non facile imponi debent, niſi magna patriæ vrgeat neceſſitas. Debentur autem vectigalia & tributa in genere ſuo indeterminate accepta, Principi iure naturæ, ſicut decimæ debentur Eccleſiæ ad conuenientem Principis ſuſtentationem, & ad neceſſarium auxilium rectæ adminiſtrationis tanquam ſtipendium ſuæ functionis quam pro populo ſubit. Vnde Paulus ad Romanos tributa inter debita recenſet, *Reddite omnibus debita*, inquit, *cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem.* Determinatio vero tributi, vt detur tantum, vel tantum, ex hiſce aut illis bonis, poſitiua eſt & ex Principis decreto pendet. Facta autem ſemel hac determinatione ex iuſtitia debetur vectigal determinatum, ita vt iniuſtus ſit qui illud defraudauerit.

Rom. 13.

4. Si dubium ſit an vectigal ſit iuſtum an iniuſtum, aliis affirmantibus, aliis negantibus, tunc exactor talis tributi ſi ſpõte ſe ingerat ad exigendum huiuſmodi dubia vectigalia periculo iniuſtitiæ ſe exponit & grauiſſime peccat, ſicut & is qui exigit debitum à ſuo debitore de quo dubitat an debeatur. Si vero exactor ſit Principis ſubditus, & obedientia compellatur exigere debitum, non peccat ſi exigat tributum, præſertim ſi talem nouerit Principis prudentiam & probitatem vt merito in eius iudicio acquieſcere poſſit, quia obedientia in dubio excuſat. Debet autem Principi conſtare cauſam eſſe iuſtam exigendi tributum vel certe vt ita ſit probabile, vt prudenter poſſit ſtatuere hic & nunc tributum poſſe imponi: alioquin ſi conſtet cauſam eſſe iniquam, aut quaſi conſtet, vt ſi Princeps conſumat in priuata commoda ad quę populos non tenetur, aut incommeſſationes, vel prodigas largitiones, tunc eſt iniqua exactio, quia deeſt iuſta cauſa: Sicut & tunc quando deeſt legitima autoritas, vt ſi tributum imponat perſonis exemptis aut ſibi non ſubditis, tunc talis exactio vi extorta non eſt aliud quam rapina, & qui eam imponit aut exigit, ad reſtitutionem tenetur. Is autem qui in ſua adminiſtratione ab alio ſuperiore dependet, à quo ius & auctoritatem regendi habet, vt ſunt vicereges, gubernatores, inferiores duces & alii vaſalli Regis, non habent autoritatem imponendi tributum ſuis ſubditis, quia non à populo ſed ab eo à quo conſtituti ſunt & auctoritatem ſuam acceperunt, ſtipendia ſua ad ſuos vſus neceſſarios accipere debent: Poteſt quidem ſuperior eis aliquam partem tributorũ concedere, ſed hoc ei decedere debet, nec ideo populus grauandus eſt, etiamſi ipſe liberalis eſſe velit.

II. De Chriſti vocatione.

1. Sequere me, *& ſurgens ſecutus eſt eum*) In hoc carpunt Apoſtolos barbari q̃ tam facile fuerint Chriſtũ ſecuti, eo quod vt Sapiens ait, *qui facile credit leuis ſit corde.* Parum hi agnoſcunt virtutem gratiæ Chriſti, quia teſte Sapiente, *cor regis in manu & Dei, quocumq; voluerit flectet illud:* Neque enim ſic vocauit Chriſtus Matthæum aut alios Apoſtolos, vt homo hominem vocare ſolet, voce duntaxat externa, ſed intus corda eorum permouebat & ad ſe trahebat potenti iſta &

Digitized by Google

efficaci gratia cui homo non reſiſtit. Nam quod inter eos quos ad ſe vocat Dominus, quidam prompte & alacriter ſequantur vocantem Deum, ſicut hic Matthæus: alii vero non ſequantur, vt Pſalmiſta innuit cum ait, *Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra*: id non ſolum ad hominum libertatem, verumetiam ad diuinæ vocationis & auxilii diſcrimen referri debet. Porro cum omnes homines arbitrii libertate prædiiti ſint, quidam hac libertate recte vtentes vocanti Domino obſequuntur: alii contra ea abutentes obedire renuunt, qui in vacuum gratiam Dei recipiunt. Quam rem D. *Auguſtinus* Pharaonis & Nabuchodonoſoris exemplis confirmat, quorum vterque quantum ad naturam homo erat, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad cauſam ambo populum Dei detinebant captiuum, quantum ad pœnã ambo grauiſſimis Dei flagellis corripiebantur; Et Nabuchodonoſor quidem poſt innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat rurſus accepit, vt patet *Dan.* 4. Pharao autem ipſis flagellis eſt durior effectus, & non ſolum regnum perdidit, ſed & ipſe in mari rubro ſubmerſus interiit. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diuerſos? Certe illi vt mutaretur diuinum adfuit, huic cum induraretur defuit præſidium, ita vt adiuuãte Domino hæc quidem perficiantur, deſerente eo iſta permittantur: cuius enim vult miſeretur, & quem vult indurat. *Hæc Auguſtinus.*

2. Sed vt hæc melius intelligantur notãdum quod duo auxiliorum genera ſtatuantur, quibus Deus homines ad ſe vocare ſolet, quorum alterum ſufficiens appellatur, alterum ſuperabundans, quod omnem ſuperat duritiem. Et quidem priori illo auxilio excitati homines aliquando venire, ſequi & conuerti renuunt proprio ſuo arbitrio quamuis venire ad Chriſtum, ſequi & conuerti poſſent, prout manifeſta Scriptura ſignificat quæ dicit,
Sap. 12. *Si inimicos ſeruorum tuorum & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione dans tempus & locum per qua poſſent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicaſti ſeruos tuos?* At fruſtra daret Deus tempus & locum peccatoribus per quæ poſſent mutari à malitia, niſi auxilium etiam præberet ſine quo mutari non poſſunt. Rurſum cum Dominus ait apud Matthæum, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos*: & apud Ezechielem, viuo ego dicit Dominus, *nolo mortem impii ſed vt conuertatur & viuat: conuertimini, conuertimini & quare moriemini domus Iſrael*: Illę exhortationes, venite, & conuertimini, irriſoriæ videbuntur, niſi Deus det vires quib. venire & conuerti poſſent, ſicut fruſtra quis vocaret claudum, aut certe irriſorie quem ſciret venire non poſſe. Non fuiſſe autem irriſoriam ſeu ironicam vocationem teſtatur iuramentum illud in Ezechiele expreſſum, *viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris.* Poſteriori autem auxilio excitati & moti, quoniam maioris eſt gratiæ & virtutis, ſemper veniunt ſequuntur & conuertuntur. Vnde *Auguſtinus* de hoc genere auxilii loquens ſic ait, Hæc gratia à nullo duro corde reſpuitur, quia ideo datur vt durities cordis auferatur. Et à doctoribus gratia efficax dicitur ab effectu, non ab euentu, quia facit hominem conuerti, credere velle & perſeuerare, ita vt nemo illam gratiam efficacẽ habeat qui actu non faciat id ad quod ipſa datur: nõ autem ab euentu dicitur efficax vt faciat hominem ſequi ſi homo velit, tanquam gratia det ſolum poſſe, vt autem faciat ex hominis arbitrio pendeat: ſubiicit enim huiuſmodi gratia efficax arbitrium ſibi eique dominatur, vt faciat illud velle & facere & perſeuerare. Et ſic interpretatur *Auguſtinus*, illud Ioannis 6. *Omnis qui audiuit à patre meo, venit ad me*, hoc eſt, inquit, qui intus docetur, mouetur & illuminatur, is in me credit: quia venire ad Chriſtum non eſt aliud quam credere in Chriſtum: ita vt nunquam contingat, quod duobus æquali hac gratia

Matth. 11.

Digitized by Google

gratia efficaci præuentis, quin vterque ſi-
mul credat, aut id faciat ad quod huiuſ-
modi gratia datur.

3. CÆTERVM quamuis omnes poſſint
conuerti & ſequi Chriſtum qui habent
auxilium ſufficiens, tamen re ipſa infalli-
biliter non conuertuntur nec credunt nec
Chriſtum ſequuntur, niſi qui per gratiam
efficacem id conſequuntur: Nam gratia
præueniens ſeu excitans dicitur ſufficiẽs
vt quis per eam poſſit actu credere & con-
uerti nõ immediate ſed hactenus quia per
eam diſponitur, vt ſi ei cooperetur & pro
maiori ſeu efficaci gratia Deum exoret,
gratiam efficacem per quam credat &
conuertatur, conſequatur. Vnde recte hu-
iuſmodi gratiam præuenientem & ſuffici-
entem ſemini quis comparauerit, nõ qui-
dem herbarum vel arborum, quod virtute
continet formam rei producendæ, in glã-
de enim & radix & caudex ſeu truncus, &
rami, & flores. & folia & fructus quercus
continentur: ſic in ſemine humano virtu-
te continentur & caput & brachia, & ma-
nus, & pedes, & cætera membra humani
corporis: Sed ſemini humano reſpectu a-
nimæ rationalis, quam non continet vir-
tute, quia anima non eſt ex traduce, ſed à
ſolo Deo creatur & infunditur, ſicut fi-
des, caritas & habitus gratiæ iuſtificantis
à ſolo Deo infunduntur: ſed diſpoſitiones
continet tantum ad eam formam recipi-
endam in corpore virtute ſeminis orga-
nizato & diſpoſito: Sicut enim in huma-
na generatione ex vi ſeminis diſponitur
formaturque materia vt fiat apta ad ani-
mam recipiendam, ſic etiam ex vi gratiæ
excitantis & ſufficienter adiuuantis diſ-
ponitur anima peccatoris ei cooperantis
vt illi gratia iuſtificationis à Deo infun-
datur.

Eſt autem gratia præueniens alterius
generis, quam ſit gratia iuſtificans, quia
gratia præueniens ſeu excitans quæ fit per
internas inſpirationes timoris, attritionis,
illuminationis qua quis incipit videre
miſerãdum peccatoris ſtatũ, aut ſimilium
affectuum, ſimul conſiſtere poteſt cum
iniqua voluntate, vt patet in Pharaone,
Exodi ca. 9. & in Saule, cum diceret 1. *Reg.*
16. Peccaui: Sed gratia iuſtificans ſeu cari-
tas ipſa non admittit ſecum peccatum a-
liquod mortiferum. Tamẽ hactenus ſub-
ſeruiunt huiuſmodi inſpirationes ſeu vir-
tutes internæ iuſtificationi & ſaluti, quia
qui iis attendit, & motus illis Deum pro
maiori ſubſidio deprecatur, poſſet & è
peccatis ſuis erui, & ad iuſtitiam peruenī-
re.

4. QVOD quomodo verum ſit, exem-
plo res fiet manifeſta: Dum Chriſtus luto
liniuiſſet oculos cœci nati, eique dixiſſet,
vade, laua in natatoria Siloe: Hic cœcus Ioan. 9.
hoc audiens poterat viſum recuperare &
videre ſi vellet: Poterat etiam dici quod
non poſſet videre: Si enim Chriſto ei præ-
cipienti vt ſe lauaret, non obtemperaſſet,
non potuiſſet viſum recuperare nec vide-
re, quia quæ hactenus facta fuerant, vt a-
ctu videret, non ſufficiebant: Si vero ob-
temperaſſet ſicut & obtemperauit, pote-
rat viſum recuperare ſicut & recuperauit,
Hoc modo dicitur Deus ſtare & oſtium
humani cordis pulſare, ſiue timore, ſiue
pio aliquo affectu, ſiue admiratione, ſiue
illuminatione quod fit per gratiam exci-
tantem & præuenientem, cui quiſquis
obtemperauerit, & Deum orauerit ita ſic-
ut res tanta exorari meretur, poterit vlte-
rius iuuari vt actu credat & conuerta-
tur.

5. PRIVS illud auxilium quod dicitur
gratia excitans ſeu præueniens, quo fit vt
homo poſſet conuerti & ſequi Chriſtum,
ad omnes homines ſe extendit, ſaltem
pro tempore & loco, licet non ſemper
cuiuis homini adſit huiuſmodi auxilium,
neque omnibus momentis, vt peccator
ſemper & omni momento immediate
conuerti poſſit: Id quod nobis innuit ſcri-
ptura quæ ait. *Conſidera opera Dei quod ne-* Eccl. 7.
mo poſſit corrigere illum quem Deus deſpexit:
Et Paulus ad Tim. monet eos qui reſi- Tim. 2.
ſtunt veritati cum manſuetudine eſſe
corripiendos, *ne quando det illis Deus pæni-
tentiam ad cognoſcendum veritatem & re-*

ſpiſcant à diaboli laqueis. Dixeris, Si Deus non ſemper pulſet, non ſemper excitet, non ſemper auxilium ad conuerſionem ſufficiens & neceſſarium ſuppeditet, Cur
Eccl. 5. Eccleſiaſticus nos monet vt velociter conuertamur ad Deum, *Ne tardes*, inquit *conuerti ad Dominum*: Et decretum concilii Lateranenſis, quod habetur *in cap.* Firmiter, *de ſumma Trinitate*, Semper, *inquit*, poteſt homo lapſus per veram pœnitentiam reparari. Dico cum ſcripturæ nos adhortantur ad conuerſionem, id volunt, vt cum à Deo vocantur homines & excitantur ad conuerſionem, non reſiſtant ſpiritui ſancto. Id quod nos admonet pſalmiſta cum ait. *Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra.* Ideo autem nominat, hodie, & conditionem addit, ſi audieritis, quia non quotidie nec ſine intermiſſione ſonat vox eius, ſed certo tempore nos viſitat & excitat: & ea gratia excitante ſeu præueniente præſente poteſt homo conuerti & non conuerti. Concilium vero Lateranenſe hoc vult, hominem peccatorem non ita certo & abſolute per omnem vitam deſtitui auxilio Dei, vt de ſalute eius quis deſperare debeat, quamdiu enim in via eſt, extremam ſententiam vt damnati in inferno, nondum percepit. Itaq; prius illud auxilium quod dicitur gratia præueniens & excitans, quo fit vt homo poſſit conuerti, ſe extendit ad omnes homines, ſicut illa Salomonis verba indicant, *Sapientia foris prædicat, in*
Prou. 1. *capite turbarum clamitat, vſquequo paruuli diligitis infantiam?* Rurſum apud Paulum, *vult omnes homines ſaluos fieri*: & apud Matthæum, *Venite ad me omnes qui laboratis.*

Sed quia multi hanc vocem audire nolunt, vlteriori gratia non iuuantur. Sed poſterius illud auxilium, quod dicitur gratia efficax, ad pauciores ſpectat, ad illos videlicet qui actu Chriſtum ſequuntur & conuertuntur, quos diuina miſericordia hoc tãto munere donare dignatur. Et hoc ſuperabundanti auxilio & Matthæus Euangeliſta, & cæteri Apoſtoli à Domino vocati ſtatim ſunt eum ſequuti nõ ſolum corporis greſſu, ſed etiam mentis affectu. Ea eſt enim vis huius vocationis & huius gratiæ vt faciat hominem ſequi, monet enim Deus hominem quando vult & quãtum vult, non expectata ad id noſtra quaſi priore voluntate, ſed excitando, mouendo & determinãdo ipſam ad ſuum actum, idque libere non temerando ipſius libertatem, ſed pro ipſius naturali proprietate, cõcurrendo ſic monet, vt quamuis facturus homo id ad quod à gratia determinatur, poſſit tamen non facere; quia non ſolum eueniet quod Deus huiuſmodi gratia efficaci vult fieri, ſed etiam eo modo eueniet quo vult illud Deus euenire, nimirum libere cum cauſa libera, ita vt libertas ſit non ſolum ex parte Dei concurrentis, ſed etiam ex parte hominis moti & ſeipſum libere mouentis. Et quanquam humana voluntas effectum efficacis gratiæ non impediat, tamen impedire poteſt, & aliud velle vel facere quã illud ad quod à gratia determinatur.

6. CHRYSOSTOMVS vero iſtud (*Et ſurgens ſequutus eſt eum*,) refert non ad Chriſti gratiam efficacem, ſed ad humanam Matthæi voluntatem, dicens quod tunc Dominus eum vocauerit quando præuidit eum ſecuturum. Non ſtatim, *inquit*, à principio eum vocauit, cum vocaret Petrum & Ioannem qui bonæ erant indolis & bonæ voluntatis: Matthæus autem, quippe qui peccatis iacebat inuolutus, durior erat, ideo poſt multa miracula & publicam Chriſti famam, & diuinam eius doctrinam, quibus cor Matthæi quaſi præparabatur, Chriſtum vocantem ſequutus eſt: Multa iam audierat Matthæus de Chriſto, ob quæ eum reuereri & bene affici incipiebat, & ideo vocatus ſtatim ſequebatur Chriſtum non ſolum corporis greſſu, ſed etiam fide & mentis affectu.

Id enim facile quiſque credit, & ſequitur, quod affectui ſuo conforme ſentit & videt, nec opus eſt ei longa perſuaſione vt ſuſcipiat quod amat, vt ſequatur quod; to-

to

Digitized by Google

to corde exoptat. Nam cum Dominus Zachæo diceret, *Feſtina deſcende quia hodie in domo tua oportet me manere*, ilico deſcendit Zachæus: quia iam à longo tempore deſiderauerat Chriſtum videre, & ideo cum iam vltro ei offerretur quod tanto tempore exoptauerat, toto corde amplexus eſt, & gaudēs ſuſcepit Chriſtum in domo ſua: *hac fere ex Chryſoſtomo*. Eſt & iſtud hic obſeruandum quod non ſufficiat Chriſtum ſequi quocunque modo, ſed oportet eum pura & ſyncera intentione ſequi, eo quod Deus animum potius quam opus intueri ſoleat. Cum enim quidam diceret apud

Luc. 9. Lucam, *Magiſter ſequar te quocumque ieris*, Reſpondit ei Dominus, non verba ſed mentem illius attendens, *Vulpes foueas habent & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*: q. d. Dominus. Non ſyncera mente me ſequi cupis, vt pietatem colas, vt mihi mente & animo adhæreas, ſed inſtar vulpis animo duplex es, quia ſub prætextu pietatis dum me ſequi cupis, honores ambis, & diuitias quæris, ego autem diuitias non habeo, quia pauper ſum, ita vt non habeam vbi caput reclinem. Habebatur tamen Chriſtus in ſummo honore, vt non ſolum magna hominum multitudo eum ſequeretur, ſed etiam Principes & Reges venirent & adorarent eum: & huius honoris erat hic homo auidus, redundat enim honor magiſtri in diſcipulos. Ad alterum autem

Luc. 9. ait Dominus, *Sequere me*: hunc enim videbat idoneum Chriſtus qui in eius familiā & inter diſcipulos eius ſuſciperetur: qui ſe non vocatus ingerit, ſæpe cupiditate aut ſuperbia mouetur etiam dum neſcit: ſed quia Deo vocatur, tanquam Aaron, fit, aut quia dignus eſt & idoneus ad hoc vel illud officium, aut quia Deus eum idoneum facere decreuit. Ideoque cum hic diceret, *Sine me prius ire & ſepelire patrem meum*, forſam iam mortuum. Dixit ei Ieſus, *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos* (eſt enim veriſimile quod pater eius fuerit infidelis) *tu autem vade & annuncia regnum Dei*, tanquam diceret, bonum quidem eſt ſepelire mortuos; ſed longe melius eſt prædicare Euangelium, ad quod te voco: & ideo illud alterum huic officio quia meliori, poſtponere oportet.

III. De vita & Euangelio B. Matthæi.

1. PAVCA de vita S. Matthæi hic ſunt ſubiungenda Simulatque ad Chriſti diſcipulatum vocatus fuit Matthæus, in domo ſua, quo animi ſui gratitudinem beneuolum affectū in Chriſtum, & gaudiū declararet, honorificū extruxit Chriſto & diſcipulis eius conuiuium. Et eſt certe quod animo exultet, qui ſolutis iniquitatum vinculis, & deuicta diaboli tyrannide, quibus anima infœlicis peccatoris prius captiua detinebatur, & graui onere premebatur, iam libera effecta diuinæ lucis ſplendore ſe colluſtratam & gratiæ ſuauitate ac ſpiritualibus opibus, quæ veræ diuitiæ, veraque gaudia ſunt, ſe dotatā & locupletatā videt. Quo enim captiuitas animæ quam corporis durior, & quo cœleſtes opes terrenis præſtant, hoc ſpiritualis lætitia & mentis alacritas maior eſt & ſuauior. Sic *Auguſti*. cum à peccati ſeruitute liberatus diuinam dulcedinē guſtaſſet, exclamans ad Dominum aiebat, O Domine quia ego ſeruus tuus, Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: & mox ſubdit. Quam ſuaue mihi ſubito factum eſt carere ſuauitatibus nugarum, & quas omittere metuebam, tunc me dimiſiſſe gaudebam. De iſtis & Iſaias

Iſa. 9. ſic, *Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe ſicut exultāt victores capta præda quādo diuidunt ſpolia*: Et cauſam huius tantæ lætitiæ ſubdit, *Iugum enim oneris eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian*, hoc eſt, confregiſti potentiam diaboli qui vexabat populum tuum, & pondus peccati ſuſtuliſti, vt iam libera mente tibi ſeruire & adhærere poſſit. Sic Eunuchus ille Cādacis reginæ, de quo in

Act. 8. Actis, ſuſcepto baptiſmo cœleſti gratia & ſpiritus libertate fruens, ibat gaudens per viā. Sic Zachæus, ſic & noſter Matthæus, publicanus vterque prius, a Chriſto vero vocatus, ſuſcepit eum gaudens.

ANNO

Digitized by Google

2. Anno Christi 41. traditur Matthæus primus omnium Euangeliſtarum Hebræis Hebraice, Iudæis, qui crediderant, id poſtulantibus, *inquit Chryſoſt.* & Apoſtolis id ei iniungentibus, teſte Epiphanio, *hereſ.51.* ſicut Marcus dicitur latinis ſcripſiſſe ſuum Euangelium latine: & Lucas Græcis græce, idque hortante Paulo, *teſte Hieron de ſcripto. Eccleſ.* Euangeliũ autem Matthæi fuiſſe conſcriptum antequam ad externas prouincias Euangelium prædicaturi proficiſcerentur Apoſtoli, & Hieroſolymis editum, ibidemque interpretante Iacobo fratre Domini, expoſitum, teſtatur *Athanaſius in Synop.* Teſtatur & Euſebius Bartholomæum profecturum ad Indos, Matthæi Euangelium Hebraice deſcriptum detuliſſe, eiſque reliquiſſe. Sed & Barnabas quantumlibet vna cum Paulo Apoſtolatum accepiſſet ad gentes, ſecum tamen tulit Hebraicum Euangelium à Matthæo cõſcriptum, & apud ſe ſemper habuiſſe dicitur, atque vna cum eo ſepultum fuiſſe certiſſimum eſt, *inquit Baronius*: Refoſſo enim Barnabæ corpore anno quarto Zenonis Imperatoris, vna cum eo, illique inhærens inuentum fuiſſe Euangelium ſecundũ Matthæum Hebraice conſcriptũ, hiſtoricorum illorum temporum vera aſſertione conſtare dicit idem Baronius *To. 1. fol. 326.*

Chryſ. ho.3.in Matthæ.

Euſebi. lib.5.c. 10.hiſt.

3. Matthævs in Æthiopiã, cui hæc regio ſorte obtigerat ad annunciandum Chriſti Euangelium, profecturus, Iudæis quos prædicatione Euangelica imbuerat, ſcriptum à ſe Euangelium reliquit, *teſte Euſebio.*

lib.3.c. 18.hiſt.

Eo cum perueniſſet duos Magos populum arte magica faſcinantes compeſcuit, eorumque dracones flammam ignis è naribus euomentes, (ſic ſcribit Petronius *in vita Matthæi*) quos in Matthæũ concitauerant magi, ante pedes ſuos dormire fecit, & ab eorum metu populum liberauit, eoſque in ſua luſtra ablegauit: populum adhortando ſi ſibi tantopere à dracone metueret, multo magis ipſos timere deberet draconem infernalem diabolum, a cuius furore liberandi eſſent, vnius veri ac viui Dei fide & religione ſuſcepta, ſi relicta idolorum ſuperſtitione ad Chriſtum conuerterentur, qua occaſione etiam plurimos ad Chriſti fidem conuertit.

Cui & aliud miraculum adiecit: Cum enim mortuus eſſet filius regis Ægypti Euphronomus nomine, cum Magi ſuſcitaturi cum Regem adiiſſent, & mortuum ſuſcitare non poſſent Regi ſuaſerunt vt filium, qui ad concilium Deorum raptus iam eſſet, in Deorum numero reponeret eique templum extrueret: Id audiens Candaces reginæ Eunuchus, qui à Philippo fuerat baptizatus, *vt in Actis dicitur*, reginæ perſuaſit vt Matthæum accerſeret qui filium ſuſcitare poſſet, quod & fecit. Eoque ſuſcitato & Rex & populus præ lætitia admirantes occurrunt, coronas & purpuram confeſtim Matthæo deferunt, cereos & lampades thuraque ſuccendũt, adhibitoque vario ſacrificiorum genere, Matthæum tanquam Deum aliquem in homine latentem honorare voluerunt. Quod cum Matthæus aduerteret, exclamans dicit, Si me hominem ſimilẽ vobis Deum eſſe creditis & vt Deum honorare vultis, quanto magis eum eſſe Deum credere debetis, cuius virtute ego hunc mortuũ ſuſcito, cuius ſeruũ me profiteor. Ei inquit ſacrificate & templum erigite. Hac ratione & oratione permoti & perſuaſi tã Rex, quam populus eius, in Chriſtum crediderunt: Verum hoc Rege defũcto, Hittacus quidam regnum obtinuit, qui Iphigeniam prioris Regis filiam ſibi vxorem poſtulabat: Matthæus vero, quo auctore virginitatem illa vouerat, vt in ſancto virginitatis propoſito perſiſteret, hortatur. Hittacus id ægre ferens, Matthæum, quem eius virginitatis auctorem eſſe ſciebat, ad altare ſacra facientem gladio confodi iuſſit: cum iã Matthęus annis viginti tribus huic regno euangelizaſſet ac verbum Dei annunciaſſet. Quod vt populus vidit, cum flammis ac facibus

Act.8.

ad

by Google

ad palatium Regis accurrit vt incendio abſumerent, ſed ſacerdotibus prohibentibus à propoſito deſiſtunt. Interim non ceſſat Hittacus ſollicitare virginem Iphigeniam, ſed cum id fruſtra faceret (apparebat enim virgini Matthæus & angelus virginem conſolantes & confortantes) paulo poſt à dæmone correptus ſuo gladio incubuit, & ſeipſum interemit.

Pars II.

Vidit Ieſus hominem ſedentem in Telonio Matthæum nomine, & ait illi, ſequere me & ſurgens ſequutus eſt eum.

Matth. 9.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *In conuerſione Matthæi, Zachæi, Pauli & ſimilium peccatorum Deus mirabilem oſtendit miſericordiam & potentiam.*

II. *Prius oportet exurgere à vitiis, quam Chriſtum ſequi & imitari poſſumus.*

III. *Non fuit Chriſto dedecus comedere & bibere cum publicanis & peccatoribus.*

ART. I. In conuerſione Matth. & aliorum mirabilis elucet Dei miſericordia & potentia.

I. Vidit *Ieſus hominem ſedentem in Telonio Matthæum nomine.*) Quemadmodum Deus iratus ab homine peccatore faciem ſuam auertere dicitur, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Auertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus:* Ita dum alicuius miſeretur, eum aſpicere dicitur: ſic Ieſus reſpexit Petrum & egreſſus foras fleuit amare: ſic vidit Matthæum ſedentem in Telonio, qui ſurgens ſecutus eſt eum. In hac conuerſione Matthæi, Zachæi, Pauli & ſimilium peccatorum, mirabilem & ineffabilem oſtendit Deus miſericordiam & potentiam: Miſericordiam quidem dum hominem actu fraudibus implicatum (ſolent enim publicani ſedentes in Telonio fraudandis proximis toti eſſe intenti, hinc tam infames habebantur) ad ſe conuertit; Potentiam vero quod ita ſubito hominem cupiditati diuitiarum infixum hoc vnico verbo, *Sequere me*, conuerterit, & ad ſe pertraxerit, vt mox diuitiis relictis Chriſtum ſequeretur ipſiuſque paupertatem amplecteretur, & imitaretur: hoc non obſtante quod diuitiarum cupiditas inſtar viſci animam diuitis auari ita diuitiis affigat & adhæreſcere faciat vt eam inde auelli vix poſſibile videatur, iuxta illud Pſalmiſtæ. *Infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia*, vt ſicut homo qui limo infixus inhæret profundius paulatim ſubſidit, dum ſubſtantiam ſeu fundum cui pedem infigat non inuenit, ita qui cupiditati diuitiarum infixus eſt. Pſalm. 68.

Pſal. 29.

2. Audiebat adoleſcens quidam Matthæi 19. *Si vis perfectus eſſe vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni ſequere me.* Et hoc audito abiit triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones à quibus ægre auelli poterat. Nam quanquam diceret ſe à iuuentute ſua omnia ſeruaſſe mandata, & hoc dicendo non quidem mentiebatur, tamen falli poterat, quia fortaſſis ſic non erat vt dicebat quia occulta cupiditate qua plus iuſto diuitiis afficiebatur, laborabat, qua fiebat vt minus præceptum hoc, *Non concupiſces*, impleret. Non tamen mentiebatur neque contra mentem loquebatur, quia ſic eſſe putabat vt dicebat, eo quod cupiditatem ſuam inter occulta peccata comprehenſam, non ſatis perſpectam haberet. Hinc ſubiungit Dominus, *Marci 10. Quam difficile qui pecunias habent intrabunt in regnum cælorum.* Cum enim conſuetudo fiat altera natura, vt eſt difficile exuere naturam ſic eſt difficile cupiditatem longa conſuetudine roboratam deſerere. Verum hoc mitigat rigorem ſententiæ quod Dominus ſubiungit. *Apud homines hoc eſt impoſſibile, ſed non apud Deum.*

3. Et hoc nos docet Pſalmiſta cum ait Pſal. 67. *Dixit Dominus conuertam ex Baſam in profundo maris.* Quem locum explicans *Auguſt.* ſic ait, Baſan ſiccitas inter- Pſal. 67.

interpretatur, ex qua Dominus animas conuertit: De anima autem ſicca dicit Dauid, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*, vt enim terra ſine aqua fructus proferre nequit, ita nec anima ſine gratia. Dicit autem Dominus, Eos conuertam qui & infructuoſi ſunt & in profundo huius ſeculi iacent demerſi pondere peccatorum, quales erant publicani vt Matthæus hic noſter. Ad eos quoque liberandos qui ſunt deſperatiſſimi peccatores, extendit ſeſe immenſa Dei miſericordia. Quod occulta parabola nobis inſinuat idem Pſalmiſta cum ait, *Qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?* Quem locum explicans *Auguſt.* ſic ait: Ecce nos pigri & frigidi in hac terra quaſi congelauimus, ſicut niues gelant ſurſum & in ima decidunt, ſic frigeſcente caritate decidit humana natura in has terras. Sed in iſta niue ſunt prædeſtinati filii Dei & quia prædeſtinauit hos, qui ad tempus frigidi iacent in terra & nondum feruent ſpiritu caritatis, de niue hac facturus eſt lanam, & de lana veſtem quæ & alios calefaciat & quæ ornet & fulgeat ſicut nix, vti legimus *Matth.* 17. quod in monte Thabor veſtis Chriſti ſicut nix fulſerit. Quo modo autem Eccleſia dicitur corpus Chriſti, ſic dicitur & veſtimentum Chriſti, quod fulgebit ſuo tempore ſicut nix quando configurabitur claritati corporis eius. *Et mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas*, hoc eſt, illos qui per multos annos iacuerunt frigidi & obdurati in peccatis ſuis, nix enim multorum annorum tempore durata, cryſtallum efficitur, *inquit Auguſt.* Etiam his, qui iam non niui ſed cryſtallo comparandi ſunt ſicut buccellas mittit per totum Orbem, qualis fuit Matthæus, Paulus & ſimiles qui inſtar cryſtalli obduruerant, hos inquam mittet ſicut buccellas, vt & alios paſcant dum Chriſtum prædicant. Quod ſi vnus panis totum corpus Chriſti iuxta illud

Pſal. 147.

Pauli ad Corinth. *vnus panis multi ſumus* ergo membra Chriſti fruſta panis ſeu buccellæ ſunt. Sic Paulus ex perſecutore factus Apoſtolus, quo inter peccatores primus erat, id eſt, omnibus peior, à tanto medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, vt nemo deſperet, ſed opem tanti medici imploret, qui non quærit mercedem ſed commendat artem. Hic inquam Paulus iam Apoſtolus factus tanquam buccella quæ maſticari debet priuſquam paſcat, plurimos pauit. Sed & Matthæus ſuo Euangelio, quod notiſſimum eſt per vniuerſum orbem, tot paſcit quot ipſius Euangelii lectione ſeu auditione nutriuntur.

4. HAC de cauſa videtur Abacuc dicere *Qui aſcendit ſuper equos tuos, & quadriga tua ſaluatio*: vt per equos homines ii intelligantur qui à Deo reguntur, & quibus Deus inſidet. Per quadrigas vero quatuor Euangeliſtæ qui portauerunt Chriſtum quocumque locorum, qui cauſa ſalutis fuerunt omnium eorum qui Euangelio crediderunt, ſic Auguſt. *lib.* 10. *de ciui. cap.* 32. Et qui hic quadrigæ dicuntur, ab Iſaia nubes vocantur, cum ait, Qui ſunt hi qui vt nubes volant, quia dum pluuiam, qua abundantiſſima diuinæ gratiæ largitas ſignificatur, emittunt, corda hominum rigant vt fructus ferant bonorum operũ. Petebat & Moyſes, *Fluat vt ros eloquium meum*: vt in rore eandem gratiam ſed ſenſim medullas animæ penetrantem intelligamus. Abac. 3.

5. DIFFICILE diuites credunt Euangelio, ait *Hier. in c.* 3. *Iona*, quia obcæcatur mens eorũ variis vitiis & deliciis, luxuria & ſuperbia oppletur cor, vt in iis locũ habeat quod Sapiens ait, *Anima ſaturata calcabit fauum*: Quanquam n. plus afficiat & delectabilior ſit caritas Dei quã voluptas carnis, & virtutes quã vitia, plus n. oblectat ſapientia quã inſipientia, tamẽ quia bona ſpiritualia non percipiuntur oculis carnis vt tẽporalia, ſed mentis, hinc tanquã minus nota minus afficiũt. Quo fit vt homines temporalia ſectantes, qui ſane multi ſunt,

ſunt, ait Aug. *in Pſal.* 40. nihil aliud nouerint dicere niſi, *Quis oſtendet nobis bona?* Cũ enim vera & certa bona intra ſemetipſos videre & experiri nõ poſſunt, foris ab his quærenda eſt lætitia qui diligunt vanitatẽ & quærunt mendaciũ. De quibus recte dicitur, *A fructu frumenti vini, & olei multiplicati ſunt.* Talis n. anima temporalium bonorũ deceſſione & ſucceſſione innumerabilibus cõpleta phantaſmatibus, ſic multiplicata eſt, vt non poſſit agere quod præceptum eſt, Sap. 1. *In ſimplicitate cordis quærite illum.* Iſta multiplicitas enim huic ſimplicitati vehementer aduerſa eſt. Et ideo iſtis relictis qui multi ſeu multiplicati ſunt temporalium cupiditate, fidelis vir in corde exultat, & dicit, *Dediſti lætitiam in corde meo.* In corde enim, non foris, quærenda lætitia, vbi ſecunda pax tumultu nullo turbari poteſt, aut interpellari. *hæc fere Aug.*

6. AD hanc cordis ſimplicitatem qua quis vnicũ quærit Deũ, vt reduceret Chriſtus hominẽ, & ab eo iſtã multiplicitatẽ, qua p diuerſa diſtrahitur & multiplicatur, auferret, dicit Matt. 6. *Nemo poteſt duob. Dominis ſeruire, Nõ poteſtis ſeruire Deo & mãmonæ.* Non dixit, ait auctor *imperf. hom.* 16. *in Matth.* Non poteſtis Deũ habere & diuitias, ſed ſic ait, Nemo poteſt Dei eſſe ſeruus & diuitiarũ, Si diuitiæ te faciũt cupidũ & auarũ, & hac auaritia conſtrictus nemini das quicquã, & rerũ copia creſcẽte etiã ipſa auaritia accreſcit, & quãto illa inflãmatur amplius, tãto paupertas augetur magis, nã qui maiori deſiderio ardẽt, egere ſe magis ſentiũt, *ait Chryſ.* tũc vere ſeruus es diuitiarũ nõ ſolũ qa eas tanquã ſeruus ſeruas, idq; magna cũ ſolicitudine, verũ etiã quia totus in hoc es vt eas indies adaugeas: parũ memor doctrinæ Pauli, q ſic ait ad Tim. *Qui volũt diuites fieri, incidũt in tentationẽ & laqueũ diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua quæ mergũt hominẽ in interitũ & perditionẽ, Radix n. omniũ malorũ eſt cupiditas, quã quidã appetentes errauerũt à fide, & inſeruerũt ſe dolorib. multis.* Ab hac cupiditate quę magnã iniicit remoram magnumq; impedimentum dilectioni Dei, voluit Dominus animum Matthæi eſſe liberũ, quo relictis diuitiis liberius poſſit ſequi & imitari eũ: at quũ prius fuerat habitatio ſtruthionũ & dæmonum, & terra inculta & deſerta in quã nulli fructus bonorũ operum, nullæ virtutes, ita vt etiam in gẽtibus opprobrium eſſet, per potentiam Chriſti & magnã miſericordiã illius fieret quaſi hortus voluptatis & paradiſus Domini. Sic agit ſæpe, etiam cũ deſperatis hominibus Deus non propter ipſas, tanquam ipſi tale quid meruiſſent, ſed propter ſuam clementiam, teſte Ezechiele, vt ſciant omnes in circuitu quod Dominus ædificauerit diſſipata. *ſic Hier. in c.* 16. *Ezec.* Ezech. 16.

Chryſ. ho. 64. in Matth.

1. Tim. 6.

II. Prius oportet exurgere à mortuis quam Chriſtum ſequi poſſimus.

1. ET *ſurgens ſecutus eſt eũ.*) Prius oportet à vitiis exurgere & tunc Chriſtũ ſequi & imitari: ſic enim nos docet Paulus cum ad Epheſios ait, *Exurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus.* Si quis opera mala non deſeruerit, virtus eius & bona ipſius opera Deo placere non poterunt. Plurimi hominum, *inquit Orige.* agunt quidem quæ recta ſunt & bona, interim miſcent & ea quæ mala ſunt: Pauci vero qui ita Dei cultores ſunt & irreprehenſibiles, qui ita bona agant vt abſtineant ab omni re mala. Abſtinent quidem aliqui ab opere malo externo, aut pudore quia metuunt confundi, aut neceſſitate quia voluntatem malam explere non poſſunt, ſed non ſatis ſe obſeruant ab iniquitate ſua interna quæ inficit opera externa, v. g. cum caſtitas ſumat exordium ab interiore homine peruenit vſque ad exteriorem: Neque enim fieri poteſt vt ſi ante quis non mechœtur in corde, mechari poſſit in corpore. Sed non cõtinuo ſi quis ab exterioris hominis caſtitate incipiat, peruenit etiam ad interiorem caſtitatem & continentiam, quia poteſt corde eſſe adulter, etiamſi actu adulterium non committat.

Ephe. 5.
Orig. in c. 2. ad Rom.
Pſal. 31.

2. HINC propheta Dauid eos beatos pronunciat, *quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, & beatum Pſal. 31.

Digitized by Google

beatum pronunciat eum *cui non imputauit Dominus peccatum.* Hic propheta tria dicit: Primum, *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates:* Secundum, *Quorum tecta ſunt peccata:* tertium, *Cui non imputauit Dominus peccatum*: Quia initium conuerſionis animæ eſt mala derelinquere, per hoc enim iniquitatum remiſſionem aliquo modo meretur accipere.

Hæc Orige. in c. 4 ad Rom.

Cum autem ceperit bona facere, velut ſingula quæque quæ præceſſerant mala bonis accedentibus obtegens, & abundantiorem numerum bonorum introducens, quam prius fuerat malorum, tegere peccata dicatur. Vbi vero iam ad perfectum peruenerit, ita vt omnis de eo malitiæ radix penitus amputetur, euſque vt nullum in ea veſtigium poſſit inueniri nequitiæ, vbi iam ſumma perfectæ beatitudinis promittitur, tunc nullum poſſit Dominus imputare peccatum. *hæc Orig.*

Baſili. ſer. 2. de Bap. cap. 7.

3. Dispvtat & *Baſili.* An gratum ſit & acceptum Deo eum qui peccato ſeruit, iuſtitiam facere ſecundum pietatis ſanctorum canonem: Et reſpondit, in veteri teſtamento dicit Deus, Peccator qui vitulum mihi immolat, perinde eſt atque qui canem mactat.

Iſa. 66.

Quæ enim vt Paulus ait, *communicatio luci ad tenebras? Quis conſenſus Chriſto cum Belial?*

2. Cor. 6.

His ſcilicet declaratum eſt, inquit Baſili. quam hoc quod quæritur ſit impoſſibile, Deoque non gratum. Hinc præcipitur populo terræ, *Ezech 46.* vt qui ingreditur templum per portam Aquilonis (à quo exardeſcũt mala ſuper vniuerſam terram) eam deſerens, non egrediatur niſi per portam meridianam, ſeu viam portæ meridianæ, per portam luminis, per portam caloris, per portam in qua ſponſus cadat in meridie. Quem locum explicans *Hieron.* ſic ait, Per portam Aquilonis ingreditur qui peccata dimittit, & egreditur per portam meridianam qui virtutes ſequitur. Et è contrario ſi iuſtus lapſus fuerit in peccatum, ingreditur quidem per portam meridianam, ſed egreditur per viam portæ Aquilonis. *Princeps autem in medio eorum erit*, inquit Propheta, ingredientium ſcilicet & egredientium, vtrorumque virtutis atque peccati teſtis. Et prouerb. 31. dicitur de muliere forti, *Accinxit fortitudine lumbos ſuos*, cum ſcilicet ſupernorum deſideriis intenta, carnalibus illecebris ſuccumbere deſpexerit: *Et roborauit brachium ſuum*, cum ſe ad agendum virtutum opera roborauit & præparauit. Et bene, *inquit Hieron.* explicans hunc locum, primo lumbos fortitudine accingere, ac poſtmodum roborare brachium dicitur, quia nimirum actio boni operis acceptabilis eſſe Domino minime valet, ſi non fluxa luxuriæ quis prius à carne ſimul & mente reſtringat.

4. Hinc Pſalmiſta Pſal. 1 ait, *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini voluntas eius, & in ea meditatur die ac nocte.* Quem locum explicans *Baſil.* dicit, Principium ad bonorum apprehenſionem, ſeu emendationem vitæ eſt à malis abſceſſio. Sapienter itaque & ſolerti conſilio nos ad virtutem introduci cupiens, fugam vitiorum initium fecit bonorum. Si enim ſtatim ea quæ ſunt perfecta tibi propoſuiſſet ad ea fortè obeunda fuiſſes cunctatior: Nunc vero ad faciliora capture aſſuefacit, vt ad ea quæ ſequuntur animo ſis præſentiore. Ego quippe, *inquit*, pietatis exercitationem ſcalæ à Iacob viſæ recte comparauerim, cuius pars terram attingebat, pars altera ipſi ſupereminens in cœlum vſque porrigebatur. Ex quo eos admonere opus eſt qui ad virtutem inſtruuntur, Primum vt prius primis admoueant gradibus veſtigium, & inde paulatim aſcendendo progrediendoque ad comprehenſibilem humanæ naturæ altitudinem ſenſim ac paulatim promouentes perueniant. Quemadmodum igitur in gradu ſcalari prima eſt aſcenſio ab humo receſſus; ſic in exercitatione diuinæ conuerſationis principium profectus eſt diſceſſus à malo.

5. Idem

Ierem. 2. 5 IDEM & Ieremias nobis innuit cum cap. 2. ait, *Et non dixerunt vbi eſt Dominus qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti, qui tranſduxit nos per deſertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram ſitu & imaginem mortis per terram in qua nõ ambulauit vir neq; habitauit homo.* Quamdiu in iſto ſeculo ſumus, *inquit Hier. in hunc locum,* & de Ægypto educimur, paulatim aſcendimus, & primum deſerta trãſimus & terram inhabitabilem, quam vir ſanctus inhabitare non debet, & inuiam, vt difficultatem monſtret itineris: per terram ſitis, vbi ſemper plura & maiora cupimus, nec præſentibus contenti ſumus: & imaginem mortis, ſemper enim in periculo conſiſtimus & vbiq; tẽdit laqueos ſuos diabolus. Ex quo perſpicuum eſt non eſſe perfectionem in via, ſed in fine viæ vbi dicetur. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te,* & in manſione quæ ſanctis in cœleſtibus præparatur. Hoc enim eſt quod Dominus ait Luc. 13. *Ecce eiicio dæmonia & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor.* Quem locum explicans Aug. *lib 6 con. Iulia.* ſic ait, Expulſio dæmonum remiſſio peccatorum eſt: Perfectio ſanitatum dum de die in diem proficit Eccleſia, & corruptionis cuius reatus ablatus eſt, paſſio quotidiana renouatione minuitur. Tertia die conſummatur quando in reſurrectione ad ſummã perueniet Eccleſia ſanitatem. Se ergo incipere & conſummari dixit Chriſtus in membris ſuis.

6 PRIMO itaq; in conuerſione peccatoris reuelat Deus condenſa ſyluarum, vt vbi latrones & venenatæ beſtiæ amplius latere non poſſint, primo inquam illuminat obſcura corda ſylueſtrium hominum, quæ prius erant loca dæmonum & habitatio ſtruthionum. Reuelat inquam & illuminat tenebroſa corda peccatorum, vt ſeſe ſuumq; miſerandum ſtatum videant & agnoſcant. Et poſtquam eorum ſic fuerit miſertus Deus, recordabuntur viarum ſuarum peſſimarum, *teſte Ezechiele,* & ſcient vbi fuerint & diſplicebunt ſibi in iniquitatibus ſuis. Ezech. 39. Hoc autẽ Dominus ſe facturum promittit nõ propter illos, quia nihil quod tanta miſericordia & gratia dignum foret, reperiebat in eis, ſed propter ſuam miſericordiam & commiſerationem, vt terra illa inculta & deſerta quę prius erat ſpelunca latronum & habitatio dęmonum, in qua omnes perierant virtutes & abundauerat iniquitas iam culta & conuerſa, fiat quaſi hortus voluptatis & paradiſus Domini, vt ſciãt omnes in circuitu quod Dominus ædificauerit animas diſſipatas, & rebus præſtiterit quod ſermone promiſerat.

III. Non fuit Chriſto dedecus comedere cum Publicanis & peccatoribus.

1. QVARE *cum Publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter?* Hoc quærunt non vt honori Chriſti conſulãt ſed vt eum carpant & reprehenſioni obnoxium oſtendant. Non ceſſit hoc Chriſto in ignominiam quod comederit cum publicanis & peccatoribus, ſicut nec iſtud quod latronem in cœlum induxerit, quin potius eximia laus Chriſti fuit, *inquit Chryſoſt.* quod cœli Dominus homines perditiſſimos ſuperna fœlicitate dignos effecerit campſoreſq; Euangeliſtas exhibuerit idoneos: ſicut in multum medici cedit honorem quod deſperatiſſimis ægris prouideat de remedio qui eos ad priſtinam ſanitatem reuocet. Neq; enim Chriſtus ob id cum peccatoribus conuerſabatur, comedebat & bibebat vt illorum malitiam foueret tanquam eis ſimilis, vt calumniabantur Phariſæi, ſed vt eos ad pœnitentiam & ſaniorem mẽtem reduceret, & ad meliorem vitã reuocaret. Quod ſatis inſinuat Dominus cum ait, *Non opus eſt bene valentibus medicus ſed male habentibus.* Matth. 9.

Chryſ. ho. de cruce & latrone.

2 MALE habebat Matthæus dum auaritia tanquam morbo incurabili laborabat: male ſanus erat & Saulus dum Eccleſiam Dei perſequeretur cuius crudelitas & in Deum ipſum redundabat: Idem & de Magdalena dici poteſt, dũ luxuria difflueret. Hos omnes deſperate laborantes vocauit

Dominus ad pœnitentiam & ad ſalutem perduxit: *Non veni vocare iuſtos*, inquit, *ſed peccatores*. Taxat hic occulte ipſos Phariſæos, qui ſe iuſtos habebant & haberi volebant, ignorantes namq; Dei iuſtitiam, ſuam volebant ſtatuere, & ideo iuſtitiæ Dei non erant ſubiecti. Iuſtitiam Dei vocat hic Paulus, quam Deus infundit, dum peccatorum remiſſione obtenta hominem iuſtum, pium caſtum efficit: Iuſtitiam ſuam ſtatuebant Phariſæi in legis ac ceremoniarum eius obſeruatione, in ſacrificiorum oblatione, in ſuis eleemoſynis, orationibus, ieiuniis ac cæteris externis operibus bonis etiamſi intus eſſent pleni auaritia, inuidia, odio & crudelitate. Hos nō vocauit Dominus quia dum ſe ſanos & iuſtos putarent, ſe Chriſti vocatione & ope non egere putabant.

3 HINC ad eos Dominus, *Euntes autem diſcite quid ſit, Miſericordiam volo & non ſacrificium*; non quod ſacrificium à ſe inſtitutum reiiciat, cum Deo non poſſit non placere ſua inſtitutio, ſed quia miſericordiam, qua quis miſeretur animæ ſuæ, & proximi ſui, illi præfert, & ſacrificium ſine hac miſericordia Deo oblatum, non poſſit eſſe gratum, ipſe enim non eget bonorum noſtrorum, ſed nos ipſius miſericordia egemus, quam vt cōſequamur, vult & nos eſſe miſericordes in proximum noſtrum, iuxta illud Matthæi, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. (Matth. 5.) Bona eſt miſericordia, *inquit Ambroſ*. (Ambr. lib. 1. officior. cap. 11.) quæ & ipſa perfectos facit quia imitatur perfectum, in hoc enim Deo ſimilis eſt homo, ſi miſericors fuerit & ipſe: Quod ſi nudum veſtis, teipſum iuſtitia induis, inquit idem: ſi in te delinquenti ignoſcis, ignoſcet tibi Deus in ſe peccanti: Et qui ſe perpetuis bonis egere ſine ceſſatione recolit, *inquit Hieron*. (Hieron. in cap. 19. Prouer.) talis vt miſericordiam conſequatur à Domino, nunquam proximo miſereri recuſat. Nil tam commendat animam Chriſtianam, *inquit Ambr*. quam miſericordia: vt enim Deo proprium eſt miſereri ſemper & parcere, Ita & filiorum eius, qui naturam patris præ ſe ferunt, ii que in hoc ſimiles ſunt. In hoc eminuit Iob, vt de ſe teſtatur cap. 29. *Pater eram infirmorum*, inquit, *& velleribus agnorum meorum calefacti ſunt humeri eorum*.

4 Hoc habet humana iuſtitia quæ miſericordia & caritate eſt deſtituta, omnia quæ ſunt à ſuo inſtituto aliena, quantumuis bona & perfecta, contemnere & condemnare, propria autem etſi exigua ſint bona, magnificare. Hinc proueniebat quod Chriſtum carperent Phariſæi, dum viderent quod cum publicanis & peccatoribus comederet & biberet. Vera autem iuſtitia quæ fuerit caritate & miſericordia ſuffulta, compaſſionem habet, iiſq; ſubuenire ſolet, quos in miſeria conſtitutos videt. Ideo Dominus ibat ad conuiuia peccatorum, vt quos pœnitentes cernebat, iis miſericordiam impenderet, dicendo, conſolando, veniam promittendo, peccatorum remiſſionem dando, cibos ſpirituales ſubminiſtrando. Neq; enim in priſtinis vitiis remanentes ad Ieſum veniunt, vt ſcribæ & Phariſæi calumniabantur, ſed pœnitentiam agentes, vt ſequens Chriſti ſermo ſignificat dum ait, *Miſericordiam volo & non ſacrificium*: Miſericordia autem iis impēdi ſolet qui ſuam agnoſcunt miſeriam, iuxta illud Iſaiæ, *Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu & trementē ſermones meos?* (Iſai. 66.)

5 LEGIMVS 3. *Reg*. 7. quod Salomon ſibi ædificauerit magnificam domum in Ieruſalem, ſed in ſaltu Libani ædificauit & alteram. Per quod præfiguratum exiſtimo Regem pacificum Chriſtum ſibi duas conſtruxiſſe domos, vnam in Ieruſalem, quæ viſio pacis dicitur, quæ conſtructa eſt ex angelis plena pace in cœlo fruentibus: Alteram in ſaltu Libani quæ conſtat ex peccatoribus conuerſis, qui tanquam homines ſyluestres in hoc mundo tanquam in quodam ſaltu diuagari ſolent. Hos vtroſq; tam angelos ſanctos, quam peccatores conuerſos inhabitat, poſſidet & regit Deus, iuxta illud Pauli 2. Cor. 6. (2. Cor. 6.)

Quo-

Quoniam inhabitabo in eis, & ambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus, Lætatur & gaudet Dominus eumq; oblectat ſi quiete & pacifice inter iuſtos & peccatores conuerſos morari poſſit: Ita enim legimus in prouerbiis,
Prou. 8. *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*: Et in
Cant. 2. Canticis. *Qui paſcitur inter Lilia*: quia eorum conuerſatione delectatur qui innocentia candent & odorem bonæ famæ de ſeſe ſpargunt & emittunt. Tales ſunt autem non ſolum qui innocentiam perpetuo ſeruauerunt, vt angeli in cœlo, ſed & peccatores toto corde ad Deum cõuerſi: qualis is erat qui dicebat, *Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor*.

6 VERVM ſicut Aaron & Maria murmurabant contra Moyſen eo quod æthiopiſſam duxiſſet vxorem: contra quos ſic Dominus vocans Araonem & Mariam,
Num. 12. Nu. 12. *Quare non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi? Iratuſq; contra eos abiit*: Ita Sacerdotes, Scribæ & Phariſæi murmurauerunt contra Chriſtum quod cum Publicanis & peccatoribus, qui inſtar æthiopiſſæ nigri erant, conuerſaretur & biberet atq; comederet cum eis. Sed quam grauiter in hoc peccauerint ambo patet ex eo, quod iratus Dominus contra eos, abierit: nubes quoq; receſſit quæ erat ſuper tabernaculum: *Et ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix, & excluſa eſt extra caſtra ſeptem diebus*: vt ex magnitudine pœnæ intelligas magnitudinem culpæ. Et fieri quidem poteſt, vt qui alteri detrahit atq; obtrectat, ei nihil nocumenti inferat, imo obtrectando beneficium
Orig. ho. 7. in ca. 12. Numer. conferat, *inquit Origenes*: Vt autem ſibi non noceat fieri non poteſt. Nam obtrectatores & maleuoli iudicium ſibi acquirunt & damnationem, vt manifeſte patet hic in Maria ſorore Moyſi, dum nubes à tabernaculo receſſit, & Maria lepra percutitur. Prius recedit nubes, *inquit Origenes*, & ita repletur lepra Maria, vt oſtendatur quia etiamſi ſit in aliquo gratia ſpiritus ſancti, & detrahit, recedit ab eo poſt detractionem, & lepra repletur anima illius, Moyſi vero cui detrahebatur, quid accidit? Nunquam inuenimus, *inquit Orige.* tantas laudes Deum dixiſſe de Moyſe famulo ſuo, quantas nunc dici de eo audimus quando ab hominibus ei derogatum eſt cum Aaron & Maria contra eum murmuraret. Sic enim ait Dominus Num. 12.
ad eos, *Audite ſermones meos, Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad eum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei, palam & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuiſtis detrahere ſeruo meo?*

7 BEATVS eſt, *inquit Hieron.* qui tam Hier. epi.
ſancte, tamq; grauiter diſpoſuit vitam 14. tom. 2.
ſuam vt de eo ſiniſtri aliquid ne fingi quidem poſſit, dum aduerſus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo: Nec fingere quiſquam auſus eſt, quod à nullo putat eſſe credendum. Quod ſi aſſequi difficile atq; nimis arduum eſt, ſaltem hanc adhibeamus vitæ noſtræ diligentiam, ne malę mentes occaſionem inueniant detrahendi: ne ex nobis ſcintilla procedat per quam aduerſus nos ſiniſtræ famæ flamma confletur: alioquin fruſtra iraſcimur obtrectatoribus noſtris, ſi eis ipſis obtrectandi materiam miniſtramus. Si autem nobis diligenter atq; ſollicite omnia ad honeſtatem prouidentibus, cunctiſque actibus noſtris, timorem Dei præferẽtibus, & illi nihilominus inſaniunt, conſoletur nos conſcientia noſtra, quę tunc maxime tuta eſt, tunc optime ſecura eſt, cum ne occaſionem quidem male de ſe ſentiendi dedit. *Hæc Hieron.*

IN

IN FESTO
S. MICHAELIS.

IN illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas maior eſt in regno cœlorum? Et aduocans Ieſus paruulum ſtatuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico vobis niſi conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum, &c.

Matth. 18.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Cur humilitatem tantopere velit commendatam Dominus.*

II. *De ſcandalo: & cur ſcandalizantibus væ dicatur.*

III. *Quilibet ſuum habet angelum, & quibus potiſſimum angeli aſſiſtant.*

PARS I.

ART. I. Cur humilitatē tantopere cōmendet Dominus.

1. NISI *conuerſi fueritis & efficiamini ſicut paruuli nō intrabitis in Regnum Cœlorum.* Tanquam bonus medicus peſtem ſuperbiæ & morbum ambitionis in ſuis diſcipulis curare hic nititur Dominus: Propoſuerant Domino quæſtionem hanc Apoſtoli, Quis maior eſſet futurus in regno cœlorum? Quæ quæſtio ex occulta ambitionis radice profecta videtur: Cum enim viderent apoſtoli Petrum cæteris præferri, quando tributum pro ipſo Domino & pro Petro tanquam altero capite ſoluebatur, hoc non minus ægre tulerunt quam cum Iacobus & Ioannes dexteram & ſiniſtram in regno Chriſti peterent. Ambitioſus n. patienter ferre non poteſt vt alius honorem quē ipſe ambit, ei præripiat: ideo contentio exoriebatur inter apoſtolos multoties, Quis eorum eſſet maior. Hunc morbum curare volens Dominus paruulum ſtatuit in medio eorum dicens, Niſi cōuerſi fueritis, ad Deum nimirum à quo per ſuam ſuperbiam videbantur nonnihil auerſi, & efficiamini per humilitatem ſcilicet, ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Paruuli ſicut nomen ipſum præ ſe fert, parui ſunt & humiles, ab omni arrogantiæ faſtu alieni, non de eminentiori loco contendunt, ſimplices ſunt & innocentes, & omnis malitia à puerili ſimplicitate abeſt. Hos candidos puerorum mores, puerili tamen eorum ignorantia prætermiſſa, non pueriliter ſed prudēter æmulari nos & hoc loco adhortatur Dominus, & Paulus cum ad Corinthios ait, 1. Cor. 14.
Nolite pueri effici ſenſib. ſed malitia paruuli eſtote. Mos erat Prophetis olim vt cum aliquid audientium animis altius infigere vellent, quoniam nuda verba exiguam ad hoc vim habere videbantur, earūdem rerum imagines verbis addere ſtuderēt, vt auditorum oculis conſpiciendum ſubijcerent, quod verba minus aperte ſignificabant. Sic Iſaias ex præcepto Domini Iſai. 20.
nudus in medio populi ambulauit, vt Hieroſolymitani regni vaſtitatem & populationem propter peccata populi futuram denunciaret: Sic Ieremias catenas Iere. c. 19.
collo ſuperimpoſitas baiulare & lagunculas præſente populo confringere præcipitur, vt eiuſdem populi captiuitatem & vrbis ruinam prænunciaret. Sic Ezechiel parietem noctu perfodere & per eū Ezec. c. 9. & 12.
effugere, & pilos abſciſſos per aera ſpargere, & gladiū poſt eos euaginare iubetur, quo eiuſdem populi fugam, & futuram eius diſperſionem hac rerum imagine ipſi ante oculos poneret: Ad hunc modum Saluator qui tā multis antea documentis humilitatis virtutem commēdauerat, nunc nouo quodam exemplo non verbis ſolum, ſed expreſſa quadam eius effigie commendat, aduocatum enim paruulum ſtatuit in medio eorum dicēs,

Niſi

Digitized by Google

Niſi efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum.

2. QVOD autem Dominus humilitatem nobis tantopere cõmendet cauſa eſt, quia ipſa & fundamentũ & cuſtos eſt omnium aliarum virtutum: Nam vt charitas, caſtitas, patientia detur, humilitas meretur: quia Deus qui *ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam*, inquit Iacobus. Quam ſunt diſſimilia diuina iudicia humanis: vbique Dominus viam ab affectibus carnalis hominis diuerſam eligit: cum diſcipuli conſeſſum ad dexteram & ſiniſtram peterent, paſſionis calicem illis proponit: cum primatum regni cœlorum in præſenti lectione ambirent, infimam illis humilitatis viam qua ad regnum peruenitur oſtẽdit: ſic ſapiens medicus animarum, non quid æger animus cupiat, ſed quid ei potiſſimum expediat, præſcribit. Solent qui de nauigandi ratione tractant, vadoſa loca & ſcopulos præcipue, qui ſub vnda latent: diligenter notare & in charta deſcribere, vt ab illis nautæ naues ſubducant: Cum autem hæc vita quam viuimus nauigatio quædam ſit qua ad portum ſalutis æternæ tendimus, neceſſe eſt vt nos quoque vadoſa loca & vitiorum ſcopulos ſub virtutis imagine latentes, ſollicite caueamus, ne ad eos innocentiæ nauem illidamus, & iuſtitiæ naufragium faciamus: inter omnes autem huiuſmodi ſcopulos nullus perniciofior, nullus occultior quam ſuperbia eſt, in cuius præcipitium multi etiam non ſentientes cadunt ſæpe, propterea quod homo ſicut voluptatis ita & honoris ſit cupidiſſimus: Eſtque hic affectus gloriæ & propriæ excellentiæ amor imis hominum viſceribus ita infixus, vt non modo principes & huius ſeculi diuites, qui acriores ad gloriam expetendam ſtimulos ſentiunt, verumetiam agreſtes & inculti homines, quorum vilis eſt gloria, hoc morbo laborent grauiſſime omnes: vt eis quo ſe ad paruuli humilitatem dimittant, ſuadere, perinde ſit ac ſi claudo curſum imperes. Nec enim ſecus humilitatis & abiectionis officia, quam loca vadoſa & aſpera deuitant & declinant, quia iis ſuæ dignitatis & honoris iacturam facere ſibi videntur. Nam humilitationis nomine, quæ via eſt ad humilitatem, *inquit Bernardus* ſicut patientia ad pacem, & lectio ad ſcientiam, non ſolum humilia loca & officia, ſed paupertatem etiam, lachrymas, ieiunia, cæteroſque corporis & animi labores & languores intelligunt doctores, à quibus animus hominis, qui non niſi magna & magnifica ſectari ſolet, abhorret. Et humilitatis nomine ea virtus ſit intelligenda, qua quis cognitione ſui vileſcit ſibi ipſi.

Iacob. 4.

3. QVIA vero incautus & inſipiens homo ex donis ſibi diuinitus collatis occaſionem arripuit ſuperbiæ, ideo diuina Sapientia hominis ſaluti conſulens, eique conferens non quod eius cupiditati gratum foret, ſed quod eius ſaluti conduceret, ſuperbiam hominis puniens, ex malis quæ intra ſe caſtigatus ſentiret, materiam præbuit ſeſe humiliandi, vt pœna culpæ medicamẽtum eſſet ſuperbiæ. Cum enim homo tam multis ſubiectus ſit miſeriis tã animæ quam corporis, fami & frigori, morbis & mortalitati, curis & inſtabilitati, timori & ſollicitudini, prauis paſſionibus & ſuſpicionibus, & infinitis propemodum miſeriis, quæ indies homini obueniunt, vt iuſta de cauſa Micheas dixerit, Mich. 6. *Humiliatio tua in medio tui*, Quaſi dicat, Non procul debes quærere materiam humilitatis, eſt n. in te & in medio tui. Quid aliud homo, dum ad ſublimes aut potius inanes aſpirat honores, facit, quam quod inanitatem & morbum animi ſui veluti febricitantis ſitim manifeſtat & prodit, dũ adeo ardenter concupiſcit quod illi exitioſum & noxium eſt futurum: Iuxta illud Sapientis, *Vſquequo ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient?* Prou. 1. Supremum illum Angelum eleuaſſe cor ſuum in decore ſuo non vſque adeo mirum eſſe videtur, quippe qui omnis miſeriæ expers plenus erat ſapientia, eminens potentia & perfectus decore: vt enim humiliatio viam

ſternit ad humilitatem, ita dignitas, potentia & gloria, eminentia, fortuna ſecunda, ad faſtum & ſuperbiam incautum ducunt hominem. Inter dignitates namque & honores ideo periclitatur humilitas, quia tanto quiſque ſe cæteris putat meliorem, quanto eſt aut ditior, aut nobilior, aut doctior. Sed hominem mortalem & miſerum & tot ærumnis ſubiectum intumeſcere, & in altum erigi, ſibique placere, id neſcio an riſu an commiſeratione dignum magis ſit iudicandum. *Quid ſuperbit terra & cinis?* Inquit Eccleſiaſticus. Hoc certe nō aliunde prouenire exiſtimo quam quod homo amore quodam cœco ſeipſum plus diligat iuſto: Eſt enim amor ſui egregius artifex erroris & æſtimationis huius quod quis ſe & ſua pluris faciat quam oportet, vnde & in ſuis donis tanquam magni pretii rebus ſibi placere, ſeſeque præ aliis extollere incipit homo. Quod ſi iudex qui Rei ſit amicus per leges merito ſuſpectus ſit vt cauſæ æquitatem diſcernere idoneus exiſtimetur, obſcurat enim affectus iudicium intellectus vt non quid rei veritas habeat, ſed quid affectus ſuggerat, homo intueatur & tanquam bonum & verum amplectatur: quanto magis ſibi ipſi quiſque ſuſpectus eſſe debet vt æquus ſui ſuorumq; iudex eſſe nequeat, cum ſui ipſius amor quemque ſic excœcet.

Eccl. 10.

II. De ſcandalo: & cur ſcandalizantibus væ dicatur.

1. QVI *ſcandalizauerit vnum de his in me credunt.* Scandalum græcum eſt vocabulum quod latine dicitur offendiculum, quod incaute gradientib. ruinæ præbet occaſionem. Qui igitur aut verbis aut exemplis alteri occaſionem dat peccandi, eum ſcandalizare dicitur, vt ſi pater in filiorum præſentia frequenter iuret, aut diris ominibus domeſticos deuoueat, quo fit vt filii famulique qui id audiunt, id imitentur & idem facere aſſueſcant. Poteſt autem dictum vel factum alicuius *dupliciter* eſſe occaſio ſeu cauſa cur alius peccet, aut actiue, vt loquuntur ſcholæ doctores, aut paſſiue: *Actiue* quidem dum intendit inducere alium ad peccandum, aut certe licet id non intendat, tamē tale quid facit quod de ſui ratione aptum natum eſt vt alium in peccatum inducat, vt qui virginem verbis aut factis ad pudoris ſollicitat iacturam. *Paſſiue* vero dum faciat aut dicit quis id quod quidem per ſe bonum eſt & licitum, vnde alter tamen qui praue diſpoſitus eſt, ruinæ occaſionem capit licet alter non dederit, vt ſi quis ex iuſta alicuius correptione peior euadat: Sicut Phariſæi audita hæc Chriſti doctrina, *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominē: non lotis autem manducare manibus non coinquinat hominem: Tunc accedentes diſcipuli eius dixerunt ei. Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens ait, Sinite illis cæci ſunt & duces cæcorum.* Matth. 15. Et huiuſmodi ſcandalum paſſiuum ſemper quidem eſt peccatum in eo qui ſcandalum patitur, poteſt tamen ſine peccato eſſe in eo qui ſcandalum dare videtur, aut cuius occaſione alter ſcandalizatur & ruinæ capit occaſionem.

2. EST autem tam ſcandalum actiuum quam paſſiuum, interdum peccatum veniale, interdum mortale, pro materiæ leuitate aut grauitate: cum quis enim actum venialis peccati committit ex quo alius inducitur vt idem faciat, quamuis abſque omni culpa non ſit, non tamen mortalem committit, verbi gratia, inuitat quis alium vt paulo largius bibat, quam naturæ neceſſitas poſtulat, is non niſi venialiter peccat. Tunc autem ſcandalum eſt peccatum mortale quando coram aliis committit quis actum peccati mortalis, vt ſi quis alium inebriare intendat: Talis duplici inuoluitur peccato, & proprio & alieno, quia vtriuſque cauſa eſt & auctor. *Aliena* dicuntur peccata quæ aliorum quidem ſunt opera, noſtra autem efficiuntur communione, eo quod ratione ſcandali aut neglecti officii eorum nos reddiderimus participes. Sunt autem aliena peccata quam maxime in cauſa, vt non liceat

Digitized by Google

ceat alicui noſtrum, etiã cui peccatũ non eſt in conſcientia, per omnia dicere de diuinis iudiciis, *Seruus tuus cuſtodit ea.* In hoc enim mortis loco vt præclare docet *Ambroſius* etiamſi quis operibus aut cogitationibus ſuam propriam perſonam contingentibus non contaminaretur, non eſt tamen à peccatis immunis, quia euadere non poteſt contactum mortui, id eſt, conſortium peccati alieni. Hinc tam ſollicite orat Pſalmiſta; *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Quia tametſi aliquis legem Dei tam accurate cuſtodiat, vt nullius peccati ſibi conſcius ſit, non tamen de innocentia poteſt eſſe ſecurus, quia multa ſunt peccata occulta quæ conſcientiam noſtram fugiunt. Sed hæc eſt miſericordia diuina, *inquit Leo*, quæ lapſis ſubuenit humanis, vt non ſolum illa peccata dimittat, de quibus triſti dolore ſigillatim conterimur, verumetiam ignorata, quæ confuſa ſolummodo animi pœnitudine deploramus.

Amb. ſer. 2. in pſ. 118. ver. 2.

pſal. 18.

Leo ep. 81.

3. PORRO cum Dominus ait, *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala, verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit*, non ſignificat abſoluta neceſſitas quaſi ſic fieri debeat, ſed cum totus mundus, teſte Ioanne, ſit in maligno poſitus, plenus eſt ſcandalis & offendiculis: quot enim vides opera aut exẽpla praua, tot tibi occurrunt offendicula & ſcandala, ſicut cum homines aut contumeliis, aut detractionibus, aut iniuriis, aut iniquis proceſſibus, inuicem ſibi nocent, vnde puſilli & infirmi ſcandalum patiuntur, & ad ruinam veniunt, non ita vero qui perfectiores ſunt. Maius autem offendiculũ ponunt & plus offendunt qui in autoritate publica conſtituti aliis malo ſuo exemplo vitæ ſcandalum præbent, quia quiſque id ſibi licere putat quod ſuos ſuperiores facere videt: vt enim cadauera humo tecta minus nocent, inhumata vero putredine ſua aerem inficiunt & peſtem hominibus inferunt, Ita cum priuatus homo intra domeſticos parietes latens peccat, ſe vnum tantum damnat, publicæ vero perſonæ quarũ opera ſunt omnibus conſpicua, multorũ malorum cauſa exiſtunt, quia Principis in mores totus componitur orbis. Eſt animus hominis ſpeculi inſtar quod formas oppoſitas facile in ſe ſuſcipit, ita quicquid videt aut audit homo animo eius adhęret, vt fiat ei ſimilis.

4. ET recte his qui ſcandalum & ruinæ occaſionem ponunt, væ dicitur, quia quã menſura menſi fuerint, remetietur eis, ꝗa ſcriptum eſt, oculum pro oculo, dentem pro dente. Legimus in *libro Iudicum*, quod Rex Adonibeſech regibus, quos bello ceperat vſque ad ſeptuaginta numero, hanc irrogauerit pœnam, vt amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, eos ſub menſa ſua ciborũ reliquias colligere coegerit: vnde & ipſe iam comprehenſus & bello captus, amputatis manuum ac pedum eius ſummitatibus dixit, Sicut feci ita reddidit mihi Deus. Refert & *Hieron.* horribile exemplum in epiſtola ad Lętã, de Prętexta nobiliſſima quadam fœmina: Hæc iubente viro Hymetio, qui patruus Euſtochii virginis fuit, habitum virginis mutauit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propoſitum & matris deſiderium. Et ecce minas Angeli in ſomno audiuit, hęc ei minantis & dicentis, Tune auſa es ſacrilegis manibus attrectare corpus virginis quæ iam nunc areſcent vt ſentias cruciata quid feceris, & finito menſe ad inferna deduceris. Tale quid & de Bonauentura ſorore Cattherinæ Senenſis legimus, quod grauiſſimas ignis purgatorii pœnas luerit, eo quod ſororem ſuam ad faciem ornandam & mundi vanitatem pellicere voluerit.

Iudic. 1.

III.
Quilibet proprium habet Angelum.

1. ANGELI *eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in Cœlis eſt.* Nequaquã paruuli ſunt contemnendi aut ſcandalizandi, quia tantæ ſunt dignitatis, & tantę curæ apud Deum, vt eis certos deputauerit Angelos à quib. cuſtodiantur ſicut filii Principũ & nobiliũ ſuos habent Pædago-

gos qui eos regant & eorum curam gerant. Ex hoc loco & aliis quibuſdam ſcripturæ locis nata eſt opinio & orta traditio ſingulos homines ſingulos ſuos Angelos bonos habere quorum curæ commiſſi
Act.18. ſint: Sicut & in *Actis* legimus: Cum Petrus ab Angelo è carcere eductus intempeſta nocte fores notæ domus pulſaſſet, dixerunt, Angelus eius eſt: tanquam certum eſſet & antiquitus traditum ſingulos homines Angelum aliquem habere ſui
tract. 6. in Matth. cuſtodem. *Origenes* tamen exiſtimauit ſolis baptizatis datos eſſe Angelos: cuius opinionis fuit & auctor *imperf. homil. 5.* Sed cum non ſolum Chriſtianorum ſed omniũ omnino hominum ſalutem quærat Deus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, teſte Paulo, in qua ſalute promouenda Angelorum vtitur miniſterio, ideo communis opinio habet quod etiam ſingulis fidelibus ſui ſint Angeli deputati. Id quod patet ex *Baſilio & Gregorio Nazian.* in oratio-
In Pſal.23. ne habita coram 150. Epiſcopis, ex La-
Lact. li. 2. c.15. *ctantio* & pluribus aliis. Eſt etiam quæſtio, vtrum ſinguli homines malum angelum habeant à quo impugnentur: Et
Orig. ho. 10. in Luc. Caſſian. col.8.c.17. & colla.13. c.12. Beda. in ca.12. Act. putant multi quod ſic, vt *Origenes, Caſſianus, Beda* & plures alii. Et hoc videtur ex Paulo poſſe probari cum dicit, 2. Cor. 12. *Angelum Satanæ* ſibi datum qui ipſum colaphizet. Cũ enim diabolus ſit ſimia Dei, Princeps dæmoniorum in adminiſtratione regni ſui Deum imitatur, vt quemadmodum Deus ſingulis hominibus ſuos ſingulos deſtinat Angelos, ita Lucifer opponit ſingulis ſingulos dæmones. Peculiarem tamẽ Deus curam gerit paruulorum, hoc eſt iuſtorum, vt per paruulos intelligantur non pueri, ſed humiles, quorum curam Deum habere maiorem quam aliorum hominum, tota teſtatur ſcriptura. Paruuli enim iſti, ſeu humiles fideles, qui ſe paruifaciunt nec magna de ſe ſentiunt, ad Dei ſermonem ſemper ſunt intenti, cum iubet ille, obtemperant iſti, cum vocat, accurrunt, cum minatur timent, cum promittit ſperant, cum loquitur auſcultant, & omnibus in rebus ſe illi obſequẽtes exhibent. Ideo paruulorum amator Deus maiorem gerit curam eorum, & vt *Bernard. ait.* nunquam vere humilem labi permittit. Cum magnus ille Antonius in extaſim raptus, vniuerſum mundum laqueis ſeſe mutuo connectentibus plenũ videret, exclamans dixit, O quis iſtos effugiet? vocemq; protinus è cœlis audiuit dicentem, Antoni, humilis.

2. CVM Paulus dicit quod omnes Angeli ſint *adminiſtratorii ſpiritus in miniſte-* Heb.1.
rium miſſi propter eos qui hæreditatem capipient ſalutis, notandum eſt quod aliter miniſtrent Deo, & Chriſto, aliter hominibus: Deo miniſtrãt ſicut miniſtri ſuis Dominis miniſtrare ſolent, quia eius voluntatem perficiunt, eiuſque mandata exequuntur, vt quę ſuis locis, ſuiſque temporibus diuina Maieſtas fieri decreuit, honori ſibi ducant quod per eos eadem perficiantur: Et ſic ſunt adminiſtratorii ſpiritus non ſolum quia habent officium miniſtrandi, ſicut Dapifer Regis dicitur eius miniſter etiamſi actu non miniſtret, verumetiam quia actu ſuum miniſteriũ exequuntur & implent, non propter ſe, ſed propter homines in bonis operibus adiuuandos & à malignis ſpiritibus defendendos, propter eos, inquam, qui hæreditatẽ capient ſalutis. Nobis itaque miniſtrant Angeli ſicut Principes aut Paſtores ſuis ſubditis, regendo, defendendo, iuuando, monendo, informando, orationes noſtras Deo offerendo, ſicut Raphael ad Tobi- Tob. 12.
am ait, *Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino:* ſic filios Iſrael tutatus eſt Angelus cum poneret ſe inter exercitum Pharaonis & Iſraelitas, ſic enim in Exodo legimus, *Tollens ſe* Exod. 14.
Angelus Domini qui præcedebat caſtra Iſrael abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſrael, ita vt ad ſe inuicem toto noctis tempore accedere non valerent: Item pigritantes & oſcitantes excitant & alacriores reddunt, ſicut Eliam à ſuo Angelo excitatum legimus *Reg. 3.* Ignaros docẽt & illuminãt quo- 3. Reg. 19.

modo

Digitized by Google

modo Prophetæ diuinitus per Angelos edocti fuerunt vt futura præſcirent & prædicerent: ſic enim Angelus ad Danielem ait, *Veni autem vt docerē te quæ ventura ſunt populo tuo in nouiſſimis diebus.* Dan. 10.

3. QVEMADMODVM enim hominib. per vitam ignotam & periculis plenā ambulantibus & duces dantur & cuſtodes qui eos deducant & cuſtodiant, ita & cuilibet homini quamdiu viator eſt, cuſtos Angelus & dux deputatur, quia in vita hac qua tendimus ad patriam, multa occurrūt offendicula, multa imminent pericula ex parte dæmonum & hominum, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*, quia quocumque pergit homo ibi laquei ſunt, *inquit Ambro.* Quando ad terminum viæ fuerit peruentum, iam non habebit Angelum cuſtodem neceſſarium quia nullum erit aut reſtabit periculum. Habuiſſet tamen Adam in ſtatu innocentiæ Angelum ſibi deputatum, non quia patiebatur aliquod ſcādalum aut peccati periculum ab interiori cupiditate, quā nullā habebat: ſed imminebat ei periculum ab exteriori propter inſidias dæmonum, cōtra quos egebat cuſtodia Angelorū. Nec tamen Eua aut Adam miniſterio Angelorum & cuſtodia, à lapſu preſeruati fuerūt, quia quando quis internas Angelorum inſpirationes & monitiones non audit neque obtemperat, non eum tuebuntur aut iuuabunt, quia neminem vi impellunt ad bonum aut abarcent à malo: dirigunt vnumquemque ſecundum conditionem ſuæ naturæ, vt quemadmodum homo à naturali inſtinctu boni aut à lege naturæ recedere poteſt victus praua ſua cupiditate & mala conſuetudine, ſic etiam monitioni & ſuaſioni ſeu gubernationi Angelorum ſubtrahere ſe poteſt & non acquieſcere, ſicut multi monitionibus ſuorum ſuperiorū acquieſcere nolunt. Vnde quod homines pereant aut in peccatum incidāt non eſt imputandum negligentiæ aut infirmitati Angelorum, ſed malitiæ aut negligentiæ hominum quia ſuaſioni Angelorum acquieſcere nolunt.

4. ANGELI iis libenter adſunt & aſſiſtunt, *inquit Bernar.* qui vita, maioribus & innocentia iis ſimiles ſunt, eorumque familiaritate delectantur quos vident puras leuare manus in orationibus ſuis, holocauſtum ſanctæ deuotionis gaudent ſe offerre Deo in odorem ſuauitatis: cumque munus Angelicum ſit diuinis laudibus ſemper inſiſtere, cœleſtes hymnos ſummo cum gaudio, ſummaque cum delectatione celebrare, ſolent ſe pſallentibus & diuinis laudibus incumbētibus dignanter admiſcere, teſte Pſalmiſta qui ait, *Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum*, iuuenculas tympaniſtrias animas ſanctas vocat quæ mortificatione carnis ad puritatem peruenerunt: Eſtque alluſio ad tympanum quod Maria ſoror Moyſi ſumpſit & adiūctis ſibi mulieribus cecinit Cāticum Moyſi: qua illuſione ſignificetur & animas ſanctas diuinis laudibus celebrādis incubuiſſe & etiamnum incumbere. Hoc autem in diuinis ſcripturis Angelis attributum inuenimus, vt cui operi ſe addixerit homo, eidem perficiendo adiūxerit ſe & Angelus: vt cum Daniel, qui vir deſideriorū dicitur; cor ſuum dediſſet ad intelligendum & ea de cauſa ſe affixiſſet, miſſus fuit Angelus ad eum docendum quæ ventura erant. Sic Angelus Tobiæ, cum hic ſe ad orādum cum lachrymis dediſſet, Angelus velut opus promouens dixit ei, *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Cum Iudas Machabæus prælio ſeſe accingeret, *& vehemens pugna eſſet*, vt dicitur 2. *Machab. apparuerunt aduerſariis de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori*, ducatum Iudæis præſtantes, ex quibus duo Machabæum medium habentes armis ſuis circumſeptum incolumen ſeruabant, in aduerſarios autem tela & fulmina iaciebant, hinc perturbatione conſternati cadebant & ruebant. Et ab his ſuis miniſteriis, cum ad nos aliquid adminiſtratur adueniunt, apud nos etiam nomina ſortiuntur, vt per priuata nomina ſignificetur quid in ope-

Bernar. ho. 3. in per miſſus.

Pſal. 67.

Dan. 10.

Tob. 12.

2. Mach. ca. 10.

Digitized by Google

[illegible] ratione valeant: Alias in illa sancta ciuitate, quam de visione Dei, scientia plena perficit, propria nomina non sortiuntur, quia ibi eorum personæ sine nominibus sciri possunt, & solo mentis nutu inuicem se designant perfecteque denunciant. Quod nos nominibus vtamur iisque cuiusque personam nominemus, hunc Petrum, illum Paulum vocando, fit quia mentis conceptum nec aliter exprimere, nec aliter homines abinuicem nisi suis nominibus distinguere possumus.

5. Ausis itaque ministeriis quæ apud nos aut alibi exequuntur Angeli, nomina in terris sortiuntur: vt hic Michael dicatur, quod idem sonat, Quis vt Deus? Quia resistendo lucifero volenti similis esse altissimo, hoc nomen sortitus est, & quia neminem Deo comparandum dixit & confessus est, hoc nomen sibi meruit, vt in eo perpetuam suæ confessionis ac fidei, qua Deo adhæsit, luciferum autem abnegauit nec eum pro Deo agnoscere voluit, memoriam apud posteros relinqueret: Ille vero Raphael nominetur, quod interpretatur medicina Dei, quia tanquam bonus medicus visum Tobiæ curauit, Saram à Dæmonio liberauit, preces eorum Deo obtulit, animasque eorum hoc modo sanauit. Et duplici de causa necessum est vt preces nostræ per Angelos Deo præsententur & offerantur, suasq; preces nostris coniungant: aut quia res est magna & ardua quæ petitur, quam quis suis meritis aut dignitate obtinere non posset, nisi aliorum, qui maioris sunt meriti & plus apud Deum valet, precibus iuuaretur: Aut quia is qui petit & orat, propter suas iniquitates apud Deum valeat: hinc [illegible] intercessore eget qui partes eius apud Deum agat.

6. Porro quamuis paucos Angelos nobis notos etiam nominetenus habeamus, eo quo ministeriorum eorum, quod in hoc mundo circa homines & alias exequuntur, fit inuisibile nobisque incognitum, non minus tamen iam Dei electis & hominibus iustis assistunt, defendunt, regunt & instruunt, quam olim, cum id in quibusdam visibiliter fecisse leguntur: Hoc enim nobis significat Paulus cum ad Hebræos ait, *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis.* Hebr. 1. Tanto autem quisque Angelicum subsidium percipit facilius, quanto & Deo & Angelis eius addictus & iunctus animo & caritate fuerit magis, vt supra probatum est.

Quisquis vero à Deo fuerit elongatus, & vita ac moribus ipsis Angelis multum dissimilis, ipsis vero Angelis malis, & bestiæ, de qua in *Apocalypsi*, cuius imaginem in manu ac fronte sua acceperit, & huic seculo multum conformis, is minus subsidii ab ipsis Angelis percipit: Idque duplici de causa, tum quia se Angelico auxilio prauis suis moribus indignum reddit: tum etiam quia quamuis ab ipsis Angelis opem & subsidium percipiat, id minus aduertat, & dum iuuatur & defenditur, & se iuuari nescit, auxilii sibi impensi nullam habet rationem. Quo fit vt homo eo malitiæ perueniat interdum, quod totaliter à suo Angelo desertus videatur: sic enim loquuntur apud Ieremiam, *Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam & eamus vnusquisque in terram suam.* Sic & Iosephus refert cum Ierusalem à Romanis esset deuastanda auditas fuisse in aere voces, Deseramus & derelinquamus locum istum. Sic & Dominus Iudæis minatur apud Isaiam: *Et nunc ego ostendam vobis quid faciam vineæ meæ, Auferam sepem eius & erit in direptionem, diruam maceriam eius & erit in conculcationem*: hoc fit dum ab homine impio Angelica aufertur custodia, *inquit Hiero. in hunc locum.* Rursum Propheta Dauid, *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.*

Apoca. 14. Iere. 51. Isa. 5. Psal. 80.

Tollitur auxilium Dei ab his qui indigni sunt, inquit Hiero. vt quia non senserunt Deum per beneficia, sentiat per supplicia: sublato autem Dei subsidio ruit & fertur

Digitized by Google

ſertur in omnia ſcelera homo, & audacter quicquid cogitat perpetrat, exutus omni pudore & timore, & fit indies peior, & quo peior eo ſecurior, *inquit Gregorius*, poſtquam enim ſuam vicerit conſcientiam vt nullum eius remorſum ſentiat, ſed ſit veluti inſenſibilis factus, malum quod perpetrat, quia nõ ſentit nec malum eſſe credit, ſicut Paulus ait ad Romanos, *Quia non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobrum ſenſum vt faciant ea quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, pleni inuidia, homicidio*, & cæteris ſceleribus quæ ibidem commemorat Paulus.

7. QVANQVAM veriſimile ſit quod etiam huiuſmodi homines reprobi, non omnimoda deſtituantur Angelorum cuſtodia, ſentiunt, quanquam rarius, affectũ pietatis timorem gehennæ, & ſimilia, quæ Angelico miniſterio fieri probabile eſt: Sicut enim fiunt immiſſiones malæ per Angelos malos, ſic fiunt immiſſiones bonæ per Angelos bonos Sic legimus de impio iſto Antiocho, quod inter tormenta quibus affligebatur dixerit, *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo & mortalem non ſentire paria Deo.* Nam quanquam non omnes cogitationes bonæ à bonis Angelis immittantur, ſicut nec omnes malæ à malis, haberet enim homo & bonas & malas cogitationes etiamſi nullus ſpiritus eſſet, tamen quando diu quippiam quæſitum & ignoratum fuerit, in cuius cognitionem homo ſubito deuenit, huiuſmodi illuſtrationis ab Angelis fieri patet ex Daniele, ad quem ſic Angelus; *Daniel vir deſideriorum ex die primo quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conſpectu Dei, exaudita ſunt verba tua & ego veni propter ſermones tuos: intellige ergo verba quæ ego loquor ad te.* Rurſum quando cor durum emollitur, aut aliquis è magno periculo eripitur, è quo humanitus eripi non poſſet, huiuſmodi fieri miniſterio Angelorum etiam inter gentes Deum ignorantes, patet exemplo ipſius Abimelech Regis Geraræ, ad quem ſic Deus eſt locutus, quod haud dubie per Angelum fiebat. *Et ego ſcio quod ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te ne peccares in me, & non dimiſi vt tangeres eam: Nunc ergo redde viro ſuam vxorem, ſi reddere nolueris ſcito quod morte morieris tu, & omnia quæ tua ſunt.*

2. Mach. 12. 9.

Dan. 10.

Gen. 20.

8. QVAM multa & magna beneficia homines ab Angelis percipiant non ſolum in vita hac mortali, ſed etiam poſt mortem, patet ex variis ſcripturæ locis, potiſſimum ex *libro Tobiæ*: Tobiam enim duxit & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, vxorem Tobiam habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, ipſumque à deuoratione piſcis eripuit, ſenioremque Tobiam videre fecit, & vt Tobis ipſe teſtatur, per eum omnibus bonis repleti fuerunt: Ita vt Angelorum miniſterio non ſolum beneficia nobis procurentur ſalutem æternam concernentia, ſed & ea quæ huic vitæ temporali ſuſtentandæ ſunt neceſſaria & vtilia. Tobi. 12.

Quod autem & poſt mortem hominibus aſſiſtant & ſubſidio ſint, id ex *Luca* conſtat, vbi mendicus portatur ab Angelis in ſinum Abrahæ: vt enim animæ damnandæ à dæmonibus rapiuntur in infernum, iuxta illud Pſalmiſtæ. *Ne quando vt leo rapiat animam meam dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat*, quod proprie fit in morte hominis reprobi: Ita animæ ſanctæ ſimulatque à corpore fuerint egreſſæ mox ab Angelis in cœlum deferuntur, ſicut S. Benedicti, vt refert *Grego. in vita eius*, eadem hora qua S. Germanus Epiſcopus moriebatur Capuæ, vidit eius animam ab Angelis magna cum claritate & gloria in cœlum vehi. Quinimo *dicit Chryſ.* quodam in loco animas nondum plene purgatas ab Angelis deduci in locum pœnarum purgatorii, vt ibidem plene purgentur: cum enim viam neſciant & quo tendant ignorent, ab aliquibus eo deducantur neceſſum eſt. Et ſic intelligẽdus videtur iſte Matthæi locus, *Eſto con-*

Luc. 16.

Pſal. 7.

Matth. 5.

Digitized by Google

conſentiens aduerſario tuo cito dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro & in carcerem mittaris: amen dico tibi non exibis donec reddas nouiſſimum quadrantem: Quem locum licet *Aug.* interpretetur de inferno: poteſt tamen commode etiam de purgatorio exponi, quo modo eum exponit *Tertullianus*, in quo tanquam in carcere collocantur animæ purgandæ donec plene fuerint purgatæ. Nam per miniſtrum iudicis non ſolum diabolus intelligitur qui torquet animas damnatas: ſed etiam Angelus bonus qui animas purgãdas deducit ad carcerem purgatorii: Sunt enim & Angeli boni miniſtri, qui exequuntur ſententiam diuinæ iuſtitiæ, vt patet, in *lib.*
Paralip. lib. 1. ca. 21. *Paralip.* vbi Angelus Domini dicitur percuſſiſſe peſte ſeptuaginta millia virorum ſpatio trium dierum. Nam quanquã Angeli mites ſint & benigni & caritate pleni, ſunt zeloſi tamen pro iuſtitia vt malum inultum non relinquant, conformes in hoc Deo qui non minus iuſtus quam pius & miſericors eſt. Qui ita mitis eſt & miſericors vt malum punire non poſſit, potius mollis & flaccidus quam mitis eſt dicendus, nec hoc virtutis eſt ſed vitii, quale nullum reperitur in Angelis.

PARS II.

Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum illius, ad audiendum vocem ſermonum eius.

Pſal. 102.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Errores quorundam circa Angelos. Incorporei ſunt, aſſumunt tamen corpora: quid in iis agant: & cur ſic pingantur.*

II. *Magnus eorum numerus: vbi creati: & perfecti creati.*

III. *De deliciis ſpiritus & voluptatibus carnis: cur lapidibus pretioſis comparantur.*

ART. I. Quorundam errores circa Angelos, &c.

I. SADDVCÆORVM hæreſis erat quod dicerent, neque Angelos eſſe neque ſpiritus, neque reſurrectionem mortuorum, ſicut patet ex *Apoſt.* nihil enim præter iſta ſenſibilia quæ videntur & audiuntur, eſſe credebant. Quæ hæreſis non ſolum ſcripturæ ſanctæ & fidei, ſed etiam experientiæ aduerſatur, quia videmus homines à malignis ſpiritibus obſideri, obſeſſos vero & variis linguis loqui, & occulta patefacere, & alia multa quæ humanas ſuperant vires facere: ſicut obſeſſus ille, de quo *Marcus*, catenis conſtrictus & compedibus vinctus & catenas dirumpebat & compedes comminuebat. Marc. 5. *Secundus* error eorum eſt qui Angelos quidem agnoſcunt, ſed eos ab æterno creatos Deoque coæternos aſſerunt.

Cum enim bonum ſit diffuſiuum ſui, & diuinam maieſtatem deceat honorari, indecens eſſe dicebant diuinam bonitatem eſſe & nemini communicari: ac diuinam maieſtatem eſſe & à nemine honorari. Proinde ſicut lux & lumen quod à luce diffunditur ſimul ſunt, & pes pulueri impreſſus ac veſtigium pedis, licet vnum altero prius ſit natura, tempore tamen ſimul ſunt, Ita inquiunt ſplendor diuinus in Angelos ſe diffundit, ſicut ſol ſuum ſplendorem in vitrum immittit, vt quo modo ſol non eſt, niſi lumen de ſe diffundat: Ita, dicunt nec Deum fuiſſe niſi in Angelos ſuum ſplendorem transfunderet. Cum vero multi eorum in diuinam peccaſſent maieſtatem ob hoc eorum peccatum vindicandum, corpora fuiſſe creata vt in iis veluti carceribus concluderentur & pœnis afficerentur, donec purgati ad priſtinam redirent dignitatem. Hic error Plato-

Digitized by Google

Platonicorum fuit à quo non ita multum Orig. in 1. c. Geneſis. *Origenes* recedit, qui licet non dicat Angelos fuiſſe Deo coæternos, dicit tamen eos ante cœlum & terram & ante tempora ſecularia fuiſſe creatos. Eſt & hic error ſcripturæ ſanctæ contrarius, dicitur enim Exod. 20. expreſſe in *Exodo*, quod ſex diebus fecerit Deus cœlum & terram & omnia quæ in iis ſunt. *Tertius* error eorum eſt qui Angelos quidem agnoſcunt à Deo creatos in tempore, eoſque mentes ſpirituales aſſerunt, ſed quæ corpora habeant tenuiſſima ſibi naturaliter vnita, ſine quibus eſſe non poſſint: Siue ſint huiuſmodi corpora aeria, ſicut ventus, qui non eſt aliud quam aer fluens impetu pulſus, ſpiritus dicitur: ſiue ſint corpora ignea, Pſal. 103. quod ex Pſalmo iſto colligere volunt, *Qui facit Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* In quo errore fuiſſe Lactan. li. 2. ca 11. diui. inſtit. videtur *Lactantius*, qui Angelos putat fuiſſe illos Dei filios, *Gen.* 6. qui ad cuſtodiam hominum miſſi capti pulchritudine fœminarum dum conſuetudinem haberent cum ipſis carnalem, ex iis procrearunt iſtos gigantes, inquit, propter Iob. 26. quos inductum ſit diluuium, de quibus *Ecce gigantes gemunt ſub aquis & qui habitant cum eis*: qui neque Angeli, neque homines eſſent, ſed mediam quandam naturam haberent. Quin & *Auguſtinus* in Aug. lib. 3. ca. 1. de trini. & li. 15. de ciui. ta. ca. 23. variis locis, dubitaſſe videtur aliquando an Angeli in propriis an in alienis corporibus appareant, & an dæmones talia habeant corpora quibus cum fœminis coire poſſint. Sic obſcura ſunt, nobiſque incognita quæ ſub ſenſum non cadunt, vnde & errores multi exorti. Nec id mirum cum homo ne quidem quid ipſe ſit aut ſua anima ſatis intelligat: Ex meipſo cognoſco, *inquit Bernard.* quod Deus incomprehenſibilis ſit quia meipſum non comprehendo.

2. Est autem communis Doctorum opinio, Angelos tales eſſe ſpiritus qui omnino ſint incorporei, quia ſcriptura paſſim vocat eos ſpiritus: deinde in vno homine poteſt eſſe legio dæmonum, ſic enim Marcus teſtatur de homine obſeſſo, Marc. 5. *Legio mihi nomen eſt, multi enim ſumus*: legio autem continet 6666. Ergo dæmon vel habet minimum corpus, & ita eſt valde imbecillis: vel certe omnino eſt incorporeus. Quod etiam inde patet, quia penetrant Angeli quæuis denſiſſima & ſolidiſſima corpora, quod naturali virtute facere non poſſent ſi corporei eſſent. Quod ſi corporei non ſint Angeli, vti eos non eſſe vniuerſa teſtatur eccleſia, ergo nec corporea habent membra, non caput, non pedes, non manus, non oculos aut aures. Verum quamuis membra corporea non habeant, virtutes tamen membris corporeis inſitas habent: vident enim licet oculis careant: audiunt, quamuis aures non habeant. Hinc *Bernard.* Bern. ſer. 2. in Pſ. 9. Caute ambula, *inquit*, vtpote cui adſunt Angeli, ſicut eis mandatum eſt, in omnibus viis tuis, eos reuerere vtpote in ſublimitate conſtitutos, & ab omni actione & cogitatione turpi recede: Nam ſicut apes fugiunt fœtorem, ſic ſi quid obſcœni dicas aut facias fugiunt te Angeli ſancti, accedunt autem dæmones mali & præualent tibi. Quapropter ſi grauis aliqua vrſerit aut vſſerit tentatio, aut vehemens immineat tribulatio, inuoca cuſtodem tuum vt adiutor adſit in tempore opportuno, hoc eſt, in tempore tribulationis tuæ, nam iuxta Pſalmiſtam, Pſal. 90. *Angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.*

3. Qvanqvam Angeli corporei non ſint, aſſumunt tamen interdum corpora vt in iis ſe hominibus manifeſtent, quo modo in veteri teſtamento ſæpius hominibus Angelos apparuiſſe legimus: *vt patet Gen.* 18. vbi Abraham lauit pedes eorum, *& cap.* 32. vbi Iacob luctabatur cum Angelo, qui corpus aſſumpſerat, ſiue ex aere, ſiue aliunde, non ſolum viſibile ſed etiam ſolidum & contrectabile, quod conſtabat mixtione aliqua imperfecta elementorum, ita vt videretur habere aliquas proprietates carnis. Hoc animæ mortuorum in purgatorio exiſtentes

Digitized by Google

facere non poſſunt, quia tantæ virtutis non ſunt vt breuiſſimo temporis ſpatio ſibi corpus adaptare poſſent, cum nõ ſint maioris virtutis extra corpus quam in corpore exiſtentes, quamdiu beatæ non fuerint. Quod ſi interdum in corporibus appareant, ſicut apparuit anima Samuelis, & anima Moyſi in monte Thabor, & 1.Reg. 28. anima Paſcaſii diaconi, quæ viſa eſt à S. Greg.lib. 4.ca. 4. Germano & cum eo locuta, vt refert *Gregorius in ſuis dialogis*, tunc fuit illis corpus adaptatum Angelica virtute. In huiuſmodi corporibus aſſumptis Angelus nihil efficere poteſt niſi motum localem, *teſte* Aug.lib.3. de tri. ca. 8.& 9. *Auguſtino*, dum loquuntur, dum ſe mouent & ambulant & ſimilia faciunt: ſed opera vitalia, qualia ſunt videre, audire creſcere, nutriri, & his ſimilia, quæ ab intrinſeco naturæ principio procedunt, exercere non poſſunt, quia corpus aſſumptum nec viuificant nec informant, ſed duntaxat localiter mouent, & de loco in locum agunt. Vnde Angelus ad Tobiam, *Videbar vobis comedere, ſed ego cibo vtor inuiſibili.* Solent autem huiuſmodi homines quibus Angeli apparent & quodammodo familiares ſunt magnæ eſſe ſanctitatis & eximiæ apud Deum dignitatis, quales fuerunt Patriarchæ & Prophetæ, qui magis Angelicam in terris quam humanam ducebant vitam: Sicut è contra quibus dæmones in aſſumptis apparent corporibus, ſolent iſtius farinæ homines deprauati admodum eſſe & à Deo multum elongati, quales ſunt harioli, ſagæ, & ſimiles.

4. Porro quia Angeli quietum ſemper quærunt animum & diurnos tumultus & turbas fugiunt, fit vt ſæpius ſolitarios aggrediantur vel de nocte appareant, quando mens ab occupationibus eſt libera: rarius autem ſeſe in numeroſa multitudine conſpiciendos exhibeant: quia cũ Angelis Dei ita agendum eſt & loquendum vt ſtatus ipſorum & conditio poſtulat, nempe omni cum reuerentia & mẽtis attentione, tanquam cum Dei legatis per quos diuina nobis innoteſcit voluntas, quique de rebus magnis & ſeriis agere ſolẽt. Et dum ſic apparet Angelus in corpore aſſumpto, apparet aliquando & loquitur in perſona propria, ſicut Tobiæ. 12. *Ego*, inquit, *ſum Raphael*: aliquando apparebat & loquebatur in perſona Dei: idque ſæpius in veteri teſtamento: qui Angelus dicebatur Deus, *inquit Hieron.* Hier. in 3. c. Daniel. quia repræſentabat perſonam Dei. Sic Angelus qui *Gen* 16. apparuit Agar, ei tãquam Deus loquitur dicens, *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum*: Et *Exod.* 3. apparuit Dominus Moyſi in flamma ignis, & in monte Sinai dicitur quod Deus ei apparuerit: Tamen *Hebr.* 2. dicit Apoſtolus legem datam per Angelos. Nam quanquam nonnulli ex patribus putent ſecundam in diuinitate perſonam aſſumpſiſſe aliquando corpus, ſicut Angeli aſſumunt, tanquam præfigurantem per hoc quod ſuo tempore aſſumptura eſſe humanam naturam, tamen communis opinio habet Deum nunquam aſſumpſiſſe corpus in quo appareret, ſed omnes huiuſmodi apparitiones fuiſſe factas miniſterio Angelorum perſonam Dei repræſentantium, *teſte Dionyſio*: quia diuina Diony. ca. 4. cœl. hie. prouidentia adminiſtrat inferiora per ſuperiora & per cauſas ſecundas, neque facile hunc ordinem à ſe inſtitutum prætergreditur.

5. Sciendum etiam quod & dæmones interdum corpora aſſumant & hominibus appareant, quo fit vt non quibuſuis apparitionibus credendum ſit, ſed *oportet probare ſpiritus vtrum ex Deo ſint, quia & Sathan transfigurat ſe in Angelum lucis*, inquit Paulus, 2. Cor. 11. dum aſſumit præclarum habitum, & ſic apparet hominibus vt credatur Angelus ſanctus, quo ſic facilius decipiat & ad aliqua pernicioſa ſeducat. Quando ſenſus corporis duntaxat fallit, mentem vero non mouet à vera rectaque ſententia, qua quiſque fidelem vitam gerit, nullum eſt in religione periculum: Aut etiam cum ſe bonum fingens ea facit vel dicit quæ bonis Angelis congruunt, etiamſi credatur bonus,

non

Digitized by Google

non eſt error Chriſtianæ fidei periculoſius. Cum vero per hæc aliena, ad ſua incipit ducere, tunc eũ dinoſcere, nec ire poſt eum, magna & neceſſaria vigilantia opus eſt. Sed nemo poteſt omnes mortiferos dolos eius euadere, niſi regat atq; tueatur Deus. Et qui à Deo reguntur & diſcretionem ſpirituum habent, quales fuerunt S. Antonius S. Martinus & plures alii, iis facile eſt diſcernere bonum Angelũ à malo: Simplicibus vero & in rebus ſpiritualibus parum exercitatis adeo eſt difficile, vt niſi humiliter ad ſolum Deum confugiant vix dolos eius euadere poterunt. Quia tametſi à bonis ſpiritibus nihil niſi bonum eſſe poſſit: vt hoc ipſo malus cognoſcatur ſpiritus qui apparet ſi aliquid mali petat aut præſcribat: A malis tamen non mala tantum, ſed ẽt bona proponuntur vt decipiant. ſolet malignus ſpiritus multa vera prædicere, *inquit Grego.* vt ad extremum poſſit animam aliqua falſitate & errore illaqueare. Sunt qui illos definiunt malos ſpiritus, qui grauem de mortalibus ſumunt vindictã, aut certe iis moleſti ſunt & terrorem incutiunt. Verum id non eſt certum indicium quia & boni ſpiritus terrent, & grauiſſima de hominibus interdum ſumunt ſupplicia, ſicut duo iſti decori iuuenes grauiſſimum de Heliodoro ſumpſerant ſupplicium ex vtraque parte eum flagellantes vt dicitur 2. *Machab.* Sunt tamen aliqua indicia quib. diſcernuntur mali à bonis, quia mali turbatũ hominis animum communiter relinquunt, etiamſi primo congreſſu amici videantur: boni licet turbent primo & horrorẽ incutiant, in fine tamen hominem mira voluptate & animi tranquillitate perfundunt.

2. Mach. cap. 4.

6. OCCASIONE apparitionum ipſorum Angelorum quæ factæ leguntur in corporibus aſſumptis factum eſt quod ipſi Angeli certis figuris & imaginib. in ſcriptura ſacra inſinuatis exprimantur in eccleſia, quibus licet non ipſorum natura, tamen ipſorum officia & proprietates nobis ob oculos ponuntur. Quod enim cum alis communiter pingantur nobis innuitur promptitudo eorum in exequendis Dei mandatis, terreni enim corporis ſarcina liberi abſque vllo pondere ad cœleſtia feruntur, & in diuinarum rerum contemplatione iugiter occupantur. Quod autẽ læto & fulgenti aſpectu exprimantur, ſicut *Auguſtinus* de Gabriele dicat quod non alio quam fulgenti aſpectu ad virginem ſalutandam ingreſſus ſit, nobis eorum gaudium & gloria denunciatur. Quod autem iuuenilis ætatis eſſe depingantur, fit ne quis temporis longæuitate eos ſeneſcere & ætate conſumi ſuſpicetur. Diſcalciati figurantur quia ſic olim Patriarchis apparuiſſe leguntur, vt patet *Gen.* 18. Nuditas in hominibus verecundiam parit, in Angelis virtutis argumentum eſt, ſanctitatis nimirum innocentiæ & caſtitatis: Quibus etiam primi noſtri parentes veſtiti, nec ipſi nuditate confundebantur ſed ornabantur. Candido veſtitu eoque ſacerdotali pingimus Angelos, in ſignum innocentiæ, gloriæ & gaudii, & quia ſacerdotũ quaſi munus ſubeunt, quando & pro nobis preces fundunt & noſtram ſalutem promouent. Adpinguntur eis etiam varia inſtrumẽta quibus eorum officia explicantur: thuribulum quia preces noſtras Deo offerunt: Statera quia facta hominum trutinant & examinant: Tuba quia electos conuocabunt in die iudicii: In columnis altarium eriguntur, vt tremendo Miſſæ ſacrificio intereſſe dinoſcantur. Sed & ipſi ſpiritus maligni ſub variis formis figurantur: nunc ſub ſpecie draconis cum cauda, propter fraudulentiam & malitiæ venenum quo plenus eſt: nunc ſub ſpecie leonis propter crudelitatem: nunc ꝙ cornua in fronte gerat, propter ſuã potentiam qui factus eſt vt neminem timeat: nunc quod ignem ſpiret, & flammam è naribus emittat, ſicut apud *Iob* deſcribitur, quia plenus furore propter tormenta ignis quæ patitur aliis terrorem incutit.

Auguſt. ſer. 14. de na. Do.

II. De creatione & numero Angelorum.

1. ANGELI ab initio in tanta multitudine fuerunt creati vt eorum numerus ſit prorſus innumerabilis: id quod nobis Daniel ſignificat cum ait, *Milia milium miniſtrabant ei, & decies milies centena milia aſſiſtebant ei*: Et in ſcriptura

Dan. 7.

ſancta ſæpius tribuitur Deo quod ſit *Deus ſabaoth*, hoc eſt, Deus exercituum. Quomodo enim immenſitas cœli empyrei quod creatum Angelis mox fuit ple-

Iſa. 6.

num atque repletum, iuxta illud Iſaiæ, *Ea quæ ſub ipſo erant replebant templum*, quia Angeli qui ſubſunt Deo, vniuerſum cœlum replent, vt Deus quidem vnus ſit infinitus & immenſus qui cœlum replet & terram, ſed Angeli ſint diuerſi, quorum multitudo infinita ad honorem facit & maieſtatem amplificandam ſummi Dei: Quomodo ergo immenſitas cœli empyrei infinitis ſpatiis exuperat orbem terrarũ, adeo vt eius reſpectu globus terræ pũcto comparetur iuxta Philoſophos, & centrum dicatur, Ita numerus Angelorum infinitis modis exuperat numerum hominum. Et quia Angeli locum habere debent congruum ſibi quo ad ſplẽdorem & ſublimitatem, ſunt enim Angeli ſublimes valde & admodum ſplendidi, recte dicuntur in cœlo empyreo, quod eſt lucidiſſimum & maxime ſublime, creati. Putat quidem Baſilius *homilia Quod Deus non ſit auctor malorum*, quod dæmones ſint in aere creati, alii vero opinantur ſupremos ſeu aſſiſtentes Angelos creatos quidem eſſe in cœlo empyreo, inferiores autem in cœlis inferioribus: ſed communis Doctorum ſententia eſt quod omnes ſint creati in cœlo empyreo: Quod ex eo

Luc. 10.

probari poteſt quod Dominus apud Lucam dicat, *Vidi Sathanam ſicut fulgur de*

Apoc. 12.

cœlo cadentem: & in Apocalypſi, *Non eſt inuentus locus eius amplius in cœlo.* Sunt autem Angeli in cœlo non circumſcriptiue quia non ſunt corporei, ſed definitiue, quia ita hic ſunt vt alibi non ſint, neque enim ſimul poſſunt eſſe in locis diuiſis ſed continuis, quamuis inadæquatis eſſe queant minore ſcilicet vel maiori, quia poſſunt locum vel maiorem vel minorem occupare, ſicut anima poteſt informare corpus vel magnum vel paruum ſecundum virtutem tamen ſuæ naturæ: Neque enim ſpatium illud quod immenſum eſt, virtutemque Angelicam exuperat, occupare poteſt. Vnde quamuis Angelus poſſit eſſe in duarum domorum ſpatio ſimul, modo ſpatium illud virtutem eius non exuperet, non poteſt tamen ſimul eſſe in tota ciuitate, quæ eius ſphæram atque virtutem excedit. Ideo neceſſe eſt quod Angeli localiter moueantur de vno loco in alium non ſenſim ſicut corpora mouentur quæ ſunt exiguæ virtutis, ſed ſubito ſicut fulgur, vel ſicut ſol illuminat mundum. Atqui ſicut anima corpus informat quod accreſcit & decreſcit, ipſa tamen anima nec accreſcente nec decreſcente, quia tota non ſolum in toto corpore reperitur ſed etiam tota in ſingulis partibus, Ita Angelus dum eſt in loco maiori aut minori non ſolum ſecundum operationem, ſed etiam ſecundum ſubſtantiam, ipſe nec conſtringitur nec dilatatur, quia quamuis Angelus ſit in loco definitiue ita vt ſit hic & non alibi, non tamen circumſcriptiue vt pars parti, totum correſpondeat toti, ſed ſic eſt in loco ſicut anima eſt in corpore, totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci.

2. ANGELI ſimul vt facti ſunt, lux facti ſunt, *inquit Auguſt.* non quod Dei gloriam aut eſſentiam viderint mox vt creati ſunt, ſi enim creati mox fuiſſent beati viſione Dei, nullus eorum peccare potuiſſet, eo quod beatitudo confirmet beatum in bono, vt amplius deficere nequeat: ſed perfecti fuerunt creati quia omni virtutum genere decori, in quibus proficere non potuerunt, ſed tantum donorum ſiue naturalium ſiue ſupernaturalium perceperunt quantum ipſa natura capax erat, ita vt tanto præclariora gratiarũ ac virtutum dona quiſque angelorum ab origine ſua conſequutus fuerit, quanto naturam habebat digniorem, ſublimiorem

Digitized by Google

rem ac capaciorem: Et quia ſupremus angelorum, qui probabiliter putatur fuiſſe Lucifer, naturam ſortitus eſt maxime ſublimem, hinc cæteris prior fuit in donis & maior in imperio, vt de eo pecu-
Ezech. 28 liariter dictum ſit ab Ezechiele, *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, perfectus decore in deliciis paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſum operimentum tuum.*
Cyrill. in Ioan. libr. 6. cap. 6. Quid boni non habuit lucifer, *inquit Cyrill.* ſi ſignaculum Dei ſimilitudinis fuit? Et *Greg. in moralibus,* licet homo ad ſimilitudinem Dei creatus ſit, inquit, Angelo tamen quaſi aliquid maius tribuens, non eum ad ſimilitudinem conditũ ſed ipſum ſignaculum ſimilitudinis Dei dicit, vt quo ſubtilior eſt natura, eo in illo ſimilitudo Dei credatur magis expreſſa. Quaſi dicat, tu eras perfecta imago & conſummata figura.

3. MAGNA profecto Angelorum dignitas quibus datum eſt vt Deo ſimiles inueniantur, vt quo modo pictores vultum ex vultu exprimere ſolent; ſic Angelus ad imaginem Dei ſit fictus atque formatus: vt quemadmodum in Deo eſt omnis dignitatis, ſanctitatis, ſapientiæ, poteſtatis & honoris eminentia, ita qui eſt ſignaculum ſimilitudinis eius ſit & ipſe ſanctitate, ſapientia, dignitate potentia & honore ſublimis & eminens, vt tanto perfectior ſit imago & ſimilitudo, quanto ſublimior fuerit atq; perfectior ipſa natura eiuſq; dona. Hæc enim ſimilitudo in Dei donis ſita eſt atq; in virtutibus ipſis, quarum virtutum qui paucas habuerit parũ & minus ſimilis eſt Deo, qui multas autem aut etiam omnes eaſq; perfectas cõſequutꝰ ſit, ille Deo magis ſimilis euadit. Imago vero in voluntate libera atq; mẽte ipſa ſita eſt. Huic imagini aduenit atq; venuſtatem magnam addit ipſa ſimilitudo, tanquam ſi pictor aliquis viuo aliquo colore depingat atq; exornet ſculptam aliquam imaginem. Id autem habet in rerum conditione diuina ſapientia, vt quo imago fuerit præſtantior eo ſimilitudo addatur perfectior, ſicut artifex quo nobiliorem habet materiam, eo formam nititur introducere pulchriorem. Cum igitur præſtantior materia inueniri non poſſit quam ſit vel anima hominis, vel ſpiritus Angelicus, & inter Angelos vnus altero ſit præſtantior quo ad naturæ dignitatem, conſequens fuit vt hinc quoq; abſolutiſſimam formam ſapientiæ, caritatis, ſanctitatis reliquarumq; virtutum ab initio adderet Deus. Et hoc eſt quod Ezechiel ait, Perfectus decore in deliciis paradiſi fuiſti.

4. EST autem perfectio hæc ſecundi generis res tam præclara vt ſi quis eam oculis poſſet intueri corporeis, miro eius amore atq; deſiderio inardeſceret: Eſt enim ea vis boni & pulchri, vt cum vel animo vel ſenſibus proponitur, mire hominem afficiat. Si enim oculus pulcher aut facies decora, quæ cito marceſſit, ſua pulchritudine intuentis animum ſic afficit & pellicit, vt qui eius amore capi nolit, oculos etiam auertere ab ea conſultũ ſit; *Fallax enim gratia,* inquit Sapiens, *& vana pulchritudo:* quid ni tale quid poſſit ornatus animæ & ſpiritus, quibus ſub ſole nihil eſt creatum ſublimius? Hoc cuiuis à natura inditum eſt vt placeat id & gratum ſit quod pulchrum ſit atq; perfectum, diſpliceat vero ac minus gratum ſit, quod deforme & vitioſum fuerit: Et ideo nemo eſt qui non id quod facit, nitatur quam optime facere, & ſi ab arte aut perfectione aberret, ſibi quaſi iraſcitur & indignatur. Tale quid & Deo accidere docet Pſalmiſta cum ait, *Concupiſcet Rex decorem tuum.* Iam autem poſt lapſum nõ ſequitur Deus naturæ ordinem ſemper: vt ſit aut ſanctior aut ſapientior, aut caritate feruẽtior is qui ingenio eſt ſubtiliori, aut natura præſtantiori. Et ea quæ dãtur iam dona homini lapſo, non in illa plenitudine dantur, qua data fuerunt aut primo homini aut Angelo, qui ab initio erant perfecti, non quidem gloria quia Deũ non viderunt ſicut eſt, ſed gratia quæ huiuſmodi gloriam promereri debebant, ſecundum *Aug. cap. 10. de correp. & gratia.*

Digitized by Google

Neq; enim ipſis ex naturà erat beatitudo debita, ſicut animæ Chriſti fuit à natura debita, quia erat perſonæ diuinæ hypoſtaticè vnita, ideo fuit ſemper beata: Sed Angeli per ſua merita, ſuarumque virtutum exercitia beatitudinem promereri debebant: quarum virtutum ſicut nulla erat imperfecta, ita nec otioſa, donec aut penitus extingueretur, ſicut dicitur de Cherub ſeu Lucifero apud Ezechielem, *Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, & perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo*: aut penitus confirmaretur, vt in iis qui perſtiterunt & ad gloriam peruenerunt. Huiuſmodi dona erant ipſis Angelis in eum finem data, vt iis ſuam beatitudinem promererentur: hoc enim conſueuit Deus vt dum quippiam in aliquem finē deſtinat, ei ſimul & media procuret, quibus ad ſuū finem pertingere poſſit: ideo gratia & virtutum dona ſimul cū ipſa natura fuerunt infuſa. Et in eo fuit peccatum ſuperbiæ ipſius Luciferi, quod ad conſequendam ſupernaturalem beatitudinem ſuam, quę in plena Dei viſione conſiſtit, non ſe erexit in Deum tanquam in vltimam perfectionem, ex eius gratia eam deſiderans & ad eam peruenire cupiens, ſed eam ſtatuit eamq; conſequi voluit in virtute naturæ ſuæ propriæ. Et quia habere in vltimam beatitudinem virtute ſuæ naturæ omnino abſque gratia alicuius ſuperioris eſt proprium Dei, ideo quo ad hoc appetiuit Lucifer æqualitatem Dei, & voluit eſſe ſicut Deus, tanquam qui ſibi ſufficeret ſicut Deus, nec alicui ſubiectus eſſe aut à Deo dependere deberet, cum gratia non ſit ſic Angelo data vt abſque Deo conſeruari poſſet: & etiāſi conſeruari potuiſſet non tamen ea tanquam ſummo bono frui licitum erat, quia ſapientia, potentia, & bonitas Luciferi non erat ſumma, licet ipſa hoc ſibi perſuaderet & aliis perſuaſum vellet, quod eſſet tam potens, tam ſapiens, tam bonus, quam Deus ipſe.

Huic autem reſiſtebat Michael, dicens, *Quis vt Deus?*

III. De deliciis ſpiritus.

I. IN *deliciis Paradiſi Dei fuiſti.*) Sunt qui non alias delicias norunt, quam quæ guſtu, tactu, aut aliis ſenſibus percipiuntur, eas vnicas & præcipuas iudicant: Quod iudicium ſane pecudum potius eſſe videtur quam hominum. Nam ſi ratione & mente præditos ſe meminiſſent, haud dubie intelligerent huic quoq; parti, quæ hominis eſt præſtantiſſima, ſicut ſua eſt operatio, ita & delectationem eſſe tribuendam, eamq; maiorem & puriorem, quam ſint delectationes ſeu voluptates carnis. An habet ſenſus corporis voluptates ſuas, *inquit Auguſt.* & animus deſeritur à voluptatibus ſuis? Si animus non habet voluptates ſuas vnde dicitur, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos?* vnde dicitur, *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui?* & alibi, *Iudicia Domini deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum & dulciora ſuper mel & fauum?* Cum enim homo duabus partibus conſtet, carne & ſpiritu, & ſecundum carnem eiuſque ſenſus ſimilis ſit ipſis beſtiis, comedit, bibit, dormit, generat idque cum quadam voluptate, quod & beſtiæ faciunt, ſecundum mentem autem ſimilis ſit ipſis Angelis, res enim & cauſam rerum intelligit, præteritorum recordatur, futura præuidet: In hoc quaſi biuio duplicis naturæ cōſtitutus homo, quam in partem ſe inclinauerit, ei ſimilis fit: ſi in carnis voluptatem eiuſque concupiſcentiam declinet atque degenarat bruti naturam imitatur, ſicut Pſalmiſta ait, *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Sin vitam ex ratione inſtituat & carnis voluptatibus edomitis, ſpiritalia ſectetur, vt iam ei ſapiat non carnis voluptas, ſed ſapientia, iuſtitia, veritas, caritas, benignitas, iam Angelicam ducit vitam & homine dignam. Conſtat namque mentem longe nobiliorem ac meliorem eſſe hominis partem, quam ſenſum: nemo quippe eſt qui non oculorum lumine malit

Ezech 28. Auguſt. tract. 26. in Ioan. Pſalm. 18. Pſalm. 48.

malit carere, quam mente aut ratione, qui non malit eſſe cœcus quam ſtultus. Quanto autem potentia eſt nobilior, tãto eius operatio eſt præſtantior & delectatio maior, purior & honeſtior, quia delectatio ſequitur boni adeptionem, quod quo fuerit præſtantius, & dignius, eo potentiam ipſam, cuius operatio circa ipſum verſatur, afficit & oblectat magis. At bonum ſpirituale maius ac melius eſſe quam ſit bonũ ſenſibile, ex eo patet, quia quæ corpus permulcent eiuſq; ſenſus oblectant, cito deficiunt quia in motu cõſiſtunt, & pene antequam ſentiãtur elapſa ſunt: Quid enim epulæ exquiſitæ & ciborum condimenta arte coquorũ varie pręparata tibi conferunt? vbi ſunt delicię veſtræ, *inquit Aug.* ob quas ambulaſtis vias prauas & difficiles? Non quæro, inquit, vbi erunt cum hęc tranſierit vita, ſed modo vbi ſunt? Quod ſi naturam delectationũ corporearum inſpicere velis, inuenies eas non diutius oblectare, quam inedia aut miſeria ineſt, *inquit idem*: tamdiu potus & cibus ſapit, quamdiu ſitis & fames durat, poſtquam fames fuerit ſatiata atq; edendo exempta, vide, *inquit Bern.* ſi non grauius ducis comedere quam abſtinere, imo quam eſurire.

2 RVRSVM huiuſmodi corporales deliciæ cum non habentur, graue ſui deſiderium in homine accendunt, *inquit Greg.* cum percepta fuerint in faſtidium vertuntur & animam grauant. At ſpiritualia bona ſemper manent; neq; vnquam aut vſu aut vetuſtate teruntur: Cognitio enim veritatis, quæ eſt fœtus mentis, ſua natura immortalis eſt, quamuis nos eam propter memorię labilitatem ſępe deperdamus, in qua mens non ſecus quam mater in ſua prole ſe oblectat: Quiſq; enim delectatur eo acquiſito, quod natura deſiderat, ſed omnis homo natura ſcire deſiderat, & ideo cum mens veritatem quã diu quæſiuit, inuenerit, eo delectatur, ſicut viſus lumine ſolis, vt enim viſus corporeus conditus eſt vt videat lumen ſolis, ita mens à Deo facta eſt vt inueſtiget & percipiat lucem veritatis. Quid ſi gẽtiles Philoſophi cognitione rerum naturaliũ tantopere delectabantur, vt nihil dulcius nihil fœlicius putarent quam veritati inueſtigandæ incumbere; quanto magis oblectabit diuinarum rerum ſciẽtia atq; ſapientia? quæ & hinc nomen deſumpſit quodà ſapore ſit dicta, eſt enim ſapientia quaſi ſapida ſcientia. Hanc *Auguſt.* & delicias ſpiritus vocat & diuitias: diuitias quidem ob plenitudinem copiamq; omnium bonorum: delicias vero propter incredibilem quæ in ea latet dulcedinem, qua affectum mulcent & de ſenſuum vbertate mentem impinguant. Poſtremo iſtæ voluptates carnales fere ſemper aliquam fœditatem habẽt annexam, quo fit vt qui honeſtiores ſunt pudeat eos voluptatis, & quantum poſſunt abſcondunt: Minus enim pudet virum probum, *inquit Auguſt.* ſi iniuſte alicui iraſcatur, quam ſi iuſte & temperanter vxori ſuæ commiſceatur: quia hominis natura tam eſt pręſtans & digna, vt natura pecudis, quæ voluptates ſectatur, vitium ſit hominis. Quod autem plerique hominum carnis voluptatem tam ardenter expetant, fit quia morbida qualitate concupiſcentiæ corrupti ſunt, & quia ſuauiores ſpiritus delicias experti non ſunt, neq; guſtauerunt quam ſuauis ſit Dominus: quo fit vt vitam moderentur non ratione, nõ fide, non caritate, ſed inſtar brutorum ſenſu & affectu ferantur, vt quod ſenſus & appetitum ſenſitiuum afficit & oblectat maxime, id præſtantiſſimum putent, ſimiles in hoc pueris qui cum non iudicio rationis ſed ſenſu ducantur, mallent Regem Hiſpaniarum, quam ſuam auiculã qua ſe recreant, mori & interire. Habent omnes creaturæ quoddam bonum ſibi proprium, pecori bonum eſt implere ventrem, impinguari, generare, carnis voluptatibus frui, dormire. Tale vt bonum quæris, *inquit Auguſt.* vt ſis ſocius pecoris? Eſt quidem edendum, generandum, dormiendum, ſed neceſſitatis, non voluptatis cauſa. Bonum tuum, tibique pro-

Auguſt. in Pſal. 145.

proprium eſt quo tu perficeris & melior efficeris, hoc eſt ſummum bonum, Deus nimirum ipſe. Animę bonum non epulę, non ſomnus, non carnis voluptas, ſed caritas, conſtantia, pietas, ſapientia, & id genus virtutes aliæ, & potiſſimum ſpiritus diuinus & Deus ipſe, qui eſt hæc omnia: hinc S. Franciſcus dicere ſolet, Deus meus & omnia. Hæc bona, hæ ſpiritales deliciæ animum reddunt puriorem & viuaciorem: tantoq; magis afficiunt & eſuriuntur, quanto plus guſtantur & intimius percipiuntur. Vnde illud Eccleſ. 24. *Qui edunt me adhuc eſurient.* Quod ſi quis non percipiat ſpiritales delicias, & ſe a mũdi vana lætitia & carnis voluptatibus contineat & abſtineat, facile dormitabit præ tœdio anima eius, eſt enim ſimilis tunc homini famelico inter duas menſas variis ferculis inſtructas ſedenti & nihil guſtanti: Diu ſic permanere non ſatis tutum eſt quia facile ad ſeculum tanquam quod eſt magis obuium relabetur, ſicut filij Iſrael cum nauſearent ſuper manna,
Num. 21. & nullam ex eo perciperent ſuauitatẽ, in Ægyptum redire volebant vt ſederẽt ſu-
Exod. 16. per ollas carnium.

3 Perfectvs *decore*) Hunc decorem ex-
Ezech. 28. plicat Ezechiel cum ſubiungit, *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, topazius, iaſpis, chryſolitus, onyx, berillus, ſapphirus, carbunculus, & ſmaragdus.* Enumerãtur hic nouem genera lapidum pretioſorum, probabiliter propter nouem choros Angelorum: quibus haud dubie ſignificantur diuerſa genera virtutum, quibus Angeli fuerunt in ſua natura decori: habet enim natura Angelica varias in ſeſe perfectiones, quarum vnaquæque cum conſideratur, pulcherrima apparet. *Sardio* dicitur ſimilis, quia ſicut ſardius ignis habet ſpeciem ac feris terrorem incutit, ſic Seraphin caritate ardet & dæmonibus terrorem incutit: Angelica enim natura quamuis propter pulchritudinem ſuam valde ſit amabilis, propter iuſtitiam tamen & zelum ſanctitatis admodum eſt terribilis, fiet enim iudicium per ignem. *Topazius* eſt viridis gemma, quem dicit *Iſidor.* omni colo- Iſidor. lib. 17. c. 7.
re reſplẽdere: ſic Angelus dum omni virtutum genere reſplendet, earum viriditas nunquam emarceſcit. *Iaſpis*, viret & iſte lapis & admodum firmus eſt & ſolidus: ſic Angelus dum viret conſtans eſt & ſolidus, non mutabilis nec inconſtans. *Chryſolitus* auro dicitur ſimilis, habens ſcintillas ardentes, vt *ait Beda*: ſic Angelus vera ſapientia fulgens illuminando alios, varias veritates tanquã ardẽtes ſcintillas è ſe emittit, & inferiores illuſtrat. *Onyx* gemma eſt translucido colore vnguem hominis referẽs: ſic Angelus innocentiæ candore nitet: *Berillus* viriditate ſimilis eſt ſmaragdo, ſed cum pallore, qui politur ſexangula figura, alias hebeſcit, *inquit Plinius*: quia ſplendori virtutum oportet adiungere opera bona per ſenarium numerum ſignificata, quia ſex diebus Deus compleuit omnia opera ſua, & nobis ſex dies aſſignantur quibus operari oportet, neq; enim virtutes poſſunt eſſe otioſæ, alias fulgorem ſuum amittent & hebeſcent. *Saphirus* cærulea eſt ſicut cœlum ſerenum, & aureis punctis collu-
cet, & ſcalpi non poteſt, teſte *Plinio*: huic Plin. libro 37. cap. 9.
rectè Angeli comparantur quia eorum conuerſatio in cœlis eſt, aurea puncta inſignem caritatis exprimunt ardorem: & ſcalpi non poteſt, quia firmi ſunt & inuicti. *Smaragdus*, hæc gemma adeo viridis eſt, vt quę maxima viridia cenſentur, illi comparata nequaquam virere videantur, oculorum aciem laſſam recreat, imagines rerum reddit, nullius coloris aſpectus iucundior, nam herbas virentes frondeſq; auide ſpectamus, & inſtar ſpeculi imagines reddit. *Hæc Plinius.* Sic viror Angelorum nũquam deficit, ſed ſemper in eadem quaſi nouitate & viriditate manet.

4 Hoc habet Angelica natura quod inſtar lapidum pretioſorum ſint omnes perlucidi, puri, ſinceri, in quib. nihil doli, nihil duplicitatis inſit, ſed velut clariſſima ſpecula & perlucida diuinam imaginẽ & ſimi-

Digitized by Google

& ſimilitudinem perfecte in ſe recipiunt. Porro quicquid excellens aut eximium in cœlo aut in terra reperitur, id haud dubie in Dei ſimilitudine intelligitur, vt quo quiſque Deo ſimilior fuerit, eo plus dignitatis & claritatis habeat: Quicquid enim Deus ſibi coniungit, id licet vile & abiectum prius fuerit, ad ſummum euehit honorem & dignitatem, ſicut humana Chriſti natura diuinitati iuncta ad ſummam euecta eſt celſitudinem. Vnde *Leo.* Inuenimus hominem ideo ad imaginem Dei cõditum vt imitator eſſet ſui conditoris, & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in ſpeculo quodam diuinæ benignitatis forma reſplendeat: & tanto ad hanc nobilitatem quiſque erigitur altius, quanto per acceptam imaginem ad ſimilitudinem illius ex imitatione reuocatur & renouatur perfectius: Nec de eo quis dubitare poteſt, quin hæc ſit ſumma hominis dignitas ſi ſe quam ſimillimum Deo offerat. Solent qui Regum gratiam expetunt ea diligenter indagare quæ ipſis grata nouerunt, vt ea ipſis exhibeant: Ita qui gratiam Dei ſibi ſupra omnia expetendam norunt, quo potiſſimum officio eum demereri poſſint ſtudioſiſſimi inueſtigare debent: tanto autem maiorem gratiam cum Deo inibis, quanto te illi ſimiliorem reddideris, quia amoris cauſa eſt morum ſimilitudo.

PARS III.

In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Pſal. 137.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Vnde inter choros Angelorum diſtinctio ſit ſumenda, & an ea poſt hanc vitam ſit permanſura.*

II. *De nouem choris Angelorum eorumque officiis.*

III. *De prælio facto in cœlo, & de eo quod fit iam in eccleſia ſancta.*

ART. I. De diſtinctione inter choros Angelorũ.

1. QVANDOQVIDEM ipſi Angeli ab initio ſuæ creationis diuerſa naturæ dona, ac diuerſa gratiarum munera ſunt conſequuti, & ſecundum diuerſitatem donorum diuerſa etiam officia ſunt ſortiti, hinc & inter ipſos Angelos diuerſi cõſtituũtur ordines ſicut in regno aliquo eſt alius ordo Ducum & Principum, alius Nobilium, alius Senatorum. Solent autem nouem Angelorum chori conſtitui, ſuis proprietatibus atque officiis diſtincti, quorum *primus* atque ſupremus Seraphin dicitur, *ſecundus* Cherubin; *tertius* Throni; *quartus* Dominationes; *quintus* Virtutes; *ſextus* Poteſtates; *ſeptimus* Principatus; *octauus* Archangeli; *nonus* & vltimus Angeli. Nam quanquam omnes perfectiones ſpiritales omnibus Angelis ſint communes, nullus enim inter eos eſt qui charitate nõ ardeat, quę eſt proprietas Seraphin, qui ſcientia & ſapientia non ſit plenus, quod eſt proprium donum ipſorum Cherubin, & ſic de cæteris donis ſpiritualibus ex quorum diuerſitate diuerſi diſtinguuntur Angelorum chori, & eædem perfectiones plenius atque perfectius exiſtant in Angelis ſuperioribus, quam in inferioribus: Tamen quia & in ipſis perfectionibus eſt inuenire varios gradus, hinc & varii conſtituuntur ordines: Nam ſuprema perfectio tribuitur ſupremo ordini per proprietatem, inferiori vero per participationem: & è conuerſo inferior perfectio attribuitur inferiori ordini per proprietatem, ſuperiori autem per eminentiam: Et ita ſuperior ordo à ſuperiori perfectione nominatur, quia res nominari ſolet ab eo quod proprie dicitur, non quod participatiue aut eminenter: ſicut hominem vocamus rationalem, potius quã intellectualem, vel ſenſibilem, quia

Digitized by Google

quæratio ei proprie conuenit: intellectū non habet niſi participatiue, *inquit Thomas*, quia ſimplex intelligentia conuenit Angelo per proprietatem: ſenſum autem habet eminenter, qui per proprietatem conuenit bruto, quod dicitur animal ſenſibile, quia ſenſus eſt ſuprema perfectio ipſius bruti, ſed non hominis: ratio autem à qua homo dicitur rationalis, eſt ſuprema perfectio naturalis ipſius hominis qui ratiocinando & diſcurrendo veritatem inueſtigat: Intellectus vero non eſt proprietas hominis ſed Angeli qui ſimplici intuitu rem intelligit abſq; diſcurſu: hoc homo in quibuſdā poteſt nimirum in primis principiis, quorum dicitur intellectus, ſed non in aliis, ideo non niſi aliquid de intellectu participat, quo fit vt intellectualis non dicatur ſicut Angelus. Sic inter ſpiritus cœleſtes quamuis omnes Angeli dicantur, & magnæ ſit virtutis atq; poteſtatis, tamen proprie non niſi infimus ordo Angeli dicitur, ſicut & ſupremus Seraphin, quamuis omnes charitate ferueant, quia ex illo dono ſinguli chori ſua ſortiuntur nomina, quod plenius participant, atque in quo proprie magis ſe exercent: Sic infimus chorus ſpecialiter dicitur ordo Angelorum, quia hic eorum munus eſt proprie quod immediate nobis annuncient & ad nos mittantur: & ideo nomen commune remanet infimo ordini quaſi proprium, eo quod illi communiter & proprie mittantur, Angelus autem idem ſit quod nuncius ſeu miſſus. Superiores ordines nō dicuntur Angeli niſi per eminentiam, & ideo non proprie: ſicut & Michael interdum archangelus nominatur vt Iudæ capite primo, non quod ad ſecundum ordinem infimæ hyerarchiæ referatur in quo Archangeli collocantur, ſed quia vt *Hiero. & Theodoretus in* 10. *ca. Dan.* docent, Princeps ſit omnium Angelorum: docet & *Chryſoſt.* Michaelem Principem & patronum eſſe vniuerſalis eccleſiæ à Deo conſtitutum, qui olim commiſſam ſibi habebat ſynagogam ſeu Iudæorum gētem, ſicut nunc eccleſiam.

Tho. 1. p. q. 108. a. 5.

Chryſ. ho. 2. & 8. de laudibus Pauli.

2. IN ordinibus Angelorum duo poſſunt conſiderari, Diſtinctio graduum ſcilicet, & executio officiorum: Diſtinctio graduum eſt in Angelis ſecundum differentiam gratiæ & naturæ. Et ſic remanebunt ordines diſtincti etiam poſt diē iudicii, non enim natura immutabitur. Differentia etiam gloriæ erit in eis ſecundū differentiam gratiæ & meriti præcedentis. Executio vero officiorum in Angelis ceſſabit, quia tunc nullus amplius per eorum miniſterium ad beatitudinem erit perducendus. Eſt ſic Paulus eſt intelligendus cum ad Corinth. ait, *Cum euacuauerit omnem principatum & poteſtatem & virtutem.* In hac vita hæc ſunt neceſſaria quia per Principatus & poteſtates ſiue Angelorum ſiue hominum in dignitate conſtitutorum, defendi & gubernari debemus, quæ defenſio contra inimicos & quæ directio ſeu gubernatio ad bona ſalutaria in futura vita ceſſabit, ideo Principatus & Poteſtates neceſſaria non erunt. Inter hos choros Angelorum, quatuor ſupremi, Seraphim, Cherubin, Throni, & Dominationes, quorum eminētia ac dignitas maior eſt, Deo aſſiſtere dicuntur, ſicut fideì amici & illuſtres Principes honoris gratia ſuo aſſiſtūt Regi: Reliqui ordines miniſtrare referuntur, tanquam qui exequātur ea quæ ſupremi concluſerunt ac facienda definierunt. Et quia per donū gratię mereri poſſunt homines tantam gloriam, vt Angelis etiam ſecundum ſingulos Angelorum ordines æquentur, id veriſimile eſt quod ad ſingulos Angelorum ordines aliqui hominum aſſumantur: quanquam ſint qui putent ad ordines Angelorum nō aſſumendos niſi perfectos, reliquos vero conſtituere ſuum ordinem quaſi ſeparatū ab ordinibus Angelorum: ſed prior opinio probabilior.

1. Cor. 15.

Digitized by Google

II. De nouē choris Angelorum.

1. PRimvs chorus atque ſupremus, Seraphim dicitur, ab ardore ſeu incēdio ſic dicti, eo quod vehementiſſimo amore in Deum ardeant atque incenſi ſint: Sicut ſua ſpecie figurauit Angelus ille qui apparuit Danieli, cuius *corpus quaſi chryſo-*
Dan.10. *litus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius velut lampas ardens, & brachia eius & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis.* Quibus verbis & natura Angelica, & proprietates ſeu dotes Angelorum, & officia ſeu actiones eorum nobis deſcribuntur, non quod membra habeant corporea, ſed quia virtutem habent membris inſitam, verbi gratia, dum oculi eius dicuntur eſſe ſicut lampas ardens, ſignificatur quod vis illa qua cuncta intuentur Angeli & cognoſcunt, ſit clariſſima, vt perfecte & clare omnia videant atque cognoſcant, & alios quos illuminant & docent clare videre & cognoſcere faciant ſicuti prophetas illuminauerunt. Inſuper & facies, & brachia, & pedes dicuntur ignita, qui Angeli in ſua natura & in ſuis affectibus & in ſuis operationibus ſunt maximæ efficacitatis agilitatis, vehementis ardoris, quibus tuentur pios & improbos terrent, nullum enim inter omnia elementa tantæ eſt agilitatis atque virtutis vt elementum ignis. Hinc & Deus noſter *ignis conſumens* dicitur in *Deutronom.* comparatur igni Deus ſicut
Deut. 4. & Angeli, non propter colorem, Deus enim colorem non habet; ſicut nec Angelicum ſint incorporei, ſed propter actiuitatem & agendi efficaciam, ſicut enim ignis carbones ſuccendit quibus & ſui colorem & calorē imprimit, ſibiq; eos ſimiles facit vt toti ſint igniti, quæ autem ignis vim ſuſtinere non poſſunt vt ſtipula, ſtramina & ſimilia, conſumit, Sic Deus quos ſibi iungit ſimiles efficit & charitate ſuccendit quia Deus charitas eſt, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Carbones ſuccenſi ſunt ab*
Pſal.17. *eo.* Homo velut carbo extinctus fuit cum Deo deſerto cupiditate rebus terrenis inhæſit, idem velut carbo rurſum accenditur dum cupiditate extincta, charitate inardeſcit: quod partim fit in hac vita ſed plene & perfecte fiet in futura. Qui vero Deo contrarii ſunt velut ſtipula cōſumētur ab eo.

2. Secvndvs chorus Cherubim dicitur, qui à ſapientia & ſcientia nomen accepit eo quod donum ſapientiæ & plena veritatis cognitio in iis qui ſunt huius ordinis præmineat, ſeſeque potiſſimum hi ſpiritus occupent & oblectent in contemplanda prima veritate, cuius ſublimitatē, profunditatem, potentiam, dignitatem & maieſtatem comprehendere quidem nequeunt, eo quod infinita ſit, tanquam ſi quis in abyſſum quæ fundo caret, incidat: Eam tamen quanto clarius cognoſcunt & plenius intuentur, tanto maiorem Deo reuerentiam & timorem & honorem exhibent, & in profundiorem ſui ſubmiſſionem & humilitatem deueniunt, ita vt quo Angelus Dei cognitione fuerit magis illuſtratus, perfectius cognoſcens eius maieſtatem & ſuam propriam nihileitaten, eo ſit & humilior. Sapientia hęc quæ quaſi ſapida eſt ſcientia quia à ſapore dicta, ſic mentis palatum afficit vt eius ſapore nihil dulcius reperiri poſſit: ſicut Sapiens teſtatur cum ait, *Venit in me ſpiritus ſapientiæ & prepoſui illam ſedibus &* Sap.7.
regnis & diuitias nihil eſſe duxi in cōparatione illius, & dilexi eam ſuper omnem ſpeciem & pulchritudinem. venerunt enim mihi omnia bona pariter cū illa & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus quoniam antecedebat me iſta ſapientia. Vt quis autem ad hanc diuinam ſapientiā & puram veritatis cognitionē deuenire poſſit, purus mente debet eſſe, & purgatus nō ſolum à ſordibus vitiorum, quibus animus hominis non ſecus obfuſcatur, quam aer qui nebula aut denſis nubibus obducitur, verumetiam ab omni ſpecie, rerum corporearum & imaginibus phantaſmatum. Ea enim quæ Dei ſunt ſenſu ac ratione apprehendi nequeunt, ſed opus eſt diuino ac ſupernaturali quodam lumine

Digitized by Google

ipſum mentē illuſtrante & ſupra ſe eleuāte: De quo Pſalmiſta. *In lumine tuo videbimus lumen.* Hoc lumine qui illuſtrantur in hac vita, extra ſeipſos rapiuntur ita vt omnes ſenſus ſuis officiis ac operationibus deſtituantur, & mens ſola hoc lumine illuſtrata conſideret mirabilia quę non licet homini loqui, quia ceſſante ac deficiente iſto lumine nihil eorum quæ viderūt memoriæ inhæret, quia in memoria non niſi ſpecies materiales ſub ſimilitudinibus rerum corporearum recipiuntur, ſpiritalia autem tales ſpecies corporeas è ſe non emittunt.

Pſal. 33.

3. QVO ad cognitionem rerum creatarum, eam à principio ſuæ creationis perfectam habuerunt, nec in ea quicquam profecerunt, ſed perfecte cognouerunt naturas, proprietates & virtutes omnium creaturarum tam ſpiritualium quam corporalium: Sic enim legitur in Ezechiele, *Tu Cherub perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, plenus ſapientia & perfectus decore.* Sicut & primus homo plenus fuit ſapientia & omnium rerum creatarum ſcientia, quod ſatis declarauit cum ſingula animalia propriis nominibus naturam ac proprietates illorum exprimentibus nominaret. Et niſi ita conditus fuiſſet Angelus & homo qui plenus eſſet ſapientia & perfectus omni ſcientia, non potuiſſet ſe circa rem quamque, & omne negotium quod occurreret peragendum, prudenter gerere, quia prudentia abſque rerum occurrentium cognitione ſubſiſtere non poteſt. Non tamen actualem rerum omnium ſingularium intellectionem habuit Angelus, hoc enim ſolius Dei eſt qui ſemper eſt perfectus in actu primo & actu ſecundo intellectus, vt loquuntur ſcholaſtici doctores, quia non ſolum potentia aut habitu ſed etiam actu omnia conſiderat: Sed cum Angelus ſicut & primus homo ſpecies intelligibiles rerum creatarum ſibi habuerit ab initio infuſas, ex quibus actualem cognitionem elicere poterat obiecto præſentato ſi vellet, ideo plenam dicitur habuiſſe omnium rerum creatarum cognitionem. Et ex hac naturali cognitione rerum creatarum potuit Angelus etiam Deum ipſum cognoſcere & cognouit, ſicut cauſam cognoſcimus ex effectu, potiſſimum ex propria ſua eſſentia ſibi perfecte nota, quæ diuinæ eſſentiæ, potentiæ, ſapientię, pulchritudinis & bonitatis pulcherrimum erat ſpeculū, ita vt dum Angelus ſuam cognoſceret & videret pulchritudinem, potētiam, eſſentiam ex iis cognitis agnoſceret pulchritudinem, potentiam & naturam Dei etiam nondum clare viſam, ſicut ex imagine cognitionem ſumimus rei per imaginem ſignificatæ. Et perfectius ſic Deum eiuſque perfectiones cognoſcebat Angelus ſuperior quam inferior, quia per lumen clarius & per medium perfectius: Eſt enim & eſſentia & intellectus Angeli ſupremi multo perfectior, in quo veluti in ſpeculo quodam clariſſimo diuinæ perfectiones clarius reſplendēt, quam ſit eſſentia vt intellectus Angeli inferioris: Et quo mediū per quod fit cognitio eſt perfectius, & lumen intellectus clarius, eo etiam obiectum certius & euidentius cognoſcitur.

Ezech. 28.

4. PORRO quanquam Angeli ſic fuerint perfecta cognitione rerum naturaliū ſtatim ab initio ſuæ conditionis præditi, non tamen dicendum eſt quod propterea cognouerint omnia, quia non cognoſcebant cogitationes cordis aliorum niſi ſigno aliquo eis manifeſtarentur: ſolus enim Deus eſt ſcrutator cordium. Vnde *Ambro.* in illud Lucæ ca. 5. *vt vidit cogitationes eorum*, docet fuiſſe vnam ex præcipuis notis diuinitatis Chriſti quod cogitationes cordis cognouerit, ſicut quod futura omnia tanquā præſentia ſua æternitate ſua intueatur. Poſſunt tamen Angeli per coniecturas cognoſcere cogitationes aut deſideria cordis quando aliquo ſigno exterius produntur, vtpote per vultus aut alterius partis corporalis mutationem, ſicut docet *Auguſt. de diu. dæmon.* Aug. c. 5. ſicut & futura contingentia prædicere & & diu. præſcire poſſunt ex cauſis non neceſſariis

Digitized by Google

ſatiis, non quidem certo ſed probabiliter. Et ideo ſancti Angeli ex his coniecturis nunquam abſolute aut iudicant aut prædicunt aliquid euenturum, quia exponerent ſe periculo errandi: Dæmones autem quia temerarii ſunt & mendaces abſolute iudicant & prædicunt futura ex coniecturis, & ſæpe falluntur & audacter mentiuntur: Ne tamen poſſint falſitatis redargui, edunt plerumque ſua oracula oratione ambigua, aut obſcura, *teſte Euſebio*. Futurorum autem cognitionem, quæ neque in ſe neque in ſuis cauſis cognoſcũtur, accipiunt Angeli per reuelationem. Nam de his quæ pertinent ad mũdi diſpoſitionem, & præcipue ad electorum ſalutem, vſque ad diem iudicii, multa ſupremis Angelis diuinitus reuelantur, qui vlterius ea inferioribus Angelis intimant, Angeli vero hominibus denunciãt. Seruat enim Deus ordinem diuinæ ſuæ prouidentiæ à ſe inſtitutum, ſecundum quem inferiora gubernat per ſuperiora, ita vt Deus immediate quidem illuminet primam Hierarchiam Seraphinos, Cherubinos & Thronos: Secunda vero quæ conſtat Dominationibus, Virtutibus & poteſtatibus, immediate illuminetur à prima: Et tertia quę conſtat Principatibus Archangelis & Angelis, à ſecunda: Et ii qui ſunt tertiæ hierarchiæ ea quæ ipſis intimantur, ſex equutioni mandant & exequuntur. Et huiuſmodi cognitionem accipiunt Angeli per illuminationem extra verbum ſeu extra viſionem beatificã, quia viſio beatifica eſt omnino immutabilis, nec poteſt augeri circa obiecta ſecundaria viſa in Deo, niſi etiam augeatur circa ipſum Deum ita vt Deus perfectius & penitius videatur. Verũ quamuis eſſentialis viſio & beatitudo nõ augeatur in beatis, huiuſmodi tamen reuelationes extra eam fieri poſſunt, & fient vſque ad diem iudicii, ita vt multa de nouo addiſcant Angeli quæ prius neſciebãt, vt patet *Danielis 9. ca. & 10.* de liberatione Iſraelitarum quam ignorabant Angeli quando futura eſſet, ſed tunc ſciebant demum cum eis reuelaretur. Poſt conſummationem ſeculi nullæ erunt ampliùs nouæ reuelationes, tunc enim erunt omnia ad ſuum terminum perducta.

Euſebi. lib. 5. c. 10. de præpar. euan.

5. HVIVSMODI vero reuelationes ſeu illuminationes fiunt ab ipſis Angelis per locutionem non quidem vocalem ſicut homo homini loquitur, aut ſicut brutum bruto ſua edit & ſignificat deſideria, bos mugitu, ouis balatu, equus hinnitu: Sed ſicut homo loquitur, ſibi ipſi dum mens conuertit ſe ad actu conſiderandum quod ſciebat prius habitu, ſiue quod habebat in memoria, nam ipſe conceptus mentis interius verbum vocatur: ſic ex eo quod vnus Angelus alteri ſuum conceptum intimat virtute quadam ſpirituali per voluntatis imperium, vnus alteri loqui dicitur. Sic lingua Angelorum metaphorice dicitur ipſa virtus Angeli qua conceptum ſuũ poteſt alteri manifeſtare. Nam ſi non poſſent ſua deſidera ſuoſque conceptus aliis patefacere, non poſſent in vnam ſocietatẽ coaleſcere, eſſetque magna imperfectio Angelorum ſi alter alteri ſuo modo ſpirituali non poſſet loqui. Et fit huiuſmodi locutio ſeu illuminatio nõ ſolum quia ſinit alterum ſuum intueri conceptum, tanquã ſi quis alium ſineret inſpicere ſuum librũ vt in eo legat quid ibi contineantur, ſed etiam imprimendo ſpeciem ſui conceptus intelligibilem in mentem alterius: ſic enim dicitur apud *Iſaiam* quod vnus Angelus clamabat ad alterum. Nec diſtantia localis quippiam obſtat in locutione Angelica, vt clamare opus ſit ſicut ad abſentes clamare ſolemus, neque hoc ſignificat hic propheta, ſed inſinuat magnitudinem rei quæ dicebatur, & ingens deſiderium quo conceptus efferebatur: Sed ſicut viu conſpicimus ſtellas etiam in cœlo exiſtentes licet longiſſime à nobis diſtent, ita & Angeli etiam ſi longiſſime ab inuicem diſtent ſe mutuo vident, & mutuos conceptus inuicem ſibi manifeſtare poſſunt, modo id fiat intra ſphærã ſuę virtutis & potentiæ, neque enim infinitæ ſunt virtutis, ſed ſuis limitibus concluſæ, ſicut vox humana auditur ſed per ſpatia certa. Iſa. 6.

Digitized by Google

Et ſic veriſimile eſt luciferum ſuum conceptum inſinuaſſe omnibus Angelis, eoſque tentaſſe ſimul, & magnam partem in ſuum conſilium pertraxiſſe. Quibus autem volunt, manifeſtant Angeli ſuorum cordium ſecreta, & quibus volunt abſcōdunt & celant. Neque obſtant corpora opaca ipſorum locutionibus, ſicut nec noſtris cogitationibus, vt enim ſecundū ſubſtantiam murum penetrare poſſunt muro permanente illæſo, ita & ſuos conceptus inuicem per murum intimare poſſunt. Proinde è cœlo cognoſcere poſſunt quid hic agatur in terris, non ſolū in verbo ſeu diuina eſſentia, ſed etiam naturali ſua cognitione modo illa diſtantia nō excedat ſpheram ſuę virtutis naturalis: præſentialiter tamen ſæpe interſunt rebus humanis, vt patet *Tobiæ* 5. & in multis alijs ſcripturæ locis.

6. TERTIVS chorus Thronos continet quia in eis tanquam in ſuo throno ſeu ſede iudiciali reſidet Deus iudicans iuſtitiam, ſicut iudices ex tribunali tanquam ſuo throno iudicia & ſententias iuſtitiæ proferre ſolent: *Sediſti ſuper thronum*, inquit Pſalmiſta, *qui iudicas iuſtitiam.* Pſal. 9. Hic chorus diuinorum iudiciorum abyſſum intuetur, & Throni tanquam ſenatores & Dei aſſeſſores ſingulorum facta examinant & diiudicant ac veluti in ſtatera trutinant, quæ opera iuſta ſint ſeu iuſti ponderis, quæ non ſint: ſic enim legimus apud Danielem, *Appenſus es in ſtatera & inuentus es minus habens.* Dan. 5. Hi quia iuſtitiam amant, quam & alijs inferioris ordinis Angeli exequendam mandant, diſcernentes ac diiudicantes quæ pœna cui culpæ, & quod præmium cui merito debeatur, horum iudiciorum æquitate ſe oblectant, gaudentque throni ea per ſuum miniſterium, quo Deo ſubſeruiunt, palam fieri vt ab alijs executioni mandentur & ad effectum deducantur: Neque enim iidem ſunt Angeli qui diiudicant & diſcernunt cauſas, & qui iuſtitiam adminiſtrant & ſententiam exequuntur, ſicut nec in iudicijs humanis: Scabini enim ſiue Senatores cauſam examinant & iudicāt, ſed Prætor ſententiam latam exequitur. Et quanquam Angeli mites ſint & benigni, caritate & miſericordia pleni, iuſtitiam tamen amant, & contra iniquitatem & iniquos homines admodum ſunt ſyncri & rigidi, vt patet cum tēpore Dauidis populū Iſrael peſte percuteret triduō vſq; ad ſeptuaginta milia hominum, 1. Paral. 21. & tempore regis Ezechiæ cum percuteret Angelus Dei exercitum Sennachatib, & percuſſit in caſtris Iſa. 38. Aſſyriorum centum octuaginta quinque milia. Qui ita mitis eſt & manſuetus vt malū impunitū nō relinquat, mollis potius quam mitis eſt dicendus. Recte autem Throni dicuntur hi Angeli qui iuſtitiam iudicant, neque enim cum perturbatione animi, ſed ſummâ cum tranquillitate opera iniquorum punienda decernunt. Homo non ita conſueuit, qui fere non niſi ira animum commouente & perturbante malum caſtigare non poteſt. Iudices cum ſententias ferunt, ſedere ſolent, vt hac corporali ſeſſione animi ſui quietem & tranquillitatem declarent.

7. QVARTVS chorus Dominationes dicuntur: Angeli huius chori Deo quoque aſſiſtunt, & ſupremo Domino cęteris perfectius, aut ſaltem propriè magis aſſimilantur in ratione dominij. Proprium autē Dominorum eſt vt eorū imperio omnes obſequantur & obtemperent qui eis ſubſunt. Sic Dei imperio ſubſunt & curſus temporum, *inquit Auguſt.* & motus corporum, & nutus mentium, idque ordine tam compoſito vt nihil eorum vel puncto temporis debitum ſuum famulatum illi ſupremo Domino ſubtrahat: *Sic enim* Pſalmiſta nos docet, *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius:* Hoc eſt, quę obtemperant iuſſui & imperio eius, idque opera tam facili, vt quo modo Dominus eorum in præcipiendo ac regendo nullam patitur difficultatem, ita nec ipſa in obſequendo: cuius rei exemplum videre licet in membris humanis corporis quę opere tam facili obſequuntur voluntati, vt ſimul illa aliquid iuſſe-

Digitized by Google

iuſſerit, ſtatim iſta parata ſint & mandatũ exequantur. Huic ſupremo Domino aſſiſtunt hi Dominatores ſeu Dominationes, vt præceptum, & imperium ſui Domini cæteris Angelis inferiorum ordinum intiment, & tanquam Domini hos velut miniſtros ad ſua officia & ſupremi Domini præceptum exequendum deſtinent. Fuit & Adam creatus à Deo tanquam Dominus orbis terrarum vt præeſſet & piſcibus maris, & beſtiis terræ & auibus cæli, quique plenum dominium habebat in ſeipſum ac animæ ſuæ potentias, vt nihil moueret ſe in homine abſque imperio voluntatis & præſcripto rationis. Sed quia Domino ſuo obediens non permanſit, hoc ſuum dominium & in ſeipſum & in beſtias perdidit, quo fit vt & caro repugnet ſpiritui, & beſtia aduerſetur homini, cumque fugiat & metuat.

8. QVINTVS chorus Virtutes dicuntur. Sequentes quinque Angelorum chori foras emitti dicuntur: inter quos primus dicitur Virtutes, quorum opere acminiſterio prodigia & miracula fiunt, ſiue in ſuſcitatione mortuorum, vt cum tuba canent & dicent, *Surgite mortui & venite ad iudicium*, ſiue in curatione infirmorum, vt cum Angelo deſcendente in piſcinam aqua moueretur, & qui prior deſcendiſſet in eam ſanus fiebat. Fecit autem
Ioan. 5. Deus multos dignitatum gradus & diuerſos conſtituit Angelorum choros, quia hoc facit ad decorem vniuerſi, partim etiam quia honoris æqualitas diſſidia inducere ſolet. *Sextus chorus* Poteſtates dicuntur, in quibus poteſtas ſeu potentia Dei relucet proprie: Quorum officiorum eſt refrenare vires & tyrannidem malignorum ſpirituum ne tantum noceant aut tentent hominem quantum vellent & poſſent ſi non cohiberentur. Sic legimus
Apoc. 20. in *Apocal.* quod Angelus apprehenderit draconem ſerpentem antiquum qui eſt diabolus & ligauit eum per annos mille vt non ſeducat gentes amplius. Quod ſi qui ſeducantur aut diaboli tyrannidi ſubiiciantur fit quia ſub tutela Angelorum non ſe continent, ſed victi ſuis cupiditatibus ſeduci ſe ſinunt, de quibus ſic in
Apocal. *Væ terræ & mari quia deſcẽdit diabolus ad vos habens irã magnã.* Apo. 12.
Septimus chorus dicitur Principat' Principes hi præſunt gubernationi regnorũ & gentiũ, ſicut Principes prouinciis præſidere ſolent: vnde dicitur *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus.* Hunc principatum niſi Deus inter homines cõſtituiſſet, nullus ordo, nulla diſciplina ſeruari poſſet. Quapropter etiam Principes impii ſunt honorãdi, per eos enim in pace ſeruamur, ab hoſte protegimur.

9. OCTAVVS chorus Archangeli dicuntur qui nunciant hominibus magna quæ rationem ſuperant: ſic Gabriel miſſus eſt ad Mariam vt incarnãdum Dei filium ex ea nunciaret. Sed quanquam quiſque Angelorum proprium habeat miniſteriũ, propriamque virtutem, ſunt enim diuiſiones gratiarum, ſicut ſtella à ſtella differt & claritate, & virtute, tamen quia particularia hæc nos latent, ideo de eis non niſi generali & confuſa notitia loqui poſſumus. *Nonus* & infimus chorus Angelos continet, qui ad priuatos homines mittũtur, quos & à multis malis & periculis præſeruant & eripiunt: ſic enim Iacob ait Gẽ. 48. *Angelus qui me eruit de cunctis malis meis*: ſic præſeruauit Saram ne contaminaretur adulterio regis Abimelech. *Gen.* 20. & filios Iſrael à maledictione Baalam, *nu.* 22. pigritantes & oſcitantes excitant & alacriores reddunt, ſic Elias à ſuo Angelo fuit excitatus, 3. *Reg.* 9. noſtras preces Deo offerunt, *Tobiæ* 12 honorabilius enim eſt quod Princeps aliquis ſupplicationes noſtras Regi porrigat, qui immediatum acceſſum habet, quam plebeius aliquis.

2. IN-

Digitized by Google

III. De prœlio facto in cœlo. Grego. 32. mora. c. 24. Chryſoſt. hom. 5. & 1. ad popu. Ant.

1. INTER hos nouem Angelorum choros primus atque ſupremus omnium fuit ipſe Lucifer, *teſte Gregorio* homilia de centum ouibus, qui cum claritate, dignitate, fortitudine, potentia, ſapientia ac cæteris donis cunctis Angelorum agminibus præemineret, eleuatum eſt cor eius in decore ſuo, ſuaque potentia & claritate oblectari & frui cœpit, ſeſeque magnifacere, ita vt ſimilis altiſſimo eſſe vellet, diceretque, Deus ego ſum, animo & opere ita ſe gerebat ac ſi nulli ſubeſſet, nullius alterius egeret, ſed ſibi ad ſupremã beatitudinem ſufficeret, quippe qua iam ſe frui putabat, cum ita ſeipſo ſuiſque donis oblectaretur, quæ pluris faciebat & plus amabat Deum ipſum. Et quoniam pluris ſeipſum quam Deum faceret, volebat & ab aliis pluris fieri, plus amari, plus honorari, quia tanti volebat & ab aliis eſſe quanti ſibi erat, quantique ſeipſum faciebat: Ea eſt enim natura ſuperborum pluris ſeipſos ſuaque dona in quibus gloriantur, æſtimare quã ſint aut valeant, ſic Lucifer ſe tãquam ſummũ bonũ amari ſummo amore volebat, ſeſeque tanquã ſupremum Dominũ honorari affectabat, quinimo tanquam Deum, à quo cæterorum ſalus dependeret, ab omnibus adorari intendebat. Et hoc modo voluit eſſe Deus, *Aſcendam*, inquit, *ſuper altitudinem nubiũ, & ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum.* Iſa. 14. Vbi per aſtra cæli intelliguntur Angeli propter fulgorem & claritatem in qua creati ſunt, qui & montes dicuntur, propter naturæ dignitatem & eminentiam. Super hos aſcendere voluit, quia non contentus ea ſupereminentia, qua naturaliter cæteris ſupereminebat, etiam ab iiſdem vt Deus honorari, amari, & adorari volebat. Non autem volebat eſſe ſicut Deus tanquam appetierit naturam ſuam verti in naturam diuinam; quia nemo poteſt appetere interitum ſui, ſi enim intereat, iam non ſibi ſed alteri melius foret. Sed voluit eſſe vt Deus ſicut dictum eſt, quia neminem agnoſcebat ſuperiorem aut meliorem, ſed ſe eſſe ſupremum omniũ Dominum, ſibique deberi ſupremum honorem & ſummum amorem exiſtimabat: Et in ea ſuperbia perſiſtit dæmon in hodiernum vſque diem, vnde cum Chriſtum tẽtaret, tanquam Deus adorari volebat, *Si cadens*, inquit, *adoraueris me, hæc omnia tibi dabo.* Matth. 4. Vſurpabat ſibi dominium totius mundi quod nõ habebat, & alteri promittebat quod dare non poterat, ſicut ſuperbi ſolent, quorum ea eſt conditio & natura vt plus velint & præſumant quam poſſint: & ideo mendax dicitur diabolus qui in veritate non ſtetit.

2. ISTA ſuperbia Luciferi cauſam dedit iſtius magni prælii quod factum eſt in cælo, vt dicitur in *Apocal.* Apo. 12. Lucifer enim cum in decore ſuo cor ſuum eleuaret, & ab omnibus tanquam Deus honorari & adorari vellet, omnibus ſibi adhærere volentibus promittebat multa & mira, quod futuri eſſent ſicut dii ſummi & ſupremi, nulli ſubiecti. Et id ita eis propoſuit vt multis perſuaderet, eique crederent: quorum quiſque ſibi obuenturam ſperabat ſummam dignitatem, ſummumque honorem: hinc factum vt non ſolum Lucifer, & omnes dæmones velint adorari vt dii, quia exemplo & perſuaſione Luciferi ſuperbi effecti, ſeipſos magni facere & magna appetere cœperunt, ea ſcilicet quæ Lucifer eis promittebat, ſummos honores, ſummaſque dignitates. Et hac ratione dicitur *draco*, hoc eſt, Lucifer, traxiſſe ſua cauda tertiam partem ſtellarum cæli & miſiſſe in terram: Apo. 12. quia fraudulenta ſua perſuaſione & promiſſione, quæ hic cauſa dicitur, quia ea & peccati tegebat turpitudinem dum ſpecioſa promitteret, & alii applaudebat & adblandiebatur vt ſibi adhærerent, plurimos Angelorum pertraxit in ſuam ſententiam. Michael vero cum ſuis Angelis ei reſtiterunt & Deo adhæſerunt, vnde & nomen ſortitus eſt, quia Michael idem eſt ac ſi dicas, Quis vt Deus? Et per hanc victoriam æternam ſibi gloriã pepererunt & meruerunt. Et quanquam hoc prælium inuiſibili com-

Digitized by Google

committeretur modo, quippe quod ſpirituale eſt & ſpiritualibus geritur armis, quibus impetitur ſpiritus, non tamen minus periculoſum eſt, quia in eo certatur non pro regno terreno ſed cœleſti, non pro corruptibili corona ſed pro æterna gloria, non pro diuitiis ſed pro vita.

3. COMMITTITVR & iam magnum prælium in Eccleſia, in qua acriter certatur & multi occumbunt, plurimi etiam ad inſignem victoriam & coronam peruenirunt. Vnde nos hortatur mater Eccleſia, *Eſtote fortes in bello & pugnate cum antiquo ſerpente.* Inchoatur hoc prælium ſpirituale à malis cogitationibus quæ immittuntur in cor hominis ab ipſis dæmonibus: ſic enim Pſalmiſta loquitur, *Immiſſiones quæ fiunt per Angelos malos.* Huiuſmodi autem cogitationes malæ interdum in phantaſiis duntaxat ſeu virtute imaginatiua inhærent, ita vt cor ipſum nondum attingant: & tum mentis puritatem quidem obnubilant & animam quibuſdam maculis deturpant, ſed nondum ſauciant. Has cogitationes malas ſi non repuleris protinus, ſed iis locum dederis, eaſdem tanquam quaſdam ſagittas profundius infigit, vt etiam cor ipſum penetrent & grauiter ſaucient, ſiue per carnis voluptatem animum virilem eneruando & mollem atque fœmineum efficiendo: ſiue per indignationem & amaritudinem cor quod quietum erat & tranquillum, exaſperando: ſiue per ſuperbiam inflando, fit enim animus hominis talis qualia ſunt ea quæ cum affectu cogitat. Hoc vulnere accepto fit animus infirmior vt minus virium habeat iam ad reſiſtendum, & procliuis admodum efficitur ad id perpetrandum ad quod huiuſmodi affectus propendet, quod ſi conſummauerit peccatum, ad quod animus propendet, crudeliter & miſerabiliter anima interimitur: Nam vt Iacob. ait, *Concupiſcentia cum conceperit parit peccatum, peccatum cum conſummatū fuerit generat mortem.* Scrutatur autem diabolus omnium affectus, teſte Leone, & ibi laqueum ponit & cauſas nocendi quærit, vbi quemque ſtudioſius aut occupari viderit, aut infirmiorem conſpexerit: Hoc enim circuitus iſte ſignificat, cum Petrus ait, *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Quem delicatum & mollem compererit, hoc modo aggreditur. Non opus eſt vt te maceres ieiuniis & vigiliis, aut multis precibus te affligas, ne naturam lædas, Deus eſt miſericors, facile peccatis ignoſcit, & hominem ad ſalutem perducit. Quod dum credit homo, nihil laboris ſubit vt ſalutem promoueat, & inanis permanet. Si quem viderit ad rem magis attentum, alium ei laqueum parat, & hoc modo adoritur, Tu hic orationibus & frigidis precatiunculis intentus es, & interim omnia tua domi & foris neglectim aguntur & pereunt: Hac perſuaſione ſeductus homo magis temporalia bona vt procuret ſolicitus eſt quā vt ſpiritualia & æterna. Si quem pie viuere ſuamque vitam ſecundum certam diſciplinam inſtituere animaduerterit, hoc aut ſimili modo inuadit, O ſi alibi eſſes vbi melius ſeruatur bonæ vitæ regula, vbi alium haberes ſuperiorem qui tui curam haberet, & meliora videres vitæ exempla, cito ad perfectionem peruenire poſſes, hic multas vides infirmitates in iis cum quibus conuerſaris, multa habes impedimenta vt etiamſi velis proficere & pius eſſe non poſſis. Hoc dum credit homo incipit tædio affici & locum faſtidire & alibi cupit eſſe & fit inconſtans. Sic per mille meandros & modos decipit dæmō homines qui non norunt aſtutiam eius.

Pſal. 77.

Iacob. 1.

1. Pet. 5.

4. HVIVSMODI pugna ſpiritualis quamuis nihili fiat ab hominibus carnalibus qui non ſentiunt damna ſpiritus quæ per eam incurrunt, tamen ſerio & ſedulo & ſæpe nos monet ſcriptura vt in ea vigilemus & oremus ne in tentationem intremus. Qui enim in hoc prælio vult obtinere victoriam, non animoſitate ſed vigilia & humilitate eſt ea obtinenda: vigilia opus eſt vt obſeruemus hoſtem ne incautos nos opprimat: humilibus preci-

bus opus eſt quib. imploremus diuinum auxiliũ quo reſiſtamus, eumq; rogemus ne patiatur nos tentari ſupra id quod poſſumus. Cum n. non ſit æqua pugnantium conditio inter hominem & dæmonem, homo enim ignarus & infirmus, dæmon potens & aſtutus, non poſſet humana infirmitas inter tot & tantas dæmonum tentationes & inſidias tuta ſubſiſtere, niſi & ipſius Dei ſanctorum Angelorum muniretur ſubſidio: Neque enim, *teſte Chryſoſt.* diabolus hominem tentat quamtum aut quamdiu vult, ſed quantum & quamdiu Deus permittit: ad hoc etiam mittuntur ſancti Angeli vt nos tueantur, & dæmonum vires refrenent ne tantum noceant quantum volunt, vt patet ex *Apocal.* vbi Angelus apprehendit draconem & ligauit eum vt non amplius ſeducat gentes. Vnde ergo tot vincuntur qui impugnantur? *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Sicut angelica cuſtodia vigilantib. & eorum auxilium humiliter implorantibus præſto eſt, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Angelis ſuis mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, de te, inquam, qui habitas, tãquam in domo tua, in adiutorio altiſſimi, qui ad Deum tanquam ad tutum aſylum ſemper refugium habes: Ita dormitantibus & nimium ſecuris Angeli ſuũ ſubſidiũ ſubtrahunt, neque enim ſic tuētur vt tu otioſus deſideas, ſed ſicut Principes ſuos ſubditos ſuaſque ciuitates, quibus præſunt, defendere ſolent, quorum etiam quiſque aduerſus hoſtium inſultus pro ſe ſtare, ſuamque ſtationem ſeruare debet. Maxime vero ad præſidium Angelicum confugere debent, qui grauiori infirmitate laborant, quales ii communiter ſunt, qui iam recenter è peccatis emergunt, & praua conſuetudine tanquam innato malo deprimuntur: hi enim niſi ſuſtineantur, vt imprimi ſolent, relabendi periculo ſubſunt. Hæc

Dan. 10. cauſa cur Princeps regni Perſarum reſtitit Gabrieli 21. diebus, *apud Danielem.* vbi Rupertus per Principem intelligit Angelum malum, qui & Princeps huius mundi

Ruper. li. 9. c. 6. de victo. ver. Dei.

dicitur. Sic enim ait, Vnde angelo malo virtus pugnandi aduerſus Angelum bonum eique reſiſtendi? cum minimus Angelus bonus potentior ſit ſupremo angelo malo non quidem viribus naturæ, ſed efficacitate gratiæ præualet naturæ. Reſpondet *ibidem.* Pugna iſta inter Angelos bonos & malos in campo fit iuſtitiæ ſpectante iudice Deo: malus pugnat accuſando, bonus defendendo: in quantum eſt magna & vera accuſatio angeli mali, in tantum eſt inualida defenſio boni, & præualet interdum malus angelus bono, non quod potentior ſit natura quã gratia, ſed ex peccatis hominum, quæ Angeli boni non poſſunt defendere: præualet & homini quia qui peccat iuſto Dei iudicio diabolo ſubditur, iuxta illud Pe- 2. Pet. 2.
tri, *A quo quis ſuperatus eſt huius & ſeruus eſt.* Hæc cauſa, *inquit Ruper.* cur cum ſumus in aliqua tribulatione ſiue publica, ſiue priuata, clamantes non ſtatim exaudiamur, neque id prouenit ex infirmitate diuinæ potentiæ, ſed ex indignitate noſtra qui propter ſcelera iudicamur beneficio & auxilio indigni. Non itaque liberamur in hac mortali vita vt nullos hoſtes habeamus, ſed vt tuti ex eorũ poteſtate merito Chriſti, quib. merito peccati prius ſubiecti eramus, pugnãdo vincere queamus & victores effecti coronari mereamur, quia, *teſte Leone* laudabilius eſt, pugnantem non potuiſſe vinci, quam deſidem non potuiſſe tentari, & quis fructus patientiæ ſi non habet quod toleret?

PARS IV.

Væ mundo à ſcandalis: neceſſe eſt vt veniant ſcandala, verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.

Matth. 18.

Summa Articulorum IV. Partis.

I. *De ſcandalis, quam ſint ea noxia, tamen quadam toleranda.*

II. De

Digitized by Google

II. *De officio Angelorum & quid ſubſidii homo per illos acquirat.*

III. *De prælio quod committitur in cælo & in Eccleſia.*

ART. I. Quã ſint noxia ſcãdala, quædam tamẽ tolerãda.

1. SCANDALVM frequens inter homines malum: aut enim ad peccatum ſuo exemplo male viuendo pertrahunt aut pelliciendo in illud inducũt, aut ad illud vi impellunt. De hoc poſtremo genere ſic ait Pſaltes, *Quouſque irruitis in hominem? interficitis vniuerſi vos tanquam parieti inclinato & maceria depulſæ?* Quibus verbis deſcribit Propheta & dæmonum potentiam, & impiorum cõtra alios crudelitatem, & ipſius generis humani fragilitatẽ, vere enim homines poſt corruptam naturam ſimiles facti ſunt maceriæ impulſæ, quæ facillime deiici poteſt, cum & fragiles ſint & propenſi ad malum ab adoleſcentia ſua. De altero dicit Sapiens Prouer. 7. *De feneſtra domus meæ per cancellos proſpexi iuuenem vecordem adueſperaſcente die in noctis tenebris & caligine, Et ecce occurrit illi mulier habitu meretricio præparata ad decipiendas animas, apprehenſumque oſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur dicens, veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus donec illuceſcat dies. Irretiuit eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum: ſtatim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & neſcit quod ad vincula ſtultus trahatur, & quod de periculo animæ illius agitur.* Huic morbo hoc adhibet hic remedium Dominus, Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te, *hoc eſt inquit Aug.* Si quis amicus quẽ diligas vt oculum tuũ, etiamſi pater ſit aut mater, aut amica, relinque eius amicitiam ſi tibi impedimento ſit ad ſalutem.

Pſal. 61.

2. DE PRIMO genere ſcandali loquitur Ioannes in ſua *Apocal. capit.* 2. in hunc modum, *Habes illic tenentes doctrinam Balaam qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael edere & fornicari,* Tenebant doctrinam Balaam, non tam quod artem fornicandi profiterentur, *inquit Orige.* ſed quia facta & opera ipſius Balaam qui ea docuerat, imitabantur. Longe autem grauius eſt aliis præbere cauſam peccandi, quam ipſum vnumquemque peccare, vnde puniti quidem fuerunt filii Iſrael, quia fornicando peccauerunt Domino. longe tamen grauius puniti ſunt ipſi Madianitæ qui ſubornarunt mulieres vt filios Iſrael facerent fornicari, & peccare Domino, Quapropter mandauit Dominus Moyſi dicens, *Hoſtes vos ſentiant Madianitæ & percutite eos, quia & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos,* Idipſum & Dominus ſatis innuit cum ait, Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis illis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius & demergatur in profundum maris. Duo nobis hic inſinuantur, Et dignitas paruulorum quorum curam gerunt ipſi & Angeli: Et vindicta inferenda iniuriæ illis per ſcandalum illatæ. Cum enim paruuli ſint & in fide infirmi facile labuntur mori exemplis malorum: Et facile à mundo contemnuntur & ob id nihil ducit mundus eos ſcandalizare & ad lapſum impellere. Hinc Dominus, *væ mundo à ſcandalo:* vere enim innumerabiles ſunt homines qui ſcandalis perdunt & pereunt, & deploranda ſtrages animarum quæ fit quotidie per totum mundum. Beatus eſt, *inquit Hiero.* qui tam ſancte, tamque grauiter diſpoſuit vitam ſuam vt de eo ſiniſtri aliquid ne fingi quidem poſſit, dum aduerſus obtrectatorum libidinẽ pugnat meriti magnitudo. Quod ſi id aſſequi difficile atque nimis arduum eſt, ſaltem hanc adhibeamus vitæ noſtræ diligentiam, ne malæ mentis occaſionem inueniant detrahendi, ne ex nobis ſcintilla procedat, per quam aduerſus nos ſiniſtræ famæ flamma confletur: Alioquin fruſtra iraſcimur detractionibus noſtris, ſi eis ipſis obtrectandi materiam miniſtramus. Nos id agamus vt male de nobis nemo loqui abſque mendacio poſſit, nemini præbẽtes vllam offenſam aut ſcandali occaſionem.

Orige. ho. 20. in nu.

Num. 25.

Hiero. epiſt. 14. quæ eſt ad Celan.

Digitized by Google

3. DISPVTAT Baſili. *tracta. 2. de baptiſ. cap.* 10. An ſcandalum obiicere perpetuo ſit pernicioſum. Et *reſpondet*, Cum ſcandalum ſit quicquid ad errorem vel defectionem adducit, ſi quod fit vel dicitur in ſeipſo conſideratum, bonum fuerit, ſed morbus vel malitia vtentis eo opere aut verbo, in ipſo vſu damnum attulerit, inſons erit à ſcandalo, qui bonum, quod ad fidei ædificationem confert, vel locutus eſt vel fecit: Quemadmodum Domino venit, Cum enim dixiſſet *Non quod intrat in os coinquinat hominem*, audito hoc verbo, Phariſæi ſcandalizati ſunt; Et ait
Matth. 11. Dominus *Sinite eos cæci ſunt & duces cæcorum.* Rurſum cum Dominus multa dixiſſet *Ioan.* 6. de carne ſua manducanda, quidam dicebant, *Durus eſt hic ſermo & quis poteſt eum audire? & abierunt retrorſum.* Et cum ſuis diceret Dominus, *Nunquid & vos vultis abire?* Reſpondit Petrus *Quo ibimus Domine, verba habes æternæ vitæ.* Qui fide ſani erant verbis Chriſti vtebantur ad fidei ædificationem & ſalutis acquiſitionem, illi qui mali erãt propter ſuam ipſorum malitiam vtebãtur ad perditionem, iuxta illud quod ſcriptum eſt, *Hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael:* Non ideo quod ſibi ipſi ſit contrarius, ſed propter vtentium contrariam animi ſententiam: ſicut & Apoſtolus ait, *Aliis quidem ſumus odor vitæ in vitam, aliis vero ſumus odor mortis in mortem.* Neque enim ſi quiſquam in recte dictis aut factis noſtris tam male moueatur vt fiat etiam animo deterior, longeque à pietate remotior, propterea recte facta deſerenda ſunt, ſicut nec Chriſtus veritatem doctrinæ deſeruit quia inde ſcandalizabantur Phariſæi, id enim præcipue nobis tenendum eſt, quod eos vocare & inuitare debemus, quos ſicut nosipſos diligimus.

4. SI vero ſecundum ſuam naturam malum eſt, quod vel dicitur vel fit, iam qui hoc fecit vel dixit, cum proprii peccati, tum offendiculi culpam ſuſtinebit, etiamſi is cuius gratia factum eſt offendiculum, offenſus non fuerit, & requiret Deus animas tales quibus cauſam ſcandali dedimus, ex manibus noſtris: Et incidit talis in horrendum illud iudicium, de quo Dominus locutus eſt, *Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt mola aſinaria ſuſpendatur in collo eius & demergatur in profundo maris.* Nec id mirum ſi tale & tam horrendum ſit iudicium in vetitis dum quis malo ſuo exemplo aut conſilio alium ad legis violationem inducit, maxime quando vel ſcientia quadam maiore præditus videtur is qui ſcandalizat, vel in ſacro aliquo gradu cenſetur, cum & in licitis, quæ fieri poſſunt quando abeſt ratio ſcandali, ſi cũ ſcandalo infirmorum fiant, graue nobis ſubeundum ſit iudicium: Vt patet ex *Paulo* 1. *Cor.* 8. vbi de iis agit qui cum ſcandalo infirmorum idolothyta comedebant, *Videte*, inquit, *ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis: Si enim quis viderit eum qui habet ſcientiam in idolio recumbentem, nonne conſcientia eius cum ſit infirma*, fide ſcilicet & ſcientia, *ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua conſcientia propter quem Chriſtus mortuus eſt? Sic autem peccantes in fratres & percutientes conſcientiã eorum infirmum in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum ne fratrem meum ſcandalizem.* hactenus Paulus.
Dicit percutientes, *inquit Chryſ.* vt verbi ſignificantia crudelitatẽ oſtẽderet. Quid enim homine inhumanius exiſtimari poteſt qui ægrotũ verberat? Sed dices, Quid ſi ſuo vitio ſcandalizetur infirmus? Propter hoc ipſum ſi iuſtus fueris, patienter illum feres, inquit, Nam ſi fortis eſſet tali cura opus non haberet: Nunc vero quia imbecillior eſt multa etiam cura opus habet: eam igitur præſtemus fratri infirmo: Neque enim propriorum tantummodo malorum rationẽ dabimus, ſed & eorum quibus ſcandalum præbemus.

Chryſ. ho. 20. in 1. ad Cor.

Chryſ. ſer. 25. ad Rom.

ſic Chryſ.

5. SED & Dominus quamuis liber eſſet à tributo Cæſari dando, vt ſatis inſinuat

Mattha.

Digitized by Google

Matth. 17. illud tamen ſoluere voluit ne alios ſcandalizaret, vt *ibidem* dicitur. Neq; id fruſtra, vult enim Dominus etiam extraneos homines ad fidem per fidelium opera proficere vt religionem ipſam religionis diſciplina commendet. Et ideo ſicut luminaria in mundo lucere nos iubent in medio nationis prauæ vt incredulæ mentes errantium ex noſtrorum actuum lumine ignorantiæ ſuæ tenebras deprehendant, *inquit Hieron.* Et apoſtolus ad *Rom.* 12. prouidebat bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ne per illud blaſphemaretur nomen Dei inter gentes. Habebat vtique poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſed nolebat hac poteſtate vti ne iudicaretur ab infideli conſcientia. Dicamus & nos, *inquit Hieron.* Si ſcandalizat ſoror vel frater non vnum vel alterum ſed Eccleſiam Dei, nec ſororem videbo nec fratrem: Apoſtolici præcepti eſt vt habeamus rationem non conſcientiæ tantum ſed & famæ, Prouidentes bona, inquit, non tantum coram Deo ſed etiam coram hominibus. Fuge perſonas, *inquit Hieron.* in quibus poteſt eſſe malę conuerſationis ſuſpicio. Nec paratum habeas illud è triuio, Sufficit mihi conſcientia mea, non curo quid de me loquantur homines. Certe vt conſcientia bona nobis, ita bona fama proximo eſt neceſſaria, vt dum videt opera noſtra bona glorificet patrem qui in cœlis. Cum Suſanna diceret *Dan.* 13. *Anguſtiæ mihi ſunt vndique*, Anguſtia erat illi, *inquit Hieron.* explicans hunc locum, non imminentis mortis, ſed opprobrij & ignominiæ, qua perfundenda erat illis duobus ſenibus accuſantibus: Anguſtiabaturq; quoniam cura illi erat non modica de conſeruando bono nomine, quia teſte Sapiente, *melius eſt nomen bonum quam diuitiæ multæ.* Et *Auguſt. lib. de bono viduitæ.* Nequaquam audiendi ſunt, inquit, ſiue viri ſancti ſiue fœminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit vt in malam veniant ſuſpicionem, vnde ſuam vitam longe abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verumetiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum ſiue blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita ſanctorum ſiue etiam cum excuſatione imitantium non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis à criminibus flagitiorum vitam ſuam cuſtodit ſibi bene facit: quiſquis autem etiam famã, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra. Sed quoniã quantalibet humana cautela, ſuſpiciones maleuolentiſſimas non poteſt omni ex parte vitare, vbi pro exiſtimatione noſtra quicquid recte poſſumus fecerimus, ſi aliqui de nobis vel male fingẽdo, vel male credendo famã noſtrã decolorare conantur, adſit conſcientiæ ſolatium dicamuſque cum Paulo, *Mihi pro minimo eſt vt à vobis iudicer aut ab humano die*: Et alibi, *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*

Hier. epi. 14. ad Celan.

Prou. 22.

Galat. 2. Cor. 2.

II. Quid ſubſidij homo per Angelos conſequatur. Dan. 6.

1. ANGELICAM naturam intelligere cum humanum exuperet captum, eo quod poſt lapſum hominis perdiderimus ſpecies intelligibiles, imo nec eorum dignitatem & gloriam capere valeamus, Daniel enim præſentiam Angeli ferre nequiuit, ſed deficiens viribus corruit, vt dicitur *Dani. cap.* 6. ſaltem eorum in nos bonitatem contemplemur & beneficia per eos nobis impenſa conſideremus, & quantum poſſumus quantumq; valemus eorum ordinem, gradum, honorem & miniſteria inueſtigemus. Pro quo *notandum* quod ſi ut inter miniſtros Regis *quidam* deputantur vt Regi perpetuo aſſiſtant, Regiæque perſonæ inſeruiant, aut menſæ miniſtrent, eiq; à cubiculis ſint vt Duces & Principes primarij, œconomi & ſimiles: *Quidam* vero ſunt quibus regni regimen, eiuſq; tuitio de-

mandata eſt, vt Duces ij qui bellis præ- ſunt, Præſides, Cancellarij, Senatores ſe- creti conſilij, & id genus alij qui de bel- lis aut regimine regni tractant: *Tertij* de- nique ſunt qui ad certa & inferiora re- gni miniſteria deputati ſunt, vt Prętores, Conſiliarij aliis ieſi miores, Capitanei, vexilliferi, Decuriones, Milites, Satelli- tes, & ſimilis farinæ miniſtri: Ita in cœle- ſti hierarchia quidam Deo peculiariter aſſiſtunt, alij regni ſeu Eccleſiæ miniſte- rio intendunt, alij particularibus perſo- nis regendis, defendendis, inſtruendis deputati ſunt; Nam vt Paulus ait ad Heb. Heb. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in mi- niſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*: Item ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus eſt ſub tutoribus eſt & auctoribus vſq; ad præfinitum tempus à patre.* Quamdiu autem in hac vita ſumus: paruuli ſumus & Angelos tutores habe- mus, qui nobis & in tentationibus auxi- lientur, & in periculis manum porrigant, & promptiores in bonis operibus exe- quendis reddant. Nam licet Angeli ho- minum voluntates immutare nō poſſint, ſuadendo tamē efficaciſſimis rationibus, immittendo, inſpirandoq; bonas cogi- tationes, & ſancta deſideria excitando, nos ad bonum promouere, & à malo ab- ducere poſſunt.

2 ET QVANQVAM cogitationes cor- dium quæ aliquo ſigno non aperiuntur aut manifeſtantur, cognoſcere non poſ- ſint, tamen ex reuelatione Dei cogitatio- nes multas cognoſcunt illius hominis, cuius cura illis demandata eſt, vt vrgen- tibus prauis ac noxiis cogitationibus pe- riclitanti ſuccurrere, & pugnantem in- terne adiuuare poſſint malas cogitatio- nes auertendo & bonas inſpirando. Quæ enim olim viſibiliter fiebant per Angelos, vt cum Loth educerent è Sodo- mis, cum Tobiam educerent & reduce- rent incolumem, cum tres pueros iniecii- ſent barbari in fornacē, viſus eſt & quar- tus iuuenis qui ignem auertebat ab iis ne læderentur: Eadem fiunt & iam ſed ſpiri- tuali & inuiſibili modo, vt enim quon- dam caſtra filiorum Iſrael per deſertum tanquam Duces præceſſerunt, & ab Æ- gyptiis eos tutati ſunt, & vt Angelus re- ſtitit Balaam & impediuit ne maledice- ret Iſraeli, ita & nobis deputati ſunt à Deo tanti cuſtodes, qui cum multiplices eaſq; non exiguas agnoſcant neceſſitates noſtras, imminentia pericula, (Nam *teſte Dauide*, iuxta iter ſcandalum ponunt no- bis, & in via hac qua ambulamus abſcō- dunt ſuperbi laqueos dicentes, Quis vi- debit eos?) grauiſſimum æternæ ſalutis negotium, inteſtinum illud & immane bellum quod in cœlo cœpit & hic in Ec- cleſia perficitur; Nam dæmon cum perti- nax ſit quod ſemel concepit perficere ni- titur, eſt enim infatigabilis & odio ho- ſtili plenus: Nobis indeſinēter aſſiſtunt, iuxta illud Pſalmiſtæ *Angelis ſuis manda- uit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis* Pſalm. 90. etiam vſq; ad mortem, ita vt ſecundum quoſdam interea temporis nō ſint in cœ- lo emphyreo, licet faciem Dei qui vbiq; eſt intueantur ſemper, ſed hic in aere ver- ſentur vt nos tueantur aſſidue, ſicut & dæmones multi non in inferno ſed ſub cœlis degunt in hoc aere calignoſo vt nos impugnent.

3 ID NOBIS non obſcure ſignifica Io- annes in ſua *Apoc. cap.* 12. & 21. vbi vidit duodecim portas ciuitatis Ieruſalem, & in duodecim portis duodecim Angelos: vt intelligas per doctrinam duodecim Apoſtolorum & per procurationem & curam Angelorum aditum nobis patere ad regnum cœlorum, à quo nituntur nos excludere hoſtes potentiſſimi & in bello hoc exercitatiſſimi: Qui quia for- tiores nobis ſunt & magis induſtrij, non propriis viribus innitendum ſed in Deo confidendum: qui vt dicitur Iſaiæ 61. *ſuper muros tuos Ieruſalem conſtituit cu- ſtodes qui tota die & nocte non tacebunt*, hoc eſt, clamare non ceſſant vt homo vi- gilet & non dormitet quamdiu hæc vita durat, ſed ſemper paratus ſit ad prælium, ſiue aduerſa inciderint, ſiue proſpera ar-

Digitized by Google

riſerint, in vtriſque enim periculum, illa ne deiiciant, hæc ne extollant. Idipſum & Zacharias aſſerit cum cap. 9. *Circumdedi domum meam ex iis qui militant mihi.* Zach. 9.
Nam quanquam cuilibet noſtrorum ſpecialiter ſit vnicus Angelus deputatus, qui indeſinenter ei aſſiſtit, tamen innumeri ſunt alij Angeli qui hominum ſaluti inuigilant, Dei honorem tuentur, & nos cuſtodiunt atque defendunt. Id quod patet 4. *Reg.* 6. vbi precibus Elizei oſtenſus eſt puero eius mons plenus equorum curruumq; ignеorum in circuitu Elizei. Rurſus *Gen.* 32. cum Iacob remearet ad propria, iramque fratris ſui Eſau vehementer pertimeſceret, venerunt ei obuiam Angeli Dei, quos cum vidiſſet dixit, *Caſtra Dei ſunt hæc*, quia nimirum ſtant ad prælia parati: Ita vt etiam ij qui Deo perpetuo aſſiſtunt honoris cauſa, hominum ſaluti inuigilẽt: vt patet *Iſ.* 6. vbi Seraphin mittitur vt purget labia Iſaiæ carbone ignito: ſiue id per fecerit, vt quidam volunt, verbo ſeu eloquio Dei ignito ipſum purgans, ſiue id fecerit per Angelum aliquem inferioris ordinis quem miſit Seraphin vt Iſaiam purgaret. Angeli enim ſuperiorum ordinũ immediate à Deo illuminantur, & hi vlterius Angelos illuminant ordinum inferiorũ, docentes ea quæ ventura ſunt & fieri debent. Et hic ordo neceſſario ſeruandus eſt etiam inter ipſos Angelos, vt alij præſint & alij ſubſint, alij illuminent & veritatem manifeſtent, alij illuminentur. Et præcipue commiſſa eſt cura Michaeli archangelo totius Eccleſiæ vt eam tueatur & patrocinetur: Sic enim de eo canit Eccleſia, Archangele Michael conſtitui te Principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas.

4 SED DICES, Cum dæmones quotidie innumerabiles homines præcipitẽt in peccatum, & miſeranda ſtrages animarum fiat per totum mundum, Diabolus eſt enim de quo dixit Iſaias, *Hic eſt qui conturbat terram & concutit regna, & poſuit orbem deſertum*: Quo modo verum eſt Iſai. 14.
quod Angeli in circuitu noſtro ſunt vt nos tueantur & patrocinentur? Quis cauſam Naboth qui lapidibus obrutus interiit, tutatus eſt? Quis iniuſtam mortem Ieremiæ? quis Iſaiam ſerra interruptum ab iniuria vindicauit? vt merito exclamaſſe videatur Habacuc cap. 1. *Cur taces conculcante impio iuſtiorem ſe?* Dico ſi præſentia tantum conſideremus, non videntur pij & innocentes homines habere defenſores Angelos. Nihilominus illorũ cauſis intenti ſunt, dum illatas iniurias in eorum ſalutem per patientiam diſponũt. *Moab olla ſpei meæ*, inquit Dauid quia malorum perſecutiones iuſtorum ſunt exercitationes, & quo quis melius exercitatus fuerit, eo plus ſpei fœlicitatis conſequẽdæ acquirit. Ne puteris gratis eſſe malos in hoc mundo, *inquit Auguſt. in Pſa.* 54. & nihil boni de illis agere Deum, Omnis malus aut ideo viuit vt corrigatur, aut ideo viuit vt per illum bonus exerceatur. Hinc Angeli nobis adſunt & tuentur, non ſolum dum eripiunt & liberant, vt tres pueros liberarunt è camino ignis, ſed etiam dum vires adaugent patientibus vt vincãt: adaugent autem vires patientium & orationibus ſuis, exhortationibus, inſtructionibus, & aliis modis ipſis cognitis, nobis autem incognitis, verum quamuis Angeli nos tueãtur nobiſq; patrocinẽtur malas & noxias cogitationes, quas in nos immittunt dæmones, auertendo, vult tamen Deus & nos pugnare & cooperari, vt occaſionem nos coronandi in nobis inueniat. Et quidem dũ tyrones ſumus ſic nos defendũt, vt vix nos impugnari ſentiamus: Sed dũ prouectiores ſumus volunt & nos arma capere vt cõſequamur etiam meritis noſtris coronam iuſtitiæ: Non ſic tamen vt ſoli pugnemus: cũ enim poſt caſum fragiles ſimus facti, & ad lapſum multum propenſi, haud dubie tam crudeli & potenti, nequaquam reſiſtemus, niſi à potẽtiore adiuti fuerimus: Ideo dum grandis imminet tentatio, inuoca tuum Angelũ, vt te adiuuet. Pſalm. 59.

5 DICIT

5 DICAT Iſaiæ cap. 66. *Adducent fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino in equis, curribus & quadrigis, in lecticis & mulis & in carrucis ad montem ſanctum meum Ieruſalem.* Per diuerſa hæc vehicula quibus homines adducuntur ad fidem in hoc ſeculo, & ad ſalutem in futuro, dum finitis tētationum certaminibus ad palmam æternæ retributionis inducunt Angeli & inopinata gaudia portant, *Hieron.* explicans hunc Iſaiæ locum, Angelos intelligit, quibus tanquam curru quodam igneo Elias raptus eſt in cœlum. Sunt enim Angeli ad hoc conſtituti, vt ſalutem noſtram procurent, vt nos regant, tueantur, & moueant. Quod ſi homo non acquieſcit monitis earum, qui ſe inſtar muri immittunt in circuitu timentium Dominum, vt eripiant eos & defendant, ſicut vrbium muri in circuitu circumſiti vndequaque hoſtium arcent inſultus, auferetur maceria eius & erit in conculcationem, & derelinquetur filia Sion ſicut vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario: Et duplicabitur ei pœna, tum pro contemptu monitoris, tum pro facinore commiſſo. Putaſne placatos habebis Angelos in iudicio, quos ita contriſtas dum te ad vomitum redire vident? Non diligunt Angeli operantes iniquitatem, quandoquidem nec eos diligit Deus ſed odit omnes operantes iniquitatem: quos Deus diligit diligunt, quos Deus deſerit, deſerunt, & quos Deus odit, oderunt. Hoſtiliter aduerſantur hominibus Angeli, *inquit Chryſoſt.* dum ab iis ſuum Dominum conChryſ. ho. 3. ad Coloſ. temni conſpiciunt. Vis ſcire, *inquit,* quāto olim odio Angeli fuerint aduerſus homines? Ad ſupplicium mittebantur contra Sodomitas contra Pharaonem & Ægyptios, nec id ſolum, verumetiā contra iſraelem, contra Dauidem, & contra alios legis tranſgreſſores. Et hoc ſatis innuit Dauid cum Pſal. 37. ait, *Amici mei &* Pſalm. 37. *proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt, Et qui iuxta me erant de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam* elongatis nimirum iis, quorum præſentia protegere nos & propulſare poterat inimicum: Hoc eſt, Baſil. ho. 10. in Pſal. 37. *inquit Baſil.* quia lumen oculorum meorum me deſolatum reliquit, qui prius amici mei erant, qui omni tempore mihi familiares fuerant, me derelicto de longe ſteterunt, mecum viuere nolentes, ſed eminus deflentes, *inquit Baſil.* amici calamitatem. Et iſti ſunt Angeli ſancti ex hominum ſalute gaudium capere aſſueti, ſiquidem ob peccatorem pœnitentem in cœlis gaudium exoritur. Hi igitur omnes Dauidis amici iuxta peccati ipſius tempus receſſerunt aduerſantes, non tamen penitus ipſum relinquebant, verum eminus eum lugebant. *hec Baſil.*

6 ANGELVS igitur te cuſtodiet, *inquit idem*, modo habeas in anima opera Angelica cuſtodia digna, & ipſum per praua opera non fugauerimus: vt enim apes fugat fumus, & columbas graueolencia expellit, ſic cuſtodem vitæ noſtræ Angelum graueolens abigit peccatum. Gaudere facimus Angelos quando conuerſi pœnitentiam agimus, tanquam ſuper his quos ab ipſa inferni porta vident reuocari: Implemus vero eorum lætitiam, quando ea facimus quæ eis placent, & in nobis inuenire delectantur, vt eſt ſobrietas, caſtitas, pax, concordia quam maxime à nobis requirunt Angeli pacis. Quid ni delectentur maxime in his quæ formam quandam ciuitatis ſuæ repræſentant in nobis, vt mirentur Ieruſalem nouam in terra. E contra nihil æque offendit & ad indignationem prouocat eos vt diſſenſiones & ſcandala ſi inueniantur in nobis, tum enim indignos nos iudicant, & præſentia ſua & viſitatione ſua, & protectione ſua. Vide igitur quanta nobis opus ſit ſollicitudine vt dignos nos exhibeamus eorum viſitatione, præſentia & protectione.

Digitized by Google

III.
De prælio quod cõmittitur in cœlo & in Eccleſia.

1. AB initio mundi bellum atrox inter dæmonem & hominem proclamatum eſt: ſic enim Dominus ad ſerpentem ait Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen mulieris.* In hoc bello nemo poteſt eſſe ſecurus quamdiu durat hæc vita, quia hic non eſt perfecta vnquam victoria. Deſcribit autem nobis bellum hoc Iob ca. 39. ſub metaphora equi, qui fortis & audax eſt in bello, in hunc modũ, *Nunquid præbebis equo fortitudinem? aut circundabis collo eius hinnitum: Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? gloria narium eius terror: Terram vngula fodit, exultat audacter: feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tuba ſonare clangorem: vbi audierit buccinam, dicit vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum & vlulatum exercitus.* Quem locum explicans *Hieronymus* per equum intelligit dæmonem ipſum, qui dum permittitur, præberi à Deo dicitur ei fortitudo: In cuius collo ſignificatur hinnitus ſuperbiæ quo tumet contra Deum, & more locuſtarum ſuſcitari dicitur, quando de locis ſuis ad vaſtandas regiones præire dicitur: Ipſo autem anhelitu terret aduerſarium ſuum, militem ſcilicet Chriſti, anhelans in hominis necem: Et terram vngula fodit, quia carnales homines & terrenos conculcat, & cum eos contriuerit ſibique ſubiecerit, fundamenta virtutum eis ſubtrahit, vt in ruinam ſubducta ſoliditate præcipitet: Exultat audacter præſumtionis ſpiritu contemnens pauorem, & licet fugatus fuerit gladio verbi Dei, intrepidus reuertitur, iterum feruens vitiis & omnium criminum igne conflagrans, & in hominem furore inuidiæ fremens vt eum ſorbeat illecebris peccatorum, & deuoratum in corpus perditæ congregationis ſuæ traiiciens: de quo Pſalmiſta ait, *Niſi Dominus eſſet in nobis forte viuos degluti ſſent nos.* Cũ autẽ buccinam & ſonum tubæ audierit, vah dicit, hoc eſt, cum prædicatores audierit cohortantes vt contra aduerſarium ſuum ſtent fortiter in prælio, iuxta illud Abdiæ, *Surgite et conſurgamus aduerſus eum in prælium.* ſtupenti animo dicit vah, id eſt, quid audio, Hac quiſquam præſumit audacia vt te contra me vel ſaltem cogitet bella conſtituere. Abdi. ca. 1.

2. HIC notandum quod eos qui foris nos oppugnant, intus vincimus vincendo concupiſcentias per quas nobis dominantur. Sic enim Apoſtolus ait ad Eph. quod in ſemetipſo pugnet aduerſus rectores tenebrarum harum & aduerſus ſpiritualia nequitiæ, ne igitur quis putet aduerſus aerem nos pugnare debere, dum aduerſus dæmones quos nõ videmus certamus dicit Paulus, *Non ſic pugno, quaſi aerem verberans ſed caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo ne cum aliis prædicauero ipſe reprobus efficiar.* Si carnem mundum & diabolum vincere velimus, Paulum imitemur & in ſeruitutem corpus noſtrum redigamus, vt deuictis perniciofis delectationibus ſeruiat nobis, per quas nobis dominantur & in ſeruitutem redigunt dæmones. Quam perniciosa lucta, quam inteſtinum bellum vbi continentiæ noſtræ hoſtis caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, hoſtem hunc crudeliſſimum nec fugere poſſumus anima mea, *inquit Bernar.* nec fugare, illum circumferre neceſſe eſt, quoniam alligatus eſt nobis. Nam quod periculoſius eſt & miſerabilius hoſtem noſtrum ipſi cogimur ſuſtentare perimere eum non licet: Vide ergo quam ſollicitè te cuſtodire neceſſe ſit ab ea quæ dormit in ſinu tuo. Verum non hic ſolus eſt hoſtis, eſt alius qui vndique circumcingit me, præſens ſeculum nequam, qui per quinque corporis ſenſus in me immittit ſagittas ſuas, & ita vulnerat me vt mors intret per feneſtras meas, quod in ſe experiebatur qui dicebat, vt vidi, perii. Sufficere quidem iſti duo poterant, ſed heu me, Ecce alius ab aquilone, à quo omne malũ panditur, prodit, malleus vniuerſæ terræ, ſerpens callidior cunctis animantibus terræ, quem nec videre poſſũ, quando minus cauere. Neq; enim eſt colluctatio ſeruare volentibus continentiam ad-

2. Cor. 5.
Hæc Aug. li. de ago. Chriſti.
Bern. ſer. 3. de ſi ag.

Digitized by Google

aduerſus carnem & ſanguinem tantum, ſed inſuper aduerſus Principes tenebrarū harum.

3. BEHEMOTH iſte feralis vtique beſtia ob immaniſſimum trucis animi furorem diabolum deſignans, & tanquam gigas ſe Deo opponere audet, & tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Vnde *Hiero. epiſt. 1. quæ eſt ad Heliodorum tom. 1.* ſic ait, Erras frater erras, ſi putas vnquam Chriſtum perſecutionem non pati: tunc maxime oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis, perſequitur te hoſtis cui nomina mille, mille nocendi artes, ſed & in occultis vt interficiat innocentem & tu pacem putas? Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur: Magnis inimicorum circumdamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia, caro fragilis pugnat ſola cum pluribus: Stadium eſt hæc vita mortalibus, hic contendimus vt alibi coronemur. Nec te terreat hoſtium multitudo quia plures nobiſcum ſunt quam cum illis. Quod ſi Princeps huius mundi ad te venerit, & in te quod ſuum eſt nihil inuenerit, tunc ſecure audies per Prophetam, Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die. Sollicitare poteſt, impellere poteſt, ſed non euertit, ſiquidem illi tuum negaueris aſſenſum. Iſte eſt qui ſtātes in paradiſo impulit & euertit, ſed conſentientes, non reſiſtentes: libentius inſequitur aduerſarius fugientem & non reſiſtentem, quam ſuſtineat repugnantem, & audacius inſiſtit à tergo quam reſiſtat in faciem. Solent quidem etiam fortiſſimi milites audita buccina ante congreſſum trepidare, & vbi ad prælium ventum fuerit, ſpes victoriæ & timor ne vincantur, reddit intrepidos. Quid vero tu trepidas cui aſſiſtunt Angeli a latere, quē Dux belli Chriſtus præibit, ſuos animās ad victoriam & dicens: Confidite ego vici mundum. Vere tuta Chriſti & cū Chriſto victoria, quanquam homo etiam iuſtus in hac vita nunquam poſſit eſſe ſecurus, nec de viribus ſuis præſumptuoſus, vt docet nos ille qui ait, *Dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum, Auertiſtī faciem tuam à me & factus ſum conturbatus.* Pſalm. 29. Demonſtratur illi quam temere hoc dixit, *Dixi non mouebor in æternū,* tanquam viribus ſuis tribuens quod ei deſuper præſtabatur, hæc *Auguſtinus lib. de conti. to.* 4.

4. MODVS igitur hoſtem vincendi eſt vt cum Pſalmiſta dicamus, *Deus refugium noſtrum & virtus adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis:* Deus enim diaboli vires reſtringit ne tantum noceat quantum nocere cupit. Homo omnis, *inquit Baſil.* ob ſibi innatam & innolitam ſuapte natura debilitatem tot tentationibus in ſe irruentibus non mediocri eget auxilio vtpote laboris & periculi plenus. Baſ. ho. 12. in pſ. 45. Et multorum quidem eſt dicere, *Deus noſter refugium & virtus,* ſed eodem affectu præditum eſſe quo noſter Propheta perquam paucorum eſt. Pauci admodum ſunt, *inquit Baſil.* qui non admirantes humana præſidia ex ipſo Deo toti pendeant, ſpem omnem atque fiduciam in ipſo collocantes. Nam cum afflictione aliquā premimur, ad omnia potius quam ad ipſum Deum confugimus: Si paruulus ægrotet ad medicum recurris eo interim contemptim omiſſo qui reſtituere te poteſt ſoſpitati: ſi quem timueris inimicum, patronum aliquem tibi ex hominibus diligis, & ſolum verbotenus dicis, Deus refugium noſtrum & virtus. Non hoc vult *Baſil.* tanquam humanum ſubſidium omnino ſit prætermittendum, ſed & in eo ſolo, neque præcipue fidamus quia ſcriptum eſt, *Maledictus omnis qui ſpem ponit in homine,* ſiue in ſeipſo cum & ipſe homo ſit, ſiue in alio. Hinc Deus adiutor noſter dicitur, quia vult & te aliquid facere, vult & te pugnare, vt tua quoque poſſet eſſe victoria, tanquam ſi Rex qui bellum gerit, velit & ſuum filium iacula in hoſtem torquere, vt illum habeat conſortem triumphi: ſic vult De⁹ te reſiſtere diabolo, vt vel laus meriti ſit quæ noſtra virtute quæſita eſt, vel culpa iure ſit noſtra quæ per noſtrā venit ignauiam. Hinc ait Sapiens Cant. 2.

Capite

Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliũtur vineas. Competenter cum adhuc pusillæ sunt capi eas mandat, quia dum cogitatio mala, quam immittit in animum hominis vulpes diabolus, in initiis est, facile potest eiici è corde. Quod si frequenter iteretur & diu permaneat, perimet in anima fructum fidei & florem virtutis. Cum ergo pusilla est & in initiis capi debet & abiici, ne si adulta fuerit & inueterata iam non possit expelli. Ideo monet nos Paulus *ad Eph. 6.* vt induamus nos armaturam Dei vt possimus stare aduersus insidias diaboli. Armat autem nos Deus armis inuisibilibus, *inquit Aug. in Psal. 34.* quibus & hostes inuisibiles expugnamus: armamur enim earum rerum fide quas non videmus, & sternimus hostes quos non videmus.

VITA B. PATRIS FRANCISCI per Bonauenturam descripta.

Summa Articulorum Vitæ S. Francisci.

I. De conuersione, seu mutatione vitæ S. P. Francisci.
II. De institutione sui ordinis.
III. De virtutibus S. Francisci.

ART. I. De conuersione S. Francisci.

1. B. FRANCISCVS Assisii ciuitate oriundus vir plane diuinus admirabile habuit suæ conuersionis initium: Cum iã à iuuenili ætate lucrosæ deputatus esset mercaturæ, nequaquam inter cupidos mercatores lucris inhiauit aut mentem in pecuniæ thesauros coaceruandos defixit: insita enim ei erat, siue diuinitus, siue à natura, quædam erga inopes & calamitosos miseratio, vt merito illud Iob sibi vsurpare potueruit, *Ab infantia mea mecum creuit miseratio,* prorsus vt neminem pro Dei amore stipem petentem vacuum à se dimittere proponeret. Cum autem quadam vice præter solitum morem pauperem à se repulisset ac vacuum dimisisset, statim pœnitudine ductus cucurrit post eum, & eleemosyna clementer impensa promisit Deo nunquam deinceps se pauperi stipem pro amore Dei petenti denegaturum, si quoquo modo facultas suppeteret: Memor vt puto istius Euangelici dicti, *Omni petenti te tribue.* Quod sane ad extremum vitæ spiritum indefessa pietate vir sanctus obseruauit, vnde magnum promeruit & consecutus est dilectionis incrementum tam in Deum quam in proximum.

2. HVIVS animi cum iam esset B. Franciscus, noluit Deus eum esse otiosum aut remanere infructuosum, sed materiã subministrauit in qua se explicaret atque exerceret. Accidit enim quod cum quodam tempore forte obuium haberet militem, generosum quidem sed pauperem & sordibus misere squalentem, hunc protinus pio miseratus affectu, cultioribus suis vestibus quib. indutus erat, eum induit, hocque modo benigne admodum eius penuriam subleuauit. Nocte vero sequenti ostenditur dormienti speciosum & magnũ palatium, quod armis militaribus signaculo crucis Christi insignitis, & aliis reb. splẽdidis ac pretiosis mire fulgebat & ornatum erat. Cumque cunctabundus cuiusnam illa forent, quæreret Franciscus, audiuit ea sua suorumque militum futura. Ea visione mirum in modum recreatus, mane cum euigilasset, & adhuc diuinæ dispositionis rudis & ignarus esset, quippe qui ad diuina perscrutanda mysteria animum necdum haberet exercitatum vt per visibiles species inuisibilia inuestigare posset, in Apuliam ad Comitem quendam sub quo militatus esset & gloriã hanc militarem, vt sperabat, adepturus, se conferre statuit. Cumque paulo post iter aggressus ad proximam ciuitatem diuertisset, nocte audiuit familiarem sibi sermone dicentem Dominum, Francisce quisnam tibi melius benefacere poterit, Dominus an seruus? diues an pauper? Dominus & diues

diues, inquit ille. Cui mox Dominus, Cur ergo tu pro ſeruo Dominum, pro paupere hominem diuitem Deũ relinquere ſtatuis? Et Franciſcus. Quid igitur me vis facere Domine? Et Dominus ad eum, Reuertere inquit in terram tuam, non corporalẽ ſed ſpiritualem militiam militaturus, & à me non terrenis ſed ſpiritualibus opibus ditandus. Mane itaque facto cum feſtinatione Aſſiſium reuerſus cœpit abdicato publicæ negationis tumultu, attentius diuinam opem implorare, vt quid ſibi facto opus eſſet clarius oſtendere dignaretur.

3. CVM itaque frequenti orationis vſu cœleſtis deſiderii flammam quotidie accenderet magis, à mundi contemptu, ſuaque ipſius victoria, Chriſti militiã inchoandã eſſe didicit. Accidit igitur quod quadam die per planiciem Aſſiſio ciuitati ſubiacentem inequitans obuium haberet quendam leproſum, cuius in opinatus occurſus ei non paruum incuſſit horrorem. Sed mox propoſiti ſui memor quod ſeipſum oporteret primum deuincere ſi vellet Chriſti miles eſſe, ad oſculandum eum equo lapſus recurrit: Cui cum manum, quaſi aliquid accepturus, leproſus protenderet, pecuniam cum oſculo reportauit. Inde aſcendens rurſus equum cum ſe circumquaque conuerteret, & campus vndique late pateret, leproſum illum minime vidit. Admiratione ita repletus & gaudio, ardenti deſiderio ſeipſum ad maiora excitare cœpit: ac proinde ſolitaria loca mœroribus amica requirens gemitibus inenarrabilibus Domini clementiam inceſſanter deprecatus eſt. Nec in vanum multiplicatæ preces: Nam quadam die nimio in Deum feruore abſorptus, ipſum Saluatorem veluti cruci affixum conſpicatus eſt: cuius aſpectu adeo paſſionis Chriſti memoria cordi ipſius medullitus eſt impreſſa, vt à lachrymis gemitibuſque ad primam eius recordationem deinceps ſibi nunquam temperare poſſet, ſicut ipſe poſtmodum retulit cum fini appropinquaret. Et recogitans illud Euangelii quaſi ſibi dici, *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me*, cœpit totis præcordiis paupertatem & humilitatem ſectari, & leproſorum hominum, quos priùs vehementer horrere ſolebat, conſortia adamare eiſque omnia humanitatis obſequia exhibere, viſitabat enim frequenter domos ipſorum, & liberales eleemoſinas eis erogabat, ac ſyncero cordis affectu manus oſculabatur eorum & ora, idque ea de cauſa quia Chriſtum ex cruce pendentem viderat tanquam leproſum & à Deo percuſſum, vt Iſaias loquitur, *cap. 53.* Non minori affectu & reliquos mendicos proſequatur. Nam cum aliquando limina Apoſtoli Petri viſitaret, conſpecta pauperum multitudine ante fores eccleſiæ, paupertatis amore allectus, vni ex eis magis egenti proprias largitus eſt veſtes illiuſque contectus ſemicinctiis diem illum in medio pauperum cum inſolita ſpiritus iucunditate tranſegit. Agebat autem hæc omnia vir Dei Franciſcus nondum habitu vel conuictu ſequeſtratus à mundo.

4. CVM ſeruus Dei per ita ignotas nullo ductore ambulare ſemitas, en Chriſtus Dominus eum altera vice viſitare dignatus eſt. Cum enim die quadam in S. Damiani eccleſia, quæ præ nimia vetuſtate ruinam minabatur, ante crucifixi imaginem non ſine lachrymis prolixius oraret, vox de ipſa cruce ad eum dilapſa, Vade inquit, Franciſce & labantem domum meã reſtaura: quæ vox tribus ad eum vicibus facta eſt. Tremefactus Franciſcus cum eſſet in Eccleſia ſolus ſtupet ad tã mirandæ vocis auditum: & crucis ſigno ſe muniens ſurrexit vt mandatum ſibi iniunctum expleret & labantem Eccleſiam reſtauraret: Quanquam, vt poſtmodum ipſe fratrib. aperuit, Spiritus ſanctus nõ de materiali eccleſia reſtauranda, ſed ſpiritali præcipue ageret. Aſſumptis itaque pannis venalibus ad ciuitatem quæ Fulgineum dicitur, acceſſit, ibique venditis iis quæ ſecum portauerit, etiam equum,

Digitized by Google

quo vehebatur, simul vendebat: assumptoque pretio Assisium rediit. & Ecclesiam de cuius reparatione mandatum acceperat, intrauit, & inuento ibidem sacerdote pauperculo, exhibita ei prius decenti reuerentia, pecuniam collectam ad Ecclesię reparationem ei obtulit, humiliter rogãs vt cum eo ad tempus morari posset. Consensit quidem sacerdos vt cum eo maneret, sed pecuniam metu parentum eius accipere non fuit ausus: Id videns Franciscus pecuniam velut lutum contempsit, & in quandam fenestram abiecit. Morabatur itaque seruus Dei cum sacerdote, id postquam intellexit pater perturbato animo locum adiit At ipse, quia nouus erat Christi athleta, cum audiret persequentiũ minas, locum dans iræ, in quadã occulta fouea se abscondit: In qua diebus aliquot latitauit, rogans interim Dominum incessanter lachrymarum imbre perfusus, vt liberaret de manibus persequentium animam illius, vt pia quæ inspirauerat vota complere posset. Itaque hac oratione animo confortatus, & damnata apud semetipsum pusillanimitatis ignauia: relictaque fouea & abiecto timore Assisium versus iter aggressus est. Quem cum ciues facie squalidum ac mente mutatum cernerent, ac per hoc à sensu alienatum putarent, luto platearum & lapidibus impetebant, & tanquã dementi clamoribus insultabant. Id audiens pater accurrit non vt liberet filium sed vt verbis duris prius, postea verberibus & demum vinculis exciperet & stringeret, quod & fecit: verum infracto animo perstitit seruus Dei, recogitans illud Euangelii. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*

5. PATER interea ob domestica negotia foras proficiscitur, mater vero cui factum mariti minus placebat, à vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens, ad locum in quo prius fuerat, reuersus est. Rediens autem pater eumque minime domi inueniens, illatis vxori conuitiis, fremens furensque eum inquisiuit, vt si eum reuocare nõ posset, saltem de prouincia remoueret effugaretque. Frãciscus vero confortatus à Deo obuium vltro se obtulit patri furenti, libera voce cõtestans se vincula & verbera nihil facere, quinimo pro nomine Christi omnia mala subire paratum se esse. Videns itaque pater inflexibilem eius constantiam ad extorquendum pecuniam se conuertit, qua inuẽta in fenestella quadam, aliquantulum mitigatus est ipsius furor, auaritiæ siti vtcumque per haustum pecuniæ temperata. Tentauit deinde pater carnis, filium gratiæ pecunia iam nudatum ad Episcopum ciuitatis adducere, vt in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet quæ habebat. Ibi tunc Franciscus coram Episcopo continuo omnibus depositis vestimentis restituit ea patri. Repertus est autem vir Dei cilicium habere ad nudã carnem sub vestibus delicatis. Insuper spiritu ebrius reiectis etiam fœmoralibus, plane denudatus inquit ad patrem, vsque nunc vocaui te patrem in terris, modo autem secure dicere possum, Pater noster qui es in cœlis. Hoc cernens Episcopus & admirans insolitum istum feruorem, protinus surrexit, & inter brachia illum cum fletu suscipiens, vti erat vir pius & bonus, eum pallio quo erat amictus cooperuit, præcipiens suis vt aliquid ei darent ad contegenda nuda corporis membra. Oblatum est ei vile pallium cuiusdam agricolæ Episcopo seruientis, quod grato animo suscepit Christi seruus vt nudus nudum sequeretur Christum.

6. SOLVTVS exinde mundi cõtẽptor à vinculis mundanæ cupiditatis, ciuitate relicta securus & liber secretum solitudinis petiit vt solus & silens audiret quid in ea loqueretur Deus. Dumque per siluam quandam iter faciens laudes Deo lingua Francorum cum iubilo decantaret, latrones ex abditis super eum irruentes ferali animo quis esset interrogarunt: Quibus ille confidentia plenus, Pręco sum ait magni Regis. At illi verberibus afflictum in fossam niuibus plenam proiecerunt di-

centes, tace ruſtice præco Dei. Ipſe vero recedentibus illis magno cum gaudio de foſſa exiliens altiori voce per nemora laudes creatori omniũ perſonabat. Inde ad vicinum cœnobium deueniens ſtipem petiit vt mendicus & accepit. Exinde veræ paupertatis & humilitatis amator ad leproſorum obſequia ſe totum contulit, lauans ipſorum pedes, vlcera ligans & saniẽ abſtergens. Interea admirandæ pietatis & humilitatis officia, quidã cuius os & maxilla fœdo illo horribilique morbo depaſta penè erant, oſculo Franciſci ſanitatem recepit.

7. HISCE tam profundis firmiſque humilitatis fundamentis poſitis, iterum ſeſe Aſſiſium contulit vt diuinæ voci obediẽs ſaltem mendicando Damiani Eccleſiam reſtauraret. Igitur omni depoſita verecũdia, apud eos inter quos abundare ſolebat mendicitatem exercebat, effecitque mẽdicando laborandoque, (neque enim attritum ieiuniis corpus ac debile, lapidum oneribus ſupponere verebatur) vt breui Eccleſia reficeretur. Ea vero refecta, ne poſt laborem corpus torperet ignauia, tranſtulit ſe ad reparandam B. Petri Eccleſiam longius à ciuitate diſtantem: Qua ſimiliter conſummata peruenit ad locum qui Portiuncula dicitur: in quo Eccleſia Virgini Matri quondam ſacra, penitus deſerta videbatur. Eo in loco placuit pedem figere, quod ſentiret Angelicarum ibidem viſitationum frequentiam, iuxta nomen ipſius Eccleſiæ, quo ab antiquo Sancta Maria de Angelis vocabatur. Hunc locũ vir ſanctus præ cæteris mundi locis adamauit: hic etenim cœpit, hic virtuoſe profecit, hic fœliciter conſummauit: hũc in morte fratribus tanquam virgini chariſſimum commendauit: Hic eſt locus in quo fratrum minorum ordo à S. Franciſco eſt inchoatus.

II. De inſtitutione ſui ordinis.

1. CVM die quadam illud Euangelii *Matth.* 10. audiret vir Dei, quo Chriſtus diſcipulis ad prædicandum mittendis, formam viuendi Euangelicam præſcribit, ne videlicet poſſideant aurum vel argentum, non peram in via, nec duas tunicas habeant, non calceamenta deferant neque virgam: protinus exclamat Franciſcus, Hoc eſt quod cupio, quod totis præcordiis concupiſco. Soluit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculũ, peram & pecuniam, vnaque contentus tunicula pro cingulo funem ſumit, apoſtolicisque regulis ſe per omnia coaptat. Cœpit ex hoc vir Dei diuino inſtinctu Euãgelicæ perfectionis æmulator exiſtere, & ad pœnitentiam inuitare, cuius eloquia non erant inania ſed virtute ſpiritus ſancti plena. Et cœpere ipſius vitæ exemplo & doctrinæ verbo ad pœnitentiam animari, eidemque relictis omnibus, habitu vitaque coniungi, imprimis venerabilis vir Bernardus, qui primogenitus B. Patris eſſe promeruit, tam priuilegio ſanctitatis quam prioritate temporis: Deinde pater Ægidius vir vtique Deo plenus & celebri memoria dignus, quanquam enim ſimplex eſſet & idiota, adeo tamen celebris in Deum rapiebatur exceſſibus, vt magis cenſeretur inter homines Angelicam agere vitam quam humanam. Peruenit paulatim tunc temporis numerus diſcipulorum viri ſancti ad numerum ſeptenarium. Ad quos ſic pater Franciſcus, Confortamini in Domino chariſſimi & gaudete, nec quia pauci eſtis contriſtemini, neque vos deterreat mea ſimplicitas aut veſtra, quoniam ſicut mihi à Domino oſtenſum eſt, in magnam multitudinem faciet nos creſcere Deus. Tunc pius pater de aliorum ſalute ſimiliter ſollicitus, eis ſimul conuocatis ſuum aperuit propoſitum quomodo per quatuor orbis partes eos mittere ad Euangeliſandum ſtatuiſſet. Ite, *inquit*, annunciate hominibus pacem, prædicate pœnitentiam in remiſſionem peccatorum: Eſtote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in

labo-

laborib. strenui, in sermonibus modesti, in moribus graues. At illi coram seruo Dei humiliter se prosternentes in terram cum gaudio spiritus suscipiebant sanctæ obedientiæ mandatum. Cæterum pro viatico & singulis hoc Psalmographi dabat inculcabatque, Psal 54. *Iacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet.* Tunc & ipse sciens se datum aliis in exemplum, vt prius faceret quam doceret, vno sociorum sibi assumpto versus vnam orbis perrexit partem, reliquos sex ad modum Crucis aliis tribus mundi partibus deputauit.

2. MODICO autem elapso post tempore, benignus pater charæ prolis exoptās præsentiam, cum per se in vnum eos conuocare non posset, precibus suis à Domino obtinuit, vt omnes insperato non sine ipsorum admiratione pariter conuenirent: Quo tempore aliis viris quatuor cum primis honestis illi adhęrentibus, ad duodenarium numerum excreuerūt. Cernens autem Christi famulus paulatim accrescere fratrum numerum, sibi suisque vitæ formulā simplicibus scripsit verbis: eamque Romam profectus de sola confisus directione diuina, ac cœlesti visione roboratus, Pontifici confirmandam obtulit. At Pontifex primo Christi famulum tanquam ignotum repulit: Sed nocte sequenti diuina reuelatione edoctus mandauit per vrbem sedulo eum inquiri, inuētumque ad se confestim adduci. Præerat tunc sedi apostolicæ Innocentius tertius vir vtique sapientia clarus, qui quanquam tacitus sancti viri propositum comprobaret, distulit tamen postulata approbare, maxime quod Cardinalibus quibusdam nouum aliquid & supra humanas vires arduum proponere videretur. Vnus tamen inter cæteros erat D. Ioannes de S. Paulo, omnis sanctitatis amator & pauperum Christi adiutor, qui diuino spiritu inflammatus summo Pontifici & confratribus suis Cardinalibus dixit: Si petitionem huius pauperis tanquam nimis arduam nouamque refellimus, cum petat confirmari sibi formam Euangelicæ perfectionis, videndum ne & in ipsum Christum impingamus qui in suo Euangelio huiusmodi tradidit doctrinam. His auditis dixit Pontifex ad Franciscum, Ora fili Christum vt suam nobis per te ostendat voluntatem, qua cognita tuis piis desideriis securius annuamus. Fecit vir sanctus & obtinuit quod petiit, & subiunxit, Non est formidandum quod fame pereant æterni Regis filij de paupere matre nati: Si enim Rex cœlorum imitatoribus suis regnum promittit æternum, quanto magis illa ministrabit vitæ temporalis subsidia bonis malisque communia. Hoc cum audisset Pontifex miratus est & Christum in homine loquutum recognouit, maxime cum intelligeret in paupere Francisco cōplendam illam quam viderat visionem, viderat enim in somnis Lateranensem Ecclesiam ruinę iam proximam dorso cuiusdam pauperis sustentari. Vere inquit, hic est ille qui opere & doctrina Christi sustentabit Ecclesiam. Et regulam Francisci approbauit, eique quicquid peteret, promisit.

3. FRETVS exinde Franciscus superna gratia & Pontificis autoritate, iter arripuit versus vallem Spoletanam vt Euangelium Christi ibidem annunciaret. Dum autem in via conferret cum sociis quo modo regulam quam susceperant, syncere seruarent, & qualiter de die in diem proficerent in sanctitate & iustitia, vt & aliis non solum verbo doctrinæ, sed & exemplo vitæ prodesse possent, diutius collatione protracta, cum iam lassati essent ex longa profectione, esurientes in quodam loco solitudinis substiterunt, sed nulla spes cibi aut potus suppetebat: Et ecce diuinitus adfuit homo, qui panem in manu portans pauperculis Christi porrexit, & subito disparuit, incognitus vnde venerit aut quo iuerit. Hoc diuinæ liberalitatis dono magis quam pane recreati, statuerunt firmiter nullius inediæ metu à sanctæ paupertatis resilire proposito. Igitur ad vallem Spoletanam reuersi cum fluctua-

fluctuarent animo, solitariane loca publica incolere deberent. Franciscus per orationis instantiam supernæ reuelationis oraculo impletus, intellexit se ad hoc à Domino missum vt Christo quam plurimas lucraretur animas, ideo magis communitati quam sibi soli viuere præelegit.

4. Igitvr pusilli gregis pastor Franciscus, duodenarium illum fratrum numerum, ad S Mariam de Portiuncula deduxit, vt vbi meritis matris Domini, Minorum sumpserat ordo initium, ipsius auxiliis susciperet illic incrementum. Ibi factus Euangelicæ veritatis præco strenuus ciuitates circuibat, & plurimos Christo lucrifecit, suamq; societatem copioso fætu mirum in modum multiplicauit & auxit adeo vt ad extremos vsque orbis terræ fines veri paupertatis professores peruenirēt. Et cū quāplurimi vtriusq; sexus homines prædicationis ipsius feruore succensi, secundum formam à viro Dei acceptam nouis se pœnitentiæ legibus obstringerent, inter illustres virgines, quæ perpetuā castitatem Deo vouebant, fuit Clara vna virgo Deo charissima, & virtutum meritis ac generis nobilitate clarissima, quæ filia in Christo patris Francisci mater fuit pauperum virginum, sicut Franciscus pater extitit pauperum Minorum. Processu vero temporis multiplicatis iā fratribus, in loco B. Virginis de Portiuncula generale indixit concilium. Vbi licet omnium necessariorum magna esset pecunia, fratrumque multitudo vltra quinque milia conuenisset, diuina opitulante clementia vndique curribus & carrucis tanta aduehebatur cibi potusque copia vt omnibus sufficeret, & nulli quicquam necessariorum deesset.

5. Accidit quod cū dilatato ordine iam suo, regulam seu viuendi formam per Innocentium Papam approbatam proponeret per Honorium Innocentii successorem confirmari & in perpetuum roborari, visionem quandam in somnis habuerit, quæ talis erat: visus sibi fuit micas panum admodum exiguas de terra colligere, multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus eas distribuendas esse: cumque eas tam exiguas distribuere formidaret ne forte inter manus exciderent, vox desuper ab eo audita est, Francisce, vnam hostiam de omnibus micis facito, & manducare volentibus distribuito.

Quo id agente, quicumque illud minus deuote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti apparebant. Recitat mane vir sanctus hæc omnia suis sociis, dolens se non percipere mysterium visionis. Sequenti vero die cum vigil in oratione persisteret, huiusmodi vocem de celo elapsam audiuit: Francisce, micæ præteritæ noctis verba Euangelica sunt: hostia vero, regula: quas lepra iniquitas. Volēs igitur confirmandā regulam ex verborum Euangelii aggregatione profusius traditam, ad compendiosiorem formā, iuxta quod exigebat visio, redigere, in montē quendam cum duobus sociis spiritu sancto ducente conscendit, vbi pane tantum contentus & aqua, ieiunans eam fecit conscribi, secundū quod oranti sibi diuinus spiritus suggerebat. Quam cū de monte descendens seruandā suo vicario commisisset, & ille paucis elapsis diebus assereret per incuriā, eam perditam, iterato vir sanctus ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, ilico reparauit, & per Papam Honorium confirmari fecit, dicens se nihil ibi posuisse ex propria sua industria, sed omnia sic scribi fecisse, sicut fuerant diuinitus sibi reuelata.

7. Cvm igitur cerneret vir Dei Franciscus suo exemplo ad crucem Christi baiulandam plurimos animari, animabatur & ipse tanquam bonus dux exercitus Christi, & tanta disciplinæ rigiditate sensuum cupiditates elidebat vt vix naturæ necessitati satisfaceret: difficile enim esse aiebat, naturæ satisfacere & sensuum voluptate non capi. Hinc cum sanus esset rarius cocta cibaria admittebat,

& cum admitteret aut cinere aut aquæ admixtione insipida reddebat: cum sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam frigidam aquam sumebat: nuda humus lassato corpusculo, vt frequentius lectus erat, & lapide capiti supposito dormiebat. Quotiescunq; ardentem libidinis flammam in suo corpore præsentisceret, aut funiculo nudum corpus seuere castigabat, aut foras in hortũ prosiliens nudũ se plane in niuem demergebat, septemq; ex ea plenis manibus cõpingens massas, suo sic exteriori homini loquebatur, Ecce hæc maior vxor tua Francisce, quatuor isti, duo filii & duę filiæ: reliqui duo, seruus & ancilla: festina igitur omnes inducere, quoniam frigore moriuntur: si vero multiplex eorũ sollicitudo molestat, vni Domino sollicite serui. Hoc stratagemate victa libido ad cellã rediit vir Dei, & nunquam deinceps vt refert historia, à libidine impugnatus fuit. Summopere autem mulierum familiaritates, colloquia & adspectus docebat fugienda, asserens per eas & debilem frangi & fortem sæpe infirmari. Cæterum licet iam adeptus esset mirabilem cordis & corporis puritatem, non cessabat tamen lachrymarum imbribus oculos iugiter [illegible] mentales. Cumq; ex continuo fletu infirmitatem incurrisset oculorum, suasit medicus vt à lachrymis abstineret, alioquin in periculo eum versari qui visum amitteret: Respondit vir Dei, præstat visum corporeum, quem cum formicis habemus communem, amittere, quam à lachrymis, quibus purgatur visus mentis interior, abstinere. Et quanquam vir Dei cum iamdudum se in omni virtutum genere diligentissime exercuisset ad culmen perfectionis peruenisse videretur, ita tamen se gerebat tanquam iam primum inciperet, & omnium minimus esset.

8. VT AVTEM totum præsens hoc tempus conflaret in meritum & lucrum negotiator hic Euangelicus, nullum erat virtutis genus quod non exerceret quam posset diligentissime: Et obedientiæ quidem, quod cũ esset sui ordinis supremus, subesse tamen quam præesse, & parere quam præcipere malebat. Hinc licet Generalis esset Guardiano se subiecit, eiusque imperio per omnia subiacere voluit. Et quia vberrimum sancta obediẽtia adfert fructum vt ii, qui sub obedientia viuunt nihil temporis sine lucro præterlabatur, hinc & suo fratri, qui ei itineris comes erat, obedientiam promittere: simul & seruare consueuerat semper: Ita vt diceret aliquando sociis suis inter alia quæ dignanter pietas mihi diuina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter nouitio vnius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo & discretissimo Patri, quia inquit, subditus Prælatum suum non vt hominem considerare debet, sed Vicarium eius pro cuius est amore ei subiectus: Et quanto vilior est qui præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet. Et cum quodã tempore quæreretur ab eo quisnam verus obediens esset iudicandus: qui instar corporis mortui, inquit, se agitari sinit, vt in nullo aut contradicat aut obmurmuret, cur moueatur non diiudicat, vbi collocetur non curat, vt transmutetur non instat, euectus ad officium solitam tenet humilitatem, imo quo amplius honoratur, eo magis humiliatur & se minus honore dignum reputat, quia nouit quod in honore fit præcipitium, sed in humilitate animæ lucrum. Virtutem autem humilitatis ita coluit vt nullã magis: inde enim se & suos fratres Minores dici voluit, vt sicut nomine ita & re omnium essent minimi, & veluti abiectissimi, vt ex ipso nomine discerent quales esse deberent, qui veluti discipuli ad scholas humilis Christi forent mittendi ad discendam humilitatem: Magister siquidem humilitatis Christi hanc artem suos edocuit discipulos cũ diceret, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*: Non potest vilis esse aut ars scientia quam tantus docuit Magister. Vt autem suis veram describeret humilitatis speciem Franciscus, de se

de se dicere solet, Ecce Prælatus existens fratrum; si dum Capitulum ingredior meosque moneo, mihi dicatur non conuenis nobis, quia idiota, elinguis, & rusticus es, insuper & cũ opprobrio me repellant & eiiciant, & aduersum me omnia mala dicant, Dico vobis, inquit, nisi hæc verba audiero, & contemptum pertulero, eodem vultu, eadem mentis constantia, & eodem sanctitatis proposito, frater minor nequaquam sum, hæc Franciscus. Vnde libentius ibi cõuersabatur, vbi vili fiebat, quam vbi honorabatur, quia in vilipensione, est lucrum, inquit, sed in honoratione animæ damnum & periculum.

III. De reliquis Francisci virtutibus.

1. VERVS paupertatis amator Franciscus, vtpote qui nõ solũ nihil habuerit rerũ secularium, sed nec habere cupierit, vt nullus sit nec fuerit tã auri cupidus, quam ipse paupertatis, nullus tam sollicitus thesauri sui custodiendi, quam ipse dispergendi: Paupertatem suam vocabat amicam quam amabat, suam sponsam qua se oblectabat: hanc vocabat thesaurum istum Euangelicum, quem qui inuenit homo, vadit & vendit vniuersa quę babet & emit eum: Et rogatus à fratribus quæ virtus nõ maxime Deo cõmendet, & quæ via salutis breuissima & facillima. Paupertas, inquit, cuius fructus multiplex sed occultus, ait. Propter quod monebat fratres suos vt pauperũ more pauperculas casulas erigerent, quas inhabitarent non vt proprias, sed sicut peregrini & aduenæ alienas. Propter sanctæ paupertatis amorem vir Dei Franciscus eleemosynis ostiatim quęsitis vtebatur multo libentius quam oblatis. Et si quando inuitatus esset ab honorabilib. viris, prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta emendicabat, & sic ditatus inopia discumbebat. Et cum aliquando id fecisset inuitatus à Domino Hostiense qui pauperẽ Christi præcipuo cõplexabatur affectu, conquerenti Episcopo quod suo derogasset honori, vtpote qui in eius comesturus domo pro eleemosinis iuisset, respondit seruus Dei, Imo mi Domine, inquit, magnum vobis honorem exhibui, dum maiorem vtriusque nostrũ Dominum honoraui. Quoniam in petendis eleemosynis non quæstus agebatur cupidine, sed viua in Deum fide, quandoquidem confidebat quod pater pauperum Deus specialem de ipso gereret curam, qui subleuaturus esset eius necessitatem.

2. SPIRITVM pietatis, quæ ad omnia valet promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ, ita imbiberat, vt non solum erga Deum & proximum, sed etiam ad omnes Dei creaturas bene affectus esset, In Deum autem ea pietate mouebatur, vt si vel solum nomen Dei audiret, totus instar carbonis igniti, diuinis amoris flamma corriperetur. Erga proximum vero ita affectus erat, vt cum quempiam lapsum audiret vel videret, tanta commiserationis teneritudine eum deplorabat, ac si ipse eam iniquitatem perpetrasset. Cumque tanto mœrore absorberetur super scandalis pusillorum, vt natura absq; sui læsione vix perferre posset, huiusmodi responsum reportauit à Domino, Cur tu pauper homuncio tantopore affligeris super inquitatibus ho[illegible]um? Tunc primarius, an ego eccl[illegible] meæ patronus & pastor sum? Ad hoc te hominem simplicem elegi & pastorem super gregem meũ institui, vt quæ in te fecero, non humanæ aut tuæ industriæ ascribas, sed meæ gratiæ esse scias: Ego quos vocaui & elegi, seruabo, pascam & saluabo: & aliis excedentibus alios surrogabo: & quantiscumque tentationum impulsibus concussus fuerit grex iste pusillus à me electus saluus tamen semper meo munere permanebit. Denique ad omnes creaturas & bestias, maxime ad eas, quę Christi mansuetudinem aut scripturæ significatione aut naturali similitudine præfigurabant, tam pio cordis mouebatur affectu, vt eas & fratris, & sororis appellaret nominibus, eo quod nobiscum idem haberent principium, eundem creatorem & patrem. Et vicissim ipsæ bestiæ naturali quasi pietate in

Digitized by Google

te in ipsum mouebantur, eique quasi naturali Domino, obsequebantur, tanquā homini tali qui ad primum innocentiæ statum, in quo omnes bestiæ subiectæ erant primi hominis dominio ex parte iā redijsset. Accidit enim quod cum quodā tempore viro Dei oblatus esset lepusculus, qui liber in terra positus, cum posset quo vellet effugere, vocante eum viro Dei Francisco, in sinū illius propero cursu saltauerit: quem ipse dulci alloquutione commonitum, ne se iterū capi permitteret, liberum abire permisit: cumque pluries in terra positus vt abscederet, semper autem in sinum patris resiliret atque rediret, tanquam sentiens humanitatem pii patris, tandem iussu eius delatus est à fratre quodam in syluam & sic aufugit. Alio quoque tempore iuxta S. Mariam de Portiuncula, quædam ouis fuit viro Dei oblata, quam propter innocentiæ & simplicitatis amorem, quas ouis natura prætēdit, grato animo vir Dei suscepit. Monebat pius pater ouiculam vt & laudibus diuinis intenderet, & ab omni fratrū offensa caueret: & dictu mirum, obtēperat ouis monenti, & audiens fratres in choro cantare, ingreditur & ipsa in ecclesiam, & genua flectit ante altare B. Mariæ, balatū emittens tanquam eam salutare gestiret: insuper & cum eleuaretur sacratissimum Christi corpus inter Missarum solennia, flexis curuabatur poplitibus tanquam adorans & reuerentiam exhibens Domino suo.

8. CÆTERVM orationis studio ita sedulo & serio & semper incubuit & intentus fuit, vt nihil supra, sciebat enim absq; illa neminem posse peruenire aut ad virtutis apicem, aut ad vllum in diuino seruitio profectum. Quapropter id studiosissime obseruabat vt nullam spiritus inspirationē præterire absque fructu fineret, sed simulatque eius afflatum sentiret, eius suauitate perfruebatur quamdiu Dominus concederet, & quando nomen Dei, aut nomen Iesu inter orandum aut psallendū occurreret, præ nimia eius suauitate atque dulcedine labia sua quasi lingere videbatur. Quo fiebat vt propemodum quicquid à Deo postularet, impetraret: quod confirmatur hoc exemplo: Accidit quodam tempore quod Abbas monasterii S. Iustini obuius fuerit factus famulo Christi: quo viso descendit Abbas ex equo vt viro Dei reuerentiam faceret: & habita collatione cum eo de iis quæ animæ salutem concernunt, abscedens Abbas orari pro se humiliter petiit. Cui Franciscus, Orabo libenter, inquit. Cum aūt aliquantulum recessisset Abbas, dixit vir Dei ad socium suum, Expecta frater modicum, quia debitum volo soluere quod promisi: orante autem illo, subito Abbas insolitum calorem & spiritus dulcedinem hactenus inexpertam sensit: paruula mora substitit & in se reuersus virtutem orationis S. Francisci agnouit. Eo deuotionis & sanctitatis peruenerat famulus Christi vt quoties orationi sese daret, dabat a. creberrime, orationem tanq̄ verum animæ cibum, ita auide deglutiebat vt homines famelici cibum corporeum solent: nec in eo vllo modo turbari à quoquā volebat, adeo vt proprio suo socio, cū quo de nocte horas legere consueuerat, iniungeret vt quando horas lecturus ad ipsum veniret, statim inciperet, *Domine labia mea aperies*: quod si non responderet, protinus abiret, nec vllum verbum vltra proloqueretur. Metuebat enim vir Dei ne in suis meditationibus ac precibus quibus erat intentus, mentis diuagationem & phantasmatum vanitates pateretur, quas alioquin rarius patiebatur: & cum huiusmodi infirmitatem pati cogeretur, tanquam qui grauiter in Deū peccasset, se acriter corripiebat, culpam agnoscebat, nec prius abstinebat sese humiliando, culpam confitendo, quam eam plene expiasset.

4. MOS ERAT angelico viro Francisco nunquam ociari à bono opere, scilicet instar supernorum spirituum in scala Iacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximos. Nam tempus sibi

conceſſ. m ad meritum ſic diuidebat, vt aliud impenderet ſaluti proximi promouendæ, aliud vero meditationi dedicaret & orationi. Illis vero virtutum exercitiis intendebat maxime, quæ ſacro dictante ſpiritu, Deo ſuo magis placere cognouerat. Et cum quodam tempore dubius hæreret, an potius orationi vacare deberet, an prædicando diſcurrere, conſuluit fratrem Syluestrum tunc temporis in monte iuxta Aſſiſium orationibus vacantem, & S. Claram: qui vno ore reſponderunt, beneplaciti ſcilicet eſſe diuini quod Chriſti præco etiam ad prædicandum exiret, & viciſſim orationibus intentus eſſet. Et quodam tempore rogatus à fratribus, vtrum ſibi placeret quod literati iam recepti ad ordinem intēdere poſſent ſtudio ſcripturæ ſacræ, reſpondit, Mihi quidem placet vt ſtudiis incumbant, dum tamen exemplo Chriſti, magis orationi quā lectioni intenti ſint: Nam & Chriſtum, magis oraſſe quā legiſſe comperimus: Et dum ſtudent non ſtudeant vt ſciant qualiter loqui debeant, ſed vt quæ ſciunt faciant & cum fecerint aliis facienda proponant.

5. Biennio antequam ſpiritum redderet Deo, aſcendit in excelſum Aluernæ montem ſeorſum, cumque ibidem ſupernæ contemplationis dulcedine abundantius ſolito, ac cœleſtium deſideriorum ardentiori flamma ſuccenſus eſſet, quodam mane circa feſtum exaltationis ſanctæ Crucis, vidit Seraph vnum ſex alas habentem non minus ignitas quam ſplēdidas de cœlo deſcendere: Porro inter alas hominis crucifixi apparebat effigies: duæ alæ ſuper caput illius eleuabātur duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Hac viſione vehementer obſtupuit, & ea diſparente mirabilem ſenſit in corde ardorem, viditque ſtatim manus & pedes & latus ſacroſanctis Chriſti ſtigmatib. ſignata, ita vt propter excreſcentes in pedib. clauos ambulare non poſſet. admirandum erat hoc fratribus ſpectaculum, virum ſanctum tanquam alterum Iob, acerbiſſimis paſſionū doloribus excruciari, quod ideo factum, vt ſicut Chriſtum imitatus fuerat in vitæ actione, conformis ei quoque eſſet & in paſſione. Cum itaque toto biennio ab impreſſione ſtigmatum, anno videlicet à ſua conuerſione vigeſimo, vir Dei multis pœnarum afflictionibus eſſet purgatus tanquam aurum in fornace & probatus, tandem obitus ſui non ignarus, ad S. Mariam de Portiuncula ſe portari popoſcit, vt vbi acceperat ſpiritum gratiæ ibi redderet ſpiritum vitæ, Et prælato iſto verſu. *Me expectant iuſti donec retribuas mihi*, migrauit ad Dominum.

IN FESTO
S. LVCÆ.

POst *hæc autem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, Et miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe venturus, &c.*

Luc. 10.

Summa eorum quæ hic explicantur.

I. *Scriptura ſacra à diſcipulis nobis ſubminiſtrata eſt arbor cuius fructus in cibum & folia in medicinam.*
II. *Cur rogandus Dominus meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam.*
III. *Cur Dominus ſuos tanquam agnos inter lupos miſerit iiſque inhibuerit ferre ſacculum aut peram.*
IV. *Quomodo pax alius optata ad nos redeat.*
V. *De vita S. Lucæ.*

Pars I.

1. QVemadmodum olim Moyſes ex duodecim tribubus duodecim Principes elegit: Et præter eos, ſeptuaginta alios ſeniores, de quibus Dominus Num. 11. ART. I. Scriptura ſacra eſt velut arbor. &c.

Numer. 11. vbi sic dicitur, *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, & auferam de spiritu tuo tradamque eis vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris* (quod autem dicitur, *Auferam de spiritu tuo & tradam eis*, hoc intelligitur sine gratiæ tuæ diminutione, sicut lumen candelæ sine sui diminutione aliis communicatur.) Ita Christus duodecim elegit Apostolos, & septuaginta discipulos, quos præmittebat in omnem ciuitatem & locum quo ipse erat venturus, vt instar Ioannis Baptistæ pararent viam Domino. Qui per diuersas figuras in veteri testamento nobis præfigurati fuerunt, duodecim Apostoli per duodecim fontes, & 70. discipuli per 70. palmas in Elim, vbi filij Israel in sexta mansione castra metati sunt, Exod.15. Doctrina namque Euangelica & cibus est, qui animam pascit, impinguat, confortat & oblectat; & potus, qui cordis desiderium & sitim sedat & explet, dum intelligitur & diligitur. Vnde & apud Ezechielem arbori comparatur cuius fructus est in cibum, & folia ad medicinam, quia non solum pascit & oblectat sanos, sed insuper infirmos sanat & curat: vt propterea Paulus dixerit ad Roman. *Non erubesco Euangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* Qui Euangelio & ab Apostolis prædicato & ab Euangelistis conscripto credit, & secundum illud vitam suam instituit, siue is sanus sit qui dilatato corde currit viam mandatorum Dei, siue infirmus qui adhuc morbo suæ concupiscentiæ laborat, virtutem consequetur qua aut confortetur aut sanetur: Nam & sensus mysticus qui in eo latet absconditus instar cibi erit & sapidus: Et verba ipsa, quæ ab Ezechiele foliis comparantur, eo quod lingua, quæ habet formam folij, formentur, erunt medicinalia: Qui enim vel sensum moralem in scriptura sacra manifeste expositum & contentum, amplectitur, ab animæ suæ vulneribus paulatim curabitur, modo spiritum hauriat, qui sub verbis tanquam fructus sub foliis absconditus lateat: is enim ex superbo humilem efficiet, ex incontinenti castum & continentem, non litera, quia litera occidit, sed spiritu, spiritus enim est qui viuificat.

Ezech. 47

Rom. 1.

2 IN EXORDIO orbis non fuit hominibus data sacra scriptura, sed per creaturas erudiebat hominem Deus, quarum exactam cognitionem cum haberet Adamus, eam suis quoque posteris tradidit, vt tunc per creaturas didicerint quid agendum, quidve credendum, quod modo per scripturas docentur. Sic enim *Chrysost.* ait *hom. 9. ad popu. & homil. 5.* Tacet cœlum sed ipsius aspectus vocem emittit tuba clariorem, per oculos non per aurem docens: hic enim sensus à natura est tibi certior & manifestior & malumus credere oculis nostris quam auribus, & vt quidam ait, Plus est oculatus testis vnus quam auriti decem. Et quomodo per oculos docet? Cum videris pulchritudinem stellarum, *inquit Chrysost.* & amplitudinem cœlorum, sapientiam Dei admirare & potentiam obstupesce: cum videris vtilitatem, quam homo inde percipit, bonitatem eius lauda & ama: cum videris situm & formam per tantum temporis permanere, inde eius immutabilitatem & æternitatem intellige & admirare, Sic enim *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur*, teste Paulo, & Sap.13. Ex magnitudine & pulchritudine creaturarum potest earum auctor cognosci. Hoc itaq; modo & cœli & vniuersæ res creatæ enarrant gloriam Dei, non vocem emittendo, sed pulchrum aspectum exhibendo, nobisq; acclamant, Diligite non nos, sed eum qui fecit nos & vos. Quid enim aliud est omnis creatura nobis ad vsum concessa, quam amoris diuini symbola? Rom. 1.

3 POSTQVAM vero cognitio Dei & creaturarum in homine multum fuit imminuta & propemodum extincta, peccando enim per idololatriam valde fuit ho-

mo elongatus à Deo, ad eum tanquam ad abſentem transmiſſa fuit diuina ſcriptura veluti quædam epiſtola per Moyſem & Prophetas in veteri teſtamento, atque per Apoſtolos & Euangeliſtas in nouo, conſcripta, vt diligenter legitur in eaque videatur, quid à nobis fieri velit Deus, quid non fieri. Nam vt Paul. ait ad
Rom.9. Rom. *Quæcumq; ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Nulla eſt enim in humana natura animæ paſſio, quæ medicinam hinc accipe-
Chryſ.ho. re nequeat, *inquit Chryſoſt.* verbi gratia.
92. in Gē. Ingreditur quis huc triſtitia plenus, & audit prophetam dicentem Pſalm. 41. *Quare triſtis es anima mea & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei & Deus meus? Ad meipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui de terra Iordanis*, quaſi dicat, dum proprios defectus & magnam meam infirmitatem in meipſo conſpicio, vehementer conturbor: Sed cum tuam bonitatem & miſericordiam penitus intueor, inde & ſpem & magnam conſolationem percipio. Sufficienti igitur conſolatione ſuſcepta, omnem illam mentis triſtitiam excutit. Alius item extrema premitur inopia, grauatim fert & mœret, videns alios affluere. Audit & hic eundem Prophetam dicentem, Pſalm. 54. *Iacta in Dominum curam tuam & ipſe te enutriet.* Id ſi fecerit, percipiet & iſte ex ſcriptura hac magnam conſolationem. Eſt alius qui detractiones & calumnias ſuſtinens dolet, & inſuauem putat vitam, nuſquam humanum inuenire valens auxilium: docetur & ab eodē Propheta in talib. anguſtiis non ad humanum præſidium confugiendum, ſed ad Deum tanquam ad tutiſſimum aſy-
Pſal.101. lum. Vnde dicit Pſalm. 108. *Ipſi detrahebant mihi, ego autem orabam.* Hoc dicit quia per preces omnia difficilia ei leuia fiebant.

4 QVACVMQVE igitur calamitate humanam naturam premente, conueniens ex ſcripturis antidotum accipere licet. Quod ſi moram fecerit Dominus vt etiam orans nullam conſolationem percipias, expecta eum: vt enim corporalis medicina non ſanat mox omnia vulnera, neque omnem mitigat dolorem ſtatim ſed paulatim, ſic & ſpiritalis conſolatio. Quapropter obſecro, *inquit Chryſoſt.* vt huc veniatis, & diuinæ ſcripturæ lectionem diligenter audiatis: Nec ſolum cum huc venitis, ſed & domi, *inquit*, diuina Biblia in manus ſumite, & vtilitatē in illis poſitam magno ſtudio ſuſcipite. Quod enim ad augendas corporis vires facit cibus corporeus, id animæ lectio ſcripturæ præſtat, animam reddit conſtātiorem, non permittens vt à cogitationibus abſurdis capiatur. Tantum igitur lucrum ne per negligentiam amittamus, ſed etiam domi diuinarum literarum lectioni vacetis, inquit idem, vt in nugis & inutilib. colloquiis tempus nō teramus. Et id ſemper hortabor, *ait*, & hortari non deſinam, vt non hic tantum attendatis, Chryſ.ho. 8. in Lucā.
quæ dicuntur, verumetiam cum domi fueritis, aſſidue diuinarum ſcripturarum lectioni vacetis. Ne quis mihi dixerit, Ego forenſibus cauſis affixus ſum, publica gero, negotia artificium exerceo, vxorem & liberos habeo, familiæ curam gero, non eſt meum legere ſcripturas, ſed eorum qui mundo dixerunt Vale. Quid ais homo? Non eſt tui negotij ſcripturas euoluere, quoniam innumeris curis diſtraheris: imo tuum magis eſt quam illorum: Neq; enim illi perinde ſcripturarum egent præſidio, atq; ij qui in mediis negotiorum vndis verſantur. Nam illi qui à tumultibus ſeculi ac forenſibus negotiis liberi ſunt, in trāquillitate & quiete cum omni ſecuritate philoſophantur & veluti in porta ſedētes cordis pace fruuntur. Nos contra velut in medio mari fluctuātes, perpetuo opus habemus ſcripturæ ſacræ præſidio. Illi ſedent procul à conflictu, eoque nec accipiunt multa vulnera. Tibi vero quia perpetuo ſtas in acie, quia frequenter accipis plagas, idcirco

circo magis opus est remediis, vt quem vxor prouocat, & filius contristat, famulus ad iram commouet, paupertas est molesta, domesticorum amissio luctum adfert, aduersitas affligit, & cruciat, prosperitas inflat, *Agnosce*, inquit Eccles. *quod in medio laqueorum perambulas*: Adeo multa sunt quæ nostram oppugnant animam, & innumera ex omni parte tela volitant: verbum obscœnum per aures ingressum turbat mentis puritatem: mulier pulchra per oculos inficit & concupiscentiam inflammat. Vnde necesse est indesinenter à scripturis armaturam sumere & remedium quo simul & iam acceptis vulneribus medeamur, & quæ nondum inflicta sunt, auertamus per assiduam scripturarum lectionem & meditationem. Quod si quotidie vulneremur, medelam vero nullam adipiscamur, quæ fuerit spes salutis? *hæc Chrysostomus*.

Eccl. 9.

5 At Inquies, scripturas dum lego non intelligo, & quid iuuat tunc lectio. Etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia, *inquit idem*, lege historias intellectu faciles: Et quæ nota sunt, memoria tene: Ea vero quæ obscura sunt, frequenter percurre, si viderit te Deus tantam animi promptitudinem adhibere, nõ despiciet tuam vigilantiam. Memento Eunuchi reginæ Æthiopum, qui cũ esset multis negotiis distentus, nec intelligeret quæ in curru sedens legebat, non tamen à lectione destitit, & misit illico ei Deus doctorem Philippum, qui quæ ignorabat, explicabat. Sed sunt qui nec ipsas inuitatorias literas, quib. ad nuptias inuitantur, legere vel audire dignantur. Quod certe ita periculosum est, vt propterea propheta lugubriter dicat, *Ideo abductus est populus meus captiuus, quia non habuit scientiam*: Et Dominus ad fatuas virgines, *Nescio vos*, quia scil. in hac vita non nouerant eum. *Qui autem ignorat, ignorabitur*. 1. Corinth. 10.

Chrysost. vt supra.

II. Cur rogãdus Dominus messis vt mittat operarios in messem suam.

1. MESSIS *quidem multa, operarij autẽ pauci: rogate Dominum messis vt mittat operarios*. Homines messis Dei, cuius messis primitiæ fuerunt Apostoli & discipuli: iidem postmodũ ex messe messores facti ad metendum missi. Et quia operario ingens est beneficium idoneos mittere operarios, messores, & prædicatores qui messem colligant, hinc mandat Dominus vt rogemus Dominum messis quatenus operarios mittat in messem suam, ipse enim est qui facit idoneos ministros noui testamenti, dum dat eis os seu eloquentiam & sapientiam cui non possint resistere omnes aduersarij. Hinc moris est inter Christi fideles vt dum sacerdotes ordinantur vt tanquam boni operarij in messem Domini mittantur, p[...]e pro iis oretur in Ecclesia & ieiunetur, quia operarij qui à Deo non mittuntur sed sese cupiditate gloriæ aut pecuniæ ingerunt, falcem mittunt in alienam messem, nec sunt idonei operarij qui messem colligant, aut homines conuertant, quia spiritus deest: Ideo peccatori dicit Dominus Psal. 49. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum per os tuum?* Mens enim peccatoris dum concupiscentiis exterioribus siue laudis humanæ siue cupiditate pecuniæ occupatur, intus diuino amore euacuatur: & quia isto igne diuini amoris non calet Ecclesiastes talis, auditores suos ad supernum desiderium inflammare nequit, verba etiam ex sancta lege prolata, *inquit Greg.* quę frigido corde proferuntur: neq; enim res quę in seipsa non ardet aliud accendit.

Greg. li. 8. mora. c. 6. & lib. 6. c. 25.

2 INTER multa quæ Episcopum seruare oportet, illud vnum est, *inquit Chrys.* animum illius desiderio honoris vndique vacare debere: Nam si ad eum Principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapiatur, eo adepto impotentiorem sane ambitionis suæ flammam succẽdet: ac vi tandem captus vt sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato seruiet.

Chrys. li. 3 de Sacerd.

Nam

Digitized by Google

Nam quemadmodum qui corporum amore capti ſunt, ij donec propinquos eos habent, quos amant, grauius quidem morbi ſui tormentum vimque ſuſtinent, cum autem quam longiſſime ſeſe ab illorum conſpectu abduxerint, tum furorem ipſum ab animo excutiunt, ſic & qui honoris iſtius, quem dico, cupiditate titillantur, dum propius adſunt malo ferendo impares ſunt, cum autem ſe illinc ſubmouerint honoremque deſpexerint ac deſperauerint, fit vt deſiderium vna cũ expectatione extinguat. Idem de iis qui verbum Dei annunciant dicendum exi-
2.Cor.6. ſtima: Sunt enim plurimi, *teſte Paulo*, qui adulterant verbum Dei, vt ſicut adulter in carnali copula non prolem ſed voluptatem quærit: Sic hypocrita per ſacrum eloquium non Deo filios gignere, ſed ſuam ſcientiam deſiderat oſtentare, *inquit Gregor.*

Greg. libr. 8. cap. 6. moral.

3 IN SCRIPTVRIS ſanctis duplicem meſſem reperimus, vnam præſentis vitæ, de qua in hoc Euangelio: alteram, quæ erit in die iudicij. In hoc Euangelio mittuntur operarij in meſſem vt falce prædicationis Euangelicæ ſeparent patrem à filio, & ſocrum à nuro, & electum à reprobo. Hoc iam fit ſecundum ſpiritum quia alterius ſpiritus eſt impius, alterius vero vir pius & Deum timens. Et id quidem Dominus ſatis ſignificat cum
Matth.10. ait, *Non veni mittere pacem ſed gladium, veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuã*, dum vnus in infidelitate relinquitur & alter ad fidem cõuertitur & in horreũ ſanctæ Eccleſiæ inuehitur. Nullus labor iucundior aut vtilior, quam qui pro colligenda meſſe ſuſcipitur. Hinc ait Dominus, *Rogate Dominum meſſis vt mittat operarios* non adorandi ſeminandiq; graues labores, ſed ad meſſem ab aliis præparatam. Sicut Dominus ad ſuos ait, *Ego miſi*
Ioan.4. *vos metere, quod non laboraſtis, alij laborauerunt & vos in labores eorũ introiſtis*: quia Apoſtoli ad Iudæos conuertendos fuerunt emiſſi, qui iam ex parte ad fidem erunt præparati.

4 IN DIE iudicij erit alia meſſis: de qua Dominus Matth. 13. *Meſſis conſummatio ſeculi eſt*, inquit: *Meſſores autem Angeli ſunt, qui colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem & mittent eos in caminum ignis.* In die iudicij enim demetentur reprobi à terra, & ſeparabuntur etiam corporali ſeparatione à congregatione electorum. Hæc eſt miſeranda hominum calamitas vt qui falce diuinæ prædicationis modo reſectus non fuerit è conſortio malorum, aliam experiatur falcem qua reſecabitur è conſortio iuſtorum, & eradicabitur de terra viuentium, *inquit Orig.* de quibus Iſai. ca. Orig. ho. 23. in nu.
17. *Ablata eſt meſſis in die hereditatis, & dolebit grauiter*, hoc eſt, quia fructum prædicationis non receperunt multi vt fierent meſſis Domini, in die qua ſperabunt recipere hæreditatem, auferentur & abripientur ab hoſte diabolo, & dolebunt vehementer, tum quia perdiderunt hæreditatem æternæ beatitudinis quæ filiis debetur, tum quia ad extremã miſeriam rapientur. Et dicit Dominus in illa die, *Væ mihi quia factus ſum ſicut qui congregat ſtipulam in meſſe.* Hæc eſt vox Domini cum metendum venerit in die iudicij, & ſolum inuenerit paleam igni inextinguibili comburendam. Tunc implebitur quod Iob ait, cap. 5. *Famelicus comedet meſſem illius, & ſitient alieni diuitias eius.* Famelicus ille diabolus eſt, qui vt leo quærit quem deuoret: Iſte famelicus meſſem Dei comedit, dum homines in peccatum inducit, & per peccatum in corpus ſuum traiicit & in damnationem pertrahit. Dicuntur & alieni dæmones, quia ad modum perdicis fouet quæ non peperit: Neque enim homo factura eſt dæmonis, ſed Dei, nihilominus eum fouet, ſicut oua aliena à perdicibus foueri ſolent, vt inde excludat pullos nequitiæ, hominemque ſibi ſimilem efficiat. Iob 5.

1 Ecce

Digitized by Google

III. Cur Dominus suos tanquã agnos inter lupos miserit. &c.

1. ECce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Hic & in sequentibus descri buntur variæ qualitates ad bonum Ecclesiasten requisitæ: Et in primis dicit eum instar agni mitem & mansuetum esse debere, qui neminem lædat, aut malum inferat, aut vllius vindictæ cupidus sit etiã si in medio luporum, hoc est, hominum barbarorum, ferocium & rapacium constitutus sit, vt non solum verbo doctrinæ sed & exemplo vitæ alios ad Euangelicã religionem pertrahat. Nam prædicare & virtutes commendare verbo, hoc cuiuis promptum & facile, at eas opere perficere & suo exemplo ad imitationem prouocare alios, hoc paucorum est: Cum tamen hoc magis sit necessarium alios ad virtutes suo exemplo incitare, quam solo verbo doctrinæ promouere, quia tum & nos eas posse assequi putamus, si alios ad eas deuenisse conspiciamus: sed quamdiu solo sermone commẽdantur, inaccessibiles putantur.

2. Hic cernere licet quod gratia Christi efficacior sit & potens magis quam ipsa natura, dum agnorum mansuetudine fiunt & ipsi lupi rapaces & feroces agni mansueti, quod omnem naturæ potentiã superat. Et hoc erat quod & Ieremiæ olim promiserat Deus dicens, *Ipsi conuertentur ad te & tu non conuerteris ad eos* hoc est, Ipsi efficientur tibi similes in vitæ probitate, non tu illis in morum prauitate. Sed priusquam agnus conuertat lupum, eiusque naturam immutare possit, debet ipsa mansuetudo agni multum esse firmata & quasi in naturam conuersa: alias si tenuiter duntaxat inhæserit, & is qui sic infirmus est inter lupos conuersetur, facilius conuertetur agnus in lupum, quam lupus agnum, vt experientia docet.

3. CÆTERVM cum Isaias dicit, *Habitabit lupus cum agno*, non hoc vult, quasi lupus permanens talis absq; periculo possit cohabitare agno, cum absque noxa & periculo nunquam sibi inuicem iungi possint contraria, sed quod lupus deposita sua ferocia & rapacitate, agnis iungetur similis illis mansuetudine factus. Hoc autem vt fiat, non est virtutis humanæ, sed diuinę operationis: nihilominus concurrit etiam hominis gratia diuinitus ei concessa, vt eloquentia, sapientia, miracula, pietas, mansuetudo & similia, quibus tanquam causis secundis primariæ causæ qui Deus est, cooperantibus tribuitur conuersionis effectus, si tamen vt primariæ causæ præcipue sit asscribendus. Nam hac de causa misit Dominus discipulis binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse venturus, vt nimirum discipulorum doctrina & miraculis & exemplo vitæ non minus quam verbo doctrinæ disponerentur & præpararentur corda hominum ad recipiendum Christũ, vt prædicarent & annunciarent non diem vltionis, sed annum placabilem Domino, qui venerat non iudicare mundum sed saluare, Sic enim Ioannes ait ca. 3. *Non misit Deus filiũ suũ in mundũ vt iudicet mũdũ, sed vt saluetur mundus per ipsum*: venit vt daret coronam pro cinere, palliũ laudis pro spiritu mœroris, qui venit vt mederetur contritis corde. Ioan. 3. Isa. 61.

3. Hic notandum quod Ecclesiastæ nõ solum mansuetudo sit necessaria, sed & iustitiæ zelus & rigor: mansuetudo enim si sola fuerit facile resoluitur in mollitiem & flaccessit homo vt disciplinam exercere nequeat etsi necessitas postulet: Sicut è diuerso si solus iustitiæ rigor adsit, durus fit homo & austerus nimis. Hic vtrumque vtrique coniunctum & permixtum sit necesse est, & iustitiæ zelus misericordiæ, & misericordia, iustitiæ zelo. Id vt sibi fieret orabat Dauid dicens, *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*: hoc est, operare hoc in me Domine vt & bonus sim & iustitiæ obseruans qui idoneus sit vt disciplinam adhibeam, & insuper scientiam seu discretionem adiice, vt sciam quando bonitatem, quando vero iustitiæ rigorem adhibere debeam. Sic Elizeus licet agnus esset mansuetissimus, intrepide tamen Regi Ioram respondit 4. Reg. 3 *Quid mihi & tibi est? vade ad prophetas matris tuæ & pa-* Psal. 118.

triſtui. Viuit Dominus exercituum in cuius conſpectu ſto, quod ſi vultum Regis Ioſaphat non erubeſcerem, non attendiſſem quidem te nec reſpexiſſem. Et Paulus *Act.* 23. cū princeps ſacerdotum Ananias præcepiſſet aſtantibus ſibi, percutere os eius, dixit ad eum, *Percutiet te Deus paries dealbate: Et tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti?* Et Act. 4. Petrus & Ioannes intrepide reſpondentes dixerunt Principibus populi & ſenioribus, *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate*: Sic plerique martyrum, imo teneræ virgines duodecim aut tredecim annorum animo conſtanti etiam potentiſſimis & ferociſſimis Tyrannis reſtiterunt & reſponderunt, vt quantumuis crudeliſſimis ſubiicerentur tormentis, nec fidem abnegarent, nec animi manſuetudinem amitterent, nec mortem metuerent, ita vt plurimi infidelium videntes tantam martyrum conſtantiam, legantur ad fidem conuerſi. Et hoc eſt quod Dominus ſuis promittebat, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras, quaſi dicat, cum patientia via ſit ad pacem hac intus fruemini, licet foris aduerſitates ferre cogamini.

5. CVM vlterius ſubiungit Dominus. *Nolite portare ſacculum neq; peram & neminem per viam ſalutaueritis*) Non impoſſibilia ſed perfecta præſcribit Dominus: Hoc enim ſummæ eſt perfectionis plus de diuina prouidentia confidere etiamſi penitus nihil poſſideas, quā de theſauro in ciſta recluſo. Hoc qui temerario auſu faceret, Deum tentaret: qui vero fide fortis iuſta de cauſa à Deo tale quid expectat, Deum glorificat. Vnde S. Franciſcus viua fide & bona fiducia innitens diuinæ prouidentiæ, cum ſuos monachos emitteret ad prædicandum Chriſti Euangeliū, neq; ſaccum eis dabat vt ferrent ſecum viaticum, neq; peram cui ſuam includerent pecuniam, ſed iſtud Pſalmiſtæ eis præcinebat, *Iacta ſuper Dominum curam tuam & ipſe te enutriet.* Neq; enim ei difficile eſt huius vel illius flectere voluntatem vt tuę neceſſitati ſubueniant. Quod ſi id non faciat, hoc interdum euenit, aut quia hominem in fide vacillare videt, qui non ſatis de diuina prouidentia confidit, quod inde prouenit quia vita & moribus legi Dei non ſatis conformis ſit. Huius rei exemplum refertur de duobus Minoritis, qui cum foras eſſent profecti vt annunciarēt Euangelium Chriſti, & peracto ſuo munere, cum nullus eſſet qui eos hoſpitio exciperet, in itinere reſederunt cogitabundi & famelici: paulo poſt ſuperuenit vir quidam eis panem offerens, ſimul & quandam correptionem adhibens quod non ſatis de diuina prouidentia confiſi fuiſſent, ideoque eis ſecundum fidem ſuam fieret: Et hoc dicto mox euanuit. Sic Hiero. *in lib. de bono ſta. reli.* Habet Deus & alias rationes cur interdum etiam iis qui fortes ſunt ad tempus neceſſaria vitæ ſubtrahi ſinat, ſicut de ſe Paulus loquitur 2 Corinth. 11. *In fame & ſiti, in frigore & nuditate*: quod permittit, aut vt eos probet quam ſint patientes, aut vt pœnitentiam quam ore docent, opere compleant.

6. CVM autem dicitur, *Neminem per viam ſalutaueritis*) Non humanitatis prohibet officium Dominus, ſed ſedulitatem iniuncti operis commendat & requirit, innuens omnem vanam confabulationē, quæ ſalutationē conſequi ſolet, & omnes diſtractiones eſſe vitandas. Et quanquam humanitatis ſit obſequium libenter ſalutare inuicem, attamen Euangelium annunciare eſt magis neceſſarium & magis Deo gratum, magiſque meritorium: proinde hic Dominus non aliud facit quam quod virtutem virtuti pręferat.

IV.

1. EVANGELIVM Chriſti dicitur Euangelium pacis quia pacem & ſalutem do- annunciant: Et is dicitur filius pacis qui iis optata Euangelio credit vt iuſtificatus pacem habeat cum Deo, cum ſeipſo & proximo. Et quia prædicatoris animus retardari & negligentior fieri ſolet in ſuo officio, cum viderit populum non proficere nec vllum fructum

Quomodo pax ad nos redeat.

fructum facere, ideo ait Dominus, *Si fuerit ibi filius pacis requiescet super illum pax vestra, sin autem ad vos reuertetur.* Hinc *Chrysost.* Vtinam oratio nostra profectus aliquid adferret. Quod si post admonitionem nostram in iisdem vitiis perseuerarint nec sic quidem desistemus id quod nostri est officii facere, & vos adhortari. Nam & Ieremias cum Iudæis mala imminentia prænuncians ab auditoribus subsanaretur, cogitabat ab illa prophetia desistere humano quodam affectu victus, dixit, *Factus sum ridiculus tota die versus est mihi sermo Domini opprobrium atque derisum*, dum tarditatem prophetiæ putant esse mendacium: *Et dixi, Non loquar, neque nominabo nomen Domini: & factus est in me velut ignis ardens, nec possum ferre.* Volebat à prædicatione desistere, *inquit Chrysostom.* propterea quod non auscultabant Iudæi Et simulatque hoc cogitabat, irruit in animum eius vis spiritus velut ignis, omniaque intima illius succendit adeo vt incendium illud ferre non posset: & ideo sic discruciatus est, eo quod statuerat silere. Quapropter animo meo persuasi inquit, quo ad spirauero hoc implere ministeriũ siue quis attendat siue non attendat, vt faciat ea quæ præcipiuntur. Nam si decem tantum persuasi fuerint, aut si quinque tantum, imo si tantum vnus, Nonne hoc nobis sufficit ad consolationem? Quinimo si nullus sit qui fructũ faciat aut à vitiis desistat, nec siquidem tacebimus: Hoc saltem lucrum nobis accedet, quod qui sobrietatem amplectuntur, magis eos in ea confirmabimus. Accedit huic & aliud, quod si hodie non fuerint persuasi, cras fortassis erunt, aut perendie & interim minus impudenter peccabunt. Imo si semen per te iactum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen laboris tui mercedem feres à Deo, nec minus accipies præmii non auditus, quam accepturus eras, si ille obtemperasset: Quod erat in te præstitisti, cæterum ad id vt persuadeamus auditoribus, obstricti non sumus, sed tantum vt moneamus, vt instruamus: Nos futurorum sumus ignari, quid facturi sint ii qui audiunt. *hactenus Chrys.*

Chrys. ho. 1. de Lazaro. 1.

Iere. 20.

ho. 1. de Laz. 10 1. 1.

2. HVIC conforme est quod *Aug.* dicit *ser.* 106 *de temp.* Non oportet inquit vt sacerdotes taceant in Ecclesia, sed audiant Dominum dicentem Isa. 40. *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Clamare iubemur ne quis se non audisse dicat. Et scitis quod tuba nõ tam oblectationis esse solet, q̃ terroris. Tuba itaque peccatoribus necessaria est, quæ non solum aures penetret, sed & cor formidine concutiat, nec delectet cantu sed castiget in auditu: Et strenuos quosque hortetur in bonis, & remissos terreat pro delictis: Nam sicut in prælio tuba formidolosi militis mentem deiicit & animum fortis accendit Ita & sacerdotis tuba mentem peccatoris humiliat, animum viri sancti corroborat. Terret dũ austerum iuditium prædicat & tristem gehennæ interitum annunciat.

Aug. ser. 106. de tempore.

V. De vita S. Lucæ.

1. BEATVS Lucas Antiochia ciuitate oriundus, vt primos adolescentiæ attigit annos, ad florentissima, quæ tum in Græcia tum in Ægypto erant, gymnasia sese contulit, vbi Græcas litteras, omnemque eruditionem præclare imbuit, & ad summum apicem Philosophicæ scientiæ ingenii fœlicitate peruenit: Inde ad medicinæ facultatem sese conferens, eam tam perfecte est assequutus, vt ab hac Lucas medicus fuerit dictus.

Eodem illo tempore cum Christi fama & Euangelii prædicatione & miraculorum perpetratione illustris fieret, sese ad eum contulit & in eius disciplinam se tradidit, eiusque discipulus effectus, fidissimus resurrectionis eius testis proficiscens in Emaus vna cum Cleopha est factus. Post Saluatoris in cœlum ascensionem duodecim Apostolis sociatus Gentium præceptor designatur, & Pauli socius indiuiduus effectus à Ierosolymis ad Illyricum vsque vbique Euangelii semina sparsit, & cum Paulo Romam vsque peruenit Hinc & Euangelium

ed by Google

lium & act. Apoſtolorũ elegantiſſime cõtexuit, vt à Paulo hoc teſtimonium meruerit, cuius laus eſt in Euangelio. Cæterum Paulo Romæ relicto, rurſus gentibus aliis atque aliis ſalutem annunciaturus ad Orientem cõceſſit, totamque Lybiam percurrens in Ægyptum peruenit. Cumque ſuperiorem Thebaidam face Euangelicæ lucis illuſtraſſet, ad inferiorem accedens ſtatuis & impuris dæmonum delubris ſolotenus deiectis, ſacra templo Deo viuo & vero erexit, gentemque miſeram profundis ignorantiæ tenebris immerſam in lucem Euangelicam adduxit. His ita peractis & Chriſti regno in terris ſtabilito, vir ſanctiſſimus, totius vitæ curſu expers vxoris, ętatis ſuę octuageſimoquarto è corpore ad cœlos migrauit. An martyrio occubuerit dubium eſt, Nazianzenus in *orat. cor. Iul.* eum inter martyres recenſere videtur, Et Nicephorus *lib.* 2. *c.* 43. genus etiam martyrii expreſſe deſcribit. Hieron. *de viris illuſtribus* nullã facit mẽtionem martyrii. Sepultus eſt Conſtantinopoli, poſtea eius oſſa inde translata ſunt.

PARS II.

Salutat vos medicus Lucas chariſſimus.

ad Coloſſ. 4.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *An vt anima infirma curetur maiori opus ſit cura & induſtria, quam vt corpus ægrum ſanetur?*

II. *De modo proficiendi in virtutibus.*

ART. I. An maior cura ad ſalutem animæ quam corporis neceſſaria.

1. HANC quæſtionẽ ſi dilucide ac perſpicue explicare voluerimus, primo quæ animæ infirmitas eiuſque ſanitas ſit, ſcire operæ pretium fuerit: Deinde vt aut illã curemus, aut hanc recuperemus, nec facile factu id eſſe, nec impoſſibile vtraque perſuaſio homini noxia. Qui enim impoſſibile dixerit, inueteratos exuere affectus, inolitos corrigere malos mores, deprauatam ac longo vſu roboratã relinquere conſuetudinem, eo quod ſcriptum ſit, *Magna eſt velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* (Thre. 4.) ſicut mare exhauriri non poteſt, ita inquit *Bernard. de domo inter. ca.* 44. cor hominis euacuari nequit: & quia ſcriptum eſt, *Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum:* (Iere. 13.) Is mentis ac conſilii inops animum deſpondens nihil attentabit vnquam. Si etiam id factu facile exiſtimes, animam ægram ſuo releuare morbo, eo quod ſcriptum ſit, *Cum receſſerit impius ab impietate ſua, feceritque iudicium & iuſtitiam, viuet in eis:* (Ezech. 33.) Et alibi, *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis,* ſedulo ac ſerio huic operi tam arduo nunquã te accinges, quod (Iſa. 1.) leui negotio te expedire poſſe putas. Sunt qui in hanc, ſunt q in alterã declinant partem: qui puſillo eſt animo, virtutis apicẽ, quæ animæ ſanitas eſt, conſcendere poſſe, nedum difficile ſed impoſſibile putat: adeo in eodem ſemper hæret luto: Qui vero ſe ſupra ſe tollit, cuius arrogantia maior quã ſit fortitudo eius, is ſi vel frigidis aliquot precatiunculis animæ ſalutem expoſcat, ſe eam mox precari cœperit, adepturum exiſtimat. Fallitur vterq;, tu medio tutiſſimus ibis.

2. HIC inueſtigandum primo quænam ſit animæ infirmitas, quæue eius ſanitas, vt enim corpori contingit ſanum eſſe & ægrotum, idipſum & animæ accidit: Morbos itaque animæ ipſas cupiditates vocamus, quibus quis impenſius afficitur rebus creatis, earumque oblectamentis immoderatius quam par ſit, inhæret: quo fit vt charitas Dei, quæ eſt animæ ſanitas & vita, minuatur, iuxta illud *Auguſtini.* Minus te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat: aut etiam ſi illæ vehementes fuerint ac multum intenſæ, hæc penitus pereat & interimatur. Propter quod nos *Petrus* monet abſtinere

à car-

Digitized by Google

Petr.1. Epist.2. à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam: quam dum impugnant, sauciant facile, & nisi homo restiterit, interimunt. Nam quanquam omnis creatura Dei bona sit, minoris tamẽ dignitatis est ipsum corpus & quicquid corporeis oculis cernitur, quam sit spiritus aut Deus ipse: quo fit vt dum anima corporeis creaturis afficitur, earumq; voluptate fruitur, ipsa mala fiat in re bona, perdit enim eam voluptatem, vitam, & sanitatem quam ex Deo perciperet, si ei flagranti caritate adhæreret, nõ secus quam vinum aquæ permixtum deficit & malum fit. Et nisi anima quadam laboraret insensibilitate, dum sua fruitur cupiditate, qua à meliori bono, Deo nimirũ ipso, minus amato diuellitur, & ad inferiora bona sic impense adamata rapitur, non minus doleret, quam corpus cruciatur cum membra eius abinuicem deuellũtur, *teste Bernar.* Iam vero illecta per ipsam voluptatem, quam ex ipsius creaturæ fruitione percipit, qua tanquam quadam ebrietate sopita iacet, dolorem suum non sentit, nisi postquam ipsa oblectatio deferbuerit, ipsaque anima ex hoc dulci somno expergefacta, ac sobria effecta sibi restituta sit, dum demum conscientia sic læsa & tanquam grauissimo quodam vulnere saucia in ipsum hominem insurgit, cum eoque expostulat, quod tam indigne ab eo excepta sit, ac semetipsam veluti vlciscens de homine peccante, cor eius lancinat & miserabiliter affligit: *Cõtristatus*, inquit ille, *ingrediebatur tota die.*

Iere.11. Thren. 2. 5. RECTE quidam prophetarũ ait, *Cor hominis prauum & inscrutabile, quis cognoscet illud*: & rursum, *Cui comparabo te filia Ierusalem? Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Sicut mare exhauriri non potest, *inquit Bernar.* ita cor hominis euacuari nequit: in illud intrant &

cap.44. de dom. interio. inde exeunt continua volubilitate aut vanæ aut venenatæ cogitationes, illic reptilia quorum non est numerus. Sunt enim in corde humano veluti sinus quidam latebrosi, inquit idem, qui dum variis ac diuersis opplentur cupiditatibus, fit ipse homo velut quædam abyssus vnde variæ cogitationes, varii affectus, & desideria propemodum innumerabilia fluunt & refluunt: aut enim cogitatio vana cor præoccupat, aut turpis inquinat, aut amara excruciat, dũ quicquid egerit homo in corpore, hoc postmodum importuna cogitatione versat in mente, & multotiens grauius torquetur in recordatione, quã prius in operis perpetratione: Sæpe namque aliqua iniuria commotus ac læsus homo, densis cogitationum tumultibus in corde obruitur, hinc inde sollicitus occasionem vindictæ de iniuria accepta rimatur, intra semetipsum contumelias quas recepit regerit, rixas in corde componit, cumq; qui foris iurgetur, nullus adsit, intus in corde nil nisi iurgia peragit, cumq; nullum inimicum videat, vacuus litigator in vmbrã dimicat, & huiusmodi noxias cogitationes in corde versare per dies & noctes nõ cessat, etiam dum vacat. Vnde *Bernardus* merito exclamat cum Apostolo Paulo, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Eripe me Domine ab homine malo*, hoc est, *inquit*, à meipso qui malus sum: Nam quocumque me verto sequitur me malus homo, quo me cumque fero vitia mea circumfero. Domine Deus meus vnde possum esse bonus qui & in bono fio malus? Neque enim inuidia solum torquet, aut ira dilaniat, aut voluptas demulcet, sed & dum naturæ necessitati debita reddo, voluptati deseruio, & sub velamine necessitatis, cado in laqueum voluptatis: crebro namque comedo & bibo non ad necessitatem sed ad voluptatem, & quod necessitati satis est, voluptati parũ est: Et sæpe incertũ est an naturæ indigentia necessarium corporis subsidiũ petat, an fallax cupiditas ministerium exigat: & in eo quod sic incertũ est, hilarescit infœlix anima, in eoq; præparat excusationis patrocinium, gaudens nõ apparere quid satis sit moderationi valetudinis, vt obtentu necessitatis obumbret negotium voluptatis. Qui & in corpore regendo dum occupor

Bernar. ca.31. de do. in.

vestimenta quæro non solum quæ tegunt sed & quæ extollunt, non solum quæ contra frigus muniunt, sed & quæ per mollitiem tactum mulceant, nec solum quæ tactum mulceāt, sed quæ per colorem quoque seducunt. Rursum dum vt fit me colloquiis hominum immisceo, dicenda tacenda loquor, & ea quæ audiui vel vidi nunquā eo modo quo dicta vel facta sunt refero, sed alia pro aliis substituo, sæpe multa intersero & fere quoties loquor toties fallor, fallo aut mētior, vt lingua mea omni fallacia plena nocuerit mihi plus quam omnia membra mea, dum non solū de operibus etiam quorum mihi conscius non sum, me turpiter iacto & credi de me sublimia volo, sed etiam facilius aliorum vitia quam mea reprehendo, & quod in aliis reprehendo facere non erubesco. Ita Deus meus repleta est malis anima mea & vita mea inferno appropinquauit. Et cum vere ita res sit, sic me gero quasi ita non sit, quod est miseria super miseriā: sic comedo, rideo, ludo, securus dormio quasi nihil sit quod mihi desit, cum in peccatis cōceptus & natus, in iisque per omne tempus vitæ meæ vsque ad hanc horam sim enutritus, & nullum peccatum inuenio per quod me aliquo modo coinquinatum non video. Idcirco terret me tota vita mea Deus meus, quoniam diligenter discussa apparet mihi aut sterilitas aut iniquitas, & si quid recti in ea peractum videtur, sic est imperfectū & ex parte corruptū, vt merito non possit non displicere. Hæc fere Bernar. Cui conforme est illud quod dicitur Iob ca. 9. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me, & si voluero contendere cum eo, non potero ei respondere vnum pro mille.*

4. Tritum & notum est istud Prouerbium, *Nosce teipsum*, quis qualisue sis, quibus imbutus moribus, quibus subiectus infirmitatibus, quibus obnoxius vitijs, quibus præditus virtutibus, quibus præuentus donis. Sæpe id nobis euenit vt impense alicui rei afficiamur, & id non prius animaduertamus, quam cum re ista carere cogimur, quod enim cū amore possidetur, non sine dolore amittitur, & eo quisque miserior, quo rei perituræ amor fuerit maior: Quo enim cor tuum per studiosas meditationes terrenam consolationem, quæ diuinæ contraria est, quæsierit impensius, & obtinuerit copiosius, eo à diuina elongatur magis: delicata est enim consolatio spiritus, *inquit Bernardus* quæ non conceditur alienam admittentibus: Hinc Dominus minatur diuitibus Lucæ 6. *Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram*: Et Gen. 6 *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.* Dum aduersa corporis valetud ne laboras, dum vires naturæ grauiori aliquo morbo deficere sentis, angustiaris, medicorum opem eff gitas, nullis sumptibus aut laboribus parcis quo sanitatem recuperes: Animo æger es dum fide & caritate pusillus es, dum constantia labascis, dum omni virtute ac spiritus vigore destitueris, dū corde aridus, deserti instar, nullos suauitatis spiritus fructus proferre vales, & hos animi morbos tam periculosos toto animo sanari non exposcis? quinimo quod lōge deterius est, proprium languorem, propriam cūpiditatem atque infirmitatem plærique amant, seseque ea oblectant, & id fœlicitatis loco ducunt si eam pro libito explere valeant, & dum vim morbi, stupidi instar, non sentiunt, se recte valere & non male habere existimāt. Quid agitis Filii hominum? *Vsquequo diligitis vanitatem & quæritis mendaciū?* Quid tibi vis in via Ægypti vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum vt bibas aquam fluminis instar fluminis transit mundus & concupiscentia eius.

II De modo proficientibus in virtutibus.

1. Porro quia nemo repente fit summus, sed quibusdam incrementis paulatim proficere & quasi per gradus quosdam ad virtutis apicem conscendere oportet, hinc profectum vitæ christianæ non absurde scalæ Iacob quis comparauerit in qua ascendentes vidit Dei angelos

Digitized by Google

los & descendentes, quia in vita christiana qui non proficit deficit. stabatque scala super terram, sed cacumen eius tangebat cœlos, *uti dicitur Gen.* 28. Nam quemadmodum in scala Iacob primus gradus ascensus est à terra secessus: Ita in vita atque religione christiana principium profectus est secessisse à terrenis rebus, secessisse, inquam, non corporis gressu, sed mentis affectu: iuxta illud Psalmistæ. *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* quis quæso id non vult? audi quid subiungat, *Declinet à malo & faciat bonum.* Duo sunt mandatorum genera, in quibus tota clauditur iustitia, prohibendi vnum, Iubendi alterum: vt enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona: Non sufficit homini christiano si partem iustitiæ vnam impleat, cui vtrumque præcipitur: parum enim profuerit si nemini nocueris, nisi & profueris cum potueris: principium tamen bonorum, *inquit Basilius*, secessisse à malis. Nō quæ perfectiora sunt aut ardua nimis, statim ab initio tibi proponit De⁹, sed quæ faciliora sunt tuæque infirmitati congrua præscribit, *Non furaberis*, inquit, *Non mœchaberis. Non occides* & reliqua quę tanquam vitæ christianæ rudimenta continet decalogus. Permultos inuenire est, qui proficere admodum cupiant in virtutibus, nec proficiunt tamen: quia profectus sui ordinem nullum habent, qui tamen vt quis proficiat, obseruatu prorsus necessarius est. sicut & in cæteris rebus: vt non à summis inchoemus, sicut est inuenire quosdam qui omissis incipientium exercitiis in ipso mox exordio ad contemplationem & deuotionem totos se conferunt: haud absurde istos fructibus pręcocibus comparaueris qui facile decidunt. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt: hoc & in ipsa natura videre licet; Arbores enim primo folia, deinde flores, postea fructus proferunt, eosque non statim maturos sed crudos initio & paulatim maturandos:

Psal. 33.

2. PRIMVS itaque gradus in profectu vitæ christianæ est innocentia, qua & linguam compescas ne cuiquam detrahas aut maledicas: & manum abstineas ne alteri, facias quod tibi fieri nolis & inprimis & ante omnia, internam cordis nequitiā, iram, inuidiam, superbiam & similes prauos affectus, qui vel maxima, vel sola sunt nocendi semina, ab animo euellas, & cum psalmista dicas, *Obseruabo me ab iniquitate mea.* Habet & hic gradus licet infimus & in ascensu primus suam difficultatem: Nam inter cæteras humanæ infirmitatis miserias hęc non minima est, quod homo instar lembi: aduersus fluminis ictum protracti, non modo ægre conscendat, sed mox relabatur nisi diuina manu contineatur & collapsus restauretur: Ex cupiditate enim nobis innata & longa consuetudine roborata, tanquam quadam scaturigine vberrima, assidua volubilitate, si Bernardo credimus, mala multa quorum non est numerus, scaturiunt. Memini, *inquit Bernar.* in initio conuersionis meæ, quod cū mihi impossibile videretur sic innocenter viuere totus remissus & animo deiectus id omne quod bene inchoaueram omiserim, multoties surgendo & cadendo fatigabar multum, & nisi exemplo spiritualiū virorum, qui simili infirmitate circumdati, omnem tamen difficultatem laboribus & gemitibus superarunt, animum resumpsissem, & me simili modo posse quod illi potuerunt, sperassem, ad animæ integritatem & solidam virtutem nunquam peruenire potuissem: multoties enim quod mores corrigerem promittebam, & promissis non stabam, sed iterum iterumque ad antiquū redibā. Et August. *in libris confess.* Heu mihi, vsquequo Domine irasceris in finē? quādiu cras & cras, quare non modo, quare nō hac hora finis turpitudinis meæ? Sic ægrotabā & excruciabar accusans memetipsū solito acerbius, voluēs ac versans me in vinculo quo tenebar, & instabit seuera misericordia tua flagella ingeminans pudoris & timoris, ne cessarē donec abrumperetur totum, ne exiguum illud quod remanserat iterum reualesceret & fortius me alligaret: Iam pene facie-

Bernar. c. 34. de do. interior.

August. 8. con. ca. 12.

Digitized by Google

-ciebam & non faciebam tamen, attamen nec relabebar in priſtina, ſed de proximo ſtabam & reſpirabam, & plus in me valebat deterius illud malum inolitum, quam melius inſolitum, punctumque illud temporis quo aliud futurus erã quanto magis appropinquabat, tãto ampliorem horrorem incutiebat, ſed non recutiebat retro, nec auertebat ſed ſuſpendebat: Retinebãt me nugæ nugarum & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & ſubmurmurabant. Dimittiſne nos, & à momẽto iſto non erimus tecum vltra in æternum? & quas ſordes ſuggerebant, auertat ab anima ſerui tui Deus meus miſericordia tua. Audiebam eas non tamen tam libere cõtradicentes, ſed veluti à dorſo muſſitãtes, & diſcedentem quaſi furtim vellicantes vt reſpicerem: dicebatque mihi conſuetudo violenta, Putaſne ſine iſtis poteris? retardabant me cunctantem, & prope me excutiebant ab eo quo vocabar, & erubeſcebam nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam & cunctabundus pendebam. Vbi vero alta conſideratio cõgeſſit totam miſeriam meam in conſpectũ cordis mei, oborta eſt procella ingens ferens ingentem imbrem lachrymarum: & ſeceſſi, ac ſub quadã arbore ſtraui me neſcio quo modo, & dimiſi habenas lachrymis & proruperunt flumina oculorũ meorum *hæc Auguſt.*

3. ORDINE itaque & gradatim quia procedere debet qui ad Deum conſcendere nititur, primo gradu poſito quo quis peccata deſerit ac eorum motibus reſiſtit, ſecundus eſto, qui ſit veluti alterum infirmitatis animæ noſtræ ſanandæ cataplaſma, nempe, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Cum enim Eccleſiaſticus dicat, *Fili peccaſti non adiicias iterum*, non ibi ſubſiſtit, nec hoc ſufficere putauit, ſed ſubiunxit, *Et de priſtinis deprecare vt tibi remittantur*, quaſi dicat, non ante veniam precari ceſſes quam eam deprecatus ſis atque exoraueris. Is autem facilius exorat veniam qui eo deſiderio, iis ſuſpiriis & lachrymis orat, quibus res tanta exorari debet, vt iuxta delicti qualitatem ſit & pœnitentiæ modus: Si graue ſit peccatum, *inquit Baſil.* lachrymis amaris eſt tibi opus, grandi plagæ alta & prolixa opus eſt medicina, grande ſcelus grãdem habet neceſſariam ſatisfactionem, quæ aut excedat aut certe crimina æquet, *inquit Ambro. ad virg. lap.* Nunquid mulier, inquit Bernar. quæ relicto & cõtẽpto marito iuit poſt amatores multos cum quibus quo ad libuit fornicata eſt, ſi forte iã illos relinquere velit & ad priorẽ redire maritum, tam impudens fuerit, vt non prius profuſis lachrymis veniam & pacem obtinere contendat, quam ad amplexus & oſcula peruenire præſumat? Mirum profecto ſi pro benigno marito ſeuerum non offendat vindicem dignior plagis quam oſculis.

cap. 21.

4. INITIA vitæ Chriſtianæ dura ſunt, & via quæ ducit ad vitam, eſt anguſta eſt que perrarũ & difficile cõdignam peccatis pœnitentiam ſubire, vt dicat *Ambroſius.* Facilius inueni qui innocentiam ſeruauerint, quam qui lapſi condignã pœnitentiã peregerint. & *Bernar.* Etiamſi te excories, rigori diuinæ iuſtitiæ nunquam ſatisfeceris, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*: & ſurſum, *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Non dicit, Ego non ſuſtinebo, ſed, *quis*, quaſi dicat, nullus quantumuis iuſtus, verumenimuero quoniam miſericors eſt Dominus *qui non vult mortẽ peccatoris ſed magis vt cõuertatur & viuat*, ad eius miſericordiam tanquam vnicum ſalutis noſtræ aſylum confugere oportet, vt quod noſtris meritis non valemus, humilibus ſaltem precibus & piis lachrymis impetremus: *humilia enim reſpicit Deus in cœlo & in terra*, modo tamen & ipſa humilitas vera ſit atque ſyncera, non ſimulata quæ foris fracta voce, vili habitu, abiecto vultu occulte gloriolam venari didicit: Non iſtud cor humile reſpicit Deus, ſed qui profundam illam miſeriarũ ſuarum intuetur abyſſum, ac

Ambr. lib. 2. c. 10. de pœniten.

Digitized by Google

ac multitudinem pariter & magnitudinem suarum iniquitatum inspiciens corde conteritur, ac spiritu coram Deo humiliatur, quique perpendit quam sit pusillus fide, & caritate, pusillus pietate ac deuotione, pusillus fortitudine & omni virtutum genere: vnde ex corde ingemiscens clamat cum Apostolo Paulo, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ea est humilitas illa quam misericors respicit Deus quæ apud clementiã patris impetrat, quod suis obsequiis humana infirmitas promereri non valet. Quæ nisi omnia quæcumque facimus opera bona & præcedat & comitetur, & sequatur, proposita quã intueamur, apposita cui adhæreamus, imposita qua reprimamur, nobis quicquid boni egerimus è manu extorquet occulta superbia, *inquit August.* Sed inter vitia quibus Christiani nominis professores à suo instituto degenerant, illud potissimum damnandum censeo, quod saluti erudimenta necessaria, ad quæ studiose perquirenda, sibique diligenter applicanda, assidue inuigilare deberent, alienas tanquam res & superuacuas negligunt, & potius quicquid Christum non sapit, appetunt, quã quod & nomini consentaneum sit, & firmissimam opem ad salutem conferat. Capitale procul dubio vitium, & mentis caligo mortifera, si qui spretis veræ salutis subsidiis delirantes eam viuant vitam, cuius transactæ errorem frustra postea cognitum deplorent.

5. CÆTERVM quamuis cor contritum & humiliatum Deus non despiciat, sed sit ei instar sacrificii gratum & acceptum, nondum tamen qui hucusque peruenit ad summum conscendit: Pœnitentiæ enim opera siue interna ea fuerint in spiritu contrito & corde humiliato: siue externa in ieiunio, cinere & cilicio, non ipsa sunt vita, virtus aut sanitas animæ: sed assumuntur velut instrumenta ac media perueniendi ad ipsam animæ sanitatem & salutem. Quid enim profuerit per diem hominem affligere animam suam, corpus ieiuniis emacerare, contorquere quasi circulum caput suum, saccum & cinerem sternere, *inquit Isaias*, & id genus alia amara pharmaca sumere, si per medicinæ acrimoniam sanitatem & salutem non consequatur anima infirma? *Si tradidero corpus vt ardeam, & omnes facultates meas in cibos pauperum distribuero, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quin imo in externa vitæ conuersatione quantumuis quis sit honestis moribus præditus, & in omni sua actione modum iuxta rationis præscriptum seruet quam possit maxime cõgruum, cuiusmodi fuere perplures apud Ethnicos Philosophi, qui licet à spiritu Dei prorsus essent alieni, forinsecus tamen summa temperantia, honestate, constantia, fortitudine, prudentia, ac cæteris naturę dotibus eminebant, naturalis namque ingenii lumine ac ratione ducti facile id assequebantur, multo tum commodius, tum tranquillius, tũ etiam iucundius esse, morum quandam disciplinam, aliisque in rebus moderationem sequi, quam effrenate quibuslibet improbæ naturæ indulgere affectibus ac cupiditatibus: Tamen nisi eo perueniat vt vitam ex spiritu Dei concipiat, eiusque caritatem in se habeat ac sentiat, eandemque indies in se piis desideriis ac diuinis cogitationibus foueat & adaugere studeat, & anima quæ prius se aridam ac infrugiferam querebatur tandem aliquãdo huius spiritus pinguedine & adipe repleatur, parum profuerit per externam morũ conuersationem honeste se gerere, & bonis moribus præditum esse. Iza. 58. 1. Cor. 13.

6. SOLENT homines suam culpare infirmitatem cur se minus ad Deum exigere valeant: credo equidem quod & hæc sit causa & occasio magna: Sed non minorẽ reputo communem hominum negligentiam & animi ignauiam, qua non modo laboris tædet ac piget, verumetiam quia pro nihilo habent terram desiderabilem: Cuius suauitatem qui gustauerunt, eam famelici instar sitiunt & esuriunt semper, *Qui edunt me adhuc sitient*, inquit Sapien. Eccl. 24.

Digitized by Google

Si enim beneuolẽtia amicorũ nos ſic oblectet, ſi gloria hominũ ſui cupidos ita afficiat, ſi vinũ & muſica, *teſte Sapiente*, cor hominis lætificent, ſi ſplendor illuſtrium virorum, ſi decor virginum & pulchritudo corporum, ſi denique vniuerſæ creaturæ ſui amatores ſic pelliciãt & afficiant, vt ꝓpter eas & viuere expetant multi, & mori non dubitẽt, Deus cuius omnis decor, dignitas & ſuauitas creaturarũ, nõniſi vmbra quædã eſt & emanatio claritatis illius; id efficere non poterit? an corporis forma ſuã habet voluptatem, & ſuas delicias
Iſa. 66. ſpiritus nõ habebit? *Nunquid ego quia alios parere facio, ipſe non pareã?* dicit Dominus. Si animus non habet voluptates ſuas vn-
Auguſt. tract. 26. in Ioan. de dicitur, *inquit Auguſt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis deliciarũ tuarũ potabis eos.* Monebat filios Iſrael Dominus olim ſæpius, vt memores eſſent illius diei qua educti erant de terra Ægypti, vt inde iugiter Deo non ſolum gratias agerent, ſed & è quantis miſeriis educti, & quantis bonis ditati eſſent, perpetuo recordarentur: Sic decet hominem Chriſtianum perpetuo memorẽ eſſe primæ ſuæ conuerſionis ad Deum, vt inde non ſolum Deo gratias agat, ſed & in primo ſemper feruore perſeueret. Quod quamuis præſtare perpetuo id nequeat, quia in ſpiritus feruore labaſcit nonnumquam homo quantumuis pius & ſanctus, quod de ſe teſtatur Dauid cum ait: *Dormitauit anima mea præ tædio*: Qui tamen ad id magnopere ſuſpirat, bonumque propoſitum ſæpius renouat, facilius quo tẽdit perueniret: præſertim ſi humilibus operib. inſiſtere non pigeat quando à ſummis deficit: Nec enim ſemper oratio noſtra ſtatim exardeſcit, ſed ipſo vſu & exercitio ex quodam diuini ſermonis cõſortio incaleſcit, iuxta illud Eccleſ.
Eccl. 7. *Melior eſt finis orationis quam eius principium*: cum & plurimum in initio ſuæ orationis tepidus ſit hominis anim⁹ & per varia diſperſus, qui in fine ſit collectus & deuotus; à rudioribus enim inchoare oportet, eo quod nemo repente ſummus fiat.

7. TERTIVS igitur hic gradus ſit, quo ad Deum qui eſt ſalus & vita noſtra, fit aſcenſus: dum quis culpa fletu remiſſa ſpiritalem hanc vitam eiuſq; vigorẽ ac ſuauitatẽ in ſe experitur & ſentit: Quo fit vt eius oratio pingueſcat deuotione, diuinorum beneficiorum meditatio dulceſcat, cor eius verbum bonũ eructet, anima ſpiritus pinguedine & adipe repleatur, viſcera benignitatis imbuat, affectum pietatis imbibat ac cæteras ſpiritales gratias tãta plenitudine & copia hauriat, vt ſe intus cõtinere nequeat, ſed foras dimanet non modo in amicos ſed ẽt in inimicos, quib. ſe præbet & beneuolum & beneficum, vt vbi licuerit atq; potuerit, iuuet obſequiis, confortet alloquiis informet conſiliis, & cũ Apoſtolo vero pietatis affectu exclamans dicat, *Quis infirmatur & ego non infirmor.* & cum Propheta Iob audeat, *Oculus fui cæco & pes claudo, pater eram pauperum.*

8. EST AVTEM diligenter hic aduertendum, quod quiſquis verum vitæ ſpiritualis incrementum percipere volet, eũ conſtanter admodum & ſtabiliter in ea laborare atque operam ponere oportere: neque ob tędium vllum aut operis arduitatẽ quod fœliciter inchoauerit, omittere. Quapropter ante omnia id caueat, vt exempla tepidorũ ac vulgariũ hominũ ſibi ob oculos vnquã ſtatuat: conſtat n. plæroſque mortalium tepidos admodum ac deſides eſſe, nec facile huc poſſe adduci Deum vt quærant toto ex corde, ſed adeo remiſſe ac negligẽter viuũt, vt pene nihil vigoris, nihil vitæ ſpiritalis habere videãtur. Haud abſurde cochleis iſtos cõparaueris quarum eſt lentus & fœdus admodũ gradus, ſic & homines iſti negligentes admodũ ſunt, & quaqua perrexerint fœda relinquunt veſtigia, vt facile notari poſſit vbinam quippiam egerint, ita cuncta eorum opera polluta ſunt & imperfecta. Atqui vt plurimũ accidit vt plus iſti damni quam lucri faciant, quoniam haud aliter viuunt quam deſides opifices manuarii: quorũ omne emolumentum ex ma-

nibus

Digitized by Google

nibus mox in ventrē proiicitur, nec quicquā sibi reponunt, imo vero ēt quotidie æs conflant alienum, vt tandem vix sint soluendo: Eadem plane ratione & isti de quibus agimus, homines tepidi & socordes vix ipsa sua debita persoluunt quæ apud Deum indies cōtrahunt, cū & plurima negligāt & bona innumera admittāt peccata quorum exigua subsequitur pœnitētia. De his Salomon Prouer. 18. *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Quo modo enim vermiculi ligna rodunt vt aduerti non possit donec exesa imposito onere franguntur. Ita isti ad extremum adeo desides efficiūtur, vt nihil eos afficiant quæcumq; bona sunt aut diuina, orāt sine animi sensu, meditātur diuina sine fructu, cogitata, dicta, & facta sine pudore & emendationis proposito examinant, solatiola ex vanis rumorib. auidius mendicāt, ad otia aspirāt, ab omnibus honorifice tractari volunt, se plus æquo laborare in animum inducunt. Et licet his vanitatibus non tēpus modo sed & se perdant, ipsis tamen id minime videtur, quin potius perexigua hæc mala & veniales quasdam culpas arbitrantur, dum non vident maxima detrimenta quę parua hæc eis mala adferūt: Multa namq; tametsi in seipsis nō admodum mala sint magna tamen bona impediunt: sicut mercator quispiā, si dū nundinæ aguntur, abeat lusum aut deambulatū, nō quidē malum est tantū quod agit sed magnū lucrū est quod negligit.

9. His igitvr omissis qui in via virtutū prorsus ignaui sunt, eorum exempla ob oculos statuamus, qui quotidie certum sibi tempus desumūt, quo serio ac sedulo cor suū explorant, vt illud se in dilectione Dei & proximi habeat qui sępius ad memoriā reuocant cur nos in hoc mūdo posuerit Deus ratione præditos, nimirū vt eū noscamus, seruiamus & diligamus, eiusq; beneficia nobis & impensa & promissa reuoluamus, & quę in cruce pro nobis perpessus sit recogitemus: Alias quid prodest nos ratione esse pditos, & scire fidei mysteria, ac symbolum apostolicum, dominicam orationem, & decalogi præcepta memoria tenere, ac pulchre ore edicere puerorū instar, si nihil horum cor durum emolliat, frigidū pectus caritate inflammet? Multoties contingit vt intellectu rerum agēdarum cognitione illustrato, affectus tamē totus sterilis permaneat & aridus, nulloq; rerum visarum tāgatur amore: vt n. lignum viride non facile flāmam concipit, sic nec affectus hominis cupiditate oppletus cōcipere potest scintillam caritatis, nisi quis eiuscemodi res & materias mente pertractare consueuerit, quæ cor ad amorem incendant. Quapropter qui proficiendi studium in se flaccescere sentit, nisi animum supinū remouet atq; resumat, eo paulatim deueniet vt robur spiritus ac vires sensim sine sensu amittat: & idem tum ei quod ligno carioso eueniet, quod etsi integrum videtur extrinsecus, pondere tamē imposito frangitur, & casu ipso ostendet quid vitii ante in ipso lateret. Neque enim existimandū est cum ruinæ alicuius cernuntur, tum incipere damnum, sed antea comederant alieni robur eius & ipse nesciebat, *Oseæ cap* 7. Res quælibet postquam consenuit, neque nitorem, neque vigorem, neque celeritatem, neque cæteros vsus habet quib. prædita erat cum recens ac noua esset: Sic spiritus Domini in initio conuersionis velut nouus & recens solet esse feruentior, sed labascit & senescit paulatim nisi assidue foueatur. Idem n. nobis accidit quod fieri videmus in motu cōtra naturā alicui impresso qui in initio sui concitatus est & vehemēs, sed progressu paulatim remittitur. Istud ne nobis accidat cauendum, & ideo licet, te ad perfectionis culmen peruenisse existimes, quasi iā inchoans cum Propheta dicas, *Dixi, nunc cœpi:* nunc opus aggrediamur & tāto feruentius quanto finem appropinquare viderimus magis: ita enim fiet vt virtutes quæ insunt, accrescant, & quæ desunt accedant.

10. Enimvero si quis celerem cursum

breuis huius vitæ probe cognitū haberet, quo peracto nullus aut proficiendi aut merēdi locus remanebit amplius, videret vtiq; quanta ei neceſſitas incumberet, vt quodcumq; poſſet manus eius iuſtanter operetur. Ad quod nos Eccleſiaſtes horta-
Eccl. 9. tur dicens: *Quodcumq; facere poteſt manus tua inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos quo tu properas.* Solet quiſquis deterioribus ſe cōparans de virtutibus ſibi blandiri, & progreſſum ſuum metiri non tam ſpatio eius quod reſtat itineris, quam interuallo quo alios poſt ſe reliquit. Vere enim ſic natura comparatum eſt vt oculos libenter conuertamus ad ea quæ nos delectant, auertamus aūt ab iis quæ nos offendunt aut grauant: Atqui vt factæ progreſſionis bonorumq; partorū cogitatio voluptatem, ita diſtantiæ contra inopiæque noſtræ cōſideratio moleſtiam parit: idque eo magis quod ille nos aſpectus ad quietem inuitet, hic incitet ad laborem: Haud ſecus ac feſſi viatores ſolēt, qui ſæpius quantū itineris cōfecerint reſpectare ſolent, vt tanto libentius ac diutius hoſpitiolo iucundo immorentur. At multo ſibi melius conſulunt qui quantum itineris peragēdi reſtet, cōſiderant, quiq; quātum ipſis deſit perpendunt, vt tanto diligentius ad id aſſequendū inuigilent. Ab hac n. diligentia commendantur mulier illa fortis Prou. 31. vbi ſic dicitur. *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ & panem otioſa non comedit, de nocte ſurrexit & dedit cibaria domeſticis ſuis.* Non enim mediocriter ad virtutis profectum neceſſarium eſt homini vt nihil negligenter agat, nō tepide Deo ſeruiat, ſed ad bona omnia pro facultate ſtatus ſui feruenti ſpiritu animum applicet, vt quicquid illi faciendum incubuerit ad omne animo libēti abſq; mora exequatur, ſiue id corporale ſit, ſiue ſpiritale, ſiue opus externum, ſiue internum. Sic legimus *Gen.* 22. cum Dominus Abrahæ præcepiſſet vt tolleret filiū ſuū Iſaac, iretque in terram viſionis, atq; ibi offerret eum in holocauſtum, quod Abraham non expectauerit ſolis ortum, ſed ſtatim de nocte ſurrexerit vt Dei mandatum impleret. *Vidiſti virum velocem in opere* Prou. 12.
ſuo, inquit Sapiens, *coram regib. ſtabit, nec erit ante ignobiles.* Æquum profecto ac rationi conſonum Dei famulos ſpiritu feruentes ac Deo ſimiles eſſe, qui nomen Theos & ab ardendo & à currendo deſumpſit, quia mira celeritate peragit quicquid agit.

II. VT AVTEM ſic totus inardeſcas crebris feruentium deſideriorum ſcintillis, hic ignis in corde eſt excitandus, quo cuncta alia deſideria noxia ac cogitationes vanæ abſumantur & in nihilum redigantur: Quomodo Sapiens ait, *Non appropinquare muſcas ad ollam feruentē.* Qui eo quo decet ſtudio atq; agilitate ſua opera peragit, difficile ab inimico capietur, perinde vt auis cito curſimq volitans haud facile in manus incidit ipſorū aucupum. Cæterum licet diuerſi ac diſcreti ſint gradus ſpiritualium exercitiorum, permiſceri tamen & alternari ea expedit: ita tamen vt quod primo faciendum eſt id potiſſimū fiat, & quod ſecundo hoc itidē ſecundo loco peragatur, verbi gratia, Qui in pœnitentiū ſtadio adhuc degunt, exactam ſuam conſpicientes vitam improbam, malam & negligentem, ſimul & ſeueram Dei iuſtitiam conſiderantes, qua conſideratione ſeſe ad Dei timorem & cordis contritionem excitant, poterūt ii nihilominus interdum paulisper ſubleuare faciem ſuam, atque oculos tollere ſurſum ad contemplandum gratiſſimum & benigniſſimū Domini vultum, vt hinc ſpem atque fiduciam concipiant miſericordiæ impetrandæ, quia animum deiectum aliquantulum erigant & confidere diſcant. Eadem ratione qui ſummum iam obtinet feruidæ deuotionis gradum, & per meditationem diuinam quatenus licet, conſpicit & guſtat quod ſuauis ſit Dominus, ſuos interim nonnunquam deflectet oculos propriam conſiderando vilitatem & imbecillitatem, & præter hæc errata præterita & culpas quoti-

quotidianas vt hoc se modo in humilitate contineat, & à superbia ac elationis spiritu præseruetur. Qui proficientium gregi annumerandus venit licet sedulam in exercitio vitæ spiritualis posuerit operam, frequenter tamen pro voto non succedit, sed subinde conatum sentit aridum & omnis deuotionis expertem: nihilominus non se omni mercede frustrandum existimet, maxime cum cordis nostri ariditas non nostro vitio, sed alto Dei iudicio nobis eueniat. Dulcis namq; affectio est velut præmium nostri laboris, quam Deus suo largitur arbitratu, neque in hominis sita est potestate, nec in præcepto est. Nihilominus si quis pio in labore perseuerauerit, sentiet is paulatim in se gratiam Dei instar auroræ consurgentem: *Iustorum semita*, inquit Sapiens, *quasi lux splendens procedit & crescit vsq; ad perfectum diem*. Attamen cauendum vt quis pro sensibili deuotione immoderatius laboret ne hinc in cerebri aut sensuũ defectum incidat: Memor sit eius quod dicitur Genes. 33. *Si plus ambulando fecero laborare greges, vna die morientur omnes*. Nec etiam immodice doleant aut in cultu Dei desides reddantur, vbi eam non senserint, sed donum hoc diuino permittant arbitrio, vt eo carere sint parati, sicut & habere. Atqui dum habent, ne hinc de se magnifice sentiant, tanquam mira sanctitate polleãt, cum hinc reuera profectus hominis, aut amor Dei quantus sit, non possit internosci. Vt enim catellis nonnunquam è filiorum cibis quippiam offertur, iuxta quod dicitur, *Nam & catelli comedunt de mensa Dominorum suorũ*, Marc. 7. item serui ex his quibus Domini vescuntur, non quidẽ ex ipsorum dignitate, sed Dominorum beneficentia & liberalitate, ita & Dominus vltimis seu infimis suis amicis & incipientibus gratiam hanc sensibilis deuotionis interdum copiosius elargitur, quo sic eos alliciat, quã præcipuis suis amicis non nisi post magnos labores tribuere solet, nimirum post diuturna ieiunia, vigilias, famem, frigus, & alia corporis incommoda quæ fortiter perferre consueuerunt, vt aliquam à Deo gratiam obtineant. Quo modo Daniel post ieiunium triũ hebdomadarum spiritu prophetiæ impletur, Moyses post 40. dierum abstinentiam legem accepit: Quibus omnibus continuum orationis spiritum iungere solent sancti Dei, quo Deo sic fierent familiares & intimi, vt ex eo tanquam fonte perenni haurirent creberrimam diuinæ consolationis copiam: vt quicquid mundus in reb. quærit creatis, hoc verus Dei cultor ab eo requirit in quem totam suam fiduciam reposuit. Beatus ille qui eam inuenit gratiã & hanc cum Deo contraxit amicitiam vt in quouis suo opere eius sentiat directionem, ac Domini vocem obaudiat, & in corde suo velut in libro scriptum inueniat quid agere, quove modo & quando debeat: Ij enim filij Dei sunt qui hoc modo spiritu Dei aguntur, vt in iis compleatur quod dicit Dominus, *Vos non estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*.

Prou. 4.

II. SI QVANTVM virtutis corraseris, quantumq; in christiana religione profeceris, intelligere velis, vexatio dabit intellectum: qualem enim tempore tentationis aut tribulationis te inueneris, talem te esse memineris, inquit Bernard. Qui tentatus variis desideriis æstuat, irarum procellis instar maris tumeat, iam metu concidat, iam vero lætitia leuiter exultet, quis talem puerili spiritu in præceps rapi non dixerit? Sed qui pacem habet non quam foris à subditorum obsequiis extorquet, ipsis magnam sæpenumero inquietudinem pariens, verum quã intus inconcussa mentis tranquillitate inter cupiditatum feruores, & aduersitatum fragores, seruat, is specimen veræ virtutis præ se fert: vera enim atq; perfecta virtus perfectam habet animæ tranquillitatem & totius hominis stabilitatem, qui nec metu turbetur, nec terrore concutiatur, nec vlla cupiditate exagitetur, sed quasi in littore tutissimo aduersus in-

dus insurgentes secularium procellarum fluctus ac tempestates mentem fida statione conseruat immobilem, vbi cor impij velut mare quod feruet quiescere nescit, dum plus affligitur prauis animi motibus in pectore, quam plerique alienis vulneribus in corpore. Pax ista quæ cupiditatum malarum excludit illecebras, ac passionum noxiarum mitigat perturbationes, sublimior est & eminentior quam quæ barbaricos hostium sedat incursus: plus est enim clausum intra te hostem supprimere, quam remotum & longius à te dissitum reprimere: & hæc quidem pax æterni Imperatoris industria procuratur, illam vero internam christianis mentibus Christus inuexit, eamque animis electorum suorū instillauit. De qua pace sic Paulus ad Philippen. 4. *Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra*: Et apud Isaiam, *Sabbathum delicatum vocaberis Domino Deo tuo.* Hoc illis proprie dicitur qui ab omnibus curis, terrenisq; negotiis ac molestiis expediti cum Deo requiescunt in pace & festum diem cum eo agunt. Nomine illo, (*delicatum*) in iis rebus vti solemus, quæ admodum tenera sunt atq; fragilia: ideo vasa vitrea delicate tractamus, quoniam facillime franguntur: Pace autem ac tranquillitate ista mentis interna nihil magis vitreum, nihil magis cuiuis iniuriæ obnoxium, quæ instar aquæ leuissime mouetur & turbatur, leui risu, verbulo otioso, incomposito corporis motu, buccella paulo auidius sumpta, oculis aliquanto liberius ad videndum emissis. Quisquis ergo affectum hunc diuinum, pacem hanc christianam conseruare diu velit, ab his omnibus quamlibet leuissimis impedimentis putum se conseruare studeat: quæ quamuis non adeo animam inquinent aut saucient, spiritum tamen pacis exhauriunt, tristē & aridum, leuem & inanem hominē reddunt. De D. Antonio refert *Athanasius in vita eius*, quod cum illi in deserto agēti semel aut bis in anno, minister quidam panem quo solo vescebatur, offerret ne simplici quidē verbo vltro citroq; dato, quietem suam vir sanctus interrumpere solebat, ne hac occasione internum illud animæ suæ sabbatum ac pacem turbaret aut violaret. Diuus quoq; Franciscus in solitudine montis Aluernæ cum Deo vitam agens, locum admonebat vt cum media nocte ad illum pergeret nocturnos cum eo hymnos recitaturus, nullum verbum proferret, sed statim versiculum inchoaret, *Domine mea labia aperies*, quod si is sequentem versum non respōderet, protinus abiret. Hæc pax Dei exuperat omnem sensum: omnem voluptatem carnis & illecebras mundi vincit infinitis partibus, non solum præstantia & dignitate, sed etiam suauitate & delectatione.

Isa. 58.

13 Hæc est admiranda conditoris nostri Dei sapientia quod humanam condiderit naturam instar cytharæ, quæ vt suauem de sese & consonum reddat concentum, fidibus cunctis inter se rite dispositis atque adaptatis constet necesse est: si enim vel vna earum dissona sit atque dissoluta, remissa fuerit aut nimis intensa, tota soluetur harmonia vt minus sit consona & perfecta. Ita humanus animus cum omnibus viribus suis, vt integer sit atque perfectus, omni virtutum genere debet esse præditus & instructus: quibus apte inter se connexis ac rite dispositis, efficitur ipse homo velut quoddam instrumentum musicum quod suauissimum de sese emittit concentum & in gratiarum actione, & in omnium virtutum operatione: sic Deus fecit hominem rectum atque perfectum. Iam vero cum per peccati lapsum sit homo confractus, non patitur læsa natura & infirmitas humana vt omnibus & per omnia sese recte gerat homo, sed multum fuerit si in eo actionum genere se rite gesserit in quo bene versatus sit & multum studij consumpserit: Simul autem in diuersis virtutum exercitiis apte se posse gerere, res est vsqueadeo difficilis vt plærumque

qui

qui id attentare voluerit, proprium suum ministerium negligat, & magis alieno negotio incumbat, eoque agendi modo vtrumq; subuertat: in quo proculdubio omnis Reipublicæ interitus consistit, dum & scriba & legisperitus exercitum instruit, plebeius prouincias regit & de regni negotiis disponit, virgo Deo sacra prolium ac familiæ curam gerit, & sutor ac sartor scripturas voluit & exponit. Quid mirum igitur si in re tam ardua paucos sit inuenire suis numeris absolutos: quinimo multum fuerit in materia hac tum ampla si quis certam aliquam virtutem sibi deligat, in eaque pro eius dignitate sese exercere studeat. Et quamnam, inquies, mihi virtutem deligam, in qua præ cæteris animum colam? Eam quæ vocationi tuæ ac professioni maxime conuenit: vt enim religiosos decet pietas & deuotio, & seruos prompta obedientia, sic Principes & Duces magnanimitas & fortitudo, Coniugatos labor industria, Iurisperitos prudentia & legum scientia, omnes autem fides, spes & charitas. In his quisque quam possit diligentissime exerceat sese: Turpe enim vt qui vel saltandi, vel digladiandi studio delectantur, aut alia opificia administrant, si totis viribus incumbant ne cæteris inferiores reperiantur: qui vero christianæ religioni & pietati ac cæteris virtutibus operam nauat, non solum non proficere studeat, sed & seipso indies deterior fiat. An virtutes, sine quibus homini non potest esse salus, inferiori loco quam artem mechanicam habebimus? Et hæc quidem ars sicut & scientia secularis aut artes illæ quas liberales dicimus, neglectę damnum inferunt rebus nostris terrenis: contemptus vero virtutis detrimentum salutis æternæ. Mens enim antequam in Dei habitaculum præparari queat, & à labe peccati pura, & omni virtutum genere ornata esse debet, teste Psalmista qui sic ait, Iustitia & iudicium præparatio sedis eius, hoc est, vt mẽs hominis fiat sedes & templũ Dei, præparati & ornari debet variis virtutibus tãquam quibusdam carbunculis: eaq; sic adornata plus Deum afficit & delectat, quam templa auro fulgentia.

14 QVAPROPTER religionem nostram christianam recte palæstram dixeris esse spiritualem, in qua quisq; & laboribus & luctationibus, & ieiuniis & vigiliis, & crebris orationibus, meditationibus, lectionibus, & id genus exercitiis aliis disponitur, præparatur & exercetur vt ad virtutis decorem peruenire valeat. Neque enim mox etiam si quis diuitias paupertate commutarit, omniaque sua propter Christum reliquerit ac pauperibus elargitus sit virtutis ap[i]cem contigerit, sicut qui luctandi cupidus palæstram ingreditur non mox palæstrita fit. Vnde Pythagoras cum se Philosophiæ ac virtutis studio totum addixisset, non se sophon sed Philosophum, hoc est, non se sapientem sed sapientiæ amatorem dici voluit. Qui vero istiusmodi exercitia spiritualia, quæ præmitti solent & præmitti debent, aut negligit, aut solis monachis & iis qui nihil habent quod agant relinquenda existimat, in sęculo autem degentibus minus congrua aut non necessaria iudicat, tam poterit is ægre ad virtutem peruenire, quam studiosus quispiam qui otio & ignauia torpescit, adipisci scientiam: Verum enim est illud Horatij

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudauit & alsit.

Neque enim perfunctorie aut negligenter sed toto conatu, totoque animo passim, palam & vbique & semper quærenda virtus, inquirendus Deus, vt licet moram in quærendo & difficultatem in inueniendo patiaris, non tamen mox tędio aut labore victus ab incœpto desistas: perfer & obdura, ꝙ persequeris assequeris, labor improbus n. omnia vincit. Sæpe, *inquit Ber.* in initio conuersionis meæ corde durus & totus frigidus inquirebã in

quo

quo recalesceret spiritus meus, & cum torporem & languorem nulla de parte qui succurreret & per quem gelu pectoris mei dissolueretur, occurrebat, & tūc magis ac magis languebat & dormitabat præ tædio anima mea, tristis, ac pene desperans & mussitans secum, A facie frigoris eius quis sustinebit? Et ecce subito in corde meo frigido ac rigido accendebatur deuotio, afflabat spiritus & fluebāt lachrymarum aquæ: & quanquam nō pinguis aspersio, tenuis tamen exhalatio olei effusi ad me perueniebat: & quærebam quem diligebat anima mea vt amplius diligerem, neq; enim vlterius quærerem si tam perfecte diligerem, sed nec diligerem si nullo modo inuenissem. Possent multi Deum inuenire si iam inuenisse quod sibi ipsis satis est, non existimarent: possent multi fieri viri boni, inquit Seneca, si iam se tales esse sibi non persuasissent. Occulta hęc superbia pestiferum est hominis venenum.

15 PORRO quod postremo hoc loco adiiciendum est, non satis est si virtutum exercitiis quam possis diligentissime incumbas, nisi his omnibus continuum orationis spiritum coniunxeris, quo ex Deo tanquam fonte viuo creberrimam diuinæ consolationis copiam haurias, diuinæ directionis & protectionis gratiam impetres. Quandoquidem enim anteactæ vitæ consuetudo corroborata est in malo, inanium cogitationum concursu facile euertuntur conatus nostri, si in misericordia Dei fulciantur & vigores spiritus eius, elumbes hominis vires restaurentur. Hoc fundamentum quia non posuerunt Philosophi, Pythagoras, Solon, Socrates, Plato & id genus alij, sed propria industria, proprioq; labore euadere nitebantur in viros bonos, sicut Cicero aiebat, Ego mea virtute meis præluxi maioribus: & alius quidam, Det vitam det opes Iupiter, æquum mihi animum ipse parabo: virtutis quidem vmbram ac similitudinem habitu, moribus, doctrinis præ se ferebant, ad veram autem ac solidam & viuam virtutem nō perueniebant: Quin & *Paulus* asserit idipsum accidisse Iudæis legem Dei edoctis, Cap. 9. cum ad Romanos ait, *Israel sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus*, hoc est, quia dum bene operari viderentur, id faciebant ex solis naturæ viribus, non ex spiritu Christi qui viuificat nostra opera, & quem fides impetrat. Qui quam sit infirmus se probe nouit, quandam impossibilitatem implendi legem sine gratia infirmitatem nostram sanante, in se inuenit. Hinc orando, ingemiscendo ad Deum confugere debet vt gratiam & spiritum eius impetret, per quem id possit in quo se deficere vidit. *Vt sciui*, inquit Sapiens, *quoniam aliter non possem esse continens nisi det Deus, & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum & deprecatus sum illum ex totis præcordiis meis, & dixi, Domine Deus da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, vt mecum sit mecumq; laboret, quoniam homo infirmus sum ego & minor ad intellectū iudicij & legum: sed & si quis fuerit consummatus inter filios hominū, si abfuerit ab illo sapientia tua in nihilum computabitur.* Sap. 8. Absq; hac Dei gratia & naturam sanante & nos dirigente, vniuersa quæ iubentur à Deo, non modo non fient à nobis, sed in diuersum agentur omnia. Præcipit nobis Deus vt diligamus inimicos & oremus pro persequentibus nos: quid nos ad hęc? optamus vt digna factis recipiant, & si nosipsos vindicare non possimus, cupimus vt Deus iniuriam nobis illatam vlcisci velit. Rursum ait Dominus, Quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Huius sententiæ partē priorem ita exacta memoria tenemus vt nunquam excidat: posteriorem vero ita præterimus, vt nunquam audisse videamur: Nam quid ab aliis nobis præstari velimus, optime nouimus, quid autem aliis ipsi præstare debeamus, penitus nescimus. Rursum ait Paulus ad Cor. 1. Cor. 10. *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius:*

Tan-

Digitized by Google

Tantum autem abest vt aliorum commodis aliquid cum damno proprie præstemus, vt plerique nostris commodis etiam per aliorum damna consulamus. Quod non aliunde prouenit, quam quia pleriq; mortalium gratia diuina destituti propria aguntur cupiditate, quæ quod suum est quærit: E cōtra hęc est vis ipsius gratię diuinæ vt homo proximum tanquam seipsum diligat nec minus alterius profectu quā proprio gaudet, *Charitas*, inquit Paulus, *non quærit quæ sua sunt*, sed facit omnia communia.

16. Ex præmissis constat maiorem curam atque industriam impendendam ægris animabus curandis, quam infirmis aut sauciis corporibus sanandis. Nā quāquam Deus solo verbo possit sanare & saluare sicut sanauit paralyticum, *Matth.* 9. & saluauit latronem in cruce? Attamen non omnia quæ potest, facit Deus, sed potentiam suam attemperare solet secundū hominum dispositionem & fidei eorum capacitatem, vt plus consequatur qui fortis fuerit fide quam qui infirmus, vnde *Marci.* 6. dicitur quod nō potuerit ibi virtutem vllam facere *propter incredulitatem eorum*: Et ca. 9. Dixit Dominus cuidam sanitatem pro filio postulanti cuius infirmam videbat fidem, *Si potes credere omnia possibilia sunt credenti*, & cōtinuo exclamās pater pueri cum lachrymis aiebat, *Credo Domine adiuua incredulitatem meam.* Vt enim recte docet *Cyrillus*, tantum gratiæ haurire potest quisq;, quantum capax est vas fidei illius, vnde multoties dicitur in scripturis, vt *Matth.* 9. & alibi, *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Vnde Centurio ille cuius fidem commendat Dominus quod talem non reperisset in Israel, *Matth.* 8. statim puero suo sanitatem impetrauit: Regulus autem iste *Ioan.* 4. qui infirmus fide erat, rogans pro sanitate filii sui, etiam correptus fuit à Domino, *Nisi signa*, inquit *& prodigia videritis non creditis*: vnde fides eius augeri debebat priusquam filio sanitatem impetrare poterat, Deus enim qui cuncta fecit in pondere, numero, & mensura, etiam fidei, pœnitentiæ, cordis contritioni, pio desiderio, suos præscripsit atque præfixit gradus, quos qui pœnitendo aut orando attigerint, certius impetrant quod postulāt: Id quod nobis innuunt hæ & similes scripturæ, *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*, cui minus dimittitur minus diligit, *Luc.* 7. Rursum Deut. 4. *Cum quæsieris Dominum inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris illum.* Quærit homo interdum Deum sed infirma fide, fracto desiderio, non toto corde, qualis Augustinus erat cum diceret, Da continentiam sed non modo: quod talis non impetret id quod oretenus postulat, mirum videri non debet, quia non petit, nec virtutem amat. Istud vitium vulgo vulgare.

17. Est & istud hic subiungendū quod homo facilius culpæ obtineat remissionē quam aut omnis pœnæ relaxationem, aut animæ sanitatem perfectam. Cum enim *Deus nolit mortem peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat*, modo homo syncere doleat, mox in gratiam eum Dominus suscipit, id patet & in filio prodigo, & in Dauide, 2. *Reg.* 12. qui cum corde contrito diceret, *Peccaui Domino*: protinus respondit Propheta Nathan, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Vbi manifestū est quod ei relaxetur damnatio æterna, quia mortem temporalem non euasit Dauid per suam pœnitentiam. Cum vero subiungit Propheta, *Quia interfecisti Vriam Hetheum gladio, non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum*: patet non omnem pœnam Dauidi fuisse remissam: Facilius enim homo damnationem deprecatur æternam, quam pœnam temporalē in hoc seculo aut in futuro luendam. Nam vt quis Deum sibi plene atque perfecte reconciliet, vt iuditium euadat non solum damnationis æternę sed etiam pœnę purgatorii, opus est lachrymis amaris, iugi vigilia, indesinenti ieiunio vt iuxta proportionem delicti etiam curationis auxilium assumatur. Vnde & Ambrosius dicit facilius se inuenisse qui innocentiam serua- lib. 2. de Pœn. c. 10.

uerint, quam qui lapſi condignam pœnitentiam peregerint, qua nimirum omnis pœna eluatur. Verum etiamſi pœnæ peccatis debitæ obtinuerit quis plenam relaxationem, non ideo tamen plene ſanus & animus integer euaſerit: remanet enim languor & animæ infirmitas etiam in homine recenter baptizato qui culpæ & pœnæ plenam obtinuit remiſſionem, licet ea multum imminuta ſit & ex parte ſanata, perfecte autem ſanabitur quando ipſa concupiſcentia, quæ eſt animæ infirmitas, plene eradicabitur, quod demum fiet in futura vita, quando euellet radicem cõcupiſcentiæ de terra viuentium, hoc eſt, de corporibus ſanctorum: In hac vita relinquitur huiuſmodi concupiſcentia velut quidam animi languor, ad luctam & exercitium Chriſti fidelium, paulatim tamen luctando & orando minuenda & ſananda.

IN FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ.

DIXIT Ieſus diſcipulis ſuis, *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem: Si mundus vos odit ſcitote quia me priorem vobis odio habuit, &c.*

Ioan. 15.

Summa Articulorum I. Partis.

- I. *Impii non ſolum iuſtos ſed & Deum oderunt, quem ſe tamen amare putabant.*
- II. *Eſt amor noxius & bonus, & odium bonum & noxium.*
- III. *Cur iuſtos impii perſequantur, & cur id permittat Deus.*
- IV. *Excuſationem de peccato Iudæi non habent, & de vita horum Apoſtolorum.*

PARS I.

ART. I. Impii non ſolum iuſtos ſed & Deum oderunt.

1 SI *mundus vos odit ſcitote quia me priorẽ vobis odio habuit*) Præmonet eos Dominus ne mirentur & ne animum deſpondeant ſi ſe contemni, ſi conuitiis affici, ſi ſuam doctrinam à pleriſque non recipi, ſed ſe propter eam perſecutionem pati viderint: idẽ enim & ſibi accidiſſe Chriſtus dicit, vt mirũm non ſit, ſi in Dominum tale quid attentauerint, quod & in eius ſeruos inſurgant: non enim eſt maior ſeruus Domino ſuo. Impij iuſtum oderunt *inquit Baſilius*, vt ſibi contrarium, vt pote cuius moribus, velut rectitudine & melioris appoſitione, redarguuntur. Sed & mali ſe inuicem interdum odio habent & perſequuntur, quia malum malo poteſt eſſe contrarium, ſed malos ſibi ſimiles diligit malus: bonos autem nemo malus diligit, quia inuicem ſibi ſemper hi aduerſantur, quod enim mundus diligit, hoc iuſtus aduerſatur, odit & redarguit. Sed paulo latius & clarius id explicandum quomodo mali ſemper oderint bonos, cum frequenter hominum conſcientias indagare, & vtrum boni vel mali ſint ſcire non poſſimus: cum autem odiſſe quem neſcimus qualis ſit, videtur fieri non poſſe. Si enim eũ nõ quod ipſe eſt, ſed neſcio quid aliud ipſum ſuſpicamur aut credimus, & hoc oderimus, vtique non eum odio habemus, ſed quod noſtra mendaci ſuſpicione vel vana credulitate concipimus. Si autem quod eſt, hic de illo ſentimus quomodo eum neſcire dicimur? Non enim quempiam hic noſſe dicimur, quia eius faciem quam videmus, nouimus: quam cum nec ipſemet vnquam viderit, ſibi notus nunquam eſſe poſſet, niſi fortaſſe ex imagine in ſpeculo relucente: Nulli tamen poteſt notior eſſe quam ſibi. Non igitur in eis facie corporali nobis intimatur cuiuſque notitia: ſed tunc nobis ad cognitionem patet, quando eius mores & vitam probe cognitã habemus. Hanc quæſtionem docte reſoluit Aug-

Digitized by Google

Aug. in Io. tract. 90. August. *tracta. 90 in Ioannem*: vbi sic habet Pertinet ad nos ne perniciosa opinione fallamur vt quia non possumus hominum indagare conscientiam, nec videre quid sapiant, quid cupiant, quid viuant, de ipsis rebus habeamus veram certamq; scientiam: hoc est, vt si ille vel ille homo vtrũ sit impudicus, vel pudicus nescimus, oderimus tamen impudicitiam, & pudicitiam diligamus: & si illum iniustum iustumue esse nesciamus, amemus tamen iustitiam, & iniustitiam detestemur: vt cum de ipsis rebus quod appetendum est appetimus, quod deuitandum est deuitamus, ignoscatur nobis quod de occultis hominum aliquando, imo assidue non vera sentimus, cum cor humanum inspicere, eiusque latebras perscrutari non valeamus, sed plærumque aliud quam id quod ibi agatur suspicemur. Quanquam & in his humanarum rerum tenebris, hoc est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones deuitare non possumus quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitas firmasque sententias continere debemus: nec ante tempus quicquam iudicare, donec veniat Dominus & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordium.

2. PER has autem humanorum cordium tenebras res multum miranda & multum dolenda contingit, vt cum nonnunquam, quem iniustum putamus, tamen iustus est, & iustitiam in eo nescientes diligamus, & tamen deuitemus & auersemur, eumque tanquam malum castigatione salubri, siue ne aliis noceat, siue vt fiat ipse correctior, persequamur & hominem bonum tanquam malum affligamus, quẽ nescientes amamus: Hoc fit si quis, verbi gratia, cum sit pudicus à nobis creditur impudicus; Sine dubio enim si pudicum diligo, hoc est ipse quod diligo, ego etiam ipsum diligo & nescio. Et si impudicum odi, non ergo ipsum odi, quia non est quod odi, & tamen dilecto meo cum quo semper in charitate pudicitiæ habitat anima mea, facio ignarus iniuriam, non errans in discretione virtutum atq; vitiorum, sed in cordium tenebris humanorum. Proinde sicut fieri potest vt homo bonus hominem bonum oderit nesciens, vel potius diligat nesciens ipsum enim diligit, cum bonum diligit, quia id quod est ille, hoc iste diligit, oderit autem nesciens non ipsum, sed quod putat esse ipsum. Ita fieri potest vt etiam homo iniustus oderit hominem iustum, & dum æstimat se sui similem iniustum diligere, nesciens diligat vel potius oderit nesciens iustum: & tamen dum eum credit iniustum, diligit non ipsum, sed quod putat esse ipsum. Quemadmodum autem hominem, sic & Deum nesciens odit, si diligat id quod Deus damnat, sicut & falso se diligit & vere se odit qui quod sibi nocet diligit, teste Psalmista qui ait, *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*. Quanquam igitur sibi persuadeat mundus, hoc est, mundi amator se Deum diligere, & si interrogaretur vtrum diligat Deum, quid se aliud quam diligere responderet, nec ex animo mentiens, sed errando potius opinans? Quomodo enim diligeret patrem veritatis, qui haberet odio veritatem? Nolunt impii sua facta damnari, & hoc habet veritas vt talia facta damnentur, quam tantum oderunt, quantum oderunt suas pœnas quas talibus irrogat veritas. Nesciunt autem illam esse veritatem quæ tales quales ipsi sunt damnat: oderunt ergo quam nesciunt, eamqs, quæ eos damnat, esse nollent, vt impune peccare possent, quia qui odit, esse non vult quod odit, hinc & homicida à Ioanne dicitur qui fratrem odit. Et qui veritatem oderunt, profecto & cũ de quo nata est, nisi odisse non possunt. Ac per hoc quia veritatem qua iudicante damnantur, de patre Deo nata nesciunt, vtique etiam ipsum & nesciunt & oderunt. O miseros homines qui cum esse volunt mali, nolunt esse veritatem qua damnantur mali. Nolunt n. eam esse quod est, cum seipsos debeant nolle esse quod sunt, vt ipsa manente mutentur, ne ipsa iudicante damnentur. *Hactenus Aug.*

Digitized by Google

3. INTER omnes humanæ vitę errores nō poſtremus mihi ille eſſe videtur quod plerique hominum diuina ex humanis æſtimare ſolent, Deumq; ex ſeipſis ac motibus ſuis metiri, vt quæ ipſi probant vel improbant, ea & Deum probare & improbare putent, cumque ex amore ſui ipſis à natura indito & ſeipſos & ſua magnifaciant, ſe quoque & ſua à Deo magni fieri exiſtimant: cumque inimicum ſuum à quo paſſi ſunt iniuriam, auerſentur & oderint, eum & Dei odio dignum arbitrantur. Sic multi pietatis & religionis cultum humano famulatui ſimilem faciunt, vt quomodo nos noſtros famulos, quorum ſeruitio indigemus, conducimus mercedem promittentes, ſic Deus ſuis cultoribus, à quibus ſibi ſeruiri vult, vitam promittat æternam, tanquam ipſe noſtro obſequio & ſeruitio ad nominis ſui gloriam indigeat, ipſiuſque gloriæ magis quam noſtræ ſaluti mandatorum ſuorum obedientia ſubſeruiat. Et in eo fallitur homo, iuxta illud Pſalmiſtæ. *Exiſtimaſti inique quod ero tui ſimilis, arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Quid iniquius aut ineptius, quam hominem præſertim peccatorem, Deum. Deiq; iudiciū ex ſe æſtimare velle? cum ſcriptum ſit, *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, nec viæ meæ viæ veſtræ dicit Dominus, quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationib. veſtris.* Nec enim Deus mandatorum ſuorum obedientiam à nobis exigit, vt ei quicquam honoris aut vtilitatis accedat, *ipſe* enim teſte Pſalmiſta, *bonorum noſtrorum non eget*, etiamſi tu iuſtus fueris, nihil per hoc Deo accedit: Sed vt nobis bene ſit, iuxta illud Deut. *Quis det eos talem habere mentem vt timeant me:* Quamobrem Domine? *vt bene, inquit, ſit eis & filiis eorum poſt eos.*

Pſal. 49. Iſa. 55. Deut 5.

II. Eſt odiū bonum & malum.

1. CÆTERUM quemadmodum eſt quidā amor noxius, quo ſcilicet amātur bona terrena diuitiæ, voluptas carnis, honor ſeculi & ſimilia, cum quo ſimul cōſiſtere nequit Dei charitas: de quo dicitur *Qui amat animam ſuam perdet eam*: quidam vero amor rectus eſt & vtilis, quo quis amat iuſtitiam, caſtitatem, Deum & proximum, de quo Dominus, *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem*: quo præcepto Dominus & omnem iniuriam prohibuit, & omnia benignitatis officia complexus eſt: Amor namque donorum omnium & primum & maximum & omnium aliorum cauſa eſt: vnde cum naturæ conditor Deus liberos à parentibus educari, & beneficiis omnibus affici vellet, miram erga illos charitatem mentibus eorum indidit & inſeruit, hac enim vigente cætera omnia beneficia facile conſecutura intelligebat. Ita è diuerſo eſt quoddam odium rectum, de quo dicitur, *Qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam:* eſt & odium peruerſum & iniquum: de quo Ioannes, *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt & in tenebris ambulat.* Odium rectum eſt quo quis perſequitur vel ſuum vel alterius peccatum quod cupit extinctum atque ſublatum: Quod enim odimus, hoc auerſamur, perſequimur & non eſſe cupimus: Sic antiquis dictum eſt, inquit Dominus Matthæi 5. *Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum.* Hic quærit Auguſtinus quomodo præcipitur antiquis vt oderint inimicum ſuum, cum Chriſtus Dominus, qui non venit ſoluere legem ſed adimplere præcipiat apud Matthæum, *Diligite inimicos veſtros.* Nec poteſt dici quod permiſſiue hoc dicatur antiquis, odio habebis inimicum tuum, quaſi malum eſſet odiſſe inimicum, Deus nec permitteret, nec inter præcepta reponeret, quia ſicut nullum bonum irremuneratum ita nullum malum remanet impunitum, iuxta illud, *De omni verbo otioſo reddet homo rationem in die iudicii.* Omnis homo, *inquit Auguſtinus*, inquantum ini-

Ioan. 13. 1. Ioan. 3. Aug. li. 22. c. 24. con. Fauſt. Matth. 5.

Digitized by Google

iniquus & inimicus eſt odio habēdus eſt, inquantum autem homo eſt, diligendus eſt: vt illud quod in eo recte od mus, arguamus, id eſt, vitium, quo poſſit illud quod in eo recte diligimus, id eſt, humana natura ipſa emendato vitio liberari. Hæc inquã regula eſt qua & oderimus inimicum propter id quod in eo malum eſt, id eſt, iniquitatem, & diligamus inimicum propter id quod in eo bonum eſt, id eſt, rationalem naturam. Audito igitur & non intellecto, quod antiquis dictũ eſt, Oderis inimicum tuum, ferebãtur homines in hominis odium, cum deberent non odiſſe niſi vitium. Hos corrigit Dominus dicendo, *Diligite inimicos veſtros*, docens nos intelligere, quonammodo poſſemus vnũ eundemque hominem & odiſſe propter culpam, & diligere propter naturam. *hæc Auguſt.* Tale quid & de Deo legimus,
Sap.15. quod oderit omnes qui operantur iniquitatẽ, & tamen nihil eorũ oderit quæ fecit: Quanquam enim iniquitatem hominis oderit Deus, quia tamẽ iniquitas noſtra opus Dei, hoc eſt, naturam ipſam humanã, omni ex parte non deſtruit, fit cum vnus & idem ſecundum quid ſit bonus & ſecundum aliud ſit malus, ſimul odio haberi & diligi poſſit: Nã peccatũ & omne illud quod repugnat Deo hominiſque ſaluti, odiſſe poſſumus, quia hoc ipſum pertinet ad fraternum amorem, odiſſe eius malum quod cupimus ſublatum & extinctũ, ſicut velle ipſius bonum: ſecundum naturam igitur & gratiam & omne id quod habet à Deo diligendus eſt inimicus: ſecundum hoc autem quod eſt inimicus, hoc eſt, ſecundum propriam iniquitatem & peruerſam voluntatem, odio eſt habendus.

2. ET quid mirum ſi inimicus ſit odio habendus, cum & pater & mater adhuc autem & anima noſtra debeat haberi odio: Sic enim Dominus apud Lucam ait,
Luc.14. *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum & matrem & vxorem, & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Iſtud mirum videtur quod odio ſint habendi pater & mater, quos ſecundum Dei præceptum honorare & amare oportet: cum odium nihil ſit aliud quam affectio quædam & propoſitum malefaciendi, & odiſſe nil ſit aliud quam malum alicui velle, ſicut diligere eſt bonum velle: Nam & Deus hactenus dicitur hominem odiſſe vel diligere, iuxta ilud Pauli ad Rom. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, quia ei bene vel malefacere decreuit: Eſau odio Mala.1. Rom.9.
habuit non quia homo ſed quia peccator, non quia dignum damnatione fecit, ſed quia damnatione dignum inuenit, & hac de cauſa ad ſuppliciũ deputauit. Parentes igitur iubemur odiſſe, nõ vt tales quia ſic eos honorare oportet, ſed quatenus nobis impedimento ſunt perueniendi ad Chriſtum & ſalutem noſtram impediunt. Hic locum habet quod Elias ille apud *Bernardum* ad parentes ſuos ſibi infeſtos dicit, Bernar. epiſt.111.
Quid à vobis habeo niſi peccatum & miſeriam? Hoc ſolum quod geſto corruptibile corpus, de veſtro habere me fateor & agnoſco. Non ſufficit vobis quod me in hanc ſeculi miſeriam miſeri miſerum induxiſtis, quod in peccato & peccatorem peccatores genuiſtis, q̃ in peccato natum de peccato nutriſtis, niſi etiam inuidendo mihi miſericordiam, quam conſequutus ſum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filiũ inſuper gehennæ faciatis? Cui ſimile & illud *Hieron. ad Heliod.* Audi Hiero. epiſt.1.
edictũ Regis tui, Qui non eſt mecum cõtra me eſt. Recordare tyrocinii tui diẽ, quo Chriſto in Baptiſmate conſepultus, in Sacramẽti verba iuraſti, pro nomine eius nõ te patri parciturũ, non matri. Ecce aduerſarius in pectore tuo Chriſtũ conatur occidere. Ecce donatiuum quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant. Licet paruulus ex collo pẽdeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus vbera quibus te nutrierat mater oſtendat, licet in limine pater iaceat: per calcatũ perge patrẽ ſiccis oculis ad vexillũ crucis euola: Solũ pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. Gladiũ tenet hoſtis vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? *hæc Hiero.*

breuis huius vitæ probe cognitũ haberet, quo peracto nullus aut proficiendi aut merendi locus remanebit amplius, videret vtiq; quanta ei neceſſitas incumberet, vt quodcumq; poſſet manus eius inſtanter
Eccl. 9. operetur. Ad quod nos Eccleſiaſtes hortatur dicens: *Quodcumq; facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos quo tu properas.* Solet quiſquis deterioribus ſe cõparans de virtutibus ſibi blandiri, & progreſſum ſuum metiri non tam ſpatio eius quod reſtat itineris, quam interuallo quo alios poſt ſe reliquit. Vere enim ſic natura comparatum eſt vt oculos libenter conuertamus ad ea quæ nos delectant, auertamus aũt ab iis quæ nos offendunt aut grauant: Atqui vt factæ progreſſionis bonorumq; partorũ cogitatio voluptatem, ita diſtantiæ contra inopiæque noſtræ cõſideratio moleſtiam parit: idque eo magis quod ille nos aſpectus ad quietem inuitet, hic incitet ad laborem: Haud ſecus ac feſſi viatores ſolẽt, qui ſæpius quantũ itineris cõfecerint reſpectare ſolent, vt tanto libetius ac diutius hoſpitiolo iucũdo immorentur. At multo ſibi melius conſulunt qui quantum itineris peragẽdi reſtet, cõſiderant, quiq; quãtum ipſis deſit perpendunt, vt tanto diligentius ad id aſſequendũ inuigilent. Ab hac n. diligentia commendatur mulier illa fortis Prou. 31. vbi ſic dicitur. *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ & panem otioſa non comedit, de nocte ſurrexit & dedit cibaria domeſticis ſuis.* Non enim mediocriter ad virtutis profectum neceſſarium eſt homini vt nihil negligenter agat, nõ tepide Deo ſeruiat, ſed ad bona omnia pro facultate ſtatus ſui feruenti ſpiritu animum applicet, vt quicquid illi faciendum incubuerit ad omne animo libẽti abſq; mora exequatur, ſiue id corporale ſit, ſiue ſpiritale, ſiue opus externum, ſiue internum. Sic legimus *Gen.* 22. cum Dominus Abrahæ præcepiſſet vt tolleret filiũ ſuũ Iſaac, iretque in terram viſionis, atq; ibi offerret eum in holocauſtum, quod Abraham non expectauerit ſolis ortum, ſed ſtatim de nocte ſurrexerit vt Dei mandatum impleret. *Vidiſti virum velocem in ope-* Prou. 22.
re ſuo, inquit Sapiens, *coram regib. ſtabit, nec erit ante ignobiles.* Æquum profecto ac rationi conſonum Dei famulos ſpiritu feruentes ac Deo ſimiles eſſe, qui nomen Theos & ab ardendo & à currendo deſumpſit, quia mira celeritate peragit quicquid agit.

II. VT AVTEM ſic totus inardeſcas crebris feruentium deſideriorum ſcintillis hic ignis in corde eſt excitandus, quo cuncta alia deſideria noxia ac cogitationes vanæ abſumantur & in nihilum redigantur: Quomodo Sapiens ait, *Non appropinquare muſcas ad ollam feruentẽ.* Qui eo quo decet ſtudio atq; agilitate ſua opera peragit, difficile ab inimico capietur, perinde vt auis cito curſimq volitans haud facile in manus incidit ipſorũ aucupum. Cæterum licet diuerſi ac diſcreti ſint gradus ſpiritualium exercitiorum, permiſceri tamen & alternari ea expedit: ita tamen vt quod primo faciendum eſt id potiſſimũ fiat, & quod ſecundo hoc itidẽ ſecundo loco peragatur, verbi gratia, Qui in pœnitentiũ ſtadio adhuc degunt, exactam ſuam conſpicientes vitam improbam, malam & negligentem, ſimul & ſeueram Dei iuſtitiam conſiderantes, qua conſideratione ſeſe ad Dei timorem & cordis contritionem excitant, poterũt ii nihilominus interdum paulifper ſubleuare faciem ſuam, atque oculos tollere ſurſum ad contemplandum gratiſſimum & benigniſſimũ Domini vultum, vt hinc ſpem atque fiduciam concipiant miſericordiæ impetrandæ, quia animum deiectum aliquantulum erigant & confiderediſcant. Eadem ratione qui ſummum iam obtinet feruidæ deuotionis gradum, & per meditationem diuinam quatenus licet, conſpicit & guſtat quod ſuauis ſit Dominus, ſuos interim nonnunquam deflectet oculos propriam conſiderando vilitatem & imbecillitatem, & præter hæc errata præterita & culpas quoti-

Digitized by Google

quotidianas vt hoc se modo in humilitate contineat, & à superbia ac elationis spiritu præseruet. Qui proficientium gregi annumerandus venit licet sedulam in exercitio vitæ spiritualis posuerit operam, frequenter tamen pro voto non succedit, sed subinde conatum sentit aridum & omnis deuotionis expertem: nihilominus non se omni mercede frustrandum existimet, maxime cum cordis nostri ariditas non nostro vitio, sed alto Dei iudicio nobis eueniat. Dulcis namq; affectio est velut præmium nostri laboris, quam Deus suo largitur arbitratu, neque in hominis sita est potestate, nec in præcepto est. Nihilominus si quis pio in labore perseuerauerit, sentiet is paulatim in se gratiam Dei instar auroræ consurgentem: *Iustorum semita*, inquit Sapiens, *quasi lux splendens procedit & crescit vsq; ad perfectum diem.* Attamen cauendum vt quis pro sensibili deuotione immoderatius laboret ne hinc in cerebri aut sensuũ defectum incidat: Memor sit eius quod dicitur Genes. 33. *Si plus ambulando fecero laborare greges, vna die morientur omnes.* Nec etiam immodice doleant aut in cultu Dei desides reddantur, vbi eam non sentiunt, sed donum hoc diuino permittant arbitrio, vt eo carere sint parati, sicut & habere. Atqui dum habent, ne hinc de se se magnifice sentiant, tanquam mira sanctitate polleāt, cum hinc reuera profectus hominis, aut amor Dei quantus sit, non possit internosci. Vt enim catellis nonnunquam è filiorum cibis quippiam offertur, iuxta quod dicitur, *Nam & catelli comedunt de mensa Dominorum suorũ,* Marc. 7. item serui ex his quibus Domini vescuntur, non quidē ex ipsorum dignitate, sed Dominorum beneficentia & liberalitate, ita & Dominus vltimis seu infimis suis amicis & incipientibus gratiam hanc sensibilis deuotionis interdum copiosius elargitur, quo sic eos alliciat, quā præcipuis suis amicis non nisi post magnos labores tribuere solet, nimirum post diuturna ieiunia, vigilias, famem, frigus, & alia corporis incommoda quæ fortiter perferre consueuerunt, vt aliquam à Deo gratiam obtineant. Quo modo Daniel post ieiunium triũ hebdomadarum spiritu prophetiæ impletur, Moyses post 40. dierum abstinentiam legem accepit: Quibus omnibus continuum orationis spiritum iungere solent sancti Dei, quo Deo sic fierent familiares & intimi, vt ex eo tanquam fonte perenni haurirent creberrimam diuinæ consolationis copiam: vt quicquid mundus in reb. quærit creatis, hoc verus Dei cultor ab eo requirit in quem totam suam fiduciam reposuit. Beatus ille qui eam inuenit gratiā & hanc cum Deo contraxit amicitiam vt in quouis suo opere eius sentiat directionem, ac Domini vocem obaudiat, & in corde suo velut in libro scriptum inueniat quid agere, quove modo & quando debeat: Ij enim filij Dei sunt qui hoc modo spiritu Dei aguntur, vt in iis compleatur quod dicit Dominus, Vos non estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.

Prou. 4.

12. SI QVANTVM virtutis corraseris, quantumq; in christiana religione profeceris, intelligere velis, vexatio dabit intellectum: qualem enim tempore tentationis aut tribulationis te inueneris, talem te esse memineris, inquit Bernard. Qui tentatus variis desideriis æstuat, irarum procellis instar maris tumeat, iam metu concidat, iam vero lætitia leuiter exultet, quis talem puerili spiritu in præceps rapi non dixerit? Sed qui pacem habet non quam foris à subditorum obsequiis extorquet, ipsis magnam sæpenumero inquietudinem pariens, verum quā intus in concussa mentis tranquillitate inter cupiditatum feruores, & aduersitatum fragores seruat, is specimen veræ virtutis præ se fert: vera enim atq; perfecta virtus perfectam habet animæ tranquillitatem & totius hominis stabilitatem, qui nec metu turbetur, nec terrore concutiatur, nec vlla cupiditate exagitetur, sed quasi in littore tutissimo aduersus in-

Digitized by Google

sus insurgentes secularium procellarum fluctus ac tempestates mentem fida statione conseruat immobilem, vbi cor impij velut mare quod feruet quiescere nescit, dum plus affligitur prauis animi motibus in pectore, quam plerique alienis vulneribus in corpore. Pax ista quæ cupiditatum malarum excludit illecebras, ac passionum noxiarum mitigat perturbationes, sublimior est & eminentior quam quæ barbaricos hostium sedat incursus: plus est enim clausum intra te hostem supprimere, quam remotum & longius à te dissitum reprimere: & hæc quidem pax æterna Imperatoris industria procuratur, illam vero internam christianis mentibus Christus inuexit, eamque animis electorum suorũ instillauit. De quâ pace sic Paulus ad Philippen. 4. *Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum custodiat corda vestra.* Et apud Isaiam, *Sabbathum delicatum vocaberis Domino Deo tuo.* Hoc illis proprie dicitur qui ab omnibus curis, terrenisq; negotiis ac molestiis expediti cum Deo requiescunt in pace & festum diem cum eo agunt. Nomine illo, (*delicatum*) in iis rebus vti solemus, quæ admodum tenera sunt atq; fragilia: ideo vasa vitrea delicate tractamus, quoniam facillime franguntur: Pace autem ac tranquillitate ista mentis interna nihil magis vitreum, nihil magis cuiuis iniuriæ obnoxium, quæ instar aquæ leuissime mouetur & turbatur, leui risu, verbulo otioso, incomposito corporis motu, buccella paulo auidius sumpta, oculis aliquanto liberius ad videndum emissis. Quisquis ergo affectum hunc diuinum, pacem hanc christianam conseruare diu velit, ab his omnibus quamlibet leuissimis impedimentis purum se conseruare studeat: quæ quamuis non adeo animam inquinent aut saucient, spiritum tamen pacis exhauriunt, tristẽ & aridum, leuem & inanem hominẽ reddunt. De D. Antonio refert *Athanasius in vita eius*, quod cum illi in deserto agẽti semel aut bis in anno, minister quidam panem quo solo vescebatur, offerret ne simplici quidẽ verbo vltro citroq; dato, quietem suam vir sanctus interrumpere solebat, ne hac occasione internum illud animæ suæ sabbatum ac pacem turbaret aut violaret. Diuus quoq; Franciscus in solitudine montis Aluernæ cum Deo vitam agens, locium admonebat vt cum media nocte ad illum pergeret nocturnos cum eo hymnos recitaturus, nullum verbum proferret, sed statim versiculum inchoaret, *Domine mea labia aperies*, quod si is sequentem versum non respõderet, protinus abiret. Hæc pax Dei exuperat omnem sensum: omnem voluptatem carnis & illecebras mundi vincit infinitis partibus, non solum præstantia & dignitate, sed etiam suauitate & delectatione.

Isa. 58.

13 Hæc est admiranda conditoris nostri Dei sapientia quod humanam condiderit naturam instar cytharæ, quæ vt suauem de sese & consonum reddat concentum, fidibus cunctis inter se rite dispositis atque adaptatis constet necesse est: si enim vel vna earum dissona sit atque dissoluta, remissa fuerit aut nimis intensa, tota soluetur harmonia vt minus sit consona & perfecta. Ita humanus animus cum omnibus viribus suis, vt integer sit atque perfectus, omni virtutum genere debet esse præditus & instructus: quibus apte inter se connexis ac rite dispositis, efficitur ipse homo velut quoddam instrumentum musicum quod suauissimum de sese emittit concentum & in gratiarum actione, & in omnium virtutum operatione: sic Deus fecit hominem rectum atque perfectum. Iam vero cum per peccati lapsum sit homo confractus, non patitur læsa natura & infirmitas humana vt omnibus & per omnia sese recte gerat homo, sed multum fuerit si in eo actionum genere se rite gesserit in quo bene versatus sit & multum studij consumpserit: Simul autem in diuersis virtutum exercitiis apte se posse gerere, res est vsqueadeo difficilis vt plærumque

qui id attentare voluerit, proprium suum ministerium negligat, & magis alieno negotio incumbat, eoque agendi modo vtrumq; subuertat: in quo proculdubio omnis Reipublicæ interitus consistit, dum & scriba & legisperitus exercitum instruit, plebeius prouincias regit & de regni negotiis disponit, virgo Deo sacra prolium ac familiæ curam gerit, & sutor ac sartor scripturas voluit & exponit. Quid mirum igitur si in re tam ardua paucos sit inuenire suis numeris absolutos: quinimo multum fuerit in materia hac tum ampla si quis certam aliquam virtutem sibi deligas, in eaque pro eius dignitate sese exercere studeat. Et quamnam, inquies, mihi virtutem deligam, in qua præ cæteris animum colam? Eam quæ vocationi tuæ ac professioni maxime conuenit: vt enim religiosos decet pietas & deuotio, & seruos prompta obedientia, sic Principes & Duces magnanimitas & fortitudo, Coniugatos labor industria, Iurisperitos prudentia & legum scientia, omnes autem fides, spes & charitas. In his quisque quam possit diligentissime exerceat sese: Turpe enim vt qui vel saltandi, vel digladiandi studio delectantur, aut alia opificia administrant, si totis viribus incumbant ne cæteris inferiores reperiantur: qui vero christianæ religioni & pietati ac cæteris virtutibus operam nauat, non solum non proficere studeat, sed & seipso indies deterior fiat. An virtutes, sine quibus homini non potest esse salus, inferiori loco quam artem mechanicam habebimus? Et hæc quidem ars sicut & scientia secularis aut artes illæ quas liberales dicimus, neglectę damnum inferunt rebus nostris terrenis: contemptus vero virtutis detrimentum salutis æternæ. Mens enim antequam in Dei habitaculum præparari queat, & à labe peccati puta, & omni virtutum genere ornata esse debet, teste Psalmista qui sic ait, Iustitia & iudicium præparatio sedis eius, hoc est, vt mēs hominis fiat sedes & templū Dei, præparari & ornari debet variis virtutibus tāquam quibusdam carbunculis: eaq; sic adornata plus Deum afficit & delectat, quam templa auro fulgentia.

14 QVAPROPTER religionem nostram christianam recte palæstram dixeris esse spiritualem, in qua quisq; & laboribus & luctationibus, & ieiuniis & vigiliis, & crebris orationibus, meditationibus, lectionibus, & id genus exercitiis aliis disponitur, præparatur & exercetur vt ad virtutis decorem peruenire valeat. Neque enim mox etiam si quis diuitias paupertate commutarit, omniaque sua propter Christum reliquerit ac pauperibus elargitus sit virtutis apicem contigerit, sicut qui luctandi cupidus palæstram ingreditur non mox palæstrita fit. Vnde Pythagoras cum se Philosophiæ ac virtutis studio totum addixisset, non se sophon sed Philosophum, hoc est, non se sapientem sed sapientiæ amatorem dicī voluit. Qui vero istiusmodi exercitia spiritualia, quæ præmitti solent & præmitti debent, aut negligit, aut solis monachis & iis qui nihil habent quod agant relinquenda existimat, in sæculo autem degentibus minus congrua aut non necessaria iudicat, tam poterit is ægre ad virtutem peruenire, quam studiosus quispiam qui otio & ignauia torpescit, adipisci scientiam: Verum enim est illud Horatij

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudauit & alsit.

Neque enim perfunctorie aut negligenter sed toto conatu, totoque animo passim, palam & vbique & semper quærenda virtus, inquirendus Deus, vt licet moram in quærendo & difficultatem in inueniendo patiaris, non tamen mox tędio aut labore victus ab incœpto desistas: perser & obdura, ꝙ persequeris assequeris, labor improbus n. omnia vincit. *Sæpe, inquit Ber.* in initio conuersionis meæ corde durus & totus frigidus inquirebā in

que

quo recalesceret spiritus meus, & cum torporem & languorem nulla de parte qui succurreret & per quem gelu pectoris mei dissolueretur, occurrebat, & tūc magis ac magis languebat & dormitabat præ tædio anima mea, tristis, ac pene desperans & mussitans secum, A facie frigoris eius quis sustinebit? Et ecce subito in corde meo frigido ac rigido accendebatur deuotio, afflabat spiritus & fluebāt lachrymarum aquæ: & quanquam nō pinguis aspersio, tenuis tamen exhalatio olei effusi ad me perueniebat: & quærebam quem diligebat anima mea vt amplius diligerem, neq; enim vlterius quærerem si tam perfecte diligerem, sed nec diligerem si nullo modo inuenissem. Possent multi Deum inuenire si iam inuenisse quod si ipsis satis est, non existimarent: possent multi fieri viri boni, inquit Seneca, si iam se tales esse sibi non persuasissent. Occulta hęc superbia pestiferum est hominis venenum.

15 PORRO quod postremo hoc loco adiiciendum est, non satis est si virtutum exercitiis quam possis diligentissime incumbas, nisi his omnibus continuum orationis spiritum coniunxeris, quo ex Deo tanquam fonte viuo creberrimam diuinæ consolationis copiam haurias, diuinæ directionis & protectionis gratiam impetres. Quandoquidem enim anteactæ vitæ consuetudo corroborata est in malo, inanium cogitationum concursu facile euertuntur conatus nostri, si in misericordia Dei fulciantur & vigore spiritus eius, elumbes hominis vires restaurentur. Hoc fundamentum quia non posuerunt Philosophi, Pythagoras, Solon, Socrates, Plato & id genus alij, sed propria industria, proprioq; labore euadere nitebantur in viros bonos, sicut Cicero aiebat, Ego mea virtute meis præluxi maioribus: & alius quidam, Det vitam det opes Iupiter, æquum mihi animum ipse parabo: virtutis quidem vmbram ac similitudinem habitu, moribus, doctrinis præ se ferebant, ad veram autem ac solidam & viuam virtutem nō perueniebant: Quin & *Paulus* asserit idipsum accidisse Iudæis legem Dei edoctis, cum ad Romanos ait, *Israel sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus*, hoc est, quia dum bene operari viderentur, id faciebant ex solis naturæ viribus, non ex spiritu Christi qui viuificat nostra opera, & quem fides impetrat. Qui quam sit infirmus se probe nouit, quandam impossibilitatem implendi legem sine gratia infirmitatem nostram sanante, in se inuenit. Hinc orando, ingemiscendo ad Deum confugere debet vt gratiam & spiritum eius impetret, per quem id possit in quo se deficere vidit, *Vt sciui*, inquit Sapiens, *quoniam aliter non possem esse continens nisi det Deus, & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum & deprecatus sum illum ex totis præcordiis meis, & dixi, Domine Deus da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, vt mecum sit mecumq; laboret, quoniam homo infirmus sum ego & minor ad intellectū iudicij & legum: sed & si quis fuerit consummatus inter filios hominū, si abfuerit ab illo sapientia tua in nihilum computabitur.* Absq; hac Dei gratia & naturam sanante & nos dirigente, vniuersa quæ iubentur à Deo, non modo non fient à nobis, sed in diuersum agentur omnia. Præcipit nobis Deus vt diligamus inimicos & oremus pro persequentibus nos: quid nos ad hęc? optamus vt digna factis recipiant, & si nosipsos vindicare non possimus, cupimus vt Deus iniuriam nobis illatam vlcisci velit. Rursum ait Dominus, Quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Huius sententiæ partē priorem ita exacta memoria tenemus vt nunquam excidat: posteriorem vero ita præterimus, vt nunquam audisse videamur: Nam quid ab aliis nobis præstari velimus, optime nouimus, quid autem aliis ipsi præstare debeamus, penitus nescimus. Rursum ait Paulus ad Cor. *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius:*

Cap. 9.

Sap. 8.

1. Cor. 10.

Tan-

Digitized by Google

Tantum autem abest vt aliorum commodis aliquid cum damno proprie præstemus, vt plerique nostris commodis etiam per aliorum damna consulamus. Quod non aliunde prouenit, quam quia pleriq; mortalium gratia diuina destituti propria aguntur cupiditate, quæ quod suum est quærit: E cõtra hęc est vis ipsius gratię diuinæ vt homo proximum tanquam seipsum diligat nec minus alterius profectu quã proprio gaudet, *Charitas*, inquit Paulus, *non quærit quæ sua sunt*, sed facit omnia communia.

16. Ex præmissis constat maiorem curam atque industriam impendendam ægris animabus curandis, quam infirmis aut sauciis corporibus sanandis. Nã quãquam Deus solo verbo possit sanare & saluare sicut sanauit paralyticum, *Matth.* 9. & saluauit latronem in cruce ? Attamen non omnia quæ potest, facit Deus, sed potentiam suam attemperare solet secundũ hominum dispositionem & fidei eorum capacitatem, vt plus consequatur qui fortis fuerit fide quam qui infirmus, vnde *Marci.* 6. dicitur quod nõ potuerit ibi virtutem vllam facere *propter incredulitatem eorum*: Et ca. 9. Dixit Dominus cuidam sanitatem pro filio postulanti cuius infirmam videbat fidem, *Si potes credere omnia possibilia sunt credenti*, & cõtinuo exclamãs pater pueri cum lachrymis aiebat, *Credo Domine adiuua incredulitatem meam*. Vt enim recte docet *Cyrillus*, tantum gratiæ haurire potest quisq;, quantum capax est vas fidei illius, vnde multoties dicitur in scripturis, vt *Matth.* 9. & alibi, *Secundum fidem vestram fiat vobis*. Vnde Centurio ille cuius fidem commendat Dominus quod talem non reperisset in Israel, *Matth.* 8. statim puero suo sanitatem impetrauit: Regulus autem iste *Ioan.* 4. qui infirmus fide erat, rogans pro sanitate filii sui, etiam correptus fuit à Domino, *Nisi signa*, inquit *& prodigia videritis non creditis*: vnde fides eius augeri debebat priusquam filio sanitatem impetrare poterat, Deus enim qui cuncta fecit in pondere, numero, & mensura, etiam fidei, pœnitentiæ, cordis contritioni, pio desiderio, suos præscripsit atque præfixit gradus, quos qui pœnitendo aut orando attigerint, certius impetrant quod postulãt: Id quod nobis innuunt hæ & similes scripturæ, *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*, cui minus dimittitur minus diligit, *Luc.* 7. Rursum Deut. 4. *Cum quæsieris Dominum inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris illum*. Quærit homo interdum Deum sed infirma fide, fracto desiderio, non toto corde, qualis Augustinus erat cum diceret, Da continentiam sed non modo: quod talis non impetret id quod oretenus postulat, mirum videri non debet, quia non petit, nec virtutem amat. Istud vitium vulgo vulgare.

17. Est & istud hic subiungendũ quod homo facilius culpæ obtineat remissionẽ quam aut omnis pœnæ relaxationem, aut animæ sanitatem perfectam. Cum enim *Deus nolit mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat*, modo homo syncere doleat, mox in gratiam eum Dominus suscipit, id patet & in filio prodigo, & in Dauide, 2. *Reg.* 12. qui cum corde contrito diceret, *Peccaui Domine*: protinus respondit Propheta Nathan, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*. Vbi manifestũ est quod ei relaxetur damnatio æterna, quia mortem temporalem non euasit Dauid per suam pœnitentiam. Cum vero subiungit Propheta, *Quia interfecisti Vriam Hetheum gladio, non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum*: patet non omnem pœnam Dauidi fuisse remissam: Facilius enim homo damnationem deprecatur æternam, quam pœnam temporalẽ in hoc seculo aut in futuro luendam. Nam vt quis Deum sibi plene atque perfecte reconciliet, vt iuditium euadat non solum damnationis æternę sed etiam pœnę purgatorii, opus est lachrymis amaris, iugi vigilia, indesinenti ieiunio vt iuxta proportionem delicti etiam curationis auxilium assumatur. Vnde & Ambrosius dicit facilius se inuenisse qui innocentiam serua- lib. 2. de Pœn. c. 10.

uerint, quam qui lapſi condignam pœnitentiam peregerint, qua nimirum omnis pœna eluatur. Verum etiamſi pœnæ peccatis debitæ obtinuerit quis plenam relaxationem, non ideo tamen plene ſanus & animus integer euaſerit: remanet enim languor & animæ infirmitas etiam in homine recenter baptizato qui culpæ & pœnæ plenam obtinuit remiſſionem, licet ea multum imminuta ſit & ex parte ſanata, perfecte autem ſanabitur quando ipſa concupiſcentia, quæ eſt animæ infirmitas, plene eradicabitur, quod demum fiet in futura vita, quando euellet radicem cōcupiſcentiæ de terra viuentium, hoc eſt, de corporibus ſanctorum: In hac vita relinquitur huiuſmodi concupiſcentia velut quidam animi languor, ad luctam & exercitium Chriſti fidelium, paulatim tamen luctando & orando minuenda & ſananda.

IN FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ.

DIXIT *Ieſus diſcipulis ſuis, Hæc mando vobis vt diligatis inuicem: Si mundus vos odit ſcitote quia me priorem vobis odio habuit, &c.*

Ioan. 15.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Impii non ſolum iuſtos ſed & Deum oderunt, quem ſe tamen amare putabant.*

II. *Eſt amor noxius & bonus, & odium bonum & noxium.*

III. *Cur iuſtos impii perſequantur, & cur id permittat Deus.*

IV. *Excuſationem de peccato Iudæi non habent, & de vita horum Apoſtolorum.*

PARS I.

ART. I. Impii non ſolum iuſtos ſed & Deum oderunt.

1 SI *mundus vos odit ſcitote quia me priorē vobis odio habuit*) Præmonet eos Dominus ne mirentur & ne animum deſpondeant ſi ſe contemni, ſi conuitiis affici, ſi ſuam doctrinam à pleriſque non recipi, ſed ſe propter eam perſecutionem pati viderint: idē enim & ſibi accidiſſe Chriſtus dicit, vt mirūm non ſit, ſi in Dominum tale quid attentauerint, quod & in eius ſeruos inſurgant: non enim eſt maior ſeruus Domino ſuo. Impij iuſtum oderunt *inquit Baſilius*, vt ſibi contrarium, vt pote cuius moribus, velut rectitudine & melioris appoſitione, redarguuntur. Sed & mali ſe inuicem interdum odio habent & perſequuntur, quia malum malo poteſt eſſe contrarium, ſed malos ſibi ſimiles diligit malus: bonos autem nemo malus diligit, quia inuicem ſibi ſemper hi aduerſantur, quod enim mundus diligit, hoc iuſtus aduerſatur, odit & redarguit. Sed paulo latius & clarius id explicandum quomodo mali ſemper oderint bonos, cum frequenter hominum conſcientias indagare, & vtrum boni vel mali ſint ſcire non poſſimus: eum autem odiſſe quem neſcimus qualis ſit, videtur fieri non poſſe. Si enim eū nō quod ipſe eſt, ſed neſcio quid aliud ipſum ſuſpicamur aut credimus, & hoc oderimus, vtique non eum odio habemus, ſed quod noſtra mendaci ſuſpicione vel vana credulitate concipimus. Si autem quod eſt, hic de illo ſentimus quomodo eum neſcire dicimur? Non enim quempiam hic noſſe dicimur, quia eius faciem quam videmus, nouimus: quam cum nec ipſemet vnquam viderit, ſibi notus nunquam eſſe poſſet, niſi fortaſſe ex imagine in ſpeculo relucente: Nulli tamen poteſt notior eſſe quam ſibi. Non igitur in eis facie corporali nobis intimatur cuiuſque notitia: ſed tunc nobis ad cognitionem patet, quando eius mores & vitam probe cognitā habemus. Hanc quæſtionem docte reſoluit Aug-

Aug. in Io. tract. 90. August. *tracta. 90 in Ioannem*: vbi sic habet Pertinet ad nos ne perniciosa opinione fallamur vt quia non possumus hominum indagare conscientiam, nec videre quid sapiant, quid cupiant, quid viuant, de ipsis rebus habeamus veram certamq; scientiam: hoc est, vt si ille vel ille homo vtrū sit impudicus, vel pudicus nescimus, oderimus tamen impudicitiam, & pudicitiam diligamus: & si illum iniustum iustumue esse nesciamus, amemus tamen iustitiam, & iniustitiam detestemur: vt cum de ipsis rebus quod appetendum est appetimus, quod deuitandum est deuitamus, ignoscatur nobis quod de occultis hominum aliquando, imo assidue non vera sentimus, cum cor humanum inspicere, eiusque latebras perscrutari non valeamus, sed plærumque aliud quam id quod ibi agatur suspicemur. Quanquam & in his humanarum rerum tenebris, hoc est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones deuitare non possumus quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitas firmasque sententias continere debemus: nec ante tempus quicquam iudicare, donec veniat Dominus & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordium.

2. PER has autem humanorum cordium tenebras res multum miranda & multum dolenda contingit, vt eum nonnunquam, quem iniustum putamus, tamen iustus est, & iustitiam in eo nescientes diligamus, & tamen deuitemus & auersemur, eumque tanquam malum castigatione salubri, siue ne aliis noceat, siue vt fiat ipse correctior, persequamur & hominem bonum tanquam malum affligamus, quē nescientes amamus: Hoc fit si quis, verbi gratia, cum sit pudicus à nobis creditur impudicus; Sine dubio enim si pudicum diligo, hoc est ipse quod diligo, ego etiam ipsum diligo & nescio. Et si impudicum odi, non ergo ipsum odi, quia non est quod odi, & tamen dilecto meo cum quo semper in charitate pudicitiæ habitat anima mea, facio ignarus iniuriam, non errans in discretione virtutum atq; vitiorum, sed in cordium tenebris humanorum. Proinde sicut fieri potest vt homo bonus hominem bonum oderit nesciens, vel potius diligat nesciens ipsum enim diligit, cum bonum diligit, quia id quod est ille, hoc iste diligit, oderit autem nesciens non ipsum, sed quod putat esse ipsum. Ita fieri potest vt etiam homo iniustus oderit hominem iustum, & dum æstimat se sui similem iniustum diligere, nesciens diligat vel potius oderit nesciens iustum: & tamen dum eum credit iniustum, diligit non ipsum, sed quod putat esse ipsum. Quemadmodum autem hominem, sic & Deum nesciens odit, si diligat id quod Deus damnat, sicut & falso se diligit & vere se odit qui quod sibi nocet diligit, teste Psalmista qui ait, *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* Quanquam igitur sibi persuadeat mundus, hoc est, mundi amator se Deum diligere, & si interrogaretur vtrum diligat Deum, quid se aliud quam diligere responderet, nec ex animo mentiens, sed errando potius opinans? Quomodo enim diligeret patrem veritatis, qui haberet odio veritatem? Nolunt impii sua facta damnari, & hoc habet veritas vt talia facta damnentur, quam tantum oderunt, quantum oderunt suas pœnas quas talibus irrogat veritas. Nesciunt autem illam esse veritatem quæ tales quales ipsi sunt damnat: oderunt ergo quam nesciunt, eamq;, quæ eos damnat, esse nollent, vt impune peccare possent, quia qui odit, esse non vult quod odit, hinc & homicida à Ioanne dicitur qui fratrem odit. Et qui veritatem oderunt, profecto & cū de quo nata est, nisi odisse non possunt. Ac per hoc quia veritatem qua iudicante damnantur, de patre Deo nata nesciunt, vtrique etiam ipsum & nesciunt & oderunt. O miseros homines qui cum esse volunt mali, nolunt esse veritatem qua damnantur mali. Nolunt n. eam esse quod est, cum seipsos debeant nolle esse quod sunt, vt ipsa manente mutentur, ne ipsa iudicante damnentur. *Hactenus Aug.*

Digitized by Google

iniquus & inimicus eſt odio habẽdus eſt, inquantum autem homo eſt, diligendus eſt: vt illud quod in eo recte oderimus, arguamus, id eſt, vitium, quo poſſit illud quod in eo recte diligimus, id eſt, humana natura ipſa emendato vitio liberari. Hæc inquã regula eſt qua & oderimus inimicum propter id quod in eo malum eſt, id eſt, iniquitatem, & diligamus inimicum propter id quod in eo bonum eſt, id eſt, rationalem naturam. Audito igitur & non intellecto, quod antiquis dictũ eſt, Oderis inimicum tuum, ferebãtur homines in hominis odium, cum deberent non odiſſe niſi vitium. Hos corrigit Dominus dicendo, *Diligite inimicos veſtros*, docens nos intelligere, quonammodo poſſemus vnũ eundemque hominem & odiſſe propter culpam, & diligere propter naturam. *hæc Auguſt.* Tale quid & de Deo legimus,

Sap.15. quod oderit omnes qui operantur iniquitatẽ, & tamen nihil eorũ oderit quæ fecit: Quanquam enim iniquitatem hominis oderit Deus, quia tamẽ iniquitas noſtra opus Dei, hoc eſt, naturam ipſam humanã, omni ex parte non deſtruit, fit cum vnus & idem ſecundum quid ſit bonus & ſecundum aliud ſit malus, ſimul odio haberi & diligi poſſit: Nã peccatũ & omne illud quod repugnat Deo hominiſque ſaluti, odiſſe poſſumus, quia hoc ipſum pertinet ad fraternum amorem, odiſſe eius malum quod cupimus ſublatum & extinctũ, ſicut velle ipſius bonum: ſecundum naturam igitur & gratiam & omne id quod habet à Deo diligendus eſt inimicus: ſecundum hoc autem quod eſt inimicus, hoc eſt, ſecundum propriam iniquitatem & peruerſam voluntatem, odio eſt habendus.

2. ET quid mirum ſi inimicus ſit odio habendus, cum & pater & mater adhuc autem & anima noſtra debeat haberi odio: Sic enim Dominus apud Lucam ait,

Luc.14. *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum & matrem & vxorem, & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Iſtud mirum videtur quod odio ſint habendi pater & mater, quos ſecundum Dei præceptum honorare & amare oportet: cum odium nihil ſit aliud quam affectio quædam & propoſitum malefaciendi, & odiſſe nil ſit aliud quam malum alicui velle, ſicut diligere eſt bonum velle: Nam & Deus hactenus dicitur hominem odiſſe vel diligere, iuxta illud Pauli ad Rom.9. *Ia-* Mala.1.

cob dilexi, Eſau autem odio habui, quia ei Rom.9.

bene vel malefacere decreuit: Eſau odio habuit non quia homo ſed quia peccator, non quia dignum damnatione fecit, ſed quia damnatione dignum inuenit, & hac de cauſa ad ſuppliciũ deputauit. Parentes igitur iubemur odiſſe, nõ vt tales quia ſic eos honorare oportet, ſed quatenus nobis impedimento ſunt perueniendi ad Chriſtum & ſalutem noſtram impediunt. Hic locum habet quod Elias ille apud *Bernar-* Bernar.

dum ad parentes ſuos ſibi infeſtos dicit, epiſt.111.

Quid à vobis habeo niſi peccatum & miſeriam? Hoc ſolum quod geſto corruptibile corpus, de veſtro habere me fateor & agnoſco. Non ſufficit vobis quod me in hanc ſeculi miſeriam miſeri miſerum induxiſtis, quod in peccato & peccatorem peccatores genuiſtis, ꝙ in peccato natum de peccato nutriſtis, niſi etiam inuidendo mihi miſericordiam, quam conſequutus ſum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filiũ inſuper gehennæ faciatis? Cui ſimile & illud *Hieron. ad Heliod.* Audi Hiero.

edictũ Regis tui, Qui non eſt mecum cõ- epiſt.1.

tra me eſt. Recordare tyrocinii tui diẽ, quo Chriſto in Baptiſmate conſepultus, in Sacramẽti verba iuraſti, pro nomine eius nõ te patri parciturũ, non matri. Ecce aduerſarius in pectore tuo Chriſtũ conatur occidere. Ecce donatiuum quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant. Licet paruulus ex collo pẽdeat nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus vbera quibus te nutrierat mater oſtendat, licet in limine pater iaceat: per calcatũ perge patrẽ ſiccis oculis ad vexillũ crucis euola: Solũ pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem. Gladiũ tenet hoſtis vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? *hæc Hiero.*

Digitized by Google

August. de serm. in monte.

3. QVAM verum est, *inquit Aug.* quod regnum cælorum vim patitur: quanta enim vi opus est vt homo diligat inimicos, & oderit patrem & matrem, ad huc autem & animam suam. Vtrumque iubet qui ad regnum vocat, non vt oderimus ipsos homines, sed ipsas necessitudines tẽporales, quibus præsens vita quidẽ fulcitur, sed ab iis futura vita libera est. Id sine dubio odimus, quod certe vt aliquando nõ sit optamus: Sicut si aliquem bene Christianum, qui tamen habet vxorẽ, quamuis cũ ea adhuc filios generet, interrogẽ an in illo regno vti velit vxore, cũ execratione respõdebit se vehemẽter id nolle: Rursum si interrogem an vxorem suam in regno immortali viuere velit, tam vehementer se id velle, quam illud nolle respondebit. Sic inuenitur bonus Christianus diligere in vna fœmina, creaturam Dei quam reformari desiderat, & odisse coniunctionem carnalem hoc est, diligere in ea quod homo est, & odisse quod vxor est. Hoc & de patre & de matre intelligendum est, vt in eis oderimus quod genus humanum nascẽdo sortitum est, diligamus autem quod nobiscum ad illud regnum adduci potest, vbi nemo dicit pater meus, sed omnes omnino vni Deo, Pater noster: nec mater mea, sed omnes illi Hierusalem, mater nostra: nec frater meus, sed omnes de omnibus, frater noster. Necesse est ergo vt oderit ea, quæ transeunt, discipulus Christi, in iis quos secum ad ea venire desiderat quæ semper permanebunt: & tanto magis hæc in eis oderit, quanto magis eos diligit. Odimus autẽ sine dubio, quod certe vt aliquando nõ sit optamus, sicut istam ipsam præsentis temporis vitam, quã temporalẽ si non odissemus, nõ desideraremus futuram quæ nõ est tempori obnoxia: Pro hac enim vita posita est anima, de quo dictum est, Qui non oderit insuper & animam suam non potest meus esse discipulus. *hactenus August.*

August. ser. 59. de tem.

4. MVLTI præcepta Dei sua imbecillitate non Sanctorum viribus æstimãtes, putant esse impossibilia quæ sunt præcepta: *inquit August.* & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos, cæterum diligere plus præcipi quam humana natura patiatur. Sciendum ergo Christum non impossibilia præcipere sed perfecta quæ Dauid fecit in Saul *hæc August.* Verum hic animaduertendum, quod tametsi inimicos diligere præcipimur, tamen eos vt caueamus admonemur, *inquit Chrysost.* & Christi exemplo, de quo scriptum est apud Ioannem, *Iesus autem non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, ipse enim sciebat quid esset in homine*: Et doctrinæ verbo iuxta quod ait, *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes.* Nunquam enim contraria iunguntur impune, & sine periculo nemo suo hosti coniunctus esse poterit: hinc caute diligendus inimicus ne amicitia illius tibi fiat perniciosa & noxia modicum enim fermentum totam corrumpit massam, & cum peruerso peruerteris.

Ioan. 2.

III. Cur iustos impii persequantur.

1. SI *me persequuti sunt & vos persequentur*) Hostis hostem, & inimicus inimicum persequi solet. Et id mirum quomodo quis Deum aut odisse aut persequi possit, cum & ipsa bonitas quam nemo odisse potest, sed omnes naturaliter diligũt, & omnibus benefaciat, *In ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* Odit diabolus, odit & homo impius Deum, quia ipsis, ipsorumque deprauatæ voluntati aduersatur, dum eorum peccata per legem cohibet, & per iustitiã punit & castigat: Hinc Deum blasphemant, ipsique iniurii sunt dum nec linguæ nec cogitationibus malis parcunt, *inquit August.* Et quid Deo excelso & incommutabili bono nocent? nihil sed sibi plurimum, tanquam si quis pugnũ in columnam feriat, ille quidem læditur grauiter, sed ista illæsa & immobilis manet. Et hi blasphematores aperte sunt inimici, sed quotidie inueniuntur & occulti, inquit idem, teste Iacobo qui ait ca. 4. *Adulteri nescitis quia amicus huius mundi inimicus Dei constituitur?* Quomodo enim fieri

August. in Psal. 91.

fieri non poteſt adultera coniunx niſi inimica ſit viro ſuo, ſic anima adultera amore rerum ſecularium dum aut carnis voluptatem, aut diuitias mundi, aut honorem ſeculi magis amat quam Deum, non poteſt niſi inimica eſſe Deo: de quibus Paulus ad Timot. *Erunt homines ſeipſos amantes cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei.* 2. Tim. 3.

Hoc cuique innatum eſt vt aduerſetur aduerſanti ipſi, in eumque inſurgat qui ipſum ab eo quod amat cohibet: Hinc & diabolus hoſtis Dei effectus, ipſumque contemnere & odio habere cœpit, eo quod ipſi ſuperbienti reſtiterit & quo minus ſua potentia frui poſſet deturbauerit: Et cum Deum impetere non poſſet, in imaginem Dei, hoc eſt, in hominem ad imaginem Dei factum virus ſuum euomuit: velut ſi quis iratus in Regem, ſtatuam Regis luto & lapidibus petat, cum Regem non poſſit. Ferunt ipſos pardos naturalem quandam habere aduerſus hominem iram: Qui itaque inſaniæ illius beſtiæ illudere volunt, ex charta imaginem velut hominem oſtendunt: Illa vero præ nimio impetu chartam velut hominem dilaniat, atque odium ſuum hoc modo in hominem exatiat: Sic diabolus oſor hominum factus, eo quod Deum prius odio habuerit, cum Deum attingere non poſſit in imagine Dei odium declarat. hæc Baſil. Suntque iſto affectu odii diaboli miſerrimi, ſicut Angeli amatore fœliciſſimi.

2. VARIIS de cauſis permittit Deus iuſtos & pios ab iniquis & impiis affligi? *Primum* quidem vt ob hoc ipſum improbos eorum mores magis auerſentur & ab ipſis alienentur. *Secundo* vt ardentius cupiant libertatem & tranſitum in patriam his malis liberam, dum ſic in exilio affliguntur. Nam ſi filii Iſrael tot tantiſque calamitatibus & malis affecti & contriti ab Ægyptiis, ſæpius tamen poſtea inde egreſſi flagrantiſſime concupierunt res Ægyptiacas, & illuc reuertendi non voluntatem modo, ſed etiam conatum habuerint: ſic enim loquuntur in lib. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes, recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, anima noſtra arida eſt, nihil aliud hic reſpiciūt oculi noſtri niſi man. Nonne melius eſt reuerti in Ægyptum? dixeruntque alter ad alterum: Conſtituamus nobis ducem & reuertamur in Ægyptum*: Quid eos facturos fuiſſe putemus ſi bene illis ſemper ac proſpere in Ægypto fuiſſet? *Tertio* permittit ſuis electis obuenire afflictiones Deus, vt ea ratione infinita eius potentia & bonitas reluceat, qua fit vt etiam aduerſa bonis bene cedant, dum eorum virtutem mirabiliter augent eoſque magis illuſtrant: Ecce tibi Hebræi quanto magis affligebantur & opprimebantur ab Ægyptiis, tanto magis multiplicabantur, vt dicitur *in Exodo.* Nam afflictio, perſecutio, paupertas, infirmitas non omnibus oneroſa, ſed tolerare nolentibus: in cæteris autem ſpiritu Deo roboratis tanta vis virtutis & gratiæ Dei enituit, vt vſque ad contemptum doloris & mortis, culmen virtutis erexerint & ſalutem promouerint. *Ibant*, inquit ſcriptura, *Apoſtoli gaudentes à conſpectu conſilii quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Et hoc cuique ſtudium eſſe debet, vt nedum ab amicis verumetiam ex inimicis vtilitatem capiat: Nam qui inimici ſui malitia ad id vti voluerit ad quod oportet, non tantum tibi vtilitatis adferent amici dum laudant, quantum inimici dum perſequuntur, calumniantur aut vituperant: Pecunias eripuit? ſed ſi fortiter pertuleris rapinam, tantum accipies mercedis, ac ſi eas in manus pauperum repoſuiſſes, inquit Chryſoſt. *tom. 1. hom. de Dauid & Saul.* Si conuitia ſuſtines, id enim inimicorum proprium vitia arripere eaque laniare, ſicut vultures ad odorem corruptorum putredine cadauerum feruntur, ſana prætereuntes; hoc quoque commodi ineſt conuitiis inimicorum, vt qui ea in ſe ingeri audet, examinet num quæ inferuntur vera ſint, ſi ſint, expur-

Numer. 11. & 14.

Exod. 1.

Acto. 5.

Digitized by Google

expurgeatur, si falsa, cauendum ne committantur; Itaque hinc studium inculpate viuendum tibi arripiendum noris, vt nihil dicas facias ue temere, ne inimico materiã mores tuos carpendi præbeas.

3. HOMO omnem inimicum quem tolerat etiam impium & iniquum putat, cum possit esse inimicus qui non sit impius: sicut sunt nonnulli impii qui nobis specialiter non videntur inimici, quanquam enim magnis flagitiis premantur, minus iniqui creduntur, si aduersarius nō sentitur. Quod si quis aliis bonus sit, forsan sine nostra culpa non potest nobis esse malus: nec omnino iam de eius ruina gaudendum est, *inquit August.* cuius nos solos certum est aduersa tolerasse, ne potius de inimici interitu, quam de nostra ereptione animus lætetur, quod est iniquitas maxima, iuxta illud Iob, *Si gauisus sum ad ruinam eius qui*

Iob.31. *oderat me.*

Cum vero noster ac multorum hostis perimitur, de liberatione proximorum potius quam de inimici perditione necesse est vt animus lætetur sicut ait Psalmista,

Psal.57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam impiorum, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Sed cum & homo iustus & homo malus de inimicis suis velint vindicari, ita enim clamant sancti Dei martyres in A-

Apoc.1. pocalypsi, *Quousque Domine non vindicas sanguinem nostrum?* &c. vterque cum viderit vindictã impiorum lætetur, vnde discernentur? nisi quia iustus & magis cupit inimicum suum corrigi quam puniri, & cum in eo videt à Domino vindicari, *inquit*

August. in Psal.78. *Aug* non eius delectatur pœna, quia non eum odit, sed diuina iustitia quia Deum diligit: lætatur inquam iustus si corrigitur impius, vel certe pro aliis vt timeant eum imitari: ipse quoque fit melior, non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando: ac per hoc de beneuolentia est non de malitia, quod lætetur iustus cum videt vindictam impii: *Et manus suas lauat in sanguine peccatoris,* hoc est, opera sua mundiora efficit in exitio peccatorum, sumens inde non mali alieni gaudium sed diuinæ admonitionis exemplũ. Si autem in futuro seculo vltimo Dei iudicio vindicatur, hoc ei placet quod Deo, ne bene sit malis, ne piorum præmiis etiã impii perfruantur, quod vtique iniustum est. Cum enim nos ad diligendos inimicos Dominus hortaretur, exemplum proposuit patris nostri qui est in cælis, qui facit solem suum oriri super bonos & malos. Nunquid tamen ideo vel temporalibus correptionibus non emendat, vel pertinaciter duros in fine non damnat? Sic ergo inimicus diligatur vt non displiceat Domini iustitia qua punitur, & sic placeat iustitia qua punitur, vt non de malo eius, sed de bono iudice gaudeat. Maleuolus enim animus contristatur, si eius inimicus correctus euaserit pœnam & cum puniri eum videt, vindicare se ita gaudet vt non iustitia Dei quem diligit, sed illius quem odit miseria delectetur: & cum Deo dimittit iudicium vt plus noceat Deus quam ipse nocere possit exoptat *hactenus Augustinus.*

1. SI *non venissem &c.)* Quæritur quomodo hæc duo consistant, Si locutus non fuissem, peccatum non haberent, at, nunc excusationem non habent de peccato suo, & quod paulo post subiungitur, *Si opera non fecissem quæ nemo alius fecit peccatum non haberent*: Nam secundum priorem sententiam, haberent peccatum, si locutus eis fuisset, quamuis non fecisset opera. Hic *notando primo* quod Iudæi qui certam notitiam habuerunt testimonii Ioannis baptistæ de Christo perhibiti, tenebantur sub graui peccato credere eum esse Christum quem Ioannes ostendebat, & non credentes lethale peccatum committebant, quia Ioannes fuit missus à Deo vt testimonium perhiberet de lumine, ergo dignus erat cui crederetur. *Secundo* etiam prædicatio Christi sola sine miraculis obligabat Iudæos sub graui peccato ad credendum vt patet hoc loco, Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non ha-

IV. Non possunt excusari Iudæi de incredulitate.

be-

berent, nunc autem excuſationem nõ habent de peccato ſuo: Nõ credentes igitur grauiter peccabãt, & ratio huius eſt, quia Chriſtus verus Deus & homo quando prædicabat, non ſolum exterius aures mouebat, ſed etiam interius diuino motu corda excitabat, ita vt qui vellent poſſent credere nec eis deerat auxilium neceſſariũ, niſi libero ſuo repugnaſſent arbitrio, *inquit Toletus in hunc locum.* ſicut & Samaritani & diſcipuli ſine miraculis crediderunt, ita vt defectus non credendi in Iudæis prouenerit non ex parte Chriſti, ſed ex malitia ipſorum Iudæorum. Verum quamuis à principio peccarint nõ credentes in Chriſtum poſt Ioannis teſtimoniũ & Chriſti prædicationẽ, longe tamen grauius peccatum fuit nõ credere viſis tot miraculis, quæ diuina erant argumẽta & Dei ſigillũ Chriſtũ verum oſtendentia. *Deinde aduertendum* hic eſt non eſſe eandem rationem omnium Iudęorũ: turbæ enim non ſolum ſimplici prædicatione ſed etiam miraculis trahendi erant, quibus non editis aliquam excuſationẽ, habere poterant, qua deſtituebãtur penitus viſis tot miraculis. Sed Legiſperiti & Phariſæi in lege inſtituti etiam ſine miraculis prædicationi Chriſti vtpote legi cõformi credere debebãt: vnde Dominus ad eos, *Scrutamini ſcripturas, de me enim loquuntur:* & alibi, *Si crederitis Moyſi crederitis & mihi.* Prædictis igitur verbis voluit Dominus tollere toti cœtui Iudæorum omnem excuſationem: priora enim verba ſunt contra Phariſæos & Legiſperitos qui credere debeant etiam ſine miraculis quanquam grauius peccauerint viſis miraculis: Poſteriora ſunt cõtra turbas quæ exhibitis miraculis excuſationem nõ habent ſuæ incredulitatis.

2. QVO AD vitam horum Apoſtolorum, ſcribit Perionius hos duos Simonem & Iudam fuiſſe fratres in Cana Galileæ Alpheo patre, & Maria Cleophæ filia, matre Iacobi natos: qui ideo iunguntur quia eodem in loco noſtrę religionis myſteria tradidiſſe & mortem pro Chriſto eodem etiam die pertuliſſe reperiuntur, prius tamen Simon in Ægypto, Iudas vero Tadęus in Meſopotamia Euangeliũ Chriſti prædicauerunt: & poſtea pariter cõuenientes in Perſide martyrio coronati ſũt, anno Domini 68. Iis in partitione prouinciarum Perſia obtigit, ad quam vt venerunt, dæmones per idola ſua nulla reſpõſa dare potuerunt, dæmonib. ipſis fatentib. eos tantam vim à Deo conſecutos eſſe, vt nullus Deus illis præſentibus loqui poſſit. Varada dux belli quęſitos Apoſtolos ad ſe adduci iuſſit, & quandoquidem Dii ipſorum ipſis præſentibus prædicere non poſſent quis belli euentus futurus eſſet ab Apoſtolis id quęſiuit: Reſponderunt Simon & Iudas ſe ipſorum Diis poteſtatem dare loquendi, vt prius dicerent quid euẽturum eſſet. Illi diuturnũ & exitioſum fore bellum prædixerunt: riſere Apoſtoli dicẽtes poſtero die pacem componendam, quod & cõtigit. Dux Varada ea quæ acciderant narrat Regi omnia: cui tũ temporis aderant duo magi Zaroes & Arphaxatius, qui ſe id effecturos promitterent, vt viros quantumlibet eloquentes mutos efficerent, quiq; nec ſe loco mouere, neq; apertis oculis quicquam videre poſſent: Apoſtolos aũt & contra Deos & contra regnum Regis coniuraſſe aſſeuerabant. Econtra Varada Dux pro Apoſtolis quãtum poterat agebat, hoſque viros eloquẽtes iam ope Magorum mutos effectos ad Apoſtolos miſit, à quibus inſtructi vt in Chriſtum crederent monentur, ipſius ope ra futurum vt contra præſtigias Magorum munirentur: Se credituros aiebãt ſi id fieret: orantibus Apoſtolis Deum, vt eos cõtra Magos præſeruare vellet, remiſſi ſunt ad eoſdẽ, vt idẽ quod prius fecerãt, iã facerẽt, id cum nõ poſſent, accerſendos omnes Apoſtolos cenſent: qui cum aduenissent ſerpentes à Magis excitatos in eos incitabant, ſic tamen vt eos morderent quidem, non tamen interficerent: & Chriſti nomine innocato ſerpentibus mandarunt, vt ſua luſtra repeterent, veneno quod in corpora Magorũ diffude-

Digitized by Google

sunt collecto: iussui obtemperarunt, sed maiorem cruciatum fugendo venenum quam infundendo Magis intulerunt: per triduum enim tantos cruciatus perpessi sunt vt nec cibum nec somnū capere possent: triduo elapso ab Apostolis sanantur & vt in Christum cuius virtute sanarentur, credant, monentur: at illi in perfidia persistentes Apostolorum conspectum fugerunt, & idololatras in odium Apostolorū concitarunt. Nam cum ad quandam ciuitatem deuenissent Apostoli vbi hi Magi erant, à Pontificibus vt solem & lunam, quos vt Deos colebant incolæ adorarent coacti sunt: sed mandantibus Apostolis dæmones ex simulachris solis & lunæ vt nigri æthiopes egredi coacti, ea confregerunt: Pontifices autem & populus Apostolos occiderunt. *hæc Perion.*

PARS II.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem. Ioan. 15.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Cur tantopere inculcet Dominus dilectionem proximi sui.*
II. *Amicus verus rarus.*
III. *Cur mundus iustos oderit & persequatur. Et de vita horum Apostolorum.*
IV. *De vita Apostolorum Simonis & Iudæ.*

ART. I. Cur tantopere Dominus cōmendet nobis dilectionem proximi. Ioan. 13.

1. HÆc *mando vobis vt diligatis inuicē.*) Singulari cura commendat nobis Dominus dilectionem proximi nostri, eamque velut tesseram cordibus suorum discipulorum impressit quasi veluti nota quadā distinguātur à cæteris nationibus: iuxta illud quod Dominus ait Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis si dilectionem habueritis adinuicem.* Vnde August. *tracta. 5. in 1. cano. Ioan.* Dilectio sola, *inquit*, discernit inter filios Dei & filios diaboli. Si homo in corde suo inuenerit caritatem fraternam securus sit quia transit de morte ad vitam: Sed ea modo occulta est, cum venerit Dominus, tunc apparebit gloria eius: viget enim sed adhuc velut radix in hyeme rami sunt quasi aridi, intus est medulla quæ viget, intus sunt folia arborum, intus fructus, sed æstatem expectant vt prodeant. *hæc Augustinus.*

2. CVM DOMINVS ait, *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem*, non tantum verba & opera caritatis externa, quæ interdum fallacia dilectionis indicia sunt, sed ante omnia internum cordis affectū exigit & requirit: qui si syncerus & beneuolus fuerit, quicquid ex hac radice pullulauerit, syncerum, diuinum & vtile erit. Nam & folia verborum erunt in medicamentum, quibus sanantur vulnera & infirmitates male habentium, & fructus bonorum operum in cibum, vt loquitur *Ezechiel*, quibus pascuntur & confortantur sani. Hanc *August.* Dilige & fac quod vis: si loqueris dilectione loquere, si taces, dilectione tace, si operaris aut quippiā facis dilectione id age: dilectione, inquit, non tu ipsius, quia tūc nihil feceris, *caritas* enim, teste Paulo, *nō quærit quæ sua sunt*, sed dilect. one proximi tui. Ad quod nos hortatur Paulus cum ait. *Estote imitatores mei sicut & ego Christi*, non quærо vtilitatem meam sed multorum vt salui fiant, & ideo per omnia omnibus placere studeo. Eze. 47.

3. HÆC PERFECTA christianæ religionis regula est, *inquit Chrysost.* quærere communem omnium vtilitatem. Nihil enim adeo potest nos Christi imitatores efficere, vt erga proximū cura & dilectio. Nam licet ieiunando, humi cubando corpus macerauerís, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris. Moyses multa & magna operatus est miracula, sed nullum tam magnum eum fecit, quam beata illa vox qua dixit Exo. 32. *Aut dimitte eis hanc noxā, aut dele me de libro vitæ.* Sed & Paulum ideo miramur quia in 2. Cor.

Chryso. hom. 25. in 1. Cor.

Hæc Chrysost. hom. 32.

quia ex caritate protulit stupendā illā vocem: *quis infirmatur: & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror?* Et Deus cum omnes inuicem colligare vellet, vniuersum huius mundi ordinem sic instituit, vt in propria vtilitate etiam alterius colligata sit: Sicut agricola non tātū seminat, quantū sibi sufficit, sed quod multis sufficiat: Et mercator non eas tantū merces transportat, quæ sibi ipsi tantū satis sint, sed & multis aliis. Sic miles pugnat non solum vt propriam vitam & bona conseruet, sed & Reipub. prosit. Ita quisq; dum suam quærit vtilitatem, quærit & proximi sui. Verum oportet non hinc, sed diuina voluntate ad id adduci, vt nemo quod suum solius est quærat, sed & quod alterius. Et ideo congregati sumus in domo Domini vt omnibus nobis in Deo sit cor vnum & anima: alioquin nihil prodest, si nos contineat vna domus, & separat voluntas diuersa. Cui conforme est quod *Bernard.* ait. Crede mihi, *inquit* quod Deo non tantum placent nostra ieiunia, nostræ orationes, nostra sacrificia, quantum cōcordia. Ideo Christus dicit Matth. 5. *vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuū.* Nihil est quod diabolus æque timet vt concordiam fratrum & caritatem: quia sicut hostes timent, quando acies castrorum bene ordinatas ad bellum vident, ita certe diabolus expauescit, quando spiritales viros virtutum armis accinctos in vnitate concordiæ & fraterna dilectione viuere conspicit. Hac enim de causa sancta Ecclesia *terribilis* dicitur *vt castrorum acies ordinata.*

serm. 41. ad soro.

Cant. 6.

4. QVOD proximum propter vitium quod ei inest min' diligimus, in eo Christum consideremus qui propter eū mortuus est, *inquit August.* & si eum propter sua bona nondum diligimus, propter Christi imperium eum diligamus. Neque enim solum consulit, sed & præcipit vt diligamus proximum sicut ipse dilexit nos, vt proximum diligamus sicut nosipsos: vbi solum consilium datur, libertas relinquitur illud amplectendi vel reiciendi: sed vbi præceptum viget, necessitas incumbit illud perficiendi quod præcipitur. Consulitur virginitas, sed præcipitur humilitas: illa quidem consulitur, tanquam quæ commodiorem præscribat & amplectatur viam perueniendi ad salutem: illa præcipitur tanquam medium necessarium perueniendi ad salutem. Et ideo sine virginitate potest quis ad salutem peruenire, sed non sine humilitate. Ita sine miraculis, & prophetia & gratia sanitatum potest quis peruenire ad regnum cœlorū, sed sine proximi dilectione nō potest. Hinc Paulus ad Corinth. præfert & anteponit caritatem non solū miraculis, ac ceteris donis, sed & virtutibus omnibus: Sic enim ibidem ait: *Si linguis loquar hominum & angelorum: si habuero prophetiam & nouerim mysteria omnia, & si habuero omnē fidem, ita vt montes transferam: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13.

7. ET in sequentibus caritatem ponit matrem omnium bonorum & omnium virtutum: *Caritas,* inquit, *benigna est & patiens, omnia suffert, omnia sustinet:* imo omnia difficilia facilia reddit & amara dulcia. Vide, *inquit Chrysc.* dare molesta res est, hæc iucundam facit: accipere contra iucundum, hæc malum esse cauendumq; docet: Obloqui cæteris, dulce fere est omnibus, illa amarum, honeste vero aliorum meminisse, iucundum esse facit. Nam amice de amico charoque nobis loqui, iucundissimum esse scimus. Habet dulce quiddam ita, caritas efficit vt nō habeat, sed omnes neruos eius incidit: Nam vt maxime qui charus est, amantē se perturbet, iræ vestigium nullum, tantum exhortationes, preces tantum apparebunt, caritas enim iuxta Paulum non irritatur. Et si peccet is qui charus est, ibi lachrymas tantum & luctum cernas, quamq̄ etiam ipse luctus voluptatem adferat: *hac*

Chrysō. hom. 32. in 1. Cor.

 Chrysost.

Chryſoſt. Magnus eſt doctor charitas, *inquit idem Chryſoſt.* ſatis idoneus qui & tollat errores, & mores formet, & è lapidibus homines reddat. Et ſi vim eius noſſe deſideras, age virum da mihi timidum, vmbras timeſcentem, iracundum, aſperũ & feram magis quam hominem, laſciuum & impudicum. Hunc igitur caritatis manibus informandum trade, timidum hunc mox comperies reddi magnanimũ & fortem inſuperabilem: Fortis enim vt mors dilectio quæ è nemine vincitur, ſed omnia vincit. Et licet homo fera ſit immanior, ſimul ac amare quis cœpit, oue manſuetior euadit.

Chryſoſt. hom. 33.

6. ATQVI vt intelligas quanta res caritas ſit, eam orationi ſubiciamus, *inquit Chryſoſt.* quando oculis cernere præſentem vix vſquam hodie licet. Recogita igitur ſi in hominum animis caritas regnet; quanta nobis ſit allatura bona: Non legibus, non forenſi ſtrepitu, non pœnis, non ſupplicijs fuerit opus. Nam ſi mutua caritate omnes ſe complecterentur, quis ſit iniuriæ locus? pugnæ bella, cædes, fraudes & mala protinus omnia, nomen etiam ipſum malorum eliminaretur. Et vide quam admiranda ſit vis caritatis: Cum enim cætera bona omnia aliquid vitii admixtum habeant, qui enim propter Chriſtum reliquit omnia facile ob hoc ipſum turget, & qui peritus eſt linguarum, arrogantia ſæpe laborat, & qui vult videri humilis ſæpe fit vt ob hoc ipſum intus altè ſapiat: Caritas vero id genus omnibus malis caret, aduerſus dilectum enim ſe erigit nemo: quod ſi non apud vnum alterumue, ſed æque apud omnes caritas vigeat tunc cernere poſſes virtutem eius: Vt enim ſibi ipſi volens obeſt nemo, ſic ille proximo nemini, ſed velut frugi quædam apicula bona vndiq; collecta in amantis animam comportat. Caritas malum non ſolum non committit ſed etiam non cogitat, nec ſuſpicatur quicquã mali contra dilectum, tantum abeſt vt faciat, quin potius congratulatur & congaudet aliorum ſucceſſibus, alienos enim ſucceſſus ſuos putat. Vt merito quis dixerit caritatem eſſe omnium bonorum matrem, & noſtræ religionis teſſeram, vt cui caritas ineſt ex ea ſtatim Chriſti diſcipulum, veluti Regem ex purpura & diademate, agnoſcamus, iuxta illud quod Dominus ait Ioannis 13. In hoc cognoſcent omnes vos meos eſſe diſcipulos, ſi inuicem diligatis.

Chryſoſt. hom 32. in 1. Cor.

7. QVANDOQVIDEM tanta proueniunt bona ex caritate, hinc ſancti patres varias excogitarunt rationes quibus nitebantur perducere homines ad mutuam dilectionem. Sic enim inter *cætera Chryſoſt.* ait. Ad extorquendum ab hominibus fratrum amorem, hunc mundum tanquã domum vnam nobis largitus eſt, Deus vnum ſolem omnibus lucere fecit, vna nobis & communis in cœlo patria eſt. Et qui frequenter in ſe commiſſa diſſimulat mala Deus, in eum qui fratri iniuriam infert: grauiter animaduertit: Cain namque cum graui contumelia Deum affeciſſet offerens ei debile pecoris ſui, licet grauiſſimum commiſiſſet peccatum tantam maieſtatem cõtemnens, nihil graue aduerſus eum locutus eſt Deus, ſed cum lenitate loquens dixit, *Cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, bene tibi erit, ſin autem male, ſtatim præ foribus peccatum erit, ſed ſub te erit appetitus eius*, quaſi dicat, Peccaſti, quieſce: In quibus verbis peccatum duntaxat illi indicauit, vt doleret ne vlterius in offerendis ſacrificiis is ſeruaretur modus. Quando autem in fratrem peccauit, iſtud odium grauiſſime puniuit dicens: Maledictus eris ſuper terram. Et ad Aſſyrios ſic ait Dominus, Iſa. 47. *Iratus ſum ſuper populum meũ, & dedi eos in manu tua, non poſuiſti eis miſericordias, ſuper ſenem aggrauaſti iugum tuum valde, veniet ſuper te repente miſeria quam neſcies, & malum & neſcies ortum eius.* Quem locum explicans *Hieron.* dicit, Iraſcitur Dominus aduerſus Chaldæos, licet ipſe miſerit eos & capiendum Iſraelem, quia iratus Dominus contra populum ſuũ corripere eos voluit non perdere: illos autem abuſos

Chryſoſt. hom. 14. in Ioan.

Digitized by Google

aBuſos eſſe crudelitate ſua & plus impoſuiſſe plagarum, quam Dei vitio flagitabat. & ideo minatur eis Deus & calamitatem ſuper eos venturam prædicit: quia licet Deus ſit qui puniat, hoc tamen vult qui punit, vt eis condoleamus quod digni ſupplicio ſint. Nam enim qui punit pœnis delectatur, ſed ad ſanitatem ſpectat ſectio & vſtio, & ideo condolere debemus quod tali eguerint medicamine. *hac Hieron.*

8. CÆTERVM cum Chriſti amor hominibus exhibitus, perfectiſſima & certiſſima regula ſit diligendi proximum, tunc diuinum hoc præceptum, (*Hoc mando vobis vt diligatis inuicem ſicut ego dilexi vos*) impletur vere, cum is ſeruatur modus in diligendo fratre, quem Dominus in hominum dilectione ſeruauit. Is autem eſt, ſi ille qui diligit non quærat in dilectionis exhibitione, quæ ſua ſunt ſed quæ alterius. Ad quod nos hortatur Paul. cum ait, *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu:* vt ſicut ille non attendit ſua ſed noſtra, ita & nos ad eius imitationem libenter promoueamus fratris noſtri ſalutem eiuſq; virtutem, pietatem, ſapientiã. Quo fit vt adulteri, fornicatores, proci & id genus homines quia non quærunt virtutem, & ſalutem earum quas diligere videntur, ſed propriam ament voluptatem & quærant quæ ſua ſunt, vere ipſas non ament, quippe quibus ſalutis impedimentum iniiciant, ſed dum huiuſmodi impuro affectu ſeſe oblectant, ſeipſos duntaxat quærunt & amant, imo nec ſeipſos amant, quia qui diligit iniquitatem odit animam ſuam.

Philipp. 2.

II. Amicus verus rarus.

1. QVANQVAM Dominus mandet nobis vt inuicem diligamus, non tamen omnes quos diligimus, vt amici ſunt habendi aut in amicitiam recipiendi, *Noli eſſe amicus homini iracundo*, inquit Sapiens, *ne forte diſcas ſemitas eius & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Sed nec homo cupidus facile in amicum recipiendus.

Prou. 22.

Nam vt Eccleſiaſticus ait, *eſt amicus ſecundum tempus & non permanebit in tempore tribulationis.* Tolle ſpem quæſtus & deſinet amicus, quia non eſt perſonæ ſed proſperitatis amicus. Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat. Amicitia vera neq; voluptatis, neq; vtilitatis intuitu initur aut conſeruatur, verumque enim horum non caritas ſed turpis eſt cupiditas, ſed ex proximi dilectione & propriæ naturæ dignitate originem ducit, cuius fructus & præmium non eſt aliud quã ipſa ſibi. Quibus itaq; vitia dominantur ſiue hæc ſiue alia, potius cauendi quam in amicitiam ſunt recipiendi, quouſq; ſanentur & ſyncera dilectione inſtruantur. Cum enim fructus amicitiæ ſit ſecuritas, quomodo ſecure te credes illi, qui aut inſtabilis, aut ſuſpicioſus aut cupidus, aut rixoſus fuerit? Et quia amicitia vera varias requirit qualitates hinc quidem recte dixit, verus amicus diu quæritur, vix inuenitur & ægre ſeruatur. Eccl. 6.

2. VERA amicitia requirit vt inter amicos ſit cor vnum & anima vna, vnum velle & vnum nolle, ea demum firma eſt amicitia, inquit quidam quæ quanto creſcit numero, tanto creſcit & robore, quia teſte Sapiente, *Frater adiuuans fratrem quaſi ciuitas firma.* Si robuſtior enim inimicus contra infirmitatem vnius inſurgat, alterius auxilio protegetur, qui animam ſuam in periculum coniiciet, ſi id vt amicum periclitantem ſeruiet, opus fuerit. Refert *Chryſoſt.* de Baſilio magno quod in media pericula vltra ſe conieceriт vt animum periclitantem liberaret. Quod factum cum alij improbarent, alij contra laudarent, & admirarentur, ad eos qui improbabant dixit, Quidnam ipſe facerem? aliter amare non didici, niſi vt animam meam in diſcrimen adducam, dum periclitantem amicum meum hoc modo ſeruare opus eſt. Et id eſt, ni fallor, quod Dominus ait, Maiorem caritatem nemo habet quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: Cum enim in amicis ſit anima vna & cor Prou. 18. Chryſ. lib. 2. de Sacerd.

 vnum,

Google

vnum, hoc syncera & veræ est amicitiæ, illudque ea requirit, ne quis quod habet suum æstimet, *inquit Chrysost.* sed quæ proximi sunt, quæ vero sua sunt putet aliena, vt ita animæ illius parcat, atq; suæ ipsius.

Chrys. ho. 2. ad Thes.

3 CVM TANTA sit in vera amicitia perfectio, vt beneficium magis impendere cupiat quam accipere, *teste Chrysost.* nec præcipere velit aut temperare, sed gratiam habet magis vbi ipsi aliquid præcipiatur nec seruiri sibi velit, sed amica malit seruire, non est mirum quod rari reperiantur veri amici. Non enim loquimur de amicitia carnali aut mundiali, quæ rerum temporalium cupidine fouetur, & semper plena est fraudis & fallaciæ, in qua nihil est certum, nihil constans, nihil securum, semper cum fortuna mutatur, & sequitur marsupium, tolle spem quæstus & statim desinet esse amicus. Amicitiæ tales quæ nomine amicitiæ indignæ sunt, frequentes & crebræ sunt in mundo, quia cum homo natura sit cupidus, cum omnibus amicitiam inire cupit à quibus beneficium aliquod sperat: Et vbi ipse quid beneficij impenderit aliis, exprobrat, vbi amicitia vera non fuerit, & quæ minuta sunt exaggerat iuxta illud Ecclesiast. *Datus insipientis non erit vtilis tibi, exigua dabit & multa improperabit.* Vbi autem vera fuerit amicitia, & abscondimus benefacta, & quæ magna sunt modica videri cupimus.

Chrysost. supra.

Eccl. 20.

4 NOVI, inquit *Chrysost.* multos illa non intelligere, quia de re disputo quæ cœlum nunc inhabitat & in terris parum nota est. Querebatur quondam Michæas quod factus esset, sicut qui racemos colligit in autumno facta vindemia, quos qui colligit relictos paucos inuenit: Sic enim ait ca. 7. *væ mihi quia factus sum sicut qui racemos vindemia colligit in autumno periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est*: Non quasi nullus sit, *inquit Hieron* exponens hunc locum, sed quia rarus: Nam & inimici hominis domestici eius.

Chrysost. supra.

Quod si inter domesticos, & consanguinitatis affectum rara est fides, quanto minus in his fidendum est, qui suæ tantum consulunt vtilitati. Ideo subiungit propheta: *Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui*, ne patiaris quod Sampson à Dalila perpessus est, *inquit Hier.* Tanta exempla sunt quotidianæ vitæ vt magis lugere quod tanta sint, quam quærere debeamus. Non tamen hæc sententia prophetæ: Inimici hominis domestici eius, contra omnes amicos, nec contra omne tempus prolata est, sed de eo super quo Apostolus ait, *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, sine affectione, sine benignitate.* Huiusmodi enim homines in corde & corde loquuntur, aliud in labiis aliud in corde versantur. Nolite ergo credere in amicis, id est, his hominib. qui de amicitia sectātur lucra, isti seipsos tātum diligunt. Et de his dicitur: *Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. Ab ea qua dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui*, id est. Nolite credere amicis, ducib⁹. & vxoribus, qui mutari possunt, & esse pro tempore, cum filius quoq; & filia oblita educationis & infantiæ aduersus auctores vitæ suæ corporumq; consurgant, & illis faciunt contumeliam, quos vultu quoq; lædere scelus est. Talis erit hominum status, cum finis seculi sit prope. Et quia hæc mala non remanent impunita, subdit propheta, Et erit terra in desolationem propter habitatores suos, *hactenus Hieron.*

Hæc Hier.

5 QVOD si ad eum statum deuenerit hominum malitia vt inimico fidere non possimus, iuxta illud Ecclesiast. 12. *non credas inimico tuo in æternum*, nimirum quamdiu talis permanet: fidamus amico. Quod si nec huic fidere expetit, quia *profundum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud?* Ierem. 17. quia homo nec seipsum satis nouit qualis sit, quanto minus proximum suum. Neque enim omnes amici qui arrident tibi: & sit iam amicus tuus etiam ex corde te diligens, qualis cras futurus sit ignoras: Quod si itaq;

Eccl. 12.

ſi itaq; nec huic fidere expedit, tum propter profunditatem & duplicitatem cordis humani, tum propter eius inſtabilitatem, finem optemus, inquit Socrates, miſerrimæ huius vitæ, talis enim ea eſt in qua nec amico, nec inimico credimus.

III. Cur mundus iuſtos oderit. Aug. libro 13. ca. 5. de ciuit.

1. SI MVNDVS *vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.*) Non alia de cauſa mali oderunt bonos, *inquit Augu.* niſi quia hi boni, illi mali ſunt: ſicut aqua non alia de cauſa extinguit ignem, niſi quia hęc duo elementa contrarias qualitates inſitas habent, ignis calorem & ſiccitatem, aqua humiditatem & frigiditatem. Sic iuſti & impij contrariis imbuti ſunt qualitatibus, & facile vident impij per vitam Sanctorum vitam ſuam reprobari, eo quod oppoſita iuxta ſe poſita eluceſcant magis: Turpior enim apparet intemperātia ebrioſorum, elatio ſuperborum, ſi his vitiis contrarias Sanctorum virtutes oppoſueris. Tunc enim ſemetipſos veluti in ſpeculo intuentes, propriam turpitudinem & malitiam vix ferre valent. Quod ſi inſuper & correptiones accedant, & teſtimonium perhibeant de mundo quod mala ſint eius opera, cum mundus nec corrigi nec corripi velit, tūc locum habet quod de impiis dicitur Sap. 2. c. *Circumueniamus iuſtum quia contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis: Grauis eſt nobis etiam ad vidēdum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius: tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immūditiis.* Quo modo igitur ex ſimilitudine morum amor naſcitur, ita ex diſſimilitudine odium exoritur.

2 QVI ODIVM contra nos inexcuſabile conceperunt, *inquit Baſil. epiſt.* 88. videntur mihi haud diſſimile facere ab eo quod habet fabula Æſopi: Quemadmodum enim illa lupum culpas quaſdam aduerſus agnum producere facit, quaſi is turpe ſibi ac dedecorotum fore putet, ſi præter iuſtam rationem interimat agnū, à quo nihil ſit læſus, vt tamen licet omnē, quæ ex adornata calumnia intenditur, accuſationem agnus placide diluat, nihilo magis lupum ab impetu ſibi tēperare, ſed etiamſi iuſtis rationib. vincatur, dentibus tamen victorem peruincere videmus. Ita & qui odio noſtri non ſecus atq; rei honeſtę ſtudent, turpe forſan putantes ſi abſq; ratione nos odio perſequi videantur, cauſas odij contra nos & crimina fingunt, quæ etiamſi omnia, de quib. me accuſant, diluero, ab odio tamen haud recedunt, verum hoc conſolatur ſanctos Dei, quod odia & mala reproborū bonos dum cruciant, purgent, *teſte Greg.* Vtilitati iuſtorum militat etiam poteſtas impiorum. *Muta fiant labia doloſa quæ loquuntur aduerſus iuſtum impietatem in ſuperbia & contemptu,* inquit Dauid Pſa. 30. Quæ verba explicans *Augu. ſic ait,* Quicunque voluerit iuſtorum in ea humilitate ambulare, in qua didicit ambulaſſe Chriſtum, contemnitur in Chriſto & tanquam ſtultus deſpicitur, qui præſentia bona ſpernat & perdat, & inuiſibilia ſibi profutura ſtulte promittat. Sed hæc irriſio & deſpectio in impios retorquebitur, cum & abundantia eorum in egeſtatem, & ſuperbia trānſierit in confuſionē. Tunc muta fient labia doloſa, quando dicent in die iudicij, *Hi ſunt quos aliquādo habuimus in deriſum, & ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, nos vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* In hoc ſeculo nunquam muta fiunt labia doloſa, quotidie clamant contra fideles, vbi eſt Deus veſter? quid creditis? quid colitis? Bonos chriſtianos vere ſtudioſos, volentes facere præcepta Dei quæ in Euangelio ſcriptura ſunt, nedum infideles & hæretici, ſed & chriſtiani mali & tepidi, reprehendunt & contradicunt ſæpe, *inquit Aug. ſer. 18. de verb. Dom.* verum hoc conſolatur Sanctos Dei, quod mala reproborum bonos dum cruciant, purgant *inquit Grego.* & militat vtilitati iuſtorum etiam poteſtas impiorum. Quod obſcure nobis innuit Iob cum c. 38. ait. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis*

Greg. libr. 20. moral. cap. 19.

Sap. 5.

Greg. libr. 20. moral. cap. 19.

dinis

dinis aſpexiſti, quæ præparaui in diem pugnæ & belli? Quem locum exponens Greg. *lib. 15. mor. c. 11.* per niuem & grandinem intelligit frigida & congelata atq; obdurata corda impiorum, quæ inſtar theſauri abſcondita latent, quorum vitã Dominus tolerat, quia eos ad iuſtorum ſuorum probationem ſeruat. Per ipſos quippe nos ſæuiens diabolus cruciat, ſed neſciens purgat, quia dum tali eorum vita percutimur ab æterna morte liberamur, vnde agitur vt electis proficiat etiam impia reproborum vita & tyrannis ac perſecutio, quæ Dominus in diem pugnę præparat.

Orig. ho. 3 in Exod.

3 QVAMDIV populus Iſrael in luto & latere ſeruiebat Pharaoni, nihil ab eo patiebantur aduerſi, *inquit Origen.* ſed ſimul atque ad Moyſen & Aaronem perſuaſus fuit vt relicta Ægypto Deo ſeruirent, inſurrexit in eos Pharao & grauius affligere cœpit: Sic ſi vir ſpiritualis hominem ſollicitet vt relicto ſeculo ſeruiat Deo, continuo audies ab eis qui Pharaoni amici ſunt, videte quomodo ſeducuntur & peruertuntur homines, qui relictis rebus neceſſariis inertiam ſectantur & otium, non laborant, nec militant, nec aliquid agunt quo victum lucrentur, ſicut Pharao dicebat ad filios Iſrael, *vacatis otio & idcirco dicitis, Eamus & ſacrificemus Deo.* Nec ſolum verbis res agitur, ſequũtur & verbera, flagellari iubet eos Pharao, & paleas non dari, hoc eſt, *inquit Orig.* vix vilis cibus eius ſubminiſtratur: Sic populus Dei dum ſæuos cruciatus Tyrannorum patiuntur propter fidem, victi perſecutionibus nõnulli à fide decidunt, & confitentur ſe eſſe populum Pharaonis, neq; enim omnes qui ex Iſrael, ij Iſraelitæ ſunt. Iſti ergo q in tribulationibus deficiunt, etiam contra Moyſen & Aaron loquuntur & dicunt, *Execrabilem feciſti odorem noſtrum coram Pharaone, iudicet Dominus inter nos & vos.* Certum eſt quod antequam ſermo Dei audiatur, nõ eſt perſecutio, niſi buccina ſonet & tuba, non committitur prælium, vbi vero ſignum belli tuba prædicationis oſtenderit, ibi ſequitur afflictio, & tentationis ac tribulationis pugna exurgit: ſicut ex quo Moyſes cœpit loqui ad Pharaonem affligitur populus Dei, non ſolum foris per perſecutiones, ſed & intra te certamen ſuſcitatur vitiorum contra virtutes, libidinis contra caſtitatem, iræ contra manſuetudinem, prius vero quam veniret ſermo Dei qui argueret, vitia intra te in pace quieſcebant, ſicut Paulus docet cum ait, *Concupiſcentiam neſciebam,* ſcilicet eſſe peccatum, niſi lex diceret, *Non concupiſces:* Occaſione autem accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam, *Nitimur* enim *in vetitum ſemper cupimuſque negata:* Sine lege enim peccatum mortuum erat, hoc eſt, perinde latebat in homine, ac ſi non fuiſſet: imo & ſi ſe proderet commota aliqua tentatione, mala eſſe non putabatur quæ tam delectabilis erat.

Exod. 5.

Rom. 7.

4 HINC PROVENIEBAT quod mundus qui propriam concupiſcentiam amabat, eos audire nollet qui concupiſcentiam damnabant. De quo ſæpius prophetæ conquerebantur quod non erat, qui eos audiret. Sic enim Iſaias ait cap. 53. *Domine quis credidit auditui noſtro?* Et 49. *Hæc dicit Dominus vt reducam Iacob ad eum, & Iſrael non congregabitur.* Et Oze. c. 7. *Ego erudiui eos, & ipſi cogitauerunt in me malitiam:* Et cap. 6. *Propter hoc dolaui in prophetis, & occidi eos in verbis oris mei.* Sumitur metaphora à lapidibus aut à lignis, quæ ab artifice dolantur & expoliuntur vt apta ſint ædificio, ſic Deus populum Iſrael per monitiones & correptiones ſuorum prophetarum expolire atq; ad rectitud nem & ęqualitatem morum adducere potuit, tantum abeſt vt per prophetas expolitus & dolatus fuerit, vt peior effectus etiam in ipſos prophetas inſurrexerit & occiderit. Hac n. de cauſa & Iſaias ſectus, & Ieremias lapidatus, & Ezechiel per compita viarum protractus diſperſo cerebro occiſus fuerit. Ita vt merito

Iſai. 53.

rito

ito contra eos Stephanus Actor. 7. inuectus fuerit dicens, *Dura ceruice & incircũciſis cordibus & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis ſicut & patres veſtri. Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de aduentu iuſti.*

5. SED hic obſeruandum quod ſicut linguas detrahentium nobis & odia nos perſequentium noſtro ſtudio excitare non debemus, ne ipſi pereant. Ita per ſuam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum accreſcat, *inquit Gregor.* patientiæ & fortitudinis. Aliquando etiam compeſcere expedit, ne dũ de nobis mala diſſeminãt, eorum qui audire nos ad ſalutem poterant corda innocentium corrumpant, & à veritatis præconio auertant. Sed hac in re ſubtili inquiſitione neceſſe eſt vt ſemetipſum animus inueſtiget, ne fortaſſis propriam quærat gloriam, dum animarum lucra ſe quærere exiſtimat. Cum vero odia perſequentium, & linguæ detrahentium corrigi nequeunt, æquanimiter ſunt per omnia toleranda: Nec detractionis ſermo timendus, aut perſequentium odia metuenda, nedum vituperatio peruerſorum metuitur, & odia perſequentium timentur, recti operis via deſeratur. Adhoc nos hortatur Ezechiel cum ait cap. 2. *Sermones eorũ ne metuas, quia cum ſcorpionibus habitas.* Scorpiones blandi ſunt & malitioſi, ſic hi in facie adulantur, ſed mox vt receſſerint carpunt & detrahunt. *Hæc Gregorius.*

Greg. ho. 4. in Eze.

6. QVI conſcii ſunt ſuæ infirmitatis dicunt illud Iob. cap. 30 *Diſſipauerunt itinera mea, inſidiati ſunt mihi & præualuerunt, & non fuit qui ferret auxilium.* Hoc dicunt infirmi in tribulatione exiſtentes, tardam manum ſubuenientis æſtimant, cum ſe perſequentē immanitas paulo diutius anguſtat. Et ſupernum auxilium etiamſi cito adſit quantum ad ordinatam prouidentiam protectoris, deeſſe tamen putatatur ſi vocem auxilium implorantis ſtatim non ſequatur.

Loyaerts Conc.

IV. De vita horum Apoſtolorum.

1. SIMON & Iudas fratres Alphæo patre & Maria Cleophæ filia matre nati, ex Galileæ oppido, quod Cana dicitur oriundi fuerunt. Hinc vocatur Simon Cananæus, q in Ægypto ſicut Iudas Tadæus in Meſopotamia Euangelium Chriſti prædicauit. Porro cum mater eorum Maria Cleophæ filia, modo Ioſephi, modo Iacobi mater dicatur, dubium nō eſt hos quatuor vno patre & vna matre genitos, fratres fuiſſe. Et quidem Ioſephus fuit vnus diſcipulorum Chriſti: Iacobus autem inſuper & Apoſtolus ſicut Simon & Iudas Tadæus, qui poſt Chriſti aſcenſionem Hieroſolymas profectus, pontificiam dignitatē ibidem adminiſtrauit & poſtmodum à Iudæis lapidibus obrutus ac fullonis fuſte percuſſus martyrii corona redimitus eſt. Cæterum de variis eorum laboribus, & certaminibus & glorioſo agone, certi aliquid affirmare nolumus, quandoquidem ſcriptores Eccleſiaſtici aliter & aliter ſentientes inter ſe conflictantur. Hoc tamen communi ferè omnium traditione confirmatur eos pariter poſt multos in Meſopotamia & Ægypto, Iudas enim in Meſopotamia, Simon vero in Ægypto Euangelium prædicauit, exantlatos labores, in Perſidem conueniſſe, ibidemq; innumerabiles Ieſu Chriſto filios genuiſſe, fidem in vaſtiſſimis iſtis regionibus & efferatis gentibus diſſeminaſſe, ſanctiſſimumq; Ieſu Chriſti nomen, doctrina & miraculis, ac glorioſo deniq; martyrio illuſtraſſe: glorioſā enim pro Chriſto mortem eodem in loco expetierunt. Scripſit hic Iudas breuem epiſtolam canonicam, ſicut & frater eius Iacobus Hieroſolymorum Epiſcopus, aliam ſed paulo prolixiorem, vocatque Iudas in epiſtola ſua Iacobum cognomine iuſtum fratrem ſuum, vbi ſic ait, *Iudas Chriſti Ieſu ſeruus, frater autem Iacobi.*

Digitized by Google

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

VIDENS *Ieſus turbas aſcendit in montem & quum ſediſſet acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos dicens, Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, &c.* Matth. 5.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *De prima Beatitudine.*
II. *De Secunda Beatitudine.*
III. *De Tertia Beatitudine.*
IV. *De Quarta Beatitudine.*
V. *De reliquis Beatitudinibus.*

PARS I.

De octo Beatitudinibus.

ART. I. De prima Beatitudine.

1. BEATI *pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*) Prius per pſalmiſtam prædixerat, pſal 79. *Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.* Quid tam abſconditum quam pauperem eſſe beatũ? *inquit Bernard* Sic vos inſenſati filii Adam diuitias quæritis, diuitias deſideratis vſq; adhuc, cum iam beatitudo pauperum diuinitus commendata, prædicata mundo, credita ſit hominibus: Quærat eas paganus qui ſine Deo viuit: Quęrat eas Iudæus q terrenas promiſſiones accepit, ſed qua fronte aut qua mente chriſtianus diuitias quærit, poſtquã Chriſtus beatos eſſe pauperes prædicauit? Quouſque filii alieni, quouſq; vanitatem loquetur os veſtrum, vt beatum dicatis populum cui hæc ſunt, cum Chriſtus veritatem loquens dicat, *Beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum Dei:* de diuitibus autem enunciet, *va vobis diuitibus qui habetis hic conſolationem veſtram.* Nam diuitiis ob naturæ neceſſitatem quę paucis contenta, non propter voluptatem quæ nullo clauditur termino vtendum.

Bern. ſer. 4. de omni ſancto.

Luc. 6.

2. AD quid vtimur amplius diuitiis, *inquit Baſil.* ſi voluptates per corpus accedentes ignominioſas ducimus: Et ſi voluptatem aliquam adferat theſauris defoſſis incubare, hoc ipſum turpe & vile. Ideo vt ego arbitror, *inquit*, conuenit diuitias abſentes non expetere nec deſiderare: Et ſi adſint non magis propter poſſeſſionem ipſarum ſe iactare, quam ob ſcientiam diſpenſandi ipſas. Nam Socratis illud recte habet, qui cum diues quidam magnopere propter pecunias ſuperbiret, non prius admiraturum dixit, quam experiretur etiam quod his vti poſſet. Neq; n. diuitiæ bonæ ſunt tanquam nos bonos efficiant, alioquin tanto quiſq; melior erit quanto ditior fuerit, ſed vnde bene facere poſſimus, *ait Aug.* Quapropter vnicus liber Ciceronis facillime mihi perſuaſit, *inquit idem in ſoliloquiis*, nullo modo appetendas eſſe diuitias, ſed ſi prouenerint ſapientiſſime atq; cautiſſime adminiſtrandas: Et ex quo illas cupere deſtiti, non aliud in his, ſi quo caſu offerentur præter neceſſarium victũ liberaléq; vſum cogitaui. *Hæc Aug.* Baſ. 24.

3. NOLVMVS tamen offendere diuites, *inquit Amb.* explicans hunc locum de Zachæo. *Et hic erat diues*, qui volumus ſi fieri poteſt, ſanare omnes: Diſcant non in facultatibus crimen hærere, ſed in his qui vti neſciant facultatibus. Nam diuitiæ vt impedimenta improbis, ita bonis ſunt adiumenta virtutis. Si habes diuitias, *inquit auctor imper.* & diuitiæ illæ non te faciunt ſuperbum, non violentum, non violentum, ſed ſecundum quod potes das impotentib. Dominus es diuitiarum tuarum, non ſeruus, quia non te tenent diuitiæ tuæ, ſed tu diuitias tuas. Si autẽ diuitiæ tuæ ſuperbum te faciunt aut violentũ, & conſtrictus auaritia nemini das quicquam, tunc ſeruus es diuitiarum tuarum. *Nemo autem poteſt duobus Dominis ſeruire,* hom. 6. in Matth.

Deo

Digitized by Google

Deo scilicet & Mammonæ: qui autem Mammonæ seruierit peribit iuxta illud Sopho. id est *Disperierunt inuoluti argento*. Quem locum explicans *Hieronym.* sic ait, Qui in diuitiis confidunt & tantas habent opes vt se quasi inuolutos & septos suis diuitiis æstimarent, & erecti in superbiam pauperes despiciunt, ita veniente vastati sunt. Et considera quod non dixit, Peribunt, sed iam nunc antequam eis veniat supplicii dies, in eo ipso quod superbiant, & semper de thesauris suis cogitent & seruiant
Amb.li.2. eis, perierint. Vnde & *Ambros.* probat ea
offi.c.5. quæ bona videntur non solum non esse adiumento ad vitam beatam, sed obstaculo sic iniquiens. Illa quæ videntur bona, diuitias, satietatem, lætitiam, expertem esse doloris, detrimento esse ad fructum beatitudinis, dominico declaratũ iudicio
Luc.6. liquet cum dicitur, *Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram*: *væ vobis qui saturati estis quia esurietis*: *væ vobis qui ridetis quia lugebitis.*

4. SVNT qui in hoc corpore tam infirmo impossibilem vitam putent, in quo necesse est angi, dolere, plorare: Quasi vero ego, *inquit Ambro.* in corporis exultatione dicam vitam beatam consistere, & non in altitudine scientiæ ac sapientiæ, in suauitate conscientiæ, & virtutis sublimitate: Non enim in passione esse, sed victorem esse passionis, beatum est, nec frangi temporalis metu doloris. Nonne beatus Iob etiam in domus incendio, & filiorum interitu, & doloribus corporis? Nunquid minus beatus, quam si illa non pertulisset in quibus magis probatus est: Quis negat beatum Iacob qui exilium sustinuit, filiæ pudicitiam ingemuit esse temeratam? *hæc Ambro.* Potest itaq; iuxta *Ambro.* beatitudo mentis & tranquillitas conscientiæ & gaudium in spiritu sancto consistere cum
Psal.44. corporis afflictione. Id quod & psalmista testatur cum ait, *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*; Quo significatur quod licet homo contẽptibilis appareat propter corruptibilitatem carnis, intus tamen propter virtutis speciem admodum gloriosus sit. Cum Ecclesia quæ militat in hac vita armis potius onerata, quam aureis ornamentis & indumentis ornata cernatur, tantam pulchritudinem præ se ferat, regnans in cœlo cum Christo quanto decore fulgebit? Quod attestatur Balaam cum Numer. 23 *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua Israel, vtinam nouissima mea forent horum similia*: Aperiebatur ei oculus mentis quo internam populi huius pulchritudinem contemplabatur & externam futuram & in admirationem rapiebatur.

5. GRATIA Dei paulatim adducit hominem ad pristinum statum quem peccando amiserat, vt testatur *Hieron.* exponens illa Isa 15.
verba, *Consurge consurge, induere fortitudinem brachium Domini* vbi sic ait, Peccatrix anima prouocatur vt priora assumat opera, sicut fecerat antequam caderet: Memento prioris fortitudinis tuæ, quod seculi huius calcaueris mare, & spatiosam viam quæ ducit ad mortem superaueris: & viam in mediis fluctibus repereris. Sicut igitur prior victoria Domino auxiliante concessa est, sic & reuersis post pœnitentiam ad pristinam gratiam, pro dolore mœrore & gemitu succedunt gaudia. *Idem in cap* 52 Isaiæ exponens illa verba, *Induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancti, quia non adiiciet vltra vt pertrãseat per te immundus.* sic ait. Si surrexit anima post ruinam, & induta fuerit fortitudine & gloria, nequaquam vltra transibit per eam circumcisus & immundus. Quod si per pœnitentiam pristinum robur acceperit, vocetur habitaculum sancti, & fiat templum Dei, & nequaquam per eam immundus transeat, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, quæ conuentio Christi ad Belial? Pro saliuncula ascendet abies, & pro vrtica crescet myrthus, hoc est, pro vitiis nascentur virtutes, pro temeritate fortitudo, pro luxuria temperantia, pro stultitia prudentia. Matthæus & Zachæus saliunculæ erant amari saporis & odoris teterrimi, & repente in discipulos Christi mutati facti sunt

Digitized by Google

abiſs & myrthus odoris optimi & in varia opera neceſſarii.

6. Beatitvdo quæ modo in virtute cõſiſtit, vtpote in miſericordia, paupertatis amore, manſuetudine, &c. quamdiu in hoc tabernaculo ſumus, imperfecta eſt, inquit Hieron *in 1. cap Michea*, exponens illa verba *Stillabo tibi in vinum*, vnde ſtillæ comparatur & guttæ permodicæ. In alio vero ſeculo Deum videntes, erunt homines perfectè beati: ideo illa beatitudo fluuio comparatur, qui cœleſtem irrigat Hieruſalem, iuxta illud, *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*. Dicit *Aug. in ſoliloquiis*, quod nemo poſſit in vtroque ſeculo conſolari, nec poteſt quis hic & in futuro ſeculo gaudere & beatus eſſe, ſed vnum neceſſum eſt vt perdat, qui alterum voluerit poſſidere, quia iuſſum eſt, vt amittat te Domine, quicumque in aliquo alio magis eligit conſolari quam in te: vtinam omnia mihi amareſcant: vt ſolus dulcis appareas animæ meæ, qui eſt dulcedo inæſtimabilis, per quam omnia amara dulcorantur: Tua enim dulcedo craticulam B Laurentio dulcem fecit, fecit vt & Andreas ſecurus & gaudens iret ad crucem. Hanc dulcedinem guſtauit Petrus omnium exteriorum oblitus & clamauit quaſi ebrius dicens, Domine bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, quaſi dicat, hic moremur vt te aſſidue contemplemur, & nullo alio indigemus quia ſufficit nobis tanta dulcedine frui & ſatiari poſſe. Vnam ille ſtillam dulcedinis guſtauit Chriſti, & omnem aliam faſtidiuit. Quid putas dixiſſet ſi magnam illam multitudinem dulcedinis diuinitatis guſtaſſet? Sicut magnus es tu ô Domine ita magna ſunt dona tua. Si tanta dediſti in carcere mortalis huius vitæ etiam inimicis tuis qui hic abundant diuitiis & deliciis, gloria & honore, quanta erunt bona illa quæ præparaſti diligentibus te in patria, in vita æterna, certe tanta vt nec oculus viderit, nec auris audierit.

ho. 9. in Matth. 7. Qværit *Auctor imperf.* Cur potius dicat Dominus, *Beati pauperes ſpiritu*, quã Beati humiles, cũ pauper ſpiritu ſit is qui eſt humilis corde, qui non ſentit de ſe magna. Sicut è diuerſo, diues ſpiritu intelligitur magna de ſe ſentiens, qualis eſt ſuperbus omnis. Non dixit Dominus, manifeſte, Beati humiles ſpiritu, vt non ſolũ humiles oſtendat, ſed etiam indigentes, humiles, qui ſic ſunt humiles vt ſemper dona Dei & adiutorium ipſius emendicent: Nam pauperis dicitur qui tanta laborat inedia & tantam habet anguſtiam vt mendicare cogatur. Vnde in græco textu dicitur, Beati mẽdici, ſeu egeni, vt in vltima neceſſitate humiles oſtendat, qui ſubſidium à Deo poſtulare non ceſſant, & mendicare, quia de ſe nimis timent, non erubeſcunt. Cæterum quia perditionis initiũ à ſuperbia cœpit per diabolum & initium ſalutis ab humilitate per Chriſtũ, propterea conuenienter & omnium beatitudinum humilitatem fecit initium. Sed cur dicitur, *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum?* Nonne & aliorum aliis virtutibus ſtudentium eſt regnũ cælorum? Etiam: Nam ſicut cætera vitia detrudunt hominem ad inferos, maxime tamen ſuperbia: ſic & omnes virtutes inducunt in regnum cœlorum, maxime tamen humilitas, quæ omnium bonorum radix eſt, ſicut ſuperbia omnium malorum eſt initium, Et quia lex Dei habet, vt qui ſe exaltat humilietur, ſic & qui ſe humiliat exaltetur.

8. Cvm Dominus ait, *Beati pauperes ſpiritu*, eructat abſcondita à conſtitutione mundi. Quid enim tam abſconditum quã paupertatem eſſe beatam? Sed non ſimpliciter pauperes nominat propter plebeios pauperes neceſſitate miſerabili non voluntate laudabili, *inquit Bernard.* Pauper enim quandoque dicitur qui diuitiis caret: quandoque qui afflicti & deſtituti ope aliena. Spero quidem, *inquit Bernard.* etiam hanc ipſam afflictionis ſuæ miſeriam eis profuturam apud diuinæ bonitatis miſericordiam. Scio tamen Dominum hoc in loco de huiuſmodi fuiſſe locutum, ſed de his qui voluntariam ample- Ber. ſer. 1. de omn. ſanctis.

amplectuntur paupertatem. Attamen nec omnis voluntaria paupertas laudem habet apud Deum: Na & philosophi omnia sua reliquisse legūtur vt expediti mundialibus curis, studio veritatis possent vacare liberius, & nolebant censu abundare terreno, vt abundarent magis sensu suo. Hoc discernit quod dictum est Spiritu, pauperes enim spiritu re vera dicuntur qui propter Christum omnia sua reliquerunt spirituali intentione propter solum beneplacitum Dei & animarum salutem, de quibus præcipue loquitur Christus: siue reipsa omnia sua reliquerint, vt Apostoli & S Franciscus: siue affectu duntaxat & anima, quia etiamsi diuitias habeant, vt Abraham, Iob, & similes, non tamen eis cor apponunt, sed parati sunt eas abijcere si necessitas religionis aut pietatis ratio exegerit: Quinimo & beati illi qui incidentem paupertatem propter Deum patienti animo suscipiunt diuitijs eam præferentes spe regni cœlorum.

9. ET vere misertimus ille deiectus est quoniam affectauit celsitudinem, nonne consequens est beatos esse qui sponte in paupertatis humilitatem exemplo Christi se demittunt: Et attende quam sapienter ordinauerit sapientia, contra peccatum primum, remedium primum opponēs: ac si aperte dicat, vis obtinere cœlum quod perdidit superbiens angelus qui cōfusus est in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum? paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Et aduerte quod Dominus non dicat, Beati pauperes quoniam ipsorum erit regnum cœlorum, sed est, quia iam illud in secura spe possident, in qua etiam beati sunt si cœptam non deserant viam: quin & in hoc beati dum cupiditate, tanquam morbo quodam, & auaritia, & metu, & similibus passionibus, quibus discruciantur diuites, liberi sunt: tum enim quasi in tranquillo portu quiescunt & regnant. Vnde dicere solet *Seneca*; Si vis te diuitem facere, non est diuitijs addendum, sed cupiditati subtrahendum. Refert *Gregor. Nazian.* dixisse Basilium, Præfecto comminanti quod Episcopatu eum priuaret & in exilium emitteret, Nihil horum quæ dixisti vereor ipse me ob spem regni cœlestis proscribens, nihil vero possidens, cum & domus quam inhabito aliena sit, ab exilii metu liber sum, Incola enim sum in terra sicut omnes patres mei. Orat. Funeb de laud. S. Basil.

10. SVNT qui pauperes esse volunt, *inquit Bernar.* eo tamen pacto vt nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem vt nullam inopiam patiantur. Sic sunt & alij mites sed quamdiu nil dicitur vel agitur nisi pro eorum arbitrio: patebit autem quam longe sunt à vera mansuetudine, si leuis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit quæ ante hæreditatem deficit? Alios quoque lugentes video, sed si de corde procederent illæ lachrymæ, non tam facile soluerentur in risum. Nunc autem cum abundantius otiosa verba & scurrilia profluant, quam prius lachrymę, lachrymas huiusmodi de his esse non arbitror, quibus consolatio diuina promittitur, quandoquidem post illas tam facile consolatio vilis admittitur. Bernar. serm. 4. aduen.

11. QVÆRIT Caieta. Cur in sancto paupertatis vsu beatitudinem huius vitæ constituerit Dominus, potius, quam in sancto & legitimo vsu diuitiarum, cū videatur accommodatius medium esse ad consequēdam beatitudinem, ipsam sufficientiam, quam rerum indigentiam: quoniam egentes necessariis oportet vacare, vt habeantur quæ ad transigendam vitam necessaria sunt, & non possunt seipsos totos impendere ad ea quæ sunt beatitudinis. Indubia res est quod rectus diuitiarum vsus beatum faciat hominem, quia scriptum est, *Redemptio animæ hominis diuitiæ illius*: & qui illas sic possidet tanquam non possideret, nec animus ijs inhæret, iuxta illud, *Beatus vir qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris.* Non tamen in recto earum vsu, sed in earum contemptu, Deus beatitudinem constituit, quia non est in hominis arbitrio di- Prouer. 13. Eccl. 31.

 uitias

nitias poſſidere aut eas conſequi: deinde maioribus periculis expoſiti ſunt diuites quam pauperes: habet enim diues, quādo in vita ſua proiecit intima ſua, miſericordiam, pietatem, humanitatem, etiam animam ſuam venalem.

II. De ſecunda Beatitudine.

BEATI *mites quoniam ipſi poſſidebunt terram)* Qui ſedatis ſunt & compoſitis motibus, nempe ab omni affectu vitioſo liberi, adeo vt nullum reliquerint in animabus ſuis perturbationi locum, hi demum manſueti appellantur: Eoque Moyſes præter cæteros homines manſuetus fuiſſe ſcripturæ probatur elogio. Cū propheta Dauid ait pſal. 33. *in Domino laudabitur anima mea audiant manſueti & lætentur*, vult miraculum diuinæ iſtius erga ſe beneficentiæ in nos deriuari, *inquit Baſil.* vt quemadmodum ſine bello Dauidi ſua ſalus parta eſt diuino adiutorio, ita poſſibile ſit & iis, qui mites ſunt & in manſuetudine confirmati, trophæum excitare & minime pugnantes victores declarari. Illa enim terra cœleſtis Ieruſalem, quam mites poſſidebunt, non eſt bellatorum ſpolium, *inquit Baſil.* ſed longanimiter & manſuete omnia tolerantium ſperata hæreditas. *hæc Baſil.* Manſuetus enim neque irritat malum, neque irritatur à malo, ſed magis eligit iniuriam pati quam inferre, & ſi iniuriam paſſus fuerit non ſolum nullum facit malum, ſed nec cogitat facere malum.

hom. 5. in pſal. 33.

2. TERRA hæc quam mites poſſidebunt, terra eſt viuentium, de qua ſcriptum eſt pſal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Terra autem hæc quamdiu eſt in hoc ſtatu, terra eſt mortuorum, quia vanitati ſubiecta eſt. Cum autem liberata fuerit de corruptionis ſeruitute in libertatem gloriæ filiorum Dei, fit terra viuentium, vt immortales hæreditent immortalitatem. Eſt & corpus noſtrum terra, & quamdiu ſubiacet morti, terra eſt mortuorum, cum autem fuerit transformatum & conforme factum glorioſo corpori Chriſti, erit terra viuentium, quam plena pace poſſidebunt mites & manſueti. Hanc terram corpus noſtrum intelligo, *inquit Bernar.* quod ſi poſſidere vult anima, ſi regnare deſiderat ſupra membra ſua, neceſſe eſt vt ſit ipſa mitis, & ſuperiori ſuo ſubiecta, quoniam tale inueniet inferius ſuum, qualem ſe exhibuerit ſuperiori ſuo: Armatur enim creatura ad vlciſcendam ſui creatoris iniuriam. Et ideo nouerit anima quæ rebellem ſibi inuenit carnem ſuam, ſe quoque minus quam oporteat ſuperiori poteſtati eſſe ſubiectam. Manſueſcat ipſa & humilietur ſub potenti manu Dei, ſubiecta ſit Deo & Prælatis, & inueniet corpus ſuum obediens, & ſubiectum ſibi, veritas enim eſt quæ loquitur, *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.*

3. OPORTEBAT commendata paupertate etiam manſuetudinem prædicari, quoniā relinquētibus omnia, prima ſolet eſſe tentatio de moleſtiis corporis, & afflictione inſolita carnis. Quid vero paupertas proderit, ſi quod abſit pauper in murmurationem deueniet, factus exaſperans & impatiens diſciplinæ? Sunt qui pauperes eſſe volunt vt ſupra dictum eſt ex Bernardo, eo tamen pacto vt nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, vt nullam patiantur inediam. Sunt & mites ſed quamdiu nihil dicitur vel agitur, niſi pro eorum arbitrio, patebit autem quam longe ſint à vera manſuetudine ſi leuis oriatur occaſio. Hęc manſuetudo quomodo hæreditabit terram, quæ ante hæreditatem deficit?

Vera igitur manſuetudo ſit oportet quæ tale quid mereatur. Et recte poſt regni promiſſionem, minus aliud regnum velut in arrham datur, vt ſecundum ſcripturarum promiſſionem, habeamus vitæ eius quæ nunc eſt pariter & futuræ ſpem, & de exhibitione præſentium firma ſit expectatio futurorum.

4. NIHIL manſuetudine illa potentius quæ furorem animi comprimit, nihil ea fortius quæ animum noſtrum in perpetua tranquillitate conſtituit, iuxta illud Matthę.

thę. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde & inuenietis requiem animabus veſtris.* Quid beatius inteſtino bello liberari? Nã quamuis plurima pace externa fruamur, ſi intra nos cogitationum naſcatur tempeſtas, nihil externa pax nobis proderit: Sicut neque miſerabilius eſt aliquid ciuitate, quæ licet præſidiis & muris bene ſit munita, intus tamẽ ciues habet ſeditioſos. Hoc igitur ante omnia ſit nobis curæ quomodo animam à turbulentia vindicemus, & ijs qui familiaritatem nobiſcum habent mites ſimus. Hinc enim Moyſen potiſſimũ prædicari, & ex hac manſuetudine coronam ei plecti ſcimus, *Num.* 12. Nã ſeruus Chriſti magis à morũ manſuetudine, quã à nomine quod ei parentes impoſuerunt, vocandus eſt, *inquit Chryſoſt.* Neque Deus hominem ita diligit propter virginitatẽ, ieiunium contemptum diuitiarũ vt propter mites beneque compoſitos mores.

Hæc Chryſo. hom. 34. in Gen.

ſerm. 12. ex variis.

5. NVNQVAM grauem inuidiæ morbum in ſuam animam admittit vir benignus & mitis, ſed ſi viderit fratres honoratos congratulatur, aliorum gloriam ſuam reputans: Et ſi quam iniuriam à fratre etiam ſe inferiore patiatur, nunquam malum pro malo rependit, ſed exemplo Abrahæ vt iurgia paſtorum toleret Loth ſe inferiori ceſſit, ſic & ipſe cedit & inferior haberi non dedignatur, ſed pacem & animi tranquillitatem vt ſeruet, iniuriam pati mauult quam aut ſe vindicare aut bona cum animi turbatione recuperare, cogitans quod tanti pax & animi tranquillitas veneat. Hoc enim quod ſanitas eſt in corpore, hoc animi manſuetudo eſt in corde: & quod in corporibus noſtris nerui, hoc eſt manſuetus homo in domo & in ciuitate, quia ſicut in corporibus nerui diſperſa & ſeparata coniungunt, ita & manſueti diſſidentes & inimicos conciliant: ſed qui in iram facile erumpit ridiculus apparebit ſi quando exaſperatos alios placare attentat.

6. MVLTÆ quidem ſunt virtutes quæ Chriſtianum hominem decent, maxime autem manſuetudo quæ imitatores Dei nos facit: quoniam cum tanta paſſus ſit Chriſtus, & blaſphemias & tormenta, mãſuetudinem tamen ſeruauit. Et quia tam manſuetus fuit ipſe, vt nõ ſolum mãſuete tulerit eos, qui crucifigebãt & blaſphemabant, ſed & patrem obſecrarit, ne cœleſtibus aduerſus impios telis vteretur: Idcirco cum & tibi graue aliquid & durum ferenti ſubrepunt furor & ira, recordare manſuetudinis Chriſti, vt & tu manſuetus fias, & non ſolum tibi ipſi benignitate tua multum boni præſtiteris, ſed & inimicis proderis plurimum; exemplo tuo permouens eos vt & ipſi benigni fiant. Virtute manſuetudinis Moyſes Iudæorum inſaniam moderate ferens, & precibus ſaluans inimicos, honorem & gloriam cœleſtem præ aliis obtinuit, Deique amicus vocatus eſt. Te manſuetum effectum diabolus ne quidem reſpicere audebit, Regiam enim notam tibi videt impreſſam, & Chriſti arma, quibus fuit ſuperatus, in te agnoſcit, vnde timens à te recedit. Quæ vero ſunt hæc? Benignitas & manſuetudo, *inquit Chryſoſt.* quam qui habuerit, beatitudinem quæ Domini voce promiſſa eſt, conſequetur, vt poſſideat terram, id eſt, vt imperet corpori ſuo, *inquit Hiero. in cap.* 4. *ad Ephe.* domineturque ſubiecto: Et hæc ſit prima eius hæreditas, in carne non carnaliter viuere.

Chryſo. hom. 51. ad pop.

7. SIN autem iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ ſumpſerit, hominem penitus in feram conuertit, *inquit Baſil.* Nec hominem qui rationis compos ſit, eſſe ſinit, ſed impetu fertur & rabie vt canis: Effrenis lingua, incontinentes manus, contumeliæ, probra, verbera & alia ſimilia, iræ ſunt & furoris fructus. Dic quæſo vtrum tibi laudabilius duxeris, cum ab ira victus es, an cum eam viciſti? Nonne victi noſipſos reprehendimus & erubeſcimus, & multa nos operum & verborum noſtrorum ſubit pœnitentia? Verum cum affectus prauos ſtrenue ſuperauimus, victoris more gaudemus plurimum. Victoria autem contra iram eſt & quidem maxima, non quidem cum vlciſci-

Baſil. hom. 10. ex variis.

y Google

vlciſcimur iniurias, ſed cum eas æquo animo toleramus. Age vis manifeſte intelligere quantũ mali afferat iracundia? Adſis, *inquit Chryſ.* cum quis ira inſanit, neq; enim in temetipſo facile hanc poteris deprehendere turpitudinem, videbis iratos non ſecus ac inſanos turpiter in medium præcipites ferri, monitoribus & rixam dirimere conantibus inſultare, in eoſque, nulla ab inſanientibus differentia, irruere. Et cum hæc faciunt tanquam amentes, nihil ſentiunt, quia in illo furore non ſecus ac mente capti, quid faciant aut dicant non aduertunt: quinimo dum furorem ſuam fortitudinem arbitrantur, etiam dum furiunt laudabiles videri & prædicari volunt.

Chryſ. ho. 3. in Ioan.

III. De Tertia Beatitudine. Pſal. 29.

1. Beati *qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur.*) Inter cætera dicit Pſalmiſta pſal. 29. *Ad veſperum demorabitur fletus & ad matutinum lætitia.* Quem locum explicans *Baſil. hom.* 7. veſpera ſeculum hoc dicitur, *inquit*, quia ad occaſum tendit & in conſummatione iam exiſtit. Quicumque igitur hoc ſeculum in plorandis peccatis exegerint, hi demum matutino illo adueniente futuri ſeculi gaudebunt, quia qui hic ſeminant in lachrymis, illic in exultatione metent. Peccatum luctu eſt & implacabilibus lachrymis ac lamentis dignum: quod ſuo nos exemplo docet *Ierem cap.* 9. qui ſane quod lachrymæ ſuapte natura profluentes non ſatis illi eſſent ad planctus magnitudinem dũ internecionẽ populi ſui defleret, cupide expetebat ſibi infundi lachrymarum fõtem; ſic enim ait, *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum & plorabo interfectos filia populi mei die ac nocte?* Propter peccatũ flendum eſt, *inquit Chryſ.* non propter bonorum amiſſionem, imo neque propter amicorũ mortem: Neque enim ſi ploraueris, mortuum ſuſcitaris, aut bona amiſſa recuperaueris: Ergo fruſtra hic funduntur lachrymæ, ſed peccatum lachrymis delere poteris, hic igitur lachrymare. Sicut medicina paratur & adhibetur ijs vulneribus & morbis, quæ per eam ſanari poterũt, non autem iis quæ ſanari non poteſt. Id intelligens propheta Dauid pſal. 6 ait, *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum,* &c.

Quem locũ explicans *Aug.* ſic habet, lectus eſt hoc loco appellatus, vbi acquieſcit animus æger & infirmus, id eſt, in voluptate carnis, & omni delectatione ſeculari: Quam delectationem lachrymis lauat, qui ſe ab illa conatur extrahere. Videt enim iam ſe damnare carnales concupiſcentias, & tamen delectatione tenetur infirmitatis, & in ea libẽter iacet & quieſcit, vnde reſurgere niſi ſanatus animus non poteſt. Lectum lauabit per ſingulas noctes, vt tantis lachrymis impetret efficaciſſimam de Dei miſericordia medicinam. Et non ſolum lectum ſuum lauabit, ſed & lachrymis ſuis ſtratum ſuum rigabit. Rigare amplius eſt aliquid quam lauare, *inquit Auguſt.* quoniam poteſt aliquid in ſuperficie lauari, rigatio vero ad interiora permanat, quod ſignificat fletum vſque ad cordis intima.

2. Illas ego lachrymas requiro, *inquit Chryſo.* non quæ oſtentationi ſeruiunt, ſed cõpunctioni, quę fundũtur occulte, & per afflictas genas nullo hominum teſte voluuntur, quæ ex intimo cordis ebulliunt. Quales certe illæ erãt Annæ lachrymę, cuius labia mouebãtur, & vox penit⁹ nõ audiebatur 1. *Reg.* 1. Nihil tam cõiunctũ miſeriæ quã luctus. Vnde *Orige.* in impietatem delapſus ita exclamat in libro cuius titul⁹ eſt, *Planctus*, Heu mihi dolor cordis mei, Heu mihi qui omnibus bonis ornatus erã, & nunc omnibus deſtitutus iaceo. Plangite me amici, quia lapſum à gloria mea. Flebam aliquando ſuper Sampſonem, ſed peiora perpeſſus ſum. Sampſoni coma capitis abraſa eſt, meo vero de capite corona gloriæ cecidit.

Hom. 6. in Matth.

3. Sed cum nihil tam coniunctum ſit miſeriæ, quam luctus: Vnde ergo beati qui lugent? Lugentes in re, beati in ſpe, *inquit Auguſt. in pſal.* 85. Et recte in ſpe beati, quia iuxta pſalmiſtam pſal. 95.

Secun-

Digitized by Google

Secundum multitudinem dolorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam, quia vt Paulus ait, *vnuſquiſque ſecundum laborem ſuum propriam mercedem percipiet:* Magnitudo tribulationum quas quis animo patienti patitur in hoc ſeculo, magnitudo eſt præmiorum quæ quis expectat in futuro, *inquit Hieron. in pſalm. 95.* & Paulus ad Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit.* Eſt alia cauſa cur qui lugent beati dicantur, quia *teſte Ambroſio,* quod defleri ſolet, non ſolet excuſari, & quod defendi non poteſt ablui poteſt: lachrymæ ſunt quodammodo preces tacitæ, veniam non poſtulant ſed merentur, cauſam non dicunt & miſericordiam conſequuntur, niſi quod vtiliores lachrymæ ſunt, quã preces ſermonum, quia ſermo in precando forte fallit, lachryma omnino non fallit. Et ideo Petrus nil voce precatus maluit cauſam ſuam deflere, quam dicere: Et quod voce negauerat lachrymis cõfiteri. Inuenio autem & aliud, cur tacuerit Petrus, ne tam cito veniæ poſtulatio per impudentiam plus offenderet, quam impetraret, prius flendum pro culpa, *inquit Amb.* & ſic precandum: Et quanto quiſq; ſanctior eſt, & deſiderii ſancti plenior, tanto eius in orando fletus eſt vberior, teſte *Auguſt. li. 10. de ciuit. ca. 17.*

2. Cor. 11.

Ambro. ſer. 46.

Bern ſer. 4 aduent.

4. MVLTOS lugentes video, *inquit Berna.* ſed ſi de corde procederent illæ lachrymæ, non tam facile ſoluerentur in riſum. Nunc autem cum abundantius otioſa verba & ſcurrilia profluant, quã prius lachrymæ, lachrymas huiuſmodi de his eſſe non arbitror, quibus conſolatio diuina promittitur, quandoquidem poſt illas tam facile cõſolatio vilis admittitur. Beati quidem qui lugent peccata propria, ſed beatiores qui cum non habeant propria niſi leuiora, lugent aliena, *inquit Auctor imperf.* qui cum quotidie plurimos videant in infernum deſcendere, quomodo poſſunt ſine luctu eſſe? Hinc Paulus ad Rom. de Iudæis Chriſti Euangelium reiicientibus ſic ait, *Triſtitia mihi magna eſt & continuus dolor cordi meo, optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.*

Hom. 9. in Matt.

Rom. 9.

5. NIHILOMINVS habet & iuſtus ipſe quod defleat, ſcriptum eſt enim Ezech. 4. quod *& holocauſtum lauabant ſacerdotes in porta quæ reſpiciebat ad aquilonem:* Quem locum explicans *Gregor.* ſic ait, Qui ſe per fidem in conuerſatione ſancta deuouerunt Domino, holocauſtum Domino facti ſunt. Sed quia adhuc in eis cordis mundicies ſordidis cogitationib. inquinatur, quotidie ad lachrymas redeunt. Nam licet bonum quod agunt holocauſtum ſit, dũ relinquentes ſeculum, totum quod habent Deo offerãt, quia tamẽ ſemetipſos diiudicare & flere neſciũt, perfectum non eſt holocauſtum eorum, nec iis competit quod pſal. 19. dicitur, *Holocauſtum tuum pingue fiat.* Holocauſtum ſiccum eſt opus bonum quod orationis lachrymæ non perfundunt: Holocauſtũ vero pingue eſt, quando hoc quod bene agitur corde humili, etiam per lachrymas irrigatur. Quiſquis vero bonum opus agit, ſed Dei amore flere neſcit, holocauſtum habet, ſed medullam in holocauſto non habet. Qui vero bona operatur, & viſioni creatoris ſui iam inhiat, ſeque ipſum ex amore quo flagrat in fletibus mactat, holocauſtum medullatum Domino offert. Conſideremus itaque opus noſtrum quale ſit, quæ cogitatio in opere, quæ intentio in cogitatione, & cũ noſtro bono operi aliquid malitiæ, vel prauæ cogitationis admixtum videmus, lauemus holocauſtũ lachrymis, idque in porta aquilonis, vnde venit omne malum, *hactenus Gregor.* Qui itaque peregrinationis ſuæ cogitat miſeriam, & vitæ humanæ pericula, ac propriam fragilitatem, delictorum multitudinem, cauſam habet pluſquam ſufficientem cur ſe defleat.

Grego. hom. 10. in Eze.

7. IVGI itaque meditatione animum

Digitized by Google

noſtrum exerceamus, perpendamus vnde cecidimus & vbi iacemus, quid perdidimus & quid inuenimus: lugentes in hanc vitam intrauimus, cum labore viuimus, cum dolore & timore exituri ſumus: Quicquid amor mũdi parturit, quicquid temporalis proſperitas promittit, fallax eſt, inſtabile eſt, & multis amaritudinibus admixtum eſt. Vt vere dixerit *Auguſt.* Omnes inueniunt tribulationes, ſed non omnes inueniunt eas: ſic enim habet in *Pſal.* 114. exponens illa verba. *Circumdederunt me dolores mortis & pericula inferni inuenerunt me:* Hæc, *inquit*, niſi aberrantem abs te Domine, non inuenirent me; Nunc autem illa me inuenerunt, ego vero ea non inueniebam, quia gaudebam proſperis ſeculi, in quibus plus fallunt pericula inferni. Sed poſteaquam, & ego tribulationem & dolorem inueni, nomen Domini inuocaui: Attendi enim me non ſolum excruciari aduerſitatibus huius ſeculi, ſed etiam obligari proſperitatibus vidi, atque ita tribulationem & dolorem qui me habebat inueni. Nõ hoc dicimus hominibus vt quærant miſeriam quam non habent, ſed vt inueniant eam quã neſcientes habent. Nõ hoc optamus iis vt prius amittant bona temporalia, quibus male vtuntur, & tunc lugeant, ſed vt attendant in eadem bona temporalia ipſam miſeriam ſuam quia talibus oblectantur, hoc plangãt quod amiſſa ſatietate cœleſti, terrenis nequaquam ad fruendum ſtabilibus bonis, ſed ad ſuſtentandum hanc mortalem vitã neceſſariis, indigere meruerunt. Agnoſcãt altitudinẽ ſabbati & quietis à qua exciderunt, & videbunt quantum ſint humiliati, & quantum à facie oculorum Dei proiecti: Sic enim Dauid ait Pſalm. 30. *Ego dixi in exceſſu meo, proiectus ſum à facie oculorum tuorum.* Aſſumpta enim mente vidit neſcio quid ſublime, vidit quaſi coruſcationem luminis æterni, vidit inſuper vbi eſſet, & quemadmodum malis humanis infirmatus & coarctatus eſſet, & rugiebat à gemitu cordis ſui, non à gemitu carnis quia perdiderat filium aut iumentum, ſed à gemitu cordis, quia amiſerat ſatiatum, quia amiſerat Deum, *hactenus Auguſt.*

IV. De Quarta Beatitudine.

1. BEATI *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiã, quoniam ipſi ſaturabuntur.*) Vult nos Dominus hic eſurire iuſtitiam ſemper & ſitire, *inquit Hiero.* vt in futuro iuſtitiæ retributione ſatiemur. Et vis ipſa verborũ conſideranda eſt, quia ita nobis deſiderãda eſt iuſtitia vt in fame cibus, & in ſiti deſideratur potus. Et Sanctorum in hac vita ſtatum recte comparauit Dominus eſurici, quia ea eſt eorum cõditio vt incredibili deſiderio ferantur in virtutem, qua quia hic nõ ſatiantur, eã recte eſurire dicuntur: præſens n. vita tẽpus famis eſt, ſequens a. ſaturitatis. Præſens vita tempus famis eſt, quia ſicut in corporis vacuitate eſuries naſcitur, quæ ſi magna fuerit incredibili auiditate ad cibum quærendum incitat, & pretioſa quæque dat pro cibo ad refocillandam animam: ſic qui iuſtitiam ardenter deſiderant, & famem patiuntur vt canes, circumeunt ciuitatem vt in bonis repleant deſiderium animæ ſuæ: variis virtutum exercitiis, orationibus, meditationibus, ſacris lectionib. inſtant, vt ſi non exaturari, ſaltem in vita ſpiritali conſeruari poſſint. Nam ſequens vita ſaturitatis erit, quando Deus erit omnia in omnibus, vt ſi ſapientia delectaris & caritate, ipſe erit tibi ſapientia & caritas, ſi vitam quæris & beatitudinẽ, ipſe erit vita & ſalus tua. Quod ſi viſibilia attẽdis, *inquit Aug.* nec panis eſt Deus nec aqua eſt Deus, nec lux iſta viſibilis eſt Deus: Si tamen eſurieris, panis tibi eſt, ſi ſitieris aqua tibi eſt, ſi in tenebris es, lumẽ tibi eſt, ſed alterius qualitatis, panis eſt non qui ventrem ſatiat, ſed qui mentem dulcedine replet & roborat.

Hieron. in ep. ad Demetr.

Hæc Aug. in Pſal. 12.

Aug. tract. 13. in Ioa.

2. QVAMDIV fames eſt expectemus in via refici ne deficiamus, *inquit Auguſt.* explicans illa verba pſal. 12. *vt alat eos in fame*, aſpergit enim Dominus nobis rorẽ verbi ſui, & nõ dimittit nos prorſus a-

ſus a-

Digitized by Google

ſus areſcere in deſerto iſto vt non deficiamus. Qui nos in fame huius corruptionis nõ deſerit, immortales factos quomodo ſatiabit? Ardent oẽs homines deſiderio, ergo oẽs homines ſitiunt & fament, quia deſideriũ ipſum ſitis eſt animæ: Sed vnus ſitit pecuniã, alius ardenter deſiderat vxorem, alius honores: ſed vix inuenitur qui dicat, *inquit Aug.* Sitiuit in te anima mea. Qui voluptatem ſitiunt aut mũdi honorẽ, vel pecuniã, cũ filio prodigo porcorum ſiliquas inſatiabiliter eſuriunt & nunquã

Eccl. 23.

ſatiantur, iuxta illud Eccl. 23. *Homini fornicario omnis panis dulcis, nõ fatigabitur trãſgrediens vſque ad finem.* Sic fatui filii Adam porcorum vorando ſiliquas, nõ eſurientes animas, ſed eſurie ipſam paſcunt animarũ,

lib. de conuerſ. Cler. c. 22.

inquit Bernar. Diuitiarum amor inſatiabilis eſt, expleri neſcit honorũ cupido, celerẽ habituræ res finẽ ſine fine quæruntur: Spiritales autem diuitias atque cœleſtes, aut ne attingimus quidem, aut ſi leuiter attigerimus atque deguſtauerimus,

Hæc Hieron. epiſt. ad Demet.

continuo putamus nos eſſe ſatiatos, cum tamen nullus hic ſit qui talibus expletur epulis, ſed tanto vnuſquiſque auidior erit, quanto inde plus hauſerit, iuxta illud Eccl. 24. *Qui edit me adhuc eſuriet, & qui bibit me adhuc ſitiet*: Hic ſatietas non parit faſtidium ſed nouum ſemper excitat appetitum & incredibile deſideriũ. Has delicias non appetunt ii qui ſiliquis porcorum pleni eas nunquam guſtauerunt, iuxta illud, *Anima ſatiata calcabit fauum*; Prou. 27.

3. HABET epulas ſuas cor pium, habet & cor impium ſuas, iuxta illud Pſal. 100. *Superbo oculo & inſatiabili corde cum hoc non edebam.* Quem locum explicans *Auguſt.* ſic ait, Cor ſuperbum vnde paſcitur? Si ſuperbus eſt, inuidus eſt, aliter eſſe nõ poteſt, inquit, & ſi inuidus eſt malis paſcitur alienis. Vnde dicit Apoſtolus

Galat. 3.

ad Galat. 3. *Si mordetis & comeditis inuicem, videte ne ab inuicem conſumamini*, videris comedentes, nolite his conueſci, fugite tale conuiuium: Neque enim ſe ſatiant gaudendo de malis alienis, quia inſatiabili corde ſunt. Cibis talibus paſcebantur Iudæi quando crucifixerunt Dominum, paſcebantur cibo crudelitatis ſuæ, & Dominus paſcebatur cibo miſericordiæ ſuæ. Sed quid dictũ ſit de mẽſa ſuperborũ Pſal. 69. audite, *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum.* Quomodo enim aues ad muſcipulam & piſces ad hamum non paſcuntur, ſed capiuntur, ſic & ipſi, *hæc Auguſt.* Paſcitur auarus cupiditate pecuniæ, ſuperbus amore gloriæ: paſcitur pius amore Dei & iuſtitiæ, & tãto ſuauius paſcitur & delectatur, quanto amplius Deum & iuſtitiam diligit, dum velut apicula inenarrabilem ex Deo ſuauitatem ſugit. Et hic eſt ſpiritualis cibus quem nec guſtare nec percipere poteſt carnalis homo. Nam teſte Apoſtolo, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus, nec percipere poteſt, quia ſtultitia eſt illi.* Ecce dicit

Luc. 9.

veritas, *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, anima vero ſua detrimentum patiatur?* Sed quando id capere poteſt auarus? Sine cauſa laborat, *inquit Bernard.* quiſquis id ei perſuadere conatur. Quare? nempe quia illi ſtultitia videtur: dum enim diuitias terrenas plus quã cœleſtes amat, illas his præfert, non quia meliores, ſed quia notiores.

Bernar. ſerm. 2. de annunc.

4. SENSI & expertus ſum, *inquit Auguſt.* non eſſe mirum quod palato nõ ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis, & oculis ægris odioſa lux quæ puris eſt amabilis: Sic iuſtitia tua Domine diſplicet iniquis; & peccatorib. panis veritatis amarus eſt, & peccando in eam ægritudinem deuenerunt, vt cibum veritatis, quo ſanæ animæ gaudent, tanquam fel eam ſuſtinere non poſſint, Sed lætentur in te vtique illi quibus guſtantibus ſuauis eſt Dominus, quique cum pſalmiſta dicere poſſunt,

lib. 6. confeſ. c. 16.

Pſal. 30.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quã abſcondiſti timentibus te. Hic homo impius dicat, *inquit Auguſt.* Vbi eſt iſta multitudo dulcedinis? Reſpondebo, Quomodo tibi oſtendam multitudinem dulcedinis, qui palatum de febre iniquitatis perdidiſti? Mel ſi non noſces quam

Conc. 3. in Pſal. 30.

ſit ſuaue & delectabile non deſiderares niſi guſtaſſes. Palatum cordis non habes ad hæc bona guſtanda, quid tibi faciam? quomodo oſtendam? Non eſt cui dicam, *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus:* Dic prius cum Propheta, *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.* Credo, nondum eas deſiderabat, *inquit Auguſt.* in hunc locum, quando concupiuit deſiderare. Quam lõge ab his eſt qui eas deſiderare concupiſcit, ſed longius qui nec hoc adhuc concupiſcit. Quis eſt iſte mirabilis atque inexplicabilis languor? *hæc Auguſt.*

Pſal. 11. Pſal. 118.

5. CAVEAMVS ne de nobis dicatur id quod ſcriptum eſt, Apoc. 3. *Scio opera tua quia neque frigidus es neque calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Aperte negligentiam grauiori damnat iudicio, quam imprudentiam, *inquit Ambro.* Frigidus eſt enim qui fidem neſcit. Calidus eſt qui ſpiritus ſancti feruore ſuccenſus eſt. Qui vero calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat, fidem non accepiſſe quam neglexiſſe, & tolerabiliorem cauſam habet gentilis, qui poteſt dicere, Non cognoui legem, non audiui Prophetas, ideo non credidi, quam ille qui legit omnia & non credidit. Sanctæ vitæ ratio proceſſu gaudet & creſcit, quæ otio & ceſſatione deficit & torpeſcit: Nihil in hoc propoſito, otio deterius eſt, *inquit Hieron.* quod non ſolummodo non acquirit noua, ſed etiam parta conſumit. Ideo quotidianis ac recentibus virtutum incrementis mens inſtauranda eſt, quamdiu ſumus in hoc corpore nunquam nos ad perfectum veniſſe credamus, ſic enim in melius peruenitur, & tamdiu non relabimur retrorſum, quamdiu ad priora contendimus: Aſt vbi cœpezimus ſtare deſcendimus, noſtrumque non progredi, iam reuerti eſt. Ceſſet omnis ignauia & inutilis de prætezito labore ſecuritas. Apoſtolus de die in diem viuens Deo, non quid ante feciſſet, ſed quid faceret deberet ſemper attendens dicebat, *Fratres ego me non arbitror apprehendiſſe: vnum autem quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens meipſum; deſtinatum perſequor brauium.* Si B. Paulus vas electionis, qui ita Chriſtum indutus erat, vt diceret, Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Chriſtus, adhuc tamen ſe extendit, adhuc creſcit & proficit, quid nos facere debemus, quibus optandum eſt vt in fine noſtro Pauli principio comparemur? *Hæc Hieron.* Si nos leuis corporis febricula corripuerit, animum deiicimus, ad medicos currimus, munera promittimus, quin & pene totum patrimonium damus, vt conſulatur vitæ quandoque perituræ, & pro æterna ſalute negligens eris? Nemo ad breuitatem temporis, nemo ad naturæ reſpicit conditionem. *hactenus Hiero.*

Ambro. ſer 2. in Pſal. 118. epiſt. ad Demetr. Philip. 3.

V. De Quinta Beatitudine, & reliquis.

1. BEATI *miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.)* Ad miſericordiã pertinet ex animo cõpati alienis miſeriis, & vt ꝓprias illas ducere, iuxta illud Pauli, *Quis infirmatur & ego non infirmor?* q. d. ſic ex animo eius infirmitati cõdoleo, tanquã ea eſſet mea propria. Nam hæc vox (miſericordia) includit & interiorem compaſſionis affectum, & exterius auxilium indigenti exhibẽdum ab eo qui poteſt, ſiue errantem reducendo, ſiue ignorantem docendo, ſiue nudum veſtiẽdo, ſiue famelicum paſcendo. Si nudum veſtias, *inquit Ambro.* teipſum iuſtitia induis: ſi paſcis famelicum, ille æterna tabernacula tibi acquirit, corporalia ſeminas & recipis ſpiritualia. Neque tamẽ ille tantum miſericors eſt, *inquit auctor imperf. hom. 9. in Matth.* qui miſeretur pauperis, aut pupilli: hæc enim miſericordia & apud illos inuenitur qui non agnoſcunt Deum. Ille autem miſericors eſt qui & inimico proprio miſeretur, implẽs quod ſcriptum eſt: *Diligite inimicos veſtros & benefacite his qui oderunt vos, vt impleamus quod ſcriptum eſt, Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*

Ambr. li. 1. officior. cap. 11.

2. DICIT

2 DICIT Sapiens Prou. 5. *Ceruus amicitiæ & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum*, hoc eſt, ſic te geras cum proximo tuo ſicut cerui ſe inuicem portant. Hoc fertur de ceruis, *inquit Auguſt.* quod cum fretum trāſeunt onera capitum ſuorum ſuper anteriorem collocent, & ita inuicem ſua onera portantes fretum trāſeunt. Nihil enim ſic probat amicum ſicut oneris amici portatio: v. g. iram fratris tui ſic portatis, ſi tunc tu aduerſus eum non iraſceris, vt rurſus eo tempore quo te ira præoccupauerit, ille te tranquillitate ſupportet: Et ſi quis loquacitatem in ſe vicerit, & pertinaciam nondum vicerit, alius vero adhuc loquax ſit, ſed iam pertinax non ſit, debet ille huius loquacitatem, & iſte illius pertinaciam, donec illud in illo, & hoc in iſto ſanetur, caritate portare.

3 PERFECTIO caritatis in hoc conſiſtit vt pro fratribus animas ponamus. Exordium autem illius eſt bona noſtra egentibus impertiri. Vnde ait Ioan. 1. cap. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi & viderit fratrem ſuum eſurientem, & clauſerit viſcera ſua ab eo quomodo poterit dilectio Dei manere in eo?* ſi ſuperflua tua non potes dare fratri tuo, animam tuam poteris dare pro eo? Quomodo ergo gloriaris te eſſe Chriſtianum? nomen habes & factū non habes: Quid tibi prodeſt nomē, vbi res non inuenitur? *Filioli diligamus non non verbo & lingua, ſed opere & veritate*, nō ficte ſed vere & ſyncere, *hæc Auguſt.* Sunt aliqui miſericordes de his quæ ad ipſos non pertinent, qui ſcandalizantur ſi non datur omnibus abundanter, ſic tamen vt ipſi ne in modico quidem grauentur: qui ſi miſericordes eſſent, de ſuo miſericordiam facere deberent.

De Sexta Beatitudine.

4 BEATI *mundo corde*) Sicut immunditia in ſacris literis *dupliciter* accipitur: aliquando pro venereis actibus illicitis: aliquando pro omni peccato: Sic *mundo corde* dicuntur, hi aliquando quorum cor caſtum eſt: aliquando hi mundo corde dicuntur quorum mens nullis vitiis eſt coinquinata, ſed cor purum eſt & malis cogitationib. & à prauis deſideriis liberum, iuxta illud Iſai. 1. *Mundi eſtote auferte malum cogitationum veſtrarum.* Perfecta hæc munditia non eſt huius vitæ, quia dicitur Prouerb. 20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato.* Dicuntur tamen quidam mundo corde, non abſoluta munditia, ſed ea quæ fragilitati noſtræ poſſibilis eſt, etiam ſi cor leuibus maculis habeat reſperſum. Porro ſicut purus aer facilius illuminatur, quam ſi nubibus fuerit obductus, ita qui mundo corde eſt magis capax eſt illuſtrationis, cognitionis, & viſionis diuinæ, quam ſi immundus fuerit. *Subtrahit enim ſe ſpiritus ſapientiæ à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu.* Nam quo modo nolunt intrare domos ſuas qui habent malas vxores, intraturi ſunt enim ad tædia, ad rixas, ad murmura, ad amaritudines, quia inter maritum & vxorem pax nulla, ita peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo, quin & homo ad propriam conſcientiam redire non vult, *inquit Auguſt. in Pſal. 36.* metuit enim ne quid ibi inueniat quod eum perturbet & redarguat.

De Septima Beatitudine.

5 BEATI *pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.*) Pacifici dicuntur non ſolum qui inter ſe pacem ſeruant immemores malorum & omnis iniuriæ ſibi illatæ, ſed etiam qui inimicos & inter ſe diſſidentes reconciliant. Nam duplici modo dicitur quis pacificus in ſacra ſcriptura: *aut* quia corde eſt pacato & cum omnibus pacem ſeruat: Sic accipitur Pſalm. 36. *Quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico*: iſtis reliquiis paſcitur & delectatur, dum memor feſtiuitatis & gaudij prius habiti de nouo ad memoriam horum reficitur. *Secundo* modo qui etiam alios diſſidentes in ſacram ſtudent reuocare concordiam. Et hi filij Dei vocantur, vtpote ei ſimillimi & imitatores qui pacificauit per ſuum ſanguinē ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt: hoc enim fuit præcipuum opus filij Dei.

6 DICIT inter cætera Propheta Dauid Pf. 33. *Inquire pacem & persequere eam.* Non dixit, si te pax sequitur, suscipe eam: sed etsi te fugeret inquire eam, vtpote si quod humanum est, cum aliquo habueris litem, & ille te prius inuitat ad pacem, pax te sequitur, eum gaudio suscipe eam. Quod si ille qui malus est in malitia perseuerat, pax fugit te & absconditur ab oculis tuis, tu inquire pacem & persequere eam. Ne dicas, Ille mihi prior iniuriam fecit, prius me veniam rogare debet.

Quære pacem vt inuenias præmium pacis. Quis est qui vult habere pacem, & qui vult dies videre bonos? Quis quæso non vult? Audiat quid scriptum sit, Ne sis memor iniuriæ ciuium tuorum: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Illius labia dolum loquuntur, qui pacem portat in labiis, & malitiam atque inimicitiam seruat in corde. Sunt qui si viderint quempiam vel leuiter scandalizatum, valde solliciti sunt quomodo eum in pacem reducere possint. Et viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte quicquam contra factum dictumve fuerit, tardius & difficilius poterit sedari vniuersis, qui si vere pacem diligerent, haud dubium quin eam quærerent sibiipsis. Isti qui tales sunt, illusores sunt pacis non amatores.

De Octaua Beatitudine.

7 BEATI *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*) Non dicuntur beati qui patiuntur suam iniquitatem, vt fures & homicidæ, sed qui patiuntur siue persecutionem, siue quamuis aliam iniuriam verbo aut facto illatam, propter iustitiam seu opera sua bona. Beati dicuntur hi spe cœlestis præmij vt enim viatoribus asperum iter euntibus, hospitium commodum expectatum, laborem leuat, & cupiditas lucri facit, vt mercatores maris pericula subeant: Sic magnus ille doctor spiritus veritatis sapienter & artificiose mercedem apposuit tribulationibus & persecutionibus, quo oculis vltra labores, qui in manibus sunt, transmissis, mente ad repositorum bonorum fruitionem festinemus. Quod si lex videatur laboriosa & multum oneris habeat, *inquit Chrysost.* habet & magnam retributionem. Tu vero nequaquam laborem attende, sed retributionem considera. Miles si cædes, vulneraque duntaxat consideret, non se prælio committet, nec arma assumet: si vero triumphos & spolia præ oculis habeat, sponte ad prælium concurrit. Sic frequens beatitudinis consideratio, omnem laborem leuem facit: *Momentaneum & leue tribulationis nostræ*, inquit Paul. 2. Corinth. 4. *supra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quod tribulationis est momentaneum est, quia transit labor, transit pœna, guttatim pœna bibitur si quando bibitur aut sumitur, per minutias transit, & velut vmbra diffluit. At retributio æterna est: quid sunt autem decem milia annorum ad secula infinita? nonne quantum est stillicidium minimum abysso comparatum? Eaque remuneratio tanta, vt nec oculus viderit, nec auris audierit, nec in cor hominis ascenderint quæ præparauit Deus diligentibus se. In remuneratione enim torrens est voluptatis, & flumen pacis: non quod fluat aut affluat, sed quod effluat, non quod transeat, sed quod abundet. Ad omne igitur quod videmur portare pondus diei, æternum gloriæ pondus cogitemus, & alleluiabimur.

Chryf. ho. de pœnitent. to. 3.

PARS

PARS III.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matth. 5.

Summa eorum quæ hic explicantur.

I. *Cur in montem aſcenderit Chriſtus.*
II. *Cur cum omnes cupiant eſſe beati, non fiant.*
III. *In qua re ſita ſit hominis beatitudo.*
IV. *Cognitio vltimi finis maxime neceſſaria.*
V. *Cur paupertas ſpiritus beatitudo nominetur, & quis ſit pauper ſpiritu.*
VI. *Manſuetudo magnum animæ bonum.*
VII. *Quis luctus commendandus.*
VIII. *De reliquis beatitudinibus.*

ART. I. Cur in montem Chriſtus aſcenderit.

1. BEATI PAVPERES *ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*) Cum primum cœleſtem doctrinam in hoc mundo diſſeminare inciperet Magiſter noſter Chriſtus, hunc ſermonem ad diſcipulos habuit: cuius ſermonis dignitatem & ſublimitatem Euangeliſta innuere volens, dicit Dominum aſcendiſſe in montem cum diſcipulis, turbis in valle relictis, vt oſtendat ſe nihil in præſenti ſermone populare, nihil humile & rudis vulgi auribus accommodum voluiſſe dicere. Mons enim à terra eleuatus & cœlo appropinquans, declarat non terrena & humilia ſed cæleſtia dogmata eſſe quæ in eo loco tradenda erant, & quod ad ſolos diſcipulos hunc ſermonem habuerit, ſeu doctrinæ altitudinem & profunditatem & dignitatem demonſtrat. Nam cum ait Dominus, *Beati pauperes ſpiritu, Beati qui lugent, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, & ſic de cæteris, videre eſt, quam diuerſa ſit hæc via, ab ea qua ſeculi homines gradiũtur vt fœlicitatem inueniant, & beati ſint. Hi enim opes exquirunt, delicias concupiſcunt, labores, lachrymas, perſecutiones & omnes corporis moleſtias velis remiſque fugiunt. At contra Dominus ad voluntariam ſpiritus paupertatem, ad labores, ad lachrymas inuitat. Hoc hominib. huic ſeculo & carnis deliciis deditis prorſus nouum eſt & inauditum, beatitudinẽ atque fœlicitatem conſtitui in ſpiritus paupertate, in perſecutionibus, à quibus hominum natura tãtopere abhorret, quæ tamen beatitudinis eſt auidiſſima, quia omnis homo natura deſiderat eſſe beatus, tam malus, quam bonus. Quinimo nonnulli volunt eſſe mali vt poſſint eſſe beati: ſi quæras cur fur furetur, vt mihi bene ſit inquiet, & habeam vnde viuam & paupertatem fugiam: item ſi quæras, cur hic ſocietatem ſectetur, alter eam fugiat, non ob aliud, inquiens, niſi vt nobis bene ſit: ad eundem terminum tendunt ambo, ſed per media contraria.

II. Cur cum oẽs beati eſſe cupiant tam pauci fiãt.

1. CVM ITAQVE omnes velint eſſe beati, cur eorum pleriq; ad beatitudinem non perueniunt? Id duplici de cauſa accidit, *partim* quia viam neſciunt qua itur & ad beatitudinem peruenitur: *partim* quia qua in re beatitudo ſita ſit, ignorãt. Nam qui aliquo vadunt, duo inter cætera ſunt ſcitu maxime neceſſaria, locus ad quem tendunt, & via per quam ad eum perueniant: brutorum vero eſt pergere per viam, & locum quo tendunt, ignorare. In eo quiſque ſuam beatitudinem conſtituit, quod ardenter appetit & maxime diligit auarus in pecuniis quas colligit, lubricus in voluptatibus quibus fruitur, ſuperbus in gloria & honore quibus delectatur, æger in ſanitate, doctus in ſcientia, vir ſanctus in Dei cognitione & dilectione. Et falluntur multi non in eo quod quærunt, ſed quia ſuam fœlicitatem in re iſta ponunt in qua inueniri non poteſt:

Et ideo

Et ideo ſicut à fine aberrant, ita & vitæ curſum non recta dirigunt, ſimiles iis qui ſcopum in quem arcum dirigant, ignorant.

III. Qua in re ſita ſit vera hominis beatitudo.

1. DVO ITAQVE hic nobis proponuntur à Domino, & Beatitudo quæ eſt ſcopus & finis vitæ noſtræ: & via qua peruenitur eo: Commendat autem hic Dominus beatitudinem non pecudis, ſed hominis, cuius propriæ & peculiares vires, quibus à cæteris animantib. diſtat, voluntas eſt & intellectus. Homo autem tunc vere beatus eſt, cum hæ duæ rationalis animæ vires ad perfectionis ſuæ apicem peruenerint, & intellectus quidem perfectio in ſapientia & plena veritatis cognitione eſt conſtituta, iuxta illud Ioannis, (Ioan. 17.) *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te Deum verum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: voluntatis vero in ſummi boni dilectione & fruitione. Cum quis igitur ad ſummum illud bonum, in quo omnis perfectio ſita eſt, peruenerit, tunc beatus erit. Quia & intellectus in vno illo pulcherrimo diuinitatis ſpeculo cognoſcet & videbit omnia: & voluntas omnibus bonis pro ſuæ fœlicitatis modo perfruetur: quo vno ſitis animæ noſtræ pleniſſime ſedabitur, & extra quod ſemper ſitibunda manet. Hoc elegantiſſima metaphora breuiter expreſſit *Auguſtinus*, qui cum Deo loquens ſic ait, virtus maritans mentem meam & replens ſinum cogitationum eius. Eſt enim mens humana Deo, tanquam vxor marito, deſtinata, qui eam perficit, implet & ſummis delitiis afficit, & ſinus eius omnes qui ad fruendum vno Deo conditi ſunt, bonorum omnium abundantia replet & oblectat, ſicut Pſalmiſta teſtatur cum ait, (Pſal. 102.) *Qui replet in bonis deſiderium tuum*. Vaſtiſſimus quippe humanæ mentis ſinus hac in re imaginem Dei ad quam condita eſt, refert, quandoquidem niſi immenſo & ſummo bono ſatiari non poteſt. Quod & Salomon teſtatur (Eccl. 2.) qui rex opulentiſſimus & omnibus deliciis diffluens, illaque ſapientia præditus qua nullus ei ſimilis, illam tamen poſt hanc fœlicitatem emiſit vocem, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas: cum conuertiſſem me ad vniuerſa opera quæ fecerunt manus meæ, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi*. Nam in rebus huius vitæ hominis beatitudinem & quietem reperiri non poſſe ex eo patet, quòd animus hominis nũquam hic quietus ſit; ſemper enim vlterius tendit, & aut plura, aut meliora appetit: Cumq; fruitione vnius creaturæ ſeipſum ſuumque deſiderium explere non poſſit, plures & varias coaceruare non ceſſat, vt quod in vna non reperit, in alia, aut ſaltem in omnibus ſimul ſumptis reperire poſſit, & quãquam interdum in re quapiam quietem inueniat, in eadem tamẽ ſi diu occupetur & hæreat, plus laboris & moleſtiæ quam quietis inueniat. Non enim minus fatigatur homo diu ſedendo quam diu ambulando, ſi aſſidue comedere velis, vide ſi non fatigaberis.

2. CÆTERVM cum hominis beatitudo ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, neceſſum fuerit vt ea complectatur ſummum bonum, in quo omnes omnium rerum perfectiones, omnis dignitas & honeſtas, omnis decor & pulchritudo, omnis iucunditas & ſuauitas, deniq; tota omnium bonorum ſumma continentur. Is autem Deus eſt qui rebus omnibus ſuam cuiq; perfectionem dedit & decorẽ adiũxit, & ideo eius boni, quod aliis tribuit, nullo modo expers eſſe põt. Miratis, *inquit Bern.* in ſole ſplendorem, in flore pulchritudinem, in terra fœcunditatem, in melle dulcedinem, in virgine caſtitatem, in doctore ſapientiam, in martyre conſtantiam, in Duce fortitudinem, in Rege maieſtatem, in equo generoſitatem, in cane ſagacitatem, in agno manſuetudinem, in formica induſtriam & diligentiam; à Deo donata ſunt hæc omnia. Nec dubium quin multo amplius reſeruauerit ſibi quam dederit aliis: Quemadmodum enim ſtellarum omnium ſplendor à ſole deriuatur, quarũ omnium

omnium ſplendorem vnus ſol non modo non continet, ſed etiam longe exuperat. Ita creaturarum omnium decor & pulchritudo à ſummo illo conditore profecta eſt, quarumtamẽ ipſe pulchritudinem & perfectionem infinitis partibus ampliorem reſeruat. Quapropter ſi pulchræ creaturæ ſuauitas animum hominis ita demulcet, vt interdum propter eius amorem & viuere velit & mori non dubitet, quid faceret ſi immenſum illud diuinæ pulchritudinis pelagus ingrederetur? Cuius ſummi boni fruitio non ad vnũ aliquem corporis ſenſum, ſed ad omnes animæ vires permeat, quod nullis huius vitæ bonis conuenire poteſt. Horum enim quædam aures demulcent ſua melodia, quædam oculos ſua venuſtate paſcunt: quædã nares odoris flagrantia afficiunt, quædam guſtũ ſaporis ſuauitate oblectant, quædam mẽtem dignitatis ſuæ præſtantia in admirationem rapiunt. Sed hoc ſummum bonũ, vt omnigenam in ſe bonitatẽ & pulchritudinem & virtutem continet, ita vt quãuis intellectu potiſſimum apprehẽdatur, eumq; illuſtret & perficiat, ſi tamen in omnes animæ vires & ſenſus corporis exũdat, vt nihil ſit in toto homine, quod non aliqua fœlicitatis huius cõmunione potiatur. Et his bonis omnes ſenſus ac vires noſtrę eodẽ temporis momento fruuntur, quod in hac vita nequaquam contingit, quia hic locũ habet quod dici ſolet, Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus ſi vehemens aliqua ſenſatio ſenſum vehementer afficiat, aliorum ſenſuum operatio per hoc impeditur vt interdũ nec prætereuntem videat qui alicui phantaſiæ multum eſt intentus, & virum prudẽter ac ſapienter dicentem minus attente audiat qui aut muſicæ aut cytharę modulationi attente intendit. At ſumma illa & æterna fœlicitas ſic omnes animæ vires afficit & permulcet, vt nullius functio delectabilis alterius impediat, sed omnes ſimul plene beatæ ſint.

IV. Cognitio vltimi finis homini maxime neceſſaria.

1. NIHIL æque neceſſarium ad vitã recte inſtituendam, quam hanc beatitudinẽ, quæ eſt vltimus hominis finis probe habere cognitam atq; exploratam, quia nemo vitę actiones, niſi vitę fine prius cognito, ad quẽ omnia referenda ſunt, dirigere & inſtituere recte poteſt: vt enim ſagittarii ſignũ primo intueri debent quo recta ad illud ſagittas eiaculẽtur: ita quiſquis vitæ ſuæ actiones, non vagas aut temerarias, ſed rectas eſſe cupit, vitæ recte inſtitutæ finem ante oculos ſibi proponere & eo curſum dirigere debet. In hoc autem fine vltimo & ſummo hominis bono, in quo eius conſiſtit beatitudo, ita errarũt philoſophi & in varias opiniones fuerunt diſtracti, neſcientes qua in re iſta beatitudo ſita eſſet, vt *Auguſt. de ciu. Dei.* referat ducentas vltra octoginta eorum ſententias de ſummo bono, dum quiſq; ſummũ bonum hiſce in rebus, quas ſitienter appetebant, conſtitutum eſſe putabant, & ſe beatos futuros arbitrabantur, ſi rem huiuſmodi ſic amatam adepti fuiſſent. Inter quos Stoici, qui ſummam hominis fœlicitatem in virtute ſitam docebant, quãuis Chriſti doctrinam & Chriſtianam religionem propius acceſſerint, ſic enim & Chriſtus hoc loco ait, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur, Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* In hoc tamen errarunt, quod beatitudinis inſtrumenta, beatitudinem eſſe putauerint: quod non minus inepte dicitur quam ſi quis agricola finem non in meſſe, ſed in excolendis agris conſtitueret, aut ſi quis ſtudioſus non in ſcientia, ſed in ſtudio ſuo ſe beatum reputaret: eſt enim hoc officium, non finis, ſic virtus non beatitudo, ſed ad beatitudinẽ via eſt. Nec enim cum Chriſtus ait, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam,* in eo quis dixerit eos beatos, ſed quia per hoc certam ſpem habent conſequẽdi beatitudinem. Aug. li. 19. de ciu.

V. De paupertate ſpiritus, cur vocetur beatitudo & in quo conſiſtat.

1. NVNC quoniam de fine diximus cõſequens eſt vt de viis qu. bus ad eũ peruenitur pauca dicamus. Et inter cætera viam ad beatitudinem, ſiue ad perfectã quã in altera vita expectamus, ſiue ad inchoa-

ed by Google

choatam quam in hac vita conſequimur, muniũt nobis octo iſtę beatitudines, quas hic in ſuo recenſet Euãgelio B. Matthæus: Quæ ideo & beatitudines nominantur, quia viam ad beatitudinem pręparant, per quas ſancti omnes eo peruenerũt. Et quãuis omnes in omni virtutum genere floruerint, in aliis tamen alii, Deo propter Eccleſię ſuæ decorem ita diſponente, magis enituerunt, atque hoc modo ſingularem ſibi quiſq; viam ad beatitudinem elegit. Sic voluntariam paupertatem S. Frãciſcus maxime coluit, vt eam & amicam & ſororem & ſponſam vocaret, & hoc ſedulo agebat vt nullus eo pauperior eſſet, aut inueniretur, ita vt nemo inter auaros tanto ſtudio opes cõcupiſceret & diuitias, quanto ille inopiam & diuitiarum contemptum ſectaretur. Et quodam tempore rogatus à fratribus quænam res maxime homines Deo commendaret, Paupertas, inquit, & rerum terrenarum contemptus: harum n. rerũ amore ſuperato, mens noſtra tanq̃ vinculis ſoluta & libera ſpõte ſua in cœleſtia tanq̃ ſibi cognata & naturę ſuæ congrua perducitur. Vt n. magnes ferrum propter occultam quandam vtriuſq; naturæ cognationem ad ſe in aera eleuat, Ita mentem à terrenarum rerum amore purgatam Deoque iam ſimilem effectam per charitatem facile Deus ad ſe rapit: & arctiſſimo charitatis nexu ſibi copulat. Dauid autem & Moyſes in ſpiritus manſuetudine enituerunt: Ieremias vitam omnẽ ab ipſa etiã pueritia in luctu & lachrymis cõſumpſit: Neq; tanto lachrymarum imbre contentus, vberiores etiam lachrymas optabat dicẽs,
Iere. 9. *Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarũ & plorabo die ac nocte interfectos populi mei.*

2. HABET & iſtud præſens ſermo, viam quæ ducit ad virtutem & beatitudinem, aſperam eſſe atque difficilem. Ne quis tamẽ eã propterea ingerdi detrectet, quod eſt difficultatis ac laboris in virtutẽ propoſitum, adiuncti præmii ſpe ac promiſſione alleuiat. Diuina ſiquidẽ ſapientia, quæ quibuſdam voluptatis illecebris animantia cuncta ad ea quæ naturæ ſuæ conueniunt, trahit & inuitat, ſuas quoq; virtutibus cunctis delitias & præmia appoſuit, vt earum dulcedine homines ineſcati ad earundem amorem accendantur. Et ideo non temere eas beatitudines appellat Dominus, quia præter perfectam & pleniſſimam illam beatitudinem, quæ illis in futura vita eſt conſtituta, aliam quoq; licet imperfectam & inchoatam in hac eſſe propoſitam edocemur. Nam paupertas ſpiritus, hoc eſt, voluntaria rerum terrenarum contemptio, quæ in ſumma etiam rerum copia eſſe poteſt, vt patet de Abrahamo, Iob, Dauide, & ſimilibus patriarchis, qui etiam in maxima terrenarum opum abundantia conſtituti, pauperes fuerunt ſpiritu: ſicut è diuerſo multi in ſumma rerum penuria poſiti, animo ſunt rerum terrenarum maxime cupidi, & diuites ſpiritu: ea igitur paupertas quę voluntaria dicitur cum hominem à cupiditate liberet, quæ omnium peccatorũ radix eſt, in quibus vera animæ miſeria eſt, cum ex parte beatũ facit, quo modo is qui è graui morbo conualuit, fœlix dicitur & beatus. Immoderata namque alicuius rei cupiditas tantum in ſe pœnarum & cruciatuum habet, vt multi quod ea cõſequi nõ potuerint, quę ardentiſſime deſiderabant, ſibiipſis necẽ intulerint. Sic Pontan⁹ adoleſcentem quendam memorat, quod cum ſpecioſa quadam virgine, quam perdite amabat, potiri non poſſet, in feneſtra quæ cõtra domum virginis poſita erat, laqueo ſibi vitam eripueſit: idemq; refert adoleſcentulam quandam ſe in puteum conieciſſe, quod ab adoleſcente cuius ambiebat coniugium, deſpecta fuiſſet. Quę ideo referuntur vt exemplis his intelligamus quantus ſit eorum hominũ cruciatus qui multa ſitientes appetunt, quib. potiri nequeunt. Beatus igitur, non qui multa poſſidet, ſed qui ſua ſorte contẽtus viuit. Id ꝙ patet à ſimili. Si quis n. æger inexplebili fame laboret, & multis dapib. abſumptis, eadẽ adhuc fame vrgeretur: alius vero qui ſanus corpore, vno dũtaxat ferculo famẽ

expleat

explcat: an non hic meliori cõditione eſſet minimo cibo contentus, quã ille qui tot abſumptis ferculis eadem fame cruciatur? Non ergo ingens opum copia, ſed cupiditatis extinctio quietem animis adfert: & multo beatior eſt atq; fœlicior qui cum nihil habeat, nihil cupit, quam qui cum plurima habeat, plura deſiderat, quia vt Philoſophus teſtatur Nihil intereſt an habeas, an non concupiſcas. Merito ergo inter has beatitudines paupertas ſpiritus numeratur, quę cum nos à tã multis malis eripiat, inſuper in trãquillitatis portu cõſtituit, quia beatitudo non eſt aliud hoc loco quam quies deſiderii, quam præſtat voluntaria paupertas. Et ideo eius præmium dicit eſſe Dominus regnum cœlorum, nõ quod erit, ſed quod eſt: verbo vtẽs preſentis tẽporis, Ipſorum, inquit, eſt regnũ cœlorum: cum in cęteris, vltima tamẽ excepta, futuri tẽporis verba ſubiiciat. Quia videl. in hac vita inſpicit eſſe beatus, qui ad hunc terrenarum rerum contemptum peruenerit: Hæc mentis enim tranquillitas & deſideriorum quies eſt veluti quædam prælibatio cæleſtis beatitudinis. Ad hanc beatitudinem nos perducere intendit Pſalmiſta cum ait, *Diuitiæ ſi affluãt nolite cor apponere.* Hic cupiditatem euulſã cupit. Non putauit ſe facile à nobis impetrare poſſe vt cum diuitiarum cupiditate, diuitias ſimul abiiceremus: ideoq; quod facilius infirmis eſſe videbatur, ſuadet, quo ſic ad hanc beatitudinem peruenire poſſimus. Quanquam vt cupiditatem radicitus euellamus, ipſas diuitias reliquiſſe & abieciſſe conſultum fuerit, tanquã quæ fomentum ipſi cupiditati ſubminiſtrent.

3. Itaqve pauper ſpiritu dicitur quis duplici de cauſa, aut quia cupiditate diuitiarũ, & voluptatis & honoris denudatus eſt & expeditus, quia quãuis multas fortaſſis poſſideat diuitias, tamen eas habet & poſſidet tanquam non poſſideret vtitur hoc mundo tanquam nũ vtatur: Aut quia virtutum laborat penuria: in quo tamen non proprie quis dicitur beatus ſed miſer & miſerabilis, ſicut pauperes ſolent miſeri eſſe: Sed hactenus dicitur is beatus quia dum propriam agnoſcit & videt paupertatem, inde ſe humiliat, opem implorat, vt cœleſtibus donis potiatur toto corde anhelat. ſic *Chryſ.* & *Greg.* hunc locum interpretantur & pauperes ſpiritu humiles intelligunt. Itaq; quamuis facultatib. diuites ſunt, modo humiles, pauperes ſpiritu vocari exiſtimant. *Hier.* vero in *commẽt.* & *Cypri. li. de duodec. abuſ.* per *pauperes ſpiritu* intelligunt eos qui vere pauperes ſunt & nullas diuitias habent aut poſſident.

Chryſ. ho. 15. in Mat. Greg. lib. 36. c. 10. moral.

Quærit *Amb. li. 6. in Lucam.* Cur Chriſtus pauperes beatos appellet, cũ & paupertas & diuitiæ res ſint indifferẽtes, quæ natura ſua nec bonæ nec malæ ſint. Dicendum ꝙ Chriſtus hic agat nõ de paupertate ſecũdũ ſe cõſiderata, ſed de paupertate ſpiritus ſeu voluntaria, quia paupertas coacta non eſt virtus ſed miſeria. Nec omnem paupertatem voluntariã ſignificari putandum eſt, ſed eã quæ propter regnum cœlorum aut ſpõte ſuſcipitur aut patiẽter toleratur. Vt pauper ſpiritu dicatur qui vendit omnia quę habet & dat pauperib. vt pauper ac nudus pauperẽ Chriſtum ſequatur, qui cum Apoſtolis dicit. *Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te.* Cõmendat a. hic Chriſtus voluntariã ſeu ſpiritus paupertatem, tanquã quæ expeditiſſimã ad regnũ cœlorum ſubminiſtret & præbeat viã. Diuitiæ n. plurima impedimenta adferunt, vt propterea Chriſtus dixerit, *Impoſſibile eſt diuitem intrare in regnum cœlorum.* Quia qui diuites ſunt ſe nullius egere putant, cũ luxu diffluant & cupiditate pleni ſunt, bona cœleſtia faſtidiunt & contemnunt.

VI. De manſuetudine quantum ea ſit animæ bonũ.

1. BEATI *mites quoniã ipſi poſſidebunt terram.*) Sicut volũtaria paupertas hominẽ à cupiditate liberũ reddit, ita manſuetudo ab ira & furore eripit. Quiſque quãto fuerit melior tanto inuenitur & mitior: & quo mitior eo in ſe & trãquillior, & iis cũ quib. conuerſatur amabilior: nihil n. æque conciliat nobis animos hominũ atq; animi manſuetudo & morum ſuauitas, quæ etiam iniuriis prouocata exaſperari neſcit nec vindictam quærit, ſed inter

proſpera & aduerſa ſtabilis & tranquilla perſeuerat, vt nec per molliciem malis cędat, nec per duritiam bonis obſiſtat. Et hoc ante omnia nobis curæ eſſe debet, vt animam ab amaritudine vindicemus & in tranquillum ſtatum per manſuetudinem educamus, quo & ipſi multa fruamur quiete, & iis cum quibus indies conuerſamur ſuaues & faciles ſimus. Quemadmodum enim graue eſt & moleſtum cum homine conuerſari rixoſo & moribus aſpero, iuxta
Prou. 18. illud Sapientis, *Spiritum ad iraſcendum facilem quis poteſt ſuſtinere?* Ita iucundum eſt & ſuaue iis conuiuere qui corde mites ſũt & animo manſueti: Eſt enim animi manſuetudo velut dulcedo maturi fructus qui amaritudine atque acerbitate per calorem ſolis decocta, & in ſe dulcis & comedenti ſapidus efficitur. Vnde & ipſa à Paulo ad
Galat. 5. Galatas, numeratur inter fructus ſpiritus, *Fructus ſpiritus eſt*, inquit, *charitas, gaudiũ, pax, manſuetudo.* Qui enim animum habuerit vere manſuetum, licet foris moroſos & intractabiles perferat homines intus tamen omni dulcedine & ſpiritus ſuauitate plenus eſt, cum enim in ſe firmus ſit & ſolidus, alterius improbitate exaſperari neſcit: Id quod patuit in Moyſe, de quo ſcriptura teſtatur, quod erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in
Nume. 12. terra, qui cum toties ab ingrato & rebelli impeteretur populo, mox omnis iniuriæ ſibi illatæ oblitus, etiam Deum ſuis precibus populo ingrato reconciliabat. Nouit enim vera manſuetudo etiã inter gladios & iniurias illæſa perſiſtere: quæ tanti pretii eſt & valoris apud Deum, vt pro ea promittat Dominus terram viuentium iis qui eam coluerint, *Beati mites*, inquit, *quoniam ipſi hæreditabunt & poſſidebunt terram.* Qui ficte manſuetus eſt & iis quibuſcum conuerſatur adblandiri didicit, poterit apud quoſdam & aliquo tempore mitis apparere, ſed non diu, quia iniuriis prouocatus, ſe prodet paſſio quæ latebat.

VII. Quiſnam luctus ſit

1. BEATI *qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur.*] Non omnes qui lugẽt, beatos eſſe, manifeſtum eſt, quia dicit Paulus ad Corinth. *Seculi triſtitia mortem operatur*: Triſtitia ſeculi eſt, *inquit Anſelmus in hunc locum*, aut de verecundia detectæ culpæ cum peccator qui ſe non vult corrigere, dolet ſe in ſuis nequitiis detectum eſſe: aut de amiſſis rebus præſentibus, quas fruſtra deflemus, quia deflendo recuperare non poſſumus. Hinc *Aug.* lachrymas cõparat fimo, qui ſi ponatur in agro eũ impinguat & frugiferũ efficit: ſi reponatur in cœnaculo aut domo vel lecto, & fœtet & fœdat. Sic inter eos qui plorant magna eſt diuerſitas, quia vnus ſuo luctu fructum facit vberem, alter magnum incurrit detrimentum. Cauſa igitur fletus Sanctorum interdum eſt animæ ſterilitas & deuotionis inopia qua laborant, dum nec oratio ſapit, nec lectio iuuat, imo ad omne opus bonum ſe aliquando non modo pigros, ſed & ineptos & inidoneos reperiũt. Id quod in ſe experiebatur pſalmiſta cum
diceret, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, velociter exaudi me defecit ſpiritus meus*: ſicut terra enim ſine aqua indureſcit & inepta fit vt fructus proferat, ſic cor hominis abſq; gratia durum fit vt lachrymis emolliri nequeat, nec vllum fructum pietatis proferre valeat. Si iure triſtaris quia corpus inedia tabeſcit, multo magis, ſi anima aut peccatis ſit mortua, aut præ gratiæ ac ſpiritus inediæ tabeſcat, aut aliis periculis & infirmitatibus expoſita ſit: Cum *teſte Bernardo*, nihil æque efficax ſit ad gratiam amiſſam recuperandam, & recuperatam conſeruandam vt cor humiliatum contritum ac lachrymis perfuſum. Hæc n. eſt benignitas Dei noſtri vt ſaluos faciat nõ ſolum virtute perfectos, ſed etiã humiles & pœnitentes peccatores. Itaque ſicut Axa filia Caleb inſidens aſino ſuſpirauit, petens à patre ſuo irriguum ſuperius, & irriguum inferius: Sic ſancti lachrymas petunt & fundunt, tũ propter varias carnis miſerias & infirmitates, quæ ad peccata prona eſt, tum propter gratiam ſuperne impetrãdã.

VIII. De reliquis Beatitudinib.

1. BEATI *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam quoniã ipſi ſaturabũtur.*] Dũ quis fame

Margin notes, right column: laudabilis. (beside "Paulus"); 2. Cor. 7. (beside "Seculi triſtitia"); Pſal. 142. (beside "diceret, Anima mea"); Ioſue. 15. (beside "Itaque ſicut Axa").

aut

aut ſiti premitur, ardenter cibũ & potũ appetit, ita vt Lyſimachus Rex dum ab hoſtibus obſeſſus vehementiſſima ſiti excruciaretur & regnum & coronam ſuam hauſtu aquæ frigidæ vendidiſſet, ô inquit, quam vili pretio tam pretioſam vendidi coronã. Per famem & ſitim igitur non vulgare intelligitur iuſtitiæ deſideriũ, ſed vehementiſſimum & ardentiſſimum: quale non poteſt habere niſi mens pura, & ab omni immoderato terrenarum rerum amore libera. Nam quod plerique virtutem tam languide quærant, & appetant, fit quia pleni rerum terrenarum deſideriis prauis, bona ſpiritualia, quorum dignitatem ignorant, faſtidiant: *Anima ſaturata calcabit fauum,*
Prou. 27. inquit Sapiens. Quiſquis igitur iuſtitiam conſequi cupit, eam ſummis votis expetat neceſſe eſt, quia res magna nõ niſi magno deſiderio obtineri poteſt à Deo. Qui vero ita ardenti ſtudio virtutem perſequitur & iuſtitiã appetit, is beatus dicitur ſpe, quia certa fiducia ſperare poteſt illud ſe obtenturum quod tam ardenter appetit: neque enim pius Dominus ſancta deſideria in cordibus ſuorum accendere ſolet, vt eos fame excruciet & vehemẽti deſiderio torqueat, vt fit in cupiditatibus rerum terrenarum, ſed vt hominem magno deſiderio æſtuantem capacem & dignum efficiat vt quod poſtulat impetret: Solet enim feruẽs deuotio & vehemens deſiderium certũ eſſe indicium Deum id ei elargiri velle qui tanto rei poſtulatæ deſiderio accenſus eſt. Vnde quidã Epiſcopus cum quodã tempore Monicã S. Auguſtini matrẽ amaris lachrymis, quibus filij ſui conuerſionẽ efflagitabat, perfuſam cerneret, dixit eidẽ, Bono animo eſto, quia fieri non poteſt vt hæ tuæ lachrymę ex tam compuncto corde profluentes, in conſpectu Dei caſſæ ſint futuræ aut inanes. Et huiuſmodi vehemẽs & accenſum deſiderium prius ipſi homini à Deo eſt poſtulandũ quam gratia ſeu res ipſa quam efflagitat & habere deſiderat, quia habito huiuſmodi deſiderio, facile gratia quæ poſtulatur impetratur, ſicuti habita cõtritione facile obtinetur venia: ideo dixit Pſalmiſta, *Concupiuit deſiderare iuſtificationes tuas.*

2. BEATI *miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*) Talem erga ſe Deum inuenient quales ſe ipſi hominibus exhibuerunt, ſcriptum eſt enim, *Qua menſura menſi fueritis remetietur vobis.* Vnde *Gregorius Nyſſenus* Deum puriſſimo ſpeculo comparat quod perfecte eam imaginem refert quam ei obieceris, ſiue lætam ſiue triſtem, ſiue formoſam, ſiue deformẽ: quæ quidem varietas non ab ipſo ſpeculo, ſed ab imaginũ varietate quæ illi obiiciuntur emanat. Pro comperto igitur habeatis hoc eodem modo, cũ extremus ille dies aderit iudicis faciem aut placabilem aut implacabilem, aut hilarem aut triſtem vos eſſe viſuros, quales vos fratribus exhibuiſtis: ſic enim Pſalmiſta nos docet cũ Pſal. 17.
ait, *Cum innocente innocens eris, & cum peruerſo peruerteris,* hoc eſt, mitis aut ſeuerus iudex futurus eris. Cæterum miſericordię nomine, non ſolum eius effectum intelligimus, dum quis opere aliorum miſeriam ſubleuat, ſed & affectum, quem & pauperes exhibere poſſunt. De hac virtute ſic Iaco. 2.
cobus ait, *Superexaltat miſericordia iudicium,* hoc eſt, præualet & triumphat miſericordia de iudicio, quia quos iudicij ſeueritas premere potuiſſet, miſericordia liberat & abſoluit, dum apud miſericordiarum patrem allegat dignum eſſe miſericordia qui miſericors extiterit. Hoc tamen obſeruet qui in alium miſericordiam vtiliter oſtendere voluerit, vt prius ſibiipſi miſericors ſit, animamque ſuam à ſceleribus & præſeruet & liberet: Nam ſi inter ea miſericors eſſe voluerit vt quidem egenorum miſeriam ſubleuet, aut peccanti in ſe facile ignoſcat, & interim à ſceleribus non abſtineat, vt miſericordiam apud Deum inueniat, nihil ei huiuſmodi miſericordia proderit, niſi forte vt mitius damnetur quam damnandus eſſet ſi nullam aut non talem miſericordiam feciſſet: eo quod 1. Cor. 13.
Paulus manifeſte dicat, *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Auguſt. li. 21. c. 27. de ciuit.

Quamuis igitur fecerit quis miſericordiã nõ correxerit perditos mores, ſed nefarie & nequiter inter ipſas eleemoſynas vixerit, tanquam licentiam malefaciendi ſibi comparare huiuſmodi eleemoſynis poſſit, nihil ei talis miſericordia proderit.

3. BEATI *mundo corde quoniam ipſi Deũ videbunt.*) Sicut qui purioribus ſunt oculis, melius colores vident, ita qui puriori ſunt corde melius Deum videbunt, quia Deus non oculis corporeis, ſed mente à nobis eſt videndus. Hęc cordis mundicies requirit, vt omnẽ impuram cogitationem à corde noſtro ſummo ſtudio & celeritate excutiamus, ne cæleſtis ſponſi lectum vlla labe inficiamus: quam puritatem vt ſancti Dei ſeruarent illibatam, ita oculos reliquoſque ſenſus exteriores cuſtodiebant, vt turbis hominum ac vrbium relictis tanquam omnium malorum lernis, inuias ſolitudines peterent ac inibi cum Deo viuere aſſueſcerent. Per munditiem cordis igitur quamuis *Chryſoſtom.* caſtitatem intelligat, & recte: *Baſilius* tamen mundos corde vocari putat, quos nullius peccati conſcientia redarguit: Quia ſicut charta munda imaginem ac picturam aliquam in ſe facile ſuſcipit: ſin autem conſcripta ſit aut lituris obducta, nil ei imprimi poteſt; ſic cor hominis ſi durum ſit & à peccatis tanquam lituris purgatum, & à rerum terrenarum imaginibus, quæ per ſenſus hauriuntur, mundum, facilius Dei imaginem eiuſque notitiam in ſe ſuſcipere poterit. Et ægre quidem poteſt quis in hac vita emundari plene ab omnibus peccatorum inquinamentis, quia in multis offendimus omnes & ſæpius coinquinamur, ſed multo ægrius poteſt homo denudari ab omnibus rerum corporearũ imaginibus, quia eas nõ ſolum nobiſcum circumferimus, verumetiam per eas rerum inuiſibilium cognitionem haurire debemus, quia teſte Paulo, *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur:* & vt Philoſophus ait, Neceſſum eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari. Latent enim Dei inuiſibilia ſub rebus corporeis, ſicut virtus medicinę in herbis: Abſtrahere autem & à figuris & à coloribus oportet ea quæ Dei ſunt, quia Deus neque colorem, neque figuram habet, neque imaginem, ſed quibus oculis videtur aut fidelitas alicuius, aut induſtria, aut ſapientia, aut caritas, quæ neque oculis corporeis cerni poſſunt, neque phantaſmatibus, iiſdem videtur & Deus ipſe: colligit enim mens hominis & percipit fidelitatem & induſtriam alicuius ex effectib. illius, ſic & cognoſcitur in hac vita Deus, qui eſt caritas & ſapientia ipſa.

Baſil. in regu. brevi. interro. 220.

4. BEATI *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*) Pacifici ſunt qui & ſecum & cum proximo, & cum Deo pacem habent, & ſic paci ſtudẽt, vt & alios quantum in ipſis eſt, reconcilient, & diſſenſionum auctores nequaquam exiſtant. Pacem ſecum habet qui nullis cõſcientiæ fluctib. agitatur, vbi inferiores animæ vires non repugnant ſuperioribus, ſed pacata & tranquilla ſunt omnia, mens & conſcientia. Ad hanc pacem peruenire non poteſt niſi cuius infirmitates, cupiditates & prauæ paſſiones ſanatæ fuerint omnes: ea enim tales ſunt vt inſtar morborum, hominem nunquam quieſcere ſinant. Pax humana ſicut & diuina pares requirit animos & conformes voluntates: nec vnquam diuerſitas morum aut diſſenſus opinionum ad firmam poteſt peruenire pacem. Quomodo enim cum Deo poteſt habere pacem aut cum proximo, cui ea placent quæ Deo diſplicent, & iis delectatur quibus Deus offenditur? *Quis reſtitit ei & pacem habuit*, inquit Iob. Hinc inter probos & improbos, inter pios & impios non poteſt eſſe pax firma aut ſolida, quia ſunt diuerſorum morum & animorum: conſiſtitque pax piorũ cũ impiis magis in humili ſufferẽtia & animi patientia, quam in non ſentiendo contraria, vt quamuis eos impij affligant & moleſti ſint, ipſi tamen non affligantur nec animo turbentur, ſed cum Pſalmiſta dicunt, *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant* Iob. 9.

bant me gratis, quia quamuis cauſam impugnandi non haberent, impugnandi tamen ſtudium non deponebant: & cum talibus viuere pacifice non poſſunt, niſi filii Dei per gratiam Dei, vt inde vel maxime cognoſcantur eſſe filii Dei, & habere ſpiritum Dei, qui eſt Deus pacis & non diſſenſionis.

5. BEATI *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnũ cœlorum*, hoc eſt qui affligitur ſiue in corpore per paſſionem, ſiue in bonorum ſuorum direptione, propter mandatorum Dei obſeruantiam: is beatus eſt, quia non ſolum ſuæ patientiæ mercedem percipiet, quam percipient etiam illi qui iuſte pro ſuis peccatis affliguntur & patienter ſuſtinent: ſed etiam ſuæ fidelitatis & caritatis quod pluris Deum fecerit quam ſeipſum, & potiùs quamuis pœnam ſufferre quam eius legem violare paratus fuerit.

PARS IV.

Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Pſal. 138.

Summa Articulorum huius Partis.

I. *An animæ Sanctorum Deum videant & de Canonizatione eorum.*

II. *An ſancti ſint honorandi à nobis & inuocandi.*

III. *An imagines Sanctis ſint ſtatuendæ, & an honorandæ.*

ART. I. An animæ Sanctorũ Deum videant. &c.

1 QVANQVAM Sancti in cœlo cum Chriſto regnantes & triumphantes, humana non egeant defenſione aut præſidio contra improbas hæreticorum calumnias & oppugnationes, quippe qui iam, vt ſanctus loquitur *Cyprianus*, prorſus de ſua fœlicitate ſecuri & ſolum de noſtra incolumitate ſolliciti, perpetuos agunt de vniuerſis ſuis hoſtibus triumphos: nobis tamen perutile eſt ac multis nominibus neceſſarium, vt ipſorum gloria toti terrarum orbi innoteſcat, & ab omni idololatriæ caligine, quam illi offundere conantur hæretici, libera & purgata reſplendeat. Et cum multa ſint, quæ huius temporis hæretici, in Eccleſia Romana carpant & corrigenda clamitent, nihil tamen eſt, quod æque exhorreant atque execrentur, quam adoratio Sanctorum eorundemque inuocatio necnon & peregrinatio, reliquiarũ cultus & imaginũ veneratio. His enim tribus manifeſtã impietatẽ & idololatriã contineri volunt: hinc tẽplorum direptiones, imaginũ confractiones, altarium euerſiones, & ſacrorum omnium profanationes defendũt, quod ſe bellum gerere contra idola pro pietate dicant: Sic enim populo perſuadent nos pro Deo viuo mortuos homines, defunctorũ manes, cadauera, picturas & ſtatuas adorare, pro ſummo & ſempiterno ſpiritu oſſa, cineres, lapides & ligna colere: Et tam alte multorum mẽtes perniciosa hæc doctrina penetrauit, vt propterea diſceſſionem ſuam & impiam ab Eccleſia Catholica ſeparationem ac defectionem, iuſtiſſimam & maxime rationi conſonam arbitrentur.

2. ET ne quis nos hæreticis adfingere quippiam, quod ab eis dictum non ſit, exiſtimet, ipſum Lutherum in eo ſermone quem de cruce edidit audiamus, vbi tanquam ex tribunali pronunciat, Quoniam reliquiæ Sanctorum nihil ſunt aliud, quã fidelium ſeductiones, ne deinceps populi Deos alienos colãt, placet mihi vt omnes huiuſmodi reliquiæ altiſſime ſub terram abſcondantur, hæc ille: vt ea ratione videlicet omnis Apoſtolorum & Martyrum aliorumque Sanctorum in terris memoria aboleatur. Idem in Poſtilla ad Euangelium Dominicæ annunciationis: Papiſtæ, inquit, virginem Mariam Deum conſtituunt, omnipotentiam ei in cœlo & in terra attribuunt: *Et rurſum*: In Papatu omnes ſeſe ad Mariã cõtulerũt, & plus fauo-

ris

Digitized by Google

ris & gratiæ ab ea expectant, quã à Chriſto ipſo. Huic Melanchton ſucceſſit qui dicit idẽ eſſe fingere multos Deos & ſanctos mortuos inuocare: & quod nõ differant ab Ethnicis moribus inuocatio Sanctorum & cultus imaginum. Et Caluinus *lib.4.cap.21 ſuar. inſtit. & lib.3.cap.20.* vbi de Sanctorũ inuocatione loquens ſic ait, Singuli peculiares ſibi Dios aſciuerunt, in quorum nõ ſecus atque tutelarium Deorum fidem ſe contulerunt: Neque modo, quod olim Iſraeli exprobrabat Propheta, ſecundum numerum vrbium Dii ſunt erecti, ſed ſecundum capitum multitudinem. *hac ille.*

3 AT hæ impoſturæ mendaciaque impudentiſſima ſunt. Quis enim Catholicorum vnquam aut D. virginem Mariam, aut Sanctorum quempiam Deo æquauit? Quis in Catholica Eccleſia ſacrificium quod vni Deo debetur Sanctis obtulit vnquam? Nonne aperte diſtinguimus inter eum honorem qui ſoli Deo debetur, & cũ cultum ac venerationem quæ Dei amicis, aliiſque ſacris rebus pie religioſeque tribuitur? Sed licet illa mendacia calumniæque ſint, iis tamen infinita hominũ multitudo, & multa animarum millia à Chriſti corpore ſeparata & tanquam rami ab arbore vi tempeſtatis auulſi, & diſiecti iacent, & quotidie inſtar ouium errantium infernalium luporũ præda fiunt. Et quidẽ vt de mendaciis eorũ & calumniis omnib. pateat, audi quid Lutherus in *ſermone de natali die virginis Mariæ* putide euomat, Non pluris, inquit, æſtimo preces B. Mariæ quã cuiuslibet è populo, propterea ꝙ omnes ſimus æque ſancti & iuſti, atque eſt ipſa virgo Maria, cæterique Diui quantũuis magni. O os impudẽs quod etiam meretrices puriſſimæ virgini æquare non erubuit. Iam vero quam ſcurriliter in ſanctos Dei homines nugetur *Caluinus*, imo & debacchetur, audiamus: Si preces mortalium exaudire debeant Sancti, *inquit*, eos tam longas aures habere oportet, vt à cœlo vſque ad terram porrigantur: Deinde eoſdem per contemptum nunc homines mortuos, nunc vmbras, nunc laruas, nunc etiam colluuiem nominat, in inſtit. *lib.3. cap.20.* & in *libro* quem inſcripſit, *De vera Eccleſiæ reformandæ ratione*, eos etiam mõſtra, carnifices, & beſtias appellare non reformidat. Sacrilega iſta & blaſphema lingua cuius ſpiritus fuerit, ſatis demonſtrat.

4. NOS igitur, nefariis iſtis hominibus in ſolas terras relegatis, Sanctorum gloriam fidei zelo accenſi contra detractores pro viribus tueamur, eorumque memoriam ſermonibus & carminibus debita cũ deuotione celebremus, ita enim fiet vt quos in hoc ſtudio ad virtutem habuimus Duces & Magiſtros, eoſdem ad præmia & coronas ſocios habituri ſimus. Et imprimis hoc ſtatuendum, Sanctorum animas quæ & corpore ſolutæ ſunt & nulla purgatione egent, & Deũ videre & vere ante iudicii diẽ beatas eſſe: Nã idcirco ante Chriſti aduentum nõ ita colebantur, neque inuocabantur ſpiritus Patriarcharum, Prophetarũ, quemadmodum nunc Apoſtolos & Martyres colimus & inuocamus, quod illi adhuc inferni carcerib. clauſi detinerẽtur, hi vero clara Dei viſione, in qua noſtra ſita eſt beatitudo, fruantur. Antiquorũ & recentiũ hæreticorum opinio fuit, animas omnes quantumuis ſanctorum hominũ, vſque ad vltimũ iudicii diẽ ſeruari in quibuſdã abditis receptaculis, vbi nec Deũ videant, nec beatæ dici poſſint niſi in ſpe. In hoc errore & ipſe Tertullianus hæſit, vt patet *lib 4. in Marcionem*, vbi ſic habet, Eã regionem (quam quidã vacant honeſtam & liberam cuſtodiam) ſinum dico Abrahæ etſi non cœleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus iuſtorum, donec cõſummatio rerum reſurrectionẽ omnium plenitudine mercedis expũgat. Iuſtinus quoque *quæſt.* 60. ex iis quas gentes Chriſtianis ponunt, dicit narrationem de diuite & Lazaro non eſſe veram hiſtoriam, & cauſam reddens *ſic ait*, Neq; enim ante reſurrectionẽ vnicuiq; ex iis, quę in vita geſſit, præmiũ redditur: & quæſt. 76. Si ante reſurre-

ſurrectionem nulla ſunt operum præmia, quis fructus fuit latroni, cum in paradiſum eius animus introductus eſt? Reſpōdet, id conſequutū latronē vt ſit in cœtu iuſtorū, & videat ſeipſum, & q̄ infra ſe ſūt & præterea Angelos & dæmones. Sed & Bern. *ſer.* 4. exponens illud, *Vidi ſub altari animas interfectorum*, intelligēs per altare Chriſti humanitatem, ſic dicit, Interim animæ Martyrum ſunt ſub altari, quia ſolum vident Chriſti humanitatē, poſt diē iudicii vero exaltādæ ſunt ſuper altare ad videndum Dei eſſentiam: ſub Chriſti humanitate fœliciter quieſcunt Sancti, in quam nimirum deſiderāt etiam S. Angeli proſpicere, donec veniat tempus quando non iam ſub altare collocentur, ſed exaltētur ſuper altare. Sed quid dixi? Nunquid humanitatis Chriſti gloriam, non dicam huminum, ſed vel Angelorū aſſequi quis poterit, nedum ſuperare? Quonam igitur modo ſuper altare dixerim exaltādos eos, qui nunc ſub altari quieſcunt? Viſione vtique & cōtemplatione, nō prælatione. Oſtendet n. tunc nobis filius, vt pollicitus eſt ſemetipſum, non in forma ſerui, ſed in forma Dei, oſtendet & nobis Patrē & Spiritum ſanctum, ſine qua nimirum viſione nihil ſufficeret nobis.

5. VERVM animas Sanctorum etiam iam nunc frui Dei viſione definitum eſt, & in concilio Florentino *ſeſſ. vltima*, & in concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. Idē definiuit Benedictus 12. *in Extrauag.* quę incipit, *Benedictus Deus:* Et manifeſte colligitur ex variis ſcripturis, Ait n. Paul⁹ ad Eph. 4. *Chriſtus aſcendēs in altum captiuā duxit captiuitatem*, id eſt, multitudinem ſanctarū animarum quas ex limbo ad cœlum euexit, vt *Ambroſius* exponit. Itē Lu. 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Vbi non terreſtris intelligitur paradiſus, qui poſt diluuiū non extat amplius, ſed cœleſtis locus deliciarū, promittit n. Chriſtus latroni conſortiū ſuum in paradiſo, hoc eſt in cœlorum regno, ſicut *Ambr.* & *Beda* exponunt. Item ait Paulus 2. Corint. 5. *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præſentes eſſe ad Dominū.* Si nō poſſemus videre Deū niſi poſt reſurrectionē, nō diceret Paulus ſe optare peregrinari à corpore, vt nō peregrinetur à Domino, quia poſt reſurrectionē nō peregrinabimur à corpore, ſed erit anima corpori cōiuncta, ergo eſt ſtatus aliquis in quo ſancti erunt abſentes à corpore & pſentes ad Dominum, ita vt eū præſentē videant, & ille eſt poſt mortē. Denique dicitur *Apo.* 6 quod Martyribus datæ ſint ſingulæ ſtolæ albæ, quæ gloriā animæ ſignificant. Nā alterā ſtolā, i. e. gloriā corporis poſt reſurrectionē habebunt, vt exponit Greg. *in* 4. *Pſ. pœnit.* & de iſtis *c.* 7. dicitur, *Hi qui amicti ſūt ſtolis albis, ſunt ante thronū Dei:* Ex quo habemus illos vere eſſe in cœlo & videre Deū. Quid n. ſignificat eſſe ante thronum Dei, niſi habere Deū in cōſpectu eumque videre? Et ſic dicit *Anſelmus* animas interfectorum eſſe ſub altari, hoc eſt, ſub Chriſto, per quem offeruntur ſacrificia noſtra, non quia Chriſtus ſit illis quaſi paries adumbrans & impediens quo minus Deum videant, *vt Bernardus* videtur expoſuiſſe, ſed ſub Chriſto eſſe dicuntur, quia illo inferiores ſunt loco & dignitate, quia ſub Chriſti patrocinio & protectione vixerunt, & illi referunt accepta ſua præmia.

Sic Oecumen. in cap. 9. ad Hebr. Sic Theophila. in cap. 23. Lucæ.

Sic Iuſtinus queſt. 75.

Sic Beda in cap. 6. Apoc.

6. AVGVST. *libr.* 12. *de Gen. cap.* 25. exiſtimauit Sanctorum animas videre quidem Deum, ſed nō ita perfecte vt videbūt poſt reſurrectionem, propterea quod naturale deſiderium recipiendi corpus non ſinat animas toto conatu ferri in Deum: Et hoc eſſe diſcrimen inter angelos & homines, quod angeli cum nihil aliud expectent toti ferantur in Deū: animæ vero Sanctorum partim ad Deum, partim ad corpus reſpiciant. Cui ſubſcribit *Bernardus* Auguſtini diſcipulus. *ferm.* 3. *de feſto omn. Sanctor.* Animę ſanctæ (*inquit*) te, caro, deſiderant, ipſarum ſine te compleri lætitia, perfici gloria, conſummari beatitudo nō poteſt: adeo ſiquidem viget in eis deſideriū hoc naturale, vt necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, ſed cōtrahatur quodammodo & rugā faciat, dū inclinantur

nantur deſiderio tui, *hæc Bern.* Eſt tamen cõmunis doctorum doctrina quod gloria animæ eſſentialis non erit maior poſt reſurrectionem quam ante niſi extenſiue, quia deriuatur etiam in corpus ipſum de quo anima gaudebit, ſed non intenſiue, quia iam eſt operatio eius tã perfecta, ſicut & eſſentia, quã erit poſt reſurrectionẽ, quia ſicut anima in vidẽdo Deũ nullo modo pẽdet à phantaſmate, ita nec à corpore, nec inclinatio ad corpus impedit perfectam Dei viſionem, quia ordinatur ad eam ſicut ad finem, ſicut amor medicinæ non impedit amorem ſanitatis: Alioqui angeli quando mittuntur ad exteriora & de illis cogitant, diſtraherentur à viſione Dei.

7. Dices forte, Dies iudicii dicitur dies retributionis, quãdo Deus reddet vnicuique ſecundum opera ſua, at ſi animabus ſanctis reddita ſint præmia, fruſtra futurũ eſt iudicium. Dico quod quædam dies dicatur dies iudicii & retributionis, non quod aliis diebus Deus non iudicet, & retribuat, eſt enim & dies mortis, dies iudicii cuiuſq; in particulari, ſed quia illa dies ad hoc tantum conſtituta eſt, vt fiat iudicium & retributio publice & manifeſte, vt oſtendat Deus corã toto mundo ſummã ſuam iuſtitiã & quod nulli fecerit iniuriam, qui iam traducitur & iniuſtitiæ ab impiis accuſatur tanquam qui nullam adhibeat prouidentiã dum pios ſinit affligi, & impios honorari ac promoueri, ibi apparebit æquiſſima Dei adminiſtratio totius vniuerſi. Eſt etiã neceſſum vt præter particulare iudiciũ cuiuſque, ſequatur generale omniũ, in quo plena fiet vnicuiq; retributio de omnibus quæ egit: Iã nondũ ſunt finita opera bona & mala defunctorũ: adhuc n. Lutherus male agit corrumpendo libris ſuis mẽtes hominũ: & B. Paulus adhuc bene operatur exemplo & ſcriptis, ſicut *Baſilius* eleganter deducit *in lib. de virg.* ex illis verbis. 1. Tim. 5. *Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, quoſdam vero ſubſequũtur.* Quia igitur tunc finientur opera bona & mala, quando finietur mundus, ideo tunc vltima feretur ſententia.

8. Cæterum ne ſit & maneat incognitum quinam Sancti iam ſint beati, & qui in particulari inuocandi & honorandi, penes Eccleſiã eſt poteſtas & auctoritas eos canonizandi. Canonizatio aũt nihil eſt aliud quam publicum Eccleſiæ teſtimonium de vera ſanctitate & gloria alicuius hominis iam defuncti: & ſimul eſt iudicium ac ſententia qua decernuntur ei honores illi, qui debentur iis qui cũ Deo fœliciter regnant. Qui enim Canonizantur inſcribuntur in Catalogo Sanctorum, & ſtatuitur ac iubetur, vt ab omnibus publice habeantur & dicantur Sancti, ita vt in publicis Eccleſiæ precibus inuocentur: templa & altaria in eorum memoriã Deo dicantur & conſecrentur: dies feſti in eorum memoriã celebrentur: & ſacrificium Miſſæ Deo in ipſorũ honorem offeratur, & laudes, gratiarum actiones & horæ Canonicæ canantur: Imagines eorũ addito certo quodam lumine in ſignum gloriæ quam habent in cœlis, depingantur: & eorum reliquiæ pretioſis thecis includantur & publice honorentur. Sic Eccleſiaſticus *c.* 44. & ſeqq. canonizauit plurimos Sanctos, Enoch, Noe, Abrahã, &c. Et in nouo teſtamento S. Lucas in actis canonizauit Sanctum Stephanum, Iacobum maiorem, Petrum, Paulum & plures alios, quia per eos voluit Deus annotari in particulari glorioſam vitam & mortẽ eorum: Et eodem modo voluit Deus etiam vt deinceps fieret: Et tenemur Sanctos canonizatos honorare & laudare, tũ quia ſcriptura hoc iubet, Eccl. 44. *Sapientiam ipſorum narrent populi,* inquit, *& laudem eorum nunciet Eccleſia.* Tum quia virtus ipſorũ hoc meretur: Eſt n. quaſi naturale præmium virtutis honor: tũ deniq; quia ad nobis vtile eſt ad plurima beneficia eorũ interceſſione promerẽda. At niſi ſciamus qui ſint veri ſancti qui non, nõ poſſumus eos colere vt oportet, neque eorum vitam & virtutũ exempla imitari: Hoc autem fit per canonizationẽ, quæ niſi fiat, & publico Eccleſiæ iu-

ſtiæ iudicio ac teſtimonio certi Sancti proponantur colendi & imitandi, facile populus aberraret & damnatos pro beatis coleret, quemadmodum accidit tẽpore S. Martini. Scribit enim *Sulpitius* quod cum populus quidam coleret neſcio quem hominem mortuum pro martyre, & B. Martino ſuſpecta eſſet iſta religio, eo quod nihil certi à maioribus de iſto Sancto accepiſſet, tandem oranti Martino apparuit anima eius qui ibi colebatur, & cõfeſſa eſt ſe animam damnatam eſſe latronis cuiuſdã, qui pro ſuis ſceleribus extremi ſupplicii pœnas luerat: & ſtatim iuſſit Martinus altare deſtrui & cultum aboleri.

9. Dvobvs modis poteſt aliquis canonizari: *vno* modo particulariter, ita vt ſolum in vna prouincia habeatur Sanctus & colatur pro Sancto: *Alio* modo generaliter, ita vt in tota Eccleſia habeatur pro ſãcto, nec vlli liceat de eius ſanctitate dubitare. Primo modo canonizare poterat quilibet Epiſcopus, vt docet Thomas Waldenſis *li. de Sacramentalib. tit. 14. c. 112.* & patet ex Cypriano *li. 3. epiſt. 6.* vbi iubet ad ſe ſcribi, cũ aliquis martyr de hac vita exit, vt ſtatim poſſit eius memoriam ſacrificiis celebrare, & ſingulis annis poſtea diem eius natalem colere: Hinc factũ vt in multis prouinciis quidã colantur Sancti, qui alibi penitꝰ ſunt ignoti. Sed quod olim licuit, modo non licet, quia Alexander III. & poſteà Innocentius III. vidẽtes abuſus qui oriebantur circa Sanctorum cultum, prohibuerũt ne deinceps aliquis pro Sancto coleretur ſine Romani Pontificis approbatione: vt patet *cap. 1. & 2. de reliquiis & Sanct. ven.* Nam tempore Alexandri III. accidit vt hominem in ebrietate occiſum pro Martyre venerarentur, quos reprehendit Pontifex, vt patet *ex cap.* Audiuimus, *extra de reliquiis & Sanct. Vener.* Secundo modo canonizare ita vt in tota Eccleſia Sancti habeantur, pertinet ad ſummũ Pontificem, *vt habetur cap.* Audiuimus, Quia ad eũ ſpectat proponere toti Eccleſiæ quid ſit credendum & quid agendum in iis quæ ſunt religionis, qui præeſt toti Eccleſiæ. Veteres tamen Sancti cœperunt coli in Eccleſia vniuerſali non tam lege aliqua quam conſuetudine: Sed ſicut conſuetudines aliæ vim habẽt legis ex tacito, conſenſu Principis, & ſine eo nullam vim habent, vt patet ex *Thoma*: Ita Sancti alicuius cultus ex conſuetudine Eccleſiarum generaliter introductus vim habet ex approbatione tacita ſummi Pontificis. Certum eſt autem Pontificem non errare in Sanctorum canonizatione, quia ſi liceret dubitare an Sanctus canonizatus ſit Sanctus, liceret etiam dubitare an ſit colendus, ſed dubitare an ſit credendũ & faciendum quod tota Eccleſia facit, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, *inquit Auguſt.* Etſi Eccleſia in canonizatione erraret inuocaret ſæpe damnatos pro beatis, quod abſurdum eſt. Non ſolet autem Pontifex canonizare aliquem niſi claruerit magnis & certis miraculis: At miracula magna & diligenter examinata faciunt rem credibilem, præſertim cum antequam Sancti canonizentur, indicantur ieiunia & preces publicæ, & tota res diu & diligentiſſime examinatur: non eſt autem credibile Deum non adeſſe Eccleſiæ ſuæ ſic ſupplicanti & diſpoſitæ. Licet tamen colere Sanctum non canonizatum priuato cultu, ſed non publico. Voco autem publicum cultum, non eum qui coram aliis exhibetur, ſed qui nomine totius Eccleſiæ, & tanquã ab Eccleſia inſtitutus exhibetur. Vnde licet credere & vocare Sanctum nõ canonizatum, non tamen prædicare eum tanquam ab Eccleſia inſcriptum Sanctorum Catalogo: Licet etiam inuocare non canonizatum, etiam aliis audientibus, vt patet ex *Hieron.* in vita Paulæ, & *Gregorio Nazian.* in vita Athanaſii & Baſilii, vterque enim inuocat quos laudat ante canonizationem: Licet & lætari peculiariter & Deo vacare in memoriam alicuius Sancti non canonizati, quando eſt dies natalis eius, ſed non licet feſtum diem celebrare publice.

Thoma. q. 97. ar. 3.

Auguſt. epiſt. 118.

II. An Sancti ſint à nobis honorandi & inuocãdi.

1. NVNC paucis explicandum quomodo Sancti ſint colendi & adorandi. Eſt autem primo loco obſeruãdum, adorationem tres actus complecti, nimirum, actum intellectus quo apprehẽdimus excellentiã alicuius: ſecundo, actum voluntatis, quo nos illi interius inclinamur & aliquid facere volumus quo proteſtemur eius excellentiam & noſtram ſubiectionẽ: tertio, actum exteriorẽ quo caput inclinamus, vel genu flectimus, vel aliquod aliud ſignum ſubiectionis oſtendimus. Ex quibus actibus ſecundus eſt maxime proprius & eſſentialis, nam primus actus poteſt eſſe ſine adoratione: tertius etiam cũ irriſione. Et quemadmodũ ſunt variæ ſpecies excellentiæ, eſt n. excellentia diuina & infinita, eſt humana ſeu naturalis, quæ poſita eſt in humanis virtutibus, dignitatib. & gradibus; eſt & inter has duas media, qualis eſt gratia & gloria Sanctorum: Ita ſunt & diuerſi modi colẽdi ſeu adorãdi aliquẽ: Deum n. adoramus & colimus cultu latriæ, vt loquuntur ſcholæ Doctores: quo eum vt primum principium & finem vltimum agnoſcimus & adoramus, & hoc cultu ſolus Deus colendus eſt, iuxta illud Mat. 4. *Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies:* & alibi, *Soli Deo honor & gloria.* Principes & Reges colimus & adoramus cultu ciuili propter excellentiã humanã, ſicut Iacob adorauit Eſau fratrẽ ſuũ pronus in terram ſepties, vt dicitur *Gen. 33.* Sanctos vero adoramus & colimus cultu duliæ, & B. Virginem & Chriſti humanitatem ſeorſim conſideratam, cultu hyperduliæ, propter dona ſupernaturalia. Hinc patet quod ſicut nomen excellentiæ diuerſimode & æquiuoce ſumitur, ita & nomen Adorationis; vnde & Patres vocabula adorationis & religionis nunc concedunt creaturis, nunc negãt prout varie ſumitur: Hieron. enim *in epiſt. ad Riparium cont. Vigilan.* dicit nec Martyrum reliquias, nec Angelos; nec aliquid creatum coli poſſe vel adorari: Et tamen ipſe in Epitaphio Paulæ dicit, Vale ô Paula, & cultorem tuum orationibus iuua: & *li. 2. apolog. cont. Ruffi.* dicit, Veni Bethleem, præſepe Domini & incunabula adoraui. Sic Auguſt. *lib. de vera relig. c. 55.* dicit religionis cultum nec Angelis nec Sanctis hominibus iam defunctis deberi, ſed ſoli Deo: & tamen *lib. 20. cont. Fauſt. cap. 21.* dicit, Memorias Martyrum populus Chriſtianus religioſa ſolennitate concelebrat. Itaque aliquando accipiebant nomen religionis & adorationis vt cõuenit ſummæ excellentiæ diuinæ, & ſic ſolus Deus adorãdus: aliquãdo vt cõuenit reliquis excellẽtiis ſiue naturalib. ſiue ſupernaturalibus, & ſic colimus & creaturas. Sanctos itaq; honoramus, adoramus & colimus, ſed minori cultu & veneratione quã Deum, neque n. eos Deos agnoſcimus vel auctores vitæ & ſalutis noſtræ, abſit: ſed colimus & adoramus tanquã Dei amicos & perſonas excellentiores, quam ſint aut Reges aut Principes, ideo & maiorem honorẽ eis deferimus quam his, licet actus exterior adorationis fortaſſis idem ſit qui vtriſq; impenditur, dum aut genua flectimus aut caput inclinamus, ſed internus qui animo fit eſt diuerſus, ſicut & excellentia vtriuſque diuerſa eſt & diuerſæ ſpeciei.

2. QVOD autem rebus ſacris, angelis & ſanctis debeatur aliquis cultus minor quidẽ diuino, maior tamẽ ciuili & mere humano, probatur in primis ex Pſ. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt:* vbi ad literam per ſcabellum pedum Domini intelligitur arca teſtamenti, vt patet 1. *Paral.* 28. vt dicit Salomon. *Paraui domum vbi requieſceret arca Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri.* Nec ſine cauſa dicebatur arca ſcabellum pedũ Domini, quia ſupra arcam erat propitiatorium quaſi ſedes Dei. Et iſte cultus qui arcę deferebatur nõ erat cultus ciuilis, ſed religionis, quod patet ex ratione ſubiuncta quando dicitur: *Quoniam ſanctum eſt.* Cultus autem ciuilis debetur rebus propter humanã excellentiam: Adorare vero hic idem eſt quod incuruare & ſe incuruãdo arcam honorare: ſicut dicitur *Gen. 23.* quod Abraham adorauerit populum terræ. &

Digitized by Google

1æ, & ca.28. legimus quod Abraham pronus in terram adorauit angelum, ſic Ioſue *cap. 5.* pronus in terram adorauit virum ſtantem euaginato gladio, poſtquam cognouit eum angelum: & non adorauit ciuiliter ſed religioſe, quia non prius adorauit quam intellexit, eſſe angelum Dei legatum. Et quod non male fecerit adorando, patet quia angelus non ſolum nō prohibuit eum ab adoratione, ſed etiam iuſſit adhuc maiorem honorem ſibi exhiberi, dicens, Solue calceamenta pedum tuorum, locus enim in quo ſtas ſanctus eſt: Non erat autem ſanctus locus ille, niſi ob angeli præſentiam, non enim tunc erat Ioſue in loco ſacro, ſed in campeſtribus Hiericho. Sic 3. *Reg.* 18. Abdias adorat Heliam pronus in terram: nec poſſumus dicere hunc ciuilem cultum fuiſſe, nam quantum ad humanam excellentiam, maior erat Abdias quam Helias: iſte enim priuatus homo erat, ille autem vnus ex Principibus regni: adorauit ergo eum vt Prophetam ac Dei hominem ſingulari ſanctitate excellentem. Sic Hieron. in vita Paulæ, dicit Paulam cum inuiſeret ſanctos Eremitas, ſingulis ad pedes prouolutam, ita eos venerari ſolitam, ac ſi in ſingulis Chriſtum adoraret. Vbi certe non agitur de cultu ciuili: non enim fœmina nobiliſſima ruſticanos homines ciuiliter honoraſſet tanta ſubiectionis ſignificatione. Et *Auguſt. epiſt.* 44. Oſtendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quanto ibi oſtendo memoriam Petri: Petrum enim piſcatorem modo genibus prouoluta adorat gentium multitudo. In Petro autem quis honoratur niſi ille defunctus pro nobis? *hæc Auguſt.* Dices: Si licet ſic colere Sanctos, Cur igitur Angelus prohibuit Ioāni adoranti ſe, *Vide, inquit, ne feceris, conſeruus tuus ſum? Deum adora,* Apocal. 19. & tamen non ignorabat Angelus ſibi à Ioanne non latriam ſed duliam exhiberi. Dico quod Angelus ſic apparuit vt potuerit exiſtimari Chriſtus: dixerat enim cap. 1. *Ego ſum primus & nouiſſimus, & fui mortuus & ſum viuens.* Itaque poterat exiſtimari Chriſtus, cuius perſonam gerebat, niſi ipſe explicuiſſet ſe non eſſe Chriſtum: & ideo corrigendus fuit adorator, non propter errorem adorationis, ſed propter errorem perſonæ. Ita reſpondet *Augu. qu. 61. in Gen.* Greg. vero *lib.* 27 *mor. c.* 11. aliam huius loci dat expoſitionem, nimirum quod Ioannes agnoſcens eum Angelum, recte eum adorauerit non adoratione latriæ, ſed duliæ, & ipſe tamē Angelus recte adorari recuſauerit ab eo, propter dignitatem Apoſtolicam ad quam euectus erat Ioannes: & ideo Angelus dicebat ſe conſeruum eius.

3 NVNC vlterius inquirendum quomodo Sancti ſint inuocandi: Et inprimis non licet à Sanctis petere vt nobis tanquam auctores diuinorum beneficiorum gloriam vel gratiam, aliaque ad beatitudinem media concedant, quia teſte Dauide, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: & Iaco. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum*: & hoc habet Eccleſiæ vſus vt in ſolennitatibus Sanctorum nihil vnquam aliud petat, quam vt eorum precib[9] à Deo nobis beneficia concedantur. Et cum in hymno Apoſtolorum canimus, Sanate ægros moribus, nos reddentes virtutibus, hoc intelligitur vt velint nos ſanare ſuis precibus & meritis: Sicut Paulus de ſe dicit Rom. 11. *vt ſaluos facerem aliquos ex illis,* non vt Deus, neq; enim Paulus eſt auctor noſtræ ſalutis, quæ ſuperat virtutem omnis creaturę, etiam ipſorum Sanctorum, ſed ſuis precibus, concionibus, inſtructionibus.

Pſalm. 83.

Sic Aug. 8. de ciuit. c. vlt. & lib. 22. c. 10.

4 DICVNT hæretici in ſcripturis non haberi quod Sancti mortui orent pro viuis. Id falſum eſſe patet ex 2. *lib. Machab. cap.* 15. vbi de Ieremia iam defuncto dicitur, *Hic eſt fratrum amator qui multum orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate Ieremias Propheta Dei.* Rurſus *Apocal.* 5. vbi deſcribuntur 26. ſeniores in cœlo procidiſſe ante thronum Dei, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ

ed by Googl

ſunt orationes Sanctorum: Vbi *Richardus* & *Gagneus* dicunt orationes illas eſſe interceſſiones pro infirmorum ſtabilitate. Et orant Sancti qui regnant cum Chriſto pro nobis non ſolum in genere, ſed etiam in particulari: ſicut angelus Tobiæ dicebat cap. 12. *Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Hoc ideo dicit quia preces ſuas iungebat precibus Tobiæ vt facilius à Deo exaudiretur. Vt enim *Bernard.* dicit in *ſerm.* de B. Virgine, qui incipit *Signum magnum,* Opus eſt, *inquit,* mediatore ad mediatorem iſtum, nec alter nobis vtilior quam Maria. Quibus verbis docet Chriſtum eſſe interceſſorem immediatum qui per ſe impetrat: ſanctos autem eſſe mediatos qui non niſi per mediatorem Chriſtum impetrant. Et ſicut angeli iuuant preces fidelium quibus præſunt & quos cuſtodiunt & quorum rebus interſunt, ita etiam ſanctos hominum ſpiritus id facere dubium nullum eſt: Sic enim canit Eccleſia in præfatione Apoſtolorum quæ eſt antiquiſſima, Gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, vt iiſdem rectoribus gubernetur, &c. Nam vt Hilarius docet *ſermo.* 124. Neq; deſunt ſtare volentib. Sanctorum cuſtodiæ, neq; angelorum munitiones: Et Ambr. *lib. 8 in Lucam in fine,* Sicut angeli præſunt, *inquit,* ita & hi qui vitam meruerint Angelorum: Et Leo *ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo,* Sicut, *inquit,* nos experti ſumus & noſtri probauere maiores, credimus atq; confidimus inter omnes labores iſtius vitæ ad obtinendam miſericordiam Dei ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos.

5 IVRE IGITVR optimo Sancti ſiue angeli, ſiue homines à viuentibus inuocantur pie & vtiliter, ſicut Iacob benedicens filiis Ioſeph. *Gen* 48. inuocauit angelum, *Angelus,* inquit, *qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris iſtis* Item *Exod.* 32. ita orat Moyſes, *Recordare Domine Abraham, Iſaac & Iſrael ſeruorum tuorum.* In quem locum ſcribens Theodoretus dicit ſanctum Moyſen cum ſe non exiſtimaret ſufficientem ad placandum Deum, adhibuiſſe etiam patrocinium Patriarcharũ. Quæſt. 67 in Geneſ. Vbi *notandum* eſt, quia ante Chriſti aduentum Sancti, qui moriebantur non intrabant in cælum, nec Deum videbant, nec cognoſcere poterant ordinarie preces ſupplicantium, ideo non fuiſſe conſuetum in veteri teſtamento, vt diceretur, Sancte Abraham ora pro me: ſed ſolum orabant homines eius temporis Deũ, & allegabant merita Sanctorum qui iam obierant vt illis ipſorum orationes occurrerent. *Dionyſius* vero *Areopagita ca. 7. Eccleſ. hierarch.* ſic ait, Nam profecto idem ſit, ac ſi quis ſole ſuos radios ſanis largiente oculis, ſibi oculos eruens, ſolaris luminis particeps fieri poſtulet: ſic impoſſibilium ſuperflua ſpe ille ſuſpenſus eſt, qui ſanctorum flagitat preces, & naturæ ipſorum conſentaneas ſacras operationes abigit. Et *Hilarius* in *Pſalm.* 29. Interceſſione, *inquit,* angelorum non natura Dei indiget, ſed infirmitas noſtra: miſſi enim ſunt propter eos qui hæreditabunt ſalutem, Deo nihil ex his quæ agimus ignorante, ſed infirmitate noſtra ad rogandum & promerendum ſpiritualis interceſſionis miniſterio indigente. Gregorius Nyſſenus quoq; *orat. in S. Theodorum circa finem,* ſic habet: Intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum: Timemus afflictiones, expectamus pericula, non longe abſunt ſceleſti Scythæ bellum aduerſum nos parturientes, vt miles propugna pro nobis, vt Martyr pro conſeruis vtere libertate loquendi. Quod ſi maiori etiam opus fuerit deprecatione & aduocatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus vna deprecare: admone Petrum, excita Paulum, Ioannem item diſcipulum dilectum: & Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis agenda, cap.* 4. Non video, *inquit,* quod ſit adiumentum mortuorum prouiſus ſepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, niſi

ad hoc.

Google

ad hoc, vt dum recolunt vbi ſint repoſita eorum quos diligunt corpora, eiſdem Sanctis illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum adiuuãdos orando commendent.

6 HIC NOTANDVM quod tribus modis vnus mediator reconciliare poſſit duos diſſidentes : *vno modo* declarando vter iuſtum petat : *altero modo* ſoluendo creditori pro debitore : *tertio modo* orando creditorem vt debitum remittat.

Primus modus inter Deum & hominem locum non habet, quia conſtat Deum ab homine eſſe offenſum. *Secundo* modo ſolus Chriſtus eſt mediator Dei & hominum, iuxta illud Pauli 1. Timoth. 2. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus qui dedit ſemetipſum redemptionem pro nobis* : Dicitur etiam vnus mediator CHRISTVS, non ſolum ratione officij quia conciliat Deum homini, ſed etiam ratione naturæ, quia eſt medius inter Deum & hominem, cum ipſe & Deus & homo ſit, id quod erat neceſſarium ad reconciliandum hominem Deo: hanc rationem reddit *Auguſtin. lib. 9. de ciuit. cap. 17.* *Tertio* modo etiam Sancti dici poſſunt mediatores inter Deũ & eos pro quibus orant, quibus Deum ſuis precibus propitium reddunt : non ſicut Chriſtus qui ſic eſt omnium mediator vt ipſe nullo mediatore indiguerit: Sancti autem indiguerunt reconciliari Deo per mediatorem Chriſtum, & nunc etiam quicquid nobis impetrant, à Deo per Chriſtum impetrant : Chriſtus autem nec pro ſe nec pro nobis vllo mediatore indiguit aut indiget, ſed vt dicitur ad Hebræ. 7. *Accedis per ſemetipſum ad Deum ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Sed nec Angeli ſunt eo modo mediatores, quo Chriſtus, quia licet ipſi pro ſe, Chriſto mediatore non egeant, neq; enim ſalutem ſuam Chriſti paſſioni acceptam ferunt, egent tamen Chriſto vt per eum impetrent nobis à Deo beneficia.

Sic Augu. lib. 2. con. Parme. c. 8

7 CAETERVM cum certum ſit & ex multorum Patrum teſtimoniis, & ex variis miraculis à Deo oſtenſis, eos qui inuocant Sanctos exaudiri & impetrare quod petunt, certe non fruſtra inuocantur Sancti, etiamſi demus eos non audire neque cognoſcere noſtras preces, præſertim corde & cogitatione duntaxat prolatas, cum ſolius Dei ſit ſcrutari renes & corda & ſcire cogitationes hominum, ſic enim legimus 3. Regum 8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum* : Nam aliquis alius eorum vice fungi poſſet: ſicut non fruſtra ſupplicat Regi, qui certo ſcit Regem non lecturum ſupplicationem, ſed aliquem alium ex aula eius, & nihilominus ita ſe impetraturum quod petit, ac ſi Rex legiſſet ſupplicationem. Et verum non eſt, Sanctos ignorare quid ab eis petamus, licet fortaſſis de modo quo cognoſcant, inter Doctores nõ conſtet. Nam Auguſt. *libr. de cura pro mort. cap. 15.* videtur innuere eos cognoſcere ex relatione Angelorum qui nunc ad cælos aſcendunt, nunc inde ad nos deſcendunt : *Hieron.* vero *in libro cont. Vigilant.* dicit Sanctorum animas, ſicut etiam Angelos, mira quadam celeritate naturæ ad nos deſcendere; & per ſe audire preces ſupplicantium. Sed cum eodem tempore in diuerſiſſimis locis preces fieri poſſint, neque Angeli, neque Sanctorum animæ vbique ſint, neque ad id celeritas naturæ ſufficiat, ideo melius dicere videntur qui dicunt Sanctos videre in Deo omnia quæ ad ipſos aliquo modo pertinent: ſic Gregorius *lib. 12. moral. cap. 13.* & Thom. 3. *part. queſt. 10.* Non quod à principio ſuæ beatitudinis eas cognoſcunt, ſed quia tunc reuelantur eis à Deo quando eas fundimus: Sicut & multi Sanctorum hic in terris donum à Deo habuerunt quo cognoſcerent cogitationes hominum & facta etiam occultiſſima, vt de Samuele 1. *Reg. 9.* & de Elizæo narratur 4. *Reg. 5.* Et hæc eſt aperta ſententia Auguſtini *ca. 15. de cura pro mor. agen* Et hæc ratio cur iam magis Sanctos inuo-

Sic Tho. 3. p. q. 10. ar. 2. & 2. 2. q. 83. ar. 4.

Digitized by Google

inuocemus in nouo teſtamento, quam olim fecerint in veteri, quia Patribus in limbo non fuit ordinarie reuelatum quid hic agebatur, ſicut iam beatis, quia ad perfectam beatitudinem pertinet ſcire ea quæ ad ſe pertinent. Quanquam igitur Sancti & mortui naturali cognitione non cognoſcant ea quæ hic facimus & patimur, ſicut *Auguſt. docet cap.* 13. *de cur. pro mortal.* vbi ſic dicit, Si parentes, inquit, non interſunt, qui ſunt alij mortuorum qui nouerunt quid agamus, quidve patiamur? Tamen quod ſupernaturaliter diuina reuelatione ſciant quæ hic aguntur, docet aperte *idem cap.* 15. Et quod diuina virtute poſſint huc venire & nobis opem ferre, docet *ibidem ca.* 16. vbi ſic habet, Non igitur, inquit, ideo putandum eſt, viuorum reb. quoslibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis vel adiuuandis Martyres adſunt, ſed ideo potius intelligendum eſt, quod per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus interſint, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus intereſſe non poſſunt.

III. An Sāctis imagines ſint ſtatuendæ, & honorandæ.

1. NVNC pauca ſunt ſubiungenda de Imaginibus Sanctorum: & inprimis hæc eſt differentia inter Imaginem & Idolum, quod imago ſit vera ſimilitudo rei exiſtentis, vt cum pingimus hominem aut equum: Idolum eſt falſa ſimilitudo quia repræſentat id quod non eſt, vt ſtatua Veneris, aut Mineruæ Dearum quę Deæ reuera non ſunt: Sic Paulus 1. Corin. 8. *Scimus*, inquit, *quia idolum nihil eſt in mundo*: quia quamuis ſit aliquid ſecundum materiam, tamen nihil eſt, eo quod id quod repræſentare videtur nihil eſt. Et cum dicitur Exod. 20. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem*: non prohibetur imago, ſed idolum, id eſt, imago quæ habetur pro Deo, vel quæ repræſentat tanquam Deum eam rem, quæ non eſt Deus. Hic *notandum* quod *duobus modis* poſſit aliquid pingi: *vno modo* ad exprimendam perfectam ſimilitudinem formæ & naturæ rei ipſius; quia vt *Aug.* ait *in Pſalm.* 113. Hoc facit & extorquet quodammodo illa figura membrorum, vt animus in corpore viuens magis arbitretur ſentire corpus, quod ſuo ſimillimum videt. Et hoc modo res corporeæ ſolum pinguntur, quæ lineamentis, coloribusq; præditæ ſunt; ſic apte pingimus imagines Chriſti, & Sanctorum, quæ, *teſte Gregorio*, non ſunt aliud quam libri idiotarum.

Sic Aug. qu. 71. in Exod.

Sed hoc modo non poſſumus pingere Deum, vt angelos, quia vera imago corporea non poteſt eſſe rei incorporeę. Et ſi quis hac ratione Deum pingere tentaret, is verum idolum conſtitueret: vnde Iſaias cap. 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Alio *modo* poteſt aliquid pingi ad explicandum naturam rei non per immediatam & propriam ſimilitudinem, ſed per analogiā, ſiue metaphoricas ſignificationes: Sic pinguntur Angeli tanquam iuuenes alati, formoſi, nudis pedibus, &c. ad ſignificandum eos ſemper viribus pollere, celerrime moueri, ſplendore gratiæ & gloriæ fulgere, &c. ſic Dionyſius *cap. vlt. cæleſt. hierarch.* Hoc modo pingimus Deum Patrem tanquam ſenem dictum, quia ſic viſus eſt *Daniel.* 7. ſic pingimus & Spiritum ſanctum in forma columbę, quia ſub hac forma apparuit *Matth.* 3. Et Chriſtum in forma agni: & Euangeliſtas repræſentamus per aquilam, leonem, bouem & hominem. Hic tamen cauendum ne pictores audeant ex ſuo capite confingere imagines Trinitatis, vt cum pingunt vnum hominem cum tribus facieb. Iſta enim monſtra quædam videntur, & magis offendūt deformitate ſua quam iuuent ſimilitudine. Sed quæ membra & quæ figuræ Deo tribuuntur in ſcriptura, non quidem proprie, ſed metaphorice, eadem exprimi poſſunt in pictura: ſed inſtruēdi ſunt idiotæ, qui non poſſunt legere ſcripturas, videntem autem huiuſmodi picturam ſeu imagines huiuſmodi metaphorice eſſe accipienda & non proprie; alias non ſine periculo

riculo erroris exhibentur imperitis e-iuſmodi picturæ, quia inde colligerent nõ ſolum Chriſtum inquãtum homo eſt, ſed etiam Deum ipſum vt Deus eſt, humana habere membra, & humanam formam atq; figuram, quod falſum eſt.

2. VTILITAS quæ ex imaginibus prouenit ea eſt *imprimis*, quod per eas homines idiotæ inſtruantur quid Sancti præſtiterint, fecerint aut paſſi ſint, vnde excitantur, vt eaſdem virtutes imitentur: *Secundo* quia conſeruant in nobis memoriã Chriſti & Sanctorum, & ſimul caritatem erga Sanctos excitant, fouent & conſeruant: Qui enim diligit libenter inſpicit imaginem abſentis amici: Et ſi in neceſſitate ſit atque anguſtiis poſitus, & amicum ſuum plurimum apud Deum poſſe ſciat, incitatur vt eum tanquam patronum adeat, eũque pro ſubſidio inuocet. *Tertio* id exigit honor Chriſti & Sanctorũ eius: hoc enim antiqua conſuetudo obtinuit vt ſtatuas iis erigere ſoleamus, quos magno vulgari honore dignos iudicamus. Vnde Euſebius, *lib. 7. hiſtor. cap.* 14. hanc præcipuam fuiſſe cauſam indicat, cur Chriſtiani cœperint Sanctorum Imagines erigere & ponere. Hinc Eccleſia recte ſtatuit Imagines quoque Chriſti & Sanctorum honorandas eſſe, modo tamen vt concilium Trid. loquitur *ſeſſ.* 25 in imaginibus non collocetur fiducia, nec ab eis aliquid petatur, nec in eis ineſſe credatur vlla diuinitas, aut virtus, ſed ſolum honoretur propter eos quos nobis repręſentant, ita vt Imagines hactenus poſſint dici ſanctæ quia repræſentant rem ſanctam: ſicut *Exod. 3.* dicitur, *Locus in quo ſtas terra ſancta eſt*, propter relationem ad rem ſanctam, hoc eſt, propter angeli qui ſanctus eſt pręſentiam: ſic *Exod.* 28. dicuntur veſtes ſacerdotum ſanctæ quia dedicatę erant cultui diuino: ſic ſcripturæ dicuntur ſacræ, 2. Tim. 3. *Ab infantia ſacras litteras noſti.* Cur litteræ illæ dicuntur ſacræ niſi quia ſigna ſunt rerum ſacrarum. Quo honore igitur honoramus vaſa ſacra dum ea vel contingere non audemus vel in loco honoratiori reponimus: aut litteras ſacras dum ad Euangelii pronunciationem aſſurgimus vel caput aperimus, eo honore proſequimur Imagines Sanctorum: Nam teſte Ambro. *ſerm.* 10. *in pſalm* 118. Sicut qui Imaginem coronat Imperatoris, vtique illum honorat cuius imaginem coronauit: & qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori feciſſe videtur iniuriam. Ita & hic. Dicit Damaſ. *lib. 4. cap.* 17. *de fide.* Apoſtolicam eſſe traditionem cultum crucis & imaginum, Deo eſſe gratum, idq; ex eo patet quod Deus per imagines Chriſti & Sanctorum multa operetur miracula. E quibus vnum refert Euſeb. *lib. 7. hiſt. ca.* 14. vbi teſtatur ex baſi ſtatuæ Chriſti quam poſuit Hæmorroiſſa, oriri herbam quæ vbi creuerit, vſq; ad fimbriã Chriſti, vim habet morbos depellendi: idem aſſerit Theophylact. *in cap.* 9. *Matth.*

3. CONTINGIT vnam Imaginem magis frequentari quam aliã propter varias cauſas. *Prima* eſt quia Deus per vnam operatur miracula & non per aliam: quæ etiam cauſa eſt cur magis frequentemus precibus aut peregrinationibus vnum Sanctũ quam alium. Cur autem Deus hoc faciat non eſt noſtrum diſcutere: *Secunda* cauſa eſt quia quædã imagines pictæ ſunt à ſanctis viris, vt Luca, Nicodemo & aliis, aliæ à profanis. In quo genere excellebat Imago S. Stephani quæ ab angelo formata & allata fuiſſe putatur. De qua Euodius *li.* 2. de miraculis. *Tertia* cauſa eſt quia vna Imago magis excitat ad deuotionem quã alia, & memoriam eius quẽ inuocare & orare volumus vna melius quã alia, prouocat.

4. IAM explicandum quo genere cultus Imagines ſint honorandæ. Tres ſunt hic ſententiæ: *Prima* quod Imago nullo modo ſit in ſe colenda, ſed ſolum corã Imagine colendum exemplar: Sic videtur ſenſiſſe Duran. *lib. 3. d* 9 *q.* 2. & Alphonſus à Caſtro, verbo *Imago*: Fundamentum huius opinionis eſt, quia honor imaginis tranſit ad exẽplar, nõ ergo in imagine terminatur, inquiunt, proinde ipſa imago nõ eſt quæ honoratur, ſed ſolum per illum & in

Digitized by Google

in illa honoratur exemplar. Et ſic videntur ſonare hi verſus qui ſunt antiquiſſimi.

Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa.
Hanc videas, ſed mente colas quod cernis in ipſa.

Secunda opinio eſt quod idem honor debeatur Imagini & exemplari: & proinde Chriſti imago ſit adoranda cultu latriæ, B. Mariæ cultu hyperduliæ, Sanctorum aliorum cultu duliæ. Sic Thom. 3 *p. q. 25. ar.* 3. Bonauen. 3 *d.* 9. Henricus *quodlib.* 10 *q.* 6. quamuis addat nullam imaginem adorandam eſſe latria: Nam ipſe putat quidem eũdem eſſe honorem imaginis & exemplaris, ſed ſimul docet imaginem Chriſti non eſſe imaginem Chriſti vt Chriſtus Deus, ſed vt homo eſt. Huic ſententiæ fauere videtur quod canit Eccleſia de cruce. *O crux aue ſpes vnica, auge piis iuſtitiam reiſque dona veniam.* Et cum honor Imaginis tranſeat ad exemplar teſte *Baſilio, Ambroſio* & *Hieron.* idem videtur honor Imaginis & exemplaris, quare ſi exemplar colitur latria & imago: Sic autem *Hieron* habet *epiſt. de obitu Paulæ.* Proſtrata ante crucem quaſi pendentem Dominum cerneret, adorabat: Sed Dominum pendentem adoraſſet latria, ergo & ipſam crucem cultu latriæ adorabat. Et qui imaginem Regis afficit contumelia, id Regi feciſſe cẽſetur: Tertia opinio verſatur in medio, eſtque eorum qui dicunt ipſas imagines in ſe & proprie honorari debere, ſed honore minori quã ipſum exemplar, & proinde nullam imaginem adorandam eſſe cultu latriæ.

5. Hic obſeruanda diſtinctio honorũ: Id enim quod honoratur, poteſt honorari aut per ſe & proprie, aut per accidens vel propter aliud & improprie. *Per ſe* & propter ſe ac proprie honoratur ſuppoſitum in quo ineſt ratio venerationis, & vt re ratione ſui ipſius honoratur, non ratione alterius. *Per accidens* & improprie honoratur quod eſt vel coniunctum rei quæ per ſe adoratur, vel loco alterius honoratur: ſic teſte Sexto Romæ triumphauit Traianus mortuus, & ſtatua eius pro eo ſedit in curru triumphali: Hic non poteſt dici ſtatuam proprie triumphaſſe ſed Traianum à ſtatua repræſentatum: aut ſi legatus Regis accipiat poſſeſſionem regni pro Rege, & honoretur aut coronetur, iſte honor proprie defertur Regi, improprie ipſi legato. Hac diſtinctione præmiſſa ſit hæc prima propoſitio, imagines Chriſti & Sanctorum venerandę ſunt non ſolum per accidens, vel improprie, ſed etiam per ſe & proprie, ita vt ipſæ terminent venerationem vt in ſe conſiderantur, & non ſolum vt vicem gerunt exemplaris, eo modo nimirum quo veneramur Euangelia & ſacra vaſa, quia nimirum in ipſa imagine vere ineſt aliquid ſacrum, nimirum ſimilitudo ad rem ſacram, & ipſa dedicatio ſiue conſecratio diuino cultui: Ergo ipſę in ſe & nõ ſolum vt prototypo vicem gerunt, honore dignæ ſunt, ſicut Euangelia & vaſa ſacra per ſe honorantur licet non gerant alicuius alterius perſonam. Cultus autem qui per ſe & proprie debetur imaginibus, eſt cultus quidam imperfectus, qui analogice & reductiue pertinet ad ſpeciem eius cultus qui debetur exemplari, ſicut imperfectum reducitur ad perfectum. Itaq; imaginib. nõ conuenit proprie nec latria, nec hyperdulia, nec dulia, quę proprie tribuũtur naturæ intelligenti: res autẽ inanima & rationis expers non eſt capax eiuſmodi cultuum, ſed cultus quidam inferior, varius tamẽ pro varietate Imaginum, ita vt imaginib. Sanctorum debeatur cultus duliæ ſed analogice, ſicut homo pictus dicitur homo. Improprie tamen & per accidens poſſunt imagines coli eodem genere cultus quo exemplar ipſum colitur: ſic imago Chriſti improprie poteſt honorari cultu latriæ: Imago B. virginis cultu hyperduliæ, quia aliquando ipſa Imago accipitur pro ipſo exemplari, & ea quæ fierent circa ipſum exemplar ſi adeſſet præſens, fiunt circa imaginem, mente tamen defixa in ipſo exemplari: Sic orat Eccleſia. *O crux aue ſpes vnica, auge piis iuſtitiam reiſque dona veniam;* Sic & concionatores al-

lo-

Digitized by Google

loquuntur imaginem crucifixi, eiq; dicũt, Tu nos redemiſti, &c. Iſta proprie & per ſe non dicuntur Imagini, nec vt lignum eſt, nec vt imago eſt, ſed vt accipitur loco exẽplaris, ideſt, dicuntur ipſi Chriſto, cuius tamen Imago vicem gerit, ita vt & ipſa imago dicatur honorari, ſed improprie.

IN DIE

ANIMARVM.

Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium.

Hebr. 9.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Tempus retributionis poſt hanc vitam futurum.*

II. *Pœnæ purgatorii inæquales, redimere eaſdem modo poſſumus.*

III. *De ſpirituum & animarum apparitionibus, & quomodo ab inuicem diſcerni ſpiritus poſſint.*

PARS I.

ART. I. Poſt hanc vitam tẽpus retributionis futurum.

1. TEMPVS futuri ſeculi eſt proprie tẽpus iudicii, in quo decernitur pœna offenſæ debita & condigna, vt *quantum quiſque hic in deliciis fuerit*, inquit Ioannes, *tantum detur ei & de tormentis bibere*. Quãdiu hic viuimus iudicii atque rigorem nõ ita experimur, quia non eſt hic tempus retributionis: ſed laboris & operationis, non eſt hic tempus meſſis ſed ſementis, neque tempus mercedis percipiendæ ſed meriti comparandi: In futura autem vita erit retributio omnium noſtrorum operum tam bonorum quam malorum, vſque ad calicem aquæ frigidæ in nomine Chriſti datę, *teſte Matthæo*, & vſque ad verbum vnum otioſe prolatum, *eodem teſte*: *Cuncta* enim *quæ ſunt*, inquit Eccleſiaſtes, *adducet Deus in iudicium ſiue bonum ſiue malum*: Et apud Iſaiam ait Dominus, *Ego venio vt congregem opera & cogitationes eorum*. Neque enim ſententiã iudicii ex vnico facto profert Dominus, vt nos ſolemus, qui idcirco in iudiciis noſtris facile erramus, putamus hominem ex eo bonum, vel malum quia facit vnum actum bene vel male: ſed vniuerſam hominis diſcutiet vitam, & vt Sophonias ait, *in lucerna ſcrutabitur Ieruſalem*, hoc eſt, exactiſſime vt nihil maneat abſconditum. Nihil eſſe videtur, *inquit Bernard.* quod hic facit homo attamẽ tantum eſt vt ex hoc ſemine, quod hic dũ operatur ſeminat, copioſam meſſurus ſit & vberem meſſem, vel æternę damnationis ſi male geſſerit, vel ęternę beatitudinis ſi bene vixerit: Sic enim Paulus ad Rom. ait, *Deus reddet vnicuique ſecundum opera ſua, iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem quærunt, vitam æternam, iis autem qui ſunt ex contentione & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio: tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Hæc ibi.* In iſto Dei iudicio, ſiue vniuerſale id fuerit, ſiue particulare, non ſolum videbit quiſquę quid boni aut mali fecerit, verum etiam quam bonum aut malum illud fuerit, & quid per illud meruerit: vt enim Eccleſiaſticus ait, *In fine hominis denudatio operum illius.* Ibi neque tergiuerſari, neq; ſe excuſare quiſquam poterit, ſed vt Pſalmiſta ait: *Statuit vnicuique Deus contra faciem ſuam*, vt & ipſe & omnes alii clare conſpecturi ſint quid ab eo commiſſum aut omiſſum fuerit. In hac vita non ſolum multa latent, quæ tunc patebũt, ſed etiam quod hic patet quale illud ſit, quam bonum aut quam malum: homo neſcit: vt propterea Iob dixerit. *Reſponde mihi quantas habeo iniquitates, delicta mea & ſcelera oſtende mihi.*

Apoc. 18.
Matth. 10.
Matth. 12.
Eccl. 12.
Soph. ca. 1.
Rom. 10.
Eccl. 11.
Pſal. 49.
Iob. 13.

2. DICIT Paulus ad Timoth. *Quorundã hominum peccata ſunt manifeſta præcedentia ad iudicium, alios autem ſubſequuntur.* Similiter & facta bona manifeſta ſunt, & q̃ aliter ſe habent abſcondi non poſſunt. 1. Tim. 5.

Digitized by Google

Quidam enim eximiæ ſunt ſanctitatis & virtutis vt Prophetæ & Apoſtoli & ſimiles, qui mox à morte ab angelis ſanctis in cœlum inuehuntur, ſicut pauper Lazarus mox in ſinum Abrahæ fuit delatus: & S. Benedictus eadem hora qua S. Germanus Epiſcopus Capuenſis moriebatur, vidit illius animam magno cũ triumpho ab angelis euehi in cœlum: & Maximus martyr angelos Dei inſtar ſolis reſplẽdentes vidit animas Tiburtii & Valeriani martyrum è corpore tãquam ſponſas è thalamo egredientes vlnis ſuis excepiſſe & in cœlum euexiſſe: & S. Stephanus etiam ante mortem vidit Dei gloriam ad quam erat peruenturus. (Act.7.) Sic è contra quidam ita ſceleſti ſunt & flagitioſi vt etiam ante mortem aperta ſibi videant tartara ad quæ mox à morte deſcenſuri ſũt, qui mox à dæmonibus tanquam ſuis tortoribus à diuinæ iuſtitiæ miniſtris ad inextinguibilis gehennæ flammas reperiuntur: ſicut diues ille epulo apud *Lucam*: (Luc.16.) Refert & *Beda* quẽdam Nobilem pœnitentiam ſuam diutius protrahentem in fine vitæ teterrimos vidiſſe dæmones in nigro libro tetris literis conſcripto ei oſtendentes omnia ſua ſcelera, ac ita in deſperationem præcipitaſſe: Item quendam religioſum mihi, inquit bene notum, qui ebrioſus & ſocietati multum addictus erat, magiſq; in ſua officina diu noctuq; degebat quã quod in Eccleſiam ad pſallendum cum cæteris monachis conueniret: cumq; in fine vitę vt pœnitentiam ageret, moneretur: Serius eſt, inquit, quia ecce tartara mihi aperta video. Sed & D. *Gregorius in ſuis dialogis* de (Greg.li. 4. c.53.&54) quodam Valentino homine lubrico refert, quod poſt mortem pedibus fune alligato extra Eccleſiam à dæmonibus fuerit extractus & in foueam prophanam cõiectus, vbi & poſtridie à cuſtodibus templi qui de nocte tumultum dæmonum audierant, fuit inuentus: *Item* de quodam Tinctore in Eccleſia ſepulto, è cuius ſepulchro cuſtodes templi ſæpius hanc vocem reſonãtem audierunt, Ardeo, ardeo, cumq; id vxori Tinctoris nunciaſſent, & illa ſepulchrum mariti ſui aperiri iuſſiſſet, veſtes quidem intactas repererunt, quæ nunc vſque in eadem Eccleſia pro eiuſdem cauſæ teſtimonio ſeruantur, corpus vero ipſius minime inuenerunt. Iis itaq; qui aut extreme boni, aut extreme mali ſũt locus purgatorius non eſt deſtinatus: Sed ſunt medii quidam de quibus non ſatis conſtat quales fuerint: de quibus Paulus loco prędicto, Alios autẽ ſubſequuntur, quorum opera indagine & diſcuſſione egẽt vt qualia fuerint omnibus manifeſtum fiat. Tales ſunt ii *qui ſuper fundamẽtum fidei ſuperadificant lignum, fœnum & ſtipulam*, (1.Cor.3.) vt Paulus loquitur: qui nec ita mali ſunt vt damnari æternaliter mereantur, nec ita boni vt ſtatim ſaluari à morte poſſint: *Salui quidem fiunt, ſic tamen quaſi per ignem.* Et his potiſſimum deſtinatur purgatorium vt plene purgentur. Huius rei exemplum refert *Beda* (Beda li. 5. c.13. & li.3. ca.19. hiſt.) in vita S. Willebrordi quod cum defunctus quidam in vallẽ deueniſſet miræ profunditatis, longitudinis & latitudinis, quæ ad læuam flammis feruentib. nimis erat terribilis, ad dexteram autẽ furenti grandine & frigore erat intolerabilis: quam vtrinq; vidit animabus hominũ deformibus plenam: quæ viciſſim hinc inde videbãtur quaſi tempeſtatis impetu iactari: cum enim vim immẽſi caloris ferre non poſſent, proſiliebant miseræ in medium frigoris: & cum neque frigus perferrent, reſiliebant rurſum in medium flammarum. Cui conforme videtur quod Pſalmiſta ait, (Pſal.65.) *Tranſiuimus per ignem & aquam & eduxiſti nos in refrigerium*: Et quod Propheta Iob dicit, (Iob.24.) *Tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium. Horrendum* enim *eſt incidere in manus Dei viuentis*, vt Paulus ait ad *Hebræos* 10.

II. De Pœnis Purgatorii, &c.

1 CVM Paulus dicit, *Statutũ eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium*: (Heb.9.) manifeſtum eſt particulare cuiuſque iudicium fieri ſtatim poſt mortẽ: tunc enim animæ ſingulorũ Christo iudici ſiſtuntur, quem vident non quidem ſecundum diuinã eſſentiam, ſed vt veriſimile eſt ſecun-

Digitized by Google

ſecũdum aliquam externam ſpeciem humanam Chriſti naturam repræſentantem, *teſte Innocentio tertio,* Ibi clare conſpiciunt cuncta quæ fecerunt bona & mala, & quã pœnam ſeu gloriam per illa meruerint: ibi Iudex pœnam peccatis debitam infligit, & nouiſſimum quadrantem exigit. Sic enim iſtum locum Matthæi, *Non exibis inde donec reddas nouiſſimum quadrantem,* interpretantur *Cyprian Ambr.* & *Hieron.* Ibi Iudex contra animam multis adhuc peccatorum ſordibus reſperſam ſcribit amaritudinem, *vt Iob loquitur,* & amaram dicit in eam ſententiam, dum eam flammis adiudicat vt iis peccati rubigo exuratur, ſicut ſcoria auri & argenti in igne purgatur: Sic enim Sapiens ait, *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus*: & Malachias. *Quis ſtabit ad videndum eum? ipſe enim quaſi ignis conflans, & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum.* Porro quia Sancti tantopere à iudiciis Dei ſibi metuunt, hinc & pro leuioribus delictis condignam ſubeunt pœnitentiam in hac vita, vt grauiorem in purgatorio luendam euadant: Hinc Propheta Iob humiliter Deum deprecabatur dicens, *Dimitte me,* inquit, *vt plangam paululum dolorem meum, antequã vadam ad terram tenebroſam, ad terram miſeriæ vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Videmus, *inquit Auguſt.* quemadmodum homines ne grauiſſima huius mũdi tormenta patiantur, quicquid iuſſeris faciant, quanto melius facerent quod iubet Deus, ne illa grauiora futuræ vitæ tormenta pati cogantur, de quibus in officio pro defunctis canit Eccleſia, *Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me.* Quas pœnas vt poſſet deprecari Propheta Dauid ad Dominum exclamabat dicens, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Non ſolum furorem Dei deprecari contendit, quo conterit impios, ſed & iram qua corripit & caſtigat filios, non ſolum, inquam, damnationem æternam, ſed & pœnam expaueſcit purgatoriam & temporaneam.

Innocen. 3. lib. 2. c. 43. de contemp. mũdi.
Matth. 5.
Cypria. lib. 4. epiſt. 2. Ambroſ. In c. 11. Luc. Hieron, Ep. ad Demet.
Sap. 3.
Mala. 3.
Iob. 10.
Pſalm. 114
Pſal. 37.

Nam vt *Gregorius* teſtatur & *Auguſtinus* grauior eſt iſte ignis quauis tribulatione vitæ præſentis: Sed & *Bernardus de obitu Humberti* dicit quod poſt hanc vitam in purgatoriis locis ſeptempliciter quæ fuerint hic neglecta reddẽtur. Quin & Paulus ſatis ſubindicat purgatoriam pœnam eſſe grauiſſimam cum ad Corinthios ait, *Ipſe ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem:* Cum enim ignis vehementiſſimæ ſit actionis, per ignem non niſi acerbiſſimum cruciatum intelligit Paulus. Ne paruifacias hunc ignem quia dicitur quod per illũ ſis ſaluus futurus, ſed exhorreſcas, quod illum niſi condignam hic pœnitentiam egeris, ſis paſſurus: Deterrere enim vult Paulus vnũquenque noſtrum ne fœnum aut ſtipulam ſuperædificemus.

Aug. in Pſal. 37.

2. CÆTERVM quia ignis iſte non naturali agit virtute, ſed vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ, hinc eſt quod hos acrius, illos mitius vret atque affliget: *Iuxta menſuram enim delicti erit & plagarum modus:* Tanto enim grauius quiſque affligetur, quanto tenacius terreni affectus ei inhæſerint: ſunt enim in quibuſdam hominib. viſcoſæ quædam affectiones, quas, vt *Auguſtin.* ait, etiam inter grauiſſimas & longiſſimas ægritudines perdurare cernimus, quamuis non vſque ad crimen perpetrandũ intenſæ ſint: Quæ haud dubie grauiori & longiori igne concoqui debent, quam affectus ij quos ſancti in hac vita patiũtur inuiti, & quibus quotidiano certamine reſiſtunt boni. Quod itaque Patres dicunt pœnam purgatoriam futuri ſeculi grauiorem eſſe quauis pœna in hac vita, hoc vt *Bonauentura* ait, ſic intelligẽdum eſt, quod grauiſſima pœna purgatorii grauior ſit & acerbior grauiſſima pœna huius ſeculi, ſed minima pœna eſt leuior quã ſit hic grauiſſima: Neq; enim hoc verum eſt quod pro vno verbo otioſo homo in purgatorio ita ſit affligendus vt latro hic pro homicidio. Sed & *Beda in Hiſtoria Anglicana* dicit quaſdã animas præter triſtitiã qua triſtantur ob dilationẽ gloriæ, vix vllam ſentire pœnam aliã. Quinimo & *Paulus* hoc ſatis inſi-

Deuter. 25.
Auguſt. li. 2. c. 3. con. Iulian.
Bonau. epiſt. 10. q. 2. 21. Aug. in Pſal. 37. Gregor. in Pſal. 3.
Beda lib. 5. c. 13. hiſt. Anglic.

inſinuare videtur, cum ait eos qui ſuperædificant lignum, fœnum, ſtipulam ſaluos futuros per ignem: facilius enim ignis abſumit ſtipulam quã fœnum, & citius fœnum quam lignum. Inſuper cũ ait eos qui aurum, argentum & lapides pretioſos ſuperędificant per ignem probãdos (*vniuſcuiuſque enim opus quale ſit ignis probabit*) ſatis inſinuat iſtum ignem quibuſdã nullum detrimentum, nullam pœnam illaturum: vt per ignem intelliges non ſolũ materialem ignem purgatorii, quem martyres qui aurum ſuperædificant, non patiẽtur, ſed quamuis pœnam & tribulationem etiã huius vitæ, quam etiam Sãcti hic perferre debent. Si cuius opus purgatione nõ eguerit, ſed ſaluum & integrũ permanſerit, ipſe operans ab igne non patietur, neq; tribulatio nocebit, ſed potius ſplendidiorem efficiet. [illegible] pueri in fornace Babylonica nihil paſſi ſunt, ſed vegetiores exierunt: Id quod & de multis aliis ſanctis legimus. Quod autem per ignem iſtum Paulus intelligat nõ ſolum tribulationem ſeu cruciatum huius vitæ, ſicut *Auguſti.* hunc Pauli locum interpretatur: ſed etiam futuri ſeculi pœnam non æternã ex qua nemo ſaluus euadit, ſeu temporalẽ ſeu purgatoriam, ſicut alii Doctores eam ſcripturam communiter exponunt, patet hac ratione: Sunt nonnulli qui aurum ſuperædificant & per materialem purgatorii ignem non tranſeunt, vt martyres, quorum opera tamen ignis probat, quia per tribulationem explorantur cuius ſint virtutis. Ita ſunt nonnulli qui ſtipulam aut lignum ſuperædificant, & tamen in hac vita pro qualitate delicti neque pœnam neque tribulationem patiuntur, neque pœnitentiam agunt, Nec enim ſemper omnis expiatur in hac vita, quia multi ſubita morte præoccupantur vt tempus pœnitentiæ ſeu oportunitatem ſatisfaciendi non habeant, multi etiam negligentiores ſunt in expiãdis peccatis: multi etiam in hac vita nihil aduerſi patiuntur ſecundum qualitatem delicti, quorum tamen opera & probari & purgari debent. Reſtat igitur quod poſt hanc vitam ſcoria iſtorum exuratur & purgetur.

Auguſt. Enchri. 42. & lib. de fide & ope. ca. 16.

3. VERVMENIMVERO quamuis animæ in purgatorio grauiſſimum patiantur ignis cruciatũ (eſt enim eadẽ pœna purgatorii quæ & inferni, iuxta ꝙ canitur in officio defunctorũ, *Libera eas de pœnis inferni, & de profundo lacu*, ſed in inferno eſt pœna ęterna non item in purgatorio) non tamẽ obmurmurant aut impatientes fiunt, aut vllo modo peccare poſſunt, *teſte Auguſt.* non ꝙ omni ex parte perfectæ ſint, ſed quia diuinitus per mortem periculis peccãdi ſubtrahuntur, neque enim aut merendi aut demerẽdi locus ibi amplius erit. Cumque ibi clare rerum mundanarum vanitatem videant, quibus hic affectæ fuerunt & inordinate dilexerunt, non iam iis vt ſolent afficientur amplius, ſed potius dolent & triſtantur quod hic ita iis affectæ fuerint, ob quod iã iſta ſupplicia perferre coguntur, ſeſeque diuinæ volũtati & iuſtitiæ cõformant, eamq; approbant, quia pœnam quã patiuntur ſe meruiſſe vidẽt, eãque eo patientius perferũt, ꝙ per iſtã ſe purgãdas & ſaluandas ſciãt: Nihilominus has pœnas horrẽt & timẽt, ſicut & Martyres & Chriſtus ipſe mortem & pœnas tanquam naturæ ſuæ contrarias horruerunt & timuerunt, licet eas non ſolum patienter, ſed & voluntarie ſuſceperint & ſuſtinuerint, ſic enim Dominus apud Lucam ait. *Baptiſmo habeo baptizari & quomodo coarctor vſque dum perficiatur*: per baptiſmum intelligens mortem ſuam, *teſte Cypriano in epiſt. ad Iubai.* qua peccatores abluti ſunt: & coarctabatur, hoc eſt, angebatur, contriſtabatur, & ægre ferebat donec perficiatur & mors veniat, angebatur etiam quia mortem perhorreſcebat: Tamen quia eam vidit neceſſarium medium ad redimendum genus humanum, voluntarie & fortiter eam ſuſtinuit, imo ad eam perferendam ſe obtulit. Sic animæ in purgatorio licet pœnam perhorreſcant, tamen quia eã tanquã mediũ neceſſariũ ad culpas expiandas & gloriã conſequendam conſpiciunt, ideo patienter licet dolenter tolerant: nam vtrumque

Auguſt. de prędeſti. Sanct. cap. 14.

Luc. 12.

que

que ſimul poſſe conſiſtere patet exemplo Chriſti & martyrum eius.

4. POSSVMVS hanc purgatorii pœnam tam propriam quam alienam aut eleemoſynis redimere: ſic enim apud Tobiam legimus, *Panem tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare cum peccatoribus.* Hoc officii ſolɩti erant exhibere fidelibus defunctis, vt ſuper mortui ſepulchro panem ponerent, ex quo poſtmodū per pias eleemoſynas pauperes reficiebāt, vt in gratiam defuncti ſe id facere hac ceremonia teſtarentur: Cuius conſuetudinis adhuc hodie quædam veſtigia remanent in quibuſdam locis. Et quod gentes ſuperſtitioſe & vane faciebāt, vt videlicet collatis cibis epularentur inter ſe ſuper mortui ſepulchro ſperantes hac re defunctis adferre ſolatium de quo ſubditur. *Et noli ex eo manducare cum peccatoribus*, id à Chriſtianis pie & fideliter fiebat quia ex huiuſmodi panibus pauperes reficiebant vt pro defunctis orarent. Poſſumus etiam pœnas purgatorij precibus deprecari & ieiuniis pro iis ſatisfacere. Sic enim legimus Machab. 2. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis ſoluantur.* Ita legimus apud *Bernardum in vita Malachiæ*, quod precibus Malachiæ liberata fuerit eius ſoror, quæ ei ter apparuerat, ſemel in veſte pulla extra Eccleſiā ſemel in veſte fuſca intra limen Eccleſiæ, & tertio in veſte alba cum reliquis ſanctis iuxta altare: paulatim enim minuitur pœna exiſtentiū in purgatorio donec plene fuerit expiata. Sic & in vita S. Bernardi legimus, quod quædā anima quatuor lacertis tradita excruciāda, precibus S. Bernardi fuerit liberata: vbi per lacertos dæmones intelligūtur, à quib. in animę purgatorio torquerentur & irridērur, dū per ſingulos dies eis improperādo dicūt, vbi eſt Deus tuus? Id quamuis nonnulli negent tamē ex precibus Eccleſiæ cōfirmari poſſe videtur, dū ſic orat, *Ne tardas beſtiis animas confitentiū tibi:* Et rurſum, *Libera eas de pœnis inferni & de profundo lacu* (eſt enim locus purgatorii ſub terra conſtitutus iuxta communem Doctorū ſententiam, qui & propterea carcer à Matthæo nuncupatur) *de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus.* Hi ſunt enim exactores illi de quibus apud Lucam, *Ne index te tradat exactori, & exactor te mittat in carcerem.*

Tob. 4.

2. Mach. 12.

lib. 1. c. 10.

Matth. 5.

Luc. 12.

Quanquā alii per hos exactores & miniſtros angelos bonos intelligant, à quibus animæ deducuntur in purgatorium: Nam vt *Chryſoſt.* ait, ſi qui in ignotis regionibus iter faciunt, neſciant quo ituri ſint, niſi ductorem habeant, quanto magis anima relicto corpore cum ignotam omnino ingrediatur viam, quo itura ſit ignorabit, niſi ducem conſequatur a quo in certum locum deducatur, vnde redire ſponte ſua non poſſit. Sed quanquam per miniſtros etiam angeli boni recte intelligātur, qui animas purgandas in carcerē mittūt, & in purgatorium ducunt, tamen per exactores ipſi dæmones rectius intelligūtur, quia hi vt tortores alios torquere ſolent. Tertio poteſt & ieiuniis pro pœnis purgatorii ſatisfieri: ſic Dauid ieiunio ſe afflixit ſuper Saule & Ionatha, & ſuper populo Domini vſque ad veſperam: ſic & viri Iabes Galaad ieiunauerunt ſeptem diebus ſuper Saul & filios eius.

Chryſo. ho. 29. in Matth.

2. Reg. 1.
1. Reg. 31.

III.
De ſpirituū & animarum apparitionibus. &c.

1. HIc pauca ſubiungēda de apparitionibus ſpirituū & animarū hominibus viuis poſt mortē ſe præſentes exhibētium. Sunt qui vniuerſum genus apparitionū ſuſpectū reddunt, & præter illas quę à Chriſto & angelis factas ſcriptura commemorat, alias nullas admittūt, ſeu ad ſuperſtitionē omnia reuocant quæcumq; in hoc genere accidūt, & tāquā mulierculartū ſomnia explodūt. Et aliquib. hæc aſſerere pro ſua authoritate ſatis eſt, Aliis ſcripturis male intellectis hoc cōfirmare nitūtur, quia apud Petrū mortui dormire dicūtur, cū ait, *Ex quo enim Patres dormierunt:* hinc negāt mortuos rebus noſtris aut intēdere aut adeſſe poſſe. Cui accedit quod Iob ait, *Qui deſcenderit ad inferos non aſcendet nec reuertetur vltra in domum ſuam, neque cognoſcet eum amplius locus eius.* Et *Auguſtin.*

2. Pet. 3.

Iob. 7.

ſic

Digitized by Google

Auguſt. c. 13. de cur. pro mor. ſic ait, Si rebus viuentium intereſſent animæ mortuorum, & ipſæ nos quando eos videmus, alloquerentur in ſomnis: vt de aliis taceam, meipſum pia mater nulla nocte deſereret, quæ terra mariq; ſecuta eſt vt mecum viueret: abſit enim vt vita fœlice facta ſit crudelis. Si autem parentes non interſunt, qui ſunt alii mortuorum qui nouerint quid agamus, quidue patiamur? *hæc Auguſt.* Verum cum apparitionibus his multa ſint, quæ fidē faciant: & inprimis ſcriptura tam noui quā veteris teſtamenti, probatiſſimæ hiſtoriæ, & grauiſſimi viri, quotidiana itē experientia & ratio, non poſſumus niſi ſumme impudentes eſſe velimus, quin iiſdem aſſentiamur. Defunctus Samuel poſt mortē & Pythoniſſæ apparuit, & Sauli finē vitæ ſuæ prædixit, Eccl. 49. vt *Eccleſiaſticus* teſtatur. Apparuit & Onias ſacerdos & Ieremias Propheta Iudæ Machabæo, eidemque ad debellandos impios 2. Mach. 15 patriæ hoſtes animum addiderunt. Refert Auguſt. cap. 18. de cura pro mor. & *Auguſtin.* exemplū de S. Fælice, per cuius præſentiam defenſa fuit ciuitas Nolenſis. Verum non hi tantum ſpiritus viuorum rebus interfuiſſe putandi ſunt, qui cū Deo fœlicem agūt vitam, ſed præter hos etiam qui purgatorio igne expiantur ad nos interdum redire & quondam rediiſſe plurima probant exempla: Paſchaſius Apoſtolicæ curiæ Diaconus & vir eximiæ ſanctitatis vt etiam defunctus dæmoniacū, qui eius dalmaticam feretro ſuperpoſitam tetigerat, ſanaret: Hic poſt multū temporis Germano Capuano Epiſcopo in thermis Gregor. 4. dialogor. ca. 40. apparuit, *teſte Gregorio*: quo viſo vehemēter extimuit & quid illic tantus vir faceret exquiſiuit: Cui ille reſpōdit: pro nulla alia cauſa huic pœnali loco deputatus ſum, niſi quia in parte Laurentii cōtra Symmachū ſenſi & pertinacior in ſententia fui: Sed quæſo te pro me Deum deprecare, atque in hoc cognoſces quod exauditus ſis, ſi huc rediens me non inueneris. Germanus igitur Deum deprecatus poſt paucos dies rediit, & dictum Paſchaſium minimè inuenit: quia enim non malitiæ ſed ignorantiæ errore peccarat, poſt mortē à peccato purgari meruit, hæc Gregor. Vbi hoc obiter notandum eſt, quamuis ordinarius purgatorii locus ſub terra ſit conſtitutus, interdū tamen Dei diſpenſatione contingit quendam extraordinarium locum deſignari, vt hic patet ex Gregorio: qui & *ca. 55.* duo alia refert exempla.

2. HIC notandum quod animæ in purgatorio detentæ naturali virtute ex iſto carcere migrare non poſſint, ſed ſecundū ſecretam diuinæ ſapientiæ diſpoſitionem aliquando inde egrediuntur & ſe hominibus offerunt vt iuuentur. Et animæ quidē beatæ quotieſcumque libitum fuerit è cœlo ad nos deſcendunt: At damnatæ nequaquam id poſſunt: Id enim ſi poſſent nec ad horam in inferno hærerent, etiamſi ſemper ſuum carnificem ſuamque pœnam ſecum ferant. Horrent infernum ſicut & dæmones non quia inibi grauius ipſorum ſuppliciū, ſed quia vni loco adhæreſcere refugiunt. Itaque neque ſcriptura id vult, neque *Auguſtinus* negat quin ſpiritus defunctorum interdum appareant, ſed modum quo rebus noſtris interſunt, neſcire ſe fatetur, an per ſe in propriis perſonis, an per angelorum apparitiones, an potius vtroque modo: Credit plerumque angelicas eſſe operationes. Et quod de matre dicit, naturæ leges cōcernit: dum enim huiuſmodi ſpiritus hominum defunctorum apparent, nō ita intelligendū eſt quaſi hic oberrent rebuſque viuorū interſint, quod manifeſte negat *Auguſtin.* Sed quia ſingulari Dei diſpenſatione ad nos venire per- cap. 13. de cura pro mor. mittuntur, certaſque aſſumunt formas ex aere nō propria, ſed angelica virtute compoſitas, in quibus ſe vidēdos & audiendos exhibent vt viuorum opē implorent. Hinc ſæpius ad amicos quam ad extraneos veniunt, quia certiora ab ipſis præſidia ſperāt: Et ſæpius de nocte quam de die apparitio fit ſpirituum, quia boni ſpiritus quietū ſemper quærūt animum & diurnos tumultus fugiunt, vbi minus cōmode audiri aut intelligi queunt. Quod vero pueris aut mulieribus ſæpius appareāt quā viris, fit plerumque id dæmonum illuſionibus.

Et

Et rationes quibus boni à malis ſpiritibus in ſuis apparitionibus dinoſcuntur, inueſtigare ſatis difficile propter malignorum ſpirituum ſolertiam, qui & in angelos
2. Cor. 11. lucis ſe transformant, *vt Paulus* teſtatur. Et pauci admodũ reperti ſunt qui donũ diſcretionis ſpirituum habuerunt: S. Antonius & Martinus ea in re excelluerunt. Sunt quidẽ omnes ii ſpiritus maligni qui aut mala ſuadent, aut falſa prædicunt: nõ tamen omnes ſunt boni qui bona ſuadent aut vera prænunciant. Certa enim experientia ac certiſſimis hiſtoriis conſtat etiam diabolos viuorum ſuffragia expetiiſſe, quaſi his tanquam animæ purgandæ, iuuari poſſint, vt refert Bodinus de *dæmonomania lib. 3 cap. 6*.

3. Svnt tamen quædam indicia quibus abinuicem diſcerni poſſunt. Et inprimis ſi forma alia quam humana ſe ſpiritus exhibeant: boni namque non niſi humana figura viſi leguntur. Maligni peregrina gaudent aut capri, aut canis aut alicuius ſerpentis: & frequenter ad illã diuina auctoritate cõpelluntur. Rurſum, modus agendi malorũ plerumque primo ſuo congreſſu amicus eſt, poſtea vero turbatũ relinquunt animum, quod magno ſuo malo didicit Eua. At boni licet primo nonnihil turbent, quandoque & horrorem incutiant, vt patet *Danielis* 10: tandem tamen mira voluptate & ſumma quiete perfundũt. Et quamuis ſimulare poſſit malignus ſpiritus ſe bonum eſſe, difficile tamen eſt quin aliquo indicio ſe prodat, quia quod ſimulatũ eſt diu celari non poteſt. Et quãquam ex corporum forma in quib. apparent internoſci atque diſcerni non poſſint ſpiritus, quia vna humana forma cõmunis eſt omnibus & bonis & malis, atque etiam animabus defunctis quæ interdum apparent: quin & malignus ſpiritus ſub ſpecie animæ purgãdæ ſe exhibere poteſt vt decipiat: humanos tamen ſpiritus prodit exterior forma ſi ſe aut barbatos exhibeant, aut in ſexu fœmineo, aut habitu corporis triſtiori, tunc n. non inter angelicos ſpiritus, ſed humanos referẽdi ſunt. Angelis namque cõuenit florens ætas, nõ mentiuntur ſexum fœmineum, quia viriles habent animos, nec triſtior poteſt eſſe eorum aſpectus quia gaudium perpetuũ obtinent ex Dei viſione, nec opem implorant: Qui talia faciunt, humani ſpiritus ſunt ſæpius, quanquã id & dæmones poſſint. Qui futura prædicunt & talia ad quæ animarũ ſeparatarũ cognitio pertingere non poteſt, angelici ſunt: Qui tumultus ſiue nocturnos ſiue diurnos excitant, cõmuniter dæmones ſunt, iique inferioris ordinis, quia vexare & moleſtare hominẽ cupit dæmon vbi aliud non poteſt ſicut hoſtes ſolẽt. *Duobus* autem modis defunctorum ſpiritus hominum rebus adeſſe poſſunt: *aut* enim ſignis quibuſdam tantũ præſentiam ſuam teſtantur, vtpote cum verbera infligunt, triſtes gemitus emittunt, tumultus excitant, aut his ſimilia faciunt: *Aut* cognoſcẽdos ſe exhibent, formas ſui ſenſibus noſtris ingerendo, quæ viuentib. reſpondent: Sic nouit Samuelẽ adeſſe Saul Rex quãdo nondũ viſus, à pythoniſſa deſcribitur vir ſenex, amictꝰ pallio qui non virtute magica excitatus, ſed diſpẽſationi diuinæ ſubſeruiẽs ipſam incantationẽ præuenit, quod patet ex turbatione pythoniſſæ. Et ſub ea forma apparent cõmuniter ſpiritus quæ aut naturæ, aut officio quod executuri ſunt, cõuenit: ſic triſtiore vultu ſe exhibent illi qui pœnas adhuc perſoluunt: dæmones ſæpe mõſtroſas & ignotas aſſumunt formas, vt cerberi tricipitis, centauri, & ſimiliũ, de quibus portentis in vita S. Antonii. Interdum etiam mortuorum aſſumunt corpora in quibus apparent. Atqui hinc ritus conſecrãdi cœmiteria cauſam traxiſſe videtur, vt ſcilicet per orationem & Dei verbum nequam illis ſpiritibus omnis facultas in demortuorum corpora eſſet ablata, quam habere poſſent maiorem in illorum qui ob demerita ſacris locis prohibentur. In quibus vero apparent & quibus ſic abutuntur, non illorum ſunt corpora qui in hac vita de diabolo triumpharunt, quiq; ſancti

ſancti Spiritus viua templa fuerunt, quoniã hanc iniuriam illis inuri nõ permittit Deus, & quæ etiam ipſi dæmones auerſari & timere videntur, non ſecus atque canis baculum quo fuit percuſſus: Sed in illorũ corpora potiſſimum valent dæmones, qui dum viuerent ipſis ſeruierunt, & in quorum iam animas crudelem exercent tyrannidem.

4. CÆTERVM dupliciter hi ſpiritus ſe in figuris cognoſcendos exhibent: *aut* enim in externa & quæ plerumque extra ſenſũ eſt in aſſumpto corpore agnoſcuntur à vigilantibus: aut interiori ſenſu conſpiciuntur etiam à dormientibus: Hęc apparitio dicitur imaginaria ſeu ſpiritalis: altera corporalis: Et in vtraque apparitione alienas mutuantur formas ipſi ſpiritus, quib. ſe ſenſib. offerunt, nã propria virtute aut corpora in quib. apparent ex aere formare, aut ſui ſpecies in ſenſibus efficere poſſunt. Sed quæ ſub imaginationem cadunt, ita illi, cui reuelãtio contingit, exhibentur, vt ad aliorum notitiam peruenire non ſit neceſſe: quæ vero in corpore fit etiam alijs exhibetur vidẽda, angelos enim qui ad Loth venerũt, etiam Sodomitæ viderunt, nã quanquam ſpiritus inuiſibilis ſit, ſub viſibili forma tamen, quã aſſumit apparere poteſt, non quod ipſa forma quę videtur ſit ſpiritus, ſed quia ſpiritus latet ſub ea, ſicut ſenſus verborum latet ſub ipſis verbis, vbi haud dubie aliud eſt quod auditur aliud quod intelligitur. Fiunt interdum etiam viuorum apparitiones aut dormientibus, aut etiam vigilantibus, ab ipſis angelis ſiue bonis ſiue malis, ipſis viuis id ignorantib. & aliud agentibus: Sic Paulus vidit in ſomnis Ananiam domum intrantem ſibique manus imponẽtem, *vt dicitur in Actis*, Anania id ignorãte. Refert *& Aug.* quod Eulogius rhetor Carthaginis, qui eius in eadem arte diſcipulus fuerat, cũ Rhetoricos Ciceronis libros diſcipulis ſuis traderet, recenſens lectionem quam poſtridie fuerat traditurus, quendã locum offenderit obſcurũ: quo non intellecto vix potuit dormire ſollicitus: qua

Hæc Aug. li. 10. c. 13. de ciui.

Acto. 9. Aug. c. 11. lib. de cur. pro mor.

nocte ego ſomnianti illi quod nõ intelligebat expoſui, *inquit*, imo non ego ſed imago mea neſciente me & lõge trans mare aliud agente, *hæc Aug.* Refert & Surius in vita S. Nicolai huius rei exemplum: Cũ n. nautæ quidam horrenda tempeſtate prope abſorpti eſſent, S. Nicolai adhuc viuentis & longe diſsiti auxilium implorarũt, quod intellexiſſent multos eius auxilio à ſummis fluminum periculis fuiſſe liberatos. Quid vero? inclinante iã naui & pelagus imbibente, oculis omnium manifeſtus adeſt Nicolaus, dicens: Ecce quẽ aduocaſtis adſum, opem ſi ſperabitis allaturus, in Deo cõfidite cuius ego miniſter aduenio: ſimulque clauo cernentibus cunctis arrepto, nauim erigit gubernatq; inde mare minaciter increpans fluctus confeſtim placat hæc Surius. Atq; huiuſmodi apparitio S. Nicolai quæ exhibebatur ipſis nautis, non fiebat ab ipſo Nicolao ſed ab angelo eius, ſeſe in perſona Nicolai exhibente & eos liberante. Refert & *Valerius Maximus* quod duo familiares Arcades iter vna facientes Megaram venerint, quorum alter ad hoſpitium ſe contulit, alter in tabernam meritoriam diuertit: Is autẽ qui in hoſpitio erat, vidit in ſomnis comitem ſuum orantẽ, vt ſibi cauponis inſidiis circumuento ſubueniret: qua viſione excitatus proſiliit; tabernamq; in qua is diuerſabatur, petere properauit: ſed propoſitũ poſtea tanquã ſomnũ reliquit, eamq; viſionem pro nihilo ducens lectũ & ſomnum repetiit. Tunc idem ei ſaucius oblatus obſecrauit, vt qui auxilium vitæ ſuæ ferre neglexiſſet, necis ſaltem vltionẽ non negaret: corpus enim ſuum à caupone trucidatum tum maxime plauſtro ad portam ferri ſtercore ſeu fimo coopertũ, tam conſtantibus familiaris ſui precibus compulſus, protinus ad portam cucurrit, & plauſtrum quod in quiete monſtratum erat deprehendit corpuſque ſui ſocii trucidatum ei impoſitum & ſub fimo abſconditum inuenit, & cauponem ad capitale ſupplicium pertraxit. *hæc Valeri. Maxi.* Porro huiuſmodi apparitionum non ipſi homi-

Surius tom. 6.

Digitized by Google

homines qui in ſomnis apparẽt, auctores ſunt, quia nõ ſunt tantæ ipſorum vires vt ſui ſimulachra in dormientium phantaſiam imprimere poſſint, imo ſæpe neſciunt quod appareant: ſed efficiũtur huiuſmodi apparitiones à ſpiritibus tam malis quam bonis, qui in ipſos humores agunt & phantaſiæ huiuſmodi ſimulachra imprimunt, tanquam à ſomniantibus virib. naturæ talia fierent. Eſtque difficilimum diſcernere quas in huiuſcemodi apparitiones boni ſpiritus efficiant, quas mali, quia non ſolum modus operandi idẽ eſt, quo id fit quod apparet, videlicet per humores, ſed etiam forma quę apparet eadẽ, ſcilicet hominis qui apparet.

4. IN huiuſmodi apparitionibus interdum animus hominis quo ad vſum rationis ſuam habet operationem, vt non tantum videat, ſed etiam intelligat quod per ſomnia repræſentatur: tunc nimirũ quando propoſitũ eſt ſpiritib. homines vel de rebus quibuſdam informare, vel ad agendũ aliquid impellere, aut ab aliquo reuocare. Interdum animus hominis quo ad vſum rationis prorſus liber eſt, ſola phantaſia occupata, videt quidem ea quę exhibentur ſimulachra, ſed nihil intelligit. Nõ tamen exiſtimandum eſt quia in ſomno expeditus eſt rationis vſus vt ratiocinetur, miretur, noua quædã excogitet, ſecũque diſceptet an tunc dormiat nec ne, eſſe ibidem perfectum liberi arbitrii vſum: ad plenum enim & perfectum liberi arbitrii vſum opus eſt perfecta hominis libertate, ita vt ipſe homo qui tunc agit non aliunde agatur, ſed proprio arbitrio agat ſic vt in ei⁹ poteſtate ſit hoc vel iſto modo agere, aut ẽt nihil agere, quod in ſomno nequaquã contingit. Hinc eſt vt quib. hæ apparitiones contingunt, neque peccent neq; mereantur, ſiue iis apparitionib. acquieſcant, ſiue non, quamuis à Deo aut bonis angelis proponantur. Quod igitur Salomon qui in ſomno ſapientiam petiit Deo placuiſſe dicitur, non ita accipiendũ eſt, quod re vera hoc modo placuerit Deo, ſed quemadmodum ſibi viſus eſt petere ſapientiã à Deo, ita ſibi viſus eſt Deũ probare eius petitionem: cũ tamen re vera non fuerit petitio aut vllum meritum.

6. PORRO quemadmodum in ſomno quædam ſomnia reb. ipſis ſunt ſimilima: quæ phantaſiæ ita viuaciter imprimũtur interdum vt inter ipſa ſomnia & res veras ſomnians diſcernere nequeat: ita fit & per operationem boni ſpiritus, & etiam per illuſionem dæmonis ſenſus ſic faſcinãtis & illudẽtis, vt quod apparet re vera eſſe putetur. Ita dęmon poſt certas vnctiones ſagas alio transfert, non quod animas earũ a corpore migrare faciat, atq; iis rebus intereſſe, quas excitatæ poſtea referunt: nunquam n. anima à corpore recedit niſi per mortem & poſtquam ſemel deceſſerit ad corpus redire nequit. Quapropter neque tum etiam rebus quibus intereſſe ſibi videntur, reipſa interſunt miſeræ mulieres, ſed quicquid conſpiciunt, id in corpore exiſtens ſpiritus conſpicit dæmone ſic ipſum faſcinante & illudente. Non tamen omnes illę Sagarũ apparitiones, quibus in nocturnis conuentibus conſpiciũtur, ſecundũ imaginem ſolum fiunt phantaſiæ impreſſam, quædam etiam reales ſecundum corporũ translationem exiſtunt. Vt enim angelus ſubito tranſtulit Abacuc in Babylonem, ita Sathan tranſtulit Dominum ſuper pinnaculum templi, & inde in montem excelſum: Neque enim minoris ſunt virtutis naturalis dæmones, quã angeli: ita & ſagas ſubinde corporaliter transferunt. Cuius rei exemplum refert *Alfonſus* de *Caſtro*, quod *anno* 1521. non procul ab Vrbe Roma contigit, vbi ruſticus quidam cum nocte vxorẽ ſuam poſt vnctiones ſubito ex oculis diſparuiſſe pcepiſſet, altero die verberib. tamdiu excepit, donec quod res erat, cõfeſſa eſſet: vult ruſticus ea de re etiam ſuo exemplo fieri certior: placet vxori viri propoſitum, ſed monet vt à Dei nomine abſtineat: indicto igitur die cum vxore poſt vnctionem ad ſagarum cœtũ aduolat maritus: fit omnium quæ geruntur ſpectator, honoris quĩ diabolo exhibetur, ſalutationũ, nefandorum

Alfonſ. li. 1 c. 16. de iuſta hære. puni.

rum congreſſuum, & menſæ aſſidens dum ſalem petit, Deum nominans totus cœtus diſparuit, & ſe ſolum inuenit.

PARS II.

De Purgatorio.

Vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit : ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur : ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. 1. Corinth. 3.

Summa Articulorum II. Partis.

I. *Purgatorium eſſe multipliciter probatur.*

II. *Refutantur nonnullæ Hæreticorum contra purgatorium obiectiones.*

III. *Quomodo ſuffragia Eccleſiæ proſint defunctis.*

ART. I. Poſt hanc vitam reſtare purgatorium probatur.

QVANQVAM iuſti etiam in hac vita purgentur per varias tribulationes, iuxta illud Eccleſ. 27. Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis: Tamen per purgatorium communi loquendi modo locus quidam intelligitur, in quo tanquam in carcere tenebricoſo poſt hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac non plene purgatæ fuerunt: Poteſt enim homo ſancte & pie mori, & tamen habere debitum aliquod ſoluendum vel propter venialia peccata non remiſſa in vita, vel propter ſatisfactionē pro mortalibus remiſſis non plene expletam. Scriptura namque 2. *Machab.* 12. dicit eos, pro quorum peccatis iuſſit orari Iudas, cum pietate dormitionem accepiſſe : cumque oratio ibidem laudetur pro defunctorum peccatis infuſa, recte ſequitur inde Purgatorium eſſe in alia vita, nā alioqui fruſtra oraretur, & Scriptura erraret laudando eiuſmodi orationem: quorſum enim oratio pro illis qui aut non egent, aut iuuari non poſſunt? Et nedum orationem ſed & eleemoſynam & ieiunium mortuis prodeſſe patet ex ſcriptura ſancta : de eleemoſynis enim ſic legimus. Tobiæ 4. *Panem tuum & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Quorum verborum hic ſenſus eſt, iuxta communem Doctorum expoſitionem, Inſtrue conuiuium & voca fideles pauperes vt ipſi poſt acceptā eleemoſynam orent pro anima defuncti. Hinc enim nata eſt illa conſuetudo, quæ & olim in Eccleſia fuit & nunc etiam eſt, vt affines defuncti cōuiuium faciant, mittant etiam cibum & potum pauperibus & religioſis, vt orent pro anima defuncti. Sic enim *Chryſoſt.* ait Hom. 32. in Matt. Cur, inquit, poſt mortem tuorum pauperes conuocas? Cur Presbyteros vt pro eis velint orare, obſecras? Rurſum legimus 1. *Reg. vlt.* quod habitatores Iabes Galaad audita morte Saul ieiunauerunt ſeptem dies : & 2. *Reg.* 1. Dauid fleuit & ieiunauit pro Saule & Ionatha & aliis occiſis: Quod factum dicit Beda, *in fine comment. in lib.* 1. *Reg.* ad iuuandas animas defunctorum. Nam quod & in futuro ſeculo peccata quædam remittantur per orationes & ſuffragia Eccleſiæ, patet *Matth.* 12. vbi dicit Dominus eſſe quoddam peccatum quod non remittitur, neque in hoc ſeculo neque in futuro. Ex quo loco *Auguſt. & Gregor. & Bernard.* colligunt aliqua peccata poſſe remitti in alio ſeculo. Et videtur Chriſtus loqui de perfecta remiſſione, quæ complectitur remiſſionem culpæ & pœnæ, quomodo peccata grauiſſima remittuntur etiam in alio ſeculo, quia ibi completur eorum remiſſio; quanquam omnino probabile ſit in purgatorio remitti etiam culpas ſaltem veniales, & non ſolum pœnas.

Aug. li. 21 de ciuit. cap. 24. Greg. 4. Dial. c. 39. Bernar. hom. 66. in cant.

2. EST ALIVS locus Pauli 1. *Cor.* 3. ex quo Catholici ſtatuunt Purgatorium: cū ait, *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Hunc locum dicit *Auguſt. c. 15. de fide & oper.* intellectu eſſe difficillimum: vtitur autem Paulus hac metaphora ſeu ſimilitudine, Si quis architectus qui ſuper fun-

per fundamentum lapideum & ſolidum erigat domum ex pretioſa materia, qualia ſunt aurum, argentum, & lapides pretioſi, quæ ignem non timent: Alter vero ſuper ſimile fundamētum lapideum & ſolidum extruat domum ex lignis & ſtraminibus more pauperum ruſticorum, & vtrique domui adhibeatur ignis, videbimus priorem nihil penitus lædi, & ſi architect⁹ intus fortaſſis ſit, ſimiliter nihil pati. At poſteriorem domum videbimus continuo ignem cōcipere, & ſi architectus intus ſit, & velit ſaluus egredi, videbimus eū exire non poſſe, niſi per ignem. Architectos vocat hic *Aug. ca. 68. Enchirid.* omnes Chriſtianos qui ſuper fidei fundamentum ſuperædificant vel opera bona vel mala. *Ambroſ.* vero in hunc locum, per architectos intelligit Doctores & Prædicatores, vt ſit ſenſus, Ego Paulus fundamentum poſui prædicans Chriſti fidem: alij autem ſuperædificant docentes ea quæ ad vitam & mores pertinent, & explicantes latius fidei noſtræ myſteria: & per aurum & argentum & lapides pretioſos intelligit Catholicas & ſynceras expoſitiones, per lignum, fœnum & ſtipulam, intelligit falſa & hæretica dogmata, ſed per imprudentiam prolata & ſine pertinacia: dicit enim huiuſmodi Doctores ſaluos futuros per ignem purgatorium. Quod ſi quis ex pertinacia doceat hæreſes, talis non ædificat ſuper fundamentum fidei, ſed fidem ſubuertit, ideo ſaluus eſſe non poterit. *Grego.* vero *lib. 4. dialog. ca. 39.* per aurum, argentum & lapides pretioſos, opera bona intelligit: per ſtipulam vero & lignum peccata venialia: vt ſi quis Doctor Catholicus doceat curioſa & inutilia: aut etiam ſi auditores fidei iungant affectus carnales & leuiores culpas. Per diem Domini vero aliqui intelligunt tempus tribulationis in quo diſcernuntur ſæpe boni à malis. Sic Aug. *c. 10. lib. de fide & oper.* Hæc ſententia quamuis huic ſcripturæ accommodari poſſit, tamen in ſcripturis vbiq; dies Domini ſignificat diem iudicij, ſiue illud particulare ſiue vniuerſale fuerit: & in vniuerſali quidem iudicio omnia omnibus erunt manifeſta, & ſic illa dies declarabit vniuſcuiuſq; opus quale ſit: qui dies in igne reuelabitur, quia vltimum ſignum iudicij vniuerſalis & omnium notiſſimum erit conflagratio totius mundi. In particulari autem iudicio cuiq; ſua erunt manifeſta opera.

3 Est autem difficultas quis ſit ignis qui in die Domini vniuſcuiuſq; opus probabit. Aliqui intelligunt tribulationes huius vitæ, vt *Aug.* & *Gregor.* locis ſupra citatis: ſed id minus proprie, quia Apoſtolus dicit de iſto igne, quod comburet opera, ait enim, *Si cuius opus arſerit.* Hinc alij de pœnis purgatorij intelligunt: ſed nec iſtud bene, quia ignis purgatorij non probat opera eorum qui ædificant aurum & argētum: Neq; enim omnes per ignem tranſeunt purgatorium. Per iſtum autem ignem de quo loquitur Apoſtolus, omnes tranſeunt. Supereſt igitur vt dicamus cum Ambroſ. *in Pſal. 118. conci. 20.* ſuper illud, *Vide humilitatem*, hic Apoſtolum loqui de igne ſeueri & iuſti iudicij Dei, qui non eſt ignis purgans vel affligens, ſed probans vel examinans. Sic & *Sedulius* in hunc locum, Examinationem iudicij, *inquit*, igni voluit comparare ſecundum cōſuetudinem Scripturarum: vt ſit ſenſus, *vniuſcuiuſq; opus quale ſit ignis probabit*, quia cuncta quę fiunt adducet Deus in iudicium, & ea examinabit: & ſi cuius opus manſerit, id eſt, ſi cuius opus iudicium Dei ſuſtinere potuerit, ſicut aurum ſuſtinet ignem, mercedem accipiet & coronabitur à Deo: *Si cuius opus arſerit*: id eſt, ſi cuius opus iudiciū Dei non ſuſtinuerit, ſicut fœnum & ſtipula non ſuſtinent ignem, detrimentum patietur, reprobabitur & reiicietur. Et rectiſſime iudicium Dei vocatur ignis, cum ſit puriſſimum, efficaciſſimum & maxime penetratiuum, vnde Dan. 7. *Fluuius igneus egredietur de ore eius.* Cum vero ſubditur, *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamquaſi per ignē*: iuxta communem Theologorum ſententiam, nomine ignis hoc loco intelligitur pœna aliqua purgatoria, & temporalis, ad

quam poſt mortem adiudicantur qui in iudicio particulari inueniuntur ędificaſſe lignum, fœnum aut ſtipulam: Sic *Ambroſ. in hunc locum.* Cum Paulus dicit, inquit: *Sic tamen quaſi per ignem*, oſtēdit quidem illum ſaluum futurum, ſed pœnas ignis paſſurum, vt per ignem purgatus fiat ſaluus, & non ſicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueatur. Et *Aug. in Pſal.* 37. In hac vita, *inquit*, purges me, & talem me reddas, vt iam emendatorio igne opus non ſit: Et infra explicās locum Apoſtoli, Dicitur, inquit, *Saluus erit quaſi per ignem*: & quia dicitur, *Saluus erit*, contemnitur ille ignis. Ita planè quamuis ſalui per ignem, grauior tamen eſt ille ignis, quam quicquid poteſt homo pati in hac vita. *Hier.* quoq; *in 4. c. Amos*, exponens illud. *Facti eſtis ſicut torris raptus de incēdio:* Iuxta illud, inquit, quod in Apoſtolo legimus, *Ipſe autem ſaluus erit quaſi per ignem*, qui ergo ſaluatur per ignem, quaſi torris de incendio rapitur.

4 EX PRÆDICTIS patet, quod in prædicto loco Pauli variè accipiatur nomen ignis, ſemel pro iudicio, & ſemel pro vero igne purgatorio: Nec id inſuetum eſt B. Paulo in eadem ſententia vti variè aliquo nomine: variè n. accipit vocem peccati, cum ait 2. Cor. 5. *Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit:* Et Rom. 8. *De peccato damnauit peccatum.* Sic hoc loco cum dicit Paul. diem Domini manifeſtari per ignē, videtur omnino loqui de igne conflagrationis: Cum addit, *Cuiuſq; opus ignis probabit*, nō poteſt loqui de igne materiali qui non poteſt probare opera quæ tranſierunt, ſed per ignem iudicium intelligit: Et cùm dicit operarios per ignē purgandos, ignem purgatoriū intelligit: Nec tamen propriè æquiuocatio, ſed alluſio elegans reperitur in verbis Pauli. Et cum Paul. ait, *Ipſe ſaluus erit ſic tamen quaſi per ignem*, illa particula *quaſi*, non tam ſimilitudinem ſignificat, quaſi ignis ille non ſit verus ſed phantaſticus, quam veritatem: ſicut dicitur Ioan. 1. *Vidimus gloriā eius gloriam quaſi vnigeniti à patre*, id eſt, vidimus eum glorioſum ad eum modum quo decet glorioſum eſſe filium Patris vnigenitum.

5 EST tertius locus Matth. 5. *Eſto conſentiens aduerſario tuo cito dum es in via, ne forte tradat te aduerſarius iudici & iudex tortori, & mittaris in carcerem: Amen dico tibi non exibis inde donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Per viam pręſens intelligitur vita iuxta communem Doctorum expoſitionem: Per aduerſarium poteſt intelligi alius homo quem nos lęſimus, aut qui lęſit nos, ſic enim *Hier.* hunc locum interpretatur: aut etiam lex Dei ſiue Deus ipſe quatenus præcipit contraria carni, ſiue conſciētia quæ Dei legem ſemper obiicit peccanti: hæc n. ferè coincidunt. Sic exponit *Auguſt.* hunc locum, *hom. 1. de verb. Dom.* & Greg. *hom.* 39. Bern. *ſer.* 85. *in Cant.* Per iudicē Chriſtus intelligitur communiter, quia *Pater omne iudicium dedit filio*, Ioan. 5. Per miniſtros intelligit Amb. *in c.* 12 *Lu.* angelos bonos. Greg. vero *hom.* 39. dæmones intelligit: vtrumq; eſt probabile: Nam & angeli, *teſte Chryſ.* deducunt animas nondum plenè purgatas in purgatorium, cum enim viam ignorent ab aliis eo deduci debent: & dæmones tanquam tortores eas ibidem torquent. Per carcerē infernus intelligitur, in quo tamen multę ſunt manſiones, aliæ pro damnatis, aliæ pro his qui purgantur. Per nouiſſimum quadrantē qui eſt minima moneta, intelligitur totum debitum ſoluendum vſq; ad minima peccata. Dubium manet, an hæc ſolutio fiat in gehenna, an in purgatorio? *Auguſt.* putat hic agi de pœnis ęternis gehennæ: & ideo dicit, illud, *Donec reddas*, non ſignificare certum tempus, ſed æternitatem, ſicut dicitur Pſ. 109. *Sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, quaſi dicat, ſi debitum ſit inſolubile nunquam exibis. Si erit ſolubile, exibis cum totum exactè ſolueris, *ſic Caiet.* Et ideo hic locus carceris poteſt deſignare & infernum & purgatorium. Et certè de purgatorio intellexit hūc locum Tertull. *lib. de anima cap.* 17. vbi ſic habet.

Ille

Digitized by Google

Ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris niſi modico quoq; delicto mora reſurrectionis expẽſo, vbi nota ſolum eſſe manendum in carcere purgatorij ad ſummum vſq; ad reſurrectionem: Sic & Cypr. *lib.4.epi.2.* vbi ſic ait, Aliud eſt miſſum in carcerem non exire inde donec ſoluet nouiſſimum quadrãtem: aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione purgaſſe. Bern. *quoq; ſerm. de obitu Humberti,* Illud, *inquit*, ſcitote quia poſt hanc vitam in purgatoriis locis ſeptempliciter quæ fuerint hic neglecta, reddũtur vſq; ad nouiſſimum quadrantem. Et ille ſenſus videtur commodior, *Non exibis inde donec ſoluas nouiſſimum quadrantem*, ergo aliquando ſoluet & inde exibit.

6 EST quartus locus Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Per, deficere, intelligunt omnes mori: per amicos intelligunt Sanctos cum Chriſto regnantes. Nam eleemoſyna quæ datur malis hominibus, bona tamen intẽtione, meritoria quidem eſt, tamen non facit amicos qui poſſint nos recipere in æterna tabernacula: vnde Hier. *cont. Vigilant. in fine*, dicit, hic Dominum hortari vt detur eleemoſyna potius bonis quam malis, vt bonorum interceſſione ſaluẽtur qui eleemoſynas faciunt. Et *Ambr.* in hunc locum & *Auguſt. lib.* 21. *de ciuit. cap.* 27. dicunt hic per amicos intelligi Sanctos cum Chriſto regnantes, qui ſuis precibus nos iuuant, & iuuabunt cum mortui fuerimus. Et ex hoc loco *Auguſt.* loco dicto Purgatorium demonſtrat: dicit enim, eſſe quoſdam tam ſanctos qui recta ad cœlum euolant poſt mortem, & qui non ſolum ipſi ſaluantur, ſed etiam alios iuuare poſſunt: Rurſum quoſdam alios tã malos qui nec ſeipſos iuuare poſſunt, nec ab aliis iuuari, ſed ad pœnas æternas ſine remedio deſcendere: deniq; eſſe quoſdam medios qui ita moriuntur, vt nec digni ſint morte æterna, nec tamen ſufficiant eis propria merita ad ſalutem, nimirum ſtatim recipiendam: Et iſti ſunt, *inquit*, qui recipiuntur in æterna tabernacula precibus amicorum. Sed etiamſi nuſquã in ſcripturis ſanctis omnino legeretur pro mortuis ſacrificium oblatum, inquit Augu. *libr. de cura pro mortuis c.1.* non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, vbi in precibus ſacerdotis quę Deo ad eius altare funduntur, locum ſuũ habet etiam commẽdatio defunctorum: diſputare autem contra id quod vniuerſa facit Eccleſia, inſolentiſſimæ eſt inſaniæ, *inquit Auguſt. epiſt.* 118. Eccleſiam autem ſemper oraſſe pro defunctis patet & ex canone Miſſæ, ex omnibus liturgiis Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi, &c. nam in omnibus fit oratio pro defunctis: Ex Dionyſio de *Eccleſ. hierarch. cap. 7. par.* 3. vbi ſic habet, Accedens deinde venerandus Antiſtes precem ſacram ſuper mortuum peragit, precatur oratio illa diuinam clementiam vt cuncta dimittat admiſſa peccata defuncto, eumq; in luce ſtatuat & regione viuorum, *hæc ibi.* Cyrill. *catecheſi 5. myſtagogica*, Deniq; pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum credentes eſſe animarum iuuamen pro quibus offertur obſecratio ſancti illius & tremendi ſacrificij. Epiphanius *in fine operis contra hæreſes* numerat inter dogmata Eccleſiæ, orationem pro defunctis. Et *hær.* 75. Ærium hæreticum facit qui hoc negabat. Et Chryſ. *hom. 69 ad popul. Anti.* Non temere ab Apoſtolis hęc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio: ſciunt enim inde multum illis contingere lucrum, vtilitatem multam. Tertull. *in lib. de coro. mili.* inter traditiones Apoſtolicas numerat ſuffragia pro defunctis. Et Petrus Damianus *in ſerm. 2. de S. Andrea*, Non tibi blandiaris ſi grauiter peccanti leuior pœnitẽtia à manſueto, vel à diſſimulante dictatur, cum in purgatoriis ignibus perficiendũ ſit quicquid hic minus feceris quia dignos pœnitentiæ fructus q̃rit altiſſimus.

Quare

Quare Auguſt. *lib.* 21. *ciuit. cap.* 26. *& in Enchirid. ca.* 69. cum dicit poſſe dubitari & quæri, An poſt hanc vitam animæ torqueantur purgatorio igne, nõ dubitat de pœna animarum, ſed de modo & qualitate, nimirum, an ignis purgatorius ſit idem cum igne gehennæ.

7 Idem aſſeritur & probatur ratione: Nam cum quædam ſint peccata venialia, vt verbum otioſum, ſubita ira, & ſimilia, cum quibus homo poteſt decedere ex hac vita, vt ſi repentina morte aut in ſomno abripiatur, quæ ſola digna ſunt tẽporaria pœna, neq; enim intelligibile eſt quod verbum otioſum ex natura ſua dignum ſit perpetuo odio Dei & ſempiternis flammis, cum ſtultiſſimus eſſet dicendus in terris, qui ob leuem offenſam amici, nec a malo animo factam, nollet amplius eſſe amicus, imo vſq; ad mortẽ perſequeretur eum, quem amicum paulo ante habuerat: Cũ igitur in hac vita huiuſmodi peccata non ſemper remittantur, eo quod poſſit quis in affectu peccati venialis mori, ſicut & reprobi moriuntur in affectu peccati mortalis, patet quod in alia vita purgatione egeant temporali huiuſmodi peccata leuiora. Rurſum cum reconciliantur peccatores Deo non ſemper dimittitur tota pœna cum peccato, vt patet & in Dauide 2. *Reg.* 12. qui cum dixiſſet, *Peccaui Domino*, ait Propheta. *Deus quoq; tranſtulit à te iniquitatem, ſed quia blaſphemare feciſti inimicos nomẽ Domini filius qui natus eſt tibi morietur*: Et in Maria ſorore Moyſi, *Num.* 12. quæ cum murmuraſſet contra Moyſen, punita eſt morbo lepræ: Orante autẽ pro Moyſe, dimiſſa eſt ei culpa, attamen voluit Deus vt pœnam lueret per vnam hebdomadam: vnde Auguſt. *tract.* 124. *in Ioan.* Temporaliter hominem detinet pęna etiam quem iam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa, cũ igitur multi qui plurima peccata commiſerunt, in articulo mortis conuertantur, quando ſuam non poſſunt complere pœnitẽtiam ſeu ſatisfactionem, ſequitur quod poſt hanc vitam ſatisfacere debeant. Nam dicere, ſicut hæretici dicunt, morte omnia deleri & expiari peccato quoad pœnam: hoc repugnat iuſtitię, quod eadem pœna, morte ſcilicet temporali Deus puniret peccata magna & parua, multa & pauca. Hinc bene *Aug. in illud Pſ.* 50. Veritatem dilexiſti, hoc eſt, *inquit*, impunita peccata eorum etiam quibus ignoſcis, non dimiſiſti, ſic prærogaſti miſericordiam vt ſeruares & veritatem.

8 Alia ratio ſumitur ab apparitionibus animarũ quæ ſe in purgatorio eſſe renunciauerunt atq; opem a viuis implorauerunt: quas apparitiones cum viri grauiſſimi retulerint, non immerito veras fuiſſe credimus, rideant licet eas hæretici oẽs. Greg. *lib.* 4. *dial. cap.* 55. ſcribit de quodam monacho ſuo, pro quo 30. Miſſas ipſemet *Greg.* dici iuſſit, & ex eius apparitione didicit liberatum. Petrus Damiani *in epi. ad Deſiderium* ſcribit B. Seuerinum Colonienſem Epiſcopum apparuiſſe cuidã preſbytero eiuſdem Eccleſiæ, eiq; ſignificaſſe ſe in Purgatorio grauiter torqueri, quod horas canonicas non diſtinctis temporibus perſoluiſſet, ſed mane omnes horas ſimul coaceruaſſet, vt tota die negotiis Imperialibus liberius vacare poſſet. Plura exempla harum apparitionum ex Beda, Bernardo, Gregorio, retuli in *ſuperiore concio.* Vltima ratio qua Purgatorium probatur, poteſt eſſe, quod iſta opinio quæ tollit purgatorium, non ſolum ſit falſa, ſed etiã pernicioſa. Siquidem homines ſocordes facit in peccatis cauendis, & bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat nullum eſſe purgatorium, ſed omnia peccata per mortem aboleri in iis qui moriuntur cum fide, facile dicet apud ſe, Quorſum laboro in ieiuniis, precibus, continentia, eleemoſynis? Cur fraudo animum deliciis & voluptatibus? quandoquidẽ in morte ſiue multa, ſiue pauca peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat præter gehennam, ignem acerrimũ Purgatorij, & quicquid hic deletum non fuerit per debitæ pœnitentiæ opera, ſibi diluendum, certe diligentior euadit.

Digitized by Google

9. Ex prędictis patet purgatorii confeſſionem ad fidem Catholicam pertinere, adeo vt qui non credit purgatorium eſſe, ad illud nunquam ſit peruenturus, ſed in gehenna ſempiterno incẽdio cremandus. Dogmata autem fidei *quatuor* modis probari ſolent. *Primo* ex teſtimonio expreſſo ſcripturæ cum Eccleſiæ declaratione, ſic ex ſcripturis ſupra allegatis, variis cõciliis & Patribus probatur purgatorium eſſe. *Secundo* per euidentem deductionem ex iis quæ habẽtur expreſſe in ſcriptura: quo modo probamus Chriſtum habere duas voluntates diuinam & humanam, quia ſecundum ſcripturas Deus eſt & homo: Etiam hoc modo patet purgatorium eſſe dogma fidei, cum enim non ſemper cum peccato dimittatur tota pœna tẽporalis. & fiat ſæpe vt in tota vita aliquis non ſatisfecerit plene pro temporali illa pœna, neceſſario ſtatui debet purgatorium. *Tertio* probantur dogmata fidei ex verbo Dei per Apoſtolos nõ ſcripto ſed tradito, quomodo probamus Euangelia & Epiſtolas Pauli eſſe diuinas ſcripturas: etiã hoc modo probatur quod ſit fidei purgatoriũ eſſe ex eo quod non inuenimus initium huius dogmatis, ſed omnes veteres Græci & Latini ab ipſo tempore Apoſtolorum cõſtãter docuerunt purgatorium eſſe. Talia a. ad Apoſtolicam traditionẽ referenda eſſe docet Auguſt. *lib. 4 ca. 24. de baptiſmo cont.* Donatiſt. *Quarto* per euidẽtem deductionem ex verbo Dei tradito: ſic *Auguſt.* paſſim probat peccatum originale eſſe ex traditione Apoſtolica de baptiſmo paruulorum, etiamſi in ſcripturis non haberetur: Cum vero traditio ſit Apoſtolica orandũ eſſe pro defunctis, vt patet ex Clemente & Epiphanio ſupracitatis, continuo inde ſequitur vt animæ poſt hanc vitam egeant auxilio, & proinde ſint in pœnis non ſempiternis ſed temporalibus. Sufficiẽtia horum quatuor modorum inde patet, quia id ſolum eſt de fide quod eſt à Deo reuelatum mediate vel immediate, reuelationes autem diuinę partim ſunt ſcriptę, partim non ſcriptæ.

Obiectiones quędã hæreticorum contra purgatorium refutantur. II.

1. SED obiiciunt hæretici varia argumẽta tum ex ſcripturis, tum ex Patribus, tum ex ratione deſumpta, quibus probare nituntur nullum eſſe purgatorium. Imprimis dicitur Apoca. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit Spiritus vt requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos*, Dicit Anſelmus *in hunc locum*, quod Ioannes in toto illo capite agat de extremo iudicio à cuius fine haud dubie requieſcent à laboribus ſuis qui in Domino moriuntur. Quinimo & à morte ſua quiſque requieſcit à laboribus ſuis qui perfecte moriuntur in Domino, qui perfecte cuſtodiunt mandata Dei qui nihil purgandum ſecum ferunt, quales ſunt viri perfecti & præſertim martyres, de quibus agit ibi Ioannes, eos n. eo loco conſolari volebat. Sed qui decedunt cum peccatis venialibus, aut cũ debito pœnæ temporalis, ii non ſimpliciter moriuntur in Domino, ſed partim in Domino ratione charitatis quam ſecum ferunt: partim nõ in Domino ratione peccatorum: Nam eoſdem poſſe eſſe partim filios Dei, partim filios huius ſeculi, docet Aug. *lib. 3. cap. 3. con. 2. epiſt. Pelagii.* Et tantum abeſt vt omnes ſtatim poſt mortem peruenturi ſint ad quietem æternam, vt *Amb.* dicat *in pſal. 36.* quod igne purgabuntur etiam Ezechiel & Daniel: Et *in pſ. 158. ſerm. 20.* adducens illud Gen. 4. *Poſuit ante paradiſum flammeum gladium*, dicit illum gladium igneum eſſe ignem purgatorium, per quem neceſſario tranſit quicumque in paradiſum intrat: Omnes, *inquit*, oportet tranſire per flammas, ſiue ille Ioannes ſit, ſiue Petrus: & infra, Vnus ignem illum ſentire non potuit, qui eſt iuſtitia Dei Chriſtus. Idem videtur ſenſiſſe *Hilarius* in illa verba pſal. 118. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas*, vbi inſinuat etiam B. Mariam tranſire debuiſſe per illum ignem: Et *Hieron. in cap. 7. Amos* in illa verba, *Ecce vocabit ignem ad iudicium.* Sed hæc ſententia niſi intelligatur de igne iudicii, quomodo loquitur Paulus 1. Corinth 3. *vniuſcuiuſque*

opus quale ſit, ignis probabit, quia omnes excepto Chriſto iudicabuntur, manifeſtum continet errorem, quia Eccleſia ſemper credidit eos qui mox à baptiſmo moriuntur, nullam purgatorii pœnam ſentire poſſe, vt docet Auguſt 21 *ciu. cap.* 16. Aliqui tamen videntur dicere, inter quos *Lactan.* omnes Sanctos etiam per ignem purgatorium tranſituros, ſed ſine vlla læſione ſi nihil habeant purgandum, ſicut tres pueri in fornace Babylonis: Sic autem habet *Lactan.* Sed & iuſtos cum iudicauerit Deus, etiam igne eos examinabit: tum quorum peccata præualuerint, igni amburentur: quos autem plena iuſtitia & maturitas virtutis decoxerit, ignem illum nō ſentient, habent enim aliquid in ſe Dei, quod vim flammæ repellat. Sic & *Ambro.* videtur dicere. Conformis eſt huic ſententiæ viſio B. Furſæi, quam deſcribit *Beda lib. 3. hiſt cap.* 19. Ille enim vidit in via ad cœlos maximos ignes, per quos neceſſario tranſeundum erat: ſed vidit ſimul eos qui nihil haberent combuſtibile, id eſt, nullum culpæ aut pœnæ reatum, illæſos tranſire: alios vero magis minuſue exuri, prout plus minuſue materiæ combuſtibilis afferebant. Hanc ſententiam, inquit Bellar. quæ docet omnes tranſituros per ignem, licet non omnes lædendi ſunt ab igne, nec auderem pro vera aſſerere, nec vt errorem improbare. Nam & Rupertus *lib. 3. in Gen. cap.* 23. explicans flammeum gladium ante paradiſum poſitum, hoc dicere videtur omnes per flammas tranſituros, priuſquam poſſint intrare paradiſum.

lib. 7. diu. inſti. ca. 21.

2. HACTENVS autem poſſunt dici beati qui in Domino moriuntur etiamſi pœnas purgatorias luere debeant, quia animæ in purgatorio exiſtentes de æterna ſua ſalute certæ ſunt atque ſecuræ: Simul enim vt è viuis exceſſerint manifeſtatur eis ſententia iudicis, qua adiudicātur aut gehennæ, aut æternæ gloriæ, aut pœnis purgatoriis, iuxta illud Eccleſ. 11. *In fine hominis denudatio operum illius.* Quod etiam & ab effectu cognoſcere poſſunt, quia in inferno blaſphematur Deus, in purgatorio laudatur, in inferno non eſt fides infuſa, nec vlla ſpes aut charitas: at animæ in purgatorio ſicut ſeipſas perſpicue intuentur, ita etiam vident omnia quæ in ſe habent, habitum charitatis ſcilicet fidei & ſpei. Et quanquam ſint in ſummis cruciatibus, iuxta quod orat Eccleſia, *Libera eas de ore Leonis ne abſorbeat eas tartarus* tamē propter certam ſpem ſalutis habent incredibilem conſolationem, & dicuntur dormire in ſomno pacis: ſic enim orat Eccleſia, *Ipſis Domine & omnib. in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis vt indulgeas deprecamur:* Sed quæ dormire dicuntur in ſomno pacis, de ſalute ſua non poſſunt eſſe anxiæ, ſed ſecuræ. Et quanquam oret Eccleſia, *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu, libera eas de ore Leonis ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum*, &c. Tamen hinc colligi non poteſt quod de ſua ſalute non ſint ſecuræ, quia orat Eccleſia quantum ad intentionem ſuam vt animæ liberentur à pœnis Purgatorii, quæ interdū non ſunt minores pœnis inferni niſi quod non ſint æternæ. Et vtitur Eccleſia ea modo loquendi quaſi animæ tunc migrarent à corpore, & in periculo eſſent æternæ ſalutis, quia commemorat & repræſentat diem depoſitionis ſiue obitus: & ſicut in celebritatib. feſtorum Natalis, Apparitionis, Incarnationis Domini, Eccleſia vtitur iis orationibus ac ſi tunc deberet incarnari Dominus, vt cum dicit, *Rorate cœli deſuper & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, non quod petat vt verbum carnem aſſumat, ſed vt nobis applicetur fructus eorum myſteriorum; Ita quoque in ſacrificio pro defunctis, quia tunc commemoratur dies obitus illorum, Eccleſia ita orat pro illis ac ſi tunc morerentur. Hic tamen *notandum* non poſſe certo definiri, an animæ deferantur ad iudicem, an ibi iudicentur vbi corpus relinquunt, an iudicentur immediate à Chriſto in forma humana ſententiam proferente, an ſolum

Digitized by Google

num diuina virtute quæ vbique præsens est, an vero per Angelos sententia manifestetur, quia etiam ante Christi incarnationem iudicium particulare exercebatur. Vnde non videtur probabile nedum certum, quod Innocentius III. affirmat Christum in forma crucifixi apparere omnib. morientibus, tam bonis, quam malis.

Innoc. lib. 2. de con temp. mũdi c. vlt.

3. OBIICIVNT & istud hæretici quod Ecclesiast. ait cap. 9. *Quodcumque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus nec ratio, nec sapientia nec scientia erunt apud inferos quo tu properas*: videtur Sapiens his verbis significare, nullum esse remedium in alio seculo. Id quod & Paulus innuere videtur cum 2. Corinth. 5. dicitur, *Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit in corpore*: sed ea quæ fiunt post mortem homo non gerit in corpore, ergo nullum restat remedium culpæ post hanc vitam. Respondet Gregor. *lib. 4. dial. cap. 39.* quod qui remissionis & purgationis locum inueniunt in futuro seculo, nihil recipiant nisi quod gesserunt in corpore, id enim meruerunt benevivendo in hac vita vt etiam post mortem purgari & aliorum precibus iuuari possent. Qua ratione etiam sancti viri post mortem etsi nihil proprie mereantur, tamẽ impetrant à Domino quicquid postulant, quoniam id meruerunt in hac vita recte viuendo, vt etiam post hanc vitam à Domino exaudirentur. Et merito nos monet Ecclesiastes, vt instanter operemur, quicquid potest manus nostra, quia vt dicitur Ioan. 9. *Venit nox & nemo potest operari*, post hanc vitam non est amplius locus merendi aut demerendi: Mortui nihil valent ad id adiicere, quod semel secum tulerede vita, inquit Hieron. *in cap. 9. Ecclesiast.* Quia post hanc vitam non superest tempus operandi sed præmium aut pœnas recipiendi, teste August. *cap. 12. de prædest. sanct. & cap. 110. Enchiridi.* Quocirca, *inquit*, hic omne meritum comparatur quo possit post hãc vitam releuari aliquis vel grauari: Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cum obierit apud Deum promereri, *hæc ibi*. Dicitur tamen perfici anima in purgatorio, non quod ei aliquid addatur quo ad augmẽtum gratiæ, est enim qualibet anima in purgatorio existens perfecta in charitate & quo ad hoc non est iam in via sed in termino, quia virtus eius ibi non augetur amplius: sed perfici dicitur quia aufertur rubigo peccatorum, sicut aurũ in fornace fit lucidius, non quia illi aliquid additur, sed quia terra aufertur: Perficietur vero eius charitas in gloria, vbi tanta erit vt amplius peccare non possit.

4. ALLEGANT & Ecclesiasten hæretici qui *cap. 11.* sic habet. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Non igitur, inquiunt, datur tertius locus, id est, Purgatorium, vnde aliquando exeundum sit. Id quod & ex *August.* confirmant *lib. 5. hypognost.* vbi sic ait, Primum locum fides Catholicorum diuina auctoritate credit, regnum esse cœlorum: secundum gehennam, vbi omnis apostata æterna supplicia experietur: tertium penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis sanctis inueniemus: Idem habet *lib. 1. cap. 28. de pec. mer. & remiss.* Dico prædicta loca non magis officere assertioni purgatorii, quam assertioni limbi Patrum, quem ante Christi passionem fuisse certo constat: qui tamen tertius locus non fuit ad sensum Augustini, qui loquitur de locis æternis: Scribit enim contra Pelagium, qui inuenerat tertium locum pro paruulis nõ baptizatis, quos volebat fore beatos quadam naturali beatitudine extra infernum & extra regnum cœlorum: sic nec purgatorium dici debet tertius locus quia non erit æternum, Vt enim Aug. ait *lib. 21. de ciuit. cap. 16.* Purgatorias pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremendumque iudicium, in quo Dominus dicit *Matth. 25.* solum duos hominum ordines futuros, vnum beatorum, alterum damnatorum. Et quia animæ quæ iã in purgatorio degunt, saluandæ sunt in die iudicii omnes, vt Beda testatur *li.* [illegible] ideo ad austrum cadere

dere dicuntur, quia in ſtatu gratiæ & charitate moriuntur, in quo perpetuo manebunt: ſicut ad aquilonem cadunt, qui in peccato mortali diem obeunt, vnde nunquam liberabuntur.

5. IAM videndum quid in animabus purgetur in purgatorio, an culpa an reatus pœnæ. Et id in primis obſeruandum quod per reliquias peccatorum quæ videntur purgandæ intelligatur vel fomes peccati, vel mali habitus cõtracti, vel reatus pœnę tẽporalis, vel peccata venialia: hæc enim ſola & omnia remanere poſſunt in homine iuſtificato ex iis quæ ad peccatum pertinent & proinde reliquiæ peccatorum dici poſſunt. Primum quod dicitur fomes tollitur in morte, quia tunc extinguitur ſenſualitas: Sed propter fomitem tollendũ, nõ eſt ponendum purgatorium, alioquin etiam pueri baptizati morientes deberent purgatorias pœnas pati, cum baptiſmus eis nõ abſtulerit fomitẽ. At Aug *lib. 21. de ciu. cap. 16.* diſerte docet eiuſmodi pueros nullas pati purgatorias pœnas. Mali autem habitus qui in voluntate exiſtunt, nõ neceſſario extinguuntur per mortem, quia ſunt in potẽtiis quę organo non ſunt alligatæ. Sed nec propter huiuſmodi habitus conſtituendum purgatorium: nam alioqui ſequeretur adultos, qui poſt multos malos habitus cõtractos baptizantur & ſtatim moriuntur, vel certe pro Chriſto occiduntur, non poſſe ſaluari niſi per purgatorium, quia nec baptiſmus nec martyrium diſſoluit eiuſmodi habitus: videmus enim baptizatos adhuc habere eaſdem malas propenſiones, quas antea habebant, & oportere eos paulatim actibus contrariis eiuſmodi habitus tollere. Credibile igitur eſt omnes iſtos habitus tolli per primum actum contrarium animę ſeparatæ, quam ſtatim à ſeparatione elicit. Quanquam n. hic non poſſit vno actu deſtrui habitus contractus per multos actus, tamen ibi poterit, quia actus ille multo vehementior erit, cũ anima tũc fiat potentior qu[illegible]tum ad actus ſpirituales, nec habeat [illegible]utarium aut reſiſtentem vt hic habet. Reſtat ergo reatus pœnæ & peccata venialia quæ propriè dici poſſunt reliquiæ peccatorũ, ob quas eſt Purgatorium. Et dicit Tho. *in 4. d. 21. q. 1. a. 2.* dimitti in purgatorio culpas veniales per actum dilectionis & pœnitentiæ: illa enim acceptatio pœnæ à Deo inflictæ, cum ex charitate prodeat, dici poteſt virtualis quædam pœnitentia: & licet non ſit proprie meritoria, quia non meretur gratiæ vel gloriæ augmentum, tamen eſt remiſſoria peccati.

III. Quomodo ſuffragia Eccleſiæ proſint defunctis.

1. POSTREMO explicãdum hic quomodo ſuffragia Eccleſiæ proſint defunctis: Et inprimis Sanctos cum Chriſto regnantes orare pro animabus in purgatorio laborantibus, patet ex Auguſt. *lib. de cura pro mor. ca. 4.* vbi dicit ad hoc prodeſſe mortuis ſepulturam in Baſilicis Martyrum, vt qui recordatur mortui, ſimul recordatur martyris, & eius precibus animã mortui commendet: & Eccleſia tota in illa oratione, *Deus veniæ largitor*, &c. ſupplicat Deo, vt B. Maria intercedente & omnibus Sanctis animas defunctorum ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedat. Et quanquam neſciant viui vbi ſint defuncti, an in cœlo, an in inferno, an in purgatorio, non tamen fruſtra etiam ipſi pro mortuis orant, quia vt Auguſtin. dicit *lib. de cura pro mor. ca. vlt.* Melius eſt vt ſuperſint ſuffragia iis qui non egent, quam vt deſint iis qui egent. Et opus bonum quod fit nunquam fit fruſtra, nam eſt meritorium facienti, etiamſi nihil prodeſſet ei pro quo fit. Et hæc quoque ratio cur in anniuerſariis oret Eccleſia pro iis qui à centũ aut amplius annis mortui ſunt, vt ſi non proſit iis proſit tamen facientibus: vt interim taceam quod hic neſciat homo quamdiu anima detineatur in purgatorio, an decem an centum annis imo Beda *lib. 5. hiſt. cap. 13.* ſatis indicat quaſdam animas vſque ad diem iudicii in purgatorio manſuras, [illegible] plurimæ iuuentur precibus Eccleſiæ, & potiſſimum ſacrificio altaris vt etiã ante diem iudicii libe-

liberentur. Sicut etiam fieri potest vt extensio pœnæ compensetur eius intensione quod futurum arbitramur circa finem seculi, circa eos qui tunc purgabuntur.

2. Ad hoc vt quis suis suffragiis defunctos iuuet, iustus sit oportet, homo enim iniustus non potest pro se satisfacere, multo minus pro aliis: quanquam [illegible] rim Missa mali sacerdotis prosit def[illegible] non ex propria sua deuotione quam n[illegible] habet, sed ex virtute sacrificii quod per se valet plurimũ ex Christi institutione sicut & sacramenta. Est autẽ obseruandũ quod Ecclesiæ suffragia solũ prosint iis qui sunt in purgatorio, non autem beatis aut damn[illegible] pro valde bonis gratiarum sunt [illegible] inquit August. *ca. 1. lib. de cura pro mor.* cum enim offertur sacrificium Deo pro apostolis aut martyribus, sacrificatur pro eis, non vt iis aliquid petamus, sed vt pro gloria illis collata Deo gratias agamus. Et cum Ecclesia petit gloriã Sanctis qui iam sunt in gloria, non petit vt illi in gloria crescant, sed vt apud nos gloria eorum crescat, & toti mundo gloria eorũ innotescat, & illi vbique magis & magis glorificentur. Pro valde malis autem, seu damnatis, Ecclesiæ suffragia nulla sunt adiumenta, sed possunt esse qualescumque viuorum consolationes: Sed pro non valde malis sunt propitiationes & expiationes. Vnde Ambr. *lib 2. De fide resurrectionis* hortatur parẽtes vt portionem hæreditatis, quæ ad filios mortuos pertinebat, spiritibus ipsorum per eleemosynas pauperum trãsmittant: Nam potissimum prosunt suffragia ijs pro quibus in particulari offeruntur. Communia autem suffragia quæ fiunt pro omnibus defunctis, prosunt etiã omnibus, quia nulla est causa cur aliqui excludantur. Hinc August. *cap. 4. lib. de cur. pro mor.* dicit ideo Ecclesiam orare interdum pro defunctis omnibus in genere, vt quibus desunt parentes vel amici, qui pro eis orent, & proinde remanẽt auxilio destituti, habeant saltem auxiliũ à communi matre quæ est Ecclesia. Carpũt nos hæretici quod nullũm finẽ faciamus orandi pro mortuis, & signũ esse diffidentiæ easdẽ preces toties iterare die 3. 7. 30. & in anniuersariis, sepulturis & exequiis: & superstitionis nos arguũt dum mortuis candelas incendimus & thurificamus & alias cæremonias adhibemus. Quibus respondemus non esse signum diffidentiæ repetere sæpius easdem preces, sed desiderii & feruoris, & arduitatis negotii, quod diuturnas & crebras exigit preces, eo quod defuncti multis & variis obnoxii sint reatibus, quos dum viuerent contraxerunt & non exoluerunt: Et nihilominus iis tanquam filiis lucis candelas extendimus, & thurificando nosipsos ad deuote orandum pro iis excitamus: Et hæc non esse noua, sed antiqua instituta.

PARS III.

Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur. 2. Machab. 12.

Summa Articulorum III. Partis.

I. *Iuxta delictorum modum erit & modus plagarum, etiam in purgatorio.*

II. *Sanctorum cura & solicitudo hic pœnis satisfactoriis futuras exoluere.*

III. *Sanctorum mors pretiosa, peccatorum pessima, infirmorum toleranda.*

1. ANTE annos fere sexcentos tempore Ioannis XVII. Pontificis solennis & generalis hæc defunctorum commemoratio instituta est, *inquit Ioannes Lopes Epis. Monopol. to. 4. in commemo. fidel. defunct.* Quam olim Odilius Abbas Cluniacensis in suo iusserat Cœnobio celebrari, teste eodem, hac motus ratione, quod dũ Monachus quidam aduenisset ad conuentum ipsius, — ART. I. Pœnæ purgatorii cõmensurãtur peccatis.

ipsius, & retuliſſet quo modo Hieroſolyma veniens ad montem Æthnam repererit S. Eremitam ad illius montis radicem vitam agentem, qui frequenter audiebat dęmones clamantes & eiulantes, eo quod Cluniacenſes Monachi animas incendiis deputatas in eo monte, vbi ignis & incendium iſtorum cruciatuum efflabatur, ſacrificiorum & orationum ſuarum virtute frequenter eriperent. Odilius hæc audiēs Deo gratias egit cunctis præcipiens fratribus vt frequentioribus & feruentioribus orationibus iuuarent fidelium animas. Hæc ille.

2. Qvod Deuteron. 25. dicitur, *Iuxta menſuram delicti erit & plagarum modus* locum habet & in hac vita ex parte, perfectiori modo in purgatorio, ſed pleniſſime in inferno. De pœna huius vitæ dicit Pſalmiſta *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura.* (Pſal. 79.) Menſura autem hæc erit, *inquit Origen.* quam ſibi quiſque vel minorem vel ampliorem peccando quæſierit. (Orige. hom. 5. in lib. Nu.) Neque enim parem meretur aut luet pœnam qui ſolum ſemel & qui frequentius peccauit: aut qui pugnando hoſtem vicit, & nihilominus quia immundum tetigit pollutus eſt, æqualem patietur pœnam cum eo qui non reſiſtendo victus eſt. Erit quidem beatus qui hoſtem vicit, ſed quia pugnando immundum tetigit pollutus eſt & purificatione indiget antequam caſtra aut ſanctam ciuitatem ingredi poſſit. Cuius rei figuram habemus *Num.* 31. vbi filii Iſrael pugnantes contra Madianitas eos vicerunt, & in hoc Deo placuerunt facientes eius voluntatem, tamen hoc ipſo quod pugnauerunt contra aduerſarios immundi erant, vt propterea dictum ſit ad eos, *Et lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptima, & mundi eritis, & poſt hæc intrabitis in caſtra.* Simili modo, *inquit Origen. hom. 5. in Numer.* cum tempus belli nobis ſit in hac vita, pugnandum nobis eſt aduerſus Madianitas, hoc eſt, *inquit,* aduerſus dæmones & aerias poteſtates, quos dum vincimus ſalui quidem erimus, ſed quia pugnando maculas contrahimus, dum cogitationes immundas quas cordi ingerunt, licet abiiciamus & calcemus, non ita tamen puri permanemus, ideo purgatione egemus, & ſeptima die quæ futuræ vitæ deputatur, abluere oportet veſtimenta, & purgare lachrymis ſua opera, aut etiam igne exuri ſi quis vſtione dignus inuentus fuerit: Et ſic intrabimus in ſanctā ciuitatem in quam nihil coinquinatum introire poterit. *hæc Origen.*

3. In illo purgatorio igne tamdiu moras habebimus, *inquit Auguſt.* quamdiu peccata minuta, tanquam ligna, fœnum (Auguſt.) ſtipula, conſumantur, quia ſcriptum eſt (ſer. 41.) Matth. 5 *Eſto conſentiens aduerſario tuo cito* (de ſanc.) *dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduerſarius iudici, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exibis inde donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Quem locum *Tertullian.* & *Cyprian.* de purgatorio interpretantur, vt ſupra dictum eſt. Cæterum aduerſarius dicitur is qui aut nobis aduerſatur, aut cui nos aduerſamur, ſiue Deus is ſit ſiue homo. Deo aduerſamur dum legem eius transgredimur: aduerſatur autem & is nobis dum pœnam ſecundum legem tranſgreſſoribus ſtatutam, aut minatur aut infligit. Sic & proximus noſter aduerſatur nobis, dum vel ipſe nobis, vel nos ipſi iniuriam facimus, ſiue ea magna ſiue parua fuerit. Omnis iniuria quam vel Deo vel proximo inferimus, ex parte noſtra tolli debet, nec id ſolum, ſed & amicitia cum Deo, & fraternus amor cum proximo redintegrari, tanquam nulla commiſſa eſſet iniquitas. Hinc fit quia pœnam pro peccatis noſtris debitam Deo exacte non exoluimus, nec redimimus aut exoramus, quod quamdiu illa exoluta non fuerit, ille aduerſetur nobis, quia pœnam quam peccatis noſtris etiam quotidianis commeruimus, nobis infligere decreuerit, & ex ea parte aduerſatur nobis.

4. Scriptvm eſt enim Pſal. 58. *Non miſerearis omnium qui operantur iniquitatem.* Quis ad conſcientiam ſuam rediens, ver-

ba

Digitized by Google

ba hæc non exhorreſcat, *inquit Auguſtin.* exponens hæc verba, cum nullus ſit abſque iniquitate. Nulla autem peccata omnino impunita relinquit Deus, ſed omnis iniquitas ſiue ea parua ſiue magna fuerit, puniatur neceſſe eſt, aut ab ipſo homine pœnitente, aut à Deo vindicante. Ergo fratres puniamus noſtra peccata ſi quærimus miſericordiam Dei. Non poteſt Deus miſereri omnium operantium iniquitatem, quaſi blandiens peccatis ſiue peccatoribus, aut non eradicans peccata: prorſus aut punis aut punit, vis non puniat? puni tu: nam illud feciſti quod impunitum eſſe non poſſit, ſed à te puniatur potius, quia *horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis*, ideo præuenias faciem eius in confeſſione. Quid eſt Præueniamus faciem eius in confeſſione? Antequam ipſe attendat vt puniat tu præueni confitendo & puni; quia non poteſt relinqui impunitum peccatũ, quia verum eſt, *Nõ miſerearis omnium qui operantur iniquitatem.* Cum tu punis iniquitatem, facis æquitatem, & ideo tui miſerebitur Deus, quia iam te æquitatẽ operantem inuenit Dominus. Quid eſt operantem æquitatẽ? quia hoc odiſti in te quod ille odit, vt incipias placere Deo dum hoc in te punis quod diſplicet Deo: puni te vt ille non inueniat quod puniat in te. Non poteſt vt non puniat peccatum Deus, quia virga directionis eſt virga regni illius. Si puniẽdum non eſſet nec peccatum eſſet. Si non vis vt puniat ille, tu præueni eum & te puni: Ideo enim adhuc ipſe parcit & acum ſeu minas intendit, vt punire non cogatur, ſed te terreat vt teipſum punias: ipſe punitionem differt, tu differre noli. Nam quod ſtatim in peccatores non vindicat, patientia eſt non negligentia, Non ipſe potentiã perdidit, ſed vos ad pœnitentiam reſeruauit. Vnde valde timendum eſt, ne quanto diutius expectat vt corrigamur, tanto grauius vindicet ſi emendari noluerimus. O ſi iam nunc faciem peccatricis animæ liceret oculis carnis intueri, dici nõ poſſet, *inquit Auguſt.* quanto ſtudio quãtoque metu vrgeremur fœdata componere, maculata tergere, vulnerata curare: *hactenus Auguſtinus.* ſerm. 20. de verb. Apoſt.

5. DICET fortaſſis aliquis, *inquit Auguſtin.* Parũ fuerit quamdiu moras in purgatorio traham, modo ad vitam æternam perueniã. Nemo hoc dicat, fratres, *inquit Auguſt.* quia illa pœna purgatorii durior eſt quam quicquid poſſit in hac vita ſentiri. ſerm. 41. de Sanctis.

Quod tamen ſic intelligit *Bonauent.* ſi maxima pœna purgatorii cõparetur maximæ pœnæ huius vitæ: alioquin non videtur veriſimile quod quis pro verbo otioſo aut leui riſu, in purgatorio maiorem cruciatũ patiatur, quã fures & latrones pro ſcelerata ſua vita in hoc ſeculo. Nihilominus hoc aduertere oportet quod ibidẽ non pro vno duntaxat peccato quis pœnam luat, ſed pro omnibus ſimul, quorum reatus non fuerit hîc expurgatus atque expiatus: & hoc durum erit & graue ſuſtinere, vt propterea dictum exiſtimem, *Pſal.* 80. Erit dies vnus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies vnus: loquitur enim ibi Pſalmiſta, *teſte Auguſt.* de die iudicii, in quo qui euehentur ad gloriam, mille anni erunt eis præ gaudii magnitudine tanquam dies vnus, & qui damnabuntur ad pœnam erit dies vnus præ pœnæ magnitudine tanquam mille anni. Et vnde ſcit aliquis, vtrum per plures dies, menſes aut etiam annos, ibidem hærere debebit? *inquit Auguſt. loco ſupradicto.*

II. Pœnę ſatis factoriæ nunc vltro aſſumẽdæ ne poſtea nos maneant grauiores.

LABORET quiſq; totis viribus, *inquit Auguſt. ſerm. 41. de Sanctis*, vt capitalia crimina poſſit euadere, & minuta peccata bonis operibus ita redimere vt de ipſis nihil videatur remanere, quod ille ignis poſſit adurere. Hic antiquorum indefeſſus labor & ſolicitudo erat, operibus ſatisfactoriis ſedulo incumbere, vt pro tẽporali pœna, quæ, peccatis in confeſſione remiſſis, reſtat luenda, plene quantum poſſent, ſatisfacerent, qui ne Deum experirentur vltorem, vltricemque & grauem manum eius in purgatorio ſentirent, ipſi lachry-

chrymis, ieiuniis, ciliciis, orationibus, remiſſioni pœnarum impetrandæ erant intentiſſimi. Sic regius Propheta Dauid, qui velut viuum pœnitētiæ exemplar omnibus pœnitentibus ob oculos ponitur, licet audiuiſſet à Propheta peccatū ab eo translatum, lauabat nihilominus per ſingulas noctes lectum ſuis lachrymis, humiliabat in ieiunio animam ſuam, poculum cum fletu miſcebat, rugiebat à gemitu vocis ſuæ, os carni adhærebat, prout de ſe teſtatur in varijs Pſalmis. Ad quid iſta? vt pro pœnis adhuc reſtātibus, licet peccata iam dimiſſa eſſent quo ad damnationē & mortem æternā, Deo ſatisfaceret, hoc ſibi perſuaſum habens quod apud Deum facilius quis impetret & conſequatur remiſſionē pœnæ gehennæ quam purgatorii. Sic Magdalena, quæ à Domino audierat, *Dimiſſa ſunt ei peccata multa quoniam dilexit multum*, antrum elegit inacceſſum agendæ pœnitētiæ accommodatum, vbi ieiuniis, vigiliis, orationibus vacans, omniū mortalium ſolatio deſtituta, digna fuit angelorum conſortio, à quibus ad audiendas diuinas laudes quotidie in aera eleuabatur. Sed ad quid tam auſtera vita? eo quod nec ipſa ſine venialibus viueret, quorum pœnam aut exorabat quotidie, aut exoluebat & dura ſua pœnitentia expiabat: An vero ex præcedenti vita, quam in ſeculo traduxerat ſatis impuram ante ſuam conuerſionem, quippiam adhuc reſtiterit exoluendum, pro quo tam magnam egerit pœnitētiam, diſcere quam docere malim. Hieronymus quoque ſacco indutus deſerta penetrauit Syriæ, vbi humi cubans herbarum radicibus victitans, & carnem diris excipiens verberibus lachrymis madens, placare Dominum nitebatur, pœniſque debitis ei ſatisfacere ſatagebat.

Hier. epiſt. 27.

4. IDEM *Hieron.* cum Paulam precaretur vt lachrymas temperaret ne viſum flendo amitteret, ſed parceret oculis, eoſque Euangelicæ lectioni ſeruaret, Reſpōdebat ipſa. Turpanda eſt facies quam cōtra Dei præceptum purpuriſſo ſæpe depinxi, affligendum corpus quod multis vacauit deliciis, longus riſus perpeti compenſandus eſt planctu: mollia linteamina & ſerica, pretioſiſſima aſperitate cilicij commutanda: quæ Paula ac ſi grauiſſimorum ſcelerū eſſet rea, incredibili aſperitate, tectis deauratis Romæ derelictis, in antro Bethleemitico diluere nitebatur quicquid in Deū deliquiſſet. Quæ vidit Ioānes Climacus, quæ Caſſianus in deſertis Palæſtinæ, Nitriæ, Ægypti, humanum certe excedunt intellectū. Erat enim in Sanctis acris quædam & continua pœnitentia nedum pro criminibus ſed & pro leuioribus delictis: ſciebant enim peccata neceſſario puniēda aut à Deo aut ab homine. Et quia Chriſtianorum hominum huius temporis pœnitentiæ leues ſunt admodum, & ſatisfactiones exiguæ, peccata vero multa & grauia ſubinde, purgandæ ſunt animæ in futuro ſeculo, quæ hic lachrymis ablutæ puritatem integram non ſunt conſequutæ: *Ibi erit Dominus quaſi ignis conflans, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum, vſque ad purum*, vt dicitur Malach. 3.

5. IAM inquirendum quæ ſint iſta peccata quæ iſto igne purgatorio (de quo Paulus 1. Cor. 3. *Ipſe ſaluus erit ſic tamen quaſi per ignem*) purgabuntur. Per iſtum ignem enim non capitalia crimina, *inquit Auguſtin.* qualia ſunt homicidium, adulterum, rapina, ſuperbia, auaritia, inuidia, iracundia ſi longo tempore teneatur, & ebrietas ſi aſſidua ſit, purgantur: Quicumque enim aliqua de iſtis peccatis in ſe dominari cognouerit, niſi digne ſe emendauerit, & ſi habuerit ſpatium longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemoſynas erogauerit, & à peccatis ipſis abſtinuerit, illo tranſitorio igne, de quo *Paulus*, purgari non poterit, ſed æterna illum flamma ſine vllo remedio cruciabit, *inquit Auguſt.* Minuta igitur peccata quæ iſto igne purgantur, ſunt, quoties aliquis in cibo & in potu plus accipit quam neceſſe ſit: quoties plus loquitur quam oportet, aut plus tacet quam expedit: quo-

Auguſt. ſer. 41. de ſanc.

Digitized by Google

quoties pauperem importune petentem exaſperat: quoties cum corpore ſit ſanus, alijs ieiunantibus prandere voluerit, aut ſomno deditus tardius ad Eccleſiam ſurgit quoties excepto deſiderio filiorũ, vxorem ſuam cognouerit: quoties infirmos tardius viſitauerit: ſi diſcordes ad concordiam reuocare neglexerit: ſi plus aut proximum, aut vxorem, aut ſeruum, exaſperauerit quam oportet: ſi amplius fuerit blanditus quam expedit: ſi cuicumque maiori perſonæ aut ex voluntate aut ex neceſſitate adulari voluerit ſi pauperibus eſurientibus cibum non dederit, aut nimium delicioſa aut ſumptuoſa ſibi cõuiuia præparauerit: ſi ſe in Eccleſia aut extra Eccleſiam fabulis otioſis, de quibus in die iudicii ratio reddenda eſt, occupauerit: ſi cũ facilitate aut temeritate maledicimus: ſi aliquid mali temere de proximo ſuſpicemur. Hæc & his ſimilia, quæ vix enumerari poſſunt, *inquit Aug.* ad minuta peccata pertinere non dubium eſt, à quibus non ſolum populus Chriſtianus, ſed etiam nullus Sanctorum immunis eſſe potuit aliquando aut poterit.

4. QVIBVS peccatis licet occidi animã non credamus, ait, ita tamen eam velut quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie repletam deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius ſponſi cœleſtis aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant, de quo ſcriptum eſt, *Aptauit ſibi Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam.* Et ideo continuis orationibus & frequentibus ieiuniis, & largioribus eleemoſynis, & præcipue per indulgentiam eorum qui in nos peccant aſſidue redimantur, ne forte ſimul collecta cumulum faciant & demergant animam. Quicquid enim de iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo dixit Apoſtolus, Quia in igne reuelabitur. Aut enim in hoc mundo viuimus, ipſi nos per pœnitentiã fatigamus, aut certe volente aut permittente Deo multis tribulationibus pro iſtis peccatis affligimur, & ſi Deo gratias agimus liberamur. Quod ita fit, ſi aut amicus moritur, aut ſi ſubſtantia quæ à nobis pluſquam oportet amatur aufertur, licet plus Chriſtum quam ipſam ſubſtantiam diligamus, ſi enim neceſſitas fuerit mallemus ipſam ſubſtantiam perdere, quam Chriſtum negare, tamẽ, quia ſi plus eam quã oportet diligamus, amittere eam aut dum viuimus, aut dum morimur, ſine dolore non poſſumus: Et tamẽ ſi Deo qui illam à nobis auferri velut pius pater permittit, tanquam boni filii gratias agamus, & minus non pati quam meremur cum vera humilitate proferamus, ita peccata ipſa in hoc ſæculo purgantur, vt in futuro ille ignis purgatorius aut non inueniat, aut certe parum inueniat quod exurat. Si autem nec in tribulationibus Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipſi tãdiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quãdiu ſupradicta peccata minuta tanquam ligna, fœnum, ſtipula conſumantur. *hæc Auguſt.*

Ephe. 5.

1. DE Sanct's legimus Pſalm. 115. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Pretioſi ab hominibus dicũtur lapilli quidem floridis interſperſi & ſublucẽtes coloribus, itẽ quo modo apud homines magni fiunt gemmæ pretioſæ quib. Regum diademata ornari ſolent. Ita *inquit Baſil.* cum anima ab inquinamento carnis emancipata nullam in ſe retinentes maculam aut rugam, inſignita corona iuſtitiæ, & admirabili decore virtutis interlucens, Domino ſuo ſe præſentauerit, lapide omni pretioſo longe rutilantior, Dei munere eam adepta claritatem, quonam pacto non cenſeri debeat pretioſa hominis iſtius mors in conſpectu Domini? expendit hoc loco *Baſilius* gloriam Martyrum, quorum non ſolum animæ mox coronantur in cœlis, ſed etiam reliquię corporum in maximo pretio habentur in terris: Antea ſiquidem qui tangebat cadauer hominis, immun-

De morte. ſanctorũ, peccatorũ, & infirmorum.

hom. 17. in Pſal. 115.

immundus erat: Nunc autem qui ossa martyrum contingit, sanctificationem acquirit. Itaque preciosa est mors sanctorum, non item preciosa natiuitas eorum, Nam teste Apostolo 1. Cor. 15. *seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Iste enim in mundum ingressus noster per ignominiam fit sordentis eluuiei, *inquit Basil.* ac fœdi odoris, & quorum ne prospectum quidem vllus facile tolleret. Cōtra exitus atque hinc migratio preciosa est & illustris: Hinc morientib. sanctis exultamus, & circum ipsorum sepulchra veluti choreas ducimus, *inquit Basil. homil. 18. ex 29. variis.*

2. NAM sicuti si Rex quempiam vocet ad regnum ad coronā, nō luctus sed gaudii subministratur materia, Ita dū angeli cæli veniunt, illinc missi ab ipso Rege Deo vt conseruum suum vocent ad regnum cæleste, non plorandū sed gaudendum, quia anima domo sua relicta lutea pergit ad palacium aureum, festinat spōsa ad sponsum, vadit è tenebris ad lucem, soluitur quasi à vinculo & libertati suæ datur, quasi è certamine egreditur, vt pace æterna fruatur, & anima relinquens corpus cum pura conscientia fulget clare, & sicut sol mundus & fulgidus ascēdit, Putas in quanto tunc stupore, in quanta admiratione & voluptate futura sit anima *inquit Chrysō. hom. 21. in Acta.*

3. NEQVE interim omnium talis est mors, sed eorum qui vitam hanc suam sancte & iuste traduxerunt. De cæteris ait Psalmista, *Mors peccatorum pessima:* Ne putarent impii suos quoque cruciatus & miserias in morte finiri, quod Athei, vel qui Dei prouidētiam, aut animæ immortalitatē non credunt, sibi falso persuadēt, adiungit Propheta, *Mors peccatorum pessima*, quia videlicet initium erit cruciatuum æternorum, sicut mors Sanctorū preciosa est, quia requiem & gloriam inchoat sempiternam. Quæri tamen posset, quomodo mors peccatorum sit pessima, cum peior sit culpa quam pœna: Nam per pœnam patitur quidem aliquis malū, sed per culpam facit & infert quis malum: Peius autem est malum facere quam malum pati, quia qui facit malum, malus est, sed qui patitur malum nō ideo malus est: Si tibi male est, quia malū pateris, vtpote febrē aut pestē, quanto tibi peius erit, si etiā malum feceris: cum per hoc fiat quis malus, non autem per illud. Dicit itaque Psalmista, *Mors peccatorum pessima*, non per comparationem ad culpam, tanquam pœna culpa peior sit, cum pœna quia iusta est à Deo sit, sed quia mors peccatorum initium est multorum dolorum Quantas putas miserias sunt passuri qui non sibi, sed voluptati, luxuriæ, auaritiæ, diabolo & peccato, vixerunt? Certe in his locum habet quod Psalmista ait, *Multa flagella peccatorum.* Quicumque enim aliqua de istis peccatis, seu capitalibus criminibus, vtpote sacrilegio, homicidio, adulterio, falso testimonio, furto, rapina, superbia, inuidia, auaritia, & similibus in se dominari cognouerit, nisi digne se emendauerit, & si habuerit spatium, longe tempore pœnitentiam egerit, *inquit Augustin.* & largas eleemosynas erogauerit, & a peccatis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illum flamma sine vllo remedio cruciabit: Falsi an. de securitate decipiuntur, dum credunt quod si supra fundamentum Christi capitalia crimina ædificent, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad vitam æternam peruenire. Intellectus iste corrigendus est, quia ipsi seducuntur, qui taliter sibi blandiuntur. *hactenus Augustin.*

4. VERE mors illa mala est quam æterna sequitur pœna, illa lachrymis digna Hos peccatores plange, non tu solum sed ciuitas tota, tanquam eos qui ad mortem ducuntur & mortem sempiternam. De his enim scriptum est. *Iob. 3. Maledicta dies in qua natus sum, dies ille vertatur in tenebras, maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare leuiathan:*

quia

quia non concluſit oſtia ventris qui portauit me, nec abſtulit mala ab oculis meis: quare miſero data eſt lux? Plerique hominum ſub cælo carnalem hanc ſolam diligentes vitam, & ſola amantes bona externa, diē natiuitatis ſuæ delectabiliter celebrare ſolent, nam hanc exiſtimant portionem ſuam atque hæreditatem, Diē vero mortis ne nominari volunt. Sanctorum vero memorias, quin & amicorum noſtrorum in Domino morientium, agimus, nō diem natiuitatis eorum celebrando, quia illa dies omnium tribulationū, miſeriarum & dolorum, quin & omnium peccatorum & iniquitatum initium eſt & introitus, ſed diem mortis eorum quando hinc exiuerunt, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam conſummationē in fide poſtulantes, memores iſtius quod ſcriptum eſt, *Beati mortui qui in Domino moriuntur, à modo enim iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis.*

Chryſo. hom. 41. in epiſt. ad Corin.

5. QVOD ſi infimus mortuus eſt, lætandum eſt, *inquit Chryſoſtom.* quod malitia eius abſciſſa eſt: & ea facienda quæ ei aliquid conferre poſſunt eleemoſynæ, orationes, preces. Non eſt temere hoc excogitatum, inquit, nec fruſtra memoriam mortuorum inter ſacra myſteria celebramus, ſed vt his conſolatio hinc aliqua ſit: Nec temere qui altari aſſiſtit inter horrēda myſteria clamat, Pro omnibus in Chriſto quieſcentibus. Opitulemur his igitur & memoriam pro illis faciamus: Nam ſi Iob filios victima purgauit, quid dubites è nobis quoque, ſi pro dormiētibus offeramus, ſolatii quiddā illis acceſſurum? Et ſi filius cōmuni morte amittitur qui ſit vnicus & multum dilectus, nō lachrymis illum proſequere, quia illæ nihil iuuant vt reuiuiſcat aut vt ſaluus fiat, quin potius magnanimitatem Abrahæ ante oculos pone, *inquit Orige.* qui tantū conſtantiæ, tantum animi robur habuit, vt iuſſus à Deo etiam proprium filium occidere, & Deo offerre paratus fuerit. Et quidē à te non exigitur, vt ipſe alliges filiū & occidas, mente ſaltē cōſtans eſto, vt ſi cōmuni morte omnib. debita hinc abripiatur, non ægro id animo feras, quia teſte Eccle. cap. 7. *Melior eſt dies mortis die natiuitatis.*

Origen. hom. 21. in c. 22. Gen.

6. DICES forte, Scio ſcriptum eſſe Pſal. 111. *In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit*, quæ erit, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*; & alibi, Sap. 4.
Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit: Sed non mihi conſtat de iuſtitia infirmi, ergo non minus metuere debeo eius damnationem quam ſperare ipſius ſalutē, quia in re dubia, prudentis viri eſt non minus metuere quam ſperare. Dico quod hic nō poſſit haberi ſcientia demōſtrationis de ſalute infirmorum, poteſt tamen haberi probabilis, & illa nobis ſufficere debet, quia hic oportet cū timore & tremore operari ſuam ſalutem, nec expedit nos hic eſſe ſecuros & certos de ſalute, quia ex eo facile inuaderet hominē aut ſpiritus elationis, aut negligentiæ: Probabilis autem ſcientia nos magis cōfidere quam timere facit, quia ſi nos Deus noſter vellet punire, non nos ante tot ſecula commoneret, *inquit Aug.* Propterea ſer. 38. de
a. irreuocabilis illa ſententia, Diſcedite à Sanctis.
me maledicti, à piiſſimo Deo multo ante prædicitur vt à nobis totis viſceribus caueatur. Inuitus quodammodo vindicat, qui quomodo euadere poſſimus multo ante demonſtrat. Non enim te vult percutere qui tibi clamat, Caue. Et rurſum cum ait *Matth* 25 iis qui erunt à dexteris, *Venite benedicti percipite regnum. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare:* A ſiniſtris autem poſitis dicturus eſt, *Ite maledicti in ignem æternum, Eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare.* Ergo nec illi qui ad dexteram erūt, ideo accipiunt regnum, quia nunquam peccauerunt, ſed quia peccata ſua mundare eleemoſynis ſtuduerunt. Et illi qui ad ſiniſtram erunt non ideo mittuntur ad ignem quia peccatores fuerūt, ſed quia peccata ſua eleemoſynis redimere noluerūt. Neque enim in ignem æternum mittuntur quia homicidia perpetrarunt aut adulteria cōmiſerunt,

runt, sed hoc solum audituri sunt, *quia esuriui & non dedistis mihi manducare.* Infirmi igitur si in malo opere perseuerare noluerint, & peccata perpetrata operibus misericordiæ redemerint, audituri sunt, *Venite benedicti patris mei, possidete regnum, Esuriui enim & dedistis mihi manducare.*

Aug. serm. 39. de San. 7. RECOGITEMVS itaque cuncta mala quæ fecimus, *inquit Aug.* vt minis æterni iudicis perterriti, ad vltimum saltem studeamus bona facere, quia reddet Deus vnicuique non secundum misericordiam suam sed secundum opera ipsorum, quia omnis homo cuius opera facit, eius filius est: si opera Dei facimus, eius filij sumus. Quod modo peccamus cito emendare debemus, & dum tempus habemus, laboremus quatenus à malis simus pœnitentes, aut per ieiunium, aut per eleemosynas aut per orationes. Nam terribilis ille dies in quo Dominus proponit venire cũ flamma ignis qui inflammabit eos qui faciunt iniquitatem. Et aduerte quod Dominus non dicat, Discedite à me omnes qui operati estis iniquitatem, sed sic dicit, *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem:* Si enim omnes reijceret qui operati sunt iniquitatem, quæ posset esse spes salutis? cum scriptum sit, *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei:* Sed qui in peccatis perseuerant & impræsentiarum iniquitatem operantur & amant, nec pœnitẽtia ducuntur, quin potius dolent, quod vt solent in peccatis se oblectare nõ possint, his dicit Dominus, *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Qui infirmi sunt & lapsi statim resipiscunt ac vera pœnitentia ducuntur, hi sub eorum numero non comprehenduntur, & ideo de eorum salute magis sperare quam timere oportet.

Rom. 3.

IN FESTO S. MARTINI.

NEMO *lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant, &c.* Luc. 11.

Summa Articulorum I. Partis.

I. *Homo interdum velut carbo accensus sibi soli lucet & ardet, interdum velut lucerna accensa etiam alios illuminat.*

II. *Quis lucernam accensam in abscondito vel sub modio ponere dicatur.*

III. *Quomodo lumen quod in nobis est tenebra sint.*

PARS I.

DIXIT Dominus Apostolis suis, Mat. 5. *Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi.* Dum consideramus quod sit opus salis, *inquit auctor imperfec. hom. 50. in Matth.* quod lucis, admonet nos Dominus vt quramus ob q̃ causam Apostoli sali sint cõparati, ob quam autem luci. Salis opus est rem in eo statu tenere in quo inuenerit eam, vt in deterius non mutetur, ad melius autem perducere non potest. Conseruat carnem sanam ne putrescat, non potest autem putridam efficere incorruptã lucis autem opus est ipsas fugare tenebras & ea quæ erant in tenebris illustrare. Sic Doctores sal quidem sunt populi Christiani iam cognoscentis Deum, seruantes eum in cognitione Dei & sanctitate, magis exemplo vitæ quam verbo doctrinæ: dum eos conspicit modestos, graues, sapientes, misericordes, & reliquis virtutibus præditos. Lux autem sunt gentium & peccatorum verbo doctrinæ eos ad agnitionem veritatis perducendo. Bona conuersatio

uerſatio ſacerdotis ſine verbo doctrinæ tenet quidem in ſanctitate ipſos ſanctos per vitæ exemplum: adducere autẽ ignorantem ad ſcientiam veritatis non ita poteſt: Sicut à diuerſo verbum doctrinæ ignorantem quidem à ſcientiam veritatis adducere poteſt etiam ſine conuerſatione bona, tenere autem in ſanctitate abſque bona conuerſatione nõ poteſt magis autem ſcandalizat. Ergo propter bonam cõuerſationẽ ſuam ſacerdotes ſunt ſal, quo conditur populus & ſapidus efficitur & à corruptione peccati propter bonum exẽplum præſeruatur: Propter verbum autem doctrinæ ſunt lux. Prius autem vocauit eos ſal, poſtea autem lucem, quia prius eſt bene viuere, deinde bene docere: ſicut ſcriptum eſt de Domino quod cœperit facere & docere.

2 Et hoc eſt quod à nobis exigit Dominus cum ait, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt*, quaſi dicat, ſic illuminate & docete, non vt verba veſtra tantummodo audiant homines, ſed etiã vt bona veſtra opera videant, vt quos illuminaueritis per verbum doctrinę quaſi lux, condiatis quaſi ſal per exemplum vitæ: quoniam qui facit, quod docet, ille vere docet, qui autem nõ facit, non alium docet, ſed ſeipſum cõdemnat. Et melius eſt facere & non docere, quam docere & non facere, quoniã qui facit etſi tacuerit, aliquos ſuo exẽplo corrigit: qui autẽ docet & non facit, non ſolum neminem corrigit ſed & multos ſcandalizat: Quis n. non moueatur ad peccandum, cũ viderit ipſos doctores pietatis peccantes? Ergo per illos quidẽ doctores, qui docent & nõ faciunt, blaſphematur nomẽ Domini, per eos aũt qui docent & faciunt, magnificatur Deus. Nam ſi bene doceant ſacerdotes & bene viuant, dicunt Gentes, vere eorum Deus iuſtus eſt & ſanctus qui tales habet ſeruos, niſi n. ipſe iuſtus eſſet, nũquam populum ſuum in iuſtitia ſic teneret, Diſciplina n. Domini ex morib. familiæ demonſtratur. Si autem bene doceant & male viuant, videntes dicunt, Qualis eſt eorum Deus qui talia agunt? Nunquid ſuſtineret eos talia facientes, niſi cõſentiret operibus eorum? *hactenus ille.*

3 Perquam facile eſt docere verbis, doce me vita tua, hæc doctrina optima eſt, *inquit Chryſ.* Non enim ſic animo inſident verba & opera: quoniam ſi non habueris opus bonum, non ſolum non proderis loquendo, ſed etiam plus nocebis, vtiliuſq; foret tacere. Quare? quia opus mihi proponis ac ſi impoſſibile foret: Cogito enim mecum ſi tu qui tanta loqueris non facis multo magis ego venia dignus ſum nihil tale dicẽs. Idcirco ait Propheta. *Peccatori dixit Deus quare tu enarras iuſtitias meas?* Maius n. hoc damnum quando bene quis docet, & doctrinam operibus impugnat. Hoc multorum in Eccleſia malorũ cauſa eſt. Multi vt in medium procedunt multa faciunt vt prædicent, & ſi plaudentẽ multitudinem habent, quaſi coronam adepti ſint, gaudent: Si autem cum ſilentio clauditur ſermo, triſtitia maior ex ſilentio quam ex mala vita. Hoc ſubuertit Eccleſias, *inquit Chryſ.* quod & vos non quæratis audire ſermonem qui compungere poſſit, ſed qui oblectet & tinnitu & ſtrepitu & verborum cõpoſitione, quaſi cytharędos & cantores audientes, de quib. Ezec. c. 33. *Audiunt te filij Iſrael, quaſi carmen muſicũ, quod dulci ſuauiq; ſono canitur.* Et idem fit ac ſi pater videns puerum quem tenere amat, ægrotum, ille frigida & quæ eũ delectent, porrigat, quæ autem ſunt vtilia minime curet: Hoc & nobis accidit, *inquit Chryſ.* Floſculus verborum & harmoniam curioſius ſectamur, non tam vt proſimus, quam vt in admiratione ſimus, non vt doceamus ſed vt oblectemus & plauſib. obtentis abeamus non vt mores componamus. Credite mihi quando inter dicendũ plauſum excito, per illud quidem tempus humanũ quiddam mihi accidit & diſtrahor & diffundor, vbi autem domũ redeo & intelligo plaudentes ſine fructu abiiſſe, ingemiſco & ploro, & quaſi fruſtra omnia dixerim ſic afficior, mihique ipſi dico,

Auct. ope. imperf. Chryſ. ho. 30. in Acta

Pſalm. 49.

Quæ sudorum meorum vtilitas, vt auditores e verbis meis nullum fructum accipiunt? *hæc Chrysost.*

4 QVANDO Dominus ait, *Nemo accendit lucernam & in abscondito aut sub modio ponit, sed supra candelabrum vt qui ingrediuntur lumen videant*, de lucerna ad aliorum illuminationem accensa agit: Cum vero subiungit, *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, agit de lucerna vniuscuiusq; propria non relata ad aliorum illuminationem, sed ad corporis proprij claritatem, & ex huius similitudine ad mentis puritatem & synceritatem. Sunt enim in Ecclesia duplicis generis homines Deo seruientes: *quidam* enim sunt velut carbones succensi, qui quidem ardent sed eius loci in quo iacēt, tenebras non expellunt, Sic sunt quidam Sancti ita simplices & occulti, *inquit Greg.* ardore tamen caritatis accensi, vt vix eorum vita ab aliis possit agnosci, sibi ipsis quidem accensi sunt, sed aliis in exemplo luminis non sunt quia cum occultis maneant flammam seu splendorem exempli de se nō emittunt. Sunt alij quales fuerunt Apostoli, & Ecclesiæ Doctores, vt Augustinus, Chrysostomus, Thomas, qui vt putatur, à sanctis Apostolis Petro & Paulo eruditus fuit, Bernard & similes, qui tanquam lampades accensæ & velut fulgura in orbem terrarum emissi, & alios accenderunt & illuminarunt tam exemplo vitæ quam verbo doctrinæ, errorisq; & ignorātiæ tenebras è cordibus hominum expulerunt. Talis inter cæteros & Moyses vnus de quo scriptum est Exod. 17. quod *nō discedebat de tabernaculo Domini*. Quod autem opus eius erat cum sic indesinenter in tabernaculo Domini versaretur & moraretur? In hoc totus erat, *inquit Orig.* vt à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Et si quis, *inquit*, velit Pontifex seu Episcopus esse non tam vocabulo quā merito, imitetur Moysen, vt à Deo discat legendo scripturas diuinas & sæpius meditando, aut populum doceat ea quæ à Deo didicerit, non enim ex proprio corde vel humano sensu populum docere debet.

Greg. ho. 5. in Ezec.

Orig. ho. 6. in ca. 8. Leui.

5 DICIT Greg. *hom 3 in Ezech.* exponens illa verba, *Et scintillæ quasi aspectus æris ardentis*, Metallum æris admodum est sonorum, Cui recte voces comparantur prædicantium, qui sunt velut æs candēs propter ardorem caritatis qua accensi sunt à Deo sicut Paul. cum ait, *Quis nos separabit à caritate Dei?* & admodum sonori, quia in omnē terram exiuit sonus eorum. Et de candente ære scintillæ prodeunt, quia de eorum exhortationibus verba corda auditorum inflammantia procedunt, sicut illi testantur qui Luc. 24. dicebant, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis cum nobis in via loqueretur?* Et recte verba prædicatorum scintillæ appellantur, tum quia eos quos in corde tetigerint, incendunt, tum quia exiguum est quod de cœlesti patria manifestant: Sed quanquam exiguum sit in initio, quod inde procedit, siue amorē cœlestiū siue eorundem cognitionem seu illuminationem consideres, tamen paulatim & illuminant & inflammant magis ac magis, si in cor idoneum inciderint, quod scripturarum auditas sententias secū reuoluere ac penitius introspicere ac inuestigare nouerit; Deus n. paulatim & ignem amoris incendit magis & cognitionem adauget & magis lucidā efficit. Vt enim qui viro sancto adhæret ex assiduo eius aspectu, conuersatione, & exemplo paulatim mores ipsius imbibit. Ita ex verbo doctrinæ ipsius & in Dei amore & in veritatis cognitione magis ac magis proficit.

II. Quis lucernam accensam in abscondito aut sub modio ponere dicatur.

1. NON est homo lux, sed lucerna aliunde illuminata & accensa, iuxta illud Ioan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Illuminat autem duplici modo: *aut* lumine naturali, dum indit homini rationē qua homo in genere discernere nouit bonum à malo, nouit n. naturali lumine bonum esse amplectendum, malum esse fugiendum, Deum esse colendum, parentes honorandos, & similia principia generalia. Verum sicut oculus etiam plenissime sanus vt perfecte videat insuper & alio lumine

mine externo vtpote ſolis aut alicuius alterius lucidi corporis eget: Ita mens non ſibi in omnibus ſufficit vt clare veritatem videat, ſed inſuper in alio lumine ſiue ſtudio acquiſito, ſiue diuinitus infuſa indiget vt non erret. Et quādoquidem homo lucerna eſt, & non lux ipſa, accendi poteſt & extingui: luce extincta & veritatis cognitione amiſſa, homo greſſus ſuos in viā veritatis & ſalutis dirigere neſcit. Nam vt
Hom. 11. in 1. Ep. ad Theſſ. *Chryſoſt.* ait, Si de terra in terram nocte ambulare difficile eſt & moleſtum, quomodo tutum erit eam viam, quæ è terra in cœlum tenditur, ſine hac luce ambulare? Ignoratis quot dæmones ſint in iſtius intercapedinis ſpatio? Si extinxerimus eā lucem confeſtim omnia noſtra diripient: Nam & latrones lampadem primum extinguunt & tunc demum latrocinantur
Orige. in 3. c. Iob. & furantur. Sic *inquit Orige.* niſi primum obſcurauerit diabolus corda hominum, niſi prius obliuionem induxerit timoris Dei & terribilium iudiciorum eius, non vtiq; valebit vnquam peccatorum ſemen ſeminare in cordibus eorum. Poſtquam vero obſcurauerit animam & à Deo auertit, tunc ſcilic. ad omnia mala, ad carnis deſideria & impudicitiam, & alia vitia, tanquam eos qui in tenebris ſunt, facile ſubuertit.

2 HINC Paulus 2. Cor. 11. *Timeo ne ſicut ſerpens Euam decepit aſtutia ſua, ita corrumpantur & ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto.* Niſi enim ſerpens prius decepiſſet Euam eiq; perſuaſiſſet ſe non morituram ex guſtu pomi, ſed velut Deum futurā cui omnia cognita forent bona & mala, nunquam ad tantum facinus induci potuiſſet. Ita niſi prius homini perſuadeat diabolus iucundius & melius eſſe adhærere creaturæ quā creatori, & terrena bona meliora eſſe quam ſint cœleſtia, nunquā relicta virtute conuertet ſe homo ad peccatum & iniquitatem. Et in hoc maxime incumbit dæmō, vt oculum dexterum quo intuemur æternā, nobis eruat. Sunt enim *teſte Bernardo*, duo oculi ſponſæ, videlicet rerum labentium conſideratio, & cœleſtis patriæ digna æſtimatio, dū quis conſpicit quanta ſint gaudia quæ nobis promittūtur in futura vita, quanta itidem dignitas, quanta gloria: De quibus ſcriptum eſt, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt quæ præparauit Deus diligentib. ſe.* In vno iſtorum oculorum vulnerat ſpōſa cor ſponſi; Sic n. legimus Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum & in vno crine colli tui.* In vno oculorum, qui nimirum intuetur bona æterna, Dei bonitatē, maieſtatem, dignitatem, pulchritudinē, amorē & ſimiles qualitates Deo proprias, quas qui penitius introſpicit & veluti fixis oculis intuetur, mirabilem amoris affectum & in ſe & in dilecto excitat, quo enim quis ſponſum Chriſtum perfectius cognoſcit eo plenius & ardentius diligit, & ab eo diligitur.

3 IDEO in hoc maxime incumbit dæmon vt nobis oculum dexterum, quo ſponſum Chriſtum intueri debemus, eruat, vt in obliuionem Dei nos inducat. Id quod 1. *Reg.* 11. nobis ſub certa deſignatur figura, vbi Naas Ammonites ad viros Iabes Galaad ait, *In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrum oculos dexteros, ponamque vos opprobrium in vniuerſo Iſrael.* Quem locum exponens *Gregor. ſic ait*, Dexter noſter oculus eſt intuitus æternæ claritatis: Hic eruitur quando mēs ea cœcitate percutitur vt vltra ad videnda cœleſtia non aperiatur, & ſic dæmon iis præualet qui cum eo fœdus ineunt, vt ſola carnalia atq; terrena concupiſcant, cœleſtia aūt penitus in obliuionem inducant. Et ſic ponuntur qui iſtiuſcemodi ſunt in opprobrium in vniuerſo Iſrael, quia corā angelis & electis Dei contēptibiles & abominabiles erunt. Contra quos ſic Zacharias c. 11. *Gladius ſuper oculum dexterum eius,* quaſi dicat, vindicta Dei ſuper dexterum oculum eius, quia amittit omnē prudentiam & omne ſanum conſilium de rebus dexteris & ad ſalutē pertinētibus: De quib. & propheta Dauid Pſal. 68. *Obſcurentur*

Digitized by Google

tur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum incurua, quia neceſſe eſt, *inquit Augu.* explicans hunc locum, dum rationis oculi per falſam æſtimationem obſcurãtur, homo ad bona terrena incuruetur, & ſapiat ea quæ carnis ſunt, non quæ ſpiritus.

4 Facile cum diabolus animam à Deo auerterit, ipſiuſq; in eam obliuionem induxerit, in omnia vitiorum mala præcipitabit. Vt enim Sampſon ab Allophylis captus, primo excæcatur, deinde excæcatũ in carcere molere fecerunt: Sic maligni ſpiritus poſtquam hominem ſuis tentationibus in captiuitatem & peccati ſeruitutem abduxerint, primo lumine veritatis eũ priuant & excæcant, vt nec ruinæ ſuæ damna videat, nec ſe à bonis operibus inopem agnoſcat, deinde cum impiis eum in circuitu ambulare faciunt, ſemper ambientem bona huius ſeculi, & nunquã ad finem deſideriorum ſuorum peruenientem. Talis is erat ad quem Ioannes ſcribit Apoc. 3. *Dicis, diues ſum & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* Diuitem ſe aſſerebat Angelus Laodiceæ Eccleſiæ per arrogantiam ſanctitatis, *inquit Greg.* & neſciebat quia pauper & nudus erat qui nullas virtutum diuitias collegerat, cæcus vero quia ſuam paupertatem nec videbat nec agnoſcebat. Nam ſi, vt auctor imperfe. ait, etiam in viro iſto ſemper caro animæ aliquid ſurripit & ꝙ ſuum eſt agit, vbi tamen anima rationalis illi contradicit, quantis putas in homine malo iniquitatibus ſe inuoluit caro, quã do anima quæ illi contradicere debuerat, ei conſentit & conſimilia concupiſcit. Si enim anima cum diuina ſit, & ad hoc data vt carnem illuminet, fiat carnalis & terrenis concupiſcentiis cõtenebreſcat terrena ſemper aſpiciens, putas quantis peccatorum tenebris inuoluta ſit ipſa caro, ſeu homo carnalis, qui regulariter non niſi peccandi propoſitum habet.

Pſalm. 11.

Libro 34. mor. c. 3.

5 Hoc obſcure nobis inſinuat Zacharias cap. 5. cum ait, *Hæc eſt amphora egrediens: hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra: Et ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ: & dixit. Hæc eſt impietas, & proiecit eam in medio amphoræ.* Per amphoram hanc deſignatur certa peccatorum menſura quæ eſt implenda. Et egredi dicitur hæc amphora, quia venit in cognitionem aliorum tam numerus peccatorum iam adimpletus, quam grauitas ſuppliciorum: quæ prius quia ignorabantur, quaſi occulta latebant. Cum autem ſubiungit Propheta, *Hæc eſt oculus eorum* in vniuerſa terra: hæc ſcilicet amphora ſeu menſura peccatorum, *inquit Gregor.* eſt oculus eorum in vniuerſa terra, hoc eſt vbicumque terrarum fuerint nefarij iſti homines, in hanc menſuram oculos coniiciunt, quia omnia non iuxta Dei iudicium, ſed iuxta ſuam cupiditatem metiuntur, & tam effrenate ruunt in omnia peccatorum genera, vt ad nihil aliud ſpectare in omnibus ſuis operibus videantur, quam vt hanc menſuram celeriter adimpleant, & ſemel omnia peccata luant, quia vt *Cyrill.* ait, Non poterit vllus euadere, quin par ſupplicium meritis ferat ſuis. Nam ſicut qui theſaurizat in cælo vt in Deo diues ſit, in hoc totus eſt, non ſolum vt non perdat quod habet, ſed vt augeat ſuper id quod habet, & ſemper cogitat ea quæ Dei ſunt, non quæ ſunt huius mũdi: ideo ſiue lætatur, in ſpiritualibus lætatur, ſiue triſtatur, de ſpiritualibus triſtatur, vt quid n. delectetur in terrenis bonis qui nihil habet in terra, qui terrena poſſidet tanquam non poſſideret, cui' oculi ſemper ad Dominũ? Ita qui theſaurizat in terra, ſiue lætetur in carnalibus & terrenis bonis lætatur, ſiue triſtetur de carnalibus & terrenis bonis amiſſis triſtatur, vt quid enim in cælum reſpiciat vbi nihil repoſitum habet? nec vnquam quæ Dei ſunt ſerio recogitat, ſed ſemper quæ ſunt huius mundi?

Lib. 14. mor. c. 17.

Hæc Auctor. imperf. hom 15. in Matt.

6 Et hoc eſt quod Dominus ait, *Nemo lucernam accendit & in abſcondito ponit ſeu ſub modio ſed ſuper candelabrum*, hoc eſt, qui in lumine fidei ambulat & veritatis cognitione illuſtratus quærit & ſapit ꝙ Dei ſunt, vt in eo viuat & in ſapiẽtia & caritate

ritate Dei delectetur, & in ipſius lege die ac nocte meditetur, non ſolum vt ſciat, ſed vt ſecundum eam viuat, & totam ſuã vitam ac vniuerſa ſua opera ſecundum eam dirigat, ſciens quod vita ſit in voluntate eius: In tali non poteſt lumen iſtud abſconditum permanere, ſed prodeat & manifeſtetur neceſſe eſt per verba, per opera, per externam conuerſationem, per oculos, p̃ inceſſum & his ſimilia, vt quotquot talem viderint Deum in eo glorificaturi ſint. Sed ſunt alii qui lucernã in abſcondito & ſub modio ponunt, quia lumẽ fidei & veritatis cognitionem in abſtruſo intellectus angulo reconditum ſeruant & nunquam quæ fidei ſunt recogitant, nec gaudium regni cœlorũ, nec gehennæ tormẽta, nec peccati turpitudinem & damna, nec virtutis claritatem & præmia ob oculos ponunt, ſed mens & conſcientia ipſorum obtenebrata ſunt, plena cogitationibus & delectationibus rerum terrenarum, vt non poſſint videre aut percipere ea quę ſpiritualia ſunt, qui perinde ſe gerunt ac ſi fidem non haberent. Tales fuerunt Phariſęi, contra quos hic agit Dominus, ſi *Theophylacto* credimus: de quibus Dominus Luc. 11. *Væ vobis legiſperitis qui tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis.* Hæc cunctis falſis prædicatoribus & ſceleratis hominibus, qui dicunt & non faciunt, ſunt communia, quod cum mens fidei ſcientiæque lumine ſit illuſtrata, id ſub vitiis occultantes (habent enim mentis oculum, inuidia, faſtu, auaritia & aliis vitiis obtenebratum) nec ſibi nec aliis lucent aut proſunt.

III. Quomodo lumen quod in nobis eſt tenbræ ſint.

1. VIDE *ergo ne lumen quod in te eſt tenebræ ſint.*) Quomodo lumen tenebræ eſſe poſſunt? aut ſi tenebræ ſunt quomodo lumen vocat? Non quia eſt, ſed quia eſſe debuit: ſicut cum dicitur Matthæi 8. *Filij autem regni eiicientur foras*, hoc eſt, Qui filii regni eſſe debuerunt, eiicientur foras. Adducit a. hic Dominus ſimilitudinem ab oculo corporeo, q̃a omnia corporis mẽbra illuminare debet, vt & pedes per oculos corporeos videant quo progredi debeant, & manus, qualiter operari. Quod ſi corporalium oculorum lumen fuerit extinctum, iam omnia corporis membra in tenebris verſantur: quia nullũ niſi ex oculis lumẽ habent. Ita mens eſt animæ oculus, quæ omnes eius facultates illuſtrare debet, vt rectum teneamus iuſtumq; iudicium, & omnes totius vitæ noſtræ actus prudenter inſtituamus & apte dirigamus. Quod ſi mens hæc excœcata fuerit, innumeris prorſus malis hominum vita adimpletur, *inquit Chryſ. ho. 21. in ca. 6. Marci.*

2. EXTINGVIT autem hoc lumen mentis, vita impura, & denſis ignorantiæ tenebris hominem inuoluit. Qui enim aut furatur, aut fornicatur, aut peierat, aut ſimilia capitalia crimina committit, quid faciat neſcit. Cum enim oculos mentis intentos habeat, non in pœnam quam meretur, non in ſalutis damnum quod patitur, non in peccati turpitudinem, quæ omnia ei manent & ſunt abſcondita; ſed dũtaxat in peccati iucunditate & delectatione animus verſetur, putat peccatum tam eſſe bonum & honeſtum, quam eſt delectabile & iucundum: & in eo errat atq; in tenebris ignorantiæ verſatur, quas magis diligit quam lucẽ veritatis cupiditati ſuæ repugnãtis: Iuxta illud quod ſcriptum eſt Ioan. 3 *Venit lux in mundum. & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*: Id q̃ mirum alicui videre poſſet quomodo homines magis tenebras diligant quæ nihil ſunt, quã lucem quæ tam delectabilis eſt: Omnis homo enim natura ſcire deſiderat; & nullus ſit qui aut decipi aut errare velit, licet multi ſint qui alios decipere cupiant. Tenebras igitur ignorantiæ propter ſe nõ diligunt, ſed quia malitiam rei iſtius ſeu peccati quo delectantur, abſcondunt: Et tamen decipi nolunt, quia illud quod ſic amant, verum eſſe volunt, & ſic debere fieri æſtimant: lucem autem veritatis oderunt, quia malitiam rei quam amant, manifeſtam facit, potiſſimum pœnam peccato ipſi debitam, quam quantum odit &

Digitized by Google

horret; tantum odit & veritatē ipſam pœnam minantem & infligentem. Et ideo nolūt ſcire veritatem cupiditatibus ipſorum contrariam, ne cogantur deſerere quam diligunt iniquitatem. Hinc fit quod de tenebris per tenebras ad tenebras vadant: & completur in eis quod ſcriptū eſt Pſal. 41. *Vſque in æternum nō videbit lumen*: quia *inquit Auguſt.* explicans hunc locum, à tenebris ſomniorum quibus falſis gaudent bonis, pergunt ad exteriores tenebras tormentorum. Ergo vſque in æternum nō videbit lumen. Et hoc deplorabunt impii in die iudicii, quod lux intelligentię non fuerit eis exorta, Sic enim loquuntur Sapi 5. *Ergo errauimus à via veritatis & iuſtitiæ lumē non luxit nobis; & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis: laſſati ſumus in via iniquitatis.*

3. Hoc habent tenebræ quod in iis omnia maneant ignota & abſcondita, non potes in iis diſcernere amicum ab inimico, pretioſum à vili quia ſi in tenebris funem viderit quis ſerpentem putat. Et inde prouenit quod tam iniqua iudicia de reb. pronunciant ii qui in tenebris ignorantiæ ambulant, verbi gratia, Phariſæi quia Chriſtum oderant eique inuidebant, ex hoc vitiato mentis oculo tam iniqua iudicia ferebant, vt eum eſſe dicerent potatorem vini, amicum publicanorum, hominem magū qui in Beelzebub principe dæmoniorum eiiceret dæmonia: Nec fieri poterat vt bene iudicarent quādiu oculum mentis non purificaſſent. Vt n. qui per rubrū vitrum videt, omnia quæ per illud vitrum videt rubra putat, Ita cū mens præoccupata fuerit, aut ira aut metu, aut odio aut amore, nō verum iudiciū de rebus feret vt eas iudicet tales quales ſunt, ſed quales apparent: Si quempiam ames eum optimum putabis quia amor nō niſi illud quod bonum & pulchrum in amato, intueri ſolet: E contra ſi quem oderis, eum iniquum, & qui in ſolas terras relegetur dignum arbitraberis, quia odium ſic mentem obrumbrat vt in eo, quem odit, nil niſi quod malum eique aduerſum eſt conſideret. Sic & meretrix illa Ozeæ ca. 2. quæ ait, *Vadam poſt amatores meos qui dant panes mihi, vinum, linum, & oleum*, plus boni ab iis expectabat, & in iis magis confidebat, eoſq; amplius amabat quam Deū ipſum, quia amore excœcata iis hęc omnia non Deo aſſcribebat, licet bona ſua vniuerſa non tam ab amatoribus ſuis, ſed à Deo accepiſſet: Sic enim ibidem ſubiūgit Dominus, *Et neſciuit quia ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum.*

4. QVAPROPTER adhortor, *inquit Baſ.* ſerm. 21 de bapt. c. 7. vt faciamus arborem bonam & fructum eius bonū, & repugnemus primum quod intra poculum eſt & catinum, & tunc etiā quod extra eſt mundum erit totū. Sępe fieri ſolet, *ait Orig.* quod plurimi hominum Orig. in 2. Rom. agent quidem quæ bona ſunt, miſcentur tamē & aliquid operis mali: Pauci v. qui ita veraces ſint Dei cultores, vt hęc omnia agentes abſtineant ſe ab omni re mala, vt de iis dici poſſit, quod de Iob ſcriptum legimus quod fuerit vir ſimplex & rectus & timens Deum & recedens à malo. Facile quidē recedit homo à malo opere externo, ſed ab interno admodū ægre, eo φ & peccatum ſicut & virtus ab homine interiore ſumat exordiū: Neq; n. fieri poteſt vt ſi ante quis non mœchetur in corde, mœchari poſſit in corpore: verum non continuo ſi quis ab exterioris hominis caſtitate incipiat, perueniet etiā ad interiorē caſtitatem & continentiam, lubricæ nimis & vagæ ſunt cogitationes hominis. Eū autē Deo gratū & acceptum eſſe poſſe qui peccato ſeruit & iuſtitiam facit, fieri nequit, quia aperte dicit Paulus 2. Cor. 6. *Quæ participatio eſt iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ communicatio lucis cum tenebris?* Quis conſenſus Chriſto cum Belial: *Nemo*, inquit Dominus Matth. 6. *poteſt duobus Dominis ſeruire*, nimirum contraria præcipientib. His ſcilicet declaratum eſt quā hoc ſit impoſſibile Deoq; nō gratum, cum qui peccato ſeruit iuſtitiam facere enim vitia receſſerint, virtutes nō ſuccedent. Mulier illa fortis, *Prou.* 3 prius accingit fortitudine lumbos ſuos, & illecebras carnales deſpicit

ſpicit, & poſtea roborat brachia cum ſe ad agendum virtutum opera præparat, quia nimirum actio boni operis acceptabilis Domino eſſe non poteſt, ſi non fluxa luxuriæ quis prius à carne & corde reſtringit. Inſtructi igitur Apoſtolo mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, atq; ita perficiamus ſanctificationem vt Deo grati reddamur.

5. DICIT Eccleſiaſticus cap. 31. *Nequius oculo quid creatum eſt?* quia ſi oculus tuus nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Oculum a. vt ait Aug. intentionē hominis vocat: Totum vere corpus *teſte Maldonato*, omnes ſimul hominis facultates, tam internas quam externas, quę tanquam membra diuerſa corpus vnum efficiunt: Totum autem abſolute, omnes humanas actiones, quæ ex facultatibus proficiſcuntur, vt ſit ſenſus, *Si oculus tuus lucidus fuerit*, hoc eſt ſi intentio fuerit recta, totum corpus tuum, id eſt, omnes alię tuæ facultates lucidæ & rectę erunt, dum ſcilicet ſecundum rectam intentionē diriguntur: Si a. totū corpus tuū, id eſt, omnes tuæ facultates, lucidum fuerit, totū omnino, id eſt, quicquid inde proficiſcitur, lucidum ac rectum erit, quia ſcilicet oculus tuus ſicut lucerna fulgēs te totum illuminabit, vt facile diſcernere poſſis bonum à malo, & vile à pretioſo. Hinc patet quod occulus iſte non ſolum finem intueatur vt is ſit bonus & rectus, ſed & operis qualitatem, vt illud ſit legi Dei conforme, bonū & rectum. Cū n. bonū ſit ex integra cauſa, malū vero ex ſingulis defectib. ad hoc vt opus aliquod ſit bonum, nō ſufficit ſi finis bonus ſit, ſed oportet quod opus ipſum & ſecundum ſuam ſubſtantiā, & ſecundum omnes ſuas circunſtantias ſit bonum, ſi n. deſit vna qualitas neceſſaria, opus efficitur malum, verbi gratia, ſi quis diuiti aliquid ſurripiat vt det pauperi, vel mentiatur vt ſuccurrat inſonti: bonus quidē finis eſt, ſed electio quia eſt contra dictamen rationis, mala eſt. Alioquin excuſari poſſent Iudæi Apoſtolos perſequentes & interimentes, quod faciebant vt Deo ſeruirent eiq; obſequium prę̃ſtarent, *Zelum habentes*, vt Paulus loquitur, *ſed non ſecundum ſcientiam*. Et ideo oculus eorum non erat ſimplex, non erat omnino purus & perfectus & lucidus, quia habebat partem tenebrarum, cum verſaretur circa obiectū malum.

Lib. 1. qq. Euang. c. 15.

PARS II.

Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit. Luc. 11.

Summa eorum quæ hic explicantur.

I. *De lumine intellectus quod eſt cognitio veritatis.*

II. *Quomodo Chriſtus & nos & Prophetas & angelos illuminet.*

III. *Spiritus prophetiæ non ſemper illuſtrabat Prophetas.*

IV. *Eſt duplex cognitio affectiua vna & intellectiua altera.*

V. *Varia ſcientiarum genera, ſed moralis, naturalis, & diuina maxime neceſſaria.*

VI. *De vita S Martini.*

ART. I. De lumine Intellectus, quod eſt cognitio veritatis.

1. NEMO *lucernam accendit & in abſcondito ponit.*) Sancti non lux ſed lucerna dicuntur, ſic enim de Ioanne Baptiſta ſcriptura ait, Ille erat lucerna ardens & lucens, quia non proprio lucent lumine, ſed aliunde, illuſtrantur: Chriſtus autem non lucerna ſed lux in ſcripturis dicitur, quia non illuminatur aliūde ſed proprio lucet lumine, ſicut ſol: Ita n. de eo Ioannes ait, *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Illuminat a. Chriſtus has lucernas, hoc eſt, cæteros homines dupliciter, aut naturaliter, aut ſupernaturaliter: vt illuminatio hoc loco nō ſit aliud quam veritatis illuſtratio ſiue manifeſtatio: vt n. lux ſenſibilis & ſeipsā & alia manifeſtat, vt talia appareant, qualia ſunt ita & cognitio veritatis, rem quāque ita ſciri facit ſicut eſt. & ſecundū ſubſtantiam, & ſecundum proprietates & virtutes & alias conditiones in ipſa latentes: ſicut enim res corporeæ in tenebris latent

Ioan 5.

Digitized by Google

vt non eſſe putetur, quas lux ſenſibilis apparere facit, ita in re qualibet latent variæ virtutes quæ quamdiu ignorantur non eſſe putantur, verbi gratia, hæc ſtella habet virtutem producendi ventos, illa vim habet excitandi pluuiam, iſta calorem & ita de cæteris: Sic in ipſis herbis, lapidibus, ac cæteris rebus creatis variæ latent virtutes hoc vel illud efficiendi, quas homo vſu & experientia dum obſeruat, paulatim addiſcit, idq; tanto citius atq; facilius, quanto ipſius ingenium fuerit acrius atq; viuacius. Eſt enim ipſi intellectui atque ingenio à natura ſeu ab auctore naturæ inditum quoddam lumen, quo ſtatim percipit abſq; vlla difficultate & ſine vllo diſcurſu primorum principiorum veritatem, vt ſi dicatur. Bonum eſt appetēdum, Malum eſt fugiendum, Deus eſt colēdus, Parentes ſunt honorandi, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Has & ſimiles propoſitiones ſimul atque quis audierit, eas veras eſſe & ſic eſſe intelligit: vt enim oculis corporeis eſt quædam lux à natura indita, quæ in quibuſdam animalibus, vtpote in felibus & ſimilibus, tam eſt viua vt non minus de nocte quam de die videant, ſicut & de Tiberio Cæſare legitur, quod cum noctu expergiſceretur, omnia quę in ſuo erant cubiculo ad tempus clare cerneret atq; videret: verum quia lux iſta oculis corporeis indita, debilior eſt quam vt per eā ſolam quis clare videre poſſit, hinc iuuari debet, atque confortari lumine ſolis aut alicuius alterius lucidi corporis: Et qui iſta luce naturali carent, vt cœci, etiamſi lux æterna oculos illuſtret, nihil vident: ita à natura eſt ipſi intellectui indita quædam veritatis cognitio, nimirum primorum principiorum, per quā poteſt deuenire in cognitionem aliorum quæ ex ipſis principiis deducuntur & concluduntur, dum cogitando, meditando, ſtudendo, legendo, audiendo, veritatem quis inueſtigat & rimatur, quam tāto facilius & citius quiſque inuenit, quanto ſubtiliori & viuaciori ingenio præditus fuerit, & quanto ipſum lumen intellectus fuerit perſpicacius & clarius. Sic in cognitione rerum naturalium excelluerunt Salomon & Ariſtoteles: in ſcientia moralis philoſophiæ, Socrates, Plato & Pythagoras: in iuriſprudentia Bartolus & Baldus: in medicina Hippocrates & Galenus: in theologia Auguſtinus & Thomas: Quorum ingenia vt erant excellentiſſima & perſpicaciſſima, ita facillime veritatem ipſam, quæ ſub verbis & rebus tanquam quibuſdam ſignis & inuolucris latet inuoluta & abſcondita, inueſtigando inueniebant & eruebant.

2. ET hic eſt vnus modus quo Chriſtus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quia ſicut omnia per ipſum facta ſunt, ita & intellectus & cognitio veritatis, quam & angelis & primo homini naturaliter indidit, ab ipſo ſunt. Et hoc modo quoſdā illuminat Chriſtus & veritatē docet per ſe immediate nullo interueniente alio: quoſdam vero non niſi mediate, per homines ſcilicet aut angelos & adhibito ſtudio proprio. Adam & Salamon fuerunt à Deo immediate edocti & illuſtrati cognitione rerū naturaliū & etiā ſupernaturaliū: Sic n. legimus *in li. Reg.* de Salomone, *Dedit Deus ſapientiam Salomoni & prudentiam multā nimis, & erat ſapientior cunctis hominib. & diſputauit ſuper lignis à cedro quæ eſt in libano vſq; ad hyſſopū quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de iumentis & volucribus & reptilibus, & piſcib.* 3. Reg. 4. Daniel vero & tres pueri eruditi fuerunt in omni ſcientia & ſapientia Chaldæorum, ſicut legimus in *libro Danielis*: ſed hanc ſciētiam partim proprio labore & ingenii viuacitate didicerant edocti ab aliis magiſtris, partim vero diuina illuſtratione perceperant, vt & plenius & citius ea quæ diſcebant, perciperent atq; intelligerent. Dan. 1. Ita Sancti Dei miniſtri in ſuis operibus, ſiue ea naturę fuerint, ſiue gratiæ, à Deo iuuari ſe poſtulant, vt opus hoc quod præ manibus habent & facilius & perfectius abſoluant. Hinc Eccleſia horis cantandis ſeu legendis ſemper hunc verſiculum pręmittere conſueuit, *Deus in adiutorium meum inten-*

Digitized by Google

intende, facilius enim nauta nauigat prospero aditus vento quã si solis remis incumbat. Ita legimus de Vdone Episcopo quod cum pueri scholas visitaret & stupido esset ingenio vt litteras addiscere & scientiam apprehendere non posset, multis precibus id obtinuerit à B. Virgine Maria vt docilis fieret, quod cum impetrasset minimo postea labore scientias addidicit & apprehendit, licet vita postmodum nõ correspondèrit.

3. EST alius modus quo Christus illuminat hominem venientem in hunc mundum, per diuinam scilicet reuelationem, quæ mentem illustrat cognitione rerum supernaturalium quæ humanitus & naturaliter sciri non possent. Sunt enim plurima quæ captum exuperant humani intellectus quippe quæ neque oculis videri possunt corporeis, neq; ratione comprehẽdi, sed lumine quodam diuinitus infuso suscipiuntur, vtpote lumine gloriæ, vel lumine propheticæ, vel lumine fidei, quod inter hæc tria est omnium obscurissimum. Quæ per lumen gloriæ manifestãtur, præter quam quod sint certissima, etiam clarissime videntur, & cognoscuntur: hic credimus quod Deus sit trinus & vnus, quod corpus Domini sit in Eucharistiã, quod homo Christus sit Deus, hæc & similia sancti in cælo perfectissime intelligunt & clarissime vident. Quæ lumine propheticæ cernuntur, minus clare perspiciuntur, quã quæ lumine gloriæ manifestantur, quia non nisi in figuris & sub certis quibusdam signis ostenduntur, vt patet in Ezechiele, Apocalypsi, & aliis prophetis, qui visis quibusdam figuris iisque intellectis futura prædicebãt. Sic Ioseph audito somnio Pharaonis, diuinitus haud dubie immisso, de septem bobus macris & pinguibus, eoque intellecto, certo prænunciabat euenturos septem fertilitatis & sterilitatis annos iis significatos. Qui huiusmodi signa videbat quidem sed non intelligebat, sicut Pharao spicas, & Nabuchodonosor statuam vidit, propheta dici non poterat, quia propheta, qui & Videns olim dicebatur, inde dicitur quod quæ videt intelligat. Est autem lumen propheticæ clarius lumine fidei, & cognitio prophetæ certior fide credentis, non quidem quo ad rem creditam quia illa certissima est, vtpote talis quæ non possit esse falsa, quia à Deo, qui nec falli nec fallere potest, dicta & reuelata: sed quo ad ipsum credentem. Ea enim quæ fide suscipimus & credimus, quamuis certa sint, sunt tamen admodum obscura, verbi gratia, quod Deus sit trinus & vnus, quod Christi corpus sit in Eucharistiæ sacramento: credimus huiusmodi esse vera & certa, non ipsarum rerum euidentia moti, sed ipsius Dei dicentis & ea reuelantis auctoritate & veracitate inducti, qua permoti ita firmiter credimus vt nullatenus de veritate ipsarum propositionum dubitemus. Nam vt *Augustin.* docet in his quæ fidei sunt non licet dicere, forte: neque enim salua fide quis dicere potest, forte de virgine natus est Christus; sed licet bene dicere, forte B. Virgo talem habuit faciem qualis à Luca depicta est. August. lib. 8. ca. 5. de Trinit. Quæ vero prophetis reuelantur clarius in suis signis & figuris manifestantur & melius intelliguntur, vt cum Danieli ostenderetur & manifestaretur prophetia & significatio arboris pulcherrimæ, quam vidit in somno Nabuchodonosor, cuius proceritas contingebat cælũ, & cuius aspectus erat vsque ad terminos vniuersæ terræ, Dan. 4. folia eius pulcherrima & fructus eius nimius: Et ecce vox de cælo clamauit fortiter, *Succidite arborem & præcidite ramos eius, veruntamen germen radicũ eius in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo in herbis quæ foris sunt, & cum feris sit pars eius.* Hanc visionem cum intelligeret Daniel, Regique exponeret, clare præuidebat calamitatem ipsi Regi superuẽturam. Ea vero quæ fidei sunt cũ per obscura signa & ambigua verba sæpe proponantur & minus clare explicentur, quãuis de ipsa fide & dicentis veritate seu veracitate dubitare nõ liceat, de modo tamẽ verificationis crediti, hoc est de sensu verborũ fidei quæ in scripturis ponuntur & explicantur dubitare interdum licet

l·ces;dum variis modis exponuntur &ne-
ſ·itur in quo ſenſu acceperit ille qui ea
Matth.24. propoſuit, verbi gratia, cũ Matthæus ait.
Virtutes cælorum mouebuntur. Quidam hãc
ſcripturam de angelis intelligunt: quidam
de naturali virtute ipſorum cælorũ mate-
rialium. Et quanquam hi diuerſa dicant,
fieri poteſt tamen, quod eæ interpretatio-
nes nec inuicem ſibi ſint contrariæ, nec di-
uinæ ſcripturæ aduerſæ, quia eadem ſcri-
ptura continet ſæpe diuerſos ſenſus etiam
literales: & dubitari poteſt ſalua fide an v-
terque cõtineatur, & ſi ſic vter vtri præferri
debeat. Hinc dicitur quod prophetia ſit fi-
de certior & firmior, quia notior, iuxta il-
2.Pet.1. lud Petri, *Habemus firmiorem propheticum
ſermonem*: quia prophetarum notitia non
admittit talem dubitationem ſignifica-
tionis in ipſis propheticis, certo enim ſcie-
bant in qua ſignificatione verba ſua eſſent
accipienda, quamuis neceſſe nõ ſit vt pro-
phetæ omnia intellexerint quæ ſub ipſo-
rum prophetiis cõtinentur. Nam tantum
ſciebant, quantum Deus eos ſcire vellet ac
reuelaret, tantum autem reuelabat quan-
tum neceſſe iudicabat, quanquam cætera
eis manerent abſcondita, aliis ſuo tempo-
re reuelanda.

4. CVM mens prophetarum illuſtrare-
tur ſpiritu prophetiæ, vt futura præſcirent
& prædicerent, is non eis perpetuo aderat,
vt quoties vellent futura prædicere poſ-
ſent, ſed quando Deo eis ea reuelare pla-
Dan.4. cebat. Hinc Daniel Propheta vt ſomnium
Regis Nabuchodonoſor intelligere & in-
terpretari poſſet, tacitus ſecum quaſi per
vnam horam recogitauit, & interea tem-
poris eius cognitionem & interpretatio-
nem precibus à Deo obtinere debuit: quia
quamuis Propheta Daniel eſſet, non ta-
mẽ cuiuslibet rei futuræ prophetia & præ-
ſcientia permanenter ei inhærebat, ſed di-
uinitus de nouo illuſtrari debebat, dum
aliquid noui prædicere & prophetare vel-
let. Sic & Amos ait, *Non ſum Propheta, nec
Amos 7. filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum vel-
licans ſicomoros*: Et tamen paulo poſt ſub-
iungit, *& nunc audi verbum Domini. Hæc
dicit Dominus; Vxor tua in ciuitate fornica-
bitur, & filii tui in gladio cadent, & tu in ter-
ra polluta morieris, & Iſrael captiuus migra-
bit de terra ſua*. Prius negabat ſe Prophetã
Amos, & tamẽ paulo poſt incipiebat pro-
phetare & futuras calamitates ipſius Regis
& Iſraelitarũ prædicere. Sed cum ſe Pro-
phetã negaret, ſe ſpiritu prophetiæ deſti-
tutũ ſentiebat, quo fiebat vt nihil futurorũ
aut præſcire aut prædicere poſſet: Cũ vero
ſpiritus prophetiæ in eum irrueret & quæ
futura erant ei reuelarentur, tunc prophe-
tare cœpit, Deoque reuelanti, qui per eum
hæc prædici voluit, ſubſeruiuit.

5. POTEST quis veritatem percipere aut
ſolo intellectu, aut intellectu ſimul & affe-
ctu, tanquam quodam animi ſenſu & gu-
ſtu, quia veritas non ſolum illuſtrat intel-
lectum, ſed inſuper afficit & oblectat affe-
ctum, tunc nimirum dum quis quod ſcit
diligit: quæ ſcientia tunc dici poteſt ſapi-
entia, quia nihil aliud eſt ſapientia quam
ſapida ſcientia. Si quis vero per ſtudium
nudam alicuius rei cognitionem hauriat,
quam nec diligat, nec ea afficiatur aut de-
lectetur, vt ſi incontinens multa pulchre
diſſerat de caſtitate, ebrioſus de ſobrietate,
homo inuidus de caritate, huiuſmodi ſci-
entia quãquã mala nõ ſit, adeo tamẽ bona
non eſt vt hominem bonum efficiat, quia
peccatori dixit Deus, inquit Pſalmiſta. *Qua* Pſal.47.
*re tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſta-
mentum meum per os tuum: exiſtimaſti ini-
que quod ero tui ſimilis, arguam, & te ſtatuã
contra faciem tuam*. Huiuſmodi ſcientia
monſtrat quidem homini, eumque docet,
qualis qui eam habet, eſſe debeat, & quid
facere oporteat, ſed monſtrat tantum, ve-
rum id non præſtat vt bonus ſit aut bonus
fiat: tanquam manus in biuio poſita quæ
viam quidem oſtendit, ſed vt eam quis in-
grediatur non efficit. Huiuſmodi ſcientia
hominem citius inflat quam ſanat: de qua
ſic Iacobus, *Scienti bonum facere & non fa-* Iaco.4.
cienti peccatum eſt illi: ac ſi per ſimilitudinẽ
dicat, *inquit Bernar.* Sumenti cibum & non Bernar.
digerenti, pernicioſum eſt ei: Cibus ſiqui- ſer.36.
dem indigeſtus, vt qui bonam non habet in Cant.

con-

concoctionem ſeu decoctionem malos gignit humores & corpus aggrauat & maleſanum reddit: Ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ quæ eſt memoria, ſi decocta igne caritatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, hoc eſt, per mores & actus transfuſa & digeſta non ſit, quatenus ipſa de bonis quæ nouerit, vita atteſtante & moribus, bona efficiatur, nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum? tanquam cibus conuerſus in prauos noxioſq; humores: An nõ mali humores praui mores? an non inflationes ac tumorem ſuperbiæ, imo & torſiones conſcientiæ ſuſtinebit qui huiuſmodi eſt, ſciens ſcilicet bonũ & non faciens? *hæc Bernar.*

6. Sed hic obſeruandum quod ſint varia ſcientiarum genera, neque quælibet ſcientia hominem illuſtrem facit: Sunt enim ſcientiæ quædam quæ artes vocantur mechanicæ, quę non tam moribus informandis, quam viui humano & neceſſitati huius vitæ ſubſeruiunt, vt ars ædificandi, ſuendi, pinſendi, pingendi & ſimiles, quibus quis nec melior nec peior efficitur. Sunt aliæ ſcientiæ quas artes vocant liberales, eo quod liberum & ingenuum deceant hominem, & ſeptem numerari ſolent: inter quas Muſica ad honeſtam animorũ recreationem deſeruit, quæ apud Græcos erat vſitatiſſima: Geometria vero ad agrorum menſuras conducit, cui Ægyptii ſacerdotes, ſicut & aſtrologiæ, plurimum operæ impẽdebant, eo quod ars hæc geometrica ipſis Ægyptiis admodum eſſet neceſſaria confuſis per annos ſingulos agrorũ limitibus ex Nili inundatione. Vis autẽ elocutionis ac differendi acumen, quibus Dialectica & Rethorica ſubſeruiunt, ad Remp. regẽdam cumprimis ſunt neceſſaria, vt iis quod volueris populo perſuadeas: Vnde Plato in omni Rep. beneconſtituta legem ſtatuendam eſſe cenſebat vt adoleſcentes hiſce diſciplinis imprimis imbuerentur, quia arte regendi populum, in quo omne vitiorum genus redundat, in quo quot cernis capita tot cernis vitia, cui hæ diſciplinæ ſubſeruiũt nulla eſt præſtantior, ſed neque difficilior. Hic autẽ nõ eam eloquentiam intelligimus, quæ poſtquã exigua fortaſſe voluptate auditorem affecerit floſculis verborum ornatiſſimorum, ſimul cum percuſſo aere tanquam inanis ſonus euaneſcit, nihil aliud ſupra hoc virium habens, quam quod per linguæ leporem, ac verborum ornatum auidis auribus quaſdam quaſi præſtigias offundat: Sed ſermones illos, qui animum rerum cognitione, cibi inſtar, enutriunt, quia quod cibus eſt corpori, hoc ſermo veritate & rerum pondere ſubnixus, eſt animo: Nam cum eloquentia rebus conſtet & verbis, *teſte Cicerone*, non magis poteſt conſtare abſque rerum ſcientia, quam homo abſque anima. Sermones itaque qui ornatu conſtant verborum & rerum cognitione ſuffulti ſunt ciborum gerunt ſimilitudinem: ſicut concentus & ſonus odorum, quia ea eſt ciborum natura vt paſcant: odor vero cum ſit aer vaporatus, ſicut ſonus aer ictus, quorum vterque cũ in re tenuiſſima exiſtat, aut nullam aut minimam paſcendi vim habet: At cuius ſermo de virtute, ac diuina inprimis philoſophia diſſerit, ſubnixus ſapientiæ ſplẽdore & rerum diuinarum cognitione, paucorum licet ſit verborum, mentem tamen ad vſque intima penetrat, animum oblectat, cor ipſum corroborat, & ſaginat, tũ potiſſimũ cũ ſenſim, inſtar ſuauis pluuiæ in terram guttatim decidentis, in animos illabitur auditorum: Vt enim huiuſmodi imber, qui leuiter decidit ad ima vſque penetrat, agrum pinguem & fertilẽ reddit, vt ideo orauerit Moyſes: *Fluat vt ros eloquium meum:* Pluuia autem quæ impetu ruit obſuam vehementiam terram concludit, agricolis damnum infert: Ita ſapiẽtis ſermo paucis vt ita dicam ſyllabis copioſam emittit ſegetem: Imperiti autẽ hominis elocutio licet copioſa ſit & verborũ phaleris ornata, non ſolũ ieiunũ relinquit auditoris animũ, ſed & obtundit ſi vi ac vehementia proferatur. Et vt præſtantior eſt pulchritudo ea quæ oculis cernitur, quam quæ ſermone deſcribitur, & plus

plus afficit cib. qui diſco imponitur,quã qui illi adpingitur, Ita & oratio quæ ſapientia eſt grauida,quam quæ verborũ phaleris eſt ornata & inflata.

7. CÆTERVM cum Philoſophicã ſcientiã ſcitu neceſſariam & adprime vtilem dicimus non eam puerilem ac triobolarẽ Philoſophicam diſciplinam intelligimus, qua quiſque de linea,angulo,puncto, de paribus & diſparibus numeris, & ſimilibus araneatum telis, quibus plerique græcorũ Philoſophorũ inuoluti neq; multũ, neq; parũ profecerunt,quia omnino nihil profecerunt, ſed in ſuis cogitationibus & fictis ſubtilitatibus euanuerunt,qui barba & pallio venerandi, Philoſophi nomen emendicabant, & multorum reuerentiam ſibi conciliabant, & publicos plauſus venabantur atque captabant. Verum cumprimis eam ſcientiam atque ſapientiam dicimus addiſcendam,que in inquirenda rerum natura & veritatis contemplatione verſatur, quæque non ſolum ſcitu iucunda eſt & vtilis, verumetiã quæ nos in Dei cognitionem inducat maxime idonea, cum inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur,ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, *teſte Paulo.* Porro veram ſapientiam ac ſolidam ſcientiam in tribus potiſſimum rebus verſari ac conſiſtere euidentiſſimum eſt, nimirum in rerum creatarum cognitione,morum inſtitutione & diuinarum rerum pertractatione. Nam primarium Philoſophiæ ac ſapientiæ ſtudium eſt bonum à malo, velut triticum à paleis,ſecernere, trãquillum vitæ ſuæ modũ ſeruare,neque ſecundis rebus inſolenter intumeſcere, neque aduerſis animo deiici, in vtramque vero fortunam ſe ita componere, vt æquum & inſuperabilem animũ ad omnes caſus præ ſe ferat,nec enim ſapientia in barbæ prolixitate aut latis humeris, verum in animi firmitate,ac mentis puritate, ſynceraque veritatis cognitione conſiſtit: ſiquidẽ per animi firmitatem illud nobis comparatur vt ad voluptates minime emolliamur,aut mundi huius bonis inſiemur, ſed reſectis vitiis omnibus,quadratum vitæ iuſtioris tenorem ac veluti ex omni parte dolatum præ ſe ferre:Hinc Paulus ad Hebræos, *Optimum eſt ſtabilire cor non eſcis, ſed gratia.* Hebr. 13.
Solent antiquitus quemadmodum fortunam rotundo lapidi inſidẽtem pingere ita Sapientiam in quadrato ſtatuere: ex quo illam volubilem atque inconſtantẽ, hanc vero firmam & ſtabilem indicatam volebant:Per ſapientiam enim vir ſapiens, nec ex vulgi contagione detrimentum vllum contrahit, ſed in communi hominum cœtu tanquam in ſecreto mentem à ſenſibus abſtrahens ita viuit ſuaque componit,vt alij per ipſum meliores,non autem ipſe per alios peior euadat:neque præcipiti ac rationis experti fortunæ animum committit: nec leui & inconſulta verborũ cogitationumque vanitate circũactus verſat ſimul & verſatur, ſed inconcuſſa mente vnicam veritatem tanquã vitæ ſuæ regulam intuẽs,ad eam ſeſe ſuaque omnia dirigit:temerarios popularis turbæ, inſtar maris fluctuum agitatæ tumultus compeſcit, domorum inter ſe diſſidentium rixas componit: indoctorum ruſticitatẽ donorum arrogantiam, paupertatem ad maleficia procliuem, iracundiam præcipitem,voluptatẽ animum effœminantem, eiuſq; harmoniam diſſoluentẽ, riſum petulantem, iuuentutis incõſtantiam ſenectutis ignauiã, viduitatis ſolitudinẽ comprimit & diſponit. Nam vera ſapientia nõ modo hominem à vitiorum contagione purum efficit, verumetiam ad ſummum virtutis faſtigium euehit,nec ſola veritatis cognitione contenta eſt, ſed & mores ſuos ad eam componit ac vitam dirigit. Qui vel ſolos mores, vel ſolam doctrinam conſequuti ſunt, altero autem deſtituuntur, ii mihi nihil à luſcis differre videntur, quibus cum turpe ſit altero carere oculo, etiam damnum magnum ſufferre coguntur. At quibus vtraque laude excellere ac veluti ambidexteris eſſe cõtigit, hi cum alterius vitæ beatitudine vitam agũt: ſic enim Dominus apud Matthæum ait, *Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur*

Digitized by Google

tur in regno cælorum. Quemadmodum enim nauis clauo regitur atque ad portum appellitur, ſic mens prudentiæ clauo animam gubernans ad cæleſtem portum eã dirigit, & in tuto beatitudinis loco conſtituit. Et ſapientiam qua animam ornat atque illuſtrat, negligere, nihil aliud eſt quam ſibi ad fœlicitatem viam præcludere, nihil aliud eſt quam mentem animi oculum ignorantiæ tenebris obfuſum ac obrutum, nunquam ad clarum veritatis lumen ex antro in ſolem educere.

8. Porro cum inter omnes ſcientias ſit quædam quaſi cognatio, vtpote quæ vnũ Sapientiæ corpus abſoluant, artes illæ quas liberales dicimus, altiorum diſciplinarum (vtpote Medicinæ quæ naturas rerũ inueſtigat, Iuriſprudentiæ quæ ex morali philoſophia ortum ducit & Theologiæ) ſunt veluti famulæ, & viliores quam vt iis quis vel addiſcendis vel diſcendis ætatem conſumat ad maiora deſtinatus: Nihil enim damni erit etiamſi quis neq; muſicus neque geometer, neque rhetor fuerit, honeſtis moribus opus eſt magis, quam politis ſermonibus. Hæc dico non quod iſta docere pueros prohibeam, ſed ne iſtis ſolis quis inhæreat & humi ſerpat. Etenim primus omnium philoſophorum & ſapientiſſimus Salomon diſciplinas in ordinem redigens, tres tantum modo ſcientias tradit, Moralem, Naturalem, & Diuinam: quas & per tria identidem volumina pertractauit. *Deſcripſi eam tibi tripliciter*, inquit, *Prouer. 22.* Mores enim per Prouerbiorum præcepta docet: Naturas rerum per Eccleſiaſten, aut certe per eos libros qui iniuria temporis exciderunt; diſputauit enim ſuper lignis à cedro: quæ eſt in libano vſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de iumentis, de volucribus & piſcibus: Diuinam ſcientiam per Canticum canticorum: artes vero liberales ne attigit quidem tanquam viliores, vtpote quæ ancillarum vice duntaxat fungantur. Moralem autem philoſophiam quę mores rite componit, ſerio tradit, quia neque Deum neq; cœleſtia contemplari valemus, niſi prius reſectis vitiis virtutibus moralibus imbuti fuerimus, quia ſcriptum eſt, *In maleuolã animam non introibit ſapientia nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1. Per naturalẽ autem philoſophiam quæ naturas rerum inueſtigat tanquam per quandam ſcalam in Deum eiuſque cognitionem trãſcendimus quia *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſint intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas*, teſte Paulo. Rom. 1. De diuina vero ſapientia ſic Sapiẽs loquitur qui ea imbutus erat, *Venit in me ſpiritus ſapientiæ,* Sap. 7. *& venerunt mihi omnia bona pariter cum illa & innumerabilis honeſtas per manus illius: & lætatus ſum in omnibus quoniam antecedebat me iſta ſapientia: Eſt enim ſpiritus ſapientiæ ſanctus & incoinquinatus, ſuauis, benignus & ſecurus omnem habens virtutem, omnia proſpiciens: eſt enim vapor virtutis Dei & candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula Dei, & imago bonitatis illius, theſaurus infinitus quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei: neminem enim diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat: hanc amaui & exquiſiui à iuuentute mea, & factus ſum amator formæ illius, & quæſiui in ſponſam mihi eam aſſumere, ſciens quoniam mecum communicabit de bonis, & propoſui hanc adducere mihi ad conuiuendum, neque enim habet amaritudinem conuerſatio iſtius, ſed lætitiam & gaudium, & in amicitia illius delectatio bona: per hanc claritatem habebo & honorem apud ſeniores, & apud eos qui poſt me futuri ſunt memoriam æternam: per illam acutus inueniar in iudicio, & in bello fortis.* hactenus ille.

9. Neque putes ſanctis duntaxat aut theologis ſapiẽtia hac opus eſſe, illis maxime neceſſaria eſt, qui in mundi tumultu verſantur: vt enim apparatu nauium & nauclero nõ ita opus habet qui ſemper in portu cõſiſtit, vt is qui in mari verſatur aſſidue, ita habet & ſolitarius & mũdi huius inquilinus: ille quidẽ in portu eſt trã-

quillo quietam vitam & ab omni tempestate liberam viuens, iste vero perpetuus est in marinis tempestatibus, fluctuatque in medio mari cum multis & magnis procellis pugnam habens: Itaq; quanto quis aut crebrior aut celebrior fuerit in hoc mundo, tanto magis opus habet hac sapientia, vt hac instructus cūctis malis possit obuiare, vnde Mercurius ille à Ioue missus ad mortale hominū genus, vt Plato fabulatur, vt homines sapiētia imbueret, interrogat Mercurius, quomodo sapientiā & iustitiā hominibus destribuere debeat, Num, inquit vt artes distributæ sunt, ita & has distribuam? Artes n. sic sūt distributæ, vt vnus quidē artem medicā, aut aliam quampiam teneat, quæ multis imperitis sufficiat. Itane ergo, inquit, & sapientiam & iustitiam inter homines distribuam? Nequaquam, inquit alter, sed in omnes eas distribuito: neque enim cōstabunt ciuitates si pauci illorum participes fuerint solum, veluti in aliis artibus: sed legem promulges vt qui sapientiæ & iustitiæ particeps non fuerit, omnis honoris expers maneat, sapientiam n. neglexisse inuenibus æque ac senibus obest, & vt Sapiens ait, *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.* Sap. 13.

PARS III.

DE VITA S. MARTINI.

1. NVNC pauca hic subiungenda de S. Martini vita, qui tanquā lucerna super candelabrum posita, resplenduit in Ecclesia, vt qui illam ingrediuntur, videant cuius vitam & mores imitentur. Martinus igitur parentibus quidem gentilibus oriundus, sed adhuc puer decem annorum, vt refert Sulpitius, pietatem spirauit & catechumenorum numero etiam inuitis parentibus, asscribi voluit, eiusq; cōuersatio in Ecclesiis & monasteriis frequēs erat: quindecim annorū existens inuitus ad militiam à patre rapitur, in qua non tā militem quam monachum agere videbatur, tanta enim humanitate quosuis complectebatur, vt cum quodā tempore pauper occurreret, nec stipem haberet qnam petenti porrigeret, ei partem chlamydis suæ daret, memor istius, Qnod vni ex minimis fecistis, mihi fecistis: vnde & Christum hac veste contectū in somno videre, & audire meruit, *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit:* & proprio suo seruo magis inseruiret quam ab eo seruiretur, cuius & ocreas detrahebat & purgabat sæpius, memor eius quod scriptū est, Non veni ministrari sed ministrare. Triennium propemodū ante baptisma militiam secutus est, integer tamen ab his vitiis quibus illud hominum genus implicari solet: mira eius erga commilitones benignitas, mira caritas, patientia vero & humilitas vltra humanum modum: animi liberalitas erga egenos & pauperes tanta vt ex militiæ stipendiis præter quotidianum victum nihil sibi reseruaret.

2. CVM iam octodecim esset annorum baptismum suscepit, sed militiæ nondum renunciare potuit, nisi biennio elapso, cum iam data oportunitate Cæsari diceret, Hactenus tibi militaui ô Cæsar, iam tēpus vt relicta militia sæculari, Deo deinceps militem: Respondit Cæsar eū metu pugnę, q̄ postera die futura erat, nō religionis causa detrectare militiam. Ad quod Martinus. Si hoc, inquit, ignauiæ asscribitur, non fidei, crastina die ante aciē inermis astabo, & in nomine Iesu, signo crucis, non clypeo protectus aut galea, hostiū cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur facturus fide dictis, vt inermis Barbaris obiceretur: Postera die hostes legatos de pace miserunt, sua oīa seque dedentes. Exinde relicta militia ad S. Hilariū Pictauiensem Episcopū se cōtulit, cui cum aliquādiu cōuixisset, in somno monitus vt patriam & parentes adhuc gentiles reuiseret, petita venia ab Hilario profectus est, ac primū inter Alpes in latrones incidit, cumq; vnus ei mortē stricto ense illaturus videretur stetit intrepidus, rog[...]

tus an non timeret, nunquam se tā securū fuisse aiebat. Igitur Martinus inde progressus ad parentes deuenit, matrē ab infidelitate eripuit ac liberauit, patre in eadem perseuerante. Deinde ab Arrianis multa passus & publice virgis cæsus, postquam Mediolani sibi Monasteriū statuisset, inde ab Auxentio principe Arianorū multis affectus iniuriis de ciuitate exturbatur. Inde recedens in quadā insula aliquādiu radicibus vixit herbarum, cumque quodam tempore elleborum venenatum in cibum inscius sumpsisset, vi veneni in grauem morbum incidit, sed oratione ad Deum conuersus & venenum repulit & morbum curauit. Non multo post quidam catechumenus se illi iunxit cupiens sanctissimi viri institui disciplinis: sed hic morbo correptus moritur ante susceptū baptismum: Martinus flens lagiter in corpus mortuum se deuoluit, & orationi incumbens post spatium duarum horarū ad vitam mortuus rediit, & baptismo suscepto plures postea superuixit annos. Ab hoc tempore beati viri nomen clarescere cœpit, vt qui sanctus iā ab omnib. habebatur, ēt potēs & Apostolicus haberetur. Nec multo post quendam alium qui laqueo sibi vitam ademerat, oratione sua identidem suscitauit. Sub idem tempus ad Episcopatum Turonensem Martinus populi suffragiis & votis postulatur, resistētibus tamen quibusdam Episcopis qui ad constituendum Antistitem fuerant euocati, dicentes indignum esse hominem contemptibilem vultu, veste sordidum ac crine deformem ad Episcopalem dignitatem promoueri. Episcopus factus Martinus velut nouum exortum lumen totā Galliam & vitæ sanctitate, & miraculis & prædicatione illustrauit, & ab errore gētilium ad Christi fidem conuertit.

3 In vita itaque S. Martini quædā nobis proponuntur in admirationem, quædam vero ad imitationē. Suscitauit Martinus tres mortuos, quantos nimirū Saluatorē legerat suscitasse: leprosum osculo mundauit: cœcis reddidit visum: surdis auditum: dæmones vicit: Angelos vidit: futura præuidit: verū hæc cæteraque eiuscemodi quæ diuina virtute fecit magnalia, in admiratione sunto: sed qui fuit in signis & miraculis admirabilis, in virturib. & meritis fuit insignis & imitabilis. Audi inter cætera eximiam eius mansuetudinem, &, suo illo Sulpitio sic scribēte, inuictam patiētiam, quam aduersus omnes iniurias habuit tantam, vt cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur, nec propter id eos aut loco vnquā amouerit, aut à sua quantū in ipso fuit, charitate repulerit. Quod in Brictio manifeste patuit. Quadam die dū in area resedisset Martinus vidit duos dæmones in excelsa illa, quæ monasterio supereminet, rupe consistere, & alacres ac lætos istiusmodi vocem emittere, Eia te Bricti, Eia te Bricti. Credo, inquit Sulpitius, cernebant miserum eminus propinquantem, conscii quantam illi rabiem spiritus concitassent. Nec mora furibundus irrumpit Brictius, & insania plenus mille cōuitia euomit in Martinū. Obiurgatus quippe ab eo pridie fuerat, quod q nihil vnquam ante clericatum habuisset, & in monasterio ab ipso Martino gratis enutritus esset, iā equos aleret & mancipia compararet, & non solum pueros, sed etiam puellas scitis vultib. coemisset. Qua correptione insano felle commotus Brictius, & præcipue istorum dæmonum furore agitatus, vt credibile est, Martinum ita aggressus est vt vix manibus temperaret: quem sanctus vir vultu placido, mente tranquilla per mansueta verba cohibere nitebatur: Ipse interim euomebat in Martinū quicquid in buccam veniebat, se Martino & meliorē & sanctiorem esse, quippe qui à puero in monasterio enutritus esset, Martinum autem à principio quidem in militiæ nequitiis versatū, nūc autem velut delirum & superstitione plenum inter phantasmatica visionum deliramenta senuisse. Hæc & multa alia etiam acerbiora cum euomuisset satiato furore egreditur. Cum interim, credo per Mar-

tini orationes, fugatis è pectore illius dæmonibus, reductus ad pœnitentiam mox reuertitur, atq; ad Martini ſe genua proſternit veniam poſtulans agnoſcit culpã, ignoſcit Martinus non ſolũ ſupplicanti, ſed addit qualiter vidiſſet illum à dæmonib. agitari, ſe conuiciis non moueri, quæ magis illi, à quo prolata eſſent, quam ſibi nocerent: illud ſæpe commemorans cum ſæpius à Brictio impeteretur, Si Chriſtus Iudam paſſus eſt, cur ego non patiar Brictium. Poſtremo in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, eumque ex omnibus ſibi ſucceſſorem elegit, & de tanta poſt futura aduerſitate præmonuit.

4. CONTIGIT quod cum quodã in loco non procul à monaſterio, in quo degebat S. Martinus cũ octuaginta aliis diſcipulis (licet n. ad Epiſcopalem dignitatem euectus eſſet, rigorem tamen monaſticæ diſciplinæ non deſerebat) quidam tanquã martyr coleretur, quippe qui & altare ſibi erectum habebat atque conſecratũ, & cuius nominis hic martyr & quo tempore paſſus eſſet, ignoraretur, S. Martinus huiuſmodi cultum, ſimul & ipſum martyrem ſuſpectum habens, quodã die orauit ad Dominum, vt quis eſſet & cuius meriti hic martyr, ei oſtendere dignaretur. Tum conuerſus ad læuam, videt prope aſſiſtere vmbram trucem & ſordidam: imperat nomen meritumque vt edat: Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem ſe fuiſſe ob ſcelera percuſſum, vulgi autem errore hactenus ſe ibi tanquam martyrem celebratum & honoratum, cum nihil ſibi cum martyribus eſſet commune, cũ illos gloria, ſe pœna detineret & teneret. Mira res, vocem loquentis qui aderãt audiebant, perſonam tamen non videbant: Tum Martinus quid vidiſſet, expoſuit: iuſſitque altari ſubmoueri ac deſtrui, atque eo modo populum ſuperſtitionis abſoluit errore.

5. ACCIDIT quoque quodam tempore dum iter ageret, vt Gentilis cuiuſdã corpus, quod ad ſepulchrum cũ ſuperſtitioſa pompa deferebatur, obuium haberet. Conſpicatuſque eminus venientem turbam, quidnam id eſſet ignarus, paululum ſtetit: Nam cum fere quingentorum paſſuum interuallum eſſet, difficile erat dignoſcere quid videret: Attamen cum ruſticam turbam cerneret, & agente vento linteamina corpori ſuperiecta volitarent, profanos ſacrificiorum ritus agi credidit: Erat enim hæc ruſticis Gallorum conſuetudo ſimulacra dæmonum candido tecta velamine, miſera per agros ſuos circumferre dementia. Eleuato ergo in aduerſum ſigno crucis, imperat turbæ non moueri loco, onuſque deponere. Hic vero mirum in modum videres miſeros primum velut ſaxa riguiſſe, deinde cum primo mouere ſe ſummo conamine niterentur, vlterius progredi non valentes, ridiculã in vertiginem rotabantur, donec fatigati corporis onus deponunt attoniti, & ſe met inuicem aſpectantes, quidnam ſibi accidiſſet, taciti cogitabant. Sed cũ B. vir comperiſſet exequiarum illã eſſe pompã, non ſacrorum, eleuata ruſum manu, dat eis abeundi & tollendi corporis poteſtatem. Ita eos & cum voluit, ſtare compulit, & cum libuit, abire permiſit.

6. DICIT Dominus Marci 11. *Habete fidem Dei: amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, tollere & mittere in mare, & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiet ei:* Quod enim Deus poteſt per naturã, hoc homo fide fortis, & Deo iunctus poteſt per gratiã: Deo autem omnis creatura ſubiecta eſt, eiuſq; imperio omnia obediũt, nec eſt qui voluntati eius reſiſtere poſſit: Sic & omnia ſubiecit Dominus ſub pedib. hominis in ſuã integritate cõſiderati, aut ad eã aliquouſq; perducti, Id qđ ipſius Martini exemplo manifeſtum fieri poterit: is n. cum ſedulus eſſet in fanis & aris idolorum ſubuertendis, accidit quod in vico quodam arbor pinus fano antiquiſſimo coniuncta eſſet: quã vir Dei cũ excidere vellet, antiſtes loci illius cæteraq; gẽtiliũ turba cœpit obſiſtere. Et licet fanum dirui permiſerant, nullo tamen modo

modo arborem succidi patiebātur. Cumque vir sanctus verbis instaret, vt dæmoni dedicata arbor exscinderetur, vnus ex illis ita ait, Si aliqua tibi in Deo tuo, quē colis est fiducia, nos eam exscindemus, ita tamen vt tu eam latentem excipias, & Christi tui virtutem nobis pariter manifestam facias. In hanc conditionem consentiebat non solum gentilium turba, sed & Martinus ipse, vt vinctus pro rusticorum arbitrio eo in loco statueretur, quo arborem esse casuram nemo dubitabat. Succiditur itaq; pinus, cumq; nutare paulatim & ruinam minitari inciperet, monachi pallore perfusi & periculi magnitudine cōterriti spe omni fideq; abiecta, solam Martini mortem expectabant. At ille Christi virtuti & gratiæ confisus intrepide ruentem operiens pinum, eleuata manu cōtra salutiferæ Crucis opposuit signum & iam iamq; labantem mirabile dictu, quasi turbine retroactam in alteram partem ruere fecit. Tum vero clamore in cœlum sublato, gentiles stupere miraculo, monachi flere præ gaudio, Christi nomen in commune ab omnibus prædicari, & relicto impietatis errore plurimi in eum credere.

7 Nec solum donis miraculorum claruit vir Dei, quæ quoniam mira fuere & varia, ne propter multitudinem fastidiū lectori pariant, hic omittenda putaui, eo potissimum magis, quod ex iis sanctitas cuiuspiam certo & euidenter colligi nequeat, cum ea gratia & reprobis legatur concessa, ita enim dicent hi in die iudicij, *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus & dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecerimus? & confitebor illis quia nunquā noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* hæc ibi. His igitur omissis ad eas gratias viri sancti deueniamus, quæ ipsum Deo commendauerunt, & gratum acceptumq; fecerunt, qualia sunt Sapientia, Prudentia, Pietas Patientia, Humilitas & similia, quibus ita eminuit vt ei virtus in naturam versa videretur.

Matt. 7.

Res hæc exemplo manifestanda. Cum ad Imperatorem Maximum ferocis ingenij hominem, animal tumidum & ciuiliū bellorū victoria clarum, plures ex diuersis partibus Episcopi conuenissent, & degener erga Principem notaretur omnium adulatio, in solo Martino reluxit vera & Apostolica auctoritas, qua & sacerdotalē dignitatem honorabat, & se turpiter alteri subiicere non consueuerat. Nam cum sæpius ab Imperatore vocaretur vt ei cōuiua esset, à conuiuio eius abstinuit tamen, dicens, se eius mēsæ participem esse non posse, qui duos Imperatores, vnum regno scilicet Valentinianum iuniorem, alterum vita, scilicet Gratianum, priuasset. Hac in parte dum Maximus Imperator se excusaret, se sponte propria Imperium non inuasisse, sed impositam sibi à militibus diuino nutu necessitatem regni armis defendisse, nullumq; ex aduersariis nisi in acie occubuisse: Hac ratione motus Martinus ad conuiuium venit, eumque beneuolo animo Imperator excepit, sibi in eo congratulans quod id impetrasset. Aderant conuiuæ veluti ad diem festum euocati, summi atq; illustres viri inter quos Martini presbyter medius accubuerat, ipse autem sellula iuxta Regem posita consederat. Ad medium vero conuiuiū vbi pateram, vt moris est, minister Regi obtulisset, ille sancto admodum Episcopo dari potius iubet, expectans atq; ambiēs vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet: quāquam enim omnis potestas à Deo sit, secularis tamen potissimum quæ in infideli existit, spirituali cedere debet. Quod factū Imperator, omnesq; qui aderant, ita admirati sunt, vt hoc ipsum eis in quo contemni videbantur, summopere placeret, celeberrimumque per totum palatium euasit, fecisse Martinum in Regis prandio, quod in infimorum Iudicum conuiuiis, Episcoporum nemo vnquam tentasset.

Digitized by Google

8 Prædixit insuper Martinus longe ante eidem Maximo futurum, vt ſi ad Italiam pergeret bellum Valentiniano inferẽs, ſciret ſe primo quidem impetu victorem futurum, ſed paruo poſt tempore eſſe periturum: Quod plane euenit vt prædictum fuit. Nam primo aduentu eius Valentinianus in fugam verſus, poſt anni ſpatium reſumptis viribus cum Theodoſio reuerſus captum intra Aquileię muros Maximum interfecit. Ita Dominus mirificauit ſanctum ſuum vt tanquam alter Elizæus, & donis miraculorum clareret, & ſpiritu prophetiæ admirandus eſſet, & omni virtutũ genere illuſtris foret: in cuius ore nil niſi Chriſtus reſonaret, & in pectore nõ niſi vera pietas reluceret: cuius animus cælo ſemper intẽtus aſſidue orationib. vacabat, ita vt ne inter grauiſſimas occupationes mentem à ſtudio precandi relaxaret. Quo fiebat vt vitia cuncta irã, libidinem, impatientiam, & cætera id genus monſtra, ita deuiciſſet, vt nemo eum vnquam vel iratum, vel iniuriæ memorẽ & vindictæ cupidum, vel riſu diſſolutum, aut etiam mœrentem viderit, ſed vnus idemq; ſemper in eo vult*, neq; proſperis elatus, nec aduerſis deiectus, ſed moderate lætus, immobilis præ ſe ferre videbatur imaginem æternitatis, in eoq; vere completum videbatur, quod vulgo dicitur, Sapientis eſt non moueri.

9 Hæc B. Martini ſanctitas diabolum minime latuit, qui vt capitalis hoſtis humani generis, potiſſimum vero cõiuratus inimicus ſeruorum Dei, cum eam ferre non poſſet, omnibus quib. potuit modis eũ de hoc ſuæ ſanctitatis gradu deturbare conatus eſt; Cumq; inſidiis eũ fallere non poſſet, quamcumq; enim in formam ſe diabolus transtuliſſet, nam interdum in Iouis perſona, plerumq; etiã in Mercurij, aut Veneris vel Mineruæ, ſe conſpiciendum exhibebat viro Dei, ſtatim à Martino agnitus, ſigno crucis & orationis auxilio munitus eũ à ſe fugabat: Quem itaq; inſidiis fallere non poterat, conuitiis laceſſere non deſtitit, aut etiam terroribus & minis deiicere non reformidauit. Quodam tempore n. cornu bouis cruentum in manu cum teneret cum ingenti fremitu in cellam eius irruit, cruentamq; oſtentans dexteram, & admiſſo recenti ſcelere exultans, Vbi eſt, inquit, Martine virtus tua? an vt vides vnum de tuis modo interfeci. Tunc ille conuocatis fratrib. refert, quid diabolus dixiſſet. Sollicite igitur inquiri iuſſit per ſingulorũ cellulas, Quiſnã hac calamitate affectus eſſet: Neminem quidem de monachis deeſſe, ſed vnũ ruſticum mercede conductum, vt vehiculo ligna deferret, ad ſyluam iuiſſe nunciant. Iubet igitur aliquos ei obuiam ire, qui m haud longe à monaſterio pene exanimẽ reperiunt: qui extremum iam trahens ſpiritum indicat fratribus ſui vulneris ſuæq; miſeriæ fortunæ, ac mortis caſum. Iunctis, inquit, bobus, cum diſſoluta lora arctius conſtringerem, bos vnus excuſſo capite cornua inter inguina mea incuſſit. Hocq; vulnere ſic miſere afflictus, paulo poſt vitã finiuit. Cum itaq; diabolus mille nocendi artibus ſanctum virum aut decipere & illudere, aut turbare & diuexare conaretur, accidit quodam die quod ipſe claro circumamictus lumine, quo facilius claritate aſſumpti fulgoris viro Dei illuderet, veſte ẽt regia ac purpurea indutus, diademate ex gemmis auroq; redimitus, calceis auro illitis, ſereno ore, læta facie, vt nihil minus quam diabolus putaretur, oranti in cellula aſtaret. Cumq; Martinus primo aſpectu eius nonnihil fuiſſet hebetatus, diu multumq; ſilentium tenuerunt ambo: tandem prior diabolus, Agnoſce, inquit Martine quem cernis: Chriſtus ego ſum; deſcenſurus aũt ad terras, prius me tibi manifeſtare volui: Ad hæc cum Martinus taceret, nec vllum reſponſum daret, iterate auſus eſt dixitq; diabolus: Martine quid dubitas me credere Chriſtum cũ videas? Tum ille, reuelante ſibi ſpiritu nõ Chriſtum ſed diabolum eſſe qui apparebat; Non ſe, inquit, Dominus Ieſus purpuratum & diademate redimitum venturum prædixit: Ego Chriſtum nõ niſi in

Digitized by Google

eo habitu formaq; qua passus est, venisse credam. Ad hanc ille vocem statim vt fumus euanuit: cellulam quoq; tanta fœtore compleuit, vt indubia & certa indicia relinqueret, diabolum se fuisse. Hoc ne fabulosum quis existimet, ex ipsius Martini ore dicit, qui hæc descripsit se audiuisse. Et quanq̃ diabolus sæpius à viro Dei victus fugatusq; esset, non ideo tamen eum infestare destitit: Nam quodam tẽpore publice inclamabat dæmon, & audientibus fratribus, Martinum eos in suũ monasterium recipere qui indigni essent, quippe qui improba sua vita baptismum suum sæpius polluissent, seseq; contaminassent, ac Dei gratia indigni essent. Cui Martinus, antiqua debita melioris vitæ conuersione deleri: etiam ipsum dæmonẽ si modo suorum scelerum eum pœniteret, in Dei gratiam recepi posse.

11 QVANDOQVIDEM vero vt mens sana sit in corpore sano, non vnica virtus ad id sufficit, sed varia virtutum genera ad hoc sint necessaria, sicut in corpore humano vt illud integrum sit, non vnum membrũ sufficit, sed varia requiruntur: Hinc S. Martinus in omni virtutum genere se exercuit quam potuit diligentissime, non superficie tenus vt appareret duntaxat velut sepulchrum dealbatum, sed ex tota animi virtute, vt virtutes omnes quasi in naturam conuersas obtinere visus fuerit, in eoq; cõpleretur quod Paul. ad Coloss.

Coloss. 3. ait, *Induite vos sicut electi Dei viscera misericordia, benignitatem*, &c. Id quod exẽplo hoc manifestum euadit: Accidit vt quidã pauper seminudus hybernis mensib. eunti ad Ecclesiam occurreret, & aliquod suæ nuditati operimẽtum supplex postularet. Tunc ille accersito archidiacono iussit algentem sine dilatione vestiri. Sed cum ille mandatum negligeret, pauper beati viri præsentiam obseruans, in secratium vbi solus erat Martinus, irrupit & nouis querimoniis nuditatem suam sancti Episcopi oculis obiecit: Nec mora, Martinus intra amphibalum, paupere minime vidente, tunicam suam latenter educens, eaque eum contegens discedere iubet. Paulo aũt post ingressus archidiacon⁹ admonet, pro cõsuetudine in Ecclesia expectare populum, illum ad agendum Missarum solennia debere procedere. Cui ille respondens ait se ad Ecclesiam procedere non posse, nisi vestem prius pauper (se autem intelligebat) acciperet, qua se tegeret. Diaconus vero nihil intelligens, quia extrinsecus amphibalo indutus erat antistes, interius vero veste nudatum non videbat, & pauperem nullum adesse inquiebat. At Martinus, Mihi, inquit, vestis quæ parata est, deferatur, pauper nõ deerit vestiẽdus. Necessitate compulsus archidiaconus & iracommotus, e proximis taberais migrã, breuem & hispidam quinq; argenteis cõparatam vestem adfert, eamq; ante pedes antistitis iratus proiicit. En inquit vestẽ, sed pauper iam recessit: Ille nihil motus iubet eum paulum stare pro foribus, vtiq; vt occulte nuda interim cõtegeret membra. Cum hac igitur Deo oblaturus sacrificium procedit: & ecce globus de capite illius igneus emicans in sublime tẽdebat: verum quẽ non quiuis promiscue de vulgo cuius magna multitudo sacris intererat videbat, sed vna tãtum de virginibus, & vnus de presbyteris, tres tantum videre de monachis.

12 CÆTERVM vt Christo Domino suo similis euaderet, non solum operationevirtutum, sed & tolerantia passionum, vtroque enim in genere egregie versatus sit oportet qui christianæ religionis apice attingere velit; accidit q̃ eum quodam tẽpore diœceses visitaret, sociis illius nescio qua necessitate in via remorantibus, ille aliquantulum præcesserit, & factus obuiã quibusdam militibus rhedæ insidẽtibus, misere & crudeliter flagris & fustibus ab iisdẽ exciperetur, & exanimis totus cruentus & lacero corpore humi iacẽs relinqueretur. Causa autem huius infortunij erat ista: Cum Martinus asello vectus per publicum aggerem iter ageret, cõtigit quod rheda istorum militum appropinquaret Martin⁹, & iumẽta viso Martino perterre-

facta

facta declinarent in alteram partem, & funibus implicatis ægre expediri poſſent, ita vt moram ibidem protrahere diutius quã vellent cogerentur milites: id ægrius ferentes ex rheda deſiliunt & Martinum flagris & fuſtibus egregie cædunt: Cumq; ille immotus permaneret, & incredibili patientia ictus exciperet, & nihil diceret, illi exiſtimantes ſe cõtemni acrius inſtiterunt, & ex hoc furentes magis, crudelius eũ ceciderunt, & tandem ſatiato furore ad rhedam ſuam regreſſi ſunt vt iter inceptũ perficerent: At iumenta eorũ ita immobiliter ſubſtiterunt, vt nec clamoribus, nec flagris quantumcumq; multiplicatis vrgeri potuerint vt progrederentur, ſed ita firmiter ſtabãt tanquã penitus obriguiſſe viderẽtur. Interim ad ſe reuerſi milites, cogitare cœperunt quod res erat, diuino numine hanc plagam eis inferri: & percunctari cœperunt quiſnam ille eſſet, quem paulo ante in eodem loco cecidiſſent: & reſponſo accepto à prætereuntibus Martinum eſſe quem ita crudeliter tractaſſent: Interim ſuperuenerant cõſocij S. Martini, qui eum ſemiuiuum & humi iacẽtem repererunt, & aſello ſuo impoſitum auexerunt. Milites igitur hi pœnitentia ducti celeri curſu Martinum inſequuntur, & ad illius genua prouoluti culpam agnoſcunt, & pœnitentiã agẽtes veniam ſui ſceleris poſtulant, & vt eos abire ſineret efflagitant. Veniam igitur clementer indulſit vir Dei, & animalibus in integrũ reſtitutis eos abire permiſit. Eos autem ſic retineri præſciebat Martinus, ſuiſq; ſociis prędixerat antequam milites aduenirent.

12 NVNC quæ circa Valentinianum Imperatorem contigerint, paucis referamus, vt hinc quantæ virtutis & meriti eius orationes apud Deum fuerint, clare intelligamus. Cum primum ad Epiſcopi dignitatẽ euectus eſſet vir Dei, quædam neceſſitas Valentinianum qui tunc rerum potiebatur, eum adire coegit. Is autem Martinum venientem palatij foribus arceri iuſſit, ꝙ poſtulata Antiſtitis concedere nollet. Accedebat ad animum illius immitem atque ſuperbum vxor eius hæreſi Arriana infecta, quæ totum eum à ſancto viro auerteret. Itaq; vir ſanctus ſemel iterumque repulſam paſſus, ad opem diuinam ſupplex confugit, cilicio induitur, cinere conſpergitur, cibo potuq; abſtinet, & per ſeptem dies orationem cõtinuat, ſeptimo vero die ab Angelo monitus vt regiam ſponte reſerandam peteret, & ſuperbum Principem diuina virtute molliendum intrepido adiret: fretus eo auxilio palatium tertio acceſſit: Patent limina, nullus obſiſtit, intrat aulæ penetralia, & poſtremo ad ipſum, nemine prohibẽte, Regem peruenit. Qui venientem eminus conſpiciens nequaquam adſtanti aſſurgere dignatus eſt: donec regiam ſellam ignis inuaderet quo ſuperbus Princeps ſolio ſuo excutitur, & vel inuitus Martino aſſurgit, & virtutem diuinam ſentire ſe dicens, omnia poſtulata Martino annuębat, quin & abeunti multa munera offerebat, ſed quæ vir ſanctus tanquam verus paupertatis amator, cuncta reiecit.

13 SOLET DEVS amicos ſuos ita exercere vt per temporum interualla eos mirum in modum humiliet, vt patet in Iob, alias vero ſupramodum eos exaltat: Quod & ſeruo ſuo Martino accidere permiſit, quantum enim Valentinianus imperator, eiuſq; vxor Arriana eum oderant & inſectabantur, tantum honoris & fauoris ei impendebat Regina Maximi Imperatoris coniunx & maritus ipſe Imperator Maximus. Cum enim ille ſępius euocatum Antiſtitẽ ſumma veneratione in palatio proſequeretur, eiuſq; ſermones de fidelium gloria, & æternitate Sanctorum incredibili auiditate audiret, & nõ minus Regina ipſa de ore illius penderet, & à viri pedib. ſolo ſtrata diuelli non poſſet, nihil opes regni, vel imperij dignitatem, non diadema vel purpuram cogitans, à viro ſuo popoſcit, vt viro Dei remotis omnib. miniſtris ſola conuiuiũ præparare poſſit. Conſentit Imperator, inſtat vterq; apud Antiſtitẽ, ita vt recuſare ampliꝰ & reluctari obſtina-

Digitized by Google

stinatius vir sanctus non posset. Componitur conuiuii apparatus ipsiusmet Reginæ manibus, mensam adornat, aquã manibus subministrat, cibum quem coxerat, apponit: Ipsi illo sedente, non mensæ assidet, nulla enim vnquam fœmina Martinum contigerat, sed colloquia, congressus, & conuictus fœminarum euitanda docebat, non solum verbo doctrinæ, sed magis exemplo vitæ, sed eminus secundũ famulantium disciplinam solo fixa per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens seruiebat. Finito conuiuio, fragmenta panis absumpti micasque fideliter colligens, illas reliquias Imperialibus epulis anteposuit & prætulit.

14. ET quoniam vir innocens Martinus ad eum innocentiæ statum, in quo primus conditus homo fuit, ex parte peruenisse visus fuerit, etiam dominium, quod in bestias terræ primus homo habuit, aliqualiter recuperauit. Quodam tempore enim cum suas diœceses visitandi gratia circuiret, venantium agmen cum suis incurrit: canes leporem insequuntur, iamque multo spatio emenso, cum campis vndique late patentibus, nullum effugium miseræ bestiolæ superesset, & mortem tamen imminentem iam iamque capienda crebris flexibus euitare contenderet, eius periculum vir beatus pia mente miseratus, imperat canibus vt insequi desistant & fugientem abire sinerent, dicto citius imperio obtemperant, & ita constiterunt, tanquam suis vestigiis affixi hærerent: lepusculus autem incolumis sic euasit. Huic non absimile est quod alias contigit. Martino namque Treueris reuertenti obuiam fit vacca à dæmone agitata, quæ relicto grege suo in homines ferebatur, & iam multos noxie petulans confoderat cornibus. Verum vbi Martino suisq; sociis cœpit esse propinqua, ii qui eam eminus sequebantur, exclamare voce magna cœperunt, Cauete vobis, cauete. Cum autem ad eos toruis furibunda luminibus propius accessisset, Martinus eleuata obuiam manu pecudem consistere iubet, quæ mox ad verbum illius stare cœpit immobilis, cum interea vidit Martinus dæmonem dorso illius insidentem: Quem increpans, Descende, inquit, funeste de pecude & innoxium animal agitare desiste. Paruit nequã spiritus & recessit. Nec defuit sensus in vacca quin se sentiret liberatam: ante pedes enim sancti viri recepta quiete sternitur: deinde iubente Martino gregem suũ petit seque agmini cæterarum oue placidior immiscuit.

15. PORRO sicut opere ita & sermone potens fuit Martinus coram Deo & hominibus: Fatetur enim Sulpitius eius discipulus se ex nullius vnquam ore tantum scientiæ & sapientię hausisse quam ex magistri sui Martini: qui licet homo illiteratus esset, tanta tamen sapientia, tanta grauitas & dignitas è verbis eius emanabat, tam facilis & promptus & perspicax in resoluẽdis etiam difficillimis scripturarũ quæstionib. erat, vt non humanitus sed diuinitus omnem suam scientiam hausisse visus fuerit: quod satis superq; reipsa declarauit per subsequens exemplũ. Miles quidam erat, monachum professus, qui cingulum seu symbolum in Ecclesia abiecerat, quasi eremita deinceps victurus. Interea astutus inimicus diabolus variis cogitationib. brutum pectus huius militis exagitabat, vt coniugem, quã Martinus in monasterio virginum esse præceperat, secũ habitaturã adduceret. Adiit ergo Martinum fortis eremita, & quis eius esset animus, libere confitetur. Ille vero vehementer cœpit abnuere, nec vllo modo hoc permittẽdum vt fœmina viro, iam monacho non marito, rursus coniungeretur aut misceretur. Cumq; miles instaret vlterius affirmans nihil hoc proposito suo esse obfuturum, se enim solo coniugis vti velle solatio, nec metuẽdum esse se in sua prolapsurum solita, se esse militẽ Christi, illam quoq; in eadem eiusdem militiæ sacramenta iurasse: pateretur proinde Episcopus sanctus eos sexum suum fidei merito nescientes pariter habitare & pariter

militare. Tū Martinus, Dic mihi, inquit, si vnquam in bello fuisti, si in acie constitisti: At ille respondens frequenter, *inquit*, in acie steti, & bello frequenter interfui. Ad hæc, Martinus: Dic mihi ergo, nunqd in illa acie, quæ armata in prælium parabatur, aut iam aduersus hostilem exercitum collocato cominus pede districto ense pugnabat, vllam fœminam stare aut pugnare vidisti? Hac militis comparatione rationabili victus miles, & non aspera aut dura increpatione confusus erubuit & erroneum animum correxit. Martinus autem conuersus ad suos, vallauerat enim eum frequens turba fratrum. Mulier, *inquit*, virorum castra non adeat, acies militum separata consistat, procul fœmina in suo degens tabernaculo sit remota contemptibilem n. reddit exercitum, si virorum cohortibus turba fœminea misceatur. Miles in acie, miles pugnet in campo: mulier se intra murorum munimenta cōtineat. Habet & illa gloriam suam si pudicitiam viro absente seruauerit: cuius hęc prima virtus & consummata victoria est, non videri.

16. VNDE summo affectu prædicare solet virginem illam, quæ ita se penitus ab omnium virorum oculis remouisset, vt ne ipsum quidem Martinum adse, cum eam ille officii causa visitare vellet, admiserit. Nam cum prope agellum illius præteriret in quo se etiam ante complures annos pudica cohibebat, audita fide illius atq; virtute, ad eam diuertit, vt tam illustris meriti puellam religioso officio Episcopus honoraret. Nos consequentes, inquit Sulpitio quidam, gauisuram illam virginē putabamus, si quidem hoc in testimoniū virtutis suæ esse habituram, ad quam tanti nominis sacerdos deposito propositi rigore venisset. Verum illa propositi vinculo fortissimi, ne Martini quidem contemplatione laxauit. Ita vir beatus accepta per aliam fœminam excusatione laudabili, ab illius foribus, quæ se videndam salutandamq; non dederat, admirans & gaudens abscessit: nam hanc repulsam non sui vilipensionem, sed virginis virtutem & verecundiam, raræq; castitatis exemplum interpretabatur. Cumq; Martinus nō longe ab illa villula propter superuenientem noctem manere cogeretur, Xenium beato viro eadem virgo transmisit. Fecitque Martinus quod ante facere non consueuerat: nullius enim ille vnquam Xenium, nullius munus accepit: nihil ex his quæ virgo venerabilis mittebat, remisit, dicēs benedictionem illius à sacerdote minime respuendam, quæ etiam multis sacerdotibus præferenda esset.

17. SÆPIVS Martinus à spiritibus bonis, à Petro & Paulo, à Tecla, Agnete & Maria, visitari solet, cum iisq; familiariter agere & colloqui, prout Sulpitius eius discipulus testatur: qui cum quodam tempore in cubiculo Martini, ante cuius fores hic excubabat, quoddam murmur colloquentium audiuisset, obstupescens totus horrore concutiebatur: cumq; post duas horas Martinus egrederetur, instare cœpit fortius Sulpitius, declarare vellet Martinus quiduam intus actum, propter quod ipse & socius eius tāto horrore conturbati essent. Tum ille diu multumq; cunctatus, tandē id quod res erat aperuit, & S. Teclam, Agnetem, & Mariam cum eo collocutas fuisse, & cultum ac habitum singularum referebat, seseq; ab iis frequēter visitari asserebat, sicut & à Petro & Paulo: verum silentium eis indicebat, ne cuiquā hæc aperirent aut propalarēt. Simul & hoc adiungebat sese sæpius à dæmonibus infestari, quos etiam suis nominibus increpabat: patiebaturq; Mercurium maxime infestū: Iouē brutū atq; hebetem esse dicebat: Et tantā potestatē in ipsos dæmones habebat Martinus, vt quęadmodū aduentante iudice rei damnandi trepidare solent, ita aduentu Martini energumenos audires rugientes. Vidi quendā, *ait Sulpitius*, appropinquāte Martino in aera raptū manib. extensis in sublime suspendi: alios sublatis in sublime pedibus quasi de mole pendere, nec tamē vestes in faciem defluebant: quos sola oratione liberabat Martinus.

18. Va-

18. VERVM dies me deficeret si cuncta quæ fecit & passus est Martinus enarrare velim: cæteris igitur omissis ad obitum eius propero, quem longe ante præsciuit, suisq; fratribus cum immineret ante prædixit. Tunc vox vna omniũ, Cur nos pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Scimus quidem desiderare te Christũ, sed salua tibi tua sunt præmia, nostri potius miserere quos deseris: inuadent n. gregem tuũ lupi rapaces. Tum ille motus his vocibus ac suorum fletib. illachrymasse dicitur, & ad Dominum cõuersus dixisse, Domine si ad adhuc populo tuo sum necessarius, nõ recuso laborem, Fiat volũtas tua. Interea cum iam per aliquot dies vi febriũ viribus destitueretur paulatim, inuictum ab oratione non relaxabat spiritum, recubãs in nobili illo suo strato cinere & cilicio. Cumque a discipulis rogaretur vt saltem vilia sibi fineret stramenta supponi: Non decet, inquit, filii, Christianum nisi in cinere mori: Ego si vobis aliud exẽplum reliquero, ipse peccauero. Cumque à presbyteris, qui tunc aderant, rogaretur vt corpusculum lateris mutatione releuaret: Sinite, inquit, finite me fratres, cælum potius intueri quam terram, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Hæc locutus diabolum vidit prope se assistere. Quid hic inquit, astas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies: Abrahæ me sinus recipiet. Et hoc dicto, paulo post reddidit Deo spiritum, octogesimoprimo ætatis suæ anno, Episcopatus autem vigesimo sexto: A passione autem Domini vsq; ad transitum S. Martini anni quadringenti duodecim cõputãtur. Multi autem in eius obitu psallentiũ voces audierunt in cælo: Inter quos B. Seuerinus Coloniensis Episcopus die dominico cum loca sancta ex consuetudine post Matutinas cũ suo clero visitaret, has psallentiũ voces audiuit suoq; Archidiacono q tũ ei aderat, dixit Dominus meus Martinus Episcopus Turonensis migrauit ex hoc seculo, & nunc angeli cum iubilo deducũt eum in cælum. Archidiaconus Turonum misit velociter qui id inquireret, & ita inuenit vt Seuerinus prædixerat. Sed & S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis dum dominico die sacrum perageret assistens altari amplius quam per duas horas obdormiuisse putabatur: cumq; à suis iam longa mora fatigatis & pertæsis excitaretur, Nolite turbari inquit, multum mihi salutare sic obdormiuisse: nã frater meus Martinus è viuis excessit, eiusque funeri obsequium præstiti. Dicit tamen *Baron. to. 5. Annal.* quod è corpore migrauerit anno Domini 420. ætatis suæ 86. cum sedisset annos 31.

IN FESTO S. CATHARINÆ.

TVNC *simile erit regnum calorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes, &c.* Matth. 25.

Summa eorum quæ hic dicuntur.

I. *In die iudicii fatuitas & prudentia patebunt virginum.*
II. *Qui per virgines intelligantur, & quid lampadis nomine.*
III. *In quo fatuitas aut prudentia virginum sita.*
IV. *Quid per moram & quomodo dormiunt omnes & quis clamor fit media nocte, & quomodo surgant vt ornent suas lampades.*
V. *Cur prudentes subsidium negant & quomodo ad vendentes mittuntur.*
VI. *Affectus praui in fatuis remanent.*

PARS I.

ART. I. In die iudicii fatuitas & prudentia virginum detegenda.

1. TVNC *simile erit regnũ cælorũ decẽ virginibus quæ exierunt obuiam sponso & sponsæ.*) Tunc inquit Dominus, hoc est, in die iudicii, de quo præcedenti capite

cccccc 2 fuit

Digitized by Google

fuit facta mentio, simile erit, hoc est, apparebit, quod nunc non apparet dum boni malis in ecclesia sunt permixti, quia fatuæ à prudentibus virginibus hic discerni non possunt: Est enim vita iustorum hic abscondita cum Christo in Deo, *teste Paulo* sicut vita arborum manet abscondita in hyeme, vt vix arbores viuæ à mortuis discerni queant, quia radix vitæ, hoc est, charitas ipsa manens abscondita, latet in corde: & ideo quamuis & nunc similis sit ecclesia decem virginibus, non tamen apparet, sed in iudicii apparebit quæ virgines fuerint fatuæ & prudentes: Sic enim quæ ibidem Paulus ait, *Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Quam sententiam & Ioannes cap. 3 confirmat aliis verbis dicens, *Carissimi nunc filii Dei sumus & nondum apparuit quid erimus, scimus autem quia cũ apparuerit, similes ei erimus quoniam videbimus eũ sicuti est*, quasi dicat, ex visione diuinitatis eius accipiemus similitudinem eius, vt qualis est ipse, tales & nos pro modulo nostro fiamus qui eũ videbimus: tunc teste psalmista. *Educet quasi lumẽ iustitiã tuã, & iudicium tuũ tãquam meridiem*, tunc, h. e. in die iudicii iustitia tua omnibus in modũ lucis euidenter & splendide erit conspicua, & efficiet vt luce meridiana clarius appareat quale iudiciũ de te passim haberi debeat. Tunc etiam ipsi reprobi cernentes Sanctorum gloriam & iustitiam dicere cogẽtur, *Hi sunt quos habuimus aliquando in dirisum, & ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter sanctos sors illorum est.* Et sicut sanctorũ iustitia educetur quasi lumen ita & fatuarũ virginũ fatuitas omnibus tunc erit manifesta: Hic a. teste Ecclesiaste, *omnia in futurum seruantur incerta.*

Colos. 3.

1. Ioan 3.

Psal. 36.

Sap. 9.

Eccle. 3.

II. Qui per virgines intelligãtur. Amb. ser. 16 in Psal. 13.

1. DECEM *Virginibus*) De aperte malis, vtpote hæreticis, Iudæis, infidelibus, aut etiam improbis Christianis qui neq; vere neq; apparenter decem Dei præcepta obseruant, vnde & decem Virgines dictas existimo, hic non agitur, quia illi ornant lampades suas vt exeant obuiam sponso, eius aduentum non expectant, vitæ integritatem ne quidem apparenter seruant, sed viuentes in carnis deliciis & seculi voluptatibus, adulteris & meretricibus non autem virginib comparantur: sic enim Iacobus ait de iis, *Adulteri nescitis quod amicitia huius mundi inimica sit Deo?* Per virgines igitur ii fideles intelliguntur, secundũ *Augusti.* Quid fidei seruant integritatem, & casti ac mundi sunt saltem apparenter, honeste enim se gerunt & præcepta Dei aut seruant aut seruare videntur, & prudentes quidem vere seruant dum secũdũ fidei præscripta ambulant & vitam instituunt: fatuæ vero seruare quidem Dei legem videntur, dum foris coram hominib. honeste se gerunt & hactenus virgines putantur, tamen re ipsa nõ seruant quia in occulto iuxta carnis & mundi leges viuũt & eatenus fatuæ sunt, quia vitam suam insipienter instituunt. Suntq; istius generis non pauci, etiam inter Christi fideles, qui moribus hominum se quidem accommodare norunt, & prudenter sese in suis negotiis gerunt, & pacifice ac humaniter cũ hominibus agũt, nec quicquam est quod qs merito in iis culpare possit, attamẽ intus & in corde pleni sunt superbia, auaritia & immunditia: Contra quos sic Dominus apud Matthæũ *Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominib speciosa, intus vero plena sunt ossib. mortuorum & omni spurcitia:* Hi recte virginib. fatuis cõparantur, quia licet honesti esse videãtur, fatui tamen sunt quia quales apparent, tales esse non student. Ita rerum spiritualiũ cognitionem ex corporeis similitudinib. tanquam magis notis haurire solemus.

Iacob. 4.

Aug. epi. 120 & 83 qq. quæst. 58.

Matth. 23.

2. QVÆ *accipientes lampades suas*) lampadis nomine quæ tenebras discutit, lucemq; hominib. præfert; fides intelligitur, quæ errorũ tenebras dispellit, humanisq; mentib. lucem præbet, viamq; ostẽdit qua homines recta in cælum tendere possint. Vnde est illud in Psalmo, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semi-*

Quid in telligatur nomine lampadis.

Psal. 118.

tu meis. Est quidem & humana ratio aliquale lumen, quo homo bonum à malo discernere possit, secundum quod vitæ præsenti subseruit, vt quod sibi fieri non velit nec aliis faciat: Verum quia illud lumen obscurum est admodum & multis erroribus inuolutum, vt patet ex placitis philosophorum de summo hominis bono disputantium, quorum quidam lumen rationis sequentes illud statuerunt in virtute, alii in voluptate, tertii in honore & dignitate: Et nequaquam se ad supremum hominis bonũ, quod supernaturale dicimus, extẽdere potest, hinc opus est altiori & spiritali lumine, quã fidem dicimus, quę docet hæc temporalia quoniã caduca sunt omnia, parui esse faciẽda, & in eo hominis bono quod summum & æternũ est, nempe in Deo, hominis fœlicitatem esse constituendam, docetque modum & media perueniendi ad istum finem. Et hoc est quod hic dicitur. *Quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ.* Id si secundum literam accipias, sciendum moris fuisse in istis locis quod sponsus vespertino tempore comitatus adolescentũ societate accederet sponsæ suæ domum, celebraturus ibidem cum ea nuptias, actum è spõsæ domo quadã virgines sponsæ assidentes, sponsa domi remanente & aduentũ sponsi præstolante, prodirent obuiam sponso deducturæ illum cũ lampadibus in domum sponsæ, quam vlterius sponsus ducebat in domum suam, vnde dictum est, Ducere vxorem, pro matrimonio iungi. Sin autem ad rem significatã referas dicũtur acceptis lampadibus exire obuiã sponso Christo, & sponsæ, id est, Ecclesiæ pro ea parte quæ assidebit ei in iudicio, quia opera bona quæ lucent coram hominibus aut vere aut apparenter, ex fide ea intentione faciunt vt se ad Christi aduentum quem expectãt præparent: Hoc enim est ire obuiam ei.

III. In quo fatuitas & prudentia virginum sita.

1. QVINQVE *ex eis erant fatuæ, quinque prudentes.*) Fatuitas & prudentia istarũ virginũ ex variis est diiudicanda: & inprimis quinque perhibentur esse virgines prudentes, quæ quinque suis sensibus prudenter vsę fuerunt: quinque vero fatuę quia iisdem insipienter abusæ. Prudentis autem hominis officium est in finem sibi propositum oculos coniicere, & ea quæ ad finem consequẽdum aptissima sunt & maxime necessaria, eligere: cõstat autem hominem à Deo in hunc finem conditum, vt suæ illum fœlicitatis cõsortẽ efficiat: Qua sit autem via ad hanc gloriam perueniendum, Saluator exposuit cũ cuidam dixit, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Non itaque ad ludum aut iocum, non ad epulas aut fœdas carnis voluptates, nõ ad fluxas aut interituras opes congerendas conditi sumus, sed ad sublimius & diuinius destinauit nos Deus bonum, nimirum vt eius gloriæ participes fiamus ipsoq; fruamur. Huius autẽ rei ignoratio, malorũ omniũ, quæ homini accidere possunt, causa est: cum homo finis sui oblitus per varios anfractus viarum errabundus miserrime vagatur, tãquam viator loci sui in quem tẽdit oblitus per deuios saltus aberret. Et profecto viuunt quasi ad sola huius mundi bona fruenda nati essent. Est & aliud viri prudentis officium, scire quid ei dum viuit sit agendum, sitque cauendum, media quibus commodissime ad finem suum perueniat habere bene perspecta, & magnam temporum habere rationem, & aliquid vnumquodque illorũ exigat, studiose prouidere. Vnde philosophi tres Prudẽtiæ partes statuunt: memoriam quæ præteritum tempus recolit: perspicientiã quæ præsenti tempori se accommodat: & prouidentiam quæ futura priusquã eueniant, vel ex causis antecedentibus vel ex prӕteritarũ rerũ collatione prospicit & anteuertit: Sic prudẽtes duces ea sibi arma & subsidia cõparãt in pace, quibus in certamine vsuri sunt. Hac de causa nos ad vigilandũ excitat Dominus dicens, *Vigilate quia nescitis diem neque horam;* vt hac vigilantia & diligentia, hac pia cura & sollitudine ea omnia nobis procuremus quæ ad regnum cælorum capessendum sunt necessaria. Matth. 19.

2. CÆTERVM improbi homines diuersæ

ratione fatui appellãtur, quod hæc omnia viri prudentis officia prorſus negligant, vtpote qui non conſilio aut ratione, non fide aut Dei lege, ſed temeritate, cupiditate, affectibus & cœco multitudinis iudicio vitam & actiones ſuas dirigunt. Primũ enim nullam prorſus finis, ad quem à Deo conditi ſunt rationem habent: quo fit vt ignorato aut perperã conſtituto fine, neque ſeipſos agnoſcãt, neque actiones ſuas aut vitã recte inſtituant, nec ſibi in futurũ de rebus neceſſariis proſpiciãt. Hoc enim prudentis viri officium eſt in finem ſibi propoſitum oculos conijcere, & ea quæ ad finem conſequendũ neceſſaria ſunt ſibi comparare. Hoc namque inter hominem & beluam maxime intereſt, quod hæc tãtum, quantum ſenſu mouetur ad id quod adeſt quodque præſens eſt, ſe accommodat, paulum admodum ſentiens præteritum & futurum. Homo autem qui rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones nõ ignorat, ſimilitudinibus cõparat, rebuſq; præſentib. adiũgit atq; annectit futuras, facile totius vitæ curſum videt, ad eamque degendã præparat res neceſſarias. Si igitur hac in re homo à beluis diſtat quod non ſolũ præſentia, ſed etiam præterita ac præcipue futura ex cauſis antecedentibus proſpicit ac prouidet, inter ea autem quæ futuro tempori ſeruãtur, mors omnium maxime formidabilis ſit: an non beluis ſimilis erit qui ſola præſentia curat, hoc vero certiſſimum maximeque formidandum periculum prorſus neligit atque contemnit? Cum fideles ſerui ad curias Principum alicuius grauis negotii cauſa mittuntur, id vnice curant, id dies noctéq; cogitãt, qua ratione prudenter id expediant, cuius gratia miſſi ſunt. Ita cũ fidelis Dei ſeruus intelligat, ſe ad hoc à Deo in mundũ miſſum, vt in bonis operibus ad finem vſque ſtrenue perſiſtens cæleſtem hæreditatẽ promereatur; dat operam ſedulo vt in hoc pietatis officio mors illum deprehendat, paratumque inueniat, ſciens quod ex eo momento pendeat tota æternitas.

IV. Quid per moram intelligatur. &c.

1. MORAM *autem faciente ſponſo dormitauerunt omnes & dormierunt*) Tanta eſt hæc mora quanta & quamdiu durat aut cuiuſque vita, aut præſentis ſeculi meta. Aduentus Chriſti quo aduenict ſiue in fine ſeculi ad iudiciũ, ſiue in morte cuiuſque ad ipſum, videtur tardus & diu differri: bonis quidem, quia amanti omnis mora longa eſt: malis vero, quia longã ſibi promittunt vitam, nec mortẽ aut futurum iudicium præ foribus adeſſe ſcire volunt, ne falſa huius vitæ gaudia ſuamque animi ſecuritatem inquietẽt aut perturbent. Interim dormitãt & dormiũt omnes: vt dormire dicatur qui moritur, mors enim ſomnus recte dicitur quia inde quiſque ſuſcitabitur: dormitare vero vt ſicut qui dormitat ad ſomnũ, in quẽ facile incidit, procliuis eſt, ita cuius naturæ vires deficiunt, ſiue morbo ſiue ſenio, ad ſomnum mortis tendit. Mors propter incertos caſus quaſi ſemper imminere putanda eſt, & propter breuitatem vitæ longe abeſſe non poteſt, & citius opinione eo peruenies quo tam celeriter properas. Quia igitur incertũ eſt quo loco aut quo tẽpore te mors expectat, ne te imparatum inueniat, omni tempore vigilare oportet: *Vigilate*, inquit Dominus, *quia neſcitis diem neque horam*, is vigilat qui opus ſalutis ſuæ promouet, eaque præparat quæ ad regnum cælorum capeſſendum neceſſaria ſunt. Dormit vero qui ſalutis ſuæ immemor totus in præſentem vitam declinat. Imitemur hac in parte gẽtiles philoſophos, qui ſomni fuerunt parciſſimi, ac perpetuis vigiliis & laboribus maxime intẽti, idque non cæleſtium rerũ amore permoti, ſed humanæ ſapientiæ laude pellecti. Dicitur Ariſtoteles in nocturnis ſuis lucubrationibus ænea pila vſus, cui altera manu compreſſa labrum æneum ſupponebat, vt ſi longa vigilia fatigatus obdormiſſet, ſtrepitu cadentis pilæ expergiſceretur. Sic Arſenius Abbas diuinarum rerum ſtudio totus addictus, ita ſomni parcus fuit vt dicere ſit ſolitus, Monacho ſi ad horam vnam quietem capiat, ſufficere debere. Nec multũ huic abſimilis

D.Ber-

D. Bernardus qui monachum dormientẽ Deo mortuum asserebat, parumque religiose cũ dormire cuius quiescẽtis ronchus magis audiretur quam gemitus aut quam suspiria, vt cum Isaia dicere posset, Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.

2. MEDIA *nocte clamor factus est ecce sponsus venit, exite obuiã ei.*) Significatur quod mortis & iudicii dies insperatus & ex improuiso plerisque sit aduenturus præsertim fatuis virginibus de eo nihil cogitantibus, quæ omnem mortis memoriam ab animo repellunt, ne quid metus aut molestiæ subire & pati cogantur. Huius rei gratia ait Apostolus ad Thes. *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet*, scilicet impiis: *cũ enim dixerint Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis & nõ effugient.* Rursum Eccles. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces hamo, & aues laqueo, ita homines capiuntur tẽpore malo.* Frequẽtissime eo tẽpore mors irruit, quo minus vẽtura cogitabatur. Pueri adolescẽtiã, adolescẽtes iuuẽtutẽ, iuuenes senectutem, senes decrepitam ætatem sibi pollicentur: Et nemo tam senex, *inquit Hieron.* qui non speret se hoc anno superuicturũ: Et quanquam pauci ad canos extremamque perueniant senectutẽ, omnes tamen tacita quadam persuasione se ad illã peruenturos sibi persuadẽt: Quæ fallax persuasio facit vt sæpius nos adoriatur mors improuisa: quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen immortales nos esse credimus. Vt autẽ ab hac falsa persuasione nos reuocaret naturæ conditor, voluit vt nulla ætas à mortis periculo immunis esset: passim enim videre licet & infantes & pueros & adolescẽtes & iuuenes & senes è vita discedere ne quisquã ætati suæ tuto fidere audeat. Nonne casus nostros nobiscũ in hac carne portamus? Nõne fragiliores sumus quã si vitrei essemus? Vitrũ enim etsi fragile est, tamen seruatũ diu durat, quod homini nõ contingit, qui quantũuis sui curã habeat ac valetudinem curet, mortẽ tamen euadere nõ potest. Ex hac scriptura, *Media nocte clamor factus est*, nonnulli concludunt diem iudicii media nocte futurũ, vt quo modo Dominus medio noctis tempore percussit primo genita Ægyptiorũ, sic & impios & alios tenebrarum percussurus sit Dominus nocte intempesta. Quod etiãsi verum esset, tamen pro electis nox ista sicut dies illuminabitur: vt quo modo cũ iudicium faceret Dominus in Ægyptios, Ægyptiis existentibus in densissimis tenebris, filii Israel clara luce fruebantur, Ita & cum exurget in iudicium Deus. Hæc sententia *Chrysostomo* & *Euthymio* non videtur improbabilis: *Thomas* tamen putat verisimilius esse quod in crepusculo diei, sole existente in Oriente, & luna in Occidente, vbi & creata dicuntur, & semper post generale iudicium permansura putantur, futura sit resurrectio quo tempore etiam Christus resurrexit, & quod in matutino tẽpore futurũ sit iudiciũ. Et hoc satis significat Psalmista, cum ait, *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes qui operantur iniquitatem*, hic iudiciũ mane futurum significatur quãdo eos qui operãtur iniquitatem, tradet in mortẽ secundam. Non dicit, qui operati sunt, sed *qui operantur iniquitatem*, & in hoc persistũt, illi disperdentur de ciuitate Domini, de ecclesia Christi, in qua hic fuerunt bonis permixti, eiicientur.

3. TVNC *surrexerunt omnes virgines illæ & ornauerunt lampades suas.*) Cũ fides omnes & bonos & malos extremi iudicii & supremi huius periculi admoneat quod suæ vitæ rationẽ reddere debeant, vt qui bona egerunt vitã percipiant æternam, qui vero mala in ignem mittantur æternum: hæc fides etiam improbos vehemẽter vrgebit eo tempore vt se quibus poterunt modis præparẽt: sicut qui in extrema necessitate cõstitutus est subsidiũ quærit vndecumque potest liberationis. Itaq; & fatuæ virgines hoc metu correptæ suas lãpades ornare incipiunt, hoc est, fidei quam habent, bonorum operum oleum adiungere, quantum

Marginal notes: 1. Thes. 5. — Eccle. 9. — Psal. 100.

tum possunt, nituntur. Potest autem hic locus dupliciter intelligi, vt surrexisse dicantur omnes illæ virgines aut per corporum resurrectionem. Sic *Hilarius* interpretatur: Et tunc dicentur ornasse lãpades suas, quia opera quæ fecerunt, ad reddendã in iudicio eorum rationem in memoriam reuocarũt. Alio modo possunt dici surrexisse, quia audito rumore aduentus Christi, quod erit in morte cuiusque, futurum est vt ij qui quasi oppressi somno, de illo non cogitabãt, veluti expergiscãtur, sicut Paulus dicit ad Romanos, *Hora est iam nos de somno surgere:* Et sic *Beda* & *auctor imperf.* hunc locũ intelligunt. Et commode hoc modo potest hic locus intelligi, quia vt *Origenes ait*, est inuenire aliquos homines, qui quãdo debuerunt neglexerũt aliquid vtile addiscere, aut aliquid boni facere: metu autem mortis correpti surgunt, potissimum tempore mortis, & veluti de somno peccati expergiscuntur, & lampades suas ornare incipiunt, & bonis operibus insistere, & præteritæ vitę maculas pœnitẽtia diluere & pristinos mores corrigere parant. Deinde etiãm ad piorum hominũ suffragia se conuertũt, eorum se precibus & meritis & sacrificiis commendantes vt pro se apud superum iudicem intercedãt. Hoc est enim quod significat illa fatuarũ virginum ad prudentes deprecatio, Date nobis de oleo vestro quia lãpades nostræ extinguuntur, hoc est, meritis & precibus vestris inopiæ nostræ succurrite & consulite. De quibus vt desperandum non est, quia multi Sanctorum precibus à damnatione liberãtur, *teste Augustin.* qui propriis meritis saluari non possent: id quod & Dominus significat cum ait, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula: Ita vehementer metuendum est, iis potissimũ qui totã vitã in sceleribus transegerunt, si in fine vitæ meliora proponãt & pœnitentiam agant, quia rogare morientes non peccati pœnitentia, sed mortis vrgentis cõpellit necessitas: quo fit, vt pœnitẽtia sera raro sit vera, rarius autem perfecta, semper vero incerta. Nam teste Augustino, hac animaduersione percutitur impius homo, vt cum velit nõ possit, quia quãdo potuit noluit, ideo per malum velle perdidit bonum posse. Et hoc confirmatur per id quod subditur, *Nouissime vero veniunt & reliquæ virgines dicentes, Domine Domine aperi nobis:* quibus tamen responsum est, *Amẽ dico vobis nescio vos:* Et in Prouerbiis ait Dominus, *Tunc inuocabunt me & nõ exaudiam, mane consurgent & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinã, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo.* Quibus scripturis non obscure huius seræ pœnitentiæ periculum declaratur. Hinc D. *Hiero.* illa Ieremiæ verba explanans, *In tempore afflictionis suæ dicent, Surge & libera nos:* Sicait, In pudens postulatio, tempore necessitatis, & angustiæ ab eo quærere auxilium, quem in prosperitate contempseris, nec tanle inueniuntur præsidia in aduersitate, quæ non fuerint conquisita in pace: Sicut hæ fatuæ virgines metu mortis correptæ, & propriis meritis ac bonis operibus destitutæ, auxilium & consolationem à prudentibus postulant & non impetrant. Cũque oleum caritatis & misericordiæ in vasis conscientiæ non haberent, opera sine caritate facta non ibi lucebunt, lampades extinguentur.

Rom. 13.

Prou. 1.

Iere. 2.

August. 21. de ciuit. c. 17.

Luc. 19.

V. Cur prudentes Virg. subsidium negent.

I. RESPONDERVNT *prudentes dicentes, ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Pia humilitate dicunt, Ne forte non sufficiat nobis. Quis enim, *inquit August.* sic de conscientia sua præsumat vt certus sit eã in iudicio sufficere sibi, nisi misericors misericorditer iudicet, vt enim Petrus ait, Vix iustus saluabitur, quia nemo tam sanctè moritur quin ad hoc vt saluetur, misericordia egeat. Et quãquã in die vniuersalis iudicii omnes electi sint futuri securi de sua salute, *Stabũt enim tũc iusti in magna cõstãtia aduersus eos qui se angustiauerũt*, teste Sapiẽte, tamẽ quia in particulari iudicio metus eis incutitur, ideo & tũc fieri dicitur, nõ quod fiat, sed quia quod factũ fuit denudabitur. Insu-

August. serm. 23. de verb. Dom.

Sap. 5.

Inſuper & aliud his verbis, *Ne forte non*
ſufficiat nobis & vobis, ſignificatur, vt
Aug.ep. *Auguſt. in ſuis docet epiſtolis*, nimirum
120.c.14. quod in die iudicii omne ſolatium laudis
humanæ, & omne ſubſidium ſit ſubtra-
hendum miſeris & fatuis hominibus: Ne-
que enim alteri vacabit gratificari, quãdo
quiſque onus ſuum portare debebit, &
quiſque pro ſuis operibus mercedem ac-
cipiet, ita vt prudentum virginum virtu-
tes fatuarum non poſſint ſubleuare pec-
catum. Et in hoc fatuæ virgines ſe fatuas
fuiſſe declarant, quod propriis meritis ac
bonis operibus deſtitutæ auxilium & cõ-
ſolationem à prudentib. poſtulẽt, & quia
intus teſtimonio bonæ conſcientiæ de-
ſtituuntur, foris ab aliis teſtimoniũ quæ-
runt qui corda intueri nequaquã poſſunt,
Aug. ſer. ſic Aug. Et fatuæ fuerunt, *inquit Chryſoſt.*
21. de non ſolum quia hinc receſſerunt oleum
verb. non habentes & miſericordia carentes,
Dom. ſed etiam quia ęſtimabant, ibi ſe acceptu-
ras, & ſua petitione ſe potituras, vbi nõ eſt
miſericordiæ locus: Qui bona opera hic
non habuerunt, nimis ſero cum iudica-
buntur, Sanctorum auxilium implora-
bunt, nullus ibi alterius meritis ne quidẽ
B. Virginis poteſt inuari.

2. ITE *ad vendentes.*) Hoc dupliciter ex-
poni poteſt: *Aut* enim conſulunt pruden-
tes fatuis virginibus vt eant ad venden-
Sic Orige. tes & oleum ſibi comparent, hoc eſt, vt
& Auctor confugiant ad Eccleſiæ miniſtros, quib.
imperfec. diſpenſandi olei diuinæ gratiæ commiſſa
eſt cura, qui ſacramentorum medicamẽ-
ta miniſtrant, quique commiſſorum ve-
niam vere pœnitentibus tribuunt: Ad eos
igitur ite, & pretio veræ pœnitentiæ hoc
oleum caritatis vobis comparate: *aut et-
iam* ad pauperes veſtris eleemoſynis con-
fugite, & facite vobis amicos de mam-
mona iniquitatis vt cum defeceritis reci-
piant vos in æterna tabernacula. Et ſi ſic
intelligas haud dubie ad diem mortis re
ferri debet, quo quidam metu mortis cõ-
pulſi pœnitentiam agere & bene operari
incipiunt: Non autem poteſt referri ad
diem iudicii vniuerſalis, quia ibi non eſt
pœnitentiæ aut bonorum operum locus:
non eſt ibi inuonire pauperes qui nobis
ſuis precibus patrocinari poſſint, quod
hic fuerit neglectum ibi compenſari non
poterit. Ideo in hac vita oportet compa-
rare oleum gratiæ & caritatis, quod nobis
in dieiudicii poſſit eſſe vſui. Venditur au-
tem hoc oleum, *inquit Hieron.* & multo
emitur pretio, quia & caritas, & gratia ſpi-
ritus, & quælibet virtus difficili conqui-
ritur labore, *Regnum* enim *cælorum vim*
patitur, teſte Matthæo, *& violenti rapiunt* Mat.11.
illud. Auguſt. vero *de ver. Do.* aliter inter-
pretatur, & ad tempora vniuerſalis iudi-
cii hoc refert, vbi non erit neque conſilii
neque auxilii locus: ſed per ironiam & ir-
riſionem prudentes virgines hæc dixiſſe
ait: Sic enim habet, Non ſunt putandæ
conſilium dediſſe, ſed crimen earum ex
obliquo commemoraſſe, quaſi dicat, Ite
ad vendontes, videte nunc quid vos adiu- Aug. 83.
uent adulationes eorum qui vobis lau- ſeqq.
des vendere cõſueuerunt: vendunt enim quæſt. 59.
adulatores oleum, qui ſiue falſa, ſiue i-
gnota laudando animas in errores mit-
tunt, & eis tanquam fatuis vana gaudia
conciliando aliquam de his mercedem
commodi temporalis accipiunt. Verum
quia iam emendi tempus elapſum erat, &
aduenienti iudicii die locus non erit pœ-
nitentiæ, non noua parare merita, aut
patrare opera bona, ſed præteritorum
rationem reddere oportebit ideo ſubdi-
tur.

1. DVM *irent emere venit Sponſus, &* VI.
quæ paratæ erant intrarunt cum eo Affectus
ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Hoc eſt, praui in
inquit Auguſt. dum in affectu vanæ lau- fatuis re-
dis perſeuerarent, & ſolitis ſe oblectare manet.
vellent, venit iudex, venit dies iudicii,
eoſque peccatis inuolutos præoccupat:
Neque enim affectum peccati exuere aut
reuellere tum poterunt, quia iuxta Sapi- Eccl.11.
entem, *Lignum vbi ceciderit ibi erit ſiue ad*
auſtrum, ſiue ad aquilonem: qui moritur in
caritate per auſtrum ſignificata, ea nun-
quam deſtituetur; qui vero hinc exit cu-

Digitized by Google

piditate aut odio plenus, per aquilonem designatis, nec ab iis vnquã liberabitur, licet voluptate peccati amplius frui non possit. Id quod Ioannes nobis innuit cum in Apocalypsi ait, *Negotiatores terræ flebunt & lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius*, deinceps non poterunt solitas exercere negotiationes, id licet summis votis exoptent. Et quia solita peccati voluptate amplius frui non poterunt, hinc flebunt, & lugebunt, dentibus suis frement & tabescent, quia sine spe euadendi solo dolore torquebuntur, desiderium peccatorum peribit, quia tametsi continuo flagrent suarum concupiscentiarum desiderio, rem tamen desideratam deinceps assequi non poterunt. Id dum peccator videbit sibi omnem spem salutis esse præcisam, & ianuam esse clausam, nec se ad solitas seculi voluptates redire posse, irascetur & dentibus fremet in Deum, quem sciet huius suæ miseriæ auctorem, & quantum detestabitur & oderit suam pœnam, tanto odio prosequetur pœnæ auctorem.

Apoc. 18.

PARS II.

Simile est regnum cælorum decem virginibus quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ. Matth. 25.

Summa eorum quæ hic tractantur.

I. *Breuis explicatio præsentis Euangelii.*

II. *De virginitate eiusque conditionibus obseruandis, & mulierum familiaritate euitanda.*

III. *Quam sit horrendum virgines & sponsas Christi deflorare.*

IV. *De molestiis nuptiarum à quibus liberæ sunt virgines Christi.*

ART. I.

1. NVMERVS decem virginum, *inquit Aug.* quarum quinque admittuntur, quinque excluduntur, bonorum & malorum discretionem significat. Sed hic inquirendum cum virginitatis nomen honorabile sit, cur receptis exclusisque commune est? Deinde quid sibi vult numerus in vtraq; parte quinarius. Quid significat oleum, & quod sapientes petentib. non communicant, cum misericordes esse oporteat ad præstandum ex eo quod habent, dicente Domino Luc. 6. *Omni petenti tribue.* Quid est autem quod possit dando non sufficere vtrisque? Videntur itaque mihi quinque virgines significare, *inquit Aug.* quinque partitam a carnis illecebris continentiam: Continendus est enim animi appetitus à curiositate & voluptate oculorum, aurium, olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, vt illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ: partim corã hominibus tantum vt gloria humana capiatur, quinque dicuntur sapientes & quinque fatuæ, vtræque tamen virgines quia vtrisque continentia est. Lampades autem sunt opera quæ secundum istam continentiam fiunt. Omnes vero acceperunt lampades & venerunt obuiã sponso, ergo Christiani censeri debent, de quibus hic agitur, nõ enim possunt qui Christiani non sunt, sponso Christo venire obuiam.

Aug. lib. 11. seqq.

Breuis explicatio Euangelii.

2. SED quinque fatuæ acceptis lampadibus suis non sumpserunt oleum secum. Multi enim quamuis de Christi bonitate plurimum sperent, gaudium tamen non habent, dum continenter non viuant nisi in laudibus hominum. Non ergo habent oleum secum, *inquit August.* nam ipsam lætitiam oleo significari arbitror: Sic enim legimus Ps. 44. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ.* Qui autem non propterea gaudet, quia intrinsecus placet, non habet oleum secum. Prudentes sumpserunt oleum secum cum lampadibus, quia lætitiã bonorum operum in corde atque conscientia habuerunt. Sicut Apostolus ad Galat. 6.

Probet

Digitized by Google

Probet se homo & sic laudem habebit in semetipso & non in altero. Tardante *sponso dormitauerunt omnes*, quia hoc temporis interuallo omnes moriuntur, sed in aduētu Domini fiet resurrectio mortuorum. *Et media nocte clamor factus est*, quia nullo sciente aut sperante, de die n. illa & horā nemo scit, quia iuxta Apostolum, *Dies Domini tanquam fur in nocte veniet.* Clamor factus est, quia in nouissima tuba quæ clarissime resonabit oēs resurgent: & aptabunt lampades suas, quia vnusquisque præparabit se ad rationes reddēdas operum suorū: *Oportet* enim *nos manifestari ante tribunal Christi vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum.* Dixerunt fatuæ sapientibus. *Date nobis de oleo vestro quia lãpades nostræ extinguuntur.* Quorum enim facta aliena laude fulciuntur, eadem subtracta deficiūt. Itaque hominū, qui corda non vident testimonium volunt habere apud Deum qui cordis inspector est. *Responderunt prudentes, Ne forte non sufficiat nobis & vobis:* vnusquisq; enim pro se rationē reddet, nec alieno testimonio quisquam iuuatur apud Deum, cui secreta cordis patent, vbi vir sibi quisque sufficit vt ei testimonium perhibeat cōscientia sua: *Quis enim gloriabitur castum se habere cor?* Inde est quod Apostolus ait, 1. Cor. 4. *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, sed neque meipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* quapropter cum de seipso quisque, *inquit Aug.* aut non omnino, aut vix posset veram ferre sententiam, quomodo potest de alio iudicare, cum nemo sciat quid agatur in homine nisi spiritus hominis qui est in ipso?

2. Cor. 5.

Prou. 20.

3. ITE potius ad vendentes & emite vobis. Non cōsilium dedisse putandæ sunt, *inquit Augustin.* sed crimen eorum ex obliquo commemorasse. Vendunt enim oleū adulatores, qui siue falsa, siue ignorata & laudando, animas in errorem mittunt, & eis vana gaudia tanquā fatuis cōciliando, nō intelligunt illis dictum esse istud Isa. 9. *Qui vos beatos prædicant, illi te decipiunt.* Ite ad *vendentes & emite vobis*, quasi dicat, Videamus nunc quid vos adiuuabunt qui vobis laudes vendere consueuerūt, cum non à Deo sed ab hominibus gloriam quærebatis. *Euntibus illis venit sponsus*, (id est, inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt, & solitis gaudere quærentibus, quia gaudia interna non nouerant, venit ille qui iudicat. *Et quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias.*) id est, quibus bonum coram Deo testimonium cōsciētia perhibebat, intrauerū ad nuptias, vbi scilicet mūda anima puro & perfecto sempiternoq; Dei verbo fœcundata copulatur. *Et clausa est ianua.* (id est, clausus est aditus ad regnum cælorum, non enim post iudicium patet precum aut meritorum locus. *Et venerunt virgines* fatuę, sed non est dictum quod emerunt oleum: Et ideo intelligendæ sunt, nullo iam remanente de alienis laudib. gaudio, in angustiis & magnis afflictionib. implorare Deum. Respondet enim *Amen dico vobis nescio vos.*) quasi dicat, Imaginem meam & signa spiritus mei non video in vobis: Non possum meos dicere, in quibus meū nihil cognosco. *hactenus Aug. Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.*) Homini absconditus est dies mortis suæ, *inquit Chrys.* vt semper mortem expectās semper benefaciat. Ideo vigila ne quicquā dicas aut facias, cuius te postea pœniteat, mentē tuā cœlestib. cogitationib. occupat aures auditionib. iis, os narrationib. sanctis, & sic claudas oēs introitus per quos fur diabolus in te ingredi solet.

Chrys. hom. 9. in Mat.

4. DOMINE *aperi nobis.*) Etiam fatuis virginibus inhærebit in die mortis & in die iudicii desiderium perpetuæ beatitudinis, sed non exaudietur. Nam sicut bene notat *Gregor.* vti in hac vita non nulli prolixas ad Deum fundunt preces, quin & cū lachrymis ꝓmissa cælestia petitionib. suis prosequūtur, sed vita & morib. contradicunt, quia post orationis tēpus ilico cum tentationib. pulsantur, in antiquā relabuntur, quia aut fastu elationis in-

Gregor. li. 33 moral. c. 22.

nis intumescūt, aut auaritia inardescūt, aut libidine æst..: Talis fuisse videtur Balaam ille Nu. 23. qui vidēs q̃ pulchra essent tabernacula Iacob dicebat, *Vtinā moriatur anima mea morte iustorū, & nouissima mea fiāt horū similia: qui paulo post auaritia seductus*, scandalum posuit coram filiis Israel, & Moabitis consiliū dedit quomodo per fornicationis malum eos subuertere & perdere possent, Ita quamuis fatuis virginib. insit desiderium beatitudinis, illud tamen minime exaudietur, quia Deus respicit iniquitatem in corde ipsorum, quam quia plus diligunt quā æquitatem & iustitiam, minime digni sunt qui exaudiantur, scriptum est enim, *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*. Psal. 65. Est autem hæc earum iniquitas, quod plus diligant gloriam hominum, quam gloriam Dei: Neque enim ipsis aut ad adulterii aut inuidiæ, aut ebrietatis crimen obiicitur, sed defectus olei, non habebant lætitiam in corde suo, sed alieno. Nam quanquam gloriam Dei iā quærerent, occulte tamen magis diligebant vanam huius seculi lætitiam, quam percipere solent ex laude aliena. Quod nobis insinuatur per hoc quod dicitur, *Ite ad vēdentes & emite vobis, dum autem irent emere venit sponsus*, hoc est, dum affectu cordis & mentis desiderio pristinam ambirent gloriam & lætitiam, superuenit in eas dies mortis & dies iudicii, & impletur in eis quod Psalmista ait Psal. 77. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum*, id est, eos qui magis dediti erant voluptatibus. *Cum occideret eos quærebant eum. Et dilexerunt eum in ore suo, cor autem eorum non erat rectum cum eo*, non erat stabilis neque vera conuersio eorum. Hoc virtutis pondus postulat, vt quo modo de Anna legitur 1. Reg. 1. quod vultus eius non sint amplius in diuersa mutati, quia post preces ad leuitatem aut amaritudinem mens eius non est mutata. Ita & hi in bono proposito perseuerantes sint.

5. HANC scripturam (*moram faciente sponso dormitauerunt omnes & dormierunt*) Chrysosto. *hom. 52. in Matth.* exponit in hunc modum, Tardātē *inquit* sponso, nō solum peccatores, sed etiam iusti & spirituales ad negligentiam sunt reuoluendi, & relicta via virtutis ad carnalia delectamenta sunt transituri, vt illud impleatur quod Dominus dixit, *Putas cū venerit filius hominis inueniet fidem in terra?* Nam sicut vigilare est iustitiam facere, ita dormire est eam negligere & ad temporalia delectamenta reuolui. Talis enim plenus est somniis atque imaginationibus, idq; de absurdis plerumq; rebus, *inquit Chrys.* Chrys. hom. 9. in cap. 5. ad Thes. Quomodo enim qui videt thesauros in somnis dormiens diues est, cum autem euigilauerit nihil inuenit eorum quæ ei in somno apparuerunt, Ita *dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*, inquit Psal. 75. Psalmista, hoc est, toto tēpore huius vitæ quasi sopore graui concupiscentiæ & ignorātiæ oppressi quiete dormierunt, sōniantes se diuites & beatos esse: sed vbi per mortem euigilauerint (pœna enim aperit oculos, quos culpa clauserat) nihil inuenerunt in manib. suis. Tunc intelligēt bona huius vitæ non vera bona, sed ludibria somniantiū fuisse, & ex iis nihil sibi remansisse nisi vermē conscientiæ, & pœnæ sempiternæ reatum. Sunt a. quidam qui non dormiunt, sed dormitant, *inquit August.* aliquantulum retrahunt se ab amore temporalium, & rursus resoluuntur in eum quasi dormitantes caput crebro inclinant. Excute somnū & euigila, quia dormitando casurus es: Cum cœperit te aliquid temporale delectare ad peccatum, nolite credere tali delectationi, maiores dolores habebis quam suauitates. *hæc August.* Proprie tamen hic locus, *Dormitauerunt omnes, & dormierunt*, intelligi debet de somno mortis, prout annotauit Augustinus *serm. 23. de verb. Do.* & non de somno socordiæ seu negligentiæ, quia & virgines prudentes dormitasse & dormisse dicuntur, quæ cum sciant quod

Domi-

d by Google

Dominus venturus sit, quamuis ignorent quando sit venturus, facit tamen scientia ista vt mens multum circumspectione indefessa vigilet circa opus suæ salutis, & sollicite ambulet cum Deo suo ne tremendos diuinæ maiestatis oculos vel in minimo offendat: *sic Augu*st.

II. De virginitate eiusq; integritate, & mulierum familiaritate vitanda.

1. OPORTET virginem præ corpore maxime animam custodire inquit *Basil. lib. de vera virgini.* Et omni vigilia ac custodia cor suum conseruare: quoneque per vocem ad voluptatem permoueat auditorem & inficiat, neq; rursus per auditum sermo illapsus cor ipsius ad concupiscentiam exæstuare faciat. Sic & in visu facere conuenit, ita vt neq; molliter aspiciat, ne velut ignito quodam spiculo, per hunc in corde icta voluptate inardescat, sed forinsecus quidē illabentem aspectum suo aspectu ab anima ipsa auertere oportet, suū vero aspectum temperantiæ signum videntibus exhibere: sufficiens namq; est etiam superfluos palpebrarum motus ad voluptatem stimulare & animā commouere. Cum enim corpori pulchre visum affectuose inflexerit, & conspectæ formæ figurā in seipsa anima præ voluptate emollita velut in cera impresserit, etiāsi id quod pulchrum est discedat, forma tamen eius quod conspectum est, menti impressa velut sigillo, necesse est circa fruitiones rei affectuose cōseruari. Et tali nihil prodest corpus incorruptū custodire, animam vero ad immissas per visum corporalis amoris voluptates semper corrumpi. Nam quemadmodum vbi lippientes diutius intuemur, morbi participes efficimur, sic sane voluptatis occursui oculos adhibētes voluptatis morbo mentē implemus. Et tunc locum in nobis habet quod *Gen. 6.* dicitur, *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.* Et sicut iactus lapidis in aquam, non solum adiacētem aquæ partem in quam cecidit lapis, inundare facit, sed aliis super alios circulis excitatos vsque ad extrema inundans eos perducit. Sic amatorius aspectus, aut sermo voluptatis in virginis animam, velut in aquam puram vehementer illapsus, alias super alias velut in profundo excitans cogitationes, totam ipsam ad feriantis imaginationem, percussam inundare facit. Et quemadmodum in quibusdā præ senecta corpore resolutis, mēs ex præoccupāte proteruitate ægrotans, præter vires ad voluptatis imaginationem corpus cōcitat, sic in his qui affectam erga amorē animam habent, etiam resolutum exercitio corpus ad proprias concupiscentias anima irritat, nō de vigore corporis ad animam affectu transeunte, sed de anima ad ea quæ corporis sunt propria male se commouente.

2 SI IGITVR visus tanti ignis fomes est, audiamus Iob dicentem, *Pepigi fœdus cum oculis meis vt ne quidem cogitarem de virgine*, quam enim partem haberet in me Deus desuper? Iob hic videns rei arduitatem, & declarans seditionem carnis & concupiscentiæ rabiem prœliumque continuum, ac vitam semper in agone constitutam, propter quod & Paulus ait 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne dum aliis prædicauero ipse reprobus efficiar:* legem posuit oculis suis, *inquit Chrysost.* omnino in virginem ne respicere quidem: Sciebat enim manifeste quod nō solum cohabitantem, sed & videntē curiose in faciem virginis difficile, forte autem & impossibile sit, effugere damnum quod inde oritur. Sic veritus fuit talē pugnā B. Iob, vt putaret impossibile esse cohabitare virgini sine damno. Et adeo purus fuit, vt nō solum à cohabitatione tali procul & lōge seiplū, sed ab aspectu prorsus & occursu subduxerit, legemq; posuit oculis suis omnino in virginem ne respicere quidem. Et tu dicis inquit, quod licet cohabites virgini, eiq; alligatus ita sis, vt potius animam amittas, quam cohabitatricē, paratus omnia facere & pati potius quam separari à dilecta: & dicis, Ne suspiceris aliquid mali, ne putes concupiscentiæ negotiū sed pietatis potius. Admirande vir (*sunt verba Chrysostomi*) is affectus est his

Iob 31.

Ser. Con. Concub. tom. 5.

ſeit his qui lapidibus cohabitant, non hominibus. Quod ſi difficile ſit à conſuetudine ſolita diuelli, quanto magis ſi ipſa conſuetudo longa in naturam verſa fuerit. At ſi principiis obſtiteris & te per decem dies abſtraxeris, facile feres viginti, & iterum bis tantos, ita vt poſtea nullam habiturus ſis difficultatem quam habuiſti initio, viueſq; libere & iucunde. Quid enim fuerit ſuauius quam perpetuum cõcupiſcentiæ bellum dirimere, & ab hac tyrannide liberari, eſt enim ſeruitus huius miſeriæ omni tyrannide durior & grauior. *hac Chryſoſt.*

3 Hvic conforme eſt quod & Baſil. ait, *lib. de conſtitut. monaſtic. ca. 4. tom. 2.* Oportet, *inquit*, non ſolum cogitationes turpes moderari imo abiicere ſed etiam à mulierum conuerſatione quantum fieri poteſt recedere, maxime earum quæ accendũt, & bella animæ ind[illegible]ant. Nam bellũ quidem multis nobis accidit, & illud ſufferre interdum neceſſarium fuerit: verum vltraneum ſibiipſi acceſſere, abſurdiſſimum exiſtit. In priori enim etiamſiquis ſuperetur, forte veniam aſſequetur: in hoc vero ſi quis capiatur, ſupra hoc quod illud maxime ridiculum eſt, etiam venia nulla patet. Oportet igitur mulierum conuerſationes quam maxime fugere, niſi aliqua ineuitabilis neceſſitas ad id cogat, quæ ſi etiam contingat, velut ab igne cauere cõuenit, ita vt celeres diſceſſus faciamus. Si vero quis dicat ſe ex conuictu mulieris non lædi; hic aut nõ particeps eſt maſculæ naturæ, quales Eunuchos à natiuitate dicunt: Aut ſi particeps eſt, vitiis immerſus non ſentit, ebrios imitans, qui cum grauiſſima patiuntur, extra afflictionem ſe eſſe putant. Sed concedamus rationi id quod eſt contra rationem, eſſe aliquem qui nihil detrimenti patiatur, at multis ſcandalo erit: Deinde etiamſi ille nullam in cogitationibus ſuſcipiat corruptionẽ, at non idem etiam de muliere dicere poteſt, quæ rationi debili prædita affectum facile repente patitur & ſauciatur illa. Et ſtimulata nimirum ſpirituali dilectione mulieircula, ſæpe ad pietatis exercitatorem accendens, per oculos peccato impleri incipit, & laſciuo aſpectu proximi ſpeciem depaſcitur, & internam virginẽ quam ſponſus amat maxime, impuris cogitationibus corrumpit.

4 Cavere igitur conuenit, ſi quidem id fieri poſſit, ex toto: ſin minus, frequentes ſaltem, & longas mulierum conuerſationes ac congreſſus cauere. *hac Baſilius.* Hanc doctrinam confirmat & *Hieron.* ſic inquiens. Hoſpitiolum tuum aut raro aut nunquam mulieres terant: omnes puellas & virgines Chriſti aut æqualiter ignora aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites, nec de præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior Dauide, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Periculoſe tibi miniſtrat cuius vultum frequenter intueris. Si propter officium aut vidua à te viſitatur aut virgo, nunquam domum ſolus introeas, ſolus cum ſola ſecreto & abſque arbitrio vel teſte non ſedeas. Caueto omnes ſuſpiciones & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur ante deuita. Crebra munuſcula & ſudariola & deguſtatos cibos, blandaſq; & dulces literulas ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum corculum, meum deſiderium, omnes delicias, & lepores & riſu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubeſcimus, in ſeculi hominibus deteſtamur, quãto magis in monachis & clericis. Quin & ancillas quæ aliis in obſequio ſunt, tibi ſcias eſſe in inſidiis, quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior eſt ruina, *inquit idem* epiſt. 4. *quæ eſt ad Ruſti. mona.* Et quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habes quotidie aut perire aut vincere? *inquit Hier. epiſt.* 44. cuius titulus eſt *de vitando ſuſpecto contubernio.* Quis vnquam mortalium iuxta viperam ſecuros ſomnos capit? Securius eſt perire nõ poſſe, quam iuxta periculum non periiſſe in altero tranquillitas eſt, in altero gubernatio, ibi gaudemus, hic euadimus. Propterea chariſſimæ, *inquit in regulis monach.*

Epiſt. 2. Nepot.

ad Paulã & Eust. hoc hortor, hoc mando vobis, vt quæ Christo despõsatæ estis cui nomen castitatis vestræ, fidem vouistis, cui nullum præter ipsum amatorẽ cognoscere sub iureiurando estis pollicitæ: viri cuiuscumq;, etiamsi sanctitas eum exornet, etiamsi Baptistæ æquaretur meritis, quæratis effugere faciem. Credatis experto nihil est periculosius viro quã mulier, & mulieri quam vir, vterq; palea, vterq; ignis. Dicam audacter, Dei templa, Spiritus sancti vasa, & Deo dicata corpora, nisi diligenti seruentur custodia, prostibula fiunt: Et aufertur tam nobile depositum, tam pretiosus thesaurus, irrecuperabile decus castitatis, si tenui cuiusuis dilectionis ineptæ rimula continuus insidiator diabolus intuitum valeat infigere. Ideo super muros tuos Ierusalem ponantur custodes tota die ac nocte. *Isai.63.*

5 CVM reliqua peccata resistendo superare possimus, vnicam libidinem docet Paulus fugiendam: Sic enim ait 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem.* Nec sit tibi hic verecundum fugere, si castitatis palmam desideras obtinere: Et quia exempla vitę plus mouent quã verba doctrinæ, adducamus in medium tanquam speculum castitatis ipsum Ioseph, qui in flore ætatis quando maxime fornax concupiscentiarum accenditur, dum ab intemperata muliere ad lasciuiam sollicitaretur, in castitatis agone se exercuit, vt ab impudica illa muliere, sicut columba ab vnguibus aquilæ effugerit. Nõ tam admirabile mihi videtur, *inquit Chrysost.* tres pueros illos in medio Babylonicæ fornacis ignem vicisse illæsis eorum corporibus, quam est admirabile & rarum pulcherrimum iuuenem hunc incendium hoc concupiscentiarum euadere potuisse, cum iis qui excellenter formosi sunt difficile sit imperare voluptati. Et ne mireris quia enim quod suum erat, attulit, habuit supernam gratiam comitẽ quæ incendium illud restingueret, & in media fornace rorem spiritus daret, quia igitur fugit Ioseph castitatem seruauit, *hac Chrysost.*

Chrys. ho. 44. in Gẽ.

6 SED forte negligens quisq;, & minus de anima suæ salute solicitus respõdebit, Ecce ego familiaritatem mulierũ habeo, tamẽ castitatem seruo. Nimis periculosa huiusmodi præsumptio, *inquit Hier.* vide ne vnde putabas obtinere triumphum, inde æternum incurras opprobrium, quia in certamine castitatis quotidiana pugna, & raro perfecta victoria. Et qui mulierib. familiares putant se castitatis obtinere triumphum, ignorant se reos dupliciter existere apud Deum, dum seipsos in periculum mittunt, & aliis exemplum peruersę familiaritatis ostendunt. Nescit homo quod vnius horæ puncto vulnus accipitur, sed vix longo tempore ad sanitatẽ reuocatur. Vt n. si quis carbones apprehenderit & mox à manibus excutit, nihil detrimenti patitur, si vero diutius tenere voluerit, sine vulnere euadere nõ poterit, Ita ille qui ad concupiscendum oculorũ defixerit intuitum, & libidinis malum in corde suscipiẽs morari in corde suo libere permiserit, excutere à se sine animi plaga non poterit: quare circa pericula constituta non eris diu læsa vel secura.

7 RECTE itaq; *Ambros.* Si quis incidit in amoris incendium, transiliat & non alliget adulterinam cupiditatem vinculis cogitationum suarum, nullos sibi nodos astringat nexu meditationis assiduæ, quin imo, nec in formam mulieris intendat, neque adolescentula ad vultum iuuenis oculos leuet, ne vel fortuitis occursibus pateat ad vulnus alienum vel suum, sed vtrumq; suũ vulnus est, & in ea locũ habeat, quod Propheta ait, *Per fenestras,* hoc est, per oculos, *intrauit mors in domum meam.* Caueat igitur virgo, *inquit Basil.* ne aut aspectum aut nutum aut sermonẽ suũ affectu minus pudico in quempiam ferat, motusq; omnes & animi & corporis in sponsi sui seruitium redigat, vbiq; n. eius cor ille intuetur, & motus omnes diligẽter explorat. Quod si quia nullus hominũ videt, fuerit vel verbo vel nutu procacior aperte deprehenditur cœcutire ad sponsi sui dignitatem, qui maxime auersatur eiusmodi

Lib. de Pœnit. c.13.

Lib. de vera virg.

iusmodi fallac m simulatamq; voluntatem, quādo ante hominum oculos ne existimationem suā fœdet, indecēs aliquid agere non audet, sub eius autem obtutibus qui semper præsto est sine vllo pudore gerit omnia. Si hominum obtutus reuereri debemus, multo magis ipsius spōsi & angelorum eius, quos vitare aut latere est impossibile. *hac ille.*

8 QVAPROPTER vt vitandum intelligas fœminarū consortia, *inquit Basil.* dicitur Zach. 12. *Tribus Leui seorsum & vxores eorum seorsum.* Nā fœmina masculi corpus contingens, inquit, & vice versa, etiamsi animæ ipsorum per cogitationes nō processerint ad complexum, tamen inter se mutuo latenter irritantur, & sicut stupa vbi ignem olfecit statim accenditur, sic fœmina masculi corpus contingens non opus habet multo labore neq; amore ad coitus mixturam, *teste Basilio,* instigante, sed cum naturalem inter se habeant amorem, simul vt contingit, statim habet latenter incensam voluptatis scintillam.

Prou. 6. Hoc enim est quod Sapiens ait, *Quis ligabit ignem in sinu; vestimenta autem nō comburet?* Sic non sine damno discedet omnis qui attingit mulierem.

III. Quam sit horrendū virgines & spōsam Christi deflorare. Basil vt supra.

1. NVLLVS ad id impietatis erumpat, *inquit Basil.* vt sponsam Domini contingere audeat & impudicis manibus tractet, atq; incestare præsumat: nullus adeo impius impurusq; sit vt non inanimata tēpli vasa Deo consecrata, sed ipsum Domini templum. virgineum sc. corpus libidinis facibus Barbarica immanitate succendat. Verum & si sponte sua se virgo sponsi fœdera transgressa substernat *(sunt verba Basilij,)* cunctaq; simul & templa & donaria & caritatem sponsi perniciosæ voluptatis gratia confundere atque calcare nitatur, noli huiusmodi ad scelus consentire neq; te peccati communione commaculare. Si enim qui dimissam à mortali viro ducit, adulter atque impius est, qui immortalis viri sponsam nunquā dimissam violare præsumit, multo profecto funestior adulter erit. Quæ se à Christo qui lux est & vita, dimouit, quid aliud quam de luce ad tenebras, à vita ad mortē se detorsit infœlix? Ante omnia oportet virginem cogitationes suas puras seruare & inuiolatas: Anima quippe perdurante incorrupta, corpus quoq; impollutū seruatur. Porro si pessimis cogitationibus contaminetur anima, quamlibet corpus permanere incorruptum videatur, non tamen munda censetur eius integritas, cū sordidis cogitationib. inquinata vitietur. Serenum oportet esse virginis animum ac diuinis cogitationib. plenum, ex quo tāquam purissimo fonte scaturiant cœlestium desideria, mentemq; diuina luce illustrent & amore tranquillo inebrient, vt neq; inuectis extrinsecus per aures verbis obscœnis agitentur, neq; irruentibus per oculos formis à statu illo suæ quietis fluctuans deuiet: Ita enim in se velut in lucidissimo speculo, & suam speciem, & spōsi pulchritudinem intuens, illius amore germanius exsatiabitur.

2 QVOCIRCA necesse est virginem in hoc speculo nullam aliā intendere faciē, ne illam quæ prius inerat, ipsa continuo subrepens doleat, nulliusq; in se nisi spōsi solius præferat imaginem, quam solam in ea ipse cōspiciat, cuius pulchritudine ipsa ornari iugiter appetat. Idcirco præmuniēs ipsius animam Deus, sacro illam eloquio instituit dicens Eccl. 10. *Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te locum ne dimiseris,* hoc est, ne cedas ei. Nullius igitur absentis, nullius præsentis hominis, *inquit Basil* speculum sit anima virginis, nisi sancti sponsi: sicut enim qui adhæret meretrici vnum corpus est, ita qui adhæret Domino vnus spiritus est. Et sicut spōsus eius illi ratione mortalitatis adhæsit, vt vnum cū illa misericordiret factus, sua illā gloria & immortalitate donaret, ita & ipsa ei inhærere debet vt cœlestem quoq; thalamum ad patrē ascendenti conscendat. Neq; enim ideo descendit Christus vt inhærendo sponsæ remaneret in terris, sed vt assumēs eam atq; in meliora commu-

Digitized by Google

tans ad cælos reueheret, vt ibidem deuictis carnis illecebris ac voluptatibus, angelis qui neq; nubunt neq; nubuntur, per omnia virtutes merito æqualis inueniať. Mortificatis quippe corporib. edomitaq; voluptate, quæ per naturam inest vtriq; sexui ad se mutuo concupiscendum, sola iã anima in eis viuere per incorruptionis meritum cernitur. Et hoc est quod in lege præcipiebat Dominus *Leu.3.* adipem & ipsos renes ignib. tradi, vt omni praua ac turpi concupiscentia, omniq; voluptate superiores euadentes, per continentiæ sacra certamina proposito certantib. præmio digni inueniamur. Nã quamdiu hac carne fuerimus circundati, certaminib. nobis opus est & laborib. neq; vnquam otio tẽperantia comparatur, sed multis sudorib. & laborib. opus est: quod nos manifeste docet Paulus cum ait 1. Cor 9. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, nedum aliis prædicauero ipse reprobus efficiar.* Hæc a. dicebat, *inquit Chrys.* declarans seditionẽ carnis, & concupiscentiæ rabiem, præl.ũque cõtinuam, ac v.tam in agone semper constituram.

3. HINC *Amb. l.3. de virgine,* sic ait, A virginib. conuiuiorum deuitandæ sunt celebritates, fugiendæ salutationes & visitationes, teritur officiis pudor, audacia emicat, risus subrepit, modestia soluitur dũ affectatur vrbanitas: Deesse igitur sermonem virgini[illegible]am superesse malo, taciturnitas enim commendat pudorem. Nã
Aug li. de sanct. virg. vt *Aug. ait.* abstinere debet virgo non solũ à peccatis grauib. verum etiam illa quæ leuiora sunt vel putantur, non inueniãtur in eis, nõ vagi oculi, non infrenis lingua, non petulans risus, non scurrilis iocus. Nõ quærit spõsus à virginib. tantum pulchrã carnem, sed pulchros mores, pulchram animam & cor castum, vt sequantur agnũ quocumq; ierit, & cantent canticum nouum quod nemo cantare potest, nisi quæ virgo fuerit, illud autem cãticum est gaudium de flore virginitatis exortum.

4. IN eum qui hunc florem decerpit & in virginitatis corruptorem sic inuehitur Hier. *in epist. ad Susannam lapsam.* De te autem quid dicam, fili serpentis, minister diaboli, violator tẽpli Dei, qui in vno scelere duo crimina perpetrasti adulterii & sacrilegium Balthasar Rex grauissime punitus legitur quia temerario ausu cũ suis concubinis de vasis Domini bibere præsũpsit. Quid de te futurum arbitraris perdite pariter & perditor qui templum Dei viuum & Christo consecratum ac Spiritu S. sanctificatum, temerariæ impietatis sacrilegio polluisti? Melius erat te non fuisse natum. Nec tibi de multitudine peccãtiũ similium blandiaris, & dicas, Non solus ego hoc egi, multos habeo socios, sed recogita quia multitudo sociorum impunitatem non facit criminum Nã in Sodoma & Gomorrha & adiacentib. locis, innumerabiles habitabãt homines, & ecce omnes pariter igne infernali absumpti sunt. Libidinis illecebrosa vorago quantis laborib. & dispendiis famæ & honoris interdum etiam vitæ ipsius periculo comparatur, *inquit Bernard.* vt ad modicum flagrans sul- Bern. de
phureus vapor furentes stimulis agat, cu- conuer. ad
ius appetitus anxietatis & vecordiæ ple- cler. ca. 12.
nus esse dinoscitur, actus vero abominationis & ignominiæ, exitus pœnitudinis & verecundiæ. Quod si seipsum tradidit Dominus pro sponsa sua vt ipsam sanctificaret, vt adducat eam non habentem maculam aut rugam, sed vt sit sancta corpore & spiritu, nullum inquinamentum ad animam ferens, & spiritu, nulla cogitatione hunc turbans (non enim solum à corpore ad animam transeunt affectus, sed etiam ab anima sumpto initio, & non potentib. aliquando seruire corporibus, iuxta imaginationem velut per corpora peragantur in mente perficiuntur) Quis audebit hanc sacrilegis contrectare manibus.

IV.
De molestiis nuptiarum à quibus liberæ sunt virgines Christi.

1. CVM Paulus dicit 1. Cor. 7. *Si nupserit virgo non peccauit, tribulationem tamẽ carnis habebunt huiusmodi: Ego autem vobis parco.* In eo parcebat eis quod cum omnia coniugii incommoda explicare posset, id noluit, ne eos nimium perturbaret &

grauaret. Hoc modo exhortatur ad virginitatem continentiãq; perpetuam, *inquit August.* vt aliquantulum etiam à nuptiis deterreret, modestè sane non tãquam à re mala & illicita, sed tanquam ab onerosa & molesta. Quas molestias neq; nos exaggerare debemus, ne ipsis nõ parcamus, quibus parcẽdum existimauit Apostolus. Hoc enim significauit Apostolus postquã dixit, *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi*, addens, *Ego autem parco vobis*, hoc est, nolo recẽsere labores, qui hunc comitantur statum. *hæc August.* Nam quæ mortali cõnubio iuncta est, ad suam ipsius curam viri quoq; adiecta est, *inquit Bas.* & geminam in vna anima ex cõiuncto sibi corpore sollicitudinẽ sustinet necessario, vbi vero filios edere cœperit, per vnũquẽque nascentem animo scinditur, & præsẽtibus testibus nasciturì cura adiicitur sẽper. Ac si quidem virum bonum nacta fuerit, perpetuo ne moriatur animo excruciatur. Si vero contra duro ac immiti coniuncta fuerit acerrima molestia & cordis dolore perpetuo atteritur. Idem incõmodum adueniet si filios enutriat, semper in solicitudine educandorum vitam degit, & siquidem malæ indolis fuerint, nullum huic malo solatiũ inuenit: Partus angusti as effugere nequit, q̃ necessario huic maledictioni obnoxia, *In dolore paries filios.*

fi. de sanct. virg. c. 16.

fi. de vera virg. c. 2.

2. HÆC omnia incommoda quæ ex nuptiis prouenire solent effugit virgo Christo consecrata, & frugi perseuerans se in vitæ honestate corã Domino semper exercet, & ideo bonum est ei si sic permanserit *teste Apostolo*, Non impediuntur orationes eius officio coniugali, sicut maritatæ de qua sic Paulus, *Nolite inuicem fraudare nisi forte ad tempus vt vacetis orationi* Oro te, *inquit Hieron. aduer. Iouinia* quale illud bonũ est quod orare prohibet? quod corpus Christi accipi non permittit? Nec n. posse quenquã religioni & vxori seruire. Pauperem alere difficile est, diuitẽ ferre tormentum. Adde quoniam nulla est vxoris eiectio, sed qualiscumq; obuenerit habenda, si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida, quodcumq; vitii est post nuptias discimus. Equus, bos, & vilissima mancipia probantur prius & sic emuntur. Sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur.

3. REFERT Amb. *li. 1. de virg. tom. 4.* quod memoriæ suæ puella quædam nobilis fuerit in seculo, nunc nobilior Deo, quæ dum vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctũ altare confugit: Quid agitis inquit, vos propinqui? Quid exquirendis adhuc nuptiis solicitatis animum? Iam dudum prouisas habeo: Spõsũ offertis? Meliorẽ reperi. Quales libet exaggerare diuitias, iactare nobilitatem, potentiam prædicare: Habeo eũ cui nemo se cõparet diuitem mũdo, potentẽ imperio, nobilẽ cælo. Si talem habetis, non recuso nuptias: Si nõ reperitis, nõ prouidetis mihi, sed inuidetis. Silentibus cæteris, vnus Abrupti⁹ sic infit: Quid si, inquit, pater tuus viueret, innuptã te manere pateretur? Tum illa, Et ideo ait, fortasse defecit, ne quod impedimentũ posset adferre. Quod ille responsum de patre, de se oraculum, maturo sui probauit exitio. Ita cæteri eadem quisque metuentes fauere cœperunt qui impedire quærebant.

PARS III.

Encomium B. CATHARINÆ Virginis.

1. VIRGO quædam Catharina nomine, natalibus clarissima, diuitiis opulẽta, formæ pulchritudine florentissima, scientiis disertissima, nulliq; quod rarum est in fœmina, prudentiæ opinione secunda, inter Christianos celeberrima, floruit Alexandriæ eo tempore quo Maximinus in Oriente, in Gallis Constantinus, Maxentius vero in Italia imperarent. Contigit quod Maximinus Imperator qui tunc tẽporis Alexandriæ agebat, in gratiarum actionem, quod ad imperium euectus esset solenne sacrificiũ suis Diis offerendum, eo quod ipsorũ benignitate, vt aiebat tantum beneficiũ cõsequutus esset, institue- rent

Baron. to. 3. annal. fol. 19. 20.

ret: & diuulgato per orbē edicto ab eo cautum est, vt omnes insolita & noua quadā sacrificiorum magnificentia, suā in Deos religionē cultumq; declararent: Cuius edicti hæc summa erat teste Metaphraste. Imperator Maximinus omnib. qui sunt in mea ditione salutem. Magnū consecuti beneficium Deorum benignitate, censuimus nos eis oportere offerre sacrificia in qualemcunq; huius magnificentiæ remunerationem Omnes ergo ad nos venientes vestrā in magnos Deos ostendite beneuolentiā, scientes quod qui hoc nostrū edictum contempserit, & ad aliā à nobis prohibitam religionē animū adiecerit, quod ab ipsorū Deorum gratia excidet, & à nobis extremis malis subiiciendus sit. Cum itaq; certatim vnusquisq; Imperatoris sui volūtati obsequi studeret, tantus fuit hominum concursus, vt nō dico fanū, sed ne ipsa quidem ciuitas cunctos caperet: brutorum vero animantiū, quæ in sacrificia à singulis adducebātur, clamore tota regio ita circumsonabat, vt alter alterū loquētē vix audiret, nidorq; & fumus holocaustorum aspectum pene adimerent: Quo spectaculo mirum in modum gestiit & gauisus est Imperator.

2. DVM hæc ita fierent B. virgo Catharina videns per nefariam superstitionem innumerabilem populi multitudinem in propriam ac sempiternam ruere animæ perniciem, imo minis ac diris suppliciis plurimos ad id cogi, fidei ac religionis Christianæ zelo incitata, paucis puellis famulisq; comitata, ad templum in quo vniuersa cū Rege multitudo sacrificia nefaria immolabat, est profecta. Cumq; virgo in limine templi hæreret, omniumque oculos præeximia corporis pulchritudine aduerteret in se intentos, dixit iis qui nūciis referendis præerant, sed aliquid serii habere quod Imperatori dicat. Nunciatur id Imperatori & mox introducitur virgo: quæ vt vero simile est, memor istius dicti Euangelici, *Cum steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini*, summa dicendi libertate ita compellauit tyrannum: Oportebat quidem ô Imperator, inquit, te ex templo tuum videre & agnoscere errorem, ac impiam superstitionem, & non tam inconsiderate quæ non decet velle facere: Sed quoniam fraude dæmonis longius te à veritate abductum & in teterrimum errorem prolapsum video, saltē ipsis qui apud vos sunt, sapientibus adhibe fidem, qui aperte redarguunt Deorum vanitatē, & nequaquam Deos immortales ipse putes simulachra hominum mortuorum, qui & turpiter vixerunt, & vitam misere finierunt: & tamen propter aliqua beneficia quæ mortalibus præstiterunt, ab iis Dii habiti sunt. Cum enim priscis tēporibus aut fortitudine bellica patriam ab hostium tyrānide liberassent: aut eam eximia sapientia prudenter rexissent: aut sua industria artē aliquam nouam mortalium vsui vtilem adinuenissent: aut aliquod aliud virtutis opus quod æterna memoria dignum esset, egregie patrassent, eis memoriæ gratia statuas & simulachra erexerunt & honorauerunt & posteris quia rem laudabilem fecissent, imitandas proposuerūt. Posteri vero maiorum mentem ignorantes, eis vt sacrificia fierent, cultus diuinus exhiberetur, dies festi celebrarentur, vtpote à quibus omne salutis subsidium expectabant, maiorem honorem impēdere voluerunt. Agnosce igitur ô Imperator verum Deū, qui tibi vitam dedit & imperium: & ne tā multas animas in extremum interitus barathrum inducas, pro quibus ipse misere pœnas luas.

3. HÆC aliaque virgo cum diceret, virginis constantiam, eloquentiam, dicendi libertatem & sapientiam admirans Imperator, idque eo magis quod à tam iuuencula hæc dicerētur, quippe quæ decimum duntaxat ageret & octauum annum, simul & suspicās ne & ipse & Dii sui à muliere in contemptum adducerentur, si quæ vellet dicere eam fineret, paucis respondit: Nunc quidem, inquit, ô mulier peragi fine sacrificium, paulo post autem de iis quæ dicis audie-

audiemus te latius. Peracto ergo sacrificio, & festo per hunc modum absoluto in Regiam reuersus virginem accersi iubet. Eamq; hisce verbis affari exorsus est, Dic nobis, inquit, quænam es, aut quænã sint ea verba quæ locuta es nobis? Sum, inquit illa, filia Regis talis qui quondam fuit Ægypti Præfectus, & Catharina dicor, erudita quidem artium liberalium disciplinis, sed quę pro nihilo duco, eo quod scriptum sit. *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo*: hoc vnicum quæro vt immortali sponso despondear Christo: dæmones autẽ quos tanquã Deos colis, detestor & auersor, & vni vero & viuo Deo adhæreo. His auditis Imperator & admiratur magis, & fixis oculis eã intuens facib. libidinis & impuri amoris inflammatur, & totus ad blãditias cõuersus, nihil nõ fecit vt animi eius constantiã labefactaret, & iisdem sceleratí amoris facib. incenderet & emolliret. At illa cernẽs hominẽ cæco capi amore, ita ad eũ. Quid inquit tam misere dæmonis fraude te decipi sinis, qui te ad libidinem & nefarias cupiditates inflammat & impellit? (erat n. Maximinus, *teste Eusebio*, ad omnem libidinem intemperanter effusus:) Corpus q. cernis puluis est & lutum, & in puluerem mox iterum resoluendum. Quamobrem hinc magis conuenit admirari sapientiam tanti Opificis, quod in luto & in materia tam vili potuerit tãtam inducere pulchritudinem, cuius tu amore captus vehemẽter admiraris. Spiritum potius hanc corporis molem veluti luteam domum inhabitantẽ, informantẽ & viuificantẽ, eiusq; virtutes intuere, admirare & imitare: Imo nõ tam ipsum spiritũ, quippe qui & ipsi de nihilo creatus sit, quam Deum qui creauit illum admirari & glorificare disce: Ipsam n. corporis formam atq; pulchritudinem, veluti vmbram corporis viui in sole apparentem intuere, vt animum infigas non in ipsam vmbram quæ rei inanis est, sed in id cuius ipsa vmbra sit & est. Est autem pulchritudo & forma corporis veluti species quædam & vmbra formæ & decoris viui Dei. Hunc itaq; intuere, admirare & sectare. Deos autem tuos quos colis, qui non sunt Dii sed dæmones sperne & abiicere.

Isa. 29.

Euseb. lib. 8. c. 27.

4. AD hæc Imperator: Noli inquit, Diis maledicere, qui & ipsi sunt immortales & gloriam habent immortalem. Verum metuens Imperator quod resistere non posset spiritui qui loquebatur in Catharina, simulata grauitate quasi indignum foret Imperatorem cum fœmina disserere, Cõprime, inquit: parumper illam dicendi libertatem, & ego meos ad te Oratores adduci præcipiam, qui & rationes tuas, quibus initeris, abunde soluent & confutabunt, & te meliora edoctam ad Deorum nostrorum cultum facile reducent. Hæc dicens, virginem in custodiam abduci, & suos Oratores ingenii acumine & dicendi artificio præstantissimos adduci præcepit, qui certamen disputationis cum Catharina susciperent. Conueniunt itaque numero quinquaginta viri opinione prudẽtiæ & dicendi facultate admirandi: Qui vt causam, propter quam tanto studio aduocati fuerant, intellexere, animis nõnihil commoti sunt, quod tot numero & tanti viri ad certamen cum fœmina ineundum vocati essent. Vnde eorum vnus eximius inter omnes, vt eam ignominiam deleret (siue n. vincerẽt nõ magnam laudẽ reportarẽt, siue vincerẽtur magno de decori eis futurum erat) ait ad Imperatorem: Fieri quidem potest, fœminam, quam dicis, aliqua prudentia vel doctrina excultam esse: sed quæ fœminarũ tam prudens & erudita inueniri poterit, vt congressum doctissimorum Oratorum, qui ætatem omnem in litteris triuerunt, sustineat? Itaq; ad me ocius perducatur vt omnes intelligant quã vana sit opinio eorum qui fœminam cum viris doctissimis conferendam putant.

5. His auditis gestit lætitia Maximinus quasi parta iam victoria, & Catharinam è carcere adduci iubet multitudine hominũ interim ad hoc certaminis spectaculum concurrente & expectante ex vtra parte victoria staret. Nondũ peruenerant ad custodiam ii, qui iussi fuerant eam adducere:

Et

Digitized by Google

Et ecce angelus Domini, *inquit Metaphraſtes*, virgini apparuit, qui & ait, Noli timere ancilla Chriſti. Præter tuam enim qua imbuta es humanam ſapientiam, tibi dabitur à Deo os & ſapientia diuina, cui nõ poterunt reſiſtere omnes aduerſarii tui, & ipſi conuertentur ad te, & non tu ad eos: non tu per eos ſubuerteris, ſed ipſi per te ad Deum conuertentur. His animata virgo Dei, diſparuit angelus, & ipſa è carcere educta coram Oratoribus præſente Imperatore ſiſtitur. Tunc vnus eorum faſtu ſuperbiæ & opinione ſapientiæ tumidus in hunc modum virginẽ aggreditur, Satiſne ſana es quæ Deos noſtros & auitam religionẽ tã impudenter & imprudẽter reiicis & cõtemnis? & quæ plus ſapere velis, quã omnes Maiores noſtri: Cui placide & cũ magna animi grauitate & conſtantia reſpondet Catharina: Deos quidem veſtros reiicio & contemno, ſed neque impudenter neque imprudenter: cum omnes *Dij gentium ſint dæmonia*, teſte pſalmiſta. Et vt huic non credatis, etiam ex ipſis veſtrorũ Poetarum carminibus, & Philoſophorum dogmatibus, quibus Deorum numina aſtruere conamini, eorundemque cultũ vt legitimum & diuinum aſſeruandum docere nitimini, ſatis manifeſte patent veſtrorum Deorum turpia facta, ſcelera & adulteria, fraudes, deceptiones, contentiones & homicidia.

6. Id enim habebat gentilis error vt diuina deducerent ad humana, non autem humana transferrẽt ad diuina, malebantque Deos effingere hominibus conſimiles, quam homines fieri Diis æquales. Et vt bene annotauit *Clemens*, ideo ſuorum Deorũ prędicabãt ſcelera, Iouis adulteria, Mercurii fraudes, Martis violentiam, Bacchi temulentiam, Veneris impudicitiam, Iunonis zelum & inuidiam, & aliorum Deorũ alia ſcelera commemorabant, ſua cuique propria, vt dum ipſi ſimilia patrarent, non incuſatione & pœna, ſed laude & gloria digni cenſerentur, quippe qui Deorũ ſuorũ æmulatores facti talia facerent, qualia ſuos Deos feciſſe audiebant.

7. VERVM dic nobis inquit virgo Catharina. Quiſnam ex tuis magnis vt dicis poetis Deos altos nominauit? Cui Orator: Homerus, inquit, Iouem precans ſic dicit, Iupiter glorioſiſſime, maxime & alij Dii immortales: inſignis quoque Orpheus in ſua Theogenia gratias agens Deo Apollini ſic dicit, O rex filius Latonis eminus feriens, potens Phœbe, qui omnia intueris, & imperas omnibus. Atq; ſic quidẽ præſtantiſſimi & primi ex poetis ipſos honorabant & Deos aperte vocabant. Ne ergo tu decepta Crucifixum habeas tanquam Deum, quem nullus ex veteribus ſapiens inuenitur agnouiſſe vt Deum. Ad hæc ita Catharina. Fateor ſe illa habere, neq; contradixerim. Sed illud adiiciendũ foret, illum ipſum Homerum, quem dicis præſtãtiſſimum poetarum, maximum omnium Deorũ Iouem innumerabilibus ſubiicere abſurditatibus, alicubi enim eum vafrum vocat & deceptorem, alicubi mendacem & adulterum, qui à Iunone, Neptuno & Minerua, præter rationem coniectus ſit in vincula: Cui niſi à Tethide ſignificatæ fuiſſent inſidiæ, & Ægeum præfeciſſet cuſtodiæ ſuæ ſalutis, Deorum & hominum pater forte ibi iacuiſſet ſupinus, vinctus, & mulieribus & Neptuno illuſus. Rurſus Orpheus Muſicus vos qui eos colitis magnę dementiæ damnauit, maxime in libro quem ſcripſit de ortu Deorum. Quod autẽ Crucifixum dixiſti nequidem nomine apud veteres dictum fuiſſe Deum, oportebat quidem in eo non eſſe nimis curioſam neque de eo humanas ſcrutari rationes, quod ſit Deus verus cæli & terræ creator, ineffabilis & incomprehenſibilis, vt vero res eius ex veſtris quoque confirmem, ſic enim fuerit omnino à ſuſpicione alienum teſtimonium, audi ſapientiſſimam inter mulieres Sybillam, generationem eius ſecundum carnem, & eius in nos curam & prouidentiam ſignificantem: ſic autẽ habet, Vix tandẽ veniet quidam in hanc terram, & abſq; lapſu fiet caro, & ſoluet corruptionem affectionum immedicabiliũ, & erit ei inuidia in incredulo populo, & in

Digitized by Google

in alto suspenderetur tanquam reus mortis: hæc autem omnia leuiter patietur. Audi etiam Apollinem vatem, suæ solitę obscuritatis oblitum & nudam etiamsi nolit ædentem veritatem, sic autem habet. Vous me cogit cælestis, qui est lux tripliciter refulgens: qui passus est Deus, non passa est autem diuinitas ipsa: ambo est enim & mortali corpore, & alienus à corruptione: Ipse Deus est vir, omnia ferēs in mortalibus, crucem, cōtumeliam, sepulturam. Qui quinque milia impleuit frumento. Christus est meus Deus qui in ligno fuit extensus, qui mortuus, qui ex sepultura in cælũ est sublatus. Hæc refert Apollo Deus tuus, inquit Catharina ad Oratorē. Oportet ergo te quoque his persuaderi & ipsum verum Deum agnoscere. Sic illa, & plura alia.

8. Cvmqve hoc modo inanem falsorũ Deorum cultum tollendum satis commonstrasset, ipsisque Oratoribus persuasisset, ancilla Christi virgo Catharina, subiungit deinceps non nisi vnum verum ac viuum esse Deum, eumque solum diuino honore colendum & adorandum: Eum autem non alium esse quam Christum ipsum, quippe cuius opera prorsus heroica & diuina fuissent, cum & leprosos mũdasset, cœcos illuminasset, & mortuos solo verbo suscitasset: qui quamuis ex infirmitate crucifixus esset, vt hac sua morte genus humanum redimeret, tamen ex virtute Dei, hoc est, sua, resurrexisset, & cælos conscendisset. Id quod & ex Apollinis oraculis, & Sybillæ foliis, qui vel inuiti testimonium perhibuerunt æterno Christi numini, ita aperte commonstrabat, vt Oratores quod contradicerēt, nō haberent: sed, haud dubie diuina id intus in corde ipsorũ operante diuina gratia, omnes pariter in sententiã ac fidem Sanctæ virginis Catharinæ condescenderent. Hic impletũ quod Sapiens ait, *Cor hominis in manu Dei, quocumque voluerit flectet illud.* Et quia non sufficit malum confutasse, quin magis oportet & bonũ stabilire, vtrumque id hic fecisse comperitur virgo præclara Catharina, quia Oratores hos ex errore eruit idololatriæ, & in lumen induxit fidei ac iustitiæ.

9. Hæc cum ita fierent, furore agitatus Imperator Maximinus, rogum in media ciuitate accendi iubet, omnesque Oratores illos flammarum incendio cōdemnat. Qua sententia audita proni omnes ad pedes B. Catharinæ se abiecerũt, & vt baptismate lustrarentur, vnice rogauerũt. Quos illa optimo animo esse iubens, certissima immortalis vitæ spe plenos ad martyrii certamen præmisit, eosque in sanguine suo baptisandos promisit: ignis enim ille quē passuri estis, sordes quas habetis, plene expurgabit, & tanquam lucidas stellas in cælo ac throno gloriæ collocabit: hocque modo animati martyrium constanti animo subierunt.

10. Iis per ignis incendium martyrio coronatis, Maximinus cum nec minis, nec vi dicendi aut disputationibus quicquam proficeret, eam blanditiis rursum aggreditur: Spondebat diuitias, honores, regni denique communionem, si Diis libamina offerre vellet, maxime autem Musarum præsidi Mercurio, à quo, inquit profecta est hæc tua sapientia, & qui te exornauit hac tanta dicendi gratia. Illa vero vt quæ esset magno & excelso animo, & rursum acerrimo ingenio ad deprehēdēdam adulationē, etiamsi vafris & variis obtegeretur labyrinthis, sic inquit, Depone ô Imperator animum illum fraudulentum & vulpinas illas promissiones ac blandicias desere. Dixi enim iã semel me Christo cōsecratam esse, qui gloria & honore me lōge magis ac locupletius coronabit, quã tu possis, & stolã martyrii propter nomē eius subeũdi, qua me decorabit, longe præfero cuiuis purpuræ regiæ. Imperator autem adhuc sperans quod ipsius possit inflectere animum, & præ se ferens tanquam ipsius curam gereret, ait, Ne cogas me vel inuitũ in te iudicium & iustitiam exercere: Illa autem, Fac, inquit, quod velis. Firma stat sententia me tibi acquiescere nolle.

11. Imperator autē his verbis exacerba-

Digitized by Google

ſtatus, iubet virginem exui regali illa purpura, & boum neruis crudeliſſime cædi: cumque corpus illud virgineum totũ ſanguine perfuſum eſſet, plurimos ex aſtantibus ad lachrymas commouit: ipſe autẽ tyrannus obdureſcit magis, cumque crudelem ſuum animum nullis plagis quãtumuis acribus exatiare poſſet, iubet virginem ſic cæſam in carcerem abduci, vt interim quo genere ſupplicii eam perimeret, ſedulo ſecum perpenderet. Et hæc quidem ita ſe habuerunt: martyr autẽ coniecta in carcerem per duodecim dies ibidem concluſa detenta fuit. Non abs re eſt quod diabolus in ſcripturis ſacris comparetur modo leoni, modo draconi, qui Sanctos Dei modo blanditiis & promiſſis præclaris, modo minis & ſuppliciis ſubuertere conatur: Et cupidos quidẽ facilius promiſſis, infirmos autem terroribus, minis & tormẽtis debellare & expugnare ſolet. Sed in ancillam Chriſti S. Catharinam, nec hoc nec illo modo potuit quicquam: cũ enim conſtanti & forti eſſet animo, qua fortitudine non eam natura, quæ in ſexu fœmineo fragilior eſſe ſolet, ſed Chriſti gratia dotauerat, minas ludicrum & tormenta ſæua non timuit, cumque non bonorum terrenorũ ſed cæleſtiũ & æternorum cupida eſſet, pulchris & amplis promiſſionibus ſeduci nõ potuit. Quo factũ vt quicquid Maximinus tyrannus attentaret, ſiue minis & ſuppliciis, ſiue blanditiis & promiſſionibus, oleum & operam circa ancillam Chriſti perderet.

12. DVM hæc geruntur & B. Catharina ſic laniata in carcere detinetur, vxor Imperatoris Auguſta magno Catharinæ deſiderio tacta, Prophyrionem primariũ exercitus ducem adiit, eique mentem ſuã, accepta tamen prius ab eo ſilentii fide, exponit, quod Catharinã in carcere concluſam cõuenire & inuiſere vellet. Nec mora, Porphyrio carceris cuſtodibus pecunia delinitis Fauſtinæ Imperatrici aditum patefecit. Quæ viſo virginis vultu, ita animo exhilarata eſt vt ad eius pedes procideret, fuſiſque partim præ gaudio partim præ animi dolore copioſis lachrymis, vere ſe beatã prędicaret quod virginis colloquio frui poſſet. Cui ancilla Chriſti, Profecto, inquit, vere beata es, cui ipſos angelos immortalẽ video offerre coronã tibi à Deo præparatã, quã poſt diem tertiũ martyrio redimita a Chriſto æternũ regnatura accipies. Illa vero trepidante & ſuppliciorũ atrocitatem toto corpore perhorreſcente, Catharina eã confirmans atque forti animo eſſe iubens, nihil cruciatus iis timendos eſſe dicebat, atque docebat, qui Chriſtũ in certamine adiutorẽ haberent. Solet enim Chriſtus ſuos agoniſtas non ſolum aſpicere pugnãtes, verumetiã occulte ſubminiſtrare vires vt vincãt, iis potiſſimum qui voto & animo ad ipſius præſidiũ confugiunt. Et hoc eſt quod Paulus ait ad Corint. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum vt poſſitis ſuſtinere.* 1. Cor. 10.

Facit autẽ Deus prouentũ, & ſuccurrit duplici modo, aut quia vires ſubminiſtrat quibus homo confortatus tẽtationem & certamen vincit. Hoc ſubſidio Paulus cõfortatus dicebat, *Omnia poſſum in eo qui me confortat*: Aut quia impugnantis vires impedit ne tantũ tentare valeat quã & vellet: Hoc modo qui infirmus eſt iuuari ſolet: De quo Sapiens, *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum.* Sap. 4.

13. HOc habito inter B. Catharinam & Imperatricem Fauſtinam colloquio, Porphyrio interim audito ſæpius Chriſti nomine, ait ad virginem. Et quid quæſo pręmii conſequerer, ſi & ego deinceps Chriſto militarem? Eſt enim natura hominis lucri admodum cupida, vt nullum laborem propemodum ſubire velit, niſi ſpes lucri aut honoris aliqua adfulgeat. Huic proinde B. virgo ita reſpondit: Præmiũ quod piis omnibus a Chriſto poſt hanc vitam in cælis eſt conſtitutũ, nulla lingua ſatis exprimere valet: eſt enim tale quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe. Hæc & alia multa cũ addu-

xiſſet

Digitized by Google

xisset virgo Dei, Porphyrio cum ducentis militibus repudiata idolorum superstitione, Christo nomen dedit, persuasus partim rationibus & instructione ipsius Catharinæ, verum cũ homo gentilis esset qui scripturas non legerat, sed militiæ duntaxat assueuerat, ea nec sola nec præcipua fuit causa cur ad fidem conuersus sit, sed interna Dei motio atque persuasio qua à Deo intus illustrabatur: Quo modo legimus in *Actis Apost.* de Lydia purpuraria, quod Paulo prædicante Deus aperuerit cor eius intendere his quæ dicebantur à Paulo. Alias non caruisset nota leuitatis Porphyrio, quod tam leuiter ad vocem & instructionem vnius mulieris fidem suscepisset, eo quod scriptum sit, Qui facile credit, leuis est corde.

Act. 16.

16. EGRESSIS itaque è carcere Augusta imperatrice & Porphyrione duce, remansit virgo Catharina in carcere sola, & totos illos duodecim dies quib. in custodia detenta fuit, Deo sic disponente per columbam (si verũ sit quod *Metaphrastes* scribit) alimentum accepit. Quin hoc à Deo fieri potuerit, nullus salua fide dubitare potest. Quod autẽ factũ sit, quamuis tam certum non sit, quã est certum quod Elias per coruum pastus fuerit, cũ hoc asserat diuina scriptura, quæ nihil falsi continere potest, illud vero dicat historia humana, quę & falli & fallere potest, res tamen probabilitate non caret, & absque periculo fide humana suscipi potest, sicut & illud, quod *idem auctor* narrat Christũ nimirum virgini sanctæ in carcere apparuisse eandemq; mirum in modum confortasse ac consolatũ fuisse. Igitur Christi præsentia mirifice recreata, & noua insuper pulchritudine decorata, rursus ad Maximini tribunal euocatur & corã Tyranno sistitur. Stupebant omnes admirabilem virginis decorem, ipseq; inprimis Imperator speciẽ eius, cui angelicus videbatur inesse vultus captus & emollitus, qui & ait, Te decet ô filia, honor & imperiũ. Age igitur, Diis sacrifica, & nobiscum impera: & noli te abijcere, & tantã pulchritudinem tormẽtis obiicere. Cui virgo, Hæc quã tu admiraris pulchritudo, cinis est & terra, quã & tempus efflorescere facit, & morbus tabefacit, vtpote quæ nihil stabile, nihil firmum habeat. Ex ultimo quod cum hæc diceret virgo Catharina, memor fuerit huius scripturæ, Fallax gratia & vana pulchritudo, mulier timẽs Deũ ipsa laudabitur. Vt enim species quæ in speculo apparet vana est, tum quia facile euanescit & in nihilum abit, tũ quia intuentem licet nonnihil oblectet, nõ tamen satiat. Ita sese habet & pulchritudo corporea. Est quidẽ pulchritudo bonum Dei donum, sed in bonis infimũ: nec bonis propriũ, sed bonis malisque cõmune: Propterea autem pulchritudinem Deus largitur etiam malis, ne magnum bonũ videatur bonis. Ita se habet omnis creatura vt si bona fuerit & pulchra, ametur & oblectet: Potest autẽ bene amari & male: bene scilicet ordine custodito: male autẽ ordine perturbato: Bene inquam cũ quis à rebus pulchris tanquam per gradus ad pulchrum summum, quod est Deus, ascẽdit, inquit August. qđ semper est nec mutatione afficitur, nec decremẽtis minuitur, nec accessione fit maius: quod qui viderit, fordet aurum, sordent pulchræ vestes, sordẽt & formosa hominum corpora.

17. QVÆRIS pulchritudinem, rem bonã quæris, si modo eam quæris vt te sponsus tu⁹ amet, cui fœda displices: Ille enim qui speciosus est præ filiis hominum, non nisi speciosa & pulchra diligit: nõ potes ei placere, quamdiu deformis es. Quid facies vt pulchra sis & ei placeas: Prius tibi displiceat deformitas tua, & tunc ab illo ipso cui vis placere pulchra, mereberis pulchritudinem. Ergo prius attende quæ sis, ne audeas te fœda in pulchri oscula. Et quid intuens, inquis me videbo an pulchra sim an deformis? Posuit tibi speculũ scripturarũ suam: legitur tibi, Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Speculum in hac lectione propositũ est, vide si hoc es quod dixit: Si nõdum es geme vt sis: Renũciauit tibi speculum faciem tuã: non te palpes nec aduleris, quæ in omni cupi-

cupiditate & desiderio carnali immunda es. Quid est mulier corpore speciosa, mente immunda? sepulchrum dealbatū, patens præcipitium, venenum insipientibus compositum: *Circulus aureus in naribus suis*, inquit Sapiens, *mulier pulchra & fatua*. Quid igitur, Num pulchritudo est causa peccati? absit: est enim diuinæ sapientiæ opus: opus autem Dei nunquam potest esse causa peccati. An igitur videre mulierem pulchram sit causa peccati? ne id quidem, inquit Chryso. Nam & hoc naturæ opus est: sed male videre, curiose intueri, & vitiosæ contemplationi immorari, hoc deprauatæ voluntatis opus est & ab animo corrupto proficiscitur, & hinc ignis concupiscentiæ, quæ est in nobis, incenditur, animamque depascit & absumit. Sic Dauid videns mulierem pulchram protinus ictum sagittæ & telum cupidinis suscepit ac periit. Iste mos est scripturæ, si quando accuset quempiam, non modo peccatum illius narrare, verū etiam docere nos quæ fuerit peccati causa. Id autem eo facit, vt qui sani sunt eos reddat cautiores ne in eadem incidant mala. Quæ pulchra sunt & visibilia sic delectent corporeos sensus, vt quæ pulchra sunt sed inuisibilia magis oblectent sensus mentis, ita vt plus te delectet ipsa iustitia quæ pulchra est sed inuisibilis, quā pulchritudo corporis quæ est visibilis: non vt hæc non delectet, sed vt illa magis, eo quod illa pulchrior sit licet non videatur, quam ista quę videtur. Habes fortassis duos seruos, vnum corpore deformem, sed animo benignum, mansuetum, obsequiosum, fidelem, prudentem & industrium: alterum corpore pulcherrimum, sed infidelem, ebriosum, inuoluntarium, stupidū & ignauum. Dic vtrum plus amas? vtro plus delectaris? Procul dubio dices fidelem licet corpore deformem te plus amare, non quod fœda pulchris præponas, sed pulchriora fœdis præposuisti: quid enim pulchrius fide & quid deformius infidelitate? Quæ videntur non oculis carnis sed mentis.

14. SED ad B. Catharinam reuertamur, quæ cum ita constanti animo Maximino tyranno respondisset, nec à sua religione vllo modo dimoueri posset, Præfectus quidam Chursasadem nomine, captans Imperatoris beneuolentiam, Ego, inquit, ô Imperator, viam modumque inueni, quo hanc vel tibi dicto audientem reddes, vel momēto temporis dissipabis. Iube sub vna fibula fieri quatuor rotas, & vnicuique rotæ infigi serras & clauos acutos, eamque machinam funibus paruisque rotis maximo impetu & strepitu ante oculos eius agitari præcipe. Eo terrore eius constantia vel concidet, vel certe corpus in mille particulas dissecabitur. Iubet Imperator machinā fieri in tertiū diem: qua parata & virgine rursum è carcere educta, iubet eam magno impetu & strepitu ante oculos virginis agitari, addens: Nisi mihi pareas & Diis sacrifices, huic te tormento subiiciam: Respondit virgo B. Iam aliquoties tibi mentem meā aperui, nec eam mutare decreui. Ne ergo cuncteris sed fac quæ tuo sedent animo: Imperator ergo videns se frustra laborare, iubet generosam virginem in rotas iniici, easque celerrimo motu agitari: Et ecce mox ipsa machina ab angelo cœlitus misso, tanta vi & impetu dissipatur, martyre illæsa permanente, vt multi è circumstantibus interimerentur, plurimi vero inclamarent, Magnus Christianorum Deus.

17. Hæc dum ita geruntur, ecce coniunx Imperatoris Augusta maritum accedens ita infit, Absolue quæso magni Dei famulam, quam vt vides tormenta superare non possunt: Desiste ô coniunx ne etiam Deo repugnare videare: Erras & plane desipis, si Deo viuo & vero te potentiorem existimas. Audiens hæc Imperator confestim suum furorem relicta martyre, in coniugem conuertit, eamque, abscissis prius, crudeli sane spectaculo, mammillis, capite truncari iussit. Illa vero accepta sententia, dixit martyri Christi B. Catharinæ, Ora pro me: Et Catharina ad eam,

Digitized by Google

Vade inquit, in pace æternum cum Chriſto regnatura. Iuſſu itaque imperatoris amputatur ei caput extra ciuitatem 23. Nouemb. Ea igitur martyrio conſummata, Prophyrio cum ſuis militibus conſtãter accedens, Et ego inquit Chriſtianus ſum, paratus cum hiſce commilitonibus meis idem pro Chriſto certamen ſubire. His auditis frendens Imperator cunctos crudeli ferro trucidari præcepit 24. *Nouemb.* Atque hoc modo effectum ſuum ſortita eſt prædictio S. Catharinæ, qua prædixerat Imperatori multos ex ſuo palatio in Deum per ipſam credituros.

18. INDE conuerſus ad Catharinam Tyrannus cum irrito conatu minas ac blanditias adhibuiſſet poſtremas eam ſimiliter trũcari iuſſit vigeſimaquinta Nouembris. Itaque virgo illa clariſſima & cunctis ſcientiis ad miraculum vſque ornatiſſima, tot tantiſque certaminibus inclyta, ad martyrii locum extra ciuitatem deducta fuit: quam cum multæ virgines & matronæ nobiliſſimæ lachrymis atque lamentis proſequerentur, illa vultu conſtanti, & ad hilaritatem compoſito, ſublatis in cœlum manibus orationem fudit ad Deum, Domine Ieſu ſuſcipe animam meam, quam pro tua que confeſſione ſacrificaui: Da quoque vt hoc meum corpus quod pro te fuit conſciſſum, non poſſit aſpici ab iis qui id quærunt. His dictis niueam extendẽs ceruicem lictori eã feriendam præbuit: è qua pro ſanguine lac fluxiſſe viſum eſt ab iis qui huic ſpectaculo intererant. Corpus vero caſtiſſimum & omni veneratione digniſſimum angelorum miniſterio in montem Sina perlatum fuit: vbi clariſſimis inclytum miraculis etiamnum eius viſitur ſepulchrum. Vale ô Catharina & cultorem tuũ tuis precibus adiuua, eumque ſapientiæ tuæ atque ſcientiæ, caſtitatis & conſtantiæ tuis meritis & interceſſionibus, conſortem effice.

PARS IV.

De virginitate vera & ſancta.

O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius, quoniam & apud Deum nota eſt & apud homines. Sapien. 4.

Summa Articulorum IV. Partis.

I. *Qua & qualis debeat eſſe virginitas vt ſit laude digna & Deo grata.*

II. *Conſortiã virorum virginibus vitanda quia periculoſa.*

III. *Bellum contra virginitatem periculoſum, ideo ſollicite cuſtodienda.*

ART. I. Qualis debeat eſſe virginitas vt ſit Deo grata.

1 MAGNA eſt virginitatis dignitas, quæ talis eſt vt de virginibus dicatur Apoc. 14. *Sequuntur agnum quocumq; ierit.* Quo ire putamus hũc agnũ, *inquit Aug.* quo nemo eum ſequi vel audeat vel valeat niſi vos virgines? vbi credo ſunt grãdia gaudia, non gaudia qualia in ipſo regno Dei cæteris non virginibus erunt, ſed à cæterorũ omniũ gaudiorum ſorte diſtincta, nam ſunt aliis alia, nullis talia. Quid eſt ſequi agnum niſi imitari agnũ? Hunc in eo quiſque ſequitur in quo imitatur. Multa in illo ad imitandum nobis proponuntur: virginitas autem carnis non omnibus. Non enim habent quid faciant vt virgines ſint, in quibus iam factũ eſt vt virgines nõ ſint. Sequuntur itaque agnum cæteri fideles qui virginitatẽ corporis amiſerunt, non quocumque ille ierit, ſed quouſq; ipſi potuerint, poſſunt autem vbique, præter cum in decore virginitatis incedit. *Beati pauperes ſpiritu*, imitamini eũ, qui propter vos pauper factus eſt cum diues eſſet. *Beati mites*, imitamini eum qui dixit, *Diſcite à me quoniã mitis ſum & humilis corde*: Beati *lugentes*, imitamini eum qui fleuit ſuper Ieruſalem.

Aug. c. 27. de ſan. virgin.

Digitized by Google

lem: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam,* imitentur eum qui dixit, *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me:* Beati *mundi corde,* imitamini eum *qui peccatum non fecit.* Hæc qui imitantur in his agnũ ſequũtur: Sed certe etiam cõiugati poſſunt ire per iſta veſtigia, & ſi non perfecte in eadem forma ponentes pedẽ, veruntamen in iiſdem ſemitis gradientes. Sed ecce ille agnus graditur inſuper itinere virginali, vos virgines eũ ſequimini & perſeuerãter permanete in eo quod vouiſtis Deo ne virginitatis bonum à vobis pereat. Laudate Dominum dulcius quem cogitatis vberius, ſperate fœlicius cui ſeruitis inſtantius. Cantate canticum nouum, quod nemo alius niſi vos, cãtare poterit: Singulariter quippe agno cantare canticum nouum eſt cum eo in perpetuũ præ cunctis fidelibus de incorruptione carnis gaudere: hoc canticum cæteri electi audire quidem poſſunt, ſed cantare nõ poſſunt, quia per caritatem in illorum quidem celſitudine gaudent, quamuis ad eorum præmia non aſſurgant.

2. NON tamen virgo Dei mulieri fideli ſiue viduæ ſiue etiam cõiugatæ ſe præferre audeat, *inquit Auguſt.* ambæ licet Dei præceptis ſint obedientes & Deum timẽtes: Alias enim quis neſciat obedientem mulierem inobedienti virgini præponẽdam? Nam quamuis caſtitas virginalis etiam caſtis nuptiis ſit præferenda, non tamen ideo virgo caſta præferenda coniugatæ, quia multa ſunt dona & alia aliis clariora & ſuperiora ſingulis ſingula: & aliquando alter fructuoſus eſt donis paucioribus ſed potioribus, alter inferioribus ſed pluribus: Poſſunt eſſe occulta Dei dona in coniugata quæ non in virgine, quæ non niſi interrogatione tentationis etiam ſemetipſum vnicuique declarant: vt enim cætera taceam, vnde ſcit virgo quamuis ſollicita quæ ſunt Domini quomodo placeat Domino, ne forte propter aliquam ſibi incognitam mentis infirmitatem, nondum ſit matura martyrio, illa vero mulier, cui ſe præferre geſtiebat, iam poſſit bibere calicem dominicæ paſſionis, quem virgo non poſſit? certe niſi adſit tentatio nulla doni huius ſit demõſtratio. Habet itaque virgo quod cogitet quod ei proſit ad ſeruandam humilitatem, ne violet illam quæ ſupereminet donis omnibus charitatem, ſine qua vtique quæcumque alia vel magna vel parua habuerit, nihil eſt: habet inquã qđ cogitet vt non infletur. Laudabilis quidem virtus virginitas, ſed magis neceſſaria humilitas, *inquit Bernard.* illa conſulitur, iſta præcipitur: de illa dicitur. *Qui poteſt capere capiat*: de iſta dicitur, *niſi efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in regnum cælorum*: potes ſine virginitate ſaluari, ſine humilitate non potes: poteſt placere humilitas quæ virginitatem deplorat amiſſam, ſine humilitate aũt nec virginitas Mariæ placuiſſet. Habet itaque virgo quod cogitet vt non infletur, ita ſe ſcilicet donum virginali coniugali dono multo amplius & melius profiteri, vt tamen neſciat vtrum illa vel illa coniugata iam pati pro Chriſto poſſit, adhuc vero ipſa non poſſit, & in hoc ei parcatur quia infirmitas eius tentatione nõ interrogatur. Nemo autem, quantum puto, *inquit Auguſtin.* auſus fuerit virginitatem præferre martyrio, quod donum occultum eſt, ſi examinatrix deſit tentatio. Admonẽdi ſunt igitur cõtinentes & peccata carnis ignorãtes, vt & præeminere virginitatem coniugio ſciant, & tamen ſe ſuper cõiuges non extollant: quatenus dum & virginitatem præferunt & ſe poſtponunt, & illud non deſerant quod melius eſſe æſtimant, & ſe cuſtodiant quo ſe inaniter non extollant. Cõſiderent quod plerumque actione ſecularium, vita continentium confunditur, *inquit Gregor.* cum illi vltra habitum aſſumunt opera, & iſti iuxta ordinem proprium non excitãt corda. Vnde bene per Iſaiam dicitur. *Erubeſce Sidon ait mare*: quaſi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ ſecularium atque in hoc mundo fluitantium,

Aug. c. 44. de ſan. virgin.

Bernar. ſer. 1. in Miſſus.

Gregor. hom. 18. in Eze.

Iſa. 23.

Digitized by Google

eius qui munitus est & quasi stabilis cernitur: vita reprobatur. Sæpe n. nonnulli ad Dominum post peccata carnis redeuntes, tanto ardentius se in bonis operibus exhibent, quanto damnabiliores se de malis vident. Et sæpe quidam in integritate carnis perdurantis, cum minus se respiciunt habere quod defleant, plene sibi sufficere vitæ suę innocentiam putāt, atque ad feruorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflammant. Et fit plerumque Deo gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia: Sicut plus terram diligimus quæ post spinas exarata fructus vberes producit, quā quæ nullas spinas habuit, sed tamen exculta segerem sterilem gignit. Sic in humano genere & quidem in meliore ordine deteriores sunt, *inquit Gregor.* & quidam in deteriore meliores, quia & isti fortè extremi habitus bene viuendo trāscenduntur, & illi superioris loci meritum moribus non exæquando diminuunt.

3. INGENS est virginitatis dignitas quæ talis sit vt non solum abstineat à nuptiis, sed & à cæteris vitiis, quæ non solum castum facit hominem carne, sed & animo benignum, fratrum amantem & pronum ad commiserationem. Quæ enim vtilitas virginitatis cum crudelitate? quid lucri ex temperantia cum inhumanitate coniuncta? Non es capta corporum concupiscentia, *inquit Chrysost.* sed capta es pecuniarum cupiditate: non es admirata hominis faciem, sed admirata es auri pulchritudinem: maiorem aduersarium vicisti, sed minori & imbecilliori succubuisti: Atque eo turpius victa es, ideo ne venia quidem digna es, inquit, quæ tantam vim sustinuisti & aduersus naturam reluctatus es, ab auaritia vero expugnata es, quam & barbari homines minimo negotio sæpe numero superare valuerūt. Quid prodest caro integra, *inquit August.* mente corrupta? Melius est humile coniugiū, quam superba virgo: Si enim nuberet nō haberet vnde extolleretur, & haberet frenum quo regeretur. Non hoc in virginibus prædicamus; *inquit*, quod virgines sunt, sed quod Deo dicatæ pia continētia virgines sunt. Neq; hoc temere dixerim, quia fœlicior mihi videtur nupta mulier, quam virgo nuptura, habet enim iam illa quod ista adhuc cupit: Illa studet vni placere cui data est, hæc multis, incerta cui danda est. Illa autem virgo coniugatæ merito præponitur, quæ nec multitudini se amandā proponit, cum amorem vnius ex multitudine quęrit, nec se vni iam cōponit inuento cogitans quæ mundi sunt quomodo placeat viro, sed speciosum forma præ filiis hominū sic amat, vt carnē integrā ei custodiat. Ea igitur virginitas citra cōtrouersiā accipit coronas, *inquit Chrys.* nō q necessitatis sit, sed quæ est propositi. Innumeri corporis virginitatē habentes, & virgines & iuuenes Ethnicorū, Iudæorū & impiorū hæreticorū filii & filiæ ex hac vita decesserūt, cui tamē turbæ tali virginitate præditæ apud tribunal Christi coronæ non dantur virginitatis, quia fructum aufert necessitas. Quod si nullus est necessitatis fructus, sed tota merces est propositi, numerus ille innumerabilis manet incoronatus, virginitatē quidē habēs: sed virginitatis propositū non habēs. Neq; Deus acceptū fert quod fit ex necessitate, sed q ex proposito recte fit. Sed nunquid propter virgines malas damnaturi sumus & sanctas & corpore & spiritu? Aut propter istas laudabiles etiam illas improbandas laudare cogemur? Nequaquam, quia vnus assumetur & alter relinquetur: humilis virgo assumitur, superba relinquitur: Quid si nullus tetigerit corpus, sed sit ebriola, litigiosa, superba, hæretica? hæc omnia damnat Deus, ideo vxor Catholica præcedit virginem hæreticam. *sic August.*

4. QVINIMO sit virgo Catholica, corpore quidem corrupta & vi oppressa & contumeliam passa, sed cuius mēs corrupta non fuerit, & pudicitia integra in animo permanente, dum reluctatur concupiscētiæ carnis quam inuita patitur, virginitas carnis

Chrysost. tom. 3. ser. de verb. Apostol. Habē. e. non sp.

Aug. in Psal. 99.

Aug. c. 11. de san. virgin.

Chrys. in Ps. 95. to. 1

carnis de corpore violenter auferatur, virgo autem hæretica aut alia, corpore quidem maneat integra, sed in animo lasciuiæ voluntate corrumpatur, & impuro spiritu stuprum perpetranda decernat, quãuis in hac inueniatur virginitas carnis, non tamen inuenitur pudicitia virginalis, quia vera pudicitia non potest haberi in animo fornicante: Neq; enim eiusdem sunt generis pudicitia & virginitas, eo quod pudicitia sit res animi, virginitas corporis, *inquit Au.* Cũ vero pudicitia virtus sit animi, quis sana mente putauerit se perdere pudicitiam si forte in oppressa carne sua exerceatur & expleatur nõ sua libido, sed aliena? Si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia virtus animi non erit, nec pertinebit ad ea bona quib. bene viuitur, *inquit Aug.* sed in bonis corporis numerabitur, qualia sunt vires, pulchritudo, sana integraque valetudo, ac si quid eiuscemodi est, quæ bona etiamsi minuantur bonam iustamque vitam omnino non minuunt. Si autem animi bonum est etiã oppresso corpore non amittitur: quin etiam sanctæ continentiæ bonum est, cum immunditiæ carnalium concupiscentiarum nõ cedit, & ipsum corpus sanctificatur, & ideo cum eis non cedere incõcussa intentione persistit, nec de ipso corpore perit castitas, quia eo sancte vtendi perseuerat volũtas, & quantũ in ipso est etiam facultas. Neq; enim eo corpus sanctum est quod eius membra sunt integra, aut eo quod nullo contrectatur attactu, cum possint diuersis etiam casibus vulnerata vim perpeti: Obstetrix virginis cuiusdam integritatem manu velut explorans, siue malitia, siue iustitia, siue casu, dum inspicit perdidit. Non opinor quenquam tam stulte sapere, vt huic perijsse aliquid existimet etiam de ipsius corporis sanctitate, *inquit August.* quamuis membri illius integritate iam perdita. Quocirca proposito animi permanente per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam seruat perseuerantia continentiæ suæ. Quamobrem quia non habebat quod in se morte spontanea puniret Lucretia illa Romana laudibus pudicitiæ tantopere à suis commendata, sine vlla sua consensione violenter oppressa, quod seipsam, quoniam adulterium pertulit, & nõ adultera occidit, non est pudicitiæ caritas, sed pudoris infirmitas, puduit enim eam turpitudinis alienæ in se cõmissæ, etiamsi non secum, nisi forte iuueni licet violenter irruenti etiam sua libidine cõsenserit, quod ipsa tantummodo nosse poterat: idq; in se puniens ita doluit vt morte putaret expiandum, quanquam nec sic quidem occidere se debuit: Sed mulier Romana laudis auida nimium verita est ne putaretur quod violenter est passa, libenter passa, sociam quippe facti se credi erubuit, si quod alius in se fecerat turpiter, ferret ipsa patienter. Vnde ad oculos hominum mentis suæ testem illam pœnam adhibendam putauit, quibus cõscientiam demonstrare non potuit. Quod si nullo adulterino cõsensu se maculauit, cur se insontem occidit? si pudica, cur occisa? si adultera, cur laudata? Quo vero Dei iudicio in corpore sanctarum virginum etiam Deo sacratarum permittatur hostilis libido peccare, alta quæstio est, *inquit August.* Forte id fit vt humilitas conseruetur in iis, quæ ex carnis integritate superbire, & humanis laudibus delectari poterant: aut persuaderetur iis quæ de continentiæ bono iam superbiebant. Quanquam & illud non sit tacendum, quod quibusdam quæ ista perpessæ sunt, potuit videri continentiæ bonum in bonis corporalibus deputandum: & tunc manere si nullius libidine corpus attrectaretur: non autem esse positum in solo adiuto diuinitus robore voluntatis, vt sit sanctum & corpus & spiritus: nec tale bonum esse quod inuito animo non possit auferri. Qui error eis fortassis sublatus est per hoc quod vim libidinis alienæ passæ, licet corporis integritatem amiserint, castitatem tamen & continentiæ donum, quæ inuito auferri non possunt,

Aug. lib. 4 ca 8. con. Pelag. to. 1.

Hæc Aug. libro 1. de ciuit. c. 18. & 19.

Aug. lib. 1. cap. 28. de ciuit.

Digitized by Google

non perdiderint, si libidini nullo modo cõsenserint. Si enim eo modo perire posset castitas, & quam in sanctis suis diligit & contulit Deus sanctitas, nullo modo permissurus erat Deus, vt hæc eis accideret qui nullo modo bona conscientia ei seruientes deserere potest, *hæc August.* Cæterum si amittas patrimoniũ integerrimæ castitatis, nulla hoc omnino ratione recuperare iam poteris: Qua ratione enim quæ cognouit virum quasi quę non agnouerit existimabitur? Pœnitentia quidem peccatum relaxari certum est, verum quę corrupta est, quasi ea inuiolata persliterit, redintegrari omnino non valens, dum viuit, lugebit, *inquit Basil. de vera virginit.* Quocirca quoniam hæc pretiosissima omnium est, maximaq; possessio, h. sq; qui hanc fuerint adepti, reposita sunt gloriosissima præmia, impollutã & ab omni macula intactam assidue naturalẽ diuinæ effigiei seruemus pulchritudinem. Magnum enim quiddam reuera ac præclarum virginitas est, quæ hominẽ incorruptibili Deo simillimum facit, inquit Basil. Hæc autem non à corporib. ad animas manat, sed cum incorporalis animæ propria sit & præcipua, eius pretiosissima integritate corpora quoq; incorrupta seruantur.

II. Virorum consortia virginib. vitanda.

1. CÆterum virgo sancta vt purissimam se Deo sistat, quem amore lõge suauius ardente prosequitur & amat, tota animi intentione superare conatur non tantum voluptatem corporis quæ ex fœminæ consortio percipitur, sed contra omnium sensuum delectationem fortiter cõstãterq; persistit, & sensuum fenestris custodem admouet rationem, *inquit Bas.* eorumq; ad exteriora progressum quietum & moderatum efficere omni studio curat, ne scilicet si ad quæ velut effundantur libere, animam ad sua vitia pertrahãt: Nam & gustum ad suauia & dulcia semper inhiantem ratione frenabit & ad ea quæ sunt necessario sumenda moderabitur: auditum quoq; non temere & indiscusse verbis omnibus accommodabit, sed ad ea quæ noxia sunt obturabit, his vero quæ sunt saluti conducentia accommodabit: tactum vero vt sensum omnium perniciosissimum & sæuissime blandientem, immaculatum semper quã maxima poterit cura seruabit. Quisquis igitur omnibus animi sui affectionibus moderatur, neq; vlla voluptatis titillatione permouetur, hic perfecte continẽs est, inquit Basil. voluptas autem nihil est aliud quã esca illa maligni qua tanquam hamo quodam animas ad exitiũ pertrahit. Quocirca, *inquit*, fugiendę imprimis cum mulieribus congressiones sunt, collocutionesq; neq; ad eas vnquam accedendum nisi cum grauissima nos aliqua ad eas necessitas impellit & aliter facere non possumus: atq; ipsa etiam vbi nos necessitas ad gerit, ab ipsis non secus atq; ab igne cauendum est, adeo vt quam ocyssime nos ab ipsis expediamus, præsentia enim mulieribus non nisi in transitu obiter communicanda, non continuanda sed veluti fugitiua accessio exhibenda: & cum sit accessus ad illas grauitas in vultu conspiciatur, auctoritas seruetur, vt sic vndiq; fragilitas nostræ substantiæ muniatur: virtus a spiritus ita nobis subministratur vt prouidos non præcipites tueatur, eosque protegat nõ qui periculis se obiiciunt, sed qui fugiunt: periculose tibi assistit cuius vultum frequenter intueris, *inquit Augu.* solus cum sola secreto & absque arbitro nunquam sedeas. Et quãdoquidem adolescentularum colloquia turpi suspicione difficile carent, omnem aditũ vel obscurę suspicionis præclude & quicqu d probabiliter fingi põt, ne fingatur ante deuita. Hospitiolum tuum aut raro aut nũquam mulierum pedes terant, inquit Hier. *ep. ad Nepotia* Omnes puellas & virgines Christi aut ęqualiter ignora aut ęqualiter dilige. Crebra munuscula, & sudariola, blandas dulcesq; literulas sanctus amor non habet. Mel meum, meum corculum, meũ desiderium, & cæteras ineptias amatorũ in comędiis erubescimus, inquit, in seculi ho-

Basil. de vera virgini.

Basil. c. 4. consti. monast.

li hominibus detestamur, quanto magis in monachis & in clericis, quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio, *hac Hieron.*

Vbi supra. 2 SI QVIS dicat, *inquit Basil.* ex assiduo se cum mulieribus cōsortio & colloquio, non admodum lædi: hic sine dubio, inquit, aut maris naturæ particeps non est, cuiusmodi esse illos ferunt qui nati Eunuchi sunt, qui fœminarum libidine nullo modo mouentur, si tamen id verū esse d camus, cum Ecclesiasticus dicat, *Concupiscentia spadonis deuirginans iuuenculā:* Eccl. 20. aut certe si expers non est, cum totus immersus libidinibus obruatur, ebriis aut phreneticis correptis similem se esse non sētit, qui grauissimis affecti morbis, morbū tamen à se abesse omnem existimant: aut certe etiamsi corpore virgo sit, an spiritu virgo sit nescio: Apostolus autem ita virginem definit vt sit *sancta corpore & spiritu.* Sed demus quod ratio non dat, posse aliquem existere qui nullis libidinum aculeis moueatur, qui quæso hoc ita esse cæteris persuadebit? Alios autem scandalizare hoc arbitror non vacare periculo. Et sit ita quod vir ipse nullam in animo suo perniciosæ cogitationis noxiam cōceperit, de muliere certe quod ea quoq; idem faciat, quod videlicet nulla libidine moueatur, quomodo nobis persuadebit? & licet nullum ille vulnus acceperit, si tamen inflixerit, peccati reus erit, etiamsi quemadmodum id fecerit non intelligit. Et certe per simulationem videlicet spiritualis caritatis monachum crebro adiens mulierculа, *inquit Basilius*, oculis primum peccato largitur se explere incipit, & formam illius aspectibus lasciuis depascitur, & abditam intus virginem, cuius amore præcipue sponsus tenetur, impuris cogitationibus vitiat & corrumpit. Proinde ne eorum quę diximus, inquit, quicquam eueniat, danda est opera, vt si qua fieri possit, mulierum colloquia congressusq; funditus fugiamus: sin id non possit, in eo enitendum est certe, vt quam rarissima illa & breuissima fiant. Neq; id ex odio sexus, apage quin potius earum patrocinium suscipiamus, sed tamen congressum defugiamus, nec ex ipsarum aspectu, in memoriam eius, cui semel nuncium remisimus, libidinis, cuiq; aditum ad nos perpetuo interclusimus, redire cogamur. Alexander ille Rex Macedonum cum filias Darij in potestatem redegisset, quæ egregia forma & admiranda fuisse feruntur, ne aspicere eas quidem voluit, turpe esse inquiens eum qui viros vicisset, à mulieribus superari. Si igitur fortuiti cōgressus iis qui mulieres aliud agentes inuentur, tantum adferant periculi, quantum facessere putas congressiones illas quæ ex industria suscipiuntur? Honesta quidem mulier ac decora ob pudorē demittit vultum: at inhonesta, & quæ multos studet sua pulchritudine, veluti hamo, capere, incedit collo erecto & nutu oculorum ac ipso aspectu declarat animi sui lasciuiam, ac venenum quoddā lethiferum ex oculis suis emittit, quale basiliscum spargere fama est, quem aiunt solo aspectu eos quos intuetur perdere. *hac Basil. orat. 8.*

3 SED vt veram virginem videre possimus, *inquit Basil.* sciendum quod ad veræ virginitatis rationem non sufficiat si corpore quis sit virgo, oportet vt & anima inuiolata permaneat: Sufficit autem vel aspectus, qui animæ turpium rerum impressit imagines, vel sermo lasciuior in aures cum voluptate delapsus, animum impudicitiæ ratione corrumpere. Quocirca necesse est virgo animam longe maiore obseruet cura quam corpus, vti ne hanc alibi seruiet, alibi sine custodia passim dimittat, sed omni custodia seruet cor suum, vt neq; per aures profluens sermo animam audiēris demulceat ad voluptatis illecebram Eadem illi aspectus quoq; habenda est ratio, vt videlicet nō sit mollis eius obtutus, ne intuentibus voluptatis contra se emittat indicia, neq; emissum forinsecus oculi iactum se patiatur attingere, ne hoc veluti ignito iaculo in corde percussa ad voluptatis inflāmetur, imagi- Lib. de vera virg.

imagines; eris enim quaſi ceruis iaculo percuſſus in fœmore ſeu iecore. Sed concurrentem aſpectui ſuo aliorum obtutum oportet ab animæ arcere liminibus, intuitumq; ſuum pudicitiæ indicem exhibere cernentibus. Quippe & palpebrarum curioſior motus ſollicitare atque ad eam voluptatem vel ſolus inflammare ſolet, quæ animam vel maxime concutit. Nam cum obtutus in anima, voluptate ceræ inſtar mollita, cōſpectæ formæ imagines impreſſerit, quamuis ille abeat, qui huiuſmodi formas impreſſit, imago tamē conſpecti animo impreſſa, quod ſuum eſt ſemper operatur, animumq; ſpeciebus ludit. Idcirco virgini principio quidem ſummopore cauendum eſt ne cuiquam infigat obtutus, vel certe ſi defixiſſe contigerit, figuras animo altius infigi molientes à ſe contraria virtute reiiciat ac penitus arceat, vt nullam corporis ſpeciem diuturnis cōſuetudinis obiectaculis formet: quod ſi forte contingat clam animæ corporeas imprimi formas, eas perpetua rerum honeſtarum memoria omni ſtudio in ſeipſa delere contendat, corporeas quidem illas veluti ceræ inſcriptas, animi ad meliora ac diuina conuerſione abolendo, ſanctarumq; rerum imagines elaboratis meditationibus ac ſpeculationibus, illarum vice inſcribendo: Si vero iniectas in animo ac ſi in ſigillo infixas durare permittat, neceſſario iā circa inſignitam ſpeciem occupatus animus alia bona omnia & honeſta negliget, atq; ad impreſſæ altius ſpeciei imaginem ſemper attonitus eiuſce fruitionis deſiderio fœde iactabitur. Nec ſane quicquam ei proderit quæ eſt eiuſmodi, corpus ſeruare incorruptū, cum anima ad iniectas ſibi per aſpectum corporalis amoris illecebras proſtituta vitietur. Metu enim aut pudore antiquam exterioris virginitatis gloriam cū ſimulatione retinens, eaq; nudari infame plerumq; dedecoris cenſens, eam ſeruare vel inuita conatur: cæterum incorporeis manibus huic iugiter quem amat amplectens, inſitum medullitus animo ſecum ſemper & vbique circumfert, & quæ corporaliter exequi ne deprehendatur erubeſcit, ea perpetrare cogitatione non metuit: quo fit vt nec corpore iam ſatis virgo ſit, dum & per viſum & in ſomnis amatoria ſomniante illa, ipſum ſimul eiſdem imaginibus luditur. Nam ſicuti cum in eos, qui morbo tenentur oculorum, obtutus diutius figimus morbi ipſius cōſortes efficimur, contraq; cum his, quæ aciem naturaliter iuuant, infigimus luminum radios, ſecretiſſimæ naturæ vi inde proficit noſter intuitus. Ita profecto & cum voluptatis indiciis iniicimus oculos, animus voluptatis morbo ſit ſaucius, ſicut etiam cum veris bonis intēdimus, magna in anima per oculos emolumenta ſuſcipimus. Et ſicut lapis in aqua ciſternæ cōiectus non ſolum adiacentem aquę partem, in quam cecidit, agitat, verum orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitādo perducit, ita & laſciuus obtutus, vel ſermo voluptatis delinitus illecebris, in virginis animam velut in vndam puriſſimam vehementer iniectus, alias poſt alias quaſi in profundo cogitationes amatorias excitat, ipſamq; totam eius qui facit imaginem ſauciam fluctibus exagitat. Quocirca ſummo ſtudio oportet virginem aſpectus vociſq; blanditias vt peſtiferæ voluptatis illecebras à ſenſibus ſuis quam longiſſime arcere, & aurem quidem intus caſtiſſima cogitatione, oculos vero cautiſſima auerſione munire. Non ignoret ſane prudens virgo ſi huiuſce lenocinia per aſpectus atq; aurium tranſitum in animam ſemel irruperint, fore vt manu quoq; accedente adiutrice ad irritamenta voluptatis opus ſuum omnino cum temporis progreſſu perficiant. *hactenus Baſilius.*

1. HINC patet verum eſſe quod Chryſ. *ait homil 9. de pœnit. tom. 5.* Grauis eſſe virginitatis prædicatio, habet enim bellum nullatenus ſedandum ipſo barbarico bello deterius. Nam barbaricū bellū III. Bellū virginitatis periculoſum.

vel

vel temporis quietem habet & quandoq; quidem pugnant, quandoq; nõ, belli vero in virginem collati nulla datur quies, non vesperi nec mane, non de die neq; nocte, sed & diabolus, caro, & mundus voluptatem & nuptias inducit semper quo castitatem expugnet: Et nouerit virgo, *inquit*

Greg.ho. 16. in Eze.

Gregor. vt quo magis præeminenti cõsistit loco, eo crebrioribus sagittis insidiatoris impeditur. Hinc quo libentius tentationum labores perferat, incessanter præmia virginibus præparata suspiciat, si enim attendatur fœlicitas quæ sine transitu possidetur, leue fit quod transeundo laboratur. hæc ille. Qui concupiscit gloriam, *inquit Chrys.* non cogitet de labore. Cæterum vt prudens virgo casta sit castaq; permaneat corpore & spiritu mulierum maritis ac seculo seruientium consortia deuitet, lasciuiam puellarum crines & capita ornãtiũ, vt sub nomine virginali vendibilius pereant, *inquit Hier.* item cincinabulos & calamistratos adolescentes, quasi quasdam

Hier. ad Eustoch. de custo. virg.

pestes & venena pudicitiæ deuitet: Nam inter has voluptatum illecebras, quæ etiã ferreas mentes domare possint, dum & nutibus oculorum loquuntur, & pressis digitis inuicem tentant & tentantur, dum venenatæ confabulationes quæ mores bonos corrumpunt, hinc inde audiuntur, ægre pudicitia seruatur, potissimum in virginibus in quibus libido maiorem patitur famem, dum dulcius suspicantur omne quod nesciunt. Proponat sibi virgo B. Mariam quam imitetur inquit Hier. quæ tãtæ extitit puritatis vt cum angelus in viri specie eam salutasset, perterrita respondere non potuit, nunquam enim à viro virgo salutata fuerat: Graues fœminæ, & maxime viduæ & virgines comites eligantur, quarum probata est conuersatio & sãcta verecundia. *hæc Hieron.* Præ cæteris autem quæ vere virgo est, ipsum sponsũ suum reuerebitur sibi vbiq; assistentem & singula obseruantem: angelum quoque suum, quem habet virgo velut paranymphum suæque castitatis custodem, præ oculis habebit. Omnia in eius oculis gerat cuius præsentiam effugere non potest, & solicite cogitet quomodo placeat Domino: corpus suum velut delubrum quoddã & sponsi thalamum aptissime instruat & seruet: animam vero in hoc ipso vt sponsã nitidam & purissimam sponsi amplexibus iungere curet. Quod si quia nullus hominum videt, fuerit vel verbo vel nutu fortasse procacior aut etiam cogitatione lasciuior, aperte deprehenditur ad spõsi sui cœcutire dignitatem, quod hominũ plus quam ipsius faciem iudicat esse verendã, quando ante illorum oculos, ne suam existimationem fœdet, indecens aliquid agere non audet, sub eius autem obtutibus qui semper præsens est, sine vllo pudore omnia gerit.

2. DESPICIAT prudens virgo quicquid oculis carnis adspicitur, *inquit Basil.* quartumlibet id apud plerosq; præclarum esse

Bas. de vera virgini.

iudicetur, imo ne initio quidem adspicere dignetur, sed à sensibus excedens expedito animo amoris sui beatissima satietate fruatur, & placere studeat non vestibus hominibus, sed Deo & hominibus bonis moribus, quibus ornanda est veræ virginitatis pulchritudo, & talem se & habitu & incessu & toto corporis motu exhibeat virgo, vt qui illi forte obuii fuerint, ac si viuum Dei simulachrum aspicientes faciẽ ad admirationem atq; ad reuerentiam sãctitatis inclinent, honestæq; virtutis admoniti mentem pudicam & sobriam referant, dum virgo velut castitatis imago, imo ipsius virtutis effigies etiam conspecta solum ad Dei considerationem humanos mox conuertere ac mouere debeat & possit affectus. Reminiscatur itaq; protinus quisq; Dei, dũ eã cernit effigiem quæ se ad eius perficienda mãdata semper exercet. atq; vt breuiter dixerim, *inquit Bas.* Omnium aspicientium virginem & affectus & animus ad virtutis transferatur amorem, omnes ex allocutione eius grauitatem & compunctionem & sanctitatẽ animo referãt. Summopere autẽ virgo caueat ne naturali specie atq; pulchritudine aut aliis placere aut gloriari appetat: neq;

ſi deſit, *inquit Baſ.* illam ſibi cultu exteriore cõquirat. Turpe eſt n. virgini & indecorũ atq; ab ea quã profitetur integritate prorſus alienũ, aut traditis ſibi ad ſpeciẽ ab auctore ornamentis gloriari & corporalẽ pulchritudinem oſtentare, pluresque carnis poſt ſe amatores trahere ac ſolicitare ad communem lapſum: aut ſi careat naturali ſpecie, quę intuentibus irritamẽtum voluptatis eſt, ornatum extrinſecus quæſitum ſibi ſtudioſe admouere. Neq; enim prior illa pudicã verſare cogitationem deprehenditur, quæ in auctoris opere velut in ſuo gloriatur: Atq; in id certamen, quod ne inducatur à Domino per orationem petit. *Ne nos inducas in tẽtationẽ*, dum poſt ſe trahit amatorum greges, ſpõte ſeipſam & aperte compellit. Sed ne ſecunda quidem caſtum poſſidet pectus, dũ quam non accepit in corpore voluptatis illecebram, eam formis coloribuſq; fucatis contra ſeipſam exprimere nititur, dũ per huiuſmodi ornatum plures contra ſe irritat aucupes.

3. QVAPROPTER ſicut is qui in ſole magiſtrum alloquitur, non magnopere curat intuere vmbram manuum ipſius motum conſequentem, totiuſque formæ lineamenta imitantem, ſed totus ex ore præceptoris pendet. Ita & virgo nihil penitus lineamenta corporea, formoſa illa ſint an informia, curans, ſed illa & quæ illorum ſunt irridens, & ad pręceptorem ſpõſumq; ſuũ tota intentione conuerſa, hunc ſemper in luce candidiſſima per vitæ cõuerſationẽ, alloquitur: placet autem ſi ſe illi talem iugiter offerat qualem ipſe fingere voluit. Non ſolum igitur ornari virginem non decet, aut impudicis luminibus fucatam formam ad lenocinium voluptatis ingerere, ſed amore puritatis intimæ naturalem quoq; pulchritudinem pro viribus obnubere, ac dedita opera extinguere, inquit Baſil. neque in ſuam, neq; in aliorum perniciem carnalia ornamẽta cõquirat, ſed ad firmam ſe atque cõſtantem virtutis ſpeciem pudicis geſtibus, viriliq; robore ſubrigat. Quia vero blandimẽtum cupidineq; voluptatis eſt fœmina, & maſculo laſciuiorib. oculis ad ſe inſpiciendam illecebram naturaliter ſuggerit, & toto corporis habitu & motu ad ſeductionem formata voluptatis, non modo enim loquens mulier & intuens, verum ſedens quoq; & incedens, ob inſitam ſibi naturaliter aduerſus maſculum vim, hunc ad ſe eminus attrahit, non ſecus ac magnes lapis ferrum. Idcirco ſumma ope contẽdat virgo ne vilis voluptatis laqueis irretiatur aut irretiat: Deus enim zelator eſt zelans eum qui virginis ſpeciem corrumpere atque adulterare molitur. *hactenus Baſilius.*

PARS V.

De coniugali continentia & virginali, & caſtitate.

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Matth. 5.

Summa Articulorum V. Partis.

I. *Familiaritas mulierum periculoſa, ideo omnibus vitanda, potiſſimum tamen clericis.*

II. *De continentia coniugali & virginali, & vtra melior.*

ART. I.

Familiaritas mulierum periculoſa, ideoq; vitanda præſertim clericis.

1. CVM ex primis animantibus veluti ex quibuſdam primitiuis ſeminib. implere mundum conditor inſtituiſſet, ac fœminam maſculi ſegmentum & partem, vtpote ex illo ſumptam, eſſe conſtituiſſet, flagrantem cupiditatem mutuæ coniunctionis naturæ inſeruit, *inquit Baſ. lib. de vera virg.* & violentos ſtimulos vtriq; parti ad ferẽdos fœtus indidit: quod enim eſt cibus ad ſalutem hominis, *inquit Auguſt.* hoc concubitus eſt ad ſalutem & conſeruationem humani generis, & vtrũque non poteſt eſſe ſine delectatione carnali, ſic enim neceſſe erat vt carnaliter coirent etiam non carnales Prophetæ, cum (Aug. c. 16. de bon. coniug.)

propter

propter illam matrem Hierusalem propagandi erant filii, sicut necesse erat vt carnaliter vescerentur etiam non carnales Apostoli, quorum delectatio illa naturalis modificata, & temperantia refrenante in vsum naturalem redacta, nequaquã vsque ad irrationalem, aut nefariã libidinem relaxabatur, nec turpitudini stuprorum, nec coniugatorũ intemperantię erat conferẽda: eadem quippe vena charitatis nũc spiritualiter, nunc carnaliter propter illam Hierusalem, vt dictum est, propagandi erant filii. Estq; mulier facta viro tota voluptatis illecebra, *inquit Bas.* vt quomodo in magnete vim attrahendi ferrum inesse conspicimus ita & fœmineum corpus, *inquit*, aduersus masculum ineffabilem accepit vim, per quam etiam ignorante, ferme dixerim, anima quæ in ipso est, viri corpus vltro ad concubitũ pertrahit, nam & contactu, & aspectu, & motu seu delicata membrorũ agitatione, & tota demum corporis mollicie ipsum virum voluptatis illecebra demulcet & delinit.

2. HINC post lapsum appetitu inferiore superiori rebellante, difficile & propemodum impossibile inter masculum & fœminam qui inuicem sibi familiares multum fuerint castitatem seruare illibatam: vt enim *de vestimentis procedit tinea*, inquit

Eccl. 42. Ecclesiasticus, *sic à muliere iniquitas viri.* Forma fœminea vehemẽs peccati aculeus est, quæ minimo negotio concupiscentiæ suscitat flammam præsertim si mollis risus, blandus vultus, muliebris affectus, sermo suauis, lasciuus oculus, & cętera cupidinis incitamenta, quæ etiam ferrea pectora emolliant, accedant. *Ne respicias mulierem comptam ne forte incidas in laqueos illius,*

Eccl. 9. inquit Ecclesiasticus, *& cum psaltrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. Ne circumspicias speciẽ alienam, propter speciem enim mulieris multi perierunt*, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Vnde *Hieronym ad Nepotia.* Hospitiolum tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terant: omnes puellas & virgines Christi aut ęqualiter ignora, aut æqualiter dilige: ne sub eodem tecto mãsites, nec in præterita castitate confidas: Nec sanctior Dauid, nec Salomone potest esse sapientior. *hæc Hier.* Sed hæc multorum est insipientia & stoliditas, vt non credant alios interiisse, nisi & ipsi intereant: nec sociorũ casibus mouentur aut aliorum exitio pertimescunt, dũ illos aut promeritos aut inualidos opinantur, se autem multum valere fiducialiter arbitrantur. Tutius hic quis timet & fugit conscius infirmitatis suæ, quam si in præterita castitate præsumat & lapsus periculo se exponat: temerarius est qui euadere sperat, vbi multos cecidisse videt, & lubrica spes est quæ inter fomenta peccati saluari se posse confidit: Satius fuerit hac in parte se infirmum agnoscere, timere & fugere, vt fortis euadas, quã si fortis videre velis, infirmeris & cadas. Ad hoc n. nos Paulus hortatur cum ait, Fugite fornicationem: Reliqua peccata resistendo vincuntur, *inquit Aug.* fornicatio fugien- Aug. ser. 50. de tẽp. do superatur. Nec verecũdum sit, fugere, si castitatis palmam desideras obtinere: Nam quanquam fuga & timor in bello externo infirmitatis ac degeneris animi sit nota, in hoc tamen certamine spiritali virtus in infirmitate perficitur, quo n. quis longius à fœminarũ recesserit consortio, eo voluptatis stimulis minus inquietabitur: Satis multum negotii ac molestiæ facessit vnicuiq; propria sua concupiscentia etiamsi aliunde non suscitetur & inflammetur. Et quid quæso ex hoc mulierũ cõsortio expectare quis potest nisi lapsus pericula, pugnas & tentationes: quanquam enim nullo concubitu misceatur, insuper & ab oculis & manuum cõtrectatione se abstineat, dum tamen visu & colloquiis earum frueris & animum pascis, animæ puritatem & castitatem mentis non seruas illibatam.

Quod si insuper & amore illaqueeris & affectu fœmineo mulieri copuleris (quomodo de Salomone legimus q; amore ar- 2. Reg. 11 dẽtissimo copulatus fuerit mulierib. alienigenis, q̃ auerterunt cor illius, cumq; iã

iiiiii 2 esset

eſſet ſenex deprauatum eſt cor eius per mulierē)forti vinculo cōſtringeris, quod facilius iniicitur quam excutitur.

Aug. ſer. 250. de tē.

3. QVANQVAM omnibus Chriſtianis, *inquit Aug.* præcipue tamē clericis & monachis indigna & inhoneſta familiaritas mulierum fugiēda eſt, quia ſine vlla dubitatione, inquit, qui familiaritatē non vult vitare ſuſpectam, cito dilabetur in ruinā. Qui in aliena domo cum extraneis mulieribus putat ſe caſtitatis obtinere triumphum, ignorat dupliciter ſe apud Deum exiſtere reum, dum & ſeipſum periculū mittit, & aliis exēplum peruerſę familiaritatis oſtēdit Quotquot enim illius ſtultitiam imitantes, per inhoneſtam familiaritatem caſtitatis ornamenta perdiderint illorum animæ ab illo in die iudicii requirentur, *inquit Auguſt.* qui eis exemplum perditionis oſtendit. Imo non ſolum ab extranearum mulierum familiaritate, ſed etiam ancillarum noſtrarum, & quarumcumq; vicinarum vnuſquiſq; familiaritatem, vel ſecretam collocutionem vitare contendat, inquit, quia quāto earum cōditio vilior, tanto eſt & ruina facilior. Et quam lugenda peruerſitas, vt animam, quam Chriſtus ſanguine ſuo redemit, luxurioſus quiſque propter vnius momenti delectationem, diabolo vendat. *Pretium ſcorti* inquit Sapiens, *vix eſt vnius panis: mulier autem capit pretioſam animam viri.* Parui valoris eſt pretium quod ſcorto datur, & breuis atq; exigua eſt voluptas quę ex eo percipitur: ſicut enim panis vnus ad breue tempus famem ſedat, quæ paulo poſt acrior reſurgit, ſic qui intrat ad ſcortum, ad horam quidem euaporat libidinē, ſed poſt paululū ardētior exuſcitatur. Sed dicet aliquis: Homo iuuenis ſum, cur non facio quod delectat, & poſtea pœnitentiā agam: hoc eſt dicere, inquit Auguſt. Cur non me gladio percutio, & poſtea ad medicum vado? Et neſcit quod in vnius horæ puncto vulnus accipitur, & vix longo tēpore ad ſanitatem priſtinā reuocatur. Sed dices iterum, Cū ad ſcortum introeo, cui iniuriam facio, cum ſcienti & conſentienti non fiat iniuria? Deo iniuriam facis, *inquit Auguſt.* cuius imaginem, quod es tu, per fornicationem violas. Qui imaginem tuam in tabula depictam, quæ nec videt nec ſentit, deſtruit, cui iniuriam facit: Nonne in te contumeliam factam dicis?

Prou. 6.

Aug. c. 10. de decem cor.

4. QVI meretrici addictus cupiditate abſurda captiuus eſt abductus quas cogitationum procellas, quas curarum, ſuſpicionum, timorum tempeſtates, quas animi turbationes & anguſtias ſuſtinere non cogitur? tumultus enim ingens quauis tēpeſtate ſæuior penes impuros eſt, *inquit Chryſ.* vbi vero tātus cupiditatū tumultus quæ voluptas ſupereſſe poteſt: Breuiſne illa & tumultuaria, quam mox inſania & furor occupant? Continens autē qui bellum cum naturæ tyrannide ſine intermiſſione gerit cupiditatē aſſidue proſternit, & ipſa victoria, & corona expectata, & conſcientia bona, voluptate præſtantiore fruitur. Quod ſi dum impetum carnis ſuſtinet, patitur tū quiddam, quid tum poſtea? cum ille alter aſſidue ſaucietur & cadat, æſtrum ferre non valens, ita plane tāquam ſi equo fero calcitroſo, quē regere nequeat, præceps abripiatur. Vehemētius autem contra iſtam genitalium concupiſcentiam, quæ ingenita nobis eſt per peccatum originale, & aucta per impuram vitam, vidua quam virgo, vehementius meretrix quando caſta eſſe voluerit, quam quæ ſemper caſta fuit, confligit, & tanto amplius in ea ſuperanda voluntas laborat, quanto maiores ei conſuetudo vires dedit. *ſic Auguſt.*

Chryſ. ho. 37. 1. ad Cor. to. 4.

Aug. lib. 6. ca. 7. con. Iulian.

5. CÆTERVM virgo ex cupidineo congreſſu innumeras perturbationum ſpecies percipere animas cernens, *inquit Baſil.* nudam ſe ac ſine vllo omnino ſenſu voluptatum eius, in quo viuit, corporis, pro viribus curat oſtendere, vt nullam fœmineæ voluptatis labem ex corpore patiatur, & puriſſimam ſe Deo ſiſtere quem amore longe ſuauius ardēte profitetur, tota animi intentione conatur. Ioſeph perpetuus continentiæ cuſtos, cum poſſet regina frui, *inquit Chryſoſto.* & in delitiis viuere,

Baſ. lib. de vera virg.

volu-

Chryso. serm. de Ioseph. tom. 1.

voluptatibus timorem Dei tanquam frenuos quoddam iniecit, tametsi his qui excellenter formosi sunt, difficile sit imperare voluptati, iuxta quod Poeta ait, *Lis est cum forma magna pudicitia.* Hic autem cum decorus & speciosus esset facie, pulchritudinem vultus sui non ad alienā deriuauit iniuriam, sed ad suam gratiam cōseruauit, hoc se pulchriorem iudicans, si non dispendio castitatis sed cultu pudoris speciosior probaretur, & pulchritudine animæ qua angelis similis erat, pulchritudinem corporis, qua pulchræ stellæ conferendus erat, vinceret & occultaret. Et licet in domo impiorū educaretur, & multos haberet ad deteriora adhortantes, & cōtinentiæ magistro careret, omnes enim voluptati seruiebant, *inquit Chrysost.* & ventri indulgebant, nihil pium, nihil sanctum faciebant, attamen in tantorum taliumq; corona impiorum, considerans breuē voluptatis fruitionem solius autem virtutis immarcessibilem esse mercedem cælestiū thesaurorum proditor non est factus, sed timorem Dei præferens voluptatibus, spiritus sancti tēplum indeprædabile custodiuit, malens in carcerem detrudi quam concupiscentiæ seruire.

6. DISCANT & viri cauere oculos fœminarum, *inquit August.* cum amantur & qui nolunt amari. Prima adulterii oculorum tela sunt, secunda verborum. Adamatus est Ioseph ab vxore Domini sui, & immisit oculos in eum, eius crimen fuit quæ male vidit, non ipsius Ioseph qui male videri non voluit: deinde dixit, *Dormi mecum.* Sed qui non capitur oculis potest verbis resistere, periculose autem tibi assistit cuius vultum frequenter attendis. At Ioseph plane vir magnus, qui ingenuam adamatus non redamauit, rogatus nō acquieuit. Amabat illa illum an potius se? Ego puto quod nec illum nec se, inquit August. Si illum amabat, quare volebat perdere? si se amabat, quare quærebat perire? veneno libidinis ardebat, non flamma caritatis lucebat. Sed qui castitatem in se amabat, qua intus fruebatur, aliena concupiscentia

August. serm. 83. de tempor.

incautus capi non poterat: nec vincitur amore mulieris qui amator Dei erat factus. Diligamus & nos castitatem, quia vt placere hunc sibi Christus ostenderet, pudicitiam vteri virginalis eligit. *hæc Augustinus.* Quando igitur concupiscentia mala inflammat animam, statim recordare Christi, & cogita corpus tuum esse templum Spiritus sancti. Sed non possum inquis, me continere, nec si hæc cogitem subleuor. Hoc pusillanimitatis est, *inquit Chrysost.* & negligentiæ tuæ, qui Dei præcepta contemnere mauis quam facere. Continentiam eligere volentes, non spectemus quod laborem habet virtus, neque quod virginitas magnum habet certamen, sed quietem quæ nos excipiet cogitemus, & respectu mercedis, laborum molestiam subleuemus. Nam si ii qui semina terræ concredūt, & intus reposita spargūt, ita negotiantur, vt bona spe foueantur, & iā nunc manipulos imaginantur ac plenas areas, multo magis quibus datum est semen hoc spirituale seminare, gaudere & exultare conuenit, quod messuri sint in cælo, hoc quod in terra serunt. Sic enim Dominus ait, *Beati mūdi corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Vidisti quanta promissionum excellentia? vt igitur promissis bonis frui possimus, quę neque oculus vidit, neque auris audiuit, ne cogitemus labores virtutis, sed retributionem in mente reponamus. Duo sunt quæ in hac vita laboriosa præcipiuntur à Domino, Continere & Sustinere: iubemur enim continere ab his quæ in mundo dicuntur bona, *inquit August.* & sustinere quæ in hoc mundo abundant mala. In refrenandis libidinibus ne seducat quod male blanditur & eneruet quod prosperum dicitur, continentia nobis opus est. Vt autem continentiæ est fœlicitati mundi non credere, ita sustinētiæ est iniquitati mundi nō cedere. Bona Dei quę promittit iustis in finē seruantur. Bona & mala quę versantur in hoc sæculo, & boni habent & mali, salutem corporis, diuitias, honores, morbos, damna & oppressiones, & apud bonos & apud malos

Chryso. hom. 2. in Psal. 50. to. 1.

August. ser. 245. de tempor.

inuenies. Multi exorbitant cũ animo proposuerũt propterea seruire Deo vt bonis terrenis abundent, & malis careant eaque deuitẽt. Cum enim hoc sibi proposuerint, & hanc mercedem constituerint pietatis & religionis suæ, quando viderint se laborare, & florere iniquos, quasi perdiderint spẽ, quasi eos fefellerit, qui vocauit, quasi frustra opus indixerit qui in mercede decepit, renuntiant Deo. *hæc Aug.*

III. De continentia cõiugali & virginali vtra melior.

Augus. lib. 10. cap. 29. & lib. 8. cap. 7. confess.

1. IVBES continentiam Domine, *inquit idem*, da quod iubes, & iube quod vis. Iubet certe vt contineam, non solum à cõcupiscentia carnis & illicito concubitu, sed etiam à concupiscentia oculorum & superbia vitæ & ambitione seculi. Quomodo enim potest esse castus qui cæteris coinquinatus fuerit peccatis, etiamsi ab illicito concubitu sese abstineat? Ille est vere castus qui ad solũ Deum se tenet. Sic ab Apostolo virgini præcipitur, vt *sit sancta & corpore & spiritu.* vt nec mentem cogitatio, nec carnẽ libido maculet. At ego adolescens miser valde, *inquit August.* in exordio ipsius adolescentiæ etiam petierã à te castitatem & dicebam, Da mihi castitatem & continẽtiam, sed noli modo. Timebam enim ne me cito exaudires, & cito sanares à morbo concupiscentię, quam malebam expleri quã extingui. Miser erã & nesciebam, quia vbi virtutum margaritis ornari & castitate candidus in oculis Dei apparere debebam, ibi iacebam luxuriæ sordibus inuolutus & inquinatus.

Augus. cap. 21. 22. 23. de bon. coniug.

2. CÆTERVM continentia nõ corporis, sed animi virtus est, *inquit August.* virtutes autem animi aliquãdo in operẽ manifestantur, aliquando in habitu latent: sicut martyrii virtus emicuit apparuitque tolerando passiones. Sed quam multi sunt in eadem virtute animi quibus tentatio deest, qua id quod intus est in conspectu Dei, etiam in hominum procedat, nec tũc esse incipiat, sed tũc innotescat. Iam enim erat in Iob patientia quam nouerat Deus, & cui testimonium perhibebat, sed hominibus innotuit tentationis examine, & quod latebat intrinsecus, per ea quæ forinsecus illata sunt, non tantum sed manifestatum est. Ex hoc habitu quo aliquid bene agitur cum opus est, cum autem nõ agitur potest agi, sed non est opus, dicebat Paulus, *Scio abundare & penuriam pati.* Penuriam pati quorumcumque hominum est, sed scire penuriam pati, magnorum est. Sic & abundare quis non potest? scire autem abundare non nisi eorum est, quos abundantia non corrumpit. Sic continentiæ virtus in habitu animi semper esse debet, in opere autem pro rerum & temporũ opportunitate manifestari: sicut virtus patientiæ sanctorum martyrum in opere apparuit, cæterorum vero æque sanctorũ in habitu fuit. Quocirca sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, & in Ioanne qui passus non est, Sic nõ est impar meritum continentiæ in Ioanne qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios generauit: sed cõtinentiam Ioannes & in opere, Abraham vero in solo habitu habebat: Quod autem non operatus fuerit ex eo quod Abraham habebat non in egestate virtutum, sed in distributione officiorum positum est, quia illo tẽpore cum & lex dies Patriarcharum subsequens, maledictum dixit, qui non excitaret semen in Israel, & qui poterat, non promebat, sed tamen habebat: sicut nec bonum misericordiæ caret: qui non inuenit miseros quibus misericorditer possit subuenire.

3. RES ergo ipsas si comparaueris, nullo modo dubitandum est meliorem esse castitatem continentiæ, quam castitatem nuptiarum: Homines vero si comparemus, ille est melior qui bonum amplius quam alias habet: quamuis non recte cõparentur homines hominibus ex vno aliquo bono. Non dicat itaque virgo quæ innupta manet, melior sum quã Sara marito iuncta, sed dicat, melior est castitas cœlibũ, quã castitas nuptiarũ, quarũ Abrahã vnam habebat in vsu, ambas in habitu, caste quippe coniugaliter vixit, esse autẽ castus sine cõiugio potuit, sed tunc non opor-

oportuit; neque enim castitate continentia carebat quamuis non apparebat. Qui itaque per incontinentiam vel nuptias elegerunt, vel coniugibus intemperanter vtuntur ne secundum suam infirmitatem de illis sanctis patribus audeant iudicare, non intelligentes quantas vires habeat animus, iustitiæ contra libidines seruiens, ne carnalibus huiuscemodi motibus acquiescat, eosque in concubitum vltra generãdi necessitatem prolabi aut progredi sinat, quantum ordo naturæ, quantũ morum consuetudo, quantum legum scita præscribunt: & ideo qui tantam continẽtiæ virtutem non habet quantam Abrahã habuit, facilius est ei non vti nuptiis, quibus vsus est Abraham, quam sic vti nuptiis quemadmodum vsus est Abraham, qui non per animi incontinentiam nuptiis vtebatur sed in concubitu non nisi prolem, & in ipsa prole non nisi id quod in carne ventuto Christo proficeret, requirebat. *Hæc August.*

4. CONTINENTIA igitur non in sola castitate virginali est constituta, habet & coniugium suos continentiæ gradus, iuxta illud Pauli, vt sciat vnusquisque vestrũ (1. Thessal. 4.) vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum. Non solum excessus libidinis, sed & ipsa libido malũ est, *inquit August.* cui ne limitem necessitatis excedat, cogitur temperantia resistere & repugnare, neque enim temperantiæ honestatem de concubitu coniugali recte abstuleris, *inquit August.* (August. lib. 5. c. 7. cont. Iulian.) Hæretici quidẽ, quod monuit Apostolus ne in morbo desiderii suum vas quisque possideat, non de coniugio sed de fornicatione accipiẽdum putant, inquit: atque ita temperantiæ totam honestatem de concubitu coniugum auferunt, vt nemo sibi videatur in morbo desiderii suum vas possidere, quantacumque libidine in vxoris genitalibus potuerit insanire, nullum existimant ibi tenendum modum, neque illic concupiscentiæ reprehendendum excessum, quem ab Apostolo significatum morbum desiderii dici nolunt, sed in coniugiis nunquam frenari cõcupiscentiam, sed quotiescumque se commouerit, satiari auidam, regnare securam volunt & defendunt. Verũ audiant fideles Christi qui sunt connubio colligati vt ex consensu temperẽt quo vacent orationi, & cũ ad ipsum redeunt propter intemperantiam suam, nouerint etiã inde dicere Deo: Dimitte nobis debita nostra: Quod enim secundum veniam non secundum imperium à tanto Doctore dicitur, vtique ignoscitur non iubetur. *hactenus Aug.* Attamen coniugalis concubitus qui fit intentione generandi, non est ipse per se peccatum, *vt idem ait*, quia bona voluntas animi sequentem ducit, non (August. lib. 1. ca. 18. de nup. & concu.) ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subiugante peccato, cum iuste redigitur in vsum generandi plaga peccati. Huius plagæ quidam pruritus in fornicationũ fœditatibus regnat, in connubiorum necessitudinibus seruit: ibi de Domino tali turpitudo damnatur, hic de pedissequo tali honestas verecundatur. Nõ est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium, necessitas generantium, lasciuiarum ardor, nuptiarum pudor.

5. DEBET igitur vnuſquisq; etiam cõiugatus continens esse ab omnibus illicitis, *inquit August.* manus, linguam, oculos (August. serm. 248. de tempor.) & omnia corporis membra sollicite custodire ne fiant arma iniquitatis, vt & illicitos contactus fugiat, & verba obscœna non efferat, nec impudicos oculos pascat: & ante omnia cor debet sollicita custodia seruare ne forte illud libido exurat, scriptũ est enim, *Omni custodia serua cor tuũ, quia ex ipso vita procedit & mors.* (Prou. 4.) Qui cordis occulta per continentiam quieta seruare intus contendit, vtique & membra corporis facilius contra prauos actus foris custodit. Gloriosum & insignem inter cæteras virtutes locum obtinet castitas quia ipsa sola est quæ mũdas mentes hominũ facit videre Deum. Sic enim Dominus ait, *Beati mundi corde quoniam ipsi Deum videbunt:* Ac si è contrario diceret,

Illi

Digitized by Google

Illi miſeri ſunt quorum corda ſunt carnali concupiſcentia polluta. Agedum igitur quibus poſſumus viribus & pia ſupplicatione vt cum actus coniugii ſeminandæ prolis gratia peragitur, ne ipſe animæ ſenſus extremus, qui carne implicatus eſt, aliqua delectatione tangatur: ſi autem hoc non poteſt, *inquit Auguſt.* vel mentis in non conſentiendo caſtitas conſeruetur, conſenſio autem ad impudicitiam corporalẽ, quam quis & appetit & approbat, etiam caſtitatẽ animi violat, teſte eodem: Animi quippe caſtitas eſt in bona volũtate & ſyncera delectione quæ non corrumpitur niſi cũ amamus atq; appetimus quod amandũ atque appetendum non eſſe veritas docet.

Auguſt. lib. de menda. cap. 19.

Sed inter hæc ſciendum eſt, *inquit Greg.* aliud eſſe quod animus de tentatione carnis patiatur, aliud vero cum per conſenſum delectationibus implicatur. Plerumque enim cogitatione praua pulſatur ſed renititur: interdum etiã cũ peruerſum quid concipit, hoc intra ſemetipſum etiã per deſideriũ voluit. Mentem autem nequaquam cogitatio immunda inquinat cum pulſat, ſed cum hanc ſibi per delectationem ſubiugat. Hinc Paulus, *Tentatio vos non apprehendat niſi humana.* Humana quippe tentatio eſt qua plerumque in cogitatione tãgimur etiam nolentes, quia vt nonnunquam & illicita ad animum veniant hoc vtique in nobiſmetipſis ex pondere corruptibilis carnis habemus. Cum vero ad hoc quod carnis corruptibilitas ſuggerit, animus ſe per conſenſum aſtringit, iam non eſt humana tentatio. *hæc Gregor.*

Gregor. lib. 12. cap. 3. moral.

1. Cor. 10.

6. Qvi nulla voluptatis titillatione permouetur, hic perfecte continens eſt, *inquit Baſil.* voluptas quippe illa eſca eſt maligni, per quam nos homines ad peccatũ valde procliues ad exitiũ pertrahit. Hinc *Bern.* Scio quos habeat oppugnatores cõtinentia, & quantæ virtutis illa eſſe debeat vt poſſit reſiſtere talibus. Primus ſiquidem continentiæ noſtræ hoſtis caro eſt aduerſus ſpiritum concupiſcens: quam domeſticus hoſtis, quam pernicioſa lucta, quam inteſtinum bellum? Hoſtem hunc crudeliſſimum nec fugere poſſumus, ô anima mea, nec fugare, circumferre illum neceſſe eſt, quoniam alligatus eſt nobis: imo quod miſerabilius eſt hoſtem noſtrũ ipſi cogimur ſuſtentare & nutrire, perimere eum non licet. Vide ergo quam ſollicite te cuſtodias oporteat ab ea amica quæ dormit in ſinu tuo. Veruntamẽ non eſt hic ſolus aduerſarius, eſt alius qui vndique circumcingit me, præſens nimirum ſeculum nequam: & per quinque portas, quinque videlicet corporis ſenſus iaculis ſuis vulnerat me, & mors intrat per feneſtras meas. Inſuper eſt inimicus tertius, quem nec videre poſſum quanto minus cauere, qui parauit ſagittas ſuas in pharetra vt ſagittet in obſcuro rectos corde, quia nunc occulte & fraudulẽter, nunc aperte & violenter, ſemper autem malitioſe & crudeliter impugnat & perſequitur nos. Et quia cõtinentia crebris validiſque tentatoris ictibus reſiſtere non poſſet, niſi eius gratia protegatur cuius ipſa donum eſt, ideo dicit Sapiens. *Cum ſcirem quod non poſſem eſſe continens niſi Deus daret, adii ipſum & deprecatus ſum ex toto corde.* Sed quis caſtus? *inquit Chryſoſt.* nunquid qui non concupiſcit? abſit: ſed qui concupiſcentiam ſuam vincit: qui plena voluntate concupiſcit, caſtus eſſe non poteſt: ſuper cuius autem cor deſiderium voluptatis aſcendit, anima autem intelligens vanis cogitationibus contradixit & repulit deſiderium carnis, ſecundum carnem quidem concupiſcit & paſſio carnis eſt: ſecundum animam autem noluit & iudicium rationis eſt.

Baſilius interroga. 17. in reg. fu. diſpu.

Bernar. ſerm. 3. de ſept. panib.

Chryſo. hom. 13. in Matth.

7. Cæterum quanquã omni tẽpore caſtitatem ſeruare ſaluti plurimum conducat, potiſſimum tamẽ quotieſcumque aut dies natalis Domini aut reliquæ feſtiuitates adueniũt, in quibus Eccleſiam venitis, & ſacramenta Chriſti percipere volueritis ante plures dies non ſolum ab infœlici concubinarum conſortio, ſed etiã à propriis vxoribus abſtinere, *inquit Auguſt.* vt cum ſecura conſcientia ad altare

Auguſt. ſerm. 2. & 244. de tempor.

poſſitis

Digitized by Google

possitis accedere. Quam rem etiam per totam quadragesimam, inquit, vsque ad clausulam paschæ fideliter custodite, vt vos solennitas paschalis castos & puros inueniat. Qui enim bonus Christianus est non solum ante dies plures quam communicet castitatem seruat, sed & vxorem suam, inquit, excepto desiderio filiorum non agnoscit, quia vxor non propter libidinem, sed propter filiorum procreationem accipitur. Hoc enim & ipsæ tabulæ matrimoniales continent: liberorum, inquit, procreandorum causa. Videte quia non dixit, libidinis causa, sed liberorum procreandorum. In veteri testamento legimus, quando populus Iudæorum accessurus erat ad montem Sinai, ex præcepto Domini dicebatur eis, *Sanctificamini & estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris*: Rursum & illud, Si quis nocturno pollutus fuerit somnio, non manducet carnes sacrificii salutaris, ne pereat anima sua de populo, *hæc Aug.* sic autem habet textus in Deut. *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio egredietur extra castra, & non reuertetur priusquam ad vesperam lauetur aqua, & post solis occasum regredietur in castra.* Et Achimelech ad Dauid. *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum si mundi sunt pueri maxime à mulieribus?* Rursum quoties fluxum sanguinis patiuntur mulieres, ad eas non accesseritis, inquit, iuxta illud Ezechielis, *Ad mulierem menstruatam non accesseritis*: proles enim quæ tunc concipiuntur, aut leprosæ aut epilepticę, aut alicui alteri morbo obnoxiæ frequenter nascuntur. Denique si mulier impregnata fuerit, ab ea se vir contineat. *inquit August.* id quod & in animalibus fieri videmus. Hæc enim quamuis peccata capitalia non sint absque peccato tamen non fiunt, & quanquam à regno cælorum non separent, illud tamen quod in ipso Dei regno amplius haberi posset, si amplius cogitaretur quomodo placendum esset Deo, minus erat vtique cum hoc ipsum minus coniugii necessitate & voluptate cogitatur: præsens enim voluptas & necessitas aliquid bonorum impedit futurorum, qua necessitate cogitur vita cōiugalis cogitare quę mundi sunt, quomodo placeat vir vxori, vel vxor viro. *hæc Aug.*

Exod. 19.

Deut. 23.

1. Reg. 21.

Ezech. 18.

Aug. c. 13. de virg.

8. QVAPROPTER inter coniugatos & cōtinentes magna est meritorum diuersitas, & in vltima retributione non eadem in omnibus erit æqualitas, *inquit Greg.* Coniugati quippe quamuis & bene agant, & Deum videre desiderent, domesticis tamen curis occupari, mentem necessitate cogente in vtroq; diuidunt, & partim Deo partim seculo seruiunt. Continentes autē ab huius mundi curis remoti cogitant ea quæ Dei sunt, & voluptatem carnis nedum ab illicito sed etiam à licito concubitu reprimunt, nulla coniugis, nulla filiorum cura, nullis noxiis rei familiaris cogitationibus implicantur. Loquor autem de iis continentibus qui non propter necessitatem sed libera voluntate propter Deum ab his omnibus se abstinent. Mulier autem per connubium, breuissimæ voluptatis gratia naturali libertate se priuans, *inquit Basil.* dominum sibi cū dote coemens virum, ancilla pro libera efficitur, ianuam sibi ineffabilium dolorum per huiusmodi connubium aperiens: Manet enim immota maledictionis aduersus illam prolata sententia, In doloribus paries filios, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. At virgo effugit partus angustias, effugit mortalis viri miserum iugum, effugit ante omnia carnalis commercii corruptelam, & integra tota atque illibata anima quæ & corpore sancta, æterno regi se læta despondet, & nihil aliud quam vt illi placeat, curat.

Greg. ho. 16. in Eze.

Basil. de vera virgini.

9. QVID autem est placere virginem Deo, nisi naturalem speciem suam virtutibus exercitii spiritualis coruscam semper ostendere, & eam iugiter integram inuiolatamque seruare? Velle itaque placere Deo nihil est aliud quam laudabilem seipsam & ei similem pro viribus facere, seculares opes & mortiferas voluptates, speciem corporis & temporalem gloriam & fa-

& fastum amore Christi contemnere, ac proposito firmissimo Dominum sequi, eaque secum perpetua meditatione voluere. Sic profecto & sponsus ipse amoris erga se illi præmia referens, siue nobilis sit, siue ignobilis, siue paupercula & obscura & in seculo penitus abiecta, consortio eam suo & communione nobilitans cœlorum reginam facit. Iustum enim & rationabile, vt qui opere erga illum amorem suum omni vitæ suæ tempore purum inuiolatumque monstrauerunt, præmia sudoribus digna recipiant: iuxta illud, *Omnis qui reliquerit domum aut agros, aut patrem propter nomen meum centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Nec solo hanc munere immortalitatis honorat, sed exteriore etiam amictu tanquam sponsam suam accuratissimo ornatu componet & vario. Cuius admirans gloriam hymnorum cœlestium cantor ad sponsum ait, *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate*: vt quæ nunc pannosa seruilique habitu vilis est habita in cœlestibus regnis regina & nobilis ornatu vario Regi adsistere inueniatur, *hæc Basil.* Mirabiliter igitur desipiunt, *inquit August.* qui putant huius continentiæ bonum non esse necessarium propter regnũ cælorum, sed propter præsens seculum, quod scilicet coniugia terrenis curis distenduntur, qua molestia virgines carent, quasi ob hoc tantum melius sit non coniugari, vt huius temporis relaxentur angustiæ, non quod in futurum seculum aliquid prosit, eo quod Paulus dicat. *Existimo hoc bonum esse propter præsentem necessitatem.* Præsens quidem vitanda est necessitas, sed tamen quæ aliquid bonorum impedit futurorum, qua necessitate cogitur vita coniugalis cogitare quæ mundi sunt, quo fit vt minus cogitetur de Deo, & minus etiam gloriæ percipiatur ab eo.

Aug. c. 13. de virg.

1. Cor. 7.

FINIS.

SYLLA-

SYLLABVS CONCIONVM QVÆ TOMO SECVNDO continentur.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Data est mihi omnis potestas, in cælo, & in terra, &c. Matth. 28. Conc. I. p. 3

Conc. II. *Regi seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula seculorum, Amen.* 1. Timoth. 1. 12

Conc. III. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat domus à maiestate eius.* Isa. 6. 20

Conc. IV. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, &c.* Rom. 1. 26

IN FESTO VEN. SACRAMENTI.

Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c. 1. Cor. 11. 33

Conc. II. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. 43

Conc. III. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, &c.* Ioan. 6. 50

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Conc. IV. *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. 59

DE SACRIFICIIS IN GENERE.

Conc. V. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.* Heb. 5. 66

DOMINICA II. post Pentecosten.

Homo quidam fecit cœnam magnam & vocauit multos. Luc. 14. Conc. 1. 73

Conc. II. *Dico autem vobis quod nemo virorum illorum, &c.* Luc. 14. 79

DOMINICA III. post Pentecosten.

In illo tempore, erant appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum. Luc. 15. Conc. I. 86

Conc. II. *Erant appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum.* Luc. 15. 93

Conc. III. *Murmurabant Pharisæi & scribæ dicentes, Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc. 15. 100

Conc. IV. *An homo lapsus per pœnitentiam semper resurgat ad maiorem, aut saltem æqualem gratiam cum ea, à qua lapsus est.* 107

DOMINICA IV. post Pentecosten.

Conc. I. *Factum est autem cum turba irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth* Luc. 15. 114

Digitized by Google

Conc. II. *Cum turba irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, stabat ipse secus stagnum Genesareth.* Luc 15. 122

DOMINICA V.
post Pentecosten.

Conc. I. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 5. 129

Conc. II. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matth. 5. 137

DOMINICA VI.
post Pentecosten.

Conc. I. *In diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducaret, &c.* Marc. 8. 145

Conc. II. *Accipiens septem panes, & pisciculos paucos, benedixit, & iussit apponi.* Marc. 8. 152

Conc. III. *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent.* Marc 8. 166

DOMINICA VII.
post Pentecosten.

Conc. I. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos, in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* Matth. 7. 172.

Conc. II. *Attendite à falsis prophetis, &c.* Matt. 7. 180

DOMINICA VIII.
post Pentecost.

Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, &c. Luc. 16. Conc. I. 186

Conc. II. *Quid audio de te, redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Luc. 16. 194

DOMINICA IX.
post Pentecost.

Cum appropinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens, &c. Luc. 16. Conc. I. 202

Conc. II. *Cum appropinquaret Iesus Hierusalem, &c.* Luc. 16. 211

Conc. III. *Ingressus in templum cœpit eiicere vendentes, & ementes.* Luc. 16. 218

DOMINICA X.
post Pentecost.

Dixit Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur ceteros. Luc. 18. Conc. I. 225

Conc. II. *Dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Luc. 18. 233

Conc. III. *Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, vnus Pharisæus, & alter publicanus.* Luc. 18. 240

DOMINICA XI.
post Pentecost.

Iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, &c. Marc. 7. 247

Conc. II. *Adducunt ei surdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponeret illi manum.* Marc. 7. 257

DOMINICA XII.
post Pentecost.

Dixit Iesus discipulis suis, Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, &c. Luc. [illegible]. Conc. I. 265

Conc. II. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & proximum sicut teipsum.* Luc. 10. 274

Conc. III. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo* Luc. 10. 282

Conc. IV. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Luc. 10. 290

DOMINICA XIII.
post Pentecost.

Conc. I. *Factum est, dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam, &c.* Luc. 17. 298

Conc. II. *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Luc. 17 304

DOMINICA XIV.
post Pentecost.

Conc. I. *Nemo potest duobus dominis seruire, aut vnum odio habebit, & alterum diliget.* Mat. 16. 311

Conc. II. *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Matth 6. 320

Conc.

Digitized by Google

Conc. III. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Matth. 6. 327
Conc. IV. De Auaritia: *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.* Matth. 6. 334
Conc. V. *De obedientia & diligentia: Nemo potest duobus Dominis seruire.* Matth. 6. 351

DOMINICA XV. post Pentecost.

Conc. I. *Et factum est deinceps ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa, &c.* Luc. 7. 359
Conc. II. *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ.* Luc. 7. 368
Conc. III. *Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ: Et ait Dominus noli flere.* Luc. 7. 374
Conc. IV. De morte. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Hebr. 9. 381
Conc. V. De morte: *Deus mortem non fecit, impij autem manibus, & verbis accersierunt illam, & æstimantes illam defluxerunt.* Sap. 1. 390.

DOMINICA XVI. post Pentecosten.

Conc. I. *Factum est cum introisset Iesus in domũ cuiusdam principis Pharisæorum, Sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum.* Luc. 14. 397
Conc. II. *Cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum.* Luc. 14. 405

DOMINICA XVII. post Pentecost.

In illo tempore, accesserunt ad Iesum Pharisæi, & interrogauit eum vnus, ex eis, Legis Doctor, tentans eum &c. Matth. 22. Conc. I. 413
Conc. II. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua: & proximum tuum sicut teipsum.* Matth. 22. 421
Conc. III. De dilectione proximi. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Matth. 22. 434
Conc. IV. *Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? At illi dicunt David.* Matth. 22. 442

DOMINICA XVIII. post Pentecost.

Et ascendens Iesus in nauiculam transfretauit: & venit in ciuitatem suam & ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Matth. 9. Conc. I. 449
Conc. II. *Offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto, & dixit Iesus paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata.* Matth. 9. 457

DOMINICA XIX. post Pentecost.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, Matthæi 22. Conc. I. 465
Conc. II. *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio.* Matth. 9. 473

DOMINICA XX. post Pentecost.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Iesus adueniret à Iudæa, in Galilaam, &c. Iohan. 4. Conc. I. 482
Conc. II. *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Caphernaum.* Ioan. 4. 490

DOMINICA XXI. post Pentecost.

Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc, simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis, &c. Matthæi 18. Conc. I. 498
Conc. II. *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo, de cordibus vestris.* Matth. 18. 506

DOMINICA XXII. post Pentecost.

Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes. Matthæi 22. Conc. I. 514
Conc. II. *Magister, scimus, quia verax es, & viã Dei in veritate doces* Matth. 22. 522

Digitized by Google

DOMINICA XXIII. post Pentecosten.

In illo tempore loquente Iesu ad turbas, ecce Princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens, &c. Matth.9. Conc.I. 530

Conc.II. *Cum vidisset Iesus tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis, recedite. non est enim mortua puella, sed dormit.* Matth.9. 538

DOMINICA VLTIM. post Pentecost.

Cum videritis abominationem desolationis, & quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto, &c. Matth 24. Conc.I. 545

Conc.II. *Cū videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta.* Matth.24. 554.

Conc.III. *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio vsque modo, neq; fiet.* Matth 24. 561

Conc.IV. *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit, &c.* Matth.24. 586

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Hodie huic domui salus facta est. Luc.19. Conc.I. 576

Conc.II. de templo Salomonis, & tabernaculo Moysis, & mystica eius significatione. *Cogitaui vt ædificarem domū, in qua requiesceret Arca fœderis Domini.* 1.Paral.28. 584

Conc.III. *Filius, qui nascetur tibi, ipse ædificabit domum nomini meo.* 1.Paral,22. 591

DE FESTIS.

IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium, &c. Luc 1. Conc.I. 591

Conc.II. *Erat Ioannes vestitus pilis Cameli, & locustas, & mel siluestre edebat.* Luc.1. 608

IN FESTIS SS. PETRI ET PAVLI.

Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos &c. Matth.16. Concio.I. 614

Conc.II. *Quem dicunt homines, esse filium hominis.* Matth.16. 623

Conc.III. De Ecclesia. *Tu es Petrus, & supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matthæi 16. 632

Conc.IV. De Indulgentiis. 640

IN FEST. VISITATIONIS B. MARIÆ.

Conc.I. *Exurgens autem Maria, in diebus illis, abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda.* Luc.1. 648

Conc.II. *Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione, &c* Luc.1. 656

IN FEST. B. MARIÆ MAGDALENÆ.

Rogabat illum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo, & ingressus domum Pharisæi, discubuit, &c. Luc 7. Conc.I. 664

Conc.II. *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate, peccatrix.* Luc.7. 672

Conc.III. *Mulier, quæ erat in ciuitate, peccatrix, lachrymis cepit rigare pedes eius, & capillis suis tergebat.* Luc.7. 681

Conc.IV. *Ecce, mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, &c.* Luc.7. 689

IN FEST. S. IACOBI.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filijs suis adorans, & petens aliquid ab eo. Conc I. 695

Conc.II. *Dic vt vnus sedeat ad dexteram, alter ad sinistram tuam, in regno tuo.* Matth.20. 701

IN FEST. S. LAVRENTII.

Amen, Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuū fuerit, ipsum solum manet. Ioan.12. Conc.I. 708

Conc.II. *Nisi granum frumenti cadens, &c.* Iohan.12. 716.

IN FEST. ASSVMPTIONIS B. MARIÆ.

Intrauit Iesus in quoddam castellū, & mulier quædam

Digitized by Google

dam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Luc. 10. Conc. I. 722
Conc. II *Maria optimam partem elegit, qua non auferetur ab ea.* Luc. 10. 729

IN FEST. S. BARTHOLOMÆI.

Factum est in diebus illis, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6. Concio. I. 738
Conc. II. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. 6. 747

IN FEST. NATIVITATIS B. MARIÆ.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, &c Matth. 1. Conc. I. 753
Conc. II. In laudem B. Mariæ virginis. 762
Conc. III. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4. 769

IN FEST. B. MATTHÆI.

Cum transiret inde Iesus, vidit hominem, sedentem in telonio, Matthaum nomine. Matth. 9. Conc. I. 777
Conc. II. *Vidit hominem sedentem in telonio, Matthaum nomine, &c.* Matth. 9. 785

IN FEST. S. MICHAELIS.

In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, Quis putas maior est in regno cælorum, &c. Matth. 18. Conc. I. 792
Conc. II. *Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum illius.* 800.
Conc. III. *In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Psalm. 137. 809
Conc. IV. *Va mundo à scandalis, necesse est vt veniant scandala, verumtamen va homini illi, per quem scandalum venit.* Matth. 18. 818

VITA B. P. FRANCISCI.

Conc. I. 827

IN FEST. S LVCÆ.

Conc. I. *Post hac autem designauit Dominus, & alios septuagintaduos, &c.* 836
Conc. II *Salutat vos medicus Lucas charissimus.* Coloss. 4. 844

IN FEST. SS. SIMONIS ET IVDÆ.

Dixit Iesus discipulis suis, hac mando vobis vt diligatis inuicem, &c Ioan. 15. Conc. I. 858
Conc. II. *Hac mando vobis, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15. 866

IN FEST. OMNIVM SANCTORVM.

Videns Iesus turbas ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Matt. 5. Conc. I. 874
Conc. II. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. 887
Conc. III. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 138. 895

IN DIE ANIMARVM.

Statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hac iudicium Heb. 9. Conc. I. 907
Conc. II. *De purgatorio. Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, si cuius opus arserit, detrimentum patietur.* 1. Cor. 3. 916
Conc. III. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 2. Machab. 2. 925

IN FEST. S. MARTINI.

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Luc. 11. Conc I. 932
Conc. II. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit.* Luc. 11. 939
Vita S. Martini. Conc. III. 946

IN FESTO S. CATHARINÆ.

Tunc simile erit regnum cælorum, decem virginibus,

Digitized by Google

bus,&c. Matthæi 25. Concio. I. 955
Conc. II. *Simile est regnum cœlorum, decem virginibus.* Matth. 25. 962
Concio III. Encomium B. Catharinæ. 970
Concio IV. De virginitate vera & sancta. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, &c.* Sapien. 4. 978
Concio V. De coniugali continentia & virginali, & castitate. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. 986

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX MEMORABILIVM ET SENTENTIARVM, QVAE HOC CONCIONVM SEcundo tomo continentur.

A.

ABstinentia omnibus necessaria, qui in pietatis curriculo decertant 150.b
in Abstinentia quid obseruandum. 156.b
Abusus rerum mundanarum. 77.b
Adulatores. 523.b
Adulatorum finis, vt decipiant. 514.b
Magnitudo corporis plerumq; variis bonis plena. 460.a
Ænigma quid. 21.a
Afflictionum vtilitas. 459.b
Agni paschalis oblatio. 72.b
Ad eius immolationem quæ requirebantur. 72.b
Amicus verus, rarus. 869.a
Amor Dei & amor mundi simul non possunt consistere. 289.a
Angeli & animæ, etsi natura non mouentur, mutari tamen possunt, & interirẽt, nisi Deus eos sustentaret. 16.b
Angeli quale subsidium homini conferant. 821.b
Angelorum chori. 809.b.811.a
eorum prælium in cœlo factum. 816.a
Angeli. 800.b
circa eos quorundam errores. ibid.
eorum creatio. 804.a
numerus. ibid. & seq.
in Animabus quid in purgatorio purgetur, an culpa, an reatus. 924.a
Animæ quamdiu in purgatorio detinendæ. 926.b
Anima quæ verbo Dei assidue non pascitur, quæ incommoda patiatur. 124.b
Anima humana quando adultera dicatur. 476.c
Animæ vulnera. 172.a
Animam perdit, qui eam amat, & custodit, qui eam odit. 717.b
Animarum & spirituum apparitiones. 911.b
Animæ sanctorum an Deum videant. 895.a
Animæ prius, quam corporis habenda ratio. 455.b
Animæ bene constitutæ dignitas. 465.b
Anima maiorem curam requirit, quam corpus 844.a
Animæ bonus & malus amor. 710.a
de Antichristo. 549.c
& signa aduentus eius. ibid.
Antichristi nomen. 554.a
origo. ibid.
& profectus. ibid.
eius imperium. 556.a
haberi & adorari volet Antichristus, vt Deus. 557.
de eius fine & obitu. 560
Arbor bona quomodo non possit malos fructus facere. 178.b

Digitized by Google

Homo tanquam arbor fructifera bonos fructus proferre debet. 183.b
Aromaticæ species explicantur. 773.a
Arrius infestissimus hostis diuinitatis Christi. 9.a
fœdissima morte perijt. ibid.
Arrianis linguæ radicitus euulsæ. ibid.b
Auari diuitias suas plus, quam Deum amant. 78.b.

B.

S. Bartholomæi vita. 745.b
Beatitudines octo à Christo enumeratæ. 874 a
Prima. ibid.a
Secunda. 878.a
Tertia. 880.a
Quarta. 882.b
Quinta. 884.b
Sexta. 885.a
Septima. 885.b
Octaua. 886.a
Beati omnes esse cupiunt, pauci tamen sunt, & cur. 887.b
Beatitudo hominis vera in quo sita sit. 888.a
Benefactorem omnes natura diligunt. 151.b.
Berengarii hæresis. 42 a
Boni primum quærunt regnum Dei. 327.a
Bona temporalia bonis, malisq; sunt communia. 330 a
Bona temporalia tam sunt vana, quam transitoria. 332.a

C.

CArnem Christi esse cibum animæ, non corporis. 50.b
Castitas non solum omni tempore, sed etiam appropinquante festorum tempore, maxime colenda. 992.b
B. Catharinæ virginis encomium. 970.b
Causæ naturales quomodo à non naturalibus differant. 18.b
earum effectus. 19.a
Certiora sunt, quæ fide credimus, quàm quæ oculis cernimus. 535.b
Charitas quomodo acquiratur. 425.b
Charitas patriæ an maior sit, quam charitas vitæ. 427.b
Charitas an quolibet actu augeatur. 431.a
Charitas quomodo acquiratur. 425.b
Charitas patriæ an maior sit, quam charitas viæ. 427.b.
Charitatis necessitas, & vis. 421.b
Charitas quomodo acquiratur. 413.a
Christus cur in montem ascenderit. 887.a
Christi corpus quomodo sub tam parua hostia esse possit. 50.a
Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. 65.a
Christus qualiter cum peccatoribus conuersatus. 101.a
& cur. ibid.
Christus Dominus cur ea præcipue signa edere voluerit, quæ simul & signa & beneficia essent. 152.a
Christus Dom. cur ciuitatem Hierusalem defleuerit. 211.b
cur mala illa Iudæis prædixerit. 213.b
Christi diuinitas vt in Euangelio probetur. 456.b
Christus cur è templo ementes & vendentes eiecerit. 222.a
Christus cur adhibitis certis ceremoniis mutum & surdum curauerit. 255.a
Christus quomodo & filius & Dominus sit. 442.b
Christus non nobilitatem, vel dignitatem reguli respexit, sed fidem. 493.a
Christus omnibus relictis, sequendus. 120.b
Christi sectatorum aliæ leges, quam mundanorum. 121.b
Christum sequi omnibus relictis, non sufficit, sed pura & sincera etiam adesse debet intentio. 122.a
Christum vt sequamur, prius ex mortuis resurgere oportet. 787.b
Christo dedecus non fuit cum publicanis & peccatoribus comedere. 789.b
Christus cur humilitatem tantopere commẽdet. 791.a
Christum sequi quid sit. 711.b
quid ei ministrare. ibid. & seq.
Christus cur grano comparetur. 708.a
Christus & Christianus quisq; quomodo vt granum, mortificandus. 716.b
Christi imitatores & ministri, à Deo patre honoran-

norantur. 721.a
Christus quales in Apostolos elegerit. 741.b.
cur Iudam elegerit. ibid.& 751.a
Christus cur sponsus Ecclesiæ dicatur. 874.a
Christus cur suos, tanquam agnos inter lupos miserit. 841.a
Christus Dominus cur sponsi, quam mariti nomen assumere maluerit. 474.a
Christi vocatio. 779.b
Christus etiam erga æmulos suos beneuolus & clemens. 406.a
Christi Domini diuinitas probatur. 7.b
ex scripturis noui testamenti. 8.b
Cibi tam spiritualis, quam naturalis qualitates. 51.a
Clericis familiaritas mulierum vitanda. 986.b.
Confessionem cur exigat Deus. 89.a
Cognitio sui primus gradus ad notitiam Dei. 22.b
Cognitio vltimi finis hominis maxime necessaria. 889.a
Concordia fratrum magis necessaria, quam sacrificium. 143.b
Concupiscentia mala omnis in scriptura fornicatio dicitur. 477.a
Coniugij abusus. 78.a
Consecrationis verba: Hoc est corpus meum, quomodo intelligenda. 34.b
Consilium malum consultori pessimum. 52.b
Consolatio contra metum mortis. 366.a
Consolatio viuorum in morte suorum. 332.a 380.a
Consolatio super morte amicorum. 545.a
Continentia an sit necessaria volenti pietatem colere. 154.b
Continentiæ vis in quo sita. 155.b
Continentia coniugalis,& virginalis. 990.a
vtra melior. ibid.
Corpus Domini an substantialiter contineatur sub speciebus panis & vini. 43.a
Corpus Christi verum esse in sacramento, probatur. 38.a
Confirmatur miraculis. 39.40
hoc impugnantes hæreses refutantur. 41.a.
Corpora nostra templa Spiritus S. 11.b
Crapula & luxus maxime fugiendus. 151.b
Creatura caute diligenda. 278.b
Creatura vt per se, sine Dei cooperatione nihil potest efficere. 146.a

D.

Damnatorum pœnæ. 471.a
Dauidem cur Deus labi permiserit. 103.a
Debitum hominis magnum est. 502.b
Hominis debitum magnum est. 502.b
Deliciæ spiritus. 806.b
Detractio. 104.b
vitium pessimum. ibid.
Deo summe displicet. 105.a
quomodo cauendum hoc vitium. ibid.
Deuotionis nomine quid intelligatur. 63.b
Deum incenso sacrificio odoratum esse odorẽ suauitatis, quomodo dicatur. 69.a
Dei non solum misericordia, sed & iustitia attendenda. 106.a
Deus quomodo dicatur indurare cor hominis. 93.b
Deus an dicatur causa indurationis. 94.b
Deus etiam sceleratissimos conuertit 101.b
Sceleratissimos etiam à Deo conuerti. 101.b
Deus quomodo cor Pharaonis indurasse dicatur. 95.b
Dei ordinatione quomodo omnia fieri debeant. 119.a
Deus rebus omnib. à se creatis prouidet. 145.a
& quo modo hoc faciat. ibid.b
Deus non deserit hominem, nisi prius ab eo deseratur. 93.b
Dei substantiam cognoscere velle extrema dementia est. 23.a
Deum esse trinum & vnum. 3.a
Deus cur creet damnandos. 205.a
Deus peccata seuere punit. 216.a
Deo seruire quid sit. 313.a
Deus in hac vita non solum misericordiam, sed & iudicium exercet. 222.a
quem modum corripiendi etiam nos vult imitari. 224.b
Deus suis creaturis occulte, & diuersimode prouidet. 147.b
an huic prouidentiæ obstet, quod multi pij fame & inedia affligantur. 149.a
Deo seruimus aut in sua persona, aut in hominibus. 319.a

Digitized by Google

Deo vt quis seruiat, quanta constantia & diligentia opus sit. 353.a
Deus cur potius à nobis diligi, quam timeri velit. 274.a
Deus quanto amore suos prosequatur. 283.b
Deus cur ex toto corde diligendus. 265.b
Deus variis modis nos inuitat ad dilectionem proximi. 296.a
in Deo salutari nostro quomodo exultandum. 962.a
Deus dilectionem potissimum à nobis requirit. 415.b
Deum cur non magis diligamus. 423.a
Deum quem non videmus, quomodo diligere queamus. 414.b
Dei amor duplex, naturalis, & supernaturalis. 426.a
Dei misericordia magna, 498.b
 quis ea dignus. ibid.
Deus vt bonorum, ita diabolus malorũ causa. 458.a
in Deo multa sunt, quæ rationis solo lumine intelligi nequeunt. 16.a
Deum esse certis rationibus probari potest. 12.a
Deus cur mundum condiderit. 13.a
 natura inuisibilis. ibid.
de Dei perfectionibus. ibid.b
Deus quomodo cerni dicatur. 15.a
 & loqui. ibid.
Deum esse multi verbis confitentur, factis, negant. ibid.a
Deus est scrutator cordium & renum. 463.a
Deus tempori non subiectus. 16.b
 vt ei tempora & anni tribuantur. ibid.
 immutabilis est. ibid.
 contra eius absolutam voluntatem nihil fieri potest. 17.
 ex eius immutabilitate non potest inferri fatalis necessitas. 17.b
Deus cur hominem impugnari sinat. 586.b.
Deus pugnantes adiuuat. 571.b
Deus quomodo nobis ea reuelet, quæ sunt fidei. 616.b
Deus quamuis omnia præsciat, non tamen omnia prædefinit. 18.b
à Dei imperfecta cognitione cur in hac vita incipiendum. 20.a
Deus est incomprehensibilis. 22.b
Deum quo quis perfectius cognoscit, eo plenius diligit. 25.b
Deus quomodo ex creaturis cognosci possit. 26.b
Dei potentia sapientia & bonitas in creaturis relucet. 29.30.31.b
Diabolus ex odio Dei & hominum nil nisi bella quærit. 591.a
Diabolus cur nunc leo, nunc draco dicatur. 445.b
Diffamatio nostri apud Deum vnde. 194.b
Dignitatem appetere an liceat. 701.b
Dignitates non tam filiis procurandæ, quam virtutes. 704.a
Dij gentium. 15.b
Dilectio vnde oriatur. 437.a
Dilectionis vtilitas. 437.a
Diligentium cur tanta raritas. 438.b
 an omnes æqualiter diligendi. 440.a
Dilectio proximi cur tantopere à Domino nobis commendetur. 866.a
in Dilectione modus & ordo seruandus. 418.b.
Dilectionis præceptum an impleatur. 268.a
Dilectio inimici an humanę infirmitati sit possibilis. 290.a
Dilectio proximi quid includat. 434.a
Diligentium Deum triplex gradus. 416.b
Diuitiarum vsus 334.a
 abusus. ibid. & seq.
Diuitias congregare an quis absque peccato possit. 339.b
Diuitiæ non, sed cupiditas mala. 352.b
Diues auarus miser. 347.b
Diuitum cum pauperibus comparatio. 107.b
Diuitias habere malum non est. 83.a
Diuitum pericula plura & præcipitia, quã pauperum. 83.a
Diuitiarum omnis abundantia, vera est inopia. 83.a
 ad vitæ subsidium datæ, non malorum incitamentum. 84.a
Doctrina nõ prodest, nisi vita sequatur ei conformis. 123.b
Dominis duobus simul seruire non possumus. 317.b. & cur. 320.a

Domi-

Dominus quomodo ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. 447.b
Dominus messis cur rogandus, vt mittat operarios in messem suam. 839 b

E.

ECclesia cur sponsa Christi dicatur. 474.a
Ecclesia ex gentibus congregatur, reiecta synagoga. 478.a
Ecclesia continet bonos & malos. 480.b
Ecclesia Christi quomodo super Petrum ædificetur. 620.a
in Ecclesia Christi vt quis esse dicatur, quid requiratur. 632.b
Ecclesia an sit visibilis. 635.b
eius reliquæ notæ. 638
Eleemosynæ. 189.b
spirituales. ibid.
corporales. ibid.& seq.
Eleemosynæ ad quid prosint. 193.a
& quibus. ibid.
Eleemosynarum vtilitas. 197.b
necessitas. ibid.& seq.
ad quas plerique tardi. 200.b
Episcopatum appetere an liceat. 701.b
Euangelistæ cur tam serio describant Christi genealogiam. 753.b
in Eucharistiæ sacramento corpus Domini realiter esse probatur. 33.b
Eucharistiæ sacrificium idem cum sacrificio crucis. 61.b
Eucharistiæ sacramenti effectus. 57.a
similitudo eius cum cibo corporali. 16.b
de Eucharistiæ festiuitatis institutione, vberior narratio. 43.& seq. quando instituta, & confirmata. ibid.b
Eucharistiæ sacramentum digne sumentibus vitam, indigne manducantibus mortem adfert. 48.a
an sæpius in anno sumendum. 49.a.55.b
Examen illud diuinum, quo quisque rationem reddere tenetur, an fiat extra corpus, post mortem scilicet, an anima in corpore existente. 502.a
Exempla eorum, qui inimicos dilexerunt. 293.b

F.

FAcultates corporis humani. 52.b
Fatali necessitati quantum à Caluino tribuatur. 18.a
Fatum quid. ibid.a
Fatum, figmentum. 147.a
Fidei gradus diuersi. 484.b
Fidei libertas an cuique permittenda. 174.a
Fidei veræ & perfectæ vis magna. 533.b
Formicarum industria. 32.a
Fortuna, nulla. 147.a
S. Francisci conuersio. 827.a
de institutione sui ordinis. 830.b
reliquæ eius virtutes. 834.a
Fructus ex quibus cognoscuntur boni & mali, qui nam sint. 176.b
Fructus dignos pœnitentiæ agere, quid sit. 681.a
de Furto, & rebus inuentis. 519.a

G.

GLoria quam homo peccator, à creatura expectat, Vana. 404.a
Gloria vana quæ & quot modis dicatur. 697.a
Gulam non in qualitate cibi, sed in deordinato appetitu consistere. 171.b

H.

HÆreticorum iustitia. 130.a
Hæretici vnde tot asseclas habeant. 165.b
Hæretici per falsos prophetas significati. 172.a
eorum proprietates. ibid.
Hieronymi moribundi verba ad mortem. 376.b
Hierosolymitanum excidium. 210.a
cur illud Christus defleuerit. 211.b
Homo quanto amore Deum prosequi debeat. 287.b
Homo nec elatus sit, nec pusillanimis. 357.a
Homo lapsus an per pœnitentiam semper resurgat ad maiorem, aut saltem æqualem gratiam, cum ea, à qua lapsus est. 107.b
Homo ęgre se ad ea, quę captum suum superant, attollere potest. 150.a
Homo an in hac vita possit habere certitudinem fidei, de sua iustitia. 133.b

Digitized by Google

Homines plerunque tardi ad dandas eleemosynas. 200.b
Homo an penitus in hac vita propter enormia peccata à Deo deferatur, vt penitus conuerti nequeat. 94.a
Homo cum diabolo pugnans, quæ arma assumere debeat. 473.b
Homo in quolibet statu potest saluari & damnari. 240.a
in iustitia sua confidere non debet. 241.b
Homo triplici de causa Deo seruire obligatur. 311.a
Homo quilibet se ipsum Deo in templum separare debet. 576.a
quomodo hoc fiat. 578.a
Homo vt voluptatis, ita honoris auidus. 695.a
Homines à Deo misericorditer flagellantur, vt corrigantur. 491.a
Homo quilibet in sua vocatione seruire debet. 729.b
Hominum omnes actiones & conatus infausti, nisi Dei consilium eos dirigat. 119.b
Homo velut carbo incensus interdum sibi soli lucet, & ardet, interdum velut lucerna accensa etiam alios illuminat. 932.b
Homo quilibet proprium habet Angelum. 795.b
Homines cur non omnes salui fiant. 79.a
Hominis miseria post lapsum. 269.b
Homo honoris & voluptatis auidissimus. 403.b
Honor & gloria præmium virtutis. 81.b
Humana negotia omnia, non fato, nec fortuna, sed Dei arbitrio disponuntur. 147.a
Humilis quis. 401.a

I.

S. Iacobi vita. 705.a
S. Ieiunium medicinæ comparatur. 157.a
Ignem gladio ne fodias pythagoricum ęnigma, quid notet. 141.b
Ignis infernalis an corporeus. 872.a
Imago Dei homini impressa. 527.b
Immolatio quid. 66.b
Impii cur tam parum Dei iudicia metuant. 203.a
Impii cur iustos persequantur. 862.b
Impii non solum iustos, sed etiam Deum oderunt. 858.b
Indulgentiarum legitimarum conditiones quatuor. 640.a
secunda. 642.a
tertia. 643.b
quarta. 645.b
Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. 646.b
quomodo defunctis prosint. 647
Induratio hominis pœna pręcedentium peccatorum. 94.b
Inferi portæ cur non possint prævalere contra ecclesiam. 631.b
de Ingratitudine. 309.b
& ingratis. seq.
Inimicus caute diligendus. 437.a
Inimici Christi qui sint. 444.a
ab Inimicis quæ vtilitas capienda. 509.a
cum Inimicis quomodo conuersandum, & non malum pro malo reddendum. 407.b
Inimicum diligere difficile. 436.b
Initia peccatorum cur a Deo interdicta. 138.a
Iniuriam inferenti & roganti cur ignoscendum. 506.a
Iniurias illatas æquo animo ferens, quid faciat lucri. 510.a
Inuectiua in diuites auaros. 337.a
Ioannis Bapt. natiuitas cur potius celebretur, quam aliorum sanctorum. 599.b
eius conuersatio in eremo. 600.b
profectus. 601.a
cur tam duram elegerit vitam. 608.a
quomodo illum imitari debeamus. 610.b
Ira quando iusta sit. 134.a
quando iniqua. ibid.
in ea gradus. ibid.
contra eam remedia. 135.b. & seq.
Ira propria quomodo cohibenda, & proximi toleranda. 141.a
Ira & odium summopere cauenda. 137.a
Iracundiæ culpa quanta. 142.b
Iniuria lacessitus quid facere debeat. 143.b
Isaiæ locus & visio qua Deū vidit, explicatur. 25
Iudæi non possunt excusari de incredulitate. 864.b
Iudæi ad Idololatriam procliues. 4.a
Iudæi qua ex causa Christum & apostolos occiderint. 468.b

Iudi-

Iudicium diuinum duplex occultum, quod præsentis vitæ, alterum futuræ vitæ. 492.b
Iuga boum quinque emens, quos in parabola euangelica designet. 82.b
Iustificatio fidei tribuitur. 132.b
Iustitia Pharisæorum in quo sita. 129.b
Iustitia nostra in quo. ibid.
Iustitia hæreticorum. 130.a
ad Iustitiam quid requiratur. 225.b
& quomodo bona opera ad eam valeant. ibid.
Iustus etsi mortem non cauet, non pauet tamen. 385.a
Iusti mors an deploranda. 388.b

L.

LAbor hominum absque Dei ope inanis. 119.b
B. Laurentii constantia. 713.b
Lectio diuinarum scripturarum quæ solatia præbeat. 125.b
Leprosorum quædam conditiones. 304.b
cur ad sacerdotes missi. ibid.
Liberum arbitrium hominis. 18.a
S. Lucæ apost. vita. 843.a
Lucernam accensam quis in abscondito, aut sub modio ponere dicatur. 934.b
Luctus quisnam laudabilis. 892.a
Lumen quod in nobis est, quomodo tenebræ fiat. 937.a
Lumen intellectus, quod est cognitio veritatis. 939.b
Lutheri doctrina de corpore Christi in Sacramento. 42.b
Luxum & crapulam fugiendam etiam ethnici docuere 153.a
Luxuriæ peccatum difficulter curatur. 673.a

M.

B. Magdalenæ vita qualis. 670.b
B. Magdalenæ vita & mores post conuersionem. 679.a
Mali in ecclesia bonis permixti. 128.b
Mali bona huius mundi quærunt. 327.a
Malum pro malo non reddendum. 408.a
Mansuetudo quantum animi bonum. 891.b
Mariã abiisse cũ festinatione, quid notet. 652.b
Mortui moderate deflendi. 540.a
B. Maria virgo omni virtutum genere fuit ornata. 762.a
cur tam dura in hac vita fuerit passa. 765.b
eam quomodo imitari debeamus. 768.a
de eius virtutum plenitudine & varietate. 769.b
B. Maria virgo quid post Christi ascensionem fecerit. 723.a
Magno desiderio petiit dissolui, & esse cum filio. 725.b
Magno cum gaudio & triumpho assumpta fuit in cœlum. 728.a
B. Maria virgo quando visitauerit Elisabetham. 656.b
& cur. ibid.
eius exemplum docet virgines virorum consugere consortia, & caute virginitatem conseruare. 659.a
S. Martini vita. 946.a
Martyres mortui quomodo viuos adiuuent. 396.b
Matrimonii abusus etiam hominem à regno cœlorum excludit. 84.b
B. Matthæi Euang. vita. 783.b
in eius, & aliorum conuersione mirabilis Dei misericordia elucet, & potentia. 785.a
Medium timendum inter excessum & defectum. 156.a
Miracula etiam à malis fieri possunt. 486.a
Miracula ad quid conducant. 483.b
Misericordia Dei maior omni iniquitate. 79.b
Misericordia Dei non solum, sed & iustitia attendenda. 106.a
Misericordia Dei an esse dicatur nisi & malos saluarit. 107.a
Misericordia & bonitas Dei summa. 166.a
Miseratio Dei septiformis. 166.a. & seq.
Misericordia parua, mediocris & magna. 167.a
Missæ sacrificium quid sit. 66.b
& quis legitimus eius vsus. ibid.
Missa boni sacerdotis, an maioris sit efficaciæ, quam mali. 62.b
pro Missa vnica celebranda non licet diuersa stipendia à diuersis accipere. 63.b
Missæ sacrificii ritus & partes. 64.b. 65. 66
Missæ sacrificium. 59.a
successit in locum omnium aliorum sacrificiorum veteris testamenti. 59.b
ex eo etiam fructus sequitur, licet sacerdos, qui eam administrat impius sit. 61.b

d by Google

Mors corporis. 383
animæ. ibid.
Mors sanctorum. 919.b
Peccatorum. ibid.
& infirmorum. ibid.
Mortis frequens memoria quam vtilis. 374.a
contra mortis metum præsidium. 370.b
Mortui suscitati quid significent. 367.a
Mors metuenda quibus sit. 368.a
quibus non. ibid.
Mortis origo peccatum. 391.b
non metuenda. 386.a
Mortis genus triplex. 393.a
Mortui quomodo apparere possint. 395
Mors an sit mala. 375
an metuenda. ibid. 384.b
Mortui an sint deflendi. 378.b
qui nam. ibid. & 385.b
& qui non. ibid.
Mors certa. 381.b
hora incerta. 382.a
Mors est pœna peccati, & non conditio naturæ. 390.a
Mortui an aliquando appareant. 395.b
an sciant, quæ hic agantur. ibid.
Moyses mansuetissimum. 879.a
Mulierum familiaritas vitanda. 965.a
Mulierum ornatus. 687.
Mulierum ornatus superfluus. 692.a
Mundus cur iustos oderit. 871.a
Murmuratio erga Deum. 104.b

N.

NAtura paucis contenta. 151.a
ex Necessitate quod sumitur, paruo comparatur. 151.a
Nauicula Petri, id est, ecclesia fluctuat aliquando, ac nunquam submergitur. 115.a
Nemo læditur, nisi à seipso. 512.b
Nexus quo quis in ecclesia catholica continetur, duplex. 116.b
Nobilitas vera. 255.a
falsa. ibid.
Nulli desperandum, licet malo, nec vlli, quamuis bono præsumendum. 689.a
Nuptiarum molestiæ, à quibus liberæ sunt virgines Christi. 969.b

O.

OBedientia perfecta & imperfecta. 351.a
Odium bonum. 860
malum. ibid.
Omnia esse parata, quomodo in Euangelica parabola dicantur. 75.b
Opera bona quid mereantur. 236.b
in Operibus bonis se exaltare, insipientiæ est. 243.b
Operum bonorum potius habenda ratio, quam verborum. 649.b
Oratio necessaria arduum quid aggredienti. 738.b
Oratio nocturna maioris efficaciæ quam diurna. 752.a
Ornamenta & vestitus sacerdotis missam celebrantis quid notet. 66.a
Os nostrum aperiri debet à Deo, vt recte loquamur. 264.a

P.

PAssionis Christi meditatio. 708.a
Passionis Christi effectus. 369.b
Mors omnibus communis & debita. 373.a
S. Pauli Apostoli acta & laudes. 629.b
Paupertatis extra sensum, quomodo quis esse possit. 151.a
Paupertas spiritus. 889.b
cur vocetur beatitudo, & in quo consistit. ibid.
Pax aliis optata, quomodo ad nos redeat. 842.b
Peccatorum venia potius lachrymis, quam verbis inquirenda. 678
Peccatum an in hac vita aliquod sit, de quo pœnitere non possit. 98.b
Peccata aliqua irremissibilia. 99.a
Peccatum ad mortem quod. 99.b
cum Peccatoribus conuersari, quibus periculosum. 100.b
Peccata, quæ igne purgatorio sunt purganda, quænam. 928.b
Præceptum de sabbatho an morale. 400.a
Peccatum quantum sit malum. 88.a
Peccatoris reditus ad Deum, à pœnitentia debet inchoari. 86.b

Pecca-

Peccatum omne, Christo sanabile est. 298.b
Peccatori non insultandum, sed condolendum. 693.a
Peccati initia quanto studio obseruanda. 611.b
Peccatorum pœnæ. 207.a
Peccatorum initia cur tam serio Deus interdicat. 138.a
Peccata dimissa an redeant. 500.b
Peccatores quidam, quia ægre curantur, fide indigent, & oratione aliena, vt sanentur. 257.b
S. Petri Apostoli vita. 622.a. gesta. 625.b
Vulgi iudicium an magnificiendum. 623.a
Petri Bruit hæresis. 43.a
Pharisæus Euangelicus cur in suis operibus non sit iustificatus. 230.a. & 233.b
Pharisæorum iustitia in quo sita. 129.b. & 138.a
Pigritia paralysi comparatur. 450.a
Pigritia. 449.a
& pigrorum conditiones. ibid.
Piis in hac vita male, & malis bene esse, maximam homini scandali ansam præbet. 149.b
Piorum probationes variæ. 461.b
Pœnæ inferni. 470.a
Pœnæ satisfactoriæ nunc vltro assumendæ, ne postea nos grauiores maneant. 927.b
Pœnitentia vera & ficta. 91.a
Pœnitentiam quamuis non sufficere ad remissionem consequendam. 92.a
Pœnitentiæ veri conditiones. 245.a
Pœnitentia non differenda. 664.a. & 675.b
vera. 666.b
ficta. ibid. & seq.
quæ nam pacem cordis afferat. 668.b
Pœnitentia seria sanctorum aliquot recensetur. 109.b
Dauidis Regis pœnitentia. 109.b. & seq.
Præceptum dilectionis an impleatur. 268.a
Præcepta Dei grauia non sunt. 217.b
Prælium quod committitur in cœlo, & in ecclesia. 825.a
Præsidia humana vt spectanda. 826.b
Preces sanctorum vt aliis prosint. 462.a
à Prophetis falsis quomodo sibi quisque cauere debeat. 180.a
Prouidentia diuina nihil temere, nihil sine ratione facit. 147.b
Proximus etsi inimicus, diligendus. 418.a
Proximus cur diligendus. 297.a
& cur. ibid.
Publicanus euangelicus cur sit iustificatus. 238.b
Purgatorii pœnæ. 908.b
Purgatorii pœnæ peccatis commensurantur. 925.b
Purgatorium post hanc victoriam restare, probatur. 617.a
contra Purgatorium obiectiones refutantur. 921.b
Pusillanimis quis. 401.a

R.

Reditus qui nam liciti. 521.a
qui non. ibid.
Reditus peccatoris ad Deum à pœnitentia debet inchoari. 86.b
Regulus, de quo in Euangelio mentio fit, variis defectibus subiectus. 495.b
ex Regum vitiis varia dogmata desumuntur. 758.b
Religio absque sacrificio consistere non potest. 69.b
Religionis Christianæ duæ partes. 611.b
Remedia contra iram. 135.b. & seq.
à Restitutione rei alienæ quis excusetur. 519.a.b
Retributionis tempus post hanc vitam futurum. 907.a

S.

Sabbathum quomodo sit obseruandum. 409.b
Sabbathum seruandum. 399.b
Sacrificia cur instituta. 67.a
Sacrificia veterum quatenus Deo grata fuerunt. 144.a
Sacrificium missæ quid sit. 66.b
& quis eius vsus legitimus. ibi.
Sacrificium pro vno oblatum plus prodest, quam oblatum pro multis. 64.a
Sacrificium nouæ legis vnicum. 59.a
idque sufficiens. ibid.
absque sacrificio non potest consistere religio. 69.b

Digitized by Google

eo sublato interit etiam religio. 70.a
Sacrificium adhuc in noua lege offerendum, cum Christus vnica oblatione consummauerit. 70.b
Sacrificia improprie quæ dicantur. 71.b
Sacrificium requirit sacerdotium. 72.a
Salus cur fidei tribuatur. 302.a
Sancti Dei,& homines huius mundi quantum inter se distent. 611.a
Sanctorum preces vt aliis prosint. 462.a
Sancti magis prospera, quam aduersa huius mundi formidant. 493.a
Sancti an sint à nobis honorandi, & inuocandi. 900.a
an eis imagines sint statuendæ, & honorandæ. 904.a
Sanitatem corporis potius, quam animæ plerique exoptant. 459.b
Scandala quam sint noxia. 619.a
quædam tamen toleranda. ibi.
Scandalum. 794.a
cur scandalizantibus væ dicatur. 794.a
Scientiarum varia genera. 943.a
Libidinem sola fuga vinci posse. 967.a
Scriptura sacra est veluti arbor. 836.b
Serapion pauperibus duobus factus obuiam pallium vni, alteri tunicam dedit. 150.b
Serui inutiles quomodo dicamur. 230.a
Seruitus Christi suauis est. 325.b
Seruitus peccati grauis. 325.b
Sobrietas pietatem colenti necessaria. 158.a
Sollicitudo hominis & labor omnis vanus, nisi primum ad regnum Dei consequendum dirigatur. 151.b
Sponsi mora, quid in parabola Euangelica notet. 958.b
Spiritum sanctum Deum esse probatur. 10.a
quomodo à patre & filio procedere dicatur. ibid. cum Deum verum esse aliqui negarunt. 11.a
Subsidio diuino magis, quam humano fidendum. 538.b
Suffragia Ecclesiæ quomodo defunctis prosint 624.b
Superbi honores plus, quam Deum amant 78. b.
Superbia subtile malum. 700.a. ab eo pauci immunes. ibid.
Superbus quis. 401.a

T.

Tabernaculum Moysis. 584.a
Temperantiæ maxime studendum. 152.b
inter Temperantiam & continentiam differentia. 153.b
Temperantia quibus in rebus sita sit. 152.b
Templum Dei spirituale collapsum, quomodo à Deo restaurandum. 579.b
Templum cur oleo liniatur. 582.b
in Templo quomodo se quisq; gerere debeat. 218.b
Templi Hierosolymitani muri. 585.b
atria. ibid.
gazophylacia. ibid.
gradus. 589.a
fenestræ. ibid.
cur non à Dauide, sed à Salomone illud extrui Deus voluerit. 592.b
atrium Sacerdotum. 594.a
templum Sacerdotum. 595.b
sanctum sanctorum. 597.a
Tentator à minimis incipit,& paulatim ad impia quæq; deducit. 567.a
Transmutationes rerum naturalium quomodo fiant. 487.a
Tributa exigere quando licitum. 777.b
de Tributo Cæsari soluendo. 516.a
in SS.Trinitatis visione vltima hominũ & angelorum consistit felicitas. 20.b
Trinitatis mysterium Iudæis non manifeste prædicatum. 4.a
SS. Trinitatis cur in veteri testamento raro mentio fiat. 4.b
ex veteri testamento quibus dictis probetur. ibid.
in ea vt filius & spiritus dicantur. 5.a
in ea quomodo persona vna ex alia procedere dicatur. 6.a
vt ex nouo testamento probetur. 7.a

V.

Valor rei cuiuslibet vnde æstimandus. 402 a.
Vectigalia nemo tenetur soluere, antequã exigantur. 517.b
Verbum Dei audire, quam sit vtile. 122.b
Vestis nuptialis. 469.a
Victoria contra iram, omnium maxima. 879.b

Victoria erga diabolum in hac vita perfecta nō est. 562.b
Villam emens, quomodo in parabola Euangelica regno cœlorū indignus dicatur. 81.a
Virgo an coniugatæ se præferre debeat. 979.a
Virginem & sponsam Dei deflorare, quam sit horrendum. 968.a
Virginitas qualis esse debeat, vt sit Deo grata. 978.b
Virginibus virorum consortia fugienda. 982.a
Virginitatis bellum periculosum. 984.b
Virginum Euangelicarum fatuitas & prudentia in die iudicii detegenda. 955.b
qui per virgines intelligantur. 956.a
earum prudentia, & fatuitas in quo sita. 957.a.
cur prudentes fatuis subsidium negent. 960.b
in fatuis prauus affectus remanet. 961.b
Virginitas & eius integritas. 965.a
Virtus in initiis difficulter comparatur. 453.a
Virtutes potius, quam dignitates filiis procurandæ. 704.a
in Virtutum cursu vt quis proficiat. 127.b
Virtutum profectus. 126.a
in Virtute proficiendi modus. 846.b
Virtutis præmium gloria & honor. 81.b
Vis naturæ sine concursu diuinæ prouidentiæ non operatur. 146.a
Visitare & salutare nos inuicem, quomodo oporteat. 655.b
Visitatio B. Mariæ virg. diuino instinctu facta. 648.a
Vitæ actiuæ quæ sint opera. 732.b
Vita contemplatiua cur sit melior actiua. 734.b.
ad eam quæ conditiones requirantur. 736.b
Vitæ humanæ breuitas. 359.b
Vanitas. ibid. & seq.
Vita nostra incerta & miseriis plena. 362.b
Vita propria non aliena examinanda. 186.a
Vlysses vt Sirenarum cantus eluserit. 78.b
Voluptuosi delicias suas, plus quam Deum amant. 78.b
Vtilitas ex inimicis capienda. 509.a
Vulgi iudicium de nobis quomodo inquirendum. 615.a
Vxorem ducere an viro sapienti expediat. 85.a
Vxorem ducenti quæ necessaria. ibid.
Vxoris nulla est electio, sed qualiscunq; euenerit, retinenda. 85.b
Vxor mala an verberanda. 85.b

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7-2-2

Digitized by Google

IHS

Digitized by Google